M. PHILAGRII LE ROY

R. SOCII SORBONICI

PHILOSOPHIA
RADICALIS ECLECTICA
INTER PERIPATETICOS
ET
ANTIPERIPATETICOS MEDIA

EX SELECTISSIMIS AVCTORIBVS COMPILATA

ET NOVA METHODO

IVXTA ORDINEM ALPHABETICVM DIGESTA

IN

TRACTATVS L

OMNIBVS PHILOSOPHIS MEDICIS ET THEOLOGIS

VBERRIMAM PRAEBENS MATERIAM MEDITANDI

DE NATVRA EIVSQVE AVTHORE DEO.



ANTVERPIAE

APVD IOANNIS MEVRSII HAEREDES

MDCCXIII.



PRAEFATIO.

Temerarii judicii ferendi periculo se exponit Lector, quicunque neglecta praefatione in obvium sibi Scriptum involat, illotis, ut ajunt, manibus, non tam inquirenda veritatis, quam carpendi censurandiq; studio, raptim hinc inde, prout sors fert, delibat. Cui malo non infrequenti ut obviarem, necessarium duxi paucis meam in compilando hoc opere intentionem & finem Lectoro aperire ac Inscriptionis facta rationem exponere.

Ac primo quidem occasionem suscepti laboris prabuit Eximius D. Joannes Maria Sbogar Clericus Regul. Congregat. S. Pauli, qui paucis abhinc annis, vid. 1698. impressam Neo-Praga THEOLOGIAM RADICALEM evulgavit, cujus methodum placuit imitari, similemq; Philosophia nostra titulum prafigere: idq; ad evitandum tadium in copioso rerum verborumq; Indice conficiendo, cum pracipua materia juxta ordinem alphabeti facile sit reperire. Vt Eclecticam dicerem, exemplo fuit Christianus Thomasi sic inscribens suam Introductionem ad Philosophiam Aulicam, sic dictam ex eo, quod non condit nova Dogmata, sed ex aliis meliora & verosimiliora, velut flores excerpat, reliqua secundum propria rationis ductum addendo, ita tamen ut lectores non adstringat ad dogmata sua quasi sola veritati convenientia, sed aliter sentiendi libertatem relinquat. Hinc nullo trahitur partium studio, sed aquali affectu prosequitur omnes: protestor enim verbis S. Gregorij Nisseni, ac antequam exordiar illud testatum volo, me sicut nullius auctoritatem sperno, ita nec moveri, rationes autem a quocunq; motas attendere. S. Aug. lib. 2. de bono persev. c. 21. sic de seipso scripsit: "Neminem velim sic amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in iis, in quibus me non errare perspexerit." Hinc acute Card. Sfondrati in Nodo pradest. pag. 58. ait: Aliud est Augustini Dictum, aliud Augustini Sententia; hac enim discussionem & examen requirit. Similiter tametsi in materia de Sacramento Crucifixus dixerit: Bene scripsisti de me, Thoma; non tamen propterea Scotus, & Durandus, & Suarez & alij dissentientes sunt inculpandi, quoniam ipsorum conscientia non acquiescit D. Thoma in omnibus. Nec ipse D. Thomas dissentiens in Philosophia ab Alberto Magistro suo (cui B. Virgo scientias supra cateros impetravit a Deo) peccat; aliter enim sua conscientia S. Thoma dictavit.

Porro nobis neque antiqua sordent, nec nova contemnimus, prout faciunt nonnulli exemplo Theophrasti Paracelsi & Io. Bapt. Helmontii, fastuosi nimium antiquitatis contemptores, qui solis sibi sapere videntur. Hos perstrinxit jam dudum S. Leo Pont. dum ait: Qui putat se omnia & prorsus invenisse, non quæsita reperit, sed inquisitione defecit. Tritum est apud Gallos: Pour être Fidele, il faut croire avéuglment; mais pour être Philosophe, il faut voir evidemment. Hinc displicet opusculi cujusdam posthumi nuper editi Colonia Aõ. 1706. sub hac inscriptione: PHILOSOPHIA VERA, Theologia & Medicina MAGISTRA, in Theatrum Mundi dijudicanda; producta Auctore R. D. ALOTSIO TEMMIK, Theologo & quondam Philosophia publico & ordinario Professore. Vbi nota nomen studio inversum, & loco TEMMIK legendum KIMMET (hoc est enim cognomen ejus, quia novi perbene virum optimum e Soc. Iesu). In tantum non prasumimus, contenti adduxisse nobis verosimiliora visa: an etiam Tibi, tute judica. Sic enim jubet Philosophia Eclectica, nempe non dependere ab ore unius, prout faciunt illi Peripatetici, de quibus non sine cholera dixit M. Melchior Canus lib. 10. de locis theol. Habent Aristotelem pro Christo, Averroem pro Petro, Alexandrum (Aphrodisæum) pro Paulo.

Praenominatum Authorem jam Fatis functum, secutus est armiger ejus prosequendo bellum Peripateticis indictum, per Fecialem impressum Ratisbona (sic pra se fert typus) Anno MDCC VII. Titulus Libelli est: PRINCIPIA PHILOSOPHIÆ ANTIPERIPATETICÆ contra PRINCIPIA PERIPATETICÆ &c. Nos inter utraque castra media via incedentes, nomen MEDIÆ indidimus, tenentes utplurimum vestigia Philosophia Regia Burgundica, cujus editione altera Parisiis de Anno MDCLXXXI. usi sumus. Illud autem pro norma habentes, quod monet P. Honoratus Faber, errare non posse errorem Catholicum, si doctrinam suam conformet doctrina SS. Patrum & Conciliorum: nam plus illis velle sapere, manifestam arguit insaniam & arrogantiam. Vide Supplementum XVI.

Caterum quisquis in celebrioribus Philosophorum scrutandis voluminibus vel mediocriter versatus est, mox deprehendet, nos in hoc opere quasi Centonem consuisse, & ut plurimum ipsis Authorum verbis loqui, licet non semper citatorum. Minime tamen propterea formidamus conveniri Actione ex L. Fabia de Plagiariis, utpote quos rationabiliter invitos hac in parte non fore arbitramur, dum eorum sententias ut verosimiliores amplectimur & promovere conamur, quod utique iis displicere non poterit, sed potius in laudem & encomium illorum cedere palam est.

Quod autem in toto hoc Opere Aristotelis authoritate nonnisi rarissime utar, id non sine causa factum sciat. Id enim observatione dignum visum fuit Authori Phil. Burg. tom. 2. in praef. quod Strabo Plutarchus & alij referunt, Theophrastum Aristotelis Discipulum, & sua & Aristotelis Bibliotheca haredem Neleum quendam reliquisse; ac post Nelei obitum Aristotelis & Theophrasti libros metu attalicorum Regum in terra diu defossos jacuisse, donec post multum temporis eruti sunt, sed blattis & tineis exesi, & pene corrupti. Hos quidam nomine Appellicon Teius cum emisset, proprio Marte emendare & in ordinem digerere conatus est; ac brevi post tempore Sylla hos libros e

Graecia Romam devexit, Tyrannioni cuidam Grammatico cura demandata ut eosdem corrigeret. Andronicus denique Rhodius eos recensuit, atque, ut fieri solet, quae sibi visa sunt, adjecit aut detraxit. Cum itaque hi Correctores, quae ad Dialecticam, Moralem Philosophiam & Physicam pertinebant, in suum quaeque corpus redegissent, quae reliqua fuerunt, & minus digesta & abstrusa Physicis subjecere, eaque Metaphysica dixere, quasi μετὰ τὰ Φυσικὰ, quod post physica essent collocanda. Quo id minus mirandum videtur, si textus Aristotelis adeo corruptus & vitiatus ad nos pervenerit, cum ob temporum injurias, tum maxime ob pravas imperitorum emendationes, aut potius divinationes, adeo ut ordo, perspicuitas, rerum connexio plerumque desiderentur. Quid, quod teste Diogene Laertio, qui catalogum librorum Aristotelis pertexit, asserat plures extitisse Aristoteles, non improbabile est, aliorum cognominum opera uni Stagyritae fuisse adscripta. Vt ut sit, an 12. libri Metaphysicorum sint ab Aristotele conscripti, nec ne: in totis undecim proœmia componit, & in duodecimo Metaphysicam, ubi tot ferme haereses, quot dogmata. Propterea Franciscus Mayronius Doctor illuminatus de mente Scoti, dixit Aristotelem esse imperitissimum Metaphysicum. S. Justinus Martyr, cognomento Philosophus, librum scripsit inscriptum: Confutatio aliquorum dogmatum Aristotelis: *ubi Libros physicos, & de Cælo, & de Mundo, fere totos confutat, & in proœmio confutationis, inquit Aristotelem nihil recte definiisse de his, quae dicere proposuit.*

S. Ambrosius lib. de officiis, *Aristotelem reputat deteriorem Epicuraeis & in Examer. 4. studiosum impugnandae veritatis, quoniam lumen & calorem abstulit Soli.*

Praeterea S. Vincentius Ferrerius allegatus a Don Seraphino Firmano super apocal. vocat Aristotelem & Averroem phialam irae Dei projectam super aquas Sapientiae Christianae, unde facta sunt amara, sicut absynthium, & hoc vere effectus probat. Vide Thom. Campan. de Gentilismo non retinendo *pag. 19 n. 10. edit. Parisien. de anno 1636.*

Verbo, Omnes Patres praetulerunt Aristoteli Platonem, nedum Seneca, Plutarchus, Cicero, & tota Gentilitas. Nam S. August. in 8. de Civit. cap. 6. in tantum recipit alios Philosophos, in quantum Platonizant. Cum enim in cap. 6. probasset, quod Plato praecellit omnes Philosophos in Physicis, propterea quod agnoscit Deum causam rerum naturalium & in cap. 7. quod sit omnibus praeponendus in logicis & rationalibus disciplinis, quoniam artem tradit mirificam, & Deum lumen veritatum agnoscendarum praeficit, & in cap. 8. quod in cunctis supereminet etiam in moralibus, propterea quod agnoscit Deum Summum Bonum, ad quod virtutes sunt viae, tandem in c. 9. ostendit, prae caeteris omnibus Philosophis Theologo Christiano commendat Platonicos, quem lege.

S. Justinus refert se in gentilismo quaeritantem veritates veras, a Peripateticis in impietatem tractum fuisse: a Pythagoricis per longas vias actum, ab aliis alia passum, & a solis Platonicis in arcana fidei Christianae catechizatum esse. Tanti fit a Divis Divinus Plato!

Longe aliter sentiendum de Aristotele, ejus per 20. annos discipulo, & auditore. Audacter dico, non est haeresis, quae in Aristotele non fulciatur. Monophysitae ex Aristotele prodierunt per Ioannem Grammaticum, teste Nicephoro. Porretani ex Gilberto Aristotelico, qui Trinitatem & attributa Dei per Aristotelem volebat metiri damnatus in Conc. Rhemen. & convictus ac confessus aculeis Melliflui Doct. Petrus Abailardus scripturas subjicit Philosophis, praecipue Aristoteli, & Patres dixit esse ignorantes, & nihil dictorum suorum probasse, ut patet ex epist. S. Bern. ad Innoc. II. Arium Haeresiarcham Aristotelicum pronuntiat Card. Baron. tom. 2. Carpocratiani & Theodosiani haeretici adorabant Aristotelem pro Deo. Baron. tom. 3. Non minus faciunt Moderni, qui nefas putant Aristoteli contradicere. Quin imo, ut suum introducerent Stagyritam & in cathedra collocatum confirmare possent, e scholis Patres Christianos ejecerunt: siquidem quando cum eis disputatur, praesertim contra Aristot. si allegas St. Doctores, quamvis in scientiis consummatos, August. Basil. Gregorium, Chrysostomum, Isidor. Ambrosium, Cyrillum, Iustinum, Hieronymum, Cyprianum, Bedam, aut alium ex caeteris sanctissimis atque doctissimis, statim exsibilant, affirmando hos PP. ignorasse philosophiam. At si Aristotelem allegas, altum silent, acquiescunt, venerantur tanquam textum sacrum, & qui errare non potuerit.

Parum est Aristoteli peperisse haeresim, nam ut bene advertit Melchior Canus lib. 10. de loc. theol. *ex Peripateticismo exiit Machiavellismus, radix peccatorum, & insolentia Principum, & seditionis populorum, & audacia seminandae haeresis regnandi causa. A quo enim Machiavellus didicit Religionem esse artem regnandi, & Leges imposturas astutorum, Deum humana non curare. 12. Met. tex. 51. nisi ab Aristotele hic cit. & Averroe, Alexandro Aphrod. & horum sequacibus. Hinc Secta Politicorum & Libertinorum, procerés enim eorum Machiavellistae sunt & Atheistae, sicut Calvinus & Averroes, teste Gulielmo Roseo.*

Acrius justo, Mi Lector, haec dici forsan putabis: si enim haec ita se haberent, unde tantam passim existimationem acquisivit in universitatibus Aristoteles, cur tantis in caelos usque laudibus extollitur, mactatur encomiis, cur tot illi eriguntur arcus triumphales, cur quasi a tota Ecclesia authorizatus depraedicat Piccinardus in sua Dogmatica? Sane receptum in scholis novimus a septingentis annis, & profani ejus auctoritate propriam sententiam roborant, ita ut instabile censeatur, quod Arist. non firmat. Estne possibile omnes istos errasse? Anne actum egerunt, ac oleum operamque perdiderunt, quotquot ingenia sua in elucidandis ac exponendis per vasta Commentaria ejus exercuerunt? Non est vero simile Deum permisisse hominem falsiloquum tam altas figere in Christianitate radices.

Vt his satisfaciam, rogo patienter legat sequentia. Dico I. Quod nullus Philosophus est acceptatus in scholis Christianis, tanquam magister indubitata fide dignus. Ratio, quia doctrina Christiana habet testimonium a Spiritu Sancto in scripturis sacris, & certis traditionibus, SS. Conciliorum & SS. Pontificum Decretis. Quod autem haec a Spiritu Sancto sint, probatur miraculis, martyrio, prophetia, sanctitate & successione charismatum,

rum, & concordia horum inter se, & cum primo Dei Codice, qui est rerum Natura. Vocat ergo Theologia omnes scientias, ut ancillas ad sui cultum, omnesque Philosophos in quo bene sentiunt, in quo male, rejicit corrigitque. Clemens Alexand. 1. stromat. ait : "Non particularis Secta est eligenda ; sed quiquid omnes dixerunt Stoici, Platonici, Epicurai, Aristotelici, hoc totum selectum dico Philosophiam." Propterea D. Thomas in opusc. 9. c. 1. docet, monet probatque nullum ex Philosophis gentilibus esse sequendum Christiano Philosopho, ita ut ab illo probari dogmata fidei velit, vel ejus dicta tanquam a fide probata defendat, ne simus irrisioni aliorum Philosophorum sectis contrariis, praecludamusque aditum intraturis ad fidem. Piccinardo oppono ejusdem familiae Dominicanae Mag. Thomam Campanellam, cujus verba tract. cit. q. 1. pag. 30. sunt : Vide quam stulte scioli putant, Aristotelem, aut alium Philosophum esse ab Ecclesia authorizatum.

Dico 2. Falli qui putat Aristotelem, tanquam optimum Philosophorum, praevio examine in scholas Christianas intrusum : non illum evexit Ecclesia, sed mutatio dira saeculi barbari : non secus ac olim in Hierusalem introductus est, quando Antiochus Alexandri M. successor, Discipulus Aristotelis & ipse aperuit Gymnasia Philosophiae Graecae contra Moysen, ut eradicaret de ipsorum mente Legem Dei, quae incipit : In principio creavit Deus coelum & terram, *contra quam Aristotelis schola personabat, aeternum est coelum & terra, nunquam factum est a Deo. Et contra hanc scholam surrexerunt in typum fratrum sub quinto sigillo Ecclesiae, Machabaei fratres, & obtinuerunt Legem de manibus gentium in quinta Synagogae aetate.*

Sic in nostra Hierusalem Romana, cum Gothi, Vandali, Heruli, Hunni, Longobardi & Saraceni Bibliothecas Philosophorum in Italia & Gallia, Hispania & Africa cremassent & perdidissent : in quibus etiam periit Commentarium Sancti Ambrosii supra Timaeum. S. Iustinus autem adhuc graecus erat, & Plato.

Tunc surrexit Carolus M. & post praelia aperuit Scholas jam dudum silentes, quando jam vix sciebant legere Clerici, & ipsi Cardinales, ut testatur Ioannes Villanus, tanta ignorantia laborabant, ut nollent Sylvestrum II. Pontificem sepelire in sacris, eo quod invenerant in ejus cubiculo librum mathematicis figuris exaratum, quem putabant esse Necromanticum. Hinc indulgendum rusticis popularibus P. Adamo Tannero S. I. quod cum ob tumultus bellicos fugientem Ingolstadio, & meditantem reditum in patriam (Oenipontanus erat) sed morte praeventum anno 1632. in pago quodam, similiter habuerint pro Necromantico propter microscopium penes eum repertum, cui pulex inclusus erat.

Tanta erat saeculi illius ruditas, quando Aristoteles intrusus est, cum non reperirentur aliorum Philosophorum Codices, excepto Aristotele & ab Arabibus advecto, uti Franciscus Patricius in historiis probat. Quapropter ex defectu aliorum introductus est ; nec mirum quomodo intraverit in tempore ruditatis, & deinde retentus fuerit, quoniam homines, ut ait Horatius

Turpe putaverunt parere minoribus, & quae
Imberbes didicere, senes perdenda fateri.

Sed scire cupis, cur Doctor Angelicus exponat Aristotelem, saepiusque alleget ? Sciendum est, quod temporibus S. Thomae & Alberti adeo jam invaluerat sub rudi saeculo doctrina Arist. & Averrois, ut stultus putaretur, qui illis contradiceret ; sicut testantur articuli damnati per Parisienses : & sicut apud Graecos nemo dicebatur Peripateticus, nisi prius Alexandraeus fuisset : ita apud Arabes & Latinos, nisi Averroista : propterea eaque vocatus Averroes (Arabs fuit Cordubae floruitque circa annum 1150.) Magnus Commentator, & ipse in scholis latinis moderabatur Cathedram, abiitque in proverbium : Dixit Averroes, ergo & Aristoteles: Dixit Aristoteles, ergo & Averroës, *ut Iandunus tradit.*

Quapropter labascenti Christianismo succurrere volens Deus excitavit SS. Dominicum, Franciscum & Fratrum ordines post Monachos, qui tanquam Machabaei fratres in quinta Synagogae aetate & sigillo quod tunc aperiri coepit juxta Prophetiam B. Ioachim Abbatis in Apocal. auxilio fuerunt. Albertus ergo Magnus, & Thomas Aquinas, aliique tunc temporis scripserunt libellos ad reprimenda zizania Peripatetica circa unitatem intellectus, aeternitatem Mundi & Religionis vanitatem aliosque errores. Dum autem prudenter conjiciebant non zizania posse Averroistica Graecorum & Arabum superseminata agris Evangelii absque tritici damno evelli, statuerunt Aristotelem exponere, dantes illi interpretationem utilem, in quibus textus erat quasi anceps, juxta Bedae placitum, dubia in meliorem partem interpretando : ita Theologiam bibendam Mundo in suo cratere Aristotelico propinarunt, nempe Theologiam etiam ex dictis Aristotelis declarantes ad homines tantummodo ostendentes quod Aristotelica Philosophia non modo non evertit Theologiam, ut Mundus dicebat, sed posset ipsam confirmare. Neque putes D. Thomam tam abjecti fuisse animi, erat enim ingeniosior quam mille Aristoteles, ut fieret ejus Commentator, nisi in fidei gratiam. Intentio quidem & finis optimus, quem tamen non sunt undequaque assecuti : non enim Graeci modo & Arabes, sed Christiani dicunt S. Thomam Latinum non intellexisse Aristotelem Graecum, vel torsisse : Theophrastum vero Aristotelis Discipulum, Alexandrum, Themistium, Simplicium & Averroëm melius intellexisse & comprobasse. Sic dicit Iandunus, Pomponatius, Marsilius, Burlaus, Anton, Mirandula, Cremonius, & alii multi Expositores Christiani.

Hinc ex suspicione contra D. Thomam natus est ex Aristotele & Averroe & aliis Machiavellismus radix malorum faciens, Religionem di ragion di stato, & occupavit Thronos Regum & capita populorum : quod ostendit praxis Principum adversantium Decretis Papae, docetque experientia Aphorismos Machiavelli aut Politicam Mazarini frequentius teri manibus, memoriae & effectui mandari, quam Epistolas Pauli. Quin & in Scholis (pro dolor) plus creditur Graecis & Arabibus, quam D. Thomae, quem dicunt astute voluisse Aristotelem baptizare.

De reliquo Doctorem Angelicum non fuisse Peripateticum vel ex eo patet, quod aliter docet, cum exponit Aristotelem, & aliter cum ex propria loquitur sententia : quin imo praecipue Arist. dogmatica & ma-

xime illi propria sunt & D. Thomæ derelicta vel oppugnata ; tantum abest, ut ei specialiter addictus fuisse dici possit.

Sed quid immoror in his diutius ? In gratiam curiosi Lectoris subjungo pauca, quæ legi de Statu laudatissimi Stagiritæ in altera vita. P. Chrysostomus Henriquez in suo Fasciculo L. 1. dist. 32. cap. 6. refert e vita S. Bonifacii Episc. Lausanensis ex Ordine Cistercien. assumpti, quod " Vir iste sanctus maximam com-"passionem habuit, & multum condoluit de perditione Aristotelis, & sæpe oravit, si posset fieri, ut Deus di-"gnaretur misereri animæ illius. Tunc venit ad eum vox de cælo, dicens : Cessa, cessa jam, & noli orare "pro anima ejus, quia non fundavit Ecclesiam meam, sicut Petrus & Paulus, nec legem meam docuit. Huic concordat Iacobus de Paradiso Doctor Theol. & quondam Professor Ephoridiæ, Carthus. Ord. in suo Tractatu de animabus corpore exutis, *citans Iacobum de Voragine dicentem : quod Aristoteles post mortem suam apparuit cuidam discipulo suo ; qui requisivit quid ageret ? an adhuc disputaret ? Cui respondit, se nihil modo scire, nisi pœnas, quas sentire cogeretur. Et quia in ore duorum aut trium stat omne verbum, addo S. August. super Ps. 140. ibi :* Absorpti sunt juncti petræ Iudices eorum ; *compara, inquit, Aristotelem Christo, absorptus est, tremit apud Inferos. Nempe laudatur, ubi non est, & cruciatur, ubi est.*

Meliora legimus de Platone, Seneca, Trismegisto & aliis insignioribus Philosophis, & quotquot de Gentilibus cum ratione vixerunt, apud S. Iustinum Martyrem in Orat. ad Antonin. Imperat. *ubi eos Christianos appellat. Idem* cap. 28. Apologiæ, *Socratem Philosophum non tantum salvum, verum etiam Martyrem esse docet, quod unicum Deum professus morte ab Athenienfibus punitus fuerit. Referunt quoque Paulus Diaconus Lib. 23. Sigebertus & Genebrardus in Chronico ad ann. 796. sub Constantino VI. & Irene Imperatoribus, cadaver Platonis cum aurea lamina ad collum, & hac inscriptione repertum esse :* Christus ex virgine nascetur, & ego in illum credo ; & tu Sol sub Constantino & Irene Imperatoribus iterum me videbis. *Vide Cælestinum Sfondratum Card. in Nodo prædestin. Edit. Romana de Anno 1679. pag. 156.*

Hæc sunt, quæ me moverunt post SS. Patres & Ecclesiæ Doctores Aristoteli præferre nostri sæculi doctissimi, Illustriss. D. Ioannem Caramuelem Episc. qui in urbe erexit trophæum doctrinæ suæ, ubi ab æmulis sperabatur damnandus, R. P. Athanasium Kircherum diuturno viginti & aliquot annorum carcere, ibidemque 40 horarum tortura inique vexatum, quem tamen B. Pius V. pontificia majestate indutus in ergastulo consolatus est, prout narrat ipsemet parte 3. suæ Metaph. lib. XVI. cap. X. art. 3. Magnificum Virum D. Ioannem Marcum Marci, Medicinæ Profess. Primarium olim Pragæ, Mathematicum & Philosophum insignem, cujus opuscula Sorbonæ in pretio, & dicata Ferdin. III. Augustiss. Imp. Reverendiss. D. Hieron. Hornbaim Abbatem Montis Sion vulgo Strahoff Pragæ Ord. Præmonstr. aliosque præstantissimos Viros, quorum doctrinæ præsens qualecunque Opusculum passim proponit.

Denique omnes illos, quorum Censuræ ex officio Scriptum hoc subjicietur, monitos rogatosque velim, in doctrinam magis (quam in nullo a norma fidei Orthodoxæ aut morum deviare confidimus) quam in Authorem (qui amat sub abjecto nomine latere, & abditam quærere veritatem magis, quam vanam hominum gloriolam) intendant, memores Leg. 1. C. de mutat. nom. permittentis cuivis sine fraude suum mutare nomen.

Tu interim, Lector benevole, fruere labore M. Phylagrii le ROY, SOCII SORBONICI.

PHILOSOPHIA ECLECTICA.

PRisca docent, nova delectant, Eclectica sector;
Nam neque prisca mihi, nec nova, vera placent.
Libera nullius juravi in verba Magistri,
Sola magistra mihi cum Ratione Fides.
Hæc teneo, quæ sana docet Ratio esse tenenda
Dogmata, Romana non inhibente Fide.

INDEX TRACTATVVM

in hoc volumine contentorum.

XXVI.

MATERIAE INSERTAE.

PHILO-

PHILOSOPHIAE RADICALIS ECLECTICAE

TRACTATVS I DE ACCIDENTE.

SECTIO I.

QVID SIT ACCIDENS, ET QVOTVPLEX.

I. ACcidens dicimus, quidquid entibus particularibus accidit præter essentiam, aut potentiam, aut intentionem, aut voluntatem, aut ordinem naturalem, aut consuetudinem. Aliud ergo est Accidens distinctum contra essentiam, quod constituit quintum prædicabile, quia non est Genus seu pars materialis essentiæ; multo minus Species; neque Differentia, neque proprietas essentialis ejus, cui accidit. Aliud accidit præter potentiam & naturam, ut cum mortuus resurgit, & homo Dædalus volitat, & alius claudicat. Sic etiam accidunt multa præter intentionem, & voluntatem; ut fodienti sepulchrum, invenire thesaurum, est accidens, non autem cupido & studio fodienti, ubi scit se inventurum: volenti navigare Venetias, si naufragio Corcyram impegerit, accidens est, & casus; at volenti Corcyram petere, prævidentia est, & prævoluntas. Consuetudo autem quidam est ordo. Ideo contra morem Communitatis aut Civitatis agere, videtur accidens esse, quoniam non ex essentia, nec intentione, nec ordine legis, quæ est Spiritus Civitatis: licet male factum non accidat, nisi virtuose vivere consueverit.

II. In hac acceptione Accidens primum, nempe ut distinctum contra essentiam, vocatur communiter tale. Secundum, Contingentia. 3. Casus. 4. Fortuna vel Infortunium. 5 & 6. Eventus. Idem autem potest omnem modum accidentis sortiri.

III. Non ergo Accidens dicit aliquod Genus Entis, ut Peripatetici putant, distinguentes illud contra Substantiam in novem Genera rerum, ut Quantitatem, Qualitatem, Relationem, Agere, Pati, Vbi, Quando, Situm & Habere; tum quia hæc non sunt genera prima ut suo loco declarabimus, tum quia non omne accidens est inhærens & præter substantiam, nisi præter substantiam illius, cui accidit: nec præter substantiam tantum accidens dici debebat, sed etiam præter potentiam, intentionem, & voluntatem, & ordinem, quod distinguere male neglexerunt. Est tamen omne Ens in ratione Accidentis consideratum sub uno genere, quod dicimus Accidens, vel Circumstantiam, licet sub propria ratione sint diversorum generum.

IV. Dixi supra, *causis particularibus*, quia universalissimæ causæ, DEO soli nihil potest accidere extra essentiam, (saltem physice) aut potentiam, aut intentionem, aut voluntatem (saltem permissivam), ut peccata, nec præter ordinem: nam Monstra ab eo ordinantur ad finem, licet præter naturæ cursum consuetum eveniant.

Quæres I. Quomodo differat Accidens a Proprio? Resp. Proprietas quadruplex esse videtur. Prima est, quæ convenit omni, sed non soli, ut, omnis corvus est niger, sed non solus, nam & carbo niger est: homo est bipes, sed non solus. 2. quæ convenit soli speciei, sed non omnibus individuis, ut homini esse Medicum, aut Grammaticum. 3. quæ convenit omni & soli speciei, sed non semper; ut homini in senectute canescere, aut ridere. 4. quæ convenit soli speciei, & omnibus individuis, & semper, ut homini esse risivum seu posse ridere. Potest ergo Accidens esse Proprium uno ex tribus prioribus modis: Proprietas vero 4ti modi nulli accidit, nisi per metaphoram; sic prata ridere dicimus, sed per similitudinem. Potest ergo accidens esse proprium, sed respective: ut corvo nigredo respectu cygnorum: quia vero proprietas 4to modo non est præter essentiam, sed ab illa manat, & præinest, ideo inter accidentia physica non numeratur, quamvis præcisive ab illa sit separabilis.

Ex dictis palam fit, recte dici, Accidens esse illud, cujus affirmatio & negatio est absque destructione definitionis subjecti. Ita enim & accidentia inseparabilia, ut nigredo corvi, possunt negari, non destructa definitione, quoniam cadit nigredo in definitione corvi, sed physice falso dictum est a Porphyrio, accidens adesse & abesse citra subjecti corruptionem. Febris enim accidens est, & corrumpit: & si a Corvo auferas nigredinem, destruitur. Quotiescunque igitur in subjecto reperitur aliqua intrinseca & essentialis causa in quocunque genere causæ, respectu prædicati, dicimus formari propositionem *per se*. Vbi autem secus est, prædicatum est extra essentiam, & accidentale vel speciei, vel generi, vel individuo. Quamobrem Accidentis nomine intelligimus non solum id omne, quod non est de essentia rei, sed ei contingenter advenit,

nit, quodque *accidens logicum* dici solet: verum etiam id, quod ita inest substantiæ, ut per se non subsistat, sed inhæreat tantummodo: idque *accidens physicum* vocitatur. Forma quidem substantialis, v. g. forma equi, inest subjecto, sed in eo subsistit ut pars illius: non item accidentalis forma, ut albedo, quæ nec subjecti, nec totius pars dicitur, nec dat esse rei: sed tantum esse aut quale, aut quantum, aut esse secundum quid, ut ajunt, non simpliciter.

VI. Jam vero utrum dentur hujusmodi accidentia, magna hoc tempore contentione certatur: plerique enim recentiores in ea sunt sententia, ut putent, quæ vulgares philosophi vocant accidentia, nihil esse præter modos substantiæ, & respectus, qui non re, sed ratione tantum a substantia ipsa distinguantur. Qua de controversia agemus sect. sequenti.

VII. Quæres II. Quot modis dicatur aliquid fieri per accidens? Resp. Quot modis per se dicitur aliquid, totidem dici per accidens. Ut ergo penitius noscamus naturam Accidentis, investigare oportet etiam naturam perseitatis. Itaque *per se* videtur sonare negationem alicujus, quia accidens dicit complexionem. Complexio autem est, vel quia *in alio*, vel quia *cum alio*, vel quia *per aliud*, vel quia *ad aliud*. Igitur *per se* primo quidem dicitur, quod *non est in alio*; & si esse in alio sumitur tanquam in sustentante, solus Deus est per se, deinde locus seu spatium, si detur, ut placet Campanellæ. Cætera omnia sunt in Deo, & mox in loco. Si sumitur *in alio*, sicut in subjecto in hæsionis, tunc materia est ens per se; item Compositum, & Angelus, & omne subsistens. Formæ autem sunt accidentia eorum; sed quia essentialis sive substantialis videtur materiæ inhærere (loquendo de materiali) non modo sicut recipiens esse, sed sicut dans, non vocatur a Peripateticis accidens, sed per se substantia; & aliquando qualitas substantialis, & verius. Hoc autem a Platonicis perperam acceperunt, ut notavit Campanella. Platonici enim per se subsistentes formas putarunt, in materia vero per participationem. Ideo illas substantias, non a substando, sed a subsistendo & per se essendo nominarunt. In hoc ergo fuit divisio Entis in substantiam & accidens, sumendo Substantiam pro Ente per se, id est, non in alio inhærente: accidens vero pro ente in alio inhærente, & hoc quod est ita in alio, subdiviserunt in novem genera. At dicunt in alio esse, non sicut in materia, sed sicut in subjecti composito ex materia & forma, & multa inter eos est altercatio, utrum accidens possit in materia recipi? concedente Averroë solas dimensiones; aliis alias dispositiones per istas; Thomistis vero nullum accidens; licet D. Thom. in 4. Sent. secus aliquando docuerit, prout suo loco ostendemus. Interim omnes falluntur in eo, quod corporeitatem supponant esse accidens, cum sit ipsissima materialitas, nec differat a materia, nisi in modo significandi, ut ostendemus Tract. XXIII de Principiis &c. Unde D. Thomas in lib. de nat. generis docet materiam esse corpus de genere substantiæ. Juxta hanc divisionem sequitur aliquid medium inter substantiam & accidens, vid. proprietas. Hoc ergo accidens dicitur etiam *Ens per accidens*, quia quatenus in alio, cui accidit, est Ens; & potius entis ens, quam ens, & ideo in sua definitione suscipit subjectum cujus est, quoniam per se non est. Si vero sumatur per se, ut dicitur, quasi solitarie, & non cum alio, omne ens potest per se sumi, & quodlibet eorum, quod est cum alio, per se dici potest. Unde Arist. in 5. Met. text. 14. distinguit Ens per se in decem genera, quorum novem sunt illi accidentia. Sed de hoc fusius alibi. Sic motus, circulus, albedo, justitia per se considerari possunt in abstracto. Huic modo perseitatis oppoitur triplex modus entis per accidens, hoc est, non solidarie sumpti. 1. Ut homo albus, cum sc. jungitur accidens subjecto. Hoc enim compositum est ens per accidens, quia nullum solitarie est; licet etiam per accidens dicatur, quia accidit, præter essentiam utriusque ita uniri: sed homo rationalis est per se, quia non est compositio hominis & rationalis, nisi secundum notiooem. 2 est, ut cum de suo accidente prædicatur subjectum, v. g. album est homo, quia accidit subjecto, qui est homo, album esse. Consimiliter 3. est, ut cum accidens de accidente dicitur, vel plura accidentia uniuntur, ut album & musicum; neque enim musicus solitarie sumptus est albus, nec albus musicus, nec homo albus & musicus. Nec unus homo per se trahit navem sed cum aliis. Per se homo est rationalis, quia solitarie sumptus est rationalis absque compositione, non autem albus, nisi sumatur cum albedine. Quæ ergo conveniunt alicui solitarie sumpto, illa sunt de essentia ejus, ut homini, esse rationale & risibile; igni, esse calidum, tenuem & levem, quoniam non ex compositione cum alio, sed ex natura sibi convenit, ita esse. Econtra sedere, cantare, illuminare, disgregare visum &c. non conveniunt homini, nisi sumpto cum loco, & musica & albedine &c. quæ sunt alterius generis. Simili modo animal solitarie sumptum, nec rationale est nec irrationale; color ut sic, nec viridis, nec ruber est; linea nec curva nec recta: veruntamen sub disjunctione est propositio per se, si totam essentiam superioris subsumit: animal enim est vel rationale vel irrationale, & numerus par vel impar: non quatenus ly *per se* idem valet quod solitarie, sed necessarium ex rerum ordine: solitarie est corpus animatum.

IIX. Si sumatur *per se*, ut distinguitur contra *per aliud*, tot modos habet, quot ly *per aliud*; quoniam ly *per* dicit causam: quot sunt causæ, tot modos facit. Ly *aliud*, dicit diversitatem, ergo ly *per aliud* dicit causas diversas. Sunt autem Causæ, Materialis, Formalis, Idealis, effectiva, finalis, instrumentalis. Quæcunque ergo causa est, vel in se causam habet, *per se* dicuntur. Quæ autem aliunde habent, ut causent, per accidens. Sic homo per se est animal rationale a forma totius: per se corporeus & carneus a materia, & quæcunque ponuntur in definitione dicente quidditatem, per se dicuntur, quoniam non per aliud sibi adjunctum. Econtra homo per accidens est albus & sedens, & musicus, quoniam ex albedine addita, & ex actu adventitio, & ex arte comparata est talis. Sic triangulus per se habet 3 angulos æquales duobus rectis, sed per accidens est ligneus vel lapideus vel rubeus, hoc est per essentiam materialem extrinsecam a sui ratione, sed per se constat ex lineis, quæ sunt ejus materia. Proprietates quoque per se insunt, quia a causis intrinsecis emanant: ideo per se homo est risibilis ratione Idealis. Ratione causæ efficientis ædilis per se ædificat, pictor pingit, Musicus canit &c. quia habet activam formam ædificandi, pingendi, canendi, nempe artem: sed per accidens Medicus pingit, aut Pictor medetur. Homo per se generat hominem, sed per accidens ædificat.

ædificat. Ratione ſubjecti & materiæ homo ædificator per ſe ædificat, & medetur, quia non per veſtimentum, aut per aliud additum, ſed per animam, quæ eſt ſubſtantia ejus ſubjecta formæ artis. Ratione finalis, navis per ſe fit: dolatio lignorum per navim, id eſt, gratia navis faciendæ. Syrupi & purgationes per aliud fiunt, hoc eſt, per ſaoitatem, ubi ly *per* ſignificat *propter*. Sanitas autem per ſe, & calor per ſe calefacit, id eſt gratia ſiti. Ratiooe Inſtrumentalis, Deus per ſe creat, quia abſque inſtrumento; per aliud illuminat terram, nempe per Solem. Inſtrumentis quoque convenit aliqoid per ſe, ut pennæ ſubtili ſubtiles ſcribere characteres, ſed per aliud, id eſt, per agentem cauſam convenit pennæ ſcribere, docere, figurare. Item aliud Inſtrumentum eſt per ſe Inſtrumentum, ut gladius militis eſt: Baculus vero per accidens, quando deeſt gladius, & arma parata ad talem finem.

IX. Dicit quoque ly *aliud* non modo cauſam extraneam ab eſſentia, ſed & partem, ſicut homo dicitur videre per aliud, id eſt, per oculum, & arbor generare per ſemen, & olere per florem, & ignis calefacere per calorem, quaſi per aliud, id eſt, per partem, ſumeodo partem etiam eſſentialem, ut aliam a toto. Et per materias pati & transmutari. Unde ſequitur tandem, quod ly *per ſe* diſtinguatur contra id, qood eſt per participationem & imitationem: & hoc modo ſolus Deus eſt ens per ſe, cætera vero per illum.

X. Denique *per ſe*, & *ſecundum ſe*, & *ſe* in ablativo, idem ſunt & declarantur per ly *in quantum*, quatenus, & ut. at ſi hujusmodi declarationem non ſuſcipiunt, non per ſe ſunt. Ut homo per ſe, & ſe, & ſecundum ſe eſt animal, & rationalis, & riſibilis, & carneus, & generat hominem, & fit Grammaticus &c. quoniam, in quantum homo, & quatenus homo, hoc eſt & fit & facit: ſed disgregat viſum, noo in quantum homo, ſed in quantum albus, & cytharizat, non quatenus, & ut, & veluti homo, ſed quatenus cythariſta. Eſt autem cythariſta per accidens, ſed potens cytharizare, ſeu addiſcendæ artis capax per ſe, quatenus rationalis: Sed non per ſe poteos disgregare viſum, quoniam non quateous rationalis, ſed quatenus poteſt eſſe albus. Nec in quantum homo poteſt eſſe albus, ſed in quantum corpus. Homo humanitate, & ſeipſo generat hominem, ſed monſtrum & calorem per accidens. Quoties verbum achuativum a nomine derivatur, fit ſecundum quod ipſum, ut homo homizat, calor calet, voluntas vult. Item quando verbum activum derivatur a nomine, eſt per ſe, ut homo homificat, calor calefacit. Th. Camp.

SECTIO II.

An dentur Accidentia abſoluta?

XI. Per Accidentia abſoluta intelligimus entitates a ſubſtantia realiter diſtinctas, quæ tamen non ſint pure modales & reſpectivæ, hujusmodi enim oec divinitus ſeorſim abſque omni ſobjecto conſervari poſſunt, uti Relatio. Antiperipateticorum theſis eſt: *Nulla dari accidentia a ſubſtantia realiter abſolute diſtincta, & nulla alia, quam modalia ſeu reſpectiva, eſſe poſſibilia.* Ratio, quia de ratione accidentis eſt, in hærere, & inde nomen ſortitur; nam dicitur accidens, quaſi ad aliud cadens. Et hoc eſt unum ex præcipuis Calviniſtarum argumentis, teſte Ioan. Bapt. Gonet in clypeo Theol. Thomiſt. tom. 5. tract. 4. de Sacram. Euchar. Diſp. 6. a. 1. Edit. Colon. 1671. p. 262. quibus probare conteodunt; impoſſibilem eſſe veram & realem exiſtentiam Corporis Chriſti in Euchariſtia. Unde appoſitum vocant Inventum & commentum Inoocentii III. in Concilio Lateranenſi.

XII. Vocatur autem ad præſens (inquit Durandus in 4 Sent. diſt. 12. q. 1. p. 722. Edit. Lugdun. 1587, num. 4. & ſeqq. accidens reſpectivum, non ex reſpectu ad ſub-,, jectum vel fundamentum, in quo eſt, quia ſic omne,, accidens eſt reſpectivum, & nullum abſolutum; ſed,, vocatur Reſpectivum illud, cujus eſſentia eſt ad aliud,, habitudo, & eſſe, ad aliud ſe habere, ut eſt relatio. Ab-,, ſolutum autem eſt, cujus eſſentia non eſt habitudo,, ad aliud, nec eſſe ejus eſt, ad aliud ſe habere, ſed eſt,, in ſe quædam natura, & non ſolum modus naturæ, ut,, Quantitas & Qualitas.

Eſt autem inter accidentia doplex differentia. Prima eſt, quod accidens abſolutum eſt quædam natura in ſe, cui competit aliquis modus eſſendi. Accidens aotem reſpectivum ſolum eſt modus eſſendi alterius partis. Secunda differentia eſt, quia accidentia abſoluta proprie dicantur in ſubiecto. His ſuppoſitis

XIII. Dicendum cum Nicolao Yſumberto, Doctore Sorbonico, & in Academia Pariſien. quondam Regio Theologiæ Profeſſore tom. 2. de Sacramentis ad q. 77. diſp. 1. a. 1. edit. Pariſien. 1639. p. 564. & ſeq. quod hæc Propoſitio, Dantur accidentia abſoluta, quæ ſaltem divinitus poſſunt conſervari & exiſtere citra omne ſubjectum, ſit ab omnibus Orthodoxis tenenda. Eſt communiſſima. Illam probat Piccinardus Phil. Dogm. L. 3. q. 5. art. 1. ſeqq. rationibus: 1 Quia in ſacro ſancto altaris Sacramento manent panis & vini accidentia, ipſa panis & vini ſubſtantia non ſuperſtite, ergo ſeparantur a ſubſtantia, qood eſt ſignum evidens diſtinctionis realis: illa vero accidentia non ſunt modalia ſeu mere reſpectiva (ſaltem aliqua,) ergo abſoluta. 2. Veritas philoſophica nequit contrariari veritati fidei orthodoxæ vel theologicæ: Sed veritas, theologica certiſſima ex fide eſt, dari Habitus infuſos Gratiæ & aliarum virtutum, ut accidentia ſpiritualia infuſa de novo in anima, & inexiſteotia in eadem, noo vero atomorum ſeu humorum corporeorum alterationem, uti aperte definitur in Concil. Viennenſi ſc: conferri in Baptiſmo informantem gratiam; & in Tridentino ſimilia repetita ſont; juxta quæ Catechiſmus Romanus de Baptiſmo q. 38. ſubjungit: Eſt autem Gratia, quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum, pœna anathematis propoſita, decrevit, divina qualitas in anima inhærens, ergo nequit amplius oppoſita veritas philoſophica introduci aut ſuſtioeri, ſc. nulla dari accidentia realiter diſtincta a ſubſtantia, ſive abſoluta. Sic ille.

XIV. Probatur 3. Conditio Modi proprie dicti eſt hæc, ut noo poſſit concipi oon concepta re, cujus eſt modus, nec exiſtere, niſi illa exiſtat, ut patet inductione facta per omnes & ſiogulos modos. Atqui multæ dantur entitates, quæ ſine ſubjecto concipi poſſunt, cum tamen ſubſtantiæ noo ſint, ſed inſufficientes per ſe exiſtere: & hæ tam naturales, ut calor, frigus, ſonus, ſapor, odor &c. quam ſopernaturales, ut Gratia, character, fides, ſpes, charitas &c.

XV. Confirmatur aſſertio, ex multiplici diſcrimine, quod inter Accidens & Modum intercedit. In hoc utique coovenitunt, quod ambo effectum habeant for-

malem, quod se ipsa communicet subjecto: ut calor efficit calidum, & rotunditas rotundum, qui effectus dici solet primarius & formalis. Sed illud est discrimen inter verum accidens & modum, quod Modus præter hunc unicum effectum nullum habeat alium. Sic figura quantitatem terminat,& nihil aliud præstat. Accidens vero præter effectum primarium,alium adhuc habet secundarium, ad quem refertur, quique est illius veluti finis. Sic calor habet vim communicativam & diffusivam sui,& producit sibi simile, qui est illius effectus primarius, secundarius autem est attenuare,exsiccare,rarefacere &c.Impetus causat motum. Sic Gratia est aliquod principium operandi etiam physice, non autem mera relatio aut respectus moralis. Omnis quippe relatio postulat aliquod fundamentum, solummodo resultat ad positionem alicujus alterius: at nihil potest assignari in homine, ad cujus positionem seu productionem resultet Gratia tanquam aliqua relatio, nec quod sit fundamentum illius: & si quod assignaretur, tunc homo esset formaliter per illud justus & gratus Deo, & non per hanc gratiam, quod tamen est contra sacras scripturas. Est erga gratia proprie Qualitas. Nicol. Vsambertus in 1. 2. D. Thomæ de peccat. & grat. ad q. 110. Disq. 1. Edit Parif. pag. 373.

XVI. Ex his colligitur Modum proprie non esse activum; alias quidpiam conferret subjecto præter seipsum, si vim haberet actuosam; quid enim efficit figura? Quamobrem accidens non modale, & concipi & definiri potest per ordinem ad illud quod efficit. Restat solum difficultas, quænam sint hujusmodi accidentia absoluta. Videamus modo, quæ a recentioribus Antiperipateticis contra communem opinionem solent opponi.

XVII. Objic. 1.accidens juxta Arist. & S. Thomam, non est proprie *Ens*, sed *Entis*; neque habet esse, sed est aliquid est, ut albedine est aliquid album, ut loquitur S. Thomas: quare nec proprie fit, aut producitur. Ergo accidens non est unum quid, nec ens a subjecto distinctum, maxime cum sine subjecto id concipi non possit, neque aliter de rebus judicare liceat, quam ex ideis ipsis, quas de rebus formamus. Cum igitur accidens sine re cui inest, cogitari non possit, non est quidpiam a reipsa distinctum. Resp. dist. ant. Accidens non est proprie Ens, hoc est, in se non subsistit. C. Non habet suam naturam, essentiam & ideam sibi propriam. N. Fatemur itaque accidens esse velut appendicem substantiæ, imo tantum analogice ens, nec sine substantia naturaliter posse existere, nec fieri ut *quod* sed ut *quo*. Verum hinc sequitur implicare ne divinitus seorsim subsistat contra exigentiam suam naturalem.

XIIX. Objic, 2. Si accidens habeat entitatem distinctam a subjecto,existet in se,ergo subsistet,cum subsistere nihil sit aliud quem in se existere. Resp. N. consequentiam. Accidens quippe cum habeat suam essentiam, suam quoque habet existentiam: sed non idcirco eo subsistit,cum aut petat inhærere,aut saltem inexister.

XIX. Instant: Accidentis absoluti origo nec concipi nec explicari potest: non enim gignitur,cum ex materia non constet; neque fit, ut ait Arist, rotunditas, sed æs rotundum. Sed nec educitur e subjecto,quis enim dicat lumen ex aere, aut ex opacis corporibus, aut calorem ex manu frigida educi? Restat igitur sola creatio: verum illud quoque a recta ratione alienum videtur,calorem non ab igne proficisci, sed a Deo creari, quasi rerum procreationi desint causæ naturales,ergo. Resp. argumentum & falso niti supposito, nempe nil generari nisi composita; deinde confundit modalem respectum cum accidente absoluto; rotunditas enim figura est, & modalis affectio. Observandum ergo, non omnium accidentium eandem esse originem: dantur enim quædam accidentia extra rei essentiam, ut sonus campanæ; alia circa rei essentiam, ut color qui est in superficie corporis; alia denique quasi intra rei essentiam, quam immediate afficiunt, ut configuratio particulum insensibilium, ex quibus res componitur. Quæ sunt extra rei naturam, accidentium nomen vulgo retinent: quæ intime naturam rei afficiunt, Modi plerumque vocitantur, maxime cum certa ratione rem determinant. Sic cuncta dicimus facta in specie, modo & ordine, vel in numero, pondere & mensura: Sed quæ magis circa substantiam sunt quam intra: aliquando Modi, aliquando accidentia nominantur Resp. 2.

XX. Illud quoque præterire non licet,omne accidens propriam habere causam; sed aliod fieri ex materia, sicuti materiales formæ, ut tenuitas, raritas, asperitas, mollities, figura, simitas, angulus: aliud ex causa agente, ut color, motus, impetus, quies, actio: aliud ex utrisque, ut sapor, odor. Quare non semper per subjectum accidens definitur, & per materiam, ut dicit Arist. de simitate; simiatas enim figura est, & pertinet ad materiam nasi determinate; non autem calor, & albedo, & motus. Sed & mathematica (quoniam formarum agentium commoditati natura aptantur) non pertinent per se primo ad subjectum, nec ad causas agentes, sed ad Idealem; & ideo per formalitatem idealem rectius & frequentius, quam per alias causas palam definiri. Thom. Campan. L. 3. Met. cap. 4. art. 8.

SECTIO III.

Qualem censuram mereatur sententia negans accidentia absoluta.

XXI. Ratio dubitandi est, Cum enim Concilia, Tridentinum sess. 13. c. 2. Florentinum & Lateranense C. *Firmiter*. §. uno vero expresse doceant, *manere species panis & vini destructa eorum substantia*: ac proinde peracta consecratione in Eucharistiæ mysterio, ex mente Ecclesiæ maneant entitates quædam incompletæ tanquam terminus communis Conversionis substantialis, nim; Panis & vini, & corporis Christi, quas Concilia Species, S. Thomas otem Accidentia vocat) sicut & alii DD. communiter) ut legimus in Breviario Romano, Lect. V. II. nocturni, pro festo Corporis Christi, verbis desumptis ex Opusc. 57. „ Quid hoc Sacramento mirabilius? In ipso namque panis & vinum in Christi corpus & sanguinem substantialiter „ convertuntur; ideoque Christus Deus & homo per- „ fectus sub modici panis & vini specie continetur. „ Manducatur itaque a Fidelibus, sed minime laceratur: „ quin imo diviso sacramento, sub qualibet divisionis „ particula integer perseverat. *Accidentia autem sine* „ *subjecto in eodem subsistunt, ut fides locum habeat.* „

XXII. Porro quia multæ qq. circa hæc accidentia seu species Sacramentales moveri possunt, vid. 1. an eadem numero, quæ fuerant in pane & vino adhuc supersint? 2. an absque ullo subjecto? 3. an in corpore Christi subjectentur seu ab eo sustententur? Hinc percipere juvat Doct. Angelicum in Summa Theologica

3. parte. q. 77. a. 1. Edit Antuerp. 1575. pag. 258. Reſpondeo, dicendum, quod accidentia panis & vini, quo ſenſu deprenduntur in hoc Sacramenta remanere poſt conſecrationem, non ſunt ſicut in ſubjecto in ſubſtantia panis & vini; quæ non manet . . . . . Manifeſtum eſt etiam, quod hujusmodi accidentia non ſunt in ſubſtantia Corporis & Sanguinis Chriſti, ſicut in ſubjecto, quia ſubſtantia humani corporis & ſanguinis Chriſti, ſicut in ſubjecto, quia ſubſtantia humani corporis nullo modo poteſt his accidentibus affici: neque enim eſt poſſibile, quod corpus Chriſti glorioſum & impaſſibile exiſtens alteretur ad ſuſcipiendas hujusmodi qualitates. Dicunt autem quidam quod ſunt ſicut in ſubjecto in aere circumſtante. Sed nec hoc eſſe poteſt. Primo quidem, quia aer non eſt hujusmodi accidentium ſuſceptivus. Secundo, quia hujusmodi accidentia non ſunt, ubi eſt aer, quin imo ad modum harum ſpecierum aër depellitur. Tertio, quia accidentia non tranſeunt de ſubjecto in ſubjectum, ut ſcilicet idem accidens numero, quod primo fuit in uno ſubjecto, poſtmodum fiat in alio. Quarto, quia cum aer non ſpolietur accidentibus propriis, ſimul haberet accidentia propria & aliena. Nec poteſt dici, quod hoc fiat miraculoſe virtute conſecrationis, quia verba conſecrationis hoc non ſignificant. *Et ideo relinquitur, quod accidentia in hoc Sacramento manent ſine ſubjecto.* Quod quidem virtute divina fieri poteſt. Cum enim effectus magis dependeat a Cauſa prima quam a ſecunda: Deus, qui eſt prima cauſa ſubſtantiæ & accidentis, per ſuam infinitam virtutem conſervare poteſt in eſſe accidens, ſubſtracta ſubſtantia, per quam conſervabatur in eſſe, ſicut per propriam cauſam.

XXIII. Hæc eſt doctrina & mens genuina S. Thomæ Aquinatis, cui conſentit Magiſter Ejus Albertus Magnus Epiſc. Ratisbonenſis in 4. diſt. 12. art. 16. Edit. Baſileenſis. 1506. col. 5. a. Doctore Angelico non diſtat Doctor Seraphicus S. Bonaventura in 4 Sent. diſt. 12. edit. Venetæ 1573. fol. 160. pag. 2. col. 1. a. 1. q. Ubi tamen notandum, quod q. 3. ait: *Panis convertitur in corpus Chriſti: & color, & ſapor non ſunt communia utriſque; ergo vel manent, vel non remanent in ſubjecto: ſed manent, ergo ſunt ſine ſubjecto,* Sic quoque argumentatur Albertus M. loc. cit. col. 3. *Accidens denominat ſubſtantiam, in qua eſt, ſed accidentia non denominant corpus Chriſti, quia corpus Chriſti non eſt album vel rotundum: nec ſubſtantiam panis, quia illa tranſſubſtantiata eſt in Corpus Chriſti, ergo non denominant aliquam ſubſtantiam, ergo ſunt ibi ſine ſubjecto.* Alia ergo ratio eſt hujus converſionis, quam vulgaris peripateticæ, in qua remanere debet aliquid commune utrique.

In eadem ſententia eſt Ioannes Duns Scotus, Doctor ſubtilis, D. Thomæ laudatiſſimus æmulus ac pene par, de quo (referente Labbe in ſuis elogiis) profitentur Doctores, ab eo ita explicata eſſe arcana humana æque ac divinæ, quaſi cœlum illa ei revelaſſet, Attente igitur audiamus, quæ docet in 4. ſent. diſt. 12. q. 1. *Utrum in Euchariſtia ſit aliquod accidens ſine ſubjecto?* Edit. Antuerp. 1620. pag. 182. „Accidentia panis manent: patet ad ſenſum; & non afficiunt corpus Chriſti, quia illud non eſt quantum hac quantitate; nec figuratum hac figura; nec coloratum hoc colore. Nec afficiunt aërem; quia aër non eſt capax horum accidentium, cum iſta ſint accidentia corporis mixti & repugnantia elemento: nec afficiunt ſubſtantiam panis, quia illa non manet, ut patet ex prædictis, *ergo ſunt ſine ſubjecto* . . . . . Secunda concluſio quod loquendo de eo, quod denominatur a per ſe accidentis ſignificato, & *eſt per ſe reſpectus*, contradictio eſt, quod ſit ſine ſubjecto, & hoc actu, ita, ſcilicet quod non actu inhæreat ſubjecto, extendendo ſubjectum ad fundamentum, quod poteſt dici proximum ſubjectum reſpectus. Tertia concluſio eſt, quod illud, quod denominatur a per ſe ſignificato accidentis, & eſt quid *abſolutum*, poteſt eſſe, & non in eſſe ſubjecto actualiter: ſed neceſſario ineſt aptitudinaliter . . . . . . Secunda concluſio probatur, quia reſpectus eſt eſſentialiter habitudo inter duo extrema; & ideo, ſicuti tollere terminum, ad quem eſt reſpectus, eſt tollere reſpectum; ita tollere illud, cujus eſt reſpectus, eſt tollere reſpectum & deſtruere rationem reſpectus. Non ergo, quia accidens reſpectivum eſt accidens, ideo requirit ſubjectum, vel fundamentum, ſed quia reſpectus eſt reſpectus, ideo requirit cujus ſit, & ad quod ſit, etiam in divinis . . . . . . Tertia concluſio probatur, quia accidens *abſolutum*, unde abſolutum, non requirit terminum, nec terminos, quia tunc non eſſet abſolutum. Si igitur requirit ſubjectum, oportet quod hoc ſit propter aliquam dependentiam, ad ipſum eſſentialem; ſed nulla eſt dependentia ſimpliciter neceſſaria alicujus abſoluti ad aliquid, quod non eſt de eſſentia ejus, ſed tantum cauſa extrinſeca: niſi ad cauſam extrinſecam ſimpliciter primam, ſcilicet ad Deum. Subjectum autem non eſt de eſſentia accidentis. Quæſt. 2. pag. 188. dicit: Ad actum ſic proceditur & arguitur, quod in Euchariſtia quodcunque accidens ſit ſine ſubjecto. Primo ſic, quodlibet accidens eſt ibi ſine ſubſtantia, ergo ſine ſubjecto. Et infra. Qualitas eſt forma abſoluta, ſicuti quantitas. Si ergo poteſt eſſe qualitas ſine dependentia actuali ad ſubſtantiam, poterit eſſe ſine dependentia actuali ad quantitatem. Quæſt. 3. pag. 194. Accidentia ſeparata ſunt ſenſibilia, patet ad ſenſum. Poſſunt etiam alterare paſſa Sibi approximata; patet de modica aqua appoſita ſpeciebus vini . . . . . . accidens ſeparatum habet ſecundum ſe idem, quod prius.„

Subtiliſſimum Scotum ſequitur tota Schola Scotiſtica, a ſubtilitate Scientiæ per orbem catholicum celeberrima. Illud ſane permagno eſt Veritatis argumento, quod duæ nobiliſſimæ Scholæ (Thomiſtica & Scotica) in plerisque aliis theſibus laudabiliter diſcordes, hoc in puncto, utpote ad Fidem ſpectante, tamen amice concordent, ut quod una, idem penitus & altera amplexetur & doceat.

XXV. Hanc doctrinam Catholicam a SS. Conciliis poſitam & a Doctoribus & Paſtoribus Eccleſiæ ſatis promulgatam potuiſſet omnino ſcire Nobilis Gallus Renatus des Cartes (vulgo Carteſius) utpote qui vixit ſeculo noviſſime elapſo. At forſan ſcire noluit, aut ſupra illos ſapere, Mathematicus inſignis, at Dialecticus exiguus & minor Theologus, dum nimis acerbe invehitur in Doctores Theologos, qui docuerunt poſt conſecrationem remanere accidentia realia, quod impoſſibile jam dudum pertinaciter defendit Wicleffus. Impios inſuper vocat eos, qui audent aſſerere, auctoritati Eccleſiæ & Veritatibus fidei contrariam eſſe ſententi-

tentiam suam antiperipateticam. Lib. Medit. de prima Philos. resp. 4. ad object. 4. pag. 120. & seqq.

XXVI. Ejus partes suscepit tuendas novissime prodiens ex castris Cartesianorum sub nomine D. Aloysii Temmik (fuit e Soc. Jesu, inverso nomine Kimmet) opusculum posthumum, cujus Inscriptio Vera Philosophia Theologiæ & Medicinæ Ministra) nonnihil acerba provocatio dicam an expostulatio contra Peripatum, quem mox subsecutus ejus armiger Joannes Henricus Wiber, edit. Ratisbonæ 1707. sub tit. Principia Philosophiæ Antiperipateticæ contra Principia Phil. Peripat. Et quia ingeniose discurrunt, placuit eorum opinionem compendiose hic inserere.

SUBSECTIO I.

Refertur opinio cujusdam Antiperipatetici.

XXVII. Supponit novissimus iste autor 1. Quod quantitas panis (eadem est ratio cujusvis corporis) non sit accidens absolutum, sed modale ex ipsa corporis essentia resultans. Nimirum quodvis corpus per seipsum & in substantia sua est ens extensibile & occupativum spatii, a quo aliud corpus excludat, penetrari per se non sustinens; quamvis fieri possit, ut potentia hæc & exigentia naturalis suo actu physico careat. Hoc ipso ergo, quod sit extensum quid, & spatium occupet, est mensurabile, est longum, latum, profundum; sic tamen, ut mensurabilitas, longitudo, latitudo, profunditas, non sit aliquid potens seorsim existere. Nempe Modus est, non Accidens absolutum.

XXIIX. 2. Panem ita dividi posse, ut veniatur ad minimum panis, ita, ut si ulterius divideres, faceres partes non panis, sed farinæ, aquæ &c. hoc mixtum componentium partes. Ergo panis minimis constat finitis. Porro minima singula panis sunt extensa & impenetrabilia juxta naturam & potentiam naturalem, ergo punctum panis additum puncto facit lineam, linea lineæ, superficiem, superficies superficiei, molem facit resultare. Hoc est ergo accidens ex pane resultans, quod dicitur quantitas panis, & nequaquam est separabile quid, sed mere modale, cui impossibile est, quod possit seorsim existere. Hæc clara sunt.

XXIX. Jam ulterius, si quæras, quomodo ergo in Eucharistia existit, ubi panis non est? Resp. Corpus Christi, juxta Decretum speciale Dei, sub titulo & signo panis existit ibidem. Ergo toties solum, quot sunt minima panis. Licet ergo singula minima Eucharistica contineant omnia corporis membra compenetrata, tamen unum minimum Eucharisticum alterum minimum Eucharisticum non penetrat, sed excludit loco suo, quod Deo facile est. Quo posito, ex minimis Eucharisticis fit eadem linea, quæ erat panis, eadem superficies, eadem totalis moles & magnitudo; & quia figura nihil est aliud, quam extensio terminata, extensio eadem eodem modo terminata dat eandem figuram: eadem quoque totius complexi Eucharistici erit porositas, quæ panis, eadem complexio, eadem compositio eadem impenetrabilitas ac tangibilitas, eadem continuitas, externa internaq; modalitas extensiva, quæ erat panis, & eadem superficialis vel asperitas vel lævitas.

XXX. Cum itaq; certum sit, vinum esse corpus mixtum naturale, panem quoque esse mixtum arte factum; ideo utrumque non esse divisibile in infinitum; sed, ut diximus, divisione vini deveniri ad ultimum indivisibile, quod dividi quidem possit in sua miscibilia, sed quæ non sint vinum: Panem similiter ad minimum panis; quod si dividas, partes divisæ non erunt panis, sed farina, aqua, aer &c. sive hæc deinceps, & eorum prima materia dividi adhuc possit in infinitum, sive non: hoc enim ad præsens negotium nihil facit omnino.

XXXI. Certum insuper, si minimum (sive naturale vini, sive artificiale panis) sit ita modicum, ut sensu non possit percipi, illud non esse consecrabile; quia Sacramentum debet esse signum sensibile. Unde conficitur, materiam consecrabilem non constare minimis infinitis, sed finitis. Certum proinde est, corpus Christi existere sæpius replicatum sub speciebus, toties scilicet, quot sunt consecrabilia in pane, ita ut sub specie panis minima existat totum corpus cum sanguine, anima. &c.

XXXII. Porro quomodo intra singulas totalitates membra Christi existant, penetrate vel impenetrate, extense vel inextense, ad præsens negotium nihil attinet inquirere vel explicare, utpote impertinens. Illud tamen apud Theologos certum est, ejusdem totalitates *ad extra* esse extensas & impenetrabiles, sic ut una totalitas alteram tangat, & cum illa faciat extensionem in longum, latum & profundum, adeoque ex singulis ita se contingentibus resultat unum totale extensum & mensurabile, in ea plane magnitudine, in qua existebat panis & vinum. Deinde, quia Christus perfecte existit sub titulo panis; ideo necesse est, singulas totalitates esse prorsus eodem modo figuratas, & extensive terminatas, quomodo erant minima panis figurata & terminata: unde totius extensi & complexi Eucharistici resultat eadem plane porositas, continuitas &c. ut mox dicebamus.

XXXIII. Ex his ulterius evidentissime sequitur, etsi corpus Christi sic miraculose existat, tamen in sensu composito talis existentiæ, continuum illud Eucharisticum connaturaliter eodem modo reflectere lumen, quo reflectebant panis & vinum, & consequenter *eosdem colores* ibi resultare, qui resultabant ex pane & vino. In quo nullum superest dubium, nulla reliqua difficultas, dummodo bene capias Tract. XIIX. De Coloribus.

XXXIV. Similiter minima Eucharistica, quia eodem plane modo figurata sunt, coordinata & mixta, quo minima panis, ideo cum humore salivali delata ad organum gustativum, ipsum eodem plane modo afficinot, affricando, titillando, mulcendo, quo minima panis & vini, adeoque eandem ei speciem imprimunt, gustationemque efficiunt: quod quia immediate faciunt (cum juxta Vulgarem Philosoph. tantum mediate Christus id faciat & per accidentia absoluta; ideo in sensu plani & rectissimo verificatur sacra scriptura, *quod Christum videamus, Christum tangamus, Christum manducemus, Christum gustemus* &c. idque eodem prorsus, & ita naturali modo, quo panem videmus, vinum gustamus, &c.

XXXV. Ulterius, quia Odor situs est in corpusculis olfactui proportionatis hærentibus intra poros panis, vel in halitu, vel in aere, quo ad organum deferuntur: quæ corpuscula, vel semper ibi hæserunt discontinuata a reliquo pane, ita ut panis sensibiliter talis nunquam fuerint: vel etiam fluxu aeris atque ætheris a continno reliquo abrepta sunt, ut desierint esse panis. Inde fit, ut in continni Eucharistici consimili porositate eadem corpuscula delitescant, quæ nunquam consecrata fuerunt, vel consecrata esse desierunt, si quæ

quæa consecrato jam Continuo avulsa sunt, quæ delata ad organum, illud similiter afficiunt, ut panis & vinum. Et sic eodem plane modo *olfacimus* Christum Eucharisticum, sub specie panis & vini existentem, quo modo olfaciebamus panem & vinum. Quid facilius? quid clarius?

XXXVI. Rursus, cum Continuum Eucharisticum sub specie panis & vini habeat similem resistentiam, cohæsionem, duritiem aut fluorem, qualem panis & vinum; similiter aerem crispat, si frangatur aut certo modo tractetur, similem ergo *sonum* quod efficiat, non mirum, quodque similiter audiatur, similiter *tactum* efficit, ac panis & vinum. Quæ omnia non solum sunt philosophice perspicua, sed etiam orthodoxe vera & Conciliis consona.

XXXVII. Hinc concluditur, Christum prorsus agere *Vicarium panis & vini*, inque locum eorum & vices ita succedere, ut omnia pariter & agat, quæ agerent panis & vinum: substare quoque eisdem plane accidentibus, ita ut hæc in ejus corpore quodammodo inhæreant; sicut inhærerent pani & vino: nec in eo ulla est difficultas, licet aliqua religio videretur prohibere, quo minus dici oporteat, accidentia Christo inhærere, si absoluta essent: fateri enim coguntur, corpus Christi durare, ubicari, situari, extendi &c. sicut panis, si adesset: hæc autem esse accidentalia modalia quis inficiabitur, & eadem inhærere corpori Christi quodammodo, quod durat, quod ubicatur, quod situatur & quod est subjectum (saltem denominationis) talis durationis, ubicationis, situationis. Assumit ergo Christus eadem accidentia, & sub iis, & per ea apparet, quod ipsissimum est *existere sub specie aliena*.

XXXIIX. Unde Continuum Eucharisticum intra poros suos admittit extraneos humores, & qualiacunque corpuscula, & actiones causarum alterativas, ut humectetur, deficeetur, induresçat, acescat, amarescat, deniq; consumatur: atque ita Corpus Christi nihil horum patitur, ut naturaliter in cœlo existit; patitur tamen, ut sacramentaliter existit. Unde nec hoc quidem absurdum alicui visum est, quod Corpus Christi Eucharisticum *etiam corpus nostrum nutriat*. Neque enim ad hoc aliud requiritur, nisi ut stomachus minima eucharistica resolvat: quo facto, definit Sacramentum, & fit chylus, cui tamen materiam dant miscibilia naturalia & elementalia, ex quibus corpus Christi naturale naturaliter constat. Sic enim taotummodo nutritio naturalis evenit, ut scilicet vinum naturale & panis resolvatur per stomachi fermentum in sua miscibilia & elementalia, qua resolutione cessat forma vini & panis; ex remanentibus tamen miscibilibus (quæcunque illa sint) educitur forma chyli &c. Putabat ergo Autor ille, materiam primam corporis manentem, deinde subjici formando chylo. Quod autem dicat, forma Eucharistica cessante per resolutionem remanere miscibilia corporis Christi naturalia & prima, ex iisque confici chylum naturalem naturaliter, ex eo movetur, quia non apparet, quare annihilari potius debeant illa miscibilia & nova creari, cum modus assertus sit facilior & Christo gloriosior, ejusque pietati conformior, denique connaturalior. Deinde videtur hoc PP. & Scripturæ conformius.

XXXIX. Quare enim Communio speciale jus attribuit ad resurrectionem dicente Christo: Ego resuscitabo illum, nisi quia communicans ex ipso corpore Christi vitam traxit etiam corporalem? Ita de S. Catharina Senensi dicitur, quod Sacra Communio aluerit ejus vitam naturalem. Ita S. Chrysostomus & alii, communicantes vocant *Christiferos*, *Christo consanguineos*, *concorporeos*. Quare nec hoc indignum arbitrator, materiam a corpore Christi tractam nunquam consumi in corpore communicantis, sic ut qui frequenter communicant, magna parte ex Christi materia constent, dicente Chrysostomo *homil. 61. ad pop. antioch.* Christum revera commisceri nobis &c. Hinc oritur condignitas, quod tale corpus debeat resuscitari. Item apparet, quare indigne communicantes *Rei sint* speciáliter *corporis Christi*. Neque huic obstat illud S. August. dictum de morali conversione, *nonu tu me mutabis in te, sed tu mutaberis in me*. Vide plura ex eodem autore apud Aloysium Kimmet, mense Septembri anni frugiferi.

XL. Quod si opponas: 1. Ex discursu præmisso sequi, quod accidentia panis & vini subjectentur in quantitate, hæc autem ubi in corpore Christi? Resp. quin imo in corpore Christi subsistunt etiam reliqua illa, non in quantitate, licet insint, vel potius adsint, a ut in ea resultent, tanquam modalitates talis extensionis & quantitatis, & cum quantitate subsistant plane in Christi corpore ita existente, sicut existebant & subsistebant in pane, in cujus jura modosque existendi ex asse successit Corpus Christi. Nec Ecclesia definivit, illa accidentia existere *sine omni subjecto*, sed existere *sine suo naturali subjecto*, cujus existentiam & præsentiam naturaliter monstrant. Volens enim Ecclesia docere nullam restare substantiam panis, illud de accidentibus asseruit, quod erat ad rem, scilicet illa quidem remanere, sed non remanere in pane.

XLI. Instabis: Tali modo accidentia illa non erunt panis accidentia, sed Christi, cui insunt. Resp. Neg. consequentiam. Nam ejus sunt & dicuntur esse, cujus sunt propria per naturam: vel, sunt accidentia Christi, ut eucharistice existentis, panis autem, ut naturaliter existentis. Analogiam habes in eo, qui in scena paludamentum gestat a Principe commodatum, nonne gestat quod Principis est proprium? dicit tamen, esse suum, prout in scena Principem agit. Denique concedere quid vetat, illa accidentia, ut individua sunt, non esse panis, sed ut sunt eadem specie. Porro de individuationibus rerum nulla est cognitio sensibilis; nulla proinda quæstio, nulla propositio: unde dum sint specie eadem, quæ ante, rigidissime & propriissime dicuntur absolute esse accidentia panis. Quid enim accuratius rigore geometrico? apud Geometras tamen, quæ sunt eadem specie, simpliciter & absolute eadem asseruntur. Ita qui geometrice reperit semidiametri Circuli magnitudinem versus Zenith, simpliciter & rigide dicitur reperisse longitudinem semidiametri versus Nadir: licet longitudo non individue, sed tantum specifice sit eadem, quia vid. de individuatione rerum nulla est inter homines quæstio, nulla cognitio, & habet se, quasi non esset, saltem in plerisque. Erras autem, si majorem rigorem requiras in modo loquendi S. Scripturæ. Nam Numeri cap. 7. v. 84. dies duodecimus a consecratione altaris vocatur dies consecrationis. Vbi Salianus dicit, fuisse eundem diem, non individuo, sed tamen eodem in specie. Addi posset ille locus Dan. 5. v. 30. ubi dicitur *eadem nocte* interfectus Balthasar Rex, quod tamen non

sequenti

ſequenti modo accidiſſe eadem nocte volunt Interpretes non ignobiles cum doctiſſimo Alphonſo Toſtato, & ſane circumſtantiæ conſideratæ omnino verum perſuadent. Sic etiam Eccleſia ordinat officium pro die Reſurrectionis Domini, pro die octava Reſurrectionis, pro die Quinquageſima Pentecoſtes &c. ubi intelligit tales dies in ſpecie, eo quod individui iidem jam ante millenos annos elapſi, ſint irreproducibiles.

XLII. Oppones 2. argumentando, ut ajunt, ad hominem. Ex dictis manifeſto inferri, poſt conſecrationem adhuc remanere ſubſtantiam panis, adeoque non fieri Transſubſtantiationem in corpus Chriſti, contra definitionem Eccleſiæ, ex eo quod remaneat forma ſubſtantialis, quæ dat eſſe panis, quod ſic oſtendo: cum enim eandem modalitatem complexivam, texturam, ac poroſitatem inter minima Euchariſtica, ſive in Continuo Euchariſtico adſtruatis & fateamini, quæ in continuo conſecrabili panis & vini: in ſimili autem modalitate, prout eſt primaria & principalis, formam ſubſtantialem conſtituatis, conſeqens eſt, ut in continuo Euchariſtico dicatis ſupereſſe formam ſubſtantialem panis & vini, & conſequenter fateri debetis, remanere ibi panem & vinum; qui enim adſtruit formam ſubſtantialem corporis, corpus ipſum adſtruat neceſſe.

Reſpondet P. Kimmet, diſtinctionem formæ ſubſtantialis ab accidentali, in eo conſiſtere, quod illa (ſubſtantialis) ſit actus primus materiæ talis: poſt quem mox reſultent plures actus vel formæ, qui ſunt ſecundi, & ideo accidentales tali corpori. Igitur forma ſubſtantialis, inquit, eſt modus corporis non ut facti, ſed ut fiendi per illam: accidentalis autem, eſt modus corporis, ut jam facti per primam. Quocirca plexura figurativa partium corporis Chriſti, per quam ipſum primo eſt tale, ſine dubio eſt ſubſtantialis: ſed hæc plexura non eſt illa, quæ eſt minimorum Euchariſticorum, ex quibus Continuum Euchariſticum exiſtit: hæc enim eſt Corporis Chriſti jam in ſuo eſſe conſtituto, accidentalis, & quidem per actionem miraculoſam reſultans: attamen eſt eadem, quæ minimorum panis, quæ & ipſa ſunt partes panis jam conſtituti: Vnde etiam ſunt accidentia continui Euchariſtici, quæ ſunt continui panis: & ſicut minima panis jam eſſentis (ut ita loquar) ſunt materia totius panis continui; ita minima corporis Chriſti jam eſſentis ſunt materia totius Euchariſtici. In eo tamen diſcrimen eſt, quod ſenſus ſupponit, Totum, quod Euchariſticum eſt, exiſtere per actionem naturalem, ſicut totum panis, & ideo adeſſe quoque formam ſubſtantialem panis, quod non eſt ita: quia Continuum Euchariſticum exiſtit per actionem miraculoſe converſivam. Ergo textura Euchariſtica non eſt eadem, quæ eſt panis, qua panis jam antecedenter panis conſtitutus, accidentaliter & tali poroſitate plenus eſt. Hæc ſecunda plexura manet de pane in continuo Euchariſtico, prima ceſſat. Sic ille: quid nos de forma panis ſentiamus, ſequens dabit ſubſectio.

XLIII. Pro coronide animadvertit Kimmet, Individuationis rerum aliam eſſe notionem humanam, aliam divinam. Homo enim Individua dignoſcit per accidentia & circumſtantias ſenſui patentes, loci, temporis, actionis &c. & tamen coram Deo, mutatis licet omnibus circumſtantiis, individuum eſt idem. Sic corpus humanum in ſtatu hujus vitæ, & glorioſum in ſtatu immortalitatis poſt reſurrectionem homo judicaret eſſe individue aliud, cum Deus ſciat eſſe idem. Econtra ſingulis annis dicimus juxta Calendarium nos celebrare eadem feſta, cum individue non ſint eadem, ſed dies diverſi. Hinc individuatio notionis divinæ, cum ſuperet captum noſtrum, non eſt nobis curæ, nec de ea agimus aut reſpondemus, ſed ſupponimus eſſe individuum, & pro eo habemus, quod eſt tale notione noſtra. Hinc ergo in foro noſtro humano Accidentia Euchariſtica poſſunt dici eadem quæ panis, etiam individue, etſi in foro Dei ſint eadem ſolum ſpecie; ſatis eſt, hoc Myſterium apud homines perfecte tegi.

XLIV. Quidquid ſit; Novam hanc ſententiam & interpretationem SS. Conciliorum adverſari ſupra allegatis DD. & Scholaſticis omni exceptione majoribus, manifeſtum eſt. Illud miror, quod ſcribit Card. Bellarm. Tom. II. Controv. L. 1. de SSmo Euchar. non ſolum Veteres PP. & omnes Theologos ac Philoſophos Chriſtianos, ſed & multos ex Ethnicis negaſſe, ad accidentis eſſentiam pertinere inhærentiam in ſubjecto. Et quidem de Ariſtotele ſic habet: *Ariſtoteles aperte docet, non eſſe inhærentiam de eſſentia accidentis.* Nam L. 4. phyſ. tex. 58. quærit, „an ſpatium cenſendum eſſet vacuum, ubi ſolus eſſet color an ſonus? quæ ſane „ quæſtio inanis eſſet omnino, ſi inhærentia eſſet de eſ- „ ſentia accidentis: qui enim diceret colorem, neceſſa- „ rio includeret etiam ſubjectum, & proinde corpus. „ Ego potius crediderim, Ariſtotelem dubitaſſe, an color & ſonus ſint quid corporeum, quam, an ſine ſubjecto queant exiſtere. Sicut, ſi quis hodie quæreret, an in Vacuo Toricelliano lux apparens habeat ſubjectum? h. e. ſitne lux ſubſtantia vel accidens?

SUBSECTIO II.

Cenſuræ in relatam Carteſianorum ſententiam.

XLV. Præmittemus ſeveriores animadverſiones, quarum 1. tulit Theophilus Raynaudus in Tract. ſuo de accidentibus Euchariſticis ſect. 3. puncto 5. pag. 463. edit. Lugd. 1665. „Hæc doctrina non modo eſt temeraria aut erronea, ſed etiam hæretica. Temeritatis ſane notam „ nemo ab hac novitate amoliatur: nullo quippe ſub- „ nixa idonei autoris teſtimonio; nulla veterum ſuf- „ fragatione munita, nullo validæ ac ne apparentis qui- „ dem rationis fulta præſidio, prodit nunc primum. „ At de ſententia Theologorum exponentium notas „ doctrinarum, notio aſſertionis temerariæ eſt, obniti „ contra Torrentem Doctorum, abſque firma ſaltem- „ que probabili ratione...... Quod autem hæc no- „ vitas ſit contra torrentem DD. fatentur ejus Auto- „ res, hanc ingeniorum ſuorum abortionem oſtentan- „ tes; eſtque manifeſtum, quandoquidem nemo un- „ quam SS. Patrum, nemo (plane inquam nemo) Theo- „ logorum Scholaſticorum talis doctrinæ meminit. „ Ratio autem idonea ad novandum in re tam gravi, nul „ la profertur, præter prætenſam majorem facilitatem „ perſuadendi hæreticis veritatem myſterii Euchariſtiæ: „ quod tantum abeſt, ut dictum ſit ad veritatem, ut po- „ tius ſit falſiſſimum: cum novitas iſta multo magis ob- „ ſcuret hujus myſterii caliginem, & aptiſſima ſit ad avo- „ candos hæreticos a fide transſubſtantiationis, in qua „ tamen cardo hujus myſterii vertitur. Nota itaque „ temeritatis & quidem palmaris & plane cumulatæ de- „ clinari in hujus novitatis aſſertione non poteſt. Parum „ eſt, temerariam dici doctrinam, quæ revera non modo „ erronea eſt, ſed etiam hæretica. Non debeo aſper „ & præceps videri, cum vera & explorata dico. S. „ Thomas

„Thomas 2. 2. q. 11. a. 2. Canus 1. 2. de locis c. 8. Alphonsus de Castro L. 1. de justa Hæretic. punit. c. 1. „& quotquot assertionum notas assignant, eam doctrinam habent pro hæretica, quæ contradicit alicui „veritati revelatæ, contentæ sive in libris canonicis, „sive in verbo tradito. Atqui hæc nova doctrina ex„scindit dogma, ex fide certum, de omnimoda destru„ctione substantiarum panis & vini per consecratio„nem, totorum vero accidentium perseverantia. „Nam juxta hanc doctrinam manet substantia, quæ „fuerat intra panis poros abdita, estque vere ac pro„prie panis, ut patet ex omnibus proprietatibus panis. „Idem quippe est color, & sapor & odor in hac sub„stantia, ac is, qui in pane præfuerat: nec minus nutrit „& alit sumentem, quam faceret panis in simili quan„titate. Est igitur verus panis, qui gratis dicitur la„titasse intra poros, cum abscissio illa intra poros „abhorreat a substantia, ejusdem plane rationis cum „substantia panis solida. Itaque juxta hanc doctri„nam, post consecrationem, manet verus panis, quod „est hæreticum, & mille fulminibus in Conciliis ob„tritum. Aliud fermentum & hæresi sordens in hac „doctrina contentum, est, quod accidentia panis & „vini non sint per se absque subjecto post consecra„tionem. At hoc in Wicleffo hæreses notatum est „in Concilio Constantiensi; & a sacris Doctoribus „tanta consensione traditur, ut sit indubium divinæ „de eo dogmate traditionis argumentum.

XLVI. Eandem sententiam Cartesii ab Emmanuele Magnano in Theologia sua recentissima relatam verbis ex Cartesio exscriptis Lib. Meditat. de prim. philosoph. resp. 4. ad object. 4. sub tit. *Ad ea quæ Theologos morari possunt.* Ita idem Theoph. Raynaudus censurat in eodem Tract. 4. de accid. Euchar. in appendice pag. 147. verbis seqq. „ Sententia Cartesii no„va hæc ratione explicata, prorsus intolerabilis vide„tur, & majoribus censuris afficienda, quam quibus „superiores confixæ sunt. Illæ enim superficies, vel „sunt corporis Christi, vel aliorum corporum, quæ „in cavernulis sive poris panis delitescebant: cum „autem superficies ab ipso corpore non distinguatur, „nisi per intellectum, est enim ipsum corpus, prout „tali modo terminatum, estque ab illo inseparabilis; „ideo si primo modo respondeatur, Corpus Christi „erit vere panis, quia hic autor per panem intelligit „materiam tali & tali modo configuratam; ergo „corpus Christi a pane non differret, quia cum ipse „admittit formas substantiales distinctas a configu„ratione & motu materiæ, ac proinde omnis materia „configurata ut panis, panis est, ut colligere licet ex „hujus philosophiæ principiis.

Verum huic argumento responsum fuit supra num. XLII.

XLVII. Eandem temeritatis ac erroris censuram repetit Raynaudus cit. Tract. sect. 2. puncto 7. pag. 455. „ cum hæc nova doctrina sit contra torrentem „Doctorum, nec nitatur rationibus validis, vel etiam „probabilibus, sed tantum addncantur machinatio„nes ingenii, quibus ostendatur, Sacramentum po„tuisse hoc vel illo modo absque repugnantia insti„tui: at hoc ludicrum est, ubi de facto agitur.... „Non quæritur, quid potuisset velle Christus Domi„nus, sed quid reipsa voluerit in Eucharistiæ institu„tione. Optimus autem interpres voluntatis Christi est continuatus per quodvis Christianum seculum„ consensus Doctorum, quem habemus pro antiqua„ & communi doctrina; non habent autem adver„sarii pro sua novitate...... Cæterum subjicit au„tores num. 14. qui hanc doctrinam innuunt esse hæreticam, quos inter Thomas Waldensis, & Robertus Bellarminus cum aliis 17. ex Societate nominatis & allegatis D. D. Theologis.... Colligitur etiam ex Verbo *remanendi.* Si enim species panis & vini rema„nent, igitur erant prius. Neque enim remanere di„citur, nisi quod præfuit. Præstigiæ autem, quas„ nova doctrina invehit, non præfuerunt, atque adeo„ non possunt dici remanere. Igitur quod remanere„ ex pane & vino dicitur, & in illis substantiis, cum„ superessent, præfuit, aliud non est, quam collectio„ accidentium sensibilium, ab illis substantiis avulsa &„ per se constituta. Atque adeo hoc inficiari, & quod„ in Eucharistia sensibus objicitur, ad spectra & præ„stigias referre, (quod fit a novæ doctrinæ autoribus)„ non modo temerarium ac erroneum est, sed etiam„ hæreticum. Hucusque Theoph. Raynaudus.„

XLVIII. Mitius sensit de opinione Cartesii Illustrissimus D. Caramuel, cujus mentem & crisin habemus ex Ejus Grammatica audaci num. 314. ubi sic ait: Sicut Grammatici syllabarum qualitates a quantitate non distinguunt: sic etiam Peripatetici (cum Aristotele Cartesius & alii plurimi) qualitates ad formam & figuram reducunt, quos possumus libere sequi. Non enim hæc doctrina contra Eucharistiæ mysterium, aut contra Habitus supernaturales (Fidem, spem & charitatem, Gratiam, Lumen gloriæ &c.) militare videtur. Si enim quantitatem a materia realiter distinguamus, omnia sunt salva in Eucharistiæ Sacramento. Et si dicamus hanc ad systema spirituale aut supernaturale non extendi, sed de solis qualitatibus materialibus verificari, non oppetemur argumentis ab ordine naturali desumptis. Vbi notari velim, Nomenclatores, aut defectu vocum, aut ignoratione rerum in impositione horum vocabulorum errasse. Nam supernaturales facultates dant simpliciter posse, & non debent *Habitus*, sed *potentia* vocari. An autem potentiæ omnes sint qualitates substantiæ, variant AA. & res est sublimioris indaginis. Hæc Caramuel.

XLIX. At quid si negetur cum multis Classicis autoribus orthodoxis, contra Thomistas: Quantitatem internam esse accidens absolutum a corpore distinctum? Quid si ulterius, externam quidem esse realiter distinctam, sed modale accidens asseratur? Quale iis subjectum assignabit accidentibus modalibus P. Honoratus Fabri, qui præter calorem & Impetum accidens absolutum admittit nullum? In quo accidente absoluto (sive primario, sive secundario) sustinebitur figura & characteres hostiæ consecratæ?

L. Quid dicemus ad testimonium Cardinalis, Petri de Alliaco, (qui fuit Episcopus Cameracensis, & Cancellarius Parisiensis, Theologus, Philosophus & Astronomus insignis, floruitque seculo 15. obiitque An. 1425. 8. Aug.) qui interfuit Concilio Constantiensi habito An. 1416. diserte asserentis in 4. Sent. q. 6. art. 6. *non esse de fide, quod in Eucharistia remaneant accidentia absoluta sine subjecto*; & addit, in dicto Concilio solum hypothetice & conditionate definitum esse contra Hæreticum Wicleffum, accidentia rema-

nere fine fubjecto, videlicet, fi accidentia funt entia realia & abfoluta diftincta a fubftantia.

Refpondet Ioan. Bapt. Ptolomæus Dift. illud æquivocum. *Non eft de fide*, hoc eft, ad minus ooo deducitur per illationem ex myfterio de fide. Neg. ooo eft de fide, hoc eft, ooo eft expreffis & formalibus terminis de fide. Omitto ant. Vtut fit, an immediate de fide dicenda fit affertio communis; negari faltem non poteft deduci mediate ex veritate de fide. Ratio eft, quia conclufio, quæ deducitur ex primis Principiis, non eft primum principium, nec ex terminis eft evidens. Conclufio, quæ deducitur ex præmiffa evidenti metaphyfice, & alia evidenti phyfice, eft evidens tantum phyfice, quia conclufio fequitur debiliorem partem; adeoque conclufio ifta: *accidentia materialia abfoluta diftinguuntur a fubftantia*, deducitur ut ex una præmiffa ex hoc myfterio: *in Eucharistia duntaxat remanent fpecies panis & vini*, & tanquam ex alia præmiffa, ex hac veritate naturali: *Omnium fapientum & Doctorum placito fpecies illa funt accidentia abfoluta materialia*, & aliter myfterium Euchariftiæ prudenter explicari oon poteft. Itaque conclufio ex his duabus præmiffis deducta infertur, ex veritate de Fide. Nec licet fentire Philofopho per mirum fyftema & hypothefin id, quod etfi aperte non repugnat fidei myfteriis, illa tamen magis obfcurat, & Ecclefiæ totius fenfui adverfatur. Vnde diftinguas fequentes loquendi modos: *Corpus Chrifti fubftat accidentibus Eucharifticis. Corpus Chrifti fuftentat accidentia Eucharistica.* Primus modus rectus eft, & fignificat facramentaliter effe unitum fpeciebus, hoc eft per Decretum Dei inftitutivum Sacramenti. Secundus erroneus, & fignificat, naturaliter effe unitum fpeciebus, ut fubftantia naturalis accidentibus propriis. Non tamen omnes fpecies Euchariftiæ, hoc eft, omnia accidentia pertinentia ad illas fpecies funt accidentia noo modalia, etenim rotunditas e. g. eft accidens modale. Itaque per fpecies illas intelligitur collectio ex accidentibus abfolutis & modalibus. Modalia inhærent modaliter, & incumbunt velut fubjecto modificato accidentibus abfolutis, ficut duratio albedini. Accidentia abfoluta (faltem aliqua ex illis) dicuntur *effe in ftatu corporis feu fubftantia*, hoc eft, perinde fe habere & obire actu illud munus, qood obiret fubftantia corporea panis & vini, fi effet præfens, nimirum ftare per fe, fuftentare alia accidentia, effe impenetrabilia &c. Accidentia abfoluta, quæ funt in ftatu corporis, folent appellari accideotia primaria: dantur enim etiam abfoluta fecundaria, quæ vid. non funt in ftatu corporis, & inhærent primariis v. gr. dum calefit hoftia confecrata: calor ille de novo advenicns dicitur accidens abfolutum fecundarium, quod inhæret in accidente abfoluto primario. Hucusque P. Ptolomæus differt. ult. Logico-metaph. Sed velim fcire quænam fint illa accidentiæ primaria.

LI. Quæres. An poffit falva fide teneri, qnod poft confecrationem remaneat forma panis? Nam Petrus de Marca cit. in Relat. Hiftorica Iudiciorum & Cenfur. adverfus Phil. antiperit. edit. Herbip. pag. 92. primæ partis, tradit ex mente SS. Ambrofii & Auguftini, Dividendum effe Sacramentum in duas partes, ex quibus componitur, fcilicet in formam panis & vini, quæ refidua eft poft confecrationem, ex quantitate, qualitatibus & proprietatibus nutrientibus compactam; atque in carnem & fanguinem invifibilem & fpiritualem D. N. ex virgine natam &c. Videatur Beoed. Aletinus p. 252. Refp. qui præter hanc formam in compofito, mixto quocunque, maxime autem io Pane, quod eft Decompofitum artefactum, requirit formam aliquam fimplicem, præter Idealem, nodum in fcirpo quærit: fic intellige Magiftrum fentent. parte 7. cap. 5. edit. Parif. An. 1555. pag. 258. Subftantia panis & vini,„ definit effe: proprietates tamen amborum manent:„ Tranfit fubftantia, fed remanet forma: neutrum„ miraris, fed omnipoteotem contemplaris.„

TRACTATVS II
DE
ACTIONE ET ACTV.
SECTIO I.
QVID SIT ACTIO ET QVO TVPLEX.

I. NOmen Actionis ab agendo deductum latiffimam habet fignificationem: omnes enim motus naturales hominum & rerum comprehendit: fic actio pia dicitur pro opere pio. A Iuftiniano Imp. in princ. tit. Inftit. de act. definitur, qood fit Ius perfequendi in judicio, quod fibi debetur. Sed hanc acceptionem relinquimus ICtis. Nos hic in fenfu philofophico loquemur.

Per Actionem igitur intelligimus rationem formalem, qua caufa denominatur agens, quæ & caufalitas, five illios exercitium & determinatio, aut influxus in effectum dici folet. Poteft autem analogice definiri, dicendo: *Actionem effe communicationem fimilitudinis agentis caufæ in aliud, in quantum aliud.* Huic refpondet *Paffio, five receptio fimilitudinis alienæ, ac perditio propria.* Et quidem rationabiliter vocatur *communicatio*, at & proceffio dici poterat, qnoniam omnis actio eft communicatio ex utroque termino: & proceffio ex medio, & datio, ex æquo: fed non e converfo. Et ficut per actum vitalem intrinfecum, *poteftas* communicat fe *fapientiæ*, & fapientia, & poteftas *amori*, (quas tres Primalitates Entis cum Th. Campanella vocamus:) non enim amamus, nifi quia fapimus & poffumus: nec fapimus, nifi quia poffumus: hujusmodi tamen communicatio oon eft actio & paffio. Vnde prudenter Theologi dicunt, Patrem communicare effentiam Filio, & utrumque Spiritui fancto in divinis, & dare: haod tamen facere, aut agere, aut creare Filium: etfi dicant generare quatenus internus actus eft: fic & in actione eft communicatio, quæ fimul eft actio ut *ab hoc*, & Paffio ut *in hoc*, communi-

municatio vero utrumque terminum tangit. Dixi, *similitudinis*, accipiendo similitudinem etiam pro identitate, ut intelligatur etiam similitudo in essentia, & in forma, & in actione, & in figura, & in operatione, & in cunctis prædicamentis: siquidem similitudinem sui essentialem dat ignis, cum generat ignem: dat formalem sigillum, cum imprimit sui figuram ceræ: & activam, cum calor facit pomum calidum; & idealem, cum domificator facit domum, suam ideam cæmento & lapidibus & lignis communicando: dat materialem, cum aliquid dat suum, suæ nempe possessionis, & non substantiæ, ut, cum do pomum. Tunc enim effundo quod est meum, & quatenus meum, habet meam similitudinem: quatenus autem pomum, nequaquam. At cum porrigo pecuniam suam Domino suo, etiam effundo similitudinem meam in pecunia, durante usque ad acceptionem: hoc autem patat, quoniam cum projicio lapides, non effundo lapides mihi similes, sed in lapidibus similitudinem meam, & vim & ideam. Ideam quidem, quoniam feruntur, quousque, quorsum & quomodo intendo eos mittere: vim, quia ipsam imprimo, ut projiciam: desiderium, quoniam sicut volo, fertur projectum. At si quando feratur projectum aliorsum, quam intenderam, ut, si animi gratia projiciendo, amicum occido: tunc ista occisio sequitur per accideos, & non ad ideam meam, sed ad ideam Causæ Primæ, cujus omnes causæ sunt instrumenta: effectus enim non est similis causæ Instrumentali, sed Principali, nisi in quo Iostrumentum habet aliquam causalitatem propriam; frustra enim assumeretur Instrumentum ad actionem, (ait S. Thomas,) si nihil proprium confert. Hæc enim scriptura similis est menti meæ in sensu, & lineationis figura: pennæ autem in gracilitate, crassitie, & atramento in colore, characteres facit acutos nigrosque. Si crassa & rubra, crassos, rubrosque: figuratio autem & sensus scripturæ, mentis simulacrum refert. Sic animal totum primæ mentis ideám refert, partes autem caloris solaris & terrestris molis habent consortium. Cæterum effectus causæ similis est in essentia naturali, ut ignis igni; vel in esseutia artificiali, ut scriptura Scriptori. Consulenti vero, in ideatione, si consilium est, quomodo fiendus effectus. Si vero quia fiendus, erit similis inexistentia. Adjuvanti vero & disponenti, in quo adjuvant & disponunt, vel conferunt adjuvaodo, aut disponendo. Vnde navis est similis dolatori in sectione lævi vel aspera: discipulo navifactoris in approximatione materiarum ad formationem; navifactori vero in formatione: & caro, ut calesit, est similis igni; ut vero assatur, ita ut uratur, sed in tali gradu & moderatione, quæ est assatio, similis est ideæ Coqui. Cum autem effectus pertinet ad existentiam novam agentis accidentalem, tunc non est communicatio similitudinis, sed ipseitatis, veluti cum quis seipsum tradit religioni; vel triremi, vel se in forum confert: in quibus actionibus communicat se totum, non tantum similitudiuem. Similiter cum Deus creat ex nihilo, communicat totum, sed oon seipsum: sed totum esse rei creatæ, quæ dicitur recipere esse, quatenus essentia accepit existentiam; non quia extra Deum recessit ad novum esse; sed quia esse novum ex nihilo sui, & in nihilo entis, cæpit esse per efficaciam divinæ potestatis. De quo plura suo loco.

II. Dixi, *agentis in aliud*, omnis enim actio nobis nota, unde ad ignotas analogice philosophamur, requirit causam agentem ac patientem, dantem & recipientem datæ similitudinis. Et addidi, *in quantum aliud*, quoniam oportet opposita esse agens & patiens; simile enim non patitur a simili, nec agit in simile: actio enim est effusio similitudinis, passio vero ejusdem similitudinis receptio. Qood ergo jam habet similitudinem, non recipit ultra ipsam: uti vas plenum aquis, non recipit alias aquas, ut repleatur; habet enim: similiter quod factum est, non fit eo, quo factum est. Si enim domum ædificavi, non ædifico ædificatam, sed aliam ædificandam: hinc ortum proverbium: actum agere, hoc est, frustra. Nec ignis ignit ignem, sed lignum. Et qui est in platea, non dicitur ire in plateam: ivit enim. Omnis ergo actio finem habet in perfecta assimilatione. In quo differt ab Operatione, hæc enim perennis est, ut mox dicemus, consistens in conservatione essentiæ, & non in alio multiplicat similitudinem.

III. Potest quidem simile a simili augeri, non tamen pati, ut ignis ignem; alioqui omne factum fieret, & quiescens moveretur. Nec calor debilis patitur a robusto, uti Arist. putat, per se, quatenus magnum contrarium est parvo; sed ratione materiæ: dum enim materiam caloris blandi, ita concinnatam a blando, plus calefacit, aliterque concinnat, videtur minor calor pati, quod verum est in mensura, non in substantia. Similiter manus calida febricitantis videtur quasi frigus pati a manu Medici minus calida, cum tamen verum sit, majorem minori additum ipsum augere: sed quia calor febricitantis minuitur expandendo se in manum Medici, sicut fervor aquæ in teporem alterius injectæ. Nempe calor quandoque calorem debilitat per accidens, hujus subjectum aperiendo, ut ille exhalet: sic per accidens aqua calida, & oleum, & vinum extinguunt ignem calidissimum, obstruendo poros unde ignis nutritur.

IV. Iterum, *in quantum aliud*, quia non nisi ratione alietatis fit actio, etiam inter similia: si enim eadem esset materia hujus, & illius ignis in tenuitate & figura, & caloris gradus iidem, non differentes copia nec robore, nulla proveniret actio, nec per accidens, sed sola augmentatio. At nunquam tanta similitudo evenit.

V. Præterea cum spiritus plantæ in semine agit in suam materiam, ipsam organizando, & terram aliam uggeneraodo, dicitur etiam agere in aliud, in quantum aliud: non enim eadem vis est activa, & materia, in quam agit, dans formationem: alioquin cum formata esset materia, cessaret actio: cum iterum formata est materia ad ideam agentis spiritus, non cessat actio, dum in terra adhuc restat formata moles: quoniam calor est cœlestis naturæ, & ad ipsam redire contendit semper cœli universitatem; idcirco non cessat agere, donec in tenuitatem convertat molem, quacum evolet sursum; ac propterea cuncta entia nostratia corruptibilia sunt, & poris forata, per quos calor effertur sursum. Etenim, licet illata necessitate, illatoq; appetitu, sit lapidis, & metalli & plantæ calor factus substantia; innato tamen est inquietus, quoniam ad

finem actionis non pervenit, quam actus terminat vitalis.

Quapropter Autor rerum, Deus, providit nostris Entibus de alimento, ut calor semper habeat, in quo agat, ne proprium subjectum prorsus destruat: nec proinde divinis institutis, quantum Deus decrevit, subservire queat. Cupidissimo ergo amplificationis calori pabulum, in quo amplificetur, ipsum quasi ludificando, dedit Deus, sicuti nos canibus & caballis, quatenus in officio retineantur.

Cum autem seipsum homo dat religioni, & foro, non est idem agens & patiens; anima enim movet, & dat: corpus movetur & datur. Angelus autem cum seipsum dat, videtur esse idem agens & patiens, imo & Deus dicitur seipsum nobis dare, in quo nulla est alietas, qualis inter agentem & patientem causam: sed forsan id, quod recipit similitudinem, est aliud a dante, non autem id quod datur, cum sit dantis essentia, vel similitudo, vel res, ut pomum datum. Quod clarius fiet ex dicendis.

VI. Triplicem reperimus actionem simplicem. Alia siquidem est prorsus *materialis*, quæ inter similia est augmentum potius & additio, ut cum grave additur gravi, & ipsum magis gravat: & siccum sicco, & humidum humido: item, cum spina & lancea perforat obvium pedem, imprimendo suam figuram & similitudinem: & ista fit sui confusione, & mistione tantum: quando vero est inter dissimilia, facit mistionem & alteritatem, & occultationem, ut cum aqua additur terræ & facit cum ipsa lutum, in quo & fluiditas aquæ occultatur, & terræ similiter durities, & fit quasi tertium: & hæc non est diffusio propriæ similitudinis, sed sui communicatio, & quasi perditio, & identitatis admixtio, quæ similitudinis vicem gerit. Verum ubi lancea perforat talis figuræ perforatione, qualis est in lancea, & sigillum suam figuram imprimit, similitudinem profecto communicat, non identitatem.

VII. Secunda Actio est *formalis*, seu potius productiva; & in hac exprimitur similitudo essentialis per multiplicationem activæ causæ, non per communicationem aut donationem sui: sicuti cum calor calorem generat alterum numero, & frigus frigiditatem, seipsum communicando.

VIII. Tertia est *mirifica*, metaphysica & primordialis, (uti vocat Campanella,) ut cum magnes trahit ferrum, & cucurbita fugit oleum, quæ innotescit per sympathiæ & antipathiæ effectus: qui nimirum non fiunt a calore, nec a frigore, nec ab humore, nec a siccitate, ut sic, nec ab alia materiali virtute, sed a diviniore principio, ab ipsis nim. primalitatibus. Verum exempla allata videntur minus apta ad evincendam virtutem illam occultam, maxime quoad amicitiam & inimicitiam quarundam plantarum ad invicem, cum satis commode per aliam viam declarari possint, ut alibi ostendemus.

IX. Alia tandem *supernaturalis*, qua homo auxilio divinitus collato supra naturam & primalitatum modum operatur, de qua Theologi.

X. In primo actionis genere acquieverunt Democratici. In secundo Medici & Peripatetici, ut ostendemus in Tract. XXVII. De Generatione. Verum Hippocrates tertiam olfecit actionem, cum aliquid divinum in morbis agnovit. Sane modica saliva canis rabidi agit hominem in canem, non quatenus calida, cum calidior sit humanus sanguis & carbo, saliva rabidi canis & serpentis: nec quatenus frigida, cum frigidior nix, hoc malum non inferat: nec quo humida, cum humidius oleum sit, & non noceat: nec quo sicca, cum lapis & sal siccior, neque tantum possint.

In omnibus quoque seminibus terram mutantibus in substantiam plantarum per quandam ideationem sapienter, & magis quam ab arte, elucescit hæc actio transnaturalis: & tametsi non negemus calorem ad hoc plurimum conferre, minime tamen sufficiens est ad elaborandum tam artificiose, ut putat P. Honoratus Fabri, adscribens id operis Elemento Ignis Lib. 5. de gen. animal. propos. 60. Et profecto fatendum est, quod non fit actio a rebus sui diffusivis, nisi quatenus a primalitatibus reguntur. Calor enim calefacit, qua calidus: sed formaliter, sed qua potens & sentiens, & appetens calefacere, agit principaliter: absque his non agit, neque est. Præterea nec materialis actio fit absque impulsu, impulsus autem omnis est ab aliquo potestativo, vel tanquam potestativo, sicuti cum balista sagittam excutit; vel tanquam cognoscitivo, sicuti cum Cometam in gladii forma videmus effigiatum ad belli significationem per vim aliquam intelligentem; sicuti ego scribo, hanc actionem edendo, quatenus sciens, propter significare: vel tanquam appetitivo, sicut cum grave deorsum amore unionis descendens trahit secum res obvias communicando illis propensionem suam. Sic videmus omnem naturam, omnemque artem edere actionem tanquam amoris, & sensus & potestatis signa. Omnis ergo causalitas a primalitatibus ducit originem, ut ostendetur in Tract. XXIII. De primalitatibus: s. 2.

XI. Præterea sunt quædam actiones mixtæ, ex materiali & formali; ut cum homo generat hominem, non modo effundendo calorem, & spiritum & imaginationem; sed etiam materiam seminalem, sine qua non efficitur nec perficitur effectus generationis. Est etiam actio mixta ex actu & actione: sic pulsus est actus spiritus mobilis, quo perenniter servatur: sed quatenus communicatur arteriæ, est actio & passio; & idem motus spiritus, quatenus toti corpori se communicat, quando ambulat de domo in plateam, propter indivisionem corporis & animæ, communicat totum hominem de domo in plateam: & potest ista actio dici *vectatio ab intrinseco*, sicuti equus dicitur ab extrinseco vectare equitem: & equus, quatenus modificatur ab equite talis vectatio, dicitur pati ab eo: quatenus vero vectat, dicitur agere: sic etiam ignis, quatenus calefacit carnem, agit: sed quatenus a Coquo moderatur, ut ita & non aliter agat, dicitur pati.

XII. Similiter quoque dicimus, aliquam actionem esse vere *causalem*, ut cum calor calefacit: aliquam esse *occasionalem*, ut cum calor sui sensum in animali facit. Cum enim animal calefit, sentit calorem, non quod calor ei sensum dat caloris: sed occasionem, ut sentiat calorem. Sentire autem non est agere, sed potius operari. Et cum sentimus & intelligimus aliquid, non agimus, neque cum volumus; alioquin res intellecta & volita pateretur, quod falsum est: & ideo non omne verbum activæ literaturæ, est activum, ut Grammatici putant, quod videlicet omne verbum significat actionem vel passionem; significat enim

enim aliquando operationem: ut cœlum, cum movet se: & tellus, cum quiescit. Significat etiam verbum aliquando existentiam absque actione, ut cum dico: Petrus existit in foro; significat & essentiæ actum, ut cum dico, Petrus est animal, & Petrus habet essentiam humanam. Quamobrem Grammatici exciti dederunt & verba neutra, & Communia, & Deponentia: sed non ex natura: multa enim posuerunt Neutra & Deponentia, quæ vere actionem significant, aut passionem; & multa activa, ut sentio, & intelligo, quæ operationem important, non autem actionem, aut passionem. Quodnam vero discrimen sit inter actum & operationem, mox docebimus. Quapropter, rigorose loquendo, verba distinguenda sunt in ea, quæ significant actum *essendi, & existendi, & operandi, & agendi, & patiendi*, & hæc in materialia, & formalia, & metaphysicalia, si quis reformare velit Grammaticam: & deinde in activa vel passiva secundum vocem, & secundum rem, & in composita ex his, sicut dicemus in Tract. XXXIII. de Logica.

XIII. Denique Actionum alia est remotissima, alia remota; alia propinqua, alia proxima, sicut causa agens. Alia per se, alia per accidens, alia principalis, alia Instrumentalis, quæ omnia magis declarabuntur in Tract. XV. de Causis. De Actione Regiminis agemus Sect. sequenti.

XIV. Quæres. Quomodo differant Actio, Actus & operatio? Resp. Ex definitionibus singulorum patere distinctionem. Actio, ut modo diximus, est effusio seu communicatio similitudinis (seu essentialis, seu mentalis) in aliud, quatenus aliud. Operatio est habitus seu actus innatus essentiæ rei perennis, conservans illam in suo esse: & propterea non tendit ad finem, quia alias simul & essentia finiretur: econtra actio impressa similitudine, cessat. v. g. cum conceptus meos impressero in hac charta, cessat scriptio; & cum ignis lignum in ignem sibi simillimum converterit, non amplius illud ignit: & quo virtuosior fuerit agens, eo citius actionem absolvit. Propterea Deus agit in instanti: lux etiam aerem in momento illuminat minus subitaneo: actionis enim duratio fit vel ex impotentia agentis, vel ex resistentia patientis, vel ex utriusque simul: quibus cessantibus, statim absolvitur: si una cessat, aliquantulum tardatur: si duæ, minus: si omnes, minimum.

XV. Videtur & aliquid medium esse inter operationem & actionem. Cum enim intellectus aliquid extra intelligit, tardat intellectionem, & tandem finit. *Actus* autem finitur nunquam, nisi cum morte operantis; & tamen nullum effectum extra se producit intellectus, dum intelligit. Quapropter Peripatetici, qui causam agentem a patiente ubilibet separatam esse oportere, docent cum Arist. 5. Metaph., deinde actionem hanc immanentem (quam nos operationem vocamus) in agente, & effectum simul in agente ponunt, contra proprium dogma loquuntur; & quamvis dividant intellectum in agentem & passivum, nihilominus passivum intelligere post acceptam speciem active, scribunt: similiter voluntas, cui non dant activam & passivam partem, agere, dum vult, immanenti videtur illis actione. Nos autem intellectum agentem, & species illas fictitias rejicimus; nec admittimus *actionem*, sed dicimus *operationem* esse, id est, *actum*: siquidem intellectus seu anima intelligit seipsam semper actu vitali, non actione: cum autem res extraneas sibi objectas intelligit, non res illas intelligit, sed se ipsam ab illis mutatam in illas, uti cum sentio calorem, sentio meipsum calefactum primo, deinde discurso ad notitiam calefacientis: remanetque illa notitia tanquam effectus in spiritu animali, cujus efficiens est intellectus primalitasque: sed in intellectu non est actio, sed actus, qui ab objecto solum specificatur, non fit: neque ab intellectu fit, sed operatur: modus autem & specificatio finitur. Cum enim intellectus cessabit intelligere, cessabit & esse: sed cum cessat intelligere hoc, desinit esse hoc, sed non desinit esse. Sic spiritus movet corpus *active*, dum *operative* movet seipsum: & cum cessat movere corpus sic, non tamen cessat movere, alioquin extingueretur. Sic neque ignis desinit esse calidus, & se formaliter calefacere, seu verius calere, licet desinat active calefacere hoc, vel illud: posse enim & noscere & appetere perennes sunt actus, ut suo loco fusius ostendemus.

XVI. Datur quidem in spiritu mistio actus & actionis; quatenus enim calidus, movet; quatenus corporeus, movetur. Item mistio ex actu, actione & passione: cum enim spiritus movet corpus de domo in plateam, corpus patitur, spiritus autem agit in corpus, in se vero operatur; ac simul, quatenus inclusus est corpori, patitur illam actionem, quam in corpus edit. Quid mirum, quando & in artibus hoc verum? Idem enim homo vertit se, & vertitur: haud tamen faciet se, ut de non esse ad esse se producat: hoc enim solum impossibile.

XVII. Aristotelici non distinguentes inter actum & actionem, in varios trahuntur errores. Putant enim, omnem motum esse passionem, & requirere præterea motorem distinctum separatumque. Idcirco orbes cœlestes a tot separatis motoribus, quas Intelligentias vocant, quot sunt orbes, circumferri, & nullos reperiri angelos aut dæmones præter illos 8 vel 59 motores orbium. Primum assumptum, unde tota hæc doctrina dependet, inductione falsa Phys. 8. probat Aristoteles, vid. omne quod movetur, a distincto motore movetur, quoniam quæ vi moventur, a distincto quidem moventur: & quæ naturali; animata sunt ab anima, quoniam est separata, ut navis a nauta. Gravia vero & levia a suo gravante, dante formam & consequentia formam, cujusmodi est motus. Contra hoc enim palam est, ea tantum a distincto moveri motore, quæ violenter aut artificialiter moventur: non autem, quæ natura, quam ipsemet Arist. definit principium intraneum motus & quietis, contra Democriticos cuncta violenter moventes. Natura, inquit Philosophus 5. metaphys. & 2. Phys. est materia, vel forma. Ergo Cœlum movetur naturaliter illi a propria forma intrinseca, non autem a separato motore. Nec materia præstat naturalitatem motui, quippa cui non magis naturale est, moveri, quam quiescere: nec movetur ab anima ut insidente, velut navis a nauta: nam in libro de anima vult esse formam intrinsecam corporis, non separatum motorem contra Platonem. Sed more suo ait negatque, prout præsenti commodum est positioni. Cœlum præterea cum organicum Aristoteli non sit, ab anima moveri non poterit, quam definit actum corporis organici.

XVIII. Similiter stultissimum est dicere, gravia & levia moveri a generante, cur non & animal sic moveri dicit? & si generans mortuum est, quomodo movebit?

bit? Præterea genitum a ſuo generante ſeparatum, nequaquam ab ipſo moveri poteſt, non tangente, etiamſi vivat. Movit enim motu generationis, non locali, qui mox egreditur e forma genita, etiam defuncto genitore. Quod ſi valet Inductio, ergo Cœlum fuit genitum ab eo, quod ſibi dat motum. Præterea, ſicut quæ quieſcunt natura, non habent extrinſecum quietatorem: ſic quæ moventur natura, non habent extrinſecum motorem. Natura enim Ariſtoteli ita motus, ut quietis principium eſt.

XIX. Præterea in hoc incuſandus videtur Ariſtoteles, quod lib. 3. de Cœlo, ſtatuit Terram quieſcere, eo quod demortua res eſt, remotiſſimaque de cœlo, motum pro vita habente. Si enim Natura eſt principium etiam quietis, dicendum erat, tellurem per quietem vivere, ſicuti cœlum motu, & contrariorum contrarias eſſe vitas & operationes.

XX. Errant qnoque dicentes, quietem eſſe privationem, & nihil: ſi enim Natura eſt activum quietis principium: utique Quies Ens eſt: non-entis enim non eſt cauſa, aut principium ullum influens: & ſi motus Ens eſt, utique & Quies.

XXI. Stolidiſſime quoque aſſerunt, pergit Idem Campan. L. Part. Metaph. Lib. 2. cap. 9. art. 6. ab immobili Motore corpus noſtrum, Cœlumque moveri. Neque enim dat, quod non habet, & ex nihilo nihil: neque a calore frigeſcimus, ergo nec ab immobili movemur: imo nec manus movet alia, niſi ſeipſam motu induat, quem mobili imprimat. Et cum infert, ſi quid a ſe moveretur, idem eſſet agens & patiens, in potentia & in actu, ædificans & ædificatum. Multipliciter peccant ſic arguentes: primo quia non diſtinguunt inter operationem & paſſionem, & inter naturalem & violentam, & artificialem mutationem. In mutationis enim actu agens & patiens diſtingvuntur, quoniam fit alienatio entitatis: in actu vero operationis non diſtingvuntur, quoniam fit per ipſum conſervatio entitatis. Nec inconveniens eſt, admittere, idem eſſe agens & patiens cum Teleſio, maxime ſi conſideretur diverſo reſpectu, vid. ratione materiæ & formæ. Materia enim etſi unum ſit cum forma in Compoſito: conſiderata tamen ut ens patiens, & forma ut agens, utrumque admittit. Verum quia ſub forma eſt ſemper in actu, dici non poteſt, quod ſimul ſit in potentia, & in actu, dum cooperatur opus formæ in ſe regnantis. Ariſtotelici autem decipiuntur, nominis unitate: quando enim dicimus, ignem & cœlum, & projectos lapides moveri, per verbum paſſivum, putant omnem motum eſſe paſſionem. Sed aliud eſt paſſio in voce, & non in re; ut cum ignis dicitur moveri ſurſum: aliud in re, non in voce, ut cum dicitur homo movere: aliud miſtum, ut cum homo progreditur, vox enim paſſiva eſt, ſignificatum activum: & progreſſus hominis ex actione animæ, & paſſione corporis componitur. Et cum inſtant, propterea motum cœli eſſe paſſionem, quia ſemper eſt in potentia ad ulteriorem motum: iterum falluntur, non enim in paſſiva, ſed in activa eſt potentia; cum non in potentia, & ut ab alio ſeparato moveatur, ſed ut a ſe. Quapropter errant ponentes in definitione motus actum ſimul conſervativum & deſtructivum. Sed de hoc recurret eadem diff. in Tract. XXXVII. De Natura: & plura de actu, in Tract 23. De Primalitatibus ſect. 2.

XXII. Hoc loco ſufficiat notaſſe, quod, poſtquam res ſui eſſe complementum ſeu perfectionem in ſuæ generationis fine adepta eſt, ſtatim ab eſſentia ſua egreditur *Actus*, declarans rem jam eſſe perfectam, & in ſuo perfecto ſervans eſſe. Quapropter ſupra diximus, quod *operatio ſit actus perennis eſſentiæ rerum, declarans earum eſſe perfectum, atque in ſeipſo conſervans. Actum* vero dicimus, *vel habitum innatum*; quomodo enim ſe habet eſſentia ad eſſe, ita ad operari: & quamvis operatio dicat exterius opus, quod actui, quo de loquimur, non convenit, quia tamen caremus proprio vocabulo, juxta dialectum noſtram ſumitur pro actu mere interno. Vnde & Theologi coacti ſunt dicere *operationem ad intra*, quo diſtingvunt ab *actione*, quæ eſt operatio ad extra.

Diximus *operationem*, ſed melius quis diceret *actum*, niſi actus etiam ad multa ſe extenderet. Alius enim eſt *actus eſſendi*, ut homo eſt animal. Alius *exiſtendi*, ut homo eſt in platea; alius *operandi*, ut Sol calefacit; alius *patiendi*, ut, quo terra caleſit. Dicitur & forma Actus, eo quod ſit principium actionis ſeu actus, qui declarat formam & perfectionem rei: unde etiam actus perfectio dicitur; hinc dixere calorem actum ignis, & Deum purum actum. Sed profecto dicitur actus primo & per ſe ex nominis impoſitione de operatione ad intra, deinde de operante, & de actione & forma, qua agunt, & qua non agunt. Et ne cogamur, multiplicem hujus vocabuli actus ſignificationem ſæpius repetere, ſemel pro ſemper hanc habe anacephaleoſin.

XXIII. Ex Virtute egreditur Actus; quo nomine ſupra inſignivimus actionem, quæ eſt effuſio ſimilitudinis agentis in patiens. Et requirit receptivum illius, & ad finem tendit, in quo quietatur. Deinde *actus* vocata eſt illa operatio, quæ in aliud non egreditur, ſed conſervat eſſentiam in ſuo eſſe; ſicuti eſt motus Cœli, & quies, uti ſupponimus. Deinde vocatur actus ipſa exiſtentia, ſecundum quam dicimus aliquid reperiri actu, nedum potentia, qua poſſit exiſtere, ſed quia revera eſt extra cauſas. Et quoniam eſt, quod eſt per ſuam formam, idcirco etiam forma vocatur actus diſtinctus materiæ. Tandem & Deus, & Angeli dicuntur Actus, quoniam non ſunt materiales, & licet nec ſint formæ alicujus materiei, tamen magis formæ ſimilitudinem habent. Vnde etiam Verbum Dei vocatur apud Auguſtinum forma omnium formarum. Deinde ipſa eſſentia, ut eſt, vocatur actus. Hinc datur Actus eſſendi, actus exiſtendi, ſeu entitativus, actus operandi, actus agendi, & actus patiendi, qui tamen improprie dicitur talis, quatenus eſt paſſio perditiva; perditur enim actus, qui inerat patienti, vel partialiter, ut cum aqua frigeſit, vel totaliter, ut cum criſtalleſcit. Sed quoniam novus actus acquiritur, dicitur Paſſio eſſe actus, vel quoniam actu fit, id eſt exiſtentialiter. Datur & actus miſtus ex actione, paſſione & actu, ut pulſus arteriarum, puta, cum ſpiritus actu ſuo agit in arterias patientes diaſtolen & ſyſtolem.

SECTIO II
De Actione Regiminis.

XXIV. De hoc Actionis genere nullibi legi, præterquam in noviſſime edita Philoſophia P. Aloyſii Kimmet §. 1. Tract. *Anima Mundi.* ubi hæc habet: „Cauſa regiminis a nobis dicitur, quæ non cauſat „ effectum per ſe ipſam immediate, ſed per aliam cau- „ ſam,

ſ, ſam, determinatam & applicatam: quæ applicatio, determinatio, excitatio, *actio regiminis* appellatur. Quia vero principium ſic excitans varium eſſe poteſt, & ad aliud genus cauſæ vel principii ſpectare poteſt, nos hic illud non attendimus; ſed ſimpliciter cauſam regiminis vocamus, quod movet aliam cauſam, ſive ipſum movens ſit reipſa etiam cauſa efficiens, ſive formalis, ſive aliud quid in ſeipſa contineat. Hæc ibi Hoc actionis genus & modum declarat exemplo voluntatis liberæ, quæ movetur ab alio ſuadente, jubente, præcipiente, terrente, invitante, &c. cujusmodi præcepta, leges, juſſiones, conſilia, irritamenta, ſunt cauſæ vel actiones regiminis, quatenus effectum cauſant, qui jubenti, ſuadenti, incitanti tribuitur. Huc quoque refert dominium Protoparenti Adamo conceſſum a Deo in beſtias. Gen. 1, 26. & 2, 20. nec non Eccl. 17, 4. Nam ad dominium illud exercendum, quo ad nutum parerent omnia homini, aliud non videtur fuiſſe neceſſe, niſi ut Deus Adamo conferret hujusmodi Jus & actionem regiminis, qua poſſet determinare ſenſus & appetentias beſtiarum, ad tales affectus & motiones. Quem in finem forte opus erat convenire omnia animantia in unum, ut videret Adam, quid vocaret ea; quibus in Comitiis ſuo modo præſtiterunt homagium & obedientiam ſpoponderunt illi. Similem poteſtatem tribuit Archæo (ſic vocat Ignem vitalem. §. 3.) cujus exigua portio valet etiam decem myriadas hominum accendere, ſi credimus Helmontio. Huic Archæo adſcribit totum vitæ oeconomiam & vim mirificam compingendi corpus organicum, de quo 2. Machab. 7. ſancta mater diſſerebat ad Filios: *Neſcio qualiter in utero meo comparuiſtis &c*, Non aſſequor quomodo vim plaſticam exercere queat iners iſte Ignis, cui nec appetitum quidem tribuit, niſi metaphoricum, nedum cognitionem. Huic cœco & inſenſibili Dynaſtæ miror quod committat Naturæ regimen, vi cujus vere ſtupendos eventus, quos ex eodem placuit hic ſubjicere, putat reſolvi poſſe. Sic autem ſcribit §. 9.

XXV. Nonnemo Ruſticus cultrum breviorem deglutierat, quem poſtea dextero abdominis latere, molto cum pure, poſt magnam anxietatem reddidit, & incolumis ſupervixit. 2. Vacca ſimiliter cum pabulo cultrum devoraverat, quem poſtea reddidit inter coſtas & homoplatam. 3. Alius a latronibus coactus deglutire cultrum, eum reddidit ſoſpes per apoſtema lateris. 4. Puella Veneta acum deglutitam poſt biennium reddidit, per viam urinæ, calculo incruſtatam. 5. Fœtus in utero conſumptus legitur oſſa tranſmiſiſſe trans uterum & abdomen, per umbilicum, nec non aliquando per anum. 6. Antuerpiæ prægnans tempore Ducis Albani, conſpecta decapitatione unius, mox peperit infantem abſque capite, quod nusquam comparuit. 7. Alia Mechliniæ videns cuipiam manum amputari, peperit fœtum abſciſſa manu, quæ nusquam reperiri potuit, cruore inde defluo extinctum. 8. Alia videns militem altero brachio truncatum in bello, adhuc cruento, peperit filiam, cujus cruentus humerus per Chirurgum ſolidari debuit, quæ poſtea nupſit Mercatori Hochkamer Amſtelodami A. 1638. adhuc tempore Helmontii ſuperſtes, brachium autem quo devenerit, non apparebat. Hujusmodi mirabilia & exotica ipſemet apud alios non ſubleſtæ fidei Authores legi, nec dubito ita accidiſſe. Nam, ut recte advertit laudatus P. Kimmet, ridiculi ſunt, qui continuo impoſſibilia aut falſa eſſe conclamant, quæcunque ſuæ Philoſophiæ non congruunt; quaſi vero facultates naturæ, quæ Ars Dei eſt, ad egeſtatem humanæ ſcientiæ reſtringi & examinari deberent, & non potius noſtratum rerum caligines ad lucem naturæ corrigendæ. Quis autem Oedipus prædictorum & ſimilium porteotorum cauſas naturales divinabit? Is ſolus puto, qui vim & energiam Imaginationis Archæi, verius Animæ ſenſitivæ comprehenderit. De Archæo vide Tract. IX.

SECTIO III
De Actione in diſtans.

XXVI. Non quærimus hoc loco, an & qualiter ſidera cœli ſtellæ & Planetæ agant in ſublunaria, plantas hominesque: nec diſputamus, an Angeli & Beati in cœlis audiant noſtras preces: ſed quæritur, an tanta eſſe poſſit effectricis potiſſimum cauſæ vis, ut etiam in diſtans poſſit? Quod ut melius intelligatur, obſervandum eſt, cauſam naturalem per contactum quendam in ſubjectum vim ſuam exerere: duplicem vero eſſe hujusmodi contactum, Suppoſiti nimirum, cum res quæ agit, per ſeipſam tangit rem, in quam agit, ut ignis lignum. Contactus virtutis is dicitur, quo agens per virtutem a ſe diffuſam ſubjectum attingit; ſic Sol terram colluſtrat. Quæſtio itaque eſt, utrum fieri naturaliter poſſit, ut agens in rem diſtinctam & loco diſſitam vim ſuam ſic exerat, ut per interjectum medium & ſpatium ea vis non diffundatur?

XXVII. Communiſſime recepta Sententia eſt, quod non poſſit dari actio, ſaltem naturaliter, in rem diſtantem, ita ut vis agendi per interjectum medium non diffundatur. Probatur concluſio. Omnis cauſa ut agat, debet eſſe determinata, ſive a ſaipſa, ſive ab alio: imo actio nihil eſt aliud, quam cauſæ effectricis determinatio. Atqui ſi agens poſſit agere in diſtans, vis illius aut actio nullo modo erit determinata, ac nulla illius erit activitatis ſphæra. Neque enim vis illius per interjectum medium minuetur, eaque ſervari poterit integra ad quamlibet diſtantiam; neque ulla erit ratio, cur potius in certa diſtantia agere incipiat, quam in alia; cur ab uno potius milliari, quam a duobus virtutem ſuam diffundere incipiat, quæ omnia non modo experientiæ repugnant, ſed omnino videntur abſurda, aut certe naturæ vires ſuperant.

XXVIII. Faruut Zenonem argumento ad hominem, ut vocant, petito ex principio falſo Ariſtot. vid. Continuum conſtare partibus diviſibilibus in infinitum, &c. demonſtraſſe, non dari motum localem, eo quod ſpatium, utpote infinitis conſtans partibus proportionalibus, pertranſiri tempore finito non poſſit. Diogenes, ut theſin everteret, ſilendo obambulabat: rogatus a Zenone, quid hoc ſibi vellet? reſpondit, oſtendo de facto dari motum.

Simile quid noſtris temporibus accidiſſe refert Zwelferus in Academia Marpurgenſi, dum Profeſſor e ſuggeſtu multis demonſtrare conabatur, aurum arte chymica confici non poſſe: Artis illius quidam peritus extemporaneo labore aurum confecit genuinum, idque Præſidi obtulit, dicens facete: Domine Profeſſor, ſolvat hoc mihi argumentum? Quo ſyllogiſmo experimentali convictus & confuſus, ſententia mutata, theſes, quas evulgare typo deſtinaverat, ſuppreſſit.

Nobis in præſenti tam frequentia & obvia ſunt experi-

perimenta, quæ convincant, produci effectus in loco distanti, quin per medium transmittatur virtus aut qualitas, ut ea negare non sit sanæ mentis; Cacodæmoni adscribere, minus philosophicum; rationem physicam assignare, difficillimum: unum alterumve placet adducere.

XXIX. Primum sit Pulvis sympatheticus Vnguenti Armarii. Refert Illustrissimus Digbæus, sibi per Virum Religiosum Ord. Carmelit. reducem ex India & Perside, qui & Chinæ Regnum peragraverat, arcanum sequens fuisse communicatum. Cujus experimentum in curatione vulneris D. Hovvel, Duci de Bouquiguan a Secretis, felici eventu adhibuit. Estque hujusmodi. R. Vitriolum Romanum, repetitis solutionibus ex aqua, filtrationibus per chartam emporeticam, evaporationibus ad ignem ac coagulationibus, quo a fæculentia depuretur, mense Iunio vel Augusto, dum Sol est in Leone, crassiusculе contusum, ejusdem radiis exponitur per dies 15. circ. quousque calcinetur, atque usui servetur in loco sicco.

Eidem partes æquales Gummi tragacanthæ, atque etiam alia a quibusdam misceri solent. Ita D. Marci Phil. Vet. restit. Parte 5. Sect. 1. Subs. 7. Fusius autem Franciscus III. de Lanis S. J. Parte II. Phil. Experim. f. 77. hujus pulveris sympathici præparationem & usum describit in hunc modum: Mense Iulio vel Augusto, dum Sol est in signo Leonis, Vitrioli Romani ad libitum sumpta quantitate, aqua limpida (melius pluviali) solvitur, filtraturque per chartam emporeticam. Tum Soli exposita, vel ignis calore moderatissimo evaporatur usque ad spissitudinem, sc. ita, ut noctu loco frigido apta sit in virides lapillos concrescere. Hos lapillos colliges in patina vitrea, & residuum liquorem novæ committes evaporationi, ut sequenti nocte novi lapilli creari possint, quos prioribus associabis: donec repetitis evaporationibus tota fere substantia in lapillos abierit, crassiore solum magmate inutili remanente. Collectos lapillos omnes soli exponimus, qui intra paucos dies, nisi crassiores sint, albescunt, sive in album pulverem concidunt, nonnihil flavescentem.

Hunc pulverem rursus in aqua purissima solvere debes, & filtrare, tum soli vel igni committere, ut evaporet; ac postmodum lapillos, ut ante, colligere, illosque Solis calore in album pulverem calcinare, uti prius fecisti: quæ solutio, coagulatio, calcinatio toties repetenda venit, donec pulvis solutus in aqua nullas feces relinquat, lapillique smaragdino virore saturati, postmodum calcinatione in albissimum pulverem resolvantur. Debent autem ultima vice manere expositi Solis radiis per 15. aut plures dies, ut perfectissime albescant & desiccentur, simulque imbibant invisibiles cœlestis ignis scintillas, & astralia effluvia, quorum magnes quidam vitriolum est.

Pulvis iste sic præparatus asservari debet in loco licciore; vel in vitreis vasis probe clausis, ne humiditate contracta revirescat, & vires amittat; alias leni calore ad siccitatem & alborem reducendus. Porro notandum, expositionem prædictam non nisi aura serena, minime autem pluvia faciendam. Nec ferro tangi debet. Si addatur huic pulveri sic præparato æqualis fere quantitas tragacanthæ, nulla facta ejus præparatione, sed solum in tenuem pulverem contusæ, tunc vocatur Pulvis sympathicus Compositus, quo utimur, cum adest ossium fractura, seu scissura. Alii in hunc ipsum finem admiscent alia Gummi genera, ut Sarcocollam, gummi arabicum &c. alii Symphyti majoris in umbra exsiccati pulverem cæteris præstare putant.

Hujus usum idem Fr. de Lanis ait consistere in eo, quod ex vulnere eliciantur quædam guttæ sanguinis, & mundissimo linteo excipiantur, quibus inspergitur pulvis, & asservatur in loco temperate calido & sicco: cavendumque, ne linteum istud igni, aut aeri frigido exponas, aut aquæ immergas: (subintellige, nisi inflammatio vulneris adsit,) vulnus enim statim non sine magno dolore recrudesceret. Vulnus autem ipsum, nullo alio imposito medicamento, prius lavari debet, & fasciis, ut moris est, circumligari: tum singulis diebus detergitur, & novi purique sanguinis guttæ aliquot novo linteolo seu petia excipiuntur, novoque pulvere medicantur, & linteolum hoc simul cum priore asservatur loco opportuno: sic enim quodlibet vulnus, brevi sine putredine ad cicatricem tutissime perducitur.

Nota denique, loco mutanda esse lintea sanguine & pulvere aspersa, prout pars vulnerata, seu male affecta intemperie aëris molestatur: nam si nimis calida temperies partem vulneratam afficiat, loco nonnihil frigidiore & humidiore asservari debent; & econtra, ut omnia ad debitam temperaturam redigantur. Ita de Lanis.

XXX. Nunc ipsius Digbæi adhibitum D. Hovvel curandi modum ex Ipsomet audiamus. Erat vulnus, judicio Chirurgi regii, non absque periculo abscissionis membri ob imminentem gangrænam, & dies, ex quo inflictum fuit vulnus, quinta. Hic ergo ubi Digbæum accersisset, victus doloris magnitudine, quem intolerabilem affirmabat, & satis vultu indicabat, obnixe ab eo rogitabat remedium ad sanandum vulnus, quale ipsum habere fama ferebat. „ Tum, inquit Digbæus, linteum quoddam sanguine suo maculatum ab eo petii. Illico periscelidem, qua prius loco „ fasciæ utebatur, afferri curat. Hæc dum aguntur, „ pollubrum aqua plenum, veluti manus lavaturo, ap- „ portent jubeo; unaque pugillum pulveris Vitrioli, „ quem in Musæo in promptu habebam, accipio; „ eumque actutum in aqua dissolvo: deinde periscelidem, ut primum allata fuerat, in pollubrum in- „ jicio, semper studiose observans, quomodo interea „ D. Hovvel se gerat. Colloquebatur is cuidam No- „ bili in quodam cubiculi angulo stanti, parum adver- „ tens, quid rei ego agerem, vel quid molirer. Et, „ ecce subito præ lætitia exiliebat, edebatque actionem, „ ac si magnam persentiret commotionem. Causam, „ hujus rei inquirenti respondet: se quidem nescire, „ quid sibi acciderit, nihilo tamen minus sentire, quod „ nullo amplius dolore afficiatur. Videtur mihi, per- „ gebat ille, ac si frigidior aura instar lintei seu map- „ pellæ frigidæ ac humidæ super manum meam sese ex- „ pandat, omnem tollens inflammationem, quæ ante „ mirum quantum me excruciaverat. Quoniam ergo, „ ipsi dicebam, tam felici successu meam medicinam „ sentis, tibi quidem autor sum, ut omnia emplastra „ tua ilico tollas; curam saltem & diligentiam adhi- „ beas velim, quo vulnus nullam impuritatem con- „ trahat, atque in statu naturali & temperato conserve- „ tur. His factis intra 5. sexve dies vulnus ad cicatri- „ cem

„cem perductum & perfectè sanatum fuerat. Cujus quidem experientiæ testes sunt innumeri.

XXXI. Pergit in narratione Illustrissimus Digbæus. In hunc ipsum finem, inquit, quo rei veritas constaret, Regi & aliis ejusmodi curandi ratione attonitis, a prandio periscelidem ex aqua extraxi, eamque ad luculentum ignem exsiccavi. Ea vix probe exsiccata, famulus D. Hovvel adest, mihique narrat, non diu esse, quod Dominus suus tam acerbo afficiatur dolore, quam nunquam hactenus senserit; idque cum tanto Caloris excessu, ac si manus ejus ardentibus prunis obtegeretur. Respondebam ipsi, licet hoc illi malum jam nunc acciderit, nihil tamen prohibiturum, quo minus brevi temporis spatio optima valetudine uteretur. Insuper me haud ignorare novi hujus mali causam, ejusque curam & rationem habiturum, foreque, ut Dominus ab omni prorsus dolore & inflammatione citius liberetur, cum ille hanc rem eidem confirmaturus domum redux esse possit. His probe intellectis famulus domum repetit, eodemque temporis momento periscelidem in aquam immergo. Quo facto, etiamsi vix duos ab hinc passus, ædes distabant; Dominum & sine dolore, & belle habentem invenerat: quinimo priusquam domum perveniret, omnis jam cruciatus penitus cessarat. Quid ergo de hoc Experimento sentiendum? Diversa reperio, ut in similibus fieri amat, diversorum judicia.

XXXII. Ioan. Bapt. van Helmont curationem hanc & naturalem esse, & rationibus positivis a se demonstratam contendit. In unguento, inquit, magnetico sunt res pure naturales, ut usnea, sanguis, mumia & adeps humanus, quibus singulis Medicus licite utitur. In modo utendi nulla superstitio, nulli ritus, verba, aut characteres, vel sigilla interveniunt, quæ illius usum suspectum reddant: intentio & finis bonus, nempe juvare proximum, & eum absque dolore, periculo ac sumptu sanare. Non ergo curatio eo modo facta dici potest superstitiosa vel Diabolica, sed pure naturalis. Idem sentit Rodolphus Coclenius Marpurgensis Academiæ Professor citatus a Laurentio Forero S. I. Fit, inquit, illa sanatio per meram naturam atque magneticam quandam efficientiam, attractionem & deductionem, nec non toties decantatum vectorem spiritus, (nempe radios lucis Solaris) qui tanquam medium vi oculum primo ex definitis & propriis constellationibus sympathiam & copulam seu convenientiam inducit, ex qua deinceps vis sanatoria in telum medicatum derivatur, e quo postea egreditur, & ad partem usque vulneratam continuatur ac traducitur, tandemque actione istius virtutis consequitur effectus. Vult itaque Gocleoius, in nostro casu passum non esse extra Sphæram Vectoris spiritus, per hunc enim agere unguentum in absens vulnus, qui cum sit spiritus communis & diffusus per omnia (nempe lux Solaris & radii ejus) nulla quantumvis magna spatii intercapedine impeditur, quo minus actionem talem possit ad locum destinatum dirigere.

Contra hunc Autorem, ejusque vectorem spiritus acriter insurgit Forerus An. 1618. in universitate Ingolstadiana famosus Professor in Disp. Philosophica de Magnete sive Herculeo lapide, ubi docte cap. 2. de curatione vulnerum magnetica discurrit: & postquam variis sarcasmis, facete magis quam philosophice in eum invectus esset, tandem inquirit: num etiam inter magnetem & ferrum sit sympathia? Cur ergo, inquit, non facit vector ille spiritus diffusus per omnia, ut magnes, qui nunc est Augustæ vel Norimbergæ, trahat ferrum, quod est Venetiis? Si autem obstet distantia magneti, cur non etiam obstet unguento armario? Maxime cum curationem suam vocet magneticam.

XXXIII. Forero adstipulatur alter ex Societate celebratissimus P. Athanasius Kircherus, dum Lib. 3. cap. 2. sui Magnetis, juxta vulgaris Philosophiæ trutinam instituto examine ad sequens judicium ferendum motus est: Curationem per Vnguentum sympathicum esse fallacem, suspectam & minime naturalem, a nigro illo vectore spiritu omnis mendacii Patre invectam; idque luce clarius constare ex ingredientibus, puta cranio hominis violenta morte peremti, & sanguine ejusdem, aut aliquo simili ex corpore humano, quibus lamiæ in suis conventiculis uti consuevere. 2. Ex ritu superstitioso, quia telum inungi volunt a mucrone initio facto, & versus manubrium unctiona producta (si vulnus punctim sit factum) non econtra. (Si enim cæsim fuerit inflictum vulnus, ab acie versus dorsum facienda unctio). Nam accidentia, inquit, non mutant essentiam rei; & causa naturalis semper agit uniformiter, ut ignis ante, retro, sursum, deorsum urendo. Rationem præterea hanc affert: Actio hæc magnetica supponitur esse naturalis, habebit ergo sphæram definitam activitatis, propterea quod omnium agentium creatorum vis activa certis limitibus continetur, non ergo in quacunque distantia aget. Ita Kircher.

XXXIV. Verum enim vero rationes ab eo allatæ parvi momenti videntur esse, quod pace tanti viri dixerim: nunquid enim esula decerpta deorsum, vomitum impedit, quem alias sursum decerpta causat? teste Hon. Fabri. Idem est de frondibus tenerioribus sambuci. Placet confessio Fabri Lib. 2. de plantis. Prop. 180. Multa sunt, inquit, res inter naturales, quæ vulgi captum superant; quorum tamen causæ a viris doctis inveniuntur. Nec versatissimus in moralibus P. Georgius Gobat superstitionis arguere ausus fuit Presbyterum Andream varios curantem pulvere sympathico, non quidem illo Helmontii, sed per Vitriolum præparatum juxta descriptionem Digbæi. Nec ego talem condemnarim, cum similem effectum expertus fuerim, non semel tum in meipso, tum in aliis, ut mox dicam. Sit itaque

XXXV. II. Pulvis sympathicus sudoriferus. Sunt nonnulli, qui medicinam introsumere horrent, per sudorem tamen humores noxios expellere opus habent, his adhiberi absque omni molestia potest pulvis prædictus, vilissimo pretio comparabilis.

R. Sume de communi Vitriolo pro 2. alb. & de Hungarico pro 1. orbiculum vitri communis, lateris recentis in quantitate nucis. Has 4. species probe contunde in mortariolo. Adde heminam Salis, & mediam circ. mensuram fontanæ. Hæc insimul in olla interius vitreata tam diu lento igni admoveto, donec in crassam massam coagulentur. Deinde pulverisetur: Hujus pulveris usus est talis. Cogitas crastina sudare v. g. hora sexta matutina. Ergo pridie eadem hora immitte in urinam tuam recentem vitro exceptam de pulvere præd. quantum cochlear capit: obfirma firmissime vas seu vitrum, & probe ad invicem

 com-

commovendo quassandoque permisce: qua commotione facta repone vitrum in loco commodo, nec tange, usque in crastinum: tum hora eadem qua sudorem vis emittere, denuo idem vas ventila commoveque, ut pridie: dein repone te in lecto, ac bene tectus expecta effectum, experierisque sudori poros apertos, non minus ac si diaphoreticam introsumsisses medicinam.

Nota, me hoc experimentum sumsisse de alia persona, cujus urinam modo prædicto penes me retinui, temporeque inter nos convento commovisse, quo eodem alter absens in suo conclavi lectoque recumbens optatum se sensisse effectum testatus est.

Dic sodes, ubi hic effluvia, ubi qualitas transcurrens per medium? cur hora certa modo transvolant. quis viam ad conclave alterius dissitum illis spiritibus ostendit? Quid quod si vas sit minus accurate obsirmatum, aut urina non sit recenter inclusa, ita ut evaporationi locus detur, effectum minime præstat.

XXXVI. III. Vulgare remedium est, si quis festucam ceperit, aut acu, clavo vel cultro se læserit, dummodo extractam festucam, clavum &c. lardo recenti aut porcinæ adipi infixerit, aut etiam salici, curabitur. Item verrucas in manibus lardo bene confrica, lardumque affige parieti versus meridiem, aut sepeli in terra, quo per solem exsiccato, aut in terra putrefacto, desinent in manu verrucæ: non minus ac si easdem pluviali super lapidibus sepulchralibus residente laveris. Quid assignabis qualitatis transeuntis per medium?

XXXVII. IV. Lepidum quidem, a viris tamen dignissimis relatum est; homini cuidam pro abscissis naribus restaurandis, tantundem ex parte carnosa brachii alicujus subministratum fuisse & exsectum, quantum naso sufficeret: quæ particula exscissa, & faciei alterius per medicamenta conjuncta unitaque, tamdiu perstiterit in suo vigore, donec is, ex cujus brachio mutuata caro fuerat, in Belgio existens moreretur: quo momento cœpit hujus in Italia existentis pro tunc, nasus reconcinnatus computrescere. Rdt. Forerus, factitius iste nasus alios naso ducat: nos tam hebetes non sumus, ut ista credamus, quæ nullo fide digno testimonio nituntur, sed vulgi imperiti persuasione. Vtut sit, negari non potest, frequenter contingere, quod consanguinei sentiant infortunium casumque, sive mortem alterius sibi sanguine juncti, etiam longissime distantis: cujus, si ratio physica suppetat, ad miraculum non est confugiendum.

XXXVIII. V. Vnde fit, quod lac mulieris in prunas effusum aut emulsum, faciat ubera ejusdem siccari? Cur fœminæ, dum lac ex olla igni apposita ebullitione facta redundante in prunas, mox salem injiciunt, ne noceat vaccarum uberibus? Cur excrementum humanum recens & calidum igne adustum, superinjectis carbonibus vivis, uredinem, pustulas scabiemque natibus inducit? Omitto sexcenta similia, alibi referenda, quæ quidem adversarii superstitiosa judicant, juxta nostra tamen principia, censuram ejusmodi non merentur, ut patebit ex dicendis Tract. IX. de Archæo & Anima Mundi; item Tract. 37. De Magnetismo. Et tametsi ministerium Dæmonis quandoque interveniat, non tamen propterea desinunt esse effectus naturales, quibus ipse in pernitiem humani generis abutitur, & vanis superstitionibus contaminat. Satius ergo fuerit, eos, qui non ultra 4 Elementa sapere volunt, suam ignorantiam hic fateri, quam potestati naturæ subordinatos effectus Dæmoni tribuere, quos veri naturæ indagatores, quantumvis ab invido Genio superstitiosis ritibus involutos, non aliter quam granum tritici a palea secernere, & in usum humanum convertere satagant.

XXXIX. Neque vero P. Kircherus in suo Magnete, curam magneticam (ut vocant) ex toto damnat, sed solum in ritus superstitiosos, quorum ratio naturalis nulla reddi potest, & ob hoc de pacto dæmonis interveniente suspectos, invehi videtur: siquidem passim in suis scriptis *consensum* celebrat. Quid autem aliud est consentire, quam uno sentiente, aliud quoque simul sentire, atque idem aut diversum quid pati? Vnde Sympathia nomen traxit. Quoties experimur in nobis, citra ullam causam manifestam, cor angi? unde dicere solemus, præsagium id esse imminentis mali. Quod si forte sagæ in suis conventiculis sacrilege rebus abutantur, non idcirco illarum usus legitimus interdici debet; alioqui vinum, panis, oleum, imo & res sacræ, ut aqua lustralis & cerei benedicti ab usu humano arceri deberent. Quis vero ignorat, singula, quæ recipit unguentum armarium & magneticum, & pulvis Sympathicus sudorificus, in usum medicum pridem fuisse admissa?

XL. Vix dignum censeo relatu argumentum, quod P. Laur. Forerus adducit contra hoc Vnguentum, ab Inventore ac propagatore præcipuo, ut putat, Theophrasto Paracelso petitum, teste Baptista de Porta Lib. 8. cap. 10. Quis autem fuerit iste Paracelsus, tradit Thomas Erastus Heidebergen. Hæreticus ex Conrado Gesnero Tigurino ad calcem disputationum de Medicina nova Philippi Paracelsi his verbis: Theophrastus Paracelsus nostro tempore vixit, qui veterum omnium placitis contemptis multa nova in artem medicam inducere conatus est, & Medicinam per diversas Helvetiæ, Germaniæ & Poloniæ Regiones vagabundus exercuit, dum pecunia careret: qua modica acquisita vino & ludis deditus, (ut constans fama est) nemini medebatur. Dæmone utebatur familiari, ut ex ejus discipulo audivi. Vir natura & eloquentia, quam literis & studio doctior; prorsus inconstans, nunc Theologus, nunc Medicus, nunc Magus, sæpe compotator & aleator inter Rusticos & Aurigas &c. Quis ergo, infert Forerus, non jure nunc ominetur male quoque de hoc unguento, cujus talis fuit architectus?

XLI. Equidem Viri hujus vitam moresque non approbo, cum Salisburgi sepultum scio, quod 47. ætatis annum non excesserit, testatur Robertus Boyle Exercit. 3. Parte 2. fol. 169. Sed nec approbo illationem Foreri: quam enim connexionem habet ars & scientia profana cum vita Christiana? De dogmatibus Lutheri & Calvini id libenter concesserim, ea vilescere & falsitatem trahere ab Autoribus, quia verosimile non est, Deum ejusmodi Reformatores Ecclesiæ suæ mittere voluisse: integriorem vitam Dogmata fidei requirunt.

SECTIO IV.

An Actio sit Entitas distincta realiter ab Agente & Effectu?

XLII. Videtur quidem omnibus Actio differre ab ipsa potentia agendi, cum sint res diversi Prædicamenti, multo

multo autem magis ab essentia, præterquam in Deo: & quidem vulgares Philosophi non possunt distinguere, quo pacto in Deo sint idem: & causa Apostatandi, inquit Campanella, hæc ignorantia est multis: hoc itaque bene examinare oportet, incipiendo a notioribus.

Calor quidem, & potentia calefaciendi sunt idem re; ut omnes fateotur: utrum vero calefactio sit idem quod ipse calor, inquirendum est in natura actionis. Tunc enim calor calefacit, cum res calidas facit, quæ etiam mox & ipso calefaciunt; calefactio ergo est caloris effusio & communicatio: similiter frigefactio frigoris; scriptio scripturæ, ædificatio artis ædificatoriæ communicatio in materia exteriori videtur & ipsa. Cum ergo calor effusus fit in actione, videndum est, utrum essentia actionis consistat in calore fluente, vel in fluxu & diffusione. Non quidem consistere in diffusione: sic enim omnis actio fieret cum diffusione, & distingueretur realiter ab agente, ergo & Deus esset aliud a sua actione, & lumen ab illuminatione, quæ est ipsum lumen effusom. At videtur fluxus requiri ex duplici causa: prima, quia causæ agentes sunt finitæ virtutis, & non possunt statim transmutare agendo ipsum patiens in sui naturam; ideoque cum tempore & conatu quodam operantur, in quo requiritur receptionis, & assimilationis integritas: at si subito calor posset transmutare materiam, nequaquam fluxus interesset ratione conatus. Secunda, quia omnis materia est contraria dispositione prædita, nec subito potest illam abjicere, & novam assumere: & hæc repugnantia facit, ut agens effundat se, & indat subjecto patienti particulatim & paulatim, nunc particulam sui intrudendo, & particulam inimici, vel privationis vel informitatis extrudendo. Tertio assignari potest causa alia, quod agens causa non est intra materiam, in quam agit, sed extra, ideoque oportet prius transmotare partem viciniorem exteriorem, mox remotiorem & intimiorem, donec veniat ad extremam: unde si totus calor esset intra totam aquam, non cum tempore illam calefaceret, sed subito, quod dico præsupposito, quod nec frigus repugnans præfuerit.

XLIII. Ex his clarum fit, quod non est de essentia actionis, fluxus, tempus & conatus, & intercapedo in participatione, sed est quasi per accidens, ex eo, quia finita est vis agentis, & repugnat informitas vel contrarietas patientis, & distantia totius vel partium patientis: quibus sublatis, sequitur actionem esse ipsummet agens, & calefactionem ipsummet calorem, & ædificationem ipsummet ædificium, & nihil addere, nisi respectum ad patiens subjectum: & hoc acutissimi Theologi, supra seosum vulgi penetrantes, in Deo cognoverunt; magis autem in operationibus ad intra. Tempus igitur non per se requiritur, ut patet in illuminatione: nec fluxus, ut patet in prima Soli adhærente parte Cœli, quam semper Sol illuminat absque fluxu, quoniam non distat ab ipso illuminante illuminatum. Vbi vero agens est intrinsecum passo, nulla requiritur intercapedo, nec conatus: sed statim fit actio, quæ potius informatio dicenda. Vnde calor Solis propriam materiam calefacit & illuminat, non agendo per fluxum & tempus, sed informando, ergo actio est informatio & communicatio cum fluxu, & communicatio sine fluxu est informatio. In qua speculatione hoc detegitur arcanum, & patefit, actionem non differre realiter prorsus a forma agente, sed a materia informata: & differre adhuc ab informatione, quia illa fit interius, actio vero exterius. Item esse de ratione agentis tantum finiti & extrinseci fluxionem: & quia includit actio hoc præter potentiam agentis, differt ab eo per talem inclusionem, & per respectum ad extra in agentibus limitatæ naturæ: cum tamen vere sint unum essentialiter.

XLIV. Igitur ubi datur actio non transiens in exteriorem materiam, & sine repugnantia edita, illa est idem essentialiter cum agente, & solam addit relationem, ob quam diversificatur, & facit aliud prædicamentum. Item quia omne agens agit, seipsum communicando, & assimilando sibi passum, manifestum est, ipsum absque fluxu & exterioritate esse actionem suam. Item nullum ens dat, quod non habet: habere autem est ipsum esse, ut habere calorem, est esse calidum: igitur agens causa dans sibi potentiam & operationem, est ipsa sua potentia & operatio, prius & magis.

Item: Quia esse est, reperiri extra causas, & agere est, esse in alio, & non fieri in alio. Fieri enim est cum motu & fluxu, & exterioritate, quæ non sunt de essentia primo ipsius actionis; ideo actio sequitur potius esse sive existere, quam essentiam, quoniam est quidam essendi modus ipsius essentiæ, videlicet in alia materia, quæ mox non est alia, cum assimiletur, ut incorporetur suæ. Non enim ignis in novo ligno apposito est in materia aliena, cum igniverit ipsum: nec diversus numero, nisi loco mox separetur, quoniam distantia privat unitate. Aquæ gutta cum sit una numero, si dividatur, fit duplex numero, sed non essentia: ita ergo & actio, quamvis ut in passo differat, numero ab agente, & conveniat essentia; tamen ut in agente vel ab-ente fit, est idem numero, & essentia vocatur actus intrinsece: extrinsece vero actio. Rursum Causæ agentes habent vim sui ipsarum multiplicativam, & diffusivam. At etsi distinguatur pars primo agens, & se multiplicans a parte genita & ampliationis gradu, nunquam tamen differunt numero, sed sicut magis & minus, donec in alia materia, alia pars fiat. Calor enim ut tria, si intendatur & fiat ut quatuor, non differt a seipso ut quatuor. At si quis ejus gradus in alio fiat subjecto, statim incipit differentia, non a se, sed a subjecto.

Itaque palam est, actionem non differre per se ab agente virtute, sed per receptivum, trahens ipsam extra & elongans a sua origine. Sic calores Solis in terra non differunt a solari, nisi penes subjecta, ex quibus sequitur mox diversitas loci, temporis, languoris & roboris, copiæ & inopiæ. Similiter domus in mente Artificis, quamvis mentaliter seu idealiter effundatur ad extra, nisi recipiatur in exteriori materia, nunquam differt a seipsa, prout est in mente. Et quidem cum fuerit recepta in lignis, lapidibus & cæmento, non differt a domo, quæ est in mente domificatoris, nisi respectu subjecti, a quo trahitur extra: & locum, & tempus & accidentia acquirit, casum, pestem, rapinam, habitatores, ludentes aut plangentes, & asinos, & homines, & quæcunque domui accidere solent, respectu materiæ.

XLV. Igitur agere est esse. Cui accidit esse paulatim, & in fluxu, & in alio. Et quia nos hunc actionis modum tantum novimus, quoniam ab extra & cum tempore & repugnantia nos similiter agimus: iden

definimus res juxta nostrum intelligendi modum, & putamus actionem esse tantum, quam nos novimus. Hinc illud tritum, quod omnis intellectus intelligit superiora se imperfectiori modo, quam sunt: inferiora vero perfectiori. Th. Camp. Parte II. Met. Lib. 6. cap. 6. artic. 9.

XLVI. Dicendum proinde, quod Actio non est entitas a fundamento & termino realiter distincta, quam Modum crassum vocat P. Kimmer. Prob. primo: Actio externa (de qua hic potissimum loquimur) duo in suo intellectu complectitur, influxum agentis, & effectus dependentiam: sed agens immediate & per seipsum influit: ut calor non calefacit per aliquam sibi superadditam entitatem; & effectus per seipsum & immediate pendet a causa, ergo superflua est entitas illa tertia modalis. Confirm. Tam effectus potest per se, & immediate, & citra entitatem aliquam supervenientem ab agente pendere, quam illa entitas seu actio ab ipso agente pendet immediate. Ergo entitas succrescens ab effectu distincta omnino est inutilis: cum idcirco eam admittant, ut illius ope & quasi interventu effectus ab effectrice causa dependeat. Probatur secundo: Actio ista modalis vel est prior natura quam effectus, vel posterior, vel simul: nihil horum dici potest, ergo. Min. prob. Nam non est prior natura quam effectus: quia quidquid est prius natura suo effectu, debet posse concipi in illo priori sine effectu, sed actio non potest concipi sine effectu, ergo. Neque etiam est posterior effecto, alias prius intelligeretur existere effectus quam actio modalis, & ita esset superflua. Non denique est simul natura, quia omnis effectus est posterior natura eo, a quo dependet: sed effectus, juxta Add. dependet ab actione modali, ergo est posterior illa. Iterum cum effectus sit subjectum actionis modalis, saltem creativæ, debet esse prior actione, & sic mutua dabitur prioritas & posterioritas, quam ostendemus esse impossibilem in Tract. XV. De Causis. Quod autem aliqui AA. dicant, creationem gaudere hoc privilegio, ut solo subjecto adhæsionis contenta, careat subjecto inhæsionis & sustentationis, gratis dicitur, & mera verba sunt, nec solvit difficultatem. Prob. 3. Hæc numero actio modalis poterat alio tempore procedere ab agente, aut plane omitti hic & nunc; verbo, est indifferens, ut exeat ab agente hic & nunc, poterat enim alia numero actio hic & nunc dici, quæro per quid tollatur ista indifferentia? num per aliam actionem? si dicas determinari solo Decreto Dei libero: idem dicam ego de ipsa entitate effectus.

XLVII. Dicunt, *Actio seipsa est actio*, ergo non indiget alia actione. Contra est, licet enim seipsa sit actio formaliter, non tamen seipsa est actio efficienter, ut recte advertit Smigletius Disp. II. Log. quæst. 4. alias esset ens a se. Itaque indigemus æque virtute activa applicata ad actionem, atque ad ipsum effectum; adeoque ea ratione dicemus causam efficientem applicari ad ipsum effectum immediate, qua Add. volunt applicari ad modum Actionis. Aut assignent nobis solidam rationem, cur sua libera voluntate Deus, & agentia naturalia circumstantiis ad agendum requisitis v.g. approximatione, capacitate subjecti &c. ad hunc numero modum actionis potius, quam ad ipsum effectum determinari possint aut soleant. Certe non est ratio, quare volitio Dei libera habeat vires ad determinationem hujus actionis immediate, & non habeat ad determinationem effectus absoluti immediate. Et hæc ratio satis infringit fundamentalem Add. argumentationem, quod nimirum requiratur modus ad tollendam indifferentiam hujus effectus ad hanc causam. Hoc ipsum magis ostendo. Positis duabus cognitionibus aut duabus approximationibus passi ad hoc agens, potest Deus conservare utramque, & tamen ex vi unius cognitionis potest fieri effectus v. gr. amor, ex vi alterius potest non fieri. In hoc casu quæro, Decretum Dei liberum quod habet objectum? dicendo, ab hac cognitione pendeat hæc amoris productio, & non dependeat ab alia (sicut potuisset) simul existente? si respondeas, habet pro objecto entitatem productionis modalis, & entitatem hujus cognitionis. Contra est, etiamsi Deus decerneret contrarium, ut potius ab alia cognitione dependeat productio amoris, & non ab hac, tamen ad easdem entitates terminaretur, ergo illud Decretum vel esset idem cum moderno, quia idem habet objectum; vel concedi debet, posse duo Decreta Dei terminari ad idem objectum diverso virtualiter modo, quod & nos docemus. Ecce retorsionem manifestam principalis argumenti adversæ partis.

Solvuntur Objectiones.

XLVIII. Quo facilius occurramus infinitis prope, quæ fieri possunt, objectionibus, tum ex Physica, tum ex Theologia petitis, non erit abs re quædam præmittere ad ea, quæ de concursu inferius dicturi sumus, imo ad rectam philosophandi rationem, quæ res non multiplicat extra necessitatem, permagni usus futura.

Primum itaque annotamus, omnem actionem esse aut corpoream, aut spiritualem: corporea aut motu locali continetur, aut sine motu, neque intelligi, neque explicari potest, ut alibi ostendemus. Actio spiritualis (quam immanentem actionem alii, nos actum seu operationem vocamus,) intellectus nempe & voluntatis, alias a Scholasticis nomine motionis intentionalis exprimitur. Est enim quidam motus, seu, ut ajunt, tendentia in objectum. Motus localis vix aliud quiddam comprehendit præter mobile ipsum, ut unum terminum deserit, & alterum acquirit, atque hoc ipso intellecto, citra novam entitatem physicam, recte concipitur: non enim mobile, non spatium, non terminus ipse de novo producitur.

Non dissimili modo actio (actus voluntatis) nihil est forte præter voluntatem, & bonum ipsum, quo allicitur, & utriusque conjunctionem. Neque est ulla entitas physica voluntati succrescens, ut supponunt Thomistæ Prædeterminatores, sed de hoc vide Tract. L. De Prædeterm. Phys. Potest forsan fieri, ut actio vitalis sit entitas quædam physica, non ut actio quædam est, sed ut est terminus sive effectus; non ut est in fieri, sed ut concipitur in facto esse. At utcunque ea res sit, id merito negamus, calefactionem esse entitatem quandam ab ipso calore distinctam; cum nihil præterquam calor ipse ut est in fieri, seu quatenus dimanat ab igne, concipi queat.

Secundo id annotandum videtur, de Actione non aliter ac de Relatione nos posse philosophari: cum actio nihil sit nisi quædam relatio. Quare sicut relatio non adæquate & omnibus modis eadem est cum fundamento & termino quocunque modo sumptis, sed per aliquam formalitatem ab iis distinguitur. Sed de hoc ex professo agemus in Tract. XLIII. De Relatis.

Sic propria Actionis formalitas, seu entitas est influxus agentis in effectum, & dependentia effectus ab agente, non vero Agens absolute sumptum seu Potentia agendi, aut effectus solus. Quare actio voluntatis potest esse supernaturalis præcise ut actio est, non autem prout sumitur identice & materialiter, atque ut revera eadem est cum voluntate. His intellectis, quæ contra afferuntur, videamus.

XLIX. Opp. 1. Nulla causa, præter Deum, est sua actio. Resp. Dist. antecedens. Nulla causa est sua actio adæquate & totaliter. C. inadæquate & partialiter. N. Nullo enim Deus indiget ad agendum, nec concursu, nec objecto, nec causæ externæ auxilio: quod de nulla re creata dici potest. Sed id non impedit, quo minus actio ab agente sit indistincta, & non sit entitas nova agenti vel effectui succrescens: neque enim digitus est sua inflexio, quamvis non sit entitas quædam distincta ab entitate digiti. Sic voluntas & intellectus non sunt entitative ab anima distinctum quid.

L. Instabis: Causa non potest suus esse effectus, ergo neque est suum agere; cum agere & fieri sint unum & idem. Deinde, posse agere, est prius quam agere: sed causa non est prior seipsa, ergo causa non est sua actio, sed ab ea distinguitur. Responsum jam fuit, actionem non esse Causam solam, sed ut connotat effectum, includit enim & influxum causæ & dependentiam effectus. Vt motus localis non est solum mobile, sed mobile, quatenus unum relinquit locum, & novum acquirit; quod forte fit citra mutationem intrinsecam mobilis. Sic agens cum agit, non mutatur intrinsece, sed mutatur tantum extrinsece.

LI. Opp. 2. Sæpe mutatur actio non mutato termino, ergo actio distinguitur a termino. Antecedens probant exemplo projecti lapidis. Manet enim idem motus, vel potius impetus a vi motrice impressus, nec tamen illius dependentia a vi motrice, quæ proprie est actio, amplius remanet. Ergo actio & terminus sæpe inter se distinguuntur. Resp. Non manere eundem effectum, sed novum subinde produci, quæcunque sit causa motus in projectis; sive qualitas imprimatur, quæ motum exigit, sive ex lege naturæ motus, ut quilibet alius motus tamdiu perseveret, quamdiu a contrario non destruitur; seu potius sublata applicatione causæ motricis, impetus non amplius ab ea pendeat. Vtcumque sit, ex re adeo obscura & incerta concludi non potest, actionem esse entitatem a causa & affectu distinctam.

LII. Opp. 3. Actus voluntatis sæpe est supernaturalis, sæpe itidem est malus: sed voluntas neque est mala, neque est ordinis supernaturalis, ergo actus voluntatis est quid a voluntate, seu a causa distinctum. Resp. Actionem voluntatis dici & esse supernaturalem, quia ex natura voluntatis & propriis viribus non profluit, cum voluntas ad eam eliciendam indiget auxilio, seu actuali, seu habituali altioris ordinis. Non enim actio id habet ex voluntate præcise, ut facultas est naturalis, sed ut evecta ad nobiliorem statum. Quemadmodum eadem est vitalis & libera, præcise ut a voluntate indifferente proficiscitur. Itaque actio est supernaturalis, ut est ab auxilio Dei, quod naturæ nostræ non debetur, ut libera est, quatenus a voluntate manat: adeo ut solæ formalitates, reales quidem, sed non entitates quædam actionem naturalem a supernaturali secernant.

LIII. Inst. Actio divini auxilii est diversa ab actione voluntatis: illa enim est supernaturalis, hæc tota est naturalis, ergo actio voluntatis non potest attingere objectum supernaturale. Resp. dist. ant. Actio voluntatis est naturalis sola. C. auxilio Dei roborata & evecta. N. Deinde quamvis utraque actio, Dei & voluntatis, non sit una eademque physice, cum a caussis distinctis dimanet, est tamen eadem moraliter, hoc est, juxta rectam hominum existimationem, cum idem sit utriusque effectus. Sed de his fusius alibi.

SECTIO V.

An actio transiens sit in agente, an in passo?

Non levis est inter Thomistas controversia ob varios textus S. Thomæ in speciem sibi contradicentes, queis modo in agente, modo in patiente actionem consistere insinuatur. Nos cum Chrysost. Iavello, quem plures sequuntur, per distinctas assertiones rem obscuram dilucidare conabimur, ut vel maxime hic locum habeat tritum illud, qui bene distinguit, bene docet.

LIV. Dico. 1. Actio transiens, sumpta pro respectu Agentis ad passum, est subjective tantum in agente. Probatur. In quocunque est fundamentum respectus, in eodem subjective est respectus, quoniam, ut diximus de Relatione, Relatio identificatur suo fundamento; vel si teneatur, quod non sunt idem, saltem unum innititur alteri: ex consequenti ubi est unum, erit & alterum. Sed respectus agentis ad passum est fundatus in potentia activa agentis, quæ est subjective in agente, ergo actio pro respectu est subjective in agente. Sed

LV. Oppones invertendo hanc probationem. Si actio secundum relationem in agente est, tunc & fundamentum in agente sit oportet: quia fundamentum & realis relatio simul sunt in eodem subjecto, ut dicitis. Atqui fundamentum relationis, qua agens refertur ad patiens, non est aliud, nisi actio agentis, ex 1. parte. q. 13. art. 7. ergo actio etiam, qua fundamentum est relationis, in agente esse debet; Imo tantum abest, ut actio quoad relationem in agente sit, quod potius relatio hæc primum consequatur actionem, tanquam causam & fundamentum sui, quod realiter debet convenire agenti, & sic in sua essentia est aliquid prius in agente ipsa relatione, sc. ipse agentis actus, ut agens est, ad quem deinde consequitur relatio in agente, & motus in mobili. Resp. oportere distingui inter fundamentum proximum seu rationem fundandi, & inter fundamentum remotum. Quando enim S. Thom. loc. cit. affirmat, actionem fundamentum relationis esse, de proximo loquitur, quod est ipsa ratio fundandi: hoc autem fundamentum proximum, ut in subjecto sit, in quo relatio, neutiquam oportet. Debet ergo fundamentum & relatio in eodem subjecto esse, quod est fundamentum remotum, non proximum. Fundamentum autem remotum relationis, quam habet agens ad patiens, non est ipsa actio, sed agendi potentia, ut dicit assertio, quæ sine dubio in agente est: ipsa autem actio, sive actus agentis, ab agente procedit in passum. Et sic neutiquam ipsa actio, tanquam fundamentum relationis, in agente præsupponitur, sed tantum agendi potentia, etsi tanquam ratio fundandi

ipsam quoque relationem præcedit, eam tamen non præcedit, ut actus agentis in agente, sed ut actus ab agente in patiente receptus. Nec propterea migrat de subjecto in subjectum, aut in duplici subjecto est. Nam actio ad agens non comparatur tanquam ad subjectum inhæsionis, quasi insit inhæsive; sed potius comparatur ad agens, tanquam ad subjectum emanationis. Hinc dicit S. Thom. „ quædam secundum suam naturam seu rationem significari ut „ ab alio ens, sicut præcise patet in actione, quæ secun„ dum quod est actio, significatur ut ab agente. q. 7. de „ potent. art. 9. ad 7. Et licet agentis actus sit, illudque perficiat & denominet; est tamen tantummodo agentis actus & perfectio ut *ab hoc*, non ut *in hoc*: & denominat agens, sicut visio objectum visum, non quod in agente sit, qualiter etiam non in viso, seu in patiente.

LVI. Dico 2. Actio secundo modo sumpta (nempe pro re sive forma causata ab agente & acquisita in passo) non est subjective in agente, sed in passo. Probatur. Si est subjective in agente, præter respectum agentis ad passum, quem jam ostendimus esse in agente, quæro quid ponat in agente? & non potes imaginari quid ponat, nisi aut potentiam activam, aut aliquem actum absolutum acquisitum in agente, aut entitatem modalem. Non potes dicere primum, quoniam potentia activa non est ipsa actio, alias agens semper & necessario ageret, quod est aperte falsum, (loquor de actione ad extra.) Nec potes dicere secundum, quia omne illud, in quo aliquid fit, aut recipitur & acquiritur in eo, quod tale se habet in ratione acti vel facti, & non in ratione agentis vel facientis: sed si aliquis actus absolutus acquiritur in agente, dum agit, tunc agens in eo, quod agens se habebit, ut in quo actus acquiritur, ergo agens in eo quod agens est, actum & factum, saltem subjective, quod implicat, quoniam agens ut agens opponitur acto, sicut movens ut movens opponitur moto.

Præterea in quocunque est mutatio vel motus, in eo quod hujusmodi mutatur vel movetur. Sed si aliquis actus absolutus acquiritur in agente de novo, dum agit, oportet, quod aliqua mutatio vel motus sit in agente, ergo si agenti in eo quod agens, acquiratur aliquis actus absulutus de novo in eo subjective receptus, sequitur quod agens, in eo quod agens, mutetur vel moveatur, quod est impossibile. Nec tertium dici posse, jam supra ostendimus.

LVII. Opp. 1. Vbi est effectus formalis, ibi est forma, quia sunt inseparabiles: sed in agente est effectus formalis actionis, dicitur enim agens & est agens actione, ergo actio est subjective in agente. R. Quod effectus formalis est duplex: quidam secundum rem & denominationem, ut paries est albus albedine realiter & denominative, & de hoc conceditur major. Quidam est secundum denominationem tantum, & de hoc neg. maj. quia denominatio potest fieri ab aliquo extrinseco, sicut locatum denominatur a Loco, qui non est subjective in locato, sed in locante. Sic in proposito, actio denominat agens denominatione extrinseca. Ideo maj. negatur, nam ista propositio: actio est agentis, non verificatur pro subjecto, sed pro principio a quo egreditur.

LVIII. Opp. 2. Omnis perfectio est formaliter in eo, cujus est perfectio: nihil enim perficitur formaliter nisi aliquo sibi intrinseco: sed actio est perfectio agentis, tunc enim agens est in ultima sua perfectione dum agit, ergo actio est subjective in agente. R. condonata majore, Dist. min. actio intrinseca & immanens, quem actum dicimus, est perfectio agentis. C. min. extrinseca & transiens. N. min. Aliter, Actio est perfectio agentis, sumendo ly *agentis* pro subjecto. Conc. min. sumendo pro agente, quod tantum est agens. N. min. licet sit vera sumendo ly *agentis* pro principio, ut illuminatio est Solis, id est a Sole. Ad probationem dico, quod concludit, actionem esse signum ultimæ perfectionis in agente: nam ex eo quod agit, arguitur ultima perfectio in eo, perfectius enim est actuale principium actionis quam potentiale. *Dixi* quod tantum est agens, quoniam si sit simul agens & patiens, ut cum quis sanat seipsum, actio est perfectio sua, & est in eo subjective, non ut agens, sed ut patiens.

LIX. Oppon. 3. Cujus est potentia, ejus est & actus. Arist. Lib. de somno & vigilia. Sed potentia activa est agentis. ergo & actus sive actio. R. quod potentia & actio sunt agentis, sed non est necesse, quod uniformiter: nam potentia activa est in agente subjective, actio autem est ut in principio a quo egreditur, non ut in quo recipitur, nisi sit simul agens & patiens, prout mox advertimus.

LX. Opp. 4. Si unus ignis calefacit duo, aut erit una actio, aut duæ? Non duæ, quia unius agentis est una actio, ergo una. Si una, aut est in passo, aut in agente: non in passo, quia alias unum accidens erit in duobus subjectis, quod implicat, ergo in agente. R. quod ex parte principii, a quo egreditur, est una actio: sed ex parte termini & subjecti receptivi, sunt duæ: nec inconvenit, quod sint duæ ex parte subjecti; sicut non inconvenit, quod plures lineæ, quæ sunt unum in centro, plurificentur ex eo, quod terminantur ad plures partes circumferentiæ.

LXI. Opp. 5. Pater & filius non se compatiuntur in eodem respectu ejusdem, cum sint respectus oppositi, ergo generatio activa & generatio passiva non sunt in eodem, cum sint fundamenta illorum respectuum. Resp. negando conseq. ad probat. nego quod illæ sint fundamenta talium respectuum, cum non maneant: sed dico quod fundamentum paternitatis est potentia generativa, ut ab ea egressus est actus generandi, & fundamentum filiationis est potentia passiva, ut fuit sub actu generandi passive. Actus autem generandi sive generatio active & passive accepta est in genito. Vnde adverte, quod ratio, propter quam idem non potest esse pater & filius, non est, quia generatio actio & generatio passio non sunt in eodem subjective, sed quia non potest esse idem a quo est generatio, & quâ generatur.

LXII. Opp. 6. Actio denominans agens, quæro an intrinsece aut extrinsece denominet? Non extrinsece, quia denominans aliquid extrinsece, debet aliud denominare intrinsece, ut patet in visione, quæ lapidem extrinsece denominat visum, & oculum videntem intrinsece: sed si actio denominat agens extrinsece, non potest assignari, quid denominet intrinsece. Non enim denominat passum, dicitur enim passum a passione, & non ab actione, restat ergo ut insit agenti. Ad hoc Resp. quod res, quæ est actio, denominat agens & patiens: agens quidem extrinsece; patiens vero intrin-

trinſece, ſed non eodem nomine: ſed ſic, ut unamet res, quatenus eſt ab agente, nomine actionis denominet agens, quatenus autem eſt recepta in paſſo, nomine paſſionis denominet patiens. Nec eſt inconveniens, idem diverſis nominibus denominare plura: ſic enim unamet actio v. gr. doctio, ſub nomine doctrinæ denominat docentem, & ſub nomine diſciplinæ denominat diſcipulum ſeu diſcentem. Ita Iavellos. Quæ reſponſio elucidatur per illam, quam affert Bern. Quedorffer, Profeſſor quondam Saliſburg. in theſ. de motu §. 18. cap. 1. Dico, inquit, omnino actionem patienti ineſſe, ſed non ſecundum propriam & ultimam ſuam rationem actionis, in quantum actio eſt: ſic enim potius eſt actus *ab alio*, quam *in alio*: & ideo etiam, quia hoc modo non ineſt, patiens non denominat agens: denominaret autem illud agens, ſi ſecundum ultimam ſui rationem patienti ineſſet. Nec oportet, quod habens formam denominetur ab illa forma ſecundum quodvis nomen, quo exprimitur illa forma, ſed ſecundum illud, quo exprimitur, ut eſt in ſubjecto. Actio igitur, ut eſt in ſubjecto, non ſignificatur hoc nomine *Actio*, ſed nomine *Paſſio*, & ſic ſubjectum Actionis denominatur ab actione, non tamen *agens* ſed *patiens*, quia actio in ſubjecto, non eſt actio ſed paſſio. Quod ſi quædam actio neceſſario conjuncta ſit cum injuria, eo quod ſit injuſta, non tam eſt injuſta, quatenus in patiente eſt, ſed quatenus ab agente procedit. Neutiquam igitur ita actio in agente eſt, & paſſio in patiente, ut ſortiantur duo diverſa ſubjecta, ſintque duo numero realiter diſtincta accidentia, cum actio aliter in agente non ſit, niſi ſecundum relationem, quam importat in obliquo: ſecundum entitatem autem in recto eſt unus idemque realiter actus agentis & patientis, illius *ab hoc*, & hujus *in hoc*.

SUBSECTIO VNICA.

Expediuntur quædam alia circa diſcurſum Sectionis IV.

LXIII. Contra prædicta Sect. IV. inſurgunt ſeqq. dubitationes. I. Vtrum potentia receptiva ſit ipſamet receptio? ſicut activa eſt actus? II. Vtrum verum ſit in omnibus, actionem profluente forma eſſe ipſum agens? Nam mobile, dum movetur localiter, non videtur ullam floentem formam dare, nec ſeipſum communicare. Remanet enim in re, cui communicatur, virtus agens, ſicut calor in paſſo: at qui it in plateam, non remanet in ea. Durum quoque videtur, quod generans ſit ipſa generatio, & per conſequens ipſummet genitum: quia generatio in genito recipitur, & calefactio in calefacto. Venditio quoque non eſt in emente, neque in re vendita, quoniam tunc res vendita erit ipſum vendens; & ædificator erit ædificatio, & ædificium in ædificato. Item Creator in Creatura: ergo nos ſumus Dei, & lapides, atque creatores. Item ſi intellectus eſt intellectio, & hæc eſt anima intelligens, quid differt inter Deum & creaturam? in hac enim, ſicut in Deo, videmur identificare actionem, & potentiam & agentem cauſam.

LXIV. Reſp. cum Thoma Campan. P. II. Metaph. Lib. 6. cap. 6. art. 9. Quod potentia receptiva in ſe conſiderata, ſecundum id quod eſt fundamentaliter, non eſt ipſa receptio: ſed conſiderata in ordine ad receptibile, ſit recipiens & receptio ſimul. At ſi receptio adhuc ſumatur pro fluxu facto in receptivo, non eſt ipſum receptivum; nec ſi ſumatur pro forma fluente; ſic enim eſſet ipſum receptibile: ſi autem ſumatur pro capacitate, complectente ipſum receptibile, eſt ipſamet potentia receptiva. Similiter activa potentia eſt actio ſumpta radicaliter & fundamentaliter: at ut reſpicit patiens, non eſt actio: talis enim actio addit reſpectum, & aliquando fluxum ſimul. Ergo actio ut reſpicit eſſe, eſt agens poteſtas; ut non eſſe, ac illud quod in alio acquiritur, eſt aliod ab agente. Vnde vides nihil a ſeipſo differre, niſi per non eſſe aliquod, vel aliquo modo.

LXV. Ad 2. reſpondetur, quod motus localis eſt effuſio ipſius mobilis in locum: & in hoc manifeſtius eſt, actionem eſſe ipſum agens. Cum enim eo in plateam, paulatim ſum in illa, acquirendo ſemper ſucceſſive exiſtentiam in illa: in via vero ſum, quando vado, & paulatim diſcedo a loco, in quo eram, & perdo exiſtentiam in eo, & acquiro exiſtentiam in alio: igitur moveri eſt eſſe ſeu exiſtere hic, & hic, & hic: quid autem eſt, niſi id quod movetur? Fluxus autem tunc requiritur in motu, vel ob repugnantiam medii aëris aut aquæ, per quam fit motus; aut propter debilem potentiam mobilis, aut propter diſtantiam & partibilitatem loci acquiſibilis. Non autem præciſe eſt de ratione motus, alias inſtantanea illuminatio non eſſet motus; nec localis angelorum ſubita applicatio. Nec quia non manet ſemper mobile in loco acquiſito, non erit motus mobilis eſſe, quinimo magis, quoniam non indiget, ſicut calor materia, ſubjecto loco; & rurſus, eſſe in loco pertinet ad extrinſecam realitatem exiſtentiæ, quæ ſeparabilis eſt, intrinſeca vero inſeparabilis ſecundum totum. Non autem oportet in omnibus cauſam eſſe cauſationem, niſi totalem per ſe, eſſentialem propter ſe; quoniam non ſe tota & totaliter agit eſſentialiterque, ſed aliquando per partem & per accidens. Non enim calefactio eſt ignis, ſed calor, quoniam ignis habet materiam præter calorem, quæ non agit, ſed ſuſtentat agentem. Motus ſimiliter eſt ipſum mobile, ſed non materia ipſa mobilitatis, ſed eſſe exiſtentiale ſucceſſivum locale mobilis: & denique ipſummet mobile, in quantum mobile, non in quantum corpus, licet eſſe mobile in corpore recipiatur: & calefactio eſt calor, ſed motus a calore editus non eſt calor, quoniam non eſt ejus eſſentialis & per ſe actio: eſt tamen calor, ut mobilis, non ut calor.

LXVI. Ad aliam dicimus vendentem eſſe in re vendita, quatenus vendita, & quatenus ipſe vendens, ſed non quatenus homo vendens: & Donatorem eſſe in dono, quatenus donator, non quatenus homo donator, & ipſam donationem eſſe alicujus eſſe donantis fluxionem: nam ſaltem ejus idea & voluntas, & vis in illo dono eſt, qua voluit & cogitavit & ſcivit dare: & cum quis donat abſque voluntate, eſt idea & vis in dono, & ſi neſcius, eſt ſola poteſtas, qua porrigit donum. At ſi neſcius, & nolens, & non per manum ſuam dat; ille non agit, ſed patitur ſui oblationem; quoniam in re data erat voluntas ejus, ut ſibi remanens: & rapitur, & perditur ab alio, ſicut eſſe caloris in ligno ſubripitur a frigore. Sed quia hæ ſpirituales ſunt actiones, factæ per corporalia inſtrumenta, quæ remanent in alio, & vis, per quam fiunt, non apparet ad ſenſum noſtrum, videntur nobis differre; cum tamen

men non differant, nisi in modo existendi, vel sicut respectivum ab absoluto partim vero subjecto.

Patet quoque, ædificationem non esse ipsum ædificatorem, sed ideam ædificatoris effusam paulatim: quam si subito posset effundere & communicare, non appareret distinctio inter fluentem ideam, & effundibilem. Mox vero in ædificato differt numero ab idea ædificantis, quoniam aliam fortitur materiam, qua dempta, erit eadem. Nec Peripatetici hoc inficiari audebunt, qui universalia abstrahunt ex multis materialibus individuis, & unitatem faciunt ex pluralitate.

LXVII. Generationem esse ipsum generantem, recte dici potest, quoniam in generatione non fit solius ideæ communicatio, sed totius esse: & sicut calor effusus, est ipsa calor sese effundens (juxta nostra principia), & genitus calor est generans calor, donec per materiam & locum segregentur: ita generans homo est genitus ipse causaliter. Siquidem semen & spiritus deciditur ab animali ad aliud animal formandum: quod non fit subito, sed paulatim ob dictas tres rationes: sed si fieret subito ex homine homo, ipsa factio videretur homo & ipsum factum: sed semper incipit numero diversificari per factionem, donec totaliter diversificetur per factum esse, quoniam recedit a sua causa, cum qua tamen convenit semper in essentia, sed non in existentia. Sed quia materiæ & agentis fit segregatio in mistis debilibusque entibus, & materia recipit citius divisionem, ideo apparet diversitas major in generatione istorum, quam in generatione caloris & frigoris, & simplicium: sed palam est introspicienti, generationem esse ipsum generans; nec differre, nisi sicut totum & pars, & ut a se, & non a se, & ut idem fluens, a se non fluente. Manifeste quoque tota idea communicatur in his, licet non tota materia: nam in genito paulatim tota comparet: & sic differentia, & unitas patent in istis & in illis.

Instrumenti quoque forma manet, sed quatenus concurrit aliqua principalitate, ut pennæ tenuitas in tenui charactere, & sigillum in sigillato; sed idea est sigillantis. Ita & Dei est omnis idea, & utitur causis secundis tanquam sigillis ad sigillandum: sigillatum autem non differt a sigillo, nisi penes materiam & accidentia sibi in illa succedentia.

LXVIII. Ad id, quod reputabatur inconveniens de Creatore, dicimus, verum esse, quod creatio activa est ipse Creator; passiva vero est res creata, quæ non est Deus, sed participatio Deitatis; & hoc ideo, quia creaturæ non possunt totam deitatem Creatoris participare; non autem quia Deus non potest seipsum totum communicare: & quidem in quo se totum communicat, est Deus & qui communicat, & qui recipit, si ita balbutire licat: & Arcanum Trinitatis & unitatis in Deo ex his tantisper olfacimus: & in eo perfecte est idem agens, actio & actum; generans, generatio & genitum: & ab eo habent creaturæ, ut aliquo modo sit in ais generans, generatio & genitum idem essentialiter, sed non numero, nec totali essentia, nec modo existendi, nec solis relationibus, facta separatione, sed entitatibus.

LXIX. Quod attinet postremum de intellectione & intellectu, agemus suo loco. Interim adverte, quod Deus seipsum intelligat intellectione essentiali, & originali sui ipsius, dicendumque cum D. August. intellectum intelligentem & intellectionem in Deo nihil differre. Et quia Deus non intelligit alia a se, nisi intelligendo seipsum; non autem econtra, sicut creaturis evenit, & Deus nihil intelligit nisi seipsum per se, & non per accidens & reflexe, sequitur quod in eo semper, & omnium intellectio, & intellectus & intelligens sunt unum. Et quidem Deus intelligendo alia, causat illa, & intelligendo se, causat se, si ita loqui licet, more Græcorum Theologorum: nam potius dicendum est, communicat se sibi, & generat sui Ideam VERBUM, & Veritatem. Camp. P. II Met. Lib. 6. cap. 6. art. 9.

TRACTATUS III DE AERE ET AETHERE.

I. DE Aere, qui inter vulgaria 4 Elementa numeratur, hoc loco agimus, juxta ordinem alphabeti, cum alias ad Tract. 23. de Elementis pertineret. Et quia affinitatem maximam habet cum æthere, qui nil aliud quam aer subtilissimus, aut potius igneum quid esse videtur, & de hoc disseremus. Primo quæ sit eorum natura seu essentia: secundo de præcipuis utriusque proprietatibus.

II. Quær. 1. Quid sit Aer? Resp. 1. cum P. Athanasio Kirchero Itiner. Extat. II. Dial. 2. pag. 576. Aeris Elementum, juxta sacra Eloquia, nihil aliud est, quam quædam humidi perpetuo evaporantis subtilissima & spirabilis substantia, quæ in omnes Mundi vel penitissimos recessus expansa omnia Mundi corpora penetrat. Resp. 2. cum P. Aloysio Kimmet, Aer est Elementum fluidum, rarum, maxime pellucidum, spirabile, particulis tenuibus, lanuginosis, flexibilibus, plumulosis, cum aliqua tamen rigiditate, & a se invicem perpetuo motu disjunctis, & vim elasticam habentibus, constans, quod Terram, quam circumfluens ambit, determinat in globum. Resp. 3. Clarius cum P. Ioan. Bapt. Ptolomæi, ad captum vulgi, nomine Aeris, intelligitur Liquidum seu liquor ille spirabilis, in quo degimus, quique Terræ globum circumambit, & atmosphæra Globi Terraquei dicitur, Estque velut Emporium commune, ubi Cœlum & Terra exercent commercia perpetua, inde per influxus, hinc per effluvia. Non est ergo corpus simplex, sed mixtum, non tam Elementum, quam elementatum, ut suo loco demonstrabimus. Cum autem nec sub oculos cadat, nec seorsim, ut cætera Elementa, spectari possit, aut vasis distillatoriis contineri, illius natura & vires magna ex parte nos fugiunt: nisi quod nostra hac ætate illius pondus, illius vis elastica, qua sc. pressus sese explicat & evolvit, imo & pleraque alia permagni usus, tum ad respirationem, tum ad vegetationem corporum sunt observata diligentius, de quibus nonnulla libabimus.

Cæterum ambigitur, num aer distinguatur ab æthe-re

re seu substantia illa subtili, num etiam ab exhalationibus & vaporibus: sed adnotato discrimine aeris puri ab impuro, censeo aerem purum a vaporibus distingui: quia vim elasticam talem & tantam habet aer, qualem nec vapores aquei, nec fumi terrestres aut exhalationes, uti neq; aqua: nam extendi aut comprimi aqua non potest eousque quo aer, qui ex observatione D. Mariotte extenditur ad spatium quatermillecuplum. Gravitatem autem aeris accurate ponderantes Abraham Ioannes Kuffeler Londini A. 1688. & Sturmius Germanus A. 1676. deprehenderunt esse gravitatem aeris ad gravitatem aquæ ut 1. ad 1300. Distinguunt porro aerem in crassiorem & subtiliorem, utrumque tamen elasticum, & communi nomine aeris designatum: Nihilominus distinguitur ab æthere seu substantia illa subtili elemento astrorum. Nam utrum elasticus sit æther, ambigitur, de quo alibi. Cæterum sine æthere difficulter expediri potest rerum natura a Vacuo, nisi enim substantia subtilior aere elementari ponatur, exponi non potest quomodo non relinquatur spatium vacuum in machinis Torricellianis & similibus.

IV. Illud quoque notandum, illud, quod circa nos est, fluidum ex triplici potissimum materia constare, vid. ex aere crassiore, qui ultra infimam regionem seu Atmosphæram non attollitur, qui utique aer pondere non caret suo, & vi pollet elastica, utpote conflatus ex terræ, aquæ & aliorum corporum particulis, nec vitrum, nec solida corpora quæque penetret. Alius est aer longe subtilior & penetrans, quique cum crassiore, fere ut calx cum arena, miscetur: Ingens illius esse pondus, atque ex eo forte firmam corporum adhæsionem, imo & vim elasticam duci, in immensum quoque spatium extendi, quidam opinantur.

Vterque hic aer substantiæ ætheræ innatare creditur, & cum ea, fere ut calx cum arena, permiscetur. Crassi aeris certum esse pondus ac facile definibile suppono: sed purioris aeris longe majorem vim esse, nec suo pondere carere.

Iam quæ sit aeris natura, ex quibus particulis aut atomis sit confectus, calidus sit an frigidus, humidus an siccus, poros habeat penitus inanes, an plenos subtiliore corpore, unde vis illius elastica oriatur, gravis sit an levis, & alia hujus generis plurima in controversiam venire solent. Atque hic, quod ubique fere accidit, quod sibi libitum est, unusquisqua fingit, & principiis suis accommodat. Nos nulli Sectæ Philosophorum, & maxime recentiorum addicti, quæ nobis verosimiliora, & observationibus magis consentanea videbuntur, attulisse contenti, liberum cuique judicium relinquimus. Itaque

V. Videtur nobis. 1. Aerem terris circumfusum non ex solis vaporibus & fumis componi. Colligitur id ex vi elastica, quæ in aere plurima est, uti plurimis experimentis constat. Sic in folliculo inflato, quo pueri solent ludere; in sclopeto pneumatico, ubi aer compressus tanta vi globum plumbeum emittit, quanta fere sclopeta usitata, imo si fides Honorato Fabri, etiam pulveris sulphurei accensi vim superat; item in artificiosis fontibus, ubi aer pressus aquam sursum ejaculatur, ut alia omittam infinita, adeo est manifesta, ut nullo modo negari possit. Sed ea vis resistendi seu elastica, qualis est in arcu tenso, nulla pene est in fumis aut vaporibus, ergo hujus, quem spiramus, aeris partes, quæ flexiles sunt & tensæ, aut pressæ sese evolvere moliuntur, aliud quiddam sunt præter vapores ex respiratione aquarum, ut loquitur Tullius, aut fumos ex terrenis corporibus exhalantes.

VI. Verum enim vero unde vis illa elastica, quæ in aere est plurima, oriatur & proveniat, dictu est difficillimum. An forte aer velut ex filis instar lanæ constat; atque hæc fila ab incumbentis aeris mole comprimuntur; sed ubi gravi hoc pondere, aut alia pressione soluta sunt, tum ut lanæ filamenta sese explicant? Rem ita esse cum multa persuadent, tum illud maxime, quod in vulgari circa inane experimento, aut in machina pneumatica, vesicula piscis, aut agni ligato collo, & pene vacua, tubo aut vitro imposita, postquam exhaustus est aer (crassior,) sponte sua intumescat, & plerumque vesicam disrumpat: quod plicatiles aeris fibræ, licet perpaucæ relinquantur, ab incumbentis aeris pondere jam liberæ sese in amplius spatium explicent.

VII. An potius, ut videtur Cartesio, minutæ aeris particulæ ex tertio Elemento (de quo in Tract. 23. de Elementis) prodeunt? cum sint aquæ corpusculis longe tenuiores, secundo Elemento quasi innatant, & subtilioris materiæ motu extenduntur: adeo ut aer nihil sit, præter tertii elementi particulas secundo innatantes & quasi volitantes. Quemadmodum ignis nihil est præter quasdam tertii elementi particulas primo itidem elemento innatantes, & ab eo celerrime circumactas. Phil. Burg. tom. 4. tract. 1. cap. 3.

Hinc aeris particulæ, non ut aquæ, corporibus adhærescunt, sed statim avolant. Vnde & facile comprimuntur, quod disjunctæ tertii Elementi partes globulorum cœlestium, aut secundi Elementi motibus obsequantur, iisque globulis expulsis densentur. Sed tamen cum illa velut capillamenta aeris, sese mutuo impediant, & expellant, atque a subtili corpore lacessita intestinis cieantur motibus, hinc fit ut vires suas intendant, quo majus occupetur spatium. Sic aer pressus, ut dictum est, aquas sursum jaculatur, & globos in tormentis pneumaticis magna vi emittit. Vtcumque ea res sit, id videtur manifestum, aerem cum vaporibus & fumis confundi non oportere.

Sed, ut supra jam tetigi, merito quæritur, an præter eum, quem spiramus aera terræ circumfusum, & vi elastica instructum, adhuc subtilius corpus seu æthera admitti oporteat?

VIII. Miror ausum fuisse Honoratum Fabri tom. 3. tract. 5. Lib. 2. de Elementis. Prop. 219. negare, dari Æthera distinctum ab aere puro, nisi quæstionem faciamus de nomine. „ Quidam recentior, inquit, præter quatuor Elementa, contendit dari aliam substan- „ tiam longe subtiliorem & incorruptibilem, sine qua „ putat multos effectus physicos explicari vel intelligi „ non posse v. g. rarefactio & condensatio, compressio „ & tensio, soni & luminis diffusio &c. imo ad hunc „ æthera confugit, ut solvat argumentum illud, in gratiam vacui petitum a Mercurio, per fistulam descendente in machina Torcelliana: sed profecto, inquit Faber, nisi alio argumento positivo æther ille distinctus probetur, nunquam a me admittetur: dicam enim, æthera nihil aliud esse nisi purum aera, nostro huic, quem spiramus, aeri admixtum; imo juxta Ven. Bedæ dictum, æther est superius aeris spatium, in quo sidera ferri perhibentur: & vero nullum medium ad id muneris aptius est. Ridet idcirco Fromondum,

qui vult totum illum aera, quem æthera vocamus, & in quo astra moventur, spiritu calido scatere & effervescere. Si huic opinioni subscribere velimus, negandum est, omnem prorsus aera extrahi posse ex recipiente, sed a Deo certum præfixum esse terminum naturæ aeris, ultra quem rarefieri aut condensari naturæ viribus non possit: adeoque vacuum non dari eo casu, non, quod æther de novo subintret per poros, sed quod jam ante permixtus aeri ibidem fuerit & remaneat. Miror, inquam, unicum tantum Recentiorem a Fabro adduci ætheris adsertorem: cum legam apud Anonymum Phil. Burg. tom. 4. Phil. Reg. Tract. 1. Phys. Gen. non modo Cartesium, sed & Platonem, Aristotelem & veteres fere omnes substantiam quandam aere subtiliorem admisisse, quæ omnis motus esset Opifex, quamque ætheris aut ignis nomine donarunt. Quorum mentem pulchre explicat novissimus Scriptor Ioann. Bapt. Ptolomæus in sua Philosoph. Mentis & sensuum peg. 376. pag. vero 529. hæc habet: Aer quamvis purus, distinguitur ab æthere seu substantia subtili, vel Elemento astrorum. Vtrum elasticus sit æther, ambigitur: causam esse omnis elaterii nonnullis creditur: illud vero inprimis postulandum, motum ætheris localem non esse juxta legem gravium, sed ut ignem peripatheticum, aut sphærice moveri, aut per totum Vniversum motu quodam accommodato juxta determinationem corporum incurrentium agitari. Nos hac de re fusius agemus Tract. IX. de Anima Mundi. Modo proprietates Aeris communis per qq. seqq. expediemus breviter.

IX. Quær. I. An recte dicatur Aer humidus in summo, & calidus in excellenti, & quid sentiendum de definitione Humidi & Sicci ab Aristotele traditis. R. ad 1. cum Io. Bapt. Ptolomæo, distributionem illam in scholis tritam nil esse aliud, quam Elementis dare Provincias (ut olim Tullius ajebat Lib. 1. de finibus) & optare magis quam philosophari. R. ad 2. Nisi Peripatetici adeo superstitiosa religione suo essent addicti Aristoteli, jam dudum ineptas illas definitiones Humidi & Sicci rejecissent, vid. Humidum est, quod facile terminis alienis, difficile suis terminatur, hoc est, Humidum vocat Aristoteles, quod facile ab alio corpore terminatur, circumscribitur, definitur, & figuram omnem facile induit, quam tamen non servat, nisi ab extrinseco aliquo corpore contineatur. Econtra siccum vocat, quod facile suis, difficile alienis terminis continetur. Quas definitiones si tueri velis, non solum aera, sed & aquam, & ignem, & metallum fusum seu liqoefactum, & omne fluidum, etiam Mercurium seu hydrargirum humida dicas necesse est: econtra glaciem, nivem &c. sicca fatearis. Distinguenda porro erunt humidum, & madidum seu udum; siccum & exsuccum, Dialectus vulgaris a Peripatetica; madidum, humectum, udum. Humectum dicimus, quod totum humore dilotum ac imbutum est, humidum vero ab humore distinguitur. v. g. glacies non poterit dici humida, licet multum humorem habeat: igitur humidum ab humecto distinguitur. Item distinguitur a madido, cui tantum humor secundum soperficiem inest; sed humiditas ab humore distinguitur, igitur & humidum a madido: & vero humectum aliquid esse potest, itemqoe madidum, quod facile suis terminis contineatur, ut spongia, gypsum humore dilutum &c. Quod autem siccum ab exsucco distinguatur, patet: nempe exsuctum est, quod caret homore & succo, sed aliquid siccum dici potest, licet humore & succo non careat, ut lignum, glacies &c. nempe in acceptione Peripatetica: passim autem siccum & exsuccum pro eodem habentur, & sanius.

X. Quær. 2. Quid de tribus Regionibus aeris, in quas distribui solet a Philosophis, censendum? R. cum Hon. Fabri, nihil certi, saltem accurate definiri circa illas posse. Quamvis nil magis tritum sit apud scholasticos, quam dicta divisio, quarum infima Regio calidum & crassum aera continet; media frigidum, suprema calidissimum & subtilissimum. Equidem tractus infimus aeris æstate calidior est, quam superior, qui statim ipsi succedit, quia sc. multæ ignis particulæ infimo aeri insunt, quæ sc. vi æstus e globo terrestri educuntur: addi potest reflexio radiorum solarium in superficie terræ facta. Interim cum hyeme aer infimus sit frigidissimus, & in media regione semper torpeat; de suprema vero aeris plaga nihil nobis constare possit, palam est, aera, si quem habet calorem, hunc vel a lumine solis reflexo, vel ab igneis exhalationibus mutuari. Sed qualis est aer ex natura sua, detracta omni exteriori causa? Autor Philosophiæ Regiæ Burgundicæ ait, certum esse, quod natura sua frigidus potius sit quam calidus: sed velim audire hujus rationem. Thomæ Campanellæ contrarium placet, sic enim docet in Metaph. P. II. Lib. 6. art. 5. Aer non videtur posse poni frigidus, ut Stoicis Cardanoque placet. Frigoris enim est condensare, & constipere & comprimere molem, quam corripit regnatque: Aer autem tenuis est: attenuatio autem est opus caloris, ergo calore informatur aer. Item aer generatur a calore attenuante, ergo calidus est. Ita nec frigoris sedes Aqua est, ut Empedocli & Arist. videtur. Vide Tract. X. de Aqua. Ratio est, quia & ipsa alba est, transpicuaque & mobilis, liquida mollisque natura: albedo autem est facies caloris, motus vero operatio.

XI. Insuper infimus aeris tractus sive Regio, hyeme perfrigidus est, ut experimur; imo frigidior superiore, quia licet in superiore nives concrescant, idem tamen accidit in inferiore; imo dicere ausim cum Hon. Fabri, totum illum tractum aeris, in quo nix concrescit, ad infimam Regionem pertinere: nempe nix in toto illo, nisi ex aliquo accidenti, notabile frigoris discrimen est; cum etiam juxta ipsam Terræ superficiem, nix & gelu concrescant & cuncta rigescant, præsertim ubi brumalis nebula terræ incubat. Sed statim

XII. Quær. 3. Quanta sit ergo infimæ Regionis hujus altitudo? R. In hoc puncto Autores varii ita variant, ut nihil certi ab iis statuatur. Sunt enim 1. qui dicant, Infimam Regionem esse illam, intra quam radius solis reflexus diffunditur: sed si hoc esset, ad firmamentum usque porrige..tur, cum eo usque radius reflexus diffundatur, unde sc. Terra videri potest. 2. Aliqui Infimæ Regionis terminum ibi statuunt, ubi radii reflexi vis insensibilis est, & nihil virium directo radio ab illo accedit, ut vult Fromondus explosus ab Honorato Fabri, quocum sentio, & R. quod infima Regio in æstate illa est, in qua multæ ignis partes colliguntur, quarum vis efficit, ut partes vaporis vel humoris sursum avolent, quia sc. magis rarescunt; nec enim ignis particulæ suis filaminibus implicatæ, tam facile expediri vel explicari possunt, ut sursum ascendant. Quousque vero pertingat, nemo est qui certo dicat:

dicat: unum saltem dico, supra quingentos passus attolli, cum etiam montes suam partem æstus sentiant; igitur ad mediam Regionem, quæ sc. æstate frigidissima est, non perveniunt, licet 500 passuum altitudinem longo superent intervallo. Hyeme vero infima Regio cum secunda pene confunditur, est enim illa, in qua nix coocrescit & geln, & pruina, & nubes satis humiles discurrunt, unde vix terminum altitudinis assignabis. Resp. 3. Media Regio in æstate frigida est, quia sc. partes humoris eo ascendunt, relictis in inferiore partibus ignis. In hae tunc fiunt grandines, quod summi frigoris signum est. Quousque vero extendatur, quis dicet? cum summi montes nive albescant, qui tamen ad notabilem altitudinem suos vertices erigant, quæ tamen certo definiri non potest.

Dices. In vallibus & tractibus terræ humilioribus nix citæ liqnescit, cum tamen in supremis montium verticibus intacta diu perseveret. Ergo evidentissimum signum est, mediam regionem etiam in hyeme esse frigidiorem. Resp. In vallibus multam fieri radiorum reflexionem, quæ calonem intendit. Præterea major est vis nivis in verticibus altissimorum montium, atque liquationi plus resistit. Deinde non negamns, quin juxta superficiem hnmilioris terræ sit major calor, propter partes ignis erumpeotes. Præterea australis venti vis, qui deorsum tendit, nives in depressa valle seu planitie facilius liquefacit, quam in apice altissimi montis. Ob quas rationes solvitur objectio.

XIII. Quær. 4. Vtrum aliqni montes mediam regionem aeris snperent? Resp. Negative, licet aliqui ad notabilem altitudinem assurgant, ut Atlas in Africa; Æthna in Sicilia; Tenariffa in Canaria; Alpes in Italia, &c. nullibi enim videas supremos montium vertices, qui vel fulmine noo tangaotur, vel grandine non verberentur, vel nive non canescant. Ita P. Hon. Fabri. Si opponas Montem illom in America, quem Pariacacam vocant, qui dicitur assorgere ad supremam aeris regionem, cum ibi aer, teste Iosepho Acosta, tantæ sobtilitatis sit, ut respirationi minus aptus sit, nauseaque inducta stomacho, eum ad vomitum provocet: respondet, ob hoc ipsum non esse adeo tenuem aera, sed potius crassum falso halitu foetum. Idem diceret forte de Olympo altissimo Thessaliæ monte in Græcia, cujus apicem a ventorum turbine & nubium grandine immunem farunt adeo, ut literæ in arena formatæ io annum sequentem imperturbatæ perseverent. Quod vero addit, aerem snpremæ regionis esse puriorem, subtiliorem, mediocriter frigidum, &c. & parum consequenter, & ex meris conjecturis dictum puto: quis enim experientiam cepit?

XIV. Quær. 5. An Aer sit corpus porosum? Ratio dubitandi est, quoniam experimentis constat, aera posse rarefieri & condensari: quod sine intromissione & extrusione corpusculorum intra poros corporis rari latentium fieri non posse autumant plures AA. cum Franc. de Lanis, Ariaga &c. quam sententiam tamen omnino falsam & minime peripateticam pronuntiat Honor. Faber Tract. 1. L. 3. de Raro & Denso, & egregia ibidem in calce libri refutat, quocum Resp. sine fundamento & ratione statui poros in Aere, ac Aqua aliisque liquidis humoribus. Probator: cavitates illæ in corporibus duris, puta lapide, ferro, ligno, vitro, &c. ideo admittuntur, quia partes illorum non possunt tam accurate convenire, coadunari, & sibi implicari, quin spatiola quædam relinquantur, sive vacua illa sint, sive æthere aut alio subtiliore quopiam repleta. Analogiam habemus in cumulo arenæ vel lapidum, &c. atqui corpora humida & liquida omnem figuram facile induunt, ac proinde eorundem partes & minima physica ita conveniunt, ut nullam relinquant cavitatem, nullumque porum: & vero, inquit Faber, ut ingenue fatear, nescio quomodo Philosopho Peripatetico in mentem venire possit, fingere poros in aere, & conclpere atomos in aere fluitantes tanquam in poris. *Dixi*, Philosopho Peripatetico; nempe alius saltem fingere & concipere posset vacuitates in aere, imo nisi vacoum fugeret natura, hoc dicere nullum absurdnm esset. Confirmatur: Si aqua poros haberet, in quibus nidularentur particulæ aeris, utique tanquam leviora extruderentur ilico a partibus aquæ gravioribus. Videmus enim, si vel flatu vel alio quovis modo, vel minima aeris particula in aquam subeat, illam statim assurgere, & ad instar lucentis gemmæ sursum extrudi, prout quæcunque levia truduntur sursum a gravibus. Nec dicas esse tenuissimas illas aeris partlculas, quia eo facilius extruderentur, esset enim minor resistentia.

Dicet nonnemo, si licet vobis ponere poros ln ferro & vitro, ergo & licebit mihi ponere in aere & aqua. Sed huic licet mibi negare consequentiam, ob palpabilem disparitatem: corpora siquidem dura vel sicca ideo habent poros, quia particulæ, ex quibus constant, non possunt ita convenire, quin relinquant aliquas vacuitates, aere vel halitn vel hnmore plenas: at vero particulæ aeris & aquæ, maxime puræ (eadem est ratio de aliis liqnidis) cnm facile omnem figuram induere possint, semper inter se immediate conveninnt. Quod in vitro agnoscamus poros, ratio est, ooo quidem ut per illos transeat lumen, quem in finem quidam volunt illos esse rectos præter morem aliorum pororum, quod mihi incredibile videtur, chrystallum v. g. crassissimam, totam tamen diaphanam, poros rectos & quidem longissimos babere, & per consequens cum undique sit perspicua, totam quantam porosam esse, non inquam, ut pateant fores lumini: (quod vel est pura qualitas, & ens incorporeum, aut certe corpus subtilissimum, seu profluvium tenuissimum, quod aera & aquam facile trajiciet, de quo suo loco,) sed ideo, quia observatum, qnod multi spiritus generosi etiam per vitrum subeant, igitur habet poros: imo cum in vitreo vase hermetice sigillato aqua rarescat juxta tuam sententiam, debent intrudi corpuscula &c. Præterea si vitrum careret poris, atque adeo sit maxime densum, igitur Mercurius, qui habet poros, juxta banc hypothesin, est enim liquidus, est minus densus, igitur minus gravis, quod experientiæ repugnat atque adeo rationi. Ita Hon. Fabri. Verum istud altiorem requirit indaginem, unde desumatur gravitas & levitas, & an densum idem sit quod grave, & leve quod rarum. Interim

XV. Quær. 6. An aer purior sit in hyeme an in æstate? Resp. quod in hyeme. Ratio est, quia ille aer est purior, qui a permixtione seu contagio aliorum elementorum liberior est; atqui hyeme liberior est, quia nemo dubitat, quin æstate major vis æstus solum urgeat, ac proinde majorem halituum vim educat, quæ ætheri admixta ipsum aera impnrum reddit. Porro halitus constat ex particulis humoris, ignis & terræ, plus minus pro diversa illius qualitate, vel ratione. Hinc

 non

non mirum est, si brumali nocte plures stellas in cœlo videamus, quam æstate, quia sc. aer defæcatior radios stellularum facile ad nos transmittit, quibus impurior liberum transitum intercludit. Adde quod hyeme pupilla explicatior est propter ambiens frigus, quod plurimum confert ad prædictum effectum.

XVI. Quær. 7. In quem usum a Natura destinatus sit Aer? Resp. præter plurimas utilitates alias, ad id præsertim muneris a Natura institutus est Aer, ut sit commune medium omnium Globorum totalium. Globum totalem appello, qui usum singularem seorsim ab alio habet, licet propter alium sit, v. gr. Terra, Luna, Sol, Planetæ, Stellæ, cœlestes Cometæ, globi totales sunt, licet alii omnes propter ipsam Terram sint, cui sc. famulantur. De Cometis tamen dubito an inter Globos prædictos numerandi sint. Itaque communi medio opus fuit summe tenui & fluido, ut facile omnem figuram induere posset, ac proinde sese accommodare, dum halitus excipit & cavitates omnes porosque corporum occupare; debet & facile esse mobile, ut cedat motibus corporum, ac sonos ventosque deferat; subtile, ut per meatus ad vitandum vacuum subire queat, ac facile penetrare; tenue, ut facile dividi possit in missiles particulas ad deferendum sonum; rarum, ut ab halitu & atomis facile dividi & permeari queat, prout odoris diffusio postulat; multæ compressionis capaci, ut recenti humori locum cedat; perspicuum seu diaphanum, ut in eo luminis & specierum visibilium, si quæ sunt a lumine modificato distinctæ, (de quibus alibi videbimus) diffusio fieret; spirabile, ut respirationi serviret; tantulum frigidum, ut auræ afflatua nimiam vim æstus temperaret. Hæc sunt medii communis attributa, hæ proprietates, quæ cum aeri probe conveniant, certe ad eum præsertim usum a natura institutus est, ut communis medii munere defungatur.

XVII. Reliquæ qualitates, quæ in aere sont manifestæ, ut vis elastica, gravitas & aliæ, de quibus suo loco. Sunt & aliæ occultiores, quæ effectibus magis, quam ratione ipsa dignoscuntur. Videmus enim sæpe evenire, ut aer nobis circumfusus & gravis (qui atmosphæra seu vaporum sphæra dicitur, cui similem Planetis cæteris quoque merito tribuimus,) citra manifestam causam gravior appareat; ut in Barometro (quod sc. aeris gravitatem dimetitur) identidem cernimus, neque id aliunde proficiscitur, quam ex turma profluviorum seu halituum repente ex Terraqueo prorumpentium.

XVIII. Est insuper Aer fertilissima officina diversarum rationum seminalium & Idearum, non minus ac Terra & Mare. Hinc illa vis aeris adeo dissolvens, qua ferrum & cuprum exedit, eaque in rubiginem aut æruginem convertit, ex iis ducitur effluviis, quæ plerumque sunt salina & nitrosa. Unde Agricola, diligens Fossilium examinator, testatur, & experientia ipsa confirmat, terram nitrosam aut aluminosam, imo & vitriolicam aeri expositam, nitro aut alumine aut vitriolo, quibus fuit orbata, iterum impregnari: sive sales illi ex suis velut seminibus per mutationem quandam prodeant, sive ab aere attrahantur, aut quiddam sit in aere, quod in varias rerum naturas facessat. Utcunque sit, id unum constat, eas esse in aere vires, quibus vitam animalium fovet & tuetur.

XIX. Quær. 8. Quid aer conferat ad respirationem animalium? Resp. Cum respirationis finis sit, ut fuligo, quæ ex corde in pulmones traducitur, inde adducti extrusique venti opera abigatur: tum ut sanguinis per pulmones circuitum promoveat, adeo ut pulmones sint velut sanguinis torcularia, cum in ipsa respiratione e vasis sanguineis compressis, sanguis quasi exprimatur: contra in exspiratione in eadem vasa sanguis e corde impellitur. Sic vasis sanguineis identidem pressis & dilatatis motus sanguinis jugis est & celerior: ut in corporis habitu, ex levi musculorum contractione sanguinis circulatio promovetur. Hinc quando secatur vena, sanguis liberius fluit, si brachium extendatur, aut baculus manu contrectatur & volvitur, quo motus musculorum adjuvetur.

Illud quoque satis videtur probabile, puriorem & vitalem auram partim in pulmonum vesiculis retineri, partim in capillaria vasa adigi, partim tenuem & porosam pulmonum tunicam penetrare & thoracis implere cavitatem. Hinc aer fluiditatem sanguini & colorem coccineum conciliat. Nam ad fluorem duo requiruntur. Primo, ut partes corporis fluidi sint exiguæ, attritæ & divisæ, tum ut in perpetuo motu versentur. Hunc motum in liquoribus subtilis aer efficit. Cum itaque sanguis ex partibus constet heterogeneis, ut qui ex variis alimentis prodierit, ac diversis partibus alendis serviat, non dubium est, quin aerem secum vehat ut cæteri liquores, qui in machina pnevmatica ob eam rationem solent ebullire. Hic fluorem sanguinis tuetur, & obstat, ne dissimiles adeo partes inter se cohæreant. Hinc vario & jugi motu cientur, ut partes quædam ex crudis & fixis fiant volatiles. Accedit etiam in aere esse partes quasdam nitrosas, solidas & penetrantes, quæ vasa capillaria subeunt, & sanguinis motum concitatiorem efficiunt.

XX. Hic solum quædam experimenta subjungo de varia animalium respiratione juxta diversos aeris status, in machina pnevmatica ab Ill. D. Boyle & pereruditо D. Papin. relata in Phil. Reg. Burg. Sed

Præmittendum, animantes occlusis receptaculis sic impositas fuisse, ut ipsa receptacula vel communi aere plena essent, vel compresso, vel rarefacto & pene exhausto, vel aere tantum factitio & artificiali implerentur. Aer factitius vocatur, qui producitur, cum Recipienti exhausto aut fructus, aut massa farinacea, aut caro etiam imponitur: tum enim novus prodit aer, qui hydrargyrum tubo conclusum attollit. Illud vero est observatione dignum, quantum aeris fructus, caro, massa farinæ aqua inspersa, & alia hujus generis, tum in vacuo, tum in communi aere procreent: adeo ut pisa viridia tantum aeris producant in vacuo Recipiente, ut intra 24 horas Mercurium ad 30 digit: altitudinem attollant: in hoc aere limax positus, multum se commovit & despumavit, & 6 minutis elapsis immotus apparuit, eductus tamen convaluit. Hinc licet conjicere, aerem artificialem ex variis corporibus eductum non æque esse animantibus perniciosum, ut patebit ex subjungendis.

Illud quoque experimentis compertum est, perpaucum aerem e fructibus exsiccatis educi. Quædam plantæ aut fructus, cum putrescere incipiunt, jam totum pene suum aerem præbuerunt: sic dissecta brassica intra 5 dies Mercurium ad sui indicis apicem in vacuo recipiente extulit; tum libero aeri exposita per duos dies, & corrupta, iterum vacuo recipienti imposita, perparum aeris dedit.

Verum illud pene incredibile, quantum aeris ex aliis

fructibus, ut ex pyris, cerasis, uvis, pisis, non exhausto aere procreatur. Sic pisa recentia cum uvis passis & tritis aqua permixtis in recipiente posita, intra 30 dies Mercurium ad 140 digitorum altitudinem extulerunt: sub finem liquore pisis erupit, & accipiens tandem in frusta dissiluit. Uvæ crudæ Recipienti vacuo impositæ longo temporis tractu suum aerem præbuere. Intra primum mensem Mercurius ad 40 digitos ascendit; post 4 menses, jam ad 70 digitos ascenderat; anno exacto uvæ integræ apparuerunt. Ex pyris dissectis in vacuo positis tantum aeris erupit, ut Mercurium intra duos menses ultra 100 digit. altitudinem sustulerit. Nunc audiamus, quantum conferat aer animantium vitæ.

XXI. 1. Duo mures aranei duobus Recipientibus iisque æqualibus simul impositi fuerunt: tum vas alterum communi duntaxat aere plenum rite obturatum fuit: sed aer in alterum recipiens ita vi adactus est, ut hydrargyrus ad 20 digitos ultra solitam altitudinem assurgeret. Qui in communi aere positus fuerat, per 24 unius horæ minuta vixit, cum alter per 6 horas & amplius respiraverit. Qui in communi aere conclusus fuerat, nonnihil aeris consumpsit; nam Mercurius ad 29 digit. Anglicorum altitudinem descendit, qui recluso vase ad 30 digitos, ut ante, evectus est. Idque aliis experimentis compertum est, viva animalia vasis conclusa nonnihil aeris absumere, aut certe illius elaterium infringere; cum animalia mortua multum aeris factitii procreent, & Mercurium plurimum attollant.

2. Duæ ranæ similiter duplici Receptaculo conclusæ diutius vixerunt; quæ in communi, nec densato aere degebat, quatuor dies, altera 5 integros vixit.

3. Mus araneus sclopeti pnevmatici Recipienti impositus, aere ad vicesimam loci sui partem redacto brevi interiit. Sed aere septies magis densato, quam ab athmosphæræ pondere, mus per 24 minuta unius horæ, longa tamen ducens suspiria vitam produxit, & extractus convaluit; adeo ut nimia aeris compressio animalibus lethalis videatur. Sed tamen nonnihil compressus sæpe salubrior est, quam communis aer & inclusus. Sic avicula Recipienti imposita cum male se haberet, intruso aere, adeo ut Mercurius ad 30 digitos ultra solitam altitudinem ascenderet, statim convaluit: cum deficeret, iterum aer vi intrusus est, dum Mercurius 45 digitis altior fieret, tum iterum sanitati restituta est avicula, & aperto recipiente bene habuit.

Iam illud satis est pervagatum, animalia in vacuo, seu in Recipiente, cujus aer est exhaustus, brevi interire. Insecta quidem ibi diutius vivunt. Sic papilio tres horas, antequam motu omni privaretur, in vacuo perstitit, ac novo aere inducto, motum & vires recuperavit. Limaces duo, exactis horis duabus, immoti jacuerunt: post 6 tamen horas exempti tandem moveri incœpere. Alia rana post duas horas in vacuo interiit. Acetum vermiculis, seu minutis anguillis fœtum vacuo inclusum fuit; vermiculi omnes post 4 fere dies interierunt: adeo ut his animalculis aer quoque necessarius videatur. Potuisset tentari idem in pisce una cum aqua imposito, utrum & hic aere opus habuisset ad respirandum? In aere factitio non diu vivunt animalia, neque is vitæ fovendæ aptus videtur. Sic apis vacuo imposita, simul & acetum stillatitium, cui exhausto aere additum est corallium in pulverem comminutum, aerem produxit, sed nihilo magis apis sese commovere potuit, dum libero aeri exposita motum amissum recepit. Sic muscæ prius in vacuo immotæ in aere rarefacto volitabant; non item, cum aer factitius e fructibus admissus fuit; sed in eo brevi moriuntur, quod aer artificialis vitæ animalium infestus sit. Sic ignis statim extinguitur, cum aer tantum adest artificialis, vi tamen elastica donatus. Plura vide apud eundem Anonymum in Phil. Reg. Burg. tom. 6. pag. 262.

Unicum his addo. Cum aer plus æquo rarus est, ut in excelsis montium jugis, aut in machina pnevmatica, tum vi sua elastica exutus, nec pulmonum vasa satis comprimit, nec sanguinem promovet. Contra ubi est crassior, uti in magna hominum turba, tum capillares asperæ arteriæ tubuli pene obstruuntur; nec purior aer cum sanguine permiscetur: ut iis accidit, qui in fodinis diutius morantur; hinc facilior est respiratio aere sereno, quam turbido.

Qui infirmo & angusto sunt pectore, his fere omnibus ventus borealis est infestus: hic enim tussim frequenter; peripnevmoniam interdum & pleuritim procreat; vel quod perspirationem inhibeat; vel quod vasa pulmonaria contrahat. Cum enim ii plerumque acriore sanguine præditi sint, uberiorem perspirationem exigunt. Aer humidus & minime perflatus nulli est salubris. Quorum sanguis crassior est & fæculentior, hi puro & nitroso aere gaudent. Sed quibus sanguis subtilis est, tenuis, quique facile dissolvitur, & insuper pulmones habent molles, teneros & rarioris texturæ, iis crassus, sulphureus & fumosus aer est salubrior, quod sanguinem nimium subtilem incrassēt & figat. Unde tabes aut phthysis rarior est in iis locis, qui cespite pro ligno utuntur, ac sulphurea quæque, vel balsamum sulphuris, suffitus sulphuris & succini, quæque pectoralia dicuntur, phthysicis utiliter adhibentur, quod sanguinis, lymphæ & seri aciditatem inhibeant, & inopi ac jejuno sanguini succurrant, ut D. Willis existimat.

Hinc ut idem sapor uni gratus, alteri ingratus est: ita prorsus idem aer uni noxius est, alteri saluber: diversa enim est utriusque pulmonum & cerebri dispositio, diversus fibrarum plexus, ratione cujus utrumque idem aer diversimode afficit; hinc aliqui maritimo cœlo, alii montano, alii sicco, alii humido, alii calido, alii frigido gaudent; calido-humidus senibus saluber, at non raro junioribus noxius est. Hinc aer morborum aliquando medicus est & remedium; præsertim in iis morbis, quibus pulmones laborare solent: qui rariore textura sunt, aeris calidioris, frigidioris, ac subtilioris vim noxiam sentiunt, quia sc. frigidior & subtilior altius penetrat: calidior vero rariorem substantiam plus æquo afficit: gaudent econtra crassiore, cujus sc. rara textura capax est, quem tamen densior penitus recusat.

Denique quænam aeris conditio biliosis congruat, quænam melancholicis, quænam phlegmaticis, quænam iis, qui multo sanguine abundant, quænam denique singulis morborum generibus conferat, v. g. phthysicis, podagricis, hecticis, &c. vide apud Medicos.

XXII. Hoc certe omittendum non est, aeris conditionem ad ingenium plurimum conferre: licet enim sub omni cœlo homines singulari ingenio præditi nascantur, dubium tamen non est, quin plura ingenia cœ-

Iam talis vel talis conditionis foveat, aliud vero paucioris: patet hoc in partibus & regionibus Italiæ, Galliæ, Hispaniæ, Angliæ respectu Borealium Norvvegiæ, Sueciæ, Moscoviæ &c. Ratio est, quia,cum ingenii operationes organum supponant tali vel tali modo dispositum v. g. substantiam cerebri, aer inspiratus haud dubie plurimum facit ad hoc, ut fibræ illæ magis, vel minus flexibiles, ductiles ac dociles sint, motibus sc. excipiendis, imprimendis, traducendis &c. hinc aliquando facilior memoria, acutior inventio, paratior ac prudentior dispositio: imo ad motus appetitus non parum confert cœlum illud, sub quo nascimur, educamur ac vivimus, ita ut hoc cœlum biliosos faciat, illud phlegmaticos, aliud melancholicos &c. imo quod magis esse videtur, hæc regio fallaces & astutos, illa pios ac simplices, alia libidini & ventri addictos facit: scio quidem primæ educationi naturæ indolem multum debere, non est tamen dubium,quin aer multum conferat. Vnum addo, sub quodam cœlo argentum rubiginem contrahere, sub hoc ferrum, as sub alio. Quantum ligna patiantur ab aere extrinsece, nemini ignotum est. Sed de his satis.

De Æqnivocis & Analogis vide Tract. VI. De Terminis 45.

De Æternitate vide Tract. 22. De Duratione.

TRACTATVS IV
DE
ALTERATIONE.
SECTIO I.
QVID NOMINE ALTERATIONIS HIC INTELLIGAMVS.

I. SCiendum, Alterationis nomen significare generatim speciem motus seu mutationis. Hic autem terminus *motus*, magni momenti est in schola peripatetica, & designat idem ac moveri passive: & licet proprie loquendo de solo motu locali intelligendus esset, perinde tamen usurpatur, ut significet idem, ac quamlibet mutationem, inter innumeras autem mutationes est & *alteratio*. Mutatio autem sive motus definitur obscurissime ab Aristotele: *Actus entis in potentia, prout in potentia.* Sed hoc agemus in Tract. XXXVI. Hoc loci præmittere sufficiat, quod omnis mutatio vel est de non esse ad esse simpliciter: & hæc vocatur *Creatio*, in qua nihil subjicitur, quoniam producitur *esse* prorsus seu simpliciter: vel est mutatio de aliquo non esse in aliquod esse, & vocatur *Generatio*, quam Arist. partitur in *simpliciter* & *secundum quid*: si enim generatur substantia, est simpliciter *generatio*: si accidens, *secundum quid*. Quod verum est & recte dicitur, si τὸ *secundum quid* cadat super genitum; non autem super generationem. Nam de ratione generationis solum est, ut fiat, quod non erat, sive illud sit substantia, sive accidens, sive nobile, sive ignobile. Hoc sensu accipiendus est Aristot. dum ait 1. de gen. & corrupt. simpliciter generari Ignem, quia Ens; secundum quid Terram, quia non-Ens, ut dicebat Parmenides. At si cadat ly secundum quid super ly generationem, dicimus omnem mutationem esse generationem, vel simpliciter, cum totum esse rei mutatur in aliud, quod nondum erat: vel si disponitur tantum ad mutationem, & sic vocatur generatio secundum quid, quia non totaliter. Quapropter si ex calido fit frigidum, & ex nonhomine homo, fit generatio simpliciter: si vero ex calido fit tepidum, & ex homine puero vir, dicitur secundum quid. Itaque generatio secundum quid, est vere Alteratio. Simpliciter vero est complementum alterationis, quod vocatur alienatio. Fit enim aliud, non alterum modo, ut cum fructus maturatur. Omnis ergo mutatio est vel generatio, vel alteratio tantum. Sed hæc de nomine: nam alii & succinctius ita loquuntur: Fieri, inquiunt, non creative, dividitur in *generari* & *alterari*. Generari seu generatio passiva est, fieri totum substantiale, seu corpus naturale per productionem formæ,concurrent etamen materia suo modo, quo potest: hine dicitur generari ignis, minus recte autem, generatur calor: nam accidentis productio, proprie loquendo, non est generatio, licet quandoque confuse loqoendo ita appelletur: Itaque alterari, seu alteratio passiva (licet juxta barbaram etymologiam significet absolute, aliter se habere, quod est mutari,) accommodatitia tamen significatione, eaque latissima, significat fieri totum accidentale seu concretum: nim. per productionem accidentis concurrente subjecto v. g. calidum est totum accidentale ex corpore naturali tanquam subjecto seu materia, & ex calore compositum. Ita loqui placet Io. Bapt. Ptolomæo dissert. 2. Physico-metaph. num. 12. at parum congruenter Aristoteli, qui passim negat formam fieri seu generari aut produci, sed Compositum.

II. Tot autem sunt generationes (insistendo priori dialecto) & alterationes, quot sunt prædicamenta tam essentiæ quam existentiæ. Nulla autem fit generatio, nisi præcedente alteratione, dummodo non fiat in instanti, quod a finito agente non est forsan possibile. Generatio ergo substantiæ, vocatur substantificatio; generatio quantitatis, quantificatio; formæ, formatio; figuræ, figuratio. Coloris, coloratio; operationis seu actus, actuatio, actionis & passionis dicitur absque proprio nomine: generatio similitudinis, assimilatio; dissimilitudinis, dissimilatio. Localis motus, dicitur latio, & temporis mutatio, dicitur forte vicissitudo.

Verum in cunctis hisce mutationibus, subjicitur id, in quo fiunt. Non enim fiunt ex non-esse ad esse, sed ex aliquo non-esse, ad aliquod esse; illud autem non-esse, quod præcedit, annihilatur. Esse vero, in quo fundatur, corrumpitur: subjectum, in quo sustentatur, permanet: non enim fit mutatio inter duo, nisi propter aliquam communitatem, quæ remanet in utroque: & hæc est materia, & ideo omnis generatio est simul corruptio præcedentis esse, in quo erat nonesse sequentis, & generatio simul sequentis. Cum enim ex frigido fit calidum, corrumpitur frigus: annihila-

nihilatur non-esse caloris, & generatur esse caloris in substantia mole communi calori & frigori, & quidem ipsa moles subjecta dicitur alterari; est enim semper, sed sub altera forma; Compositum vero, vel forma dicitur generari & corrumpi. Cum enim ex aqua fit aer, alteratur materia communis, aeris vero forma generatur, & aquæ corrumpitur. Si autem aqua incalescat, & frigescat, dicitur alterari aqua. Calor vero gigni & corrumpi. Quapropter sicut se habet in transmutatione formali materia, sic se habet subjectum compositum in mutatione accidentium.

Vnde cum Aristoteles dicit, Generationem esse mutationem totius in totum nullo sensibili remanente, (alterationem vero remanente,) intelligi debet de toto eo, cujus est per se corruptio & generatio principaliter, non autem de adjunctis & affectis: cum enim generatur frigus, tollitur calor totaliter in aqua. Si autem remanet calor, & tepescat subjectum, dicitur alteratio aquæ, sed tamen frigoris generatio adest simul. Similiter & in aere. Non enim requiritur contrarii perditio, nisi qua tenus obstat alterius contrarii existentia. Non autem obstat, nisi quatenus illius non-esse in se continet. Si autem potest deleri non-esse sui, non deleto esse contrarii, utique generatio fit; ergo in vino & in aere generatur frigus, non deleto calore prorsus, sed deleto non-esse frigoris: veruntamen aer manet, sed alteratus, & calor perseverat, sed oppugnatus, impeditus & ligatus, ne possit valenter agere seque ipsum manifestare. Sed de hoc alibi, ubi de Reactione.

III. Propterea notandum est, quod alia est generatio simplicis formæ, ut caloris, (quem supponimus esse accidens absolutum;) alia est Compositi, ut ignis; alia est Decompositi, ut plantæ. Ergo alia insuper est generatio totalis & totius, alia partis. Potest quidem generari simplex activa forma seu qualitas in subjecto, non deleta contraria, sed remissa, ut cum generatur in aere calido frigus, per effusionem e terra in aerem, & hæc est vera frigoris generatio, & aeris simul alteratio tantum: sed Compositum non potest generari, nisi perdita forma præcedenti, ut cum ex aere fit aqua. Et cum triplex sit formalitas in Composito, altera vid. materialis, ut tenuitas in igne & aere: altera formalis, ut calor: & tertia forma totius ex his duobus resultans, ut igneitas & aereitas: ut ergo corrumpatur aer, oportet aereitatem destrui, hoc est, formam totius. Fit enim alterius rei generatio, etiam maneote forma partis, quod tunc verum est quando genitum & corruptum non carent symbolo: sic, ut fiat ex igne aer, sufficit, ut igneitas destruatur, id est, gradus suæ raritatis caloris, non autem oportet penitus destrui calorem. Aer enim calidus similiter est; oportet tamen alterari calorem, non destrui: si enim penitus perdatur, non fiet aer nec aqua, sed aliquod distantius. Similiter cum ex semine fit animal, remanet albedo seminis, & corpulentia, sed alterata, non autem penitus corrupta.

IV. Aliquando etiam sufficit ad corruptionem, si partes separentur, & forma proinde totius esse desinat, ut patet in hominis morte, ubi sola animæ, etiam servatæ, separatio facit corruptionem hominis: propterea quod humanitas, id est, forma totius perditur & totalitas, non autem alia hominis pars essentialis, sicut optime docent S. Ambros. & Iustinus, alioqui mors Christi non esset vere mors corruptioque: non enim corpus neque anima corrupta sunt, sed unio utriusque in unius Christi unitatem terminata & in Entitate tertia. Sed hæc spectant ad Tract. 27. De generatione. Redeamus ad nostrum propositum.

V. Omissis mutationibus intentionalibus & moralibus, agimus hic de mutatione physica & accidentali, hoc est, de accidentibus, quæ reddunt alteratum subjectum, hoc est, in alio statu sensibili, præsertim in ordine ad gustum, olfactum & tactum constituunt. Dantur enim quædam accidentia, etiam corporea, quæ proprie non inducunt alterum statum sensibilem corporibus. Qua tamen in re multum est de vocibus, loquendum tamen cum plerisque, qui motum localem, lucem, sonum, impetum, colorem dicunt non esse alterativa accidentia, hoc est, quæ mutent statum sensibilem corporis: secus vero calorem, frigus, humiditatem & siccitatem, odorem, saporem: propterea hæc postrema a nonnullis vocantur accidentia & qualitates corruptivæ; prima vero illa dicuntur accidentia perfectiva, adduntque, quod hæc non habeant contrarium. Sic loqueris, donec falsitas deprehensa mutare cogat loquendi modum, ut monet Ioan. Bapt. Ptolomæus.

VI. Consequenter Alteratio definiri poterit, quod sit motus ad qualitatem alterativam. Dixi *motus*, non actio, quia forte sine nova actione quædam alterantur, nihil autem sine motu sive transitu, a non-esse ad esse tale, vel a non-esse ad esse in subjecto. Dixi 2. ad qualitatem alterativam, hoc est, talem, quæ statum subjecti alteret & immutet sensibiliter respectu sensuum externorum, uti supra declaratum. Hinc non omnis motus ad qualitatem est alteratio: Nam posito quod dentur nonnullæ qualitates spirituales, v. gr. Gratia, vel Habitus fidei, hæ non sunt qualitates alterativæ, ut constat. Idem dicendum de nonnullis qualitatibus corporeis, puta de impetu, licet enim alicui mobili imprimatur impetus, certe propterea mobile non videtur esse alterum in ordine ad sensus nostros: nec quisquam est, qui censeat alteratum esse: equidem dicitur moveri motu lationis, non tamen motu alterationis; nec ullam in eo mutationem advertit sensus noster, sc. intrinsecam.

VII. Dices. Oculus observat in eo motum localem, sed motus localis est motio intrinseca. R. oculum in ipso nihil penitus videre, quod sit intrinsecum; nec enim proprie motum videt, sed ex diverso aspectu moveri judicat, aspectus autem dicit respectum ad locum extrinsecum, ratione cujus de motu judicamus: est tamen impetus, non simpliciter, sed aliquo modo qualitas alterativa, quatenus ex illo multæ sequuntur alterationes v.g. tensionis, mixtionis &c. Idem vulgo de Lumine dicitur, ut lumen est; licet enim, ut calor est, sit qualitas alterativa, non tamen ut lumen est: nemo enim, qui dicat, parietem illuminatum alterari. Vnde lumen recte dixeris esse qualitatem alterativam materialiter & realiter, non tamen formaliter, sive specificative sumptam, non reduplicative, hoc est, quatenus calor est, afficit tactum, quatenus lumen, visum.

VIII. Instas. Oculus a lumine alteratur, cum subtilissimæ retinæ fibræ mero luminis appulsu rarefiant. R. Id quidem verum est: usus tamen obtinuit, ut lumen qualitas simpliciter alterativa non dicatur, quæ est tantum in ordine ad tactum, lumen autem singularis alteratio esse videtur, nec enim modicum lumen, quod

quod retinam afficit, alia corpora sensibiliter rarefacit. Sed non est de nomine disputandum. Galli se dicunt alteratos, dum sitim volunt exprimere: item monetam adulteratam, pour etre alteré. Sat est rem intelligere; loquere ut voles. Nos hic sumimus qualitatem alterativam pro ea simpliciter, quæ afficit tactum, gustum & olfactum. Tametsi ergo lumen alteret retinam, adeoque secundum quid alterativa dici queat, non tamen simpliciter; quia non omne corpus illuminatum alteratur.

IX. Idem dicendum de coloribus, quatenus visum afficiunt: est enim eadem ratio de coloribus & de lumine: siquidem ex mutatione coloris objecti, in eodem lumine collocati, colligimus alterationem: sic ex pallore, rubore, &c. commotionem colligimus: pari modo ex luce majore vel minore, v. gr. ignis, qui parum ante lucebat, cum deinde idem magis lucet, alteratum & mutatum esse oportet. Igitur lumen & color, alterationis effectus vel signa esse possunt, non tamen simpliciter termini vel causæ.

Idem prorsus de Sono dictum sit, nec enim campana tantillum fracta, vel cui lana obducta est, quantumvis diversum a priore sonum edat, dicitur alterata: equidem diversus sonus, alterationis signum vel effectus nonnunquam dici potest: sic chorda æque tensa, quæ sonum obtusiorem edit, dicitur ab humore alterata: sic raucæ fauces ex ipsa voce alteratæ esse dicuntur & judicantur: idem dic de tympano militari humefacto, &c.

Verbo, Corpus, quod in novo statu sensibili ponitur, dicitur alteratum, v. g. cum ex humido fit siccum; ex molli durum; ex calido frigidum; ex liquido spirabile; dicitur alterari: cum sc. manet esse substantiæ, atq; advenit novum esse qualitatis, seu qualis. Porro ut sit novus status, non satis esse videtur, si nova qualitas simpliciter adveniat; nempe licet adveniat impetus, vel lumen, non dicitur sæpe corpus esse in novo statu: si tamen ex non lucido fieret lucidum, haud dubie nemo est, qui neget novum statum esse. Pari modo, si aliquod objectum per meram radiorum, quos terminat, projectionem, aliquo modo tingatur, non dicitur propterea mutare statum, quem tamen mutat, mutato colore in actu primo, quem certe sine alteratione mutare non potest, etiam in ordine ad alios sensus. Hinc bene monet Philosophus, subjectum alterari, cum ex nigro fit album; album inquam in actu primo: nam color in actu primo est sensibilis status.

Dices, est sensibilis visu, sed novus status, in ordine ad visum, non facit alteratum. Resp. Novum hunc statum esse non posse, nisi in ordine ad alios sensus. Vide Honor. Fabri Tract. 3. L. 1. de Color. Præterea corpus, quod ex non sonante fit sonans, non dicitur mutare statum sensibilem, secus tamen, si ex non sonoro fiat sonorum, vel contra.

Dices. Fissa campana ex sonora fit non sonora: non tamen dicitur corpus campanæ mutare statum. Resp. æs campanæ nullo modo fieri minus sonorum, secundum se; idem enim est; sed tantum ratione figuræ, quæ efficit, ut sonus in actu secundo melius edatur; nullo tamen modo mutatur sonus in actu primo.

SECTIO II.

De variis Causis Alterationis.

X. Dico. 1. Ex raritate & densitate multiplex sequitur alteratio.

Ratio est, quia dum corpus rarescit, vel exhaletur, vel concrescit, vel liquescit, vel induratur, utique sensibiliter status corporis mutatur: idem dico de condensatione. Imo juxta Arist. & priscos Philosophos, omnis mutationis opus fundatur in Rarefactione & Congregatione. Rarefactio autem & constrictio fiunt per frigefactionem & calefactionem, quæ sunt alterationes materiæ & generationis caloris & frigoris, vel insuper Compositi. Unde non videtur verum, quod motus localis præcedat omnes alterationes, uti Arist. putat, quando Democratizat. Nam nec moveri quidpiam potest, nisi prius incalescat, & quæ violenter moventur ab extra, vel motum habent extraneum calorem, vel potentiam non calidam, ut in Angelo. Quapropter præcedit alteratio in Angelo de nolle ad velle, & ante hanc est alteratio de non consideratione ad considerationem, quod ita facere sit bonum; & ante hanc, esse posse considerare, & actus potentiæ, ut potestatio, a quo mox facta deliberatione incipit effusio virtutis ad extra, per quam movet. Quapropter omnis mutatio corporum reducitur ad mutationem primalitatum, quæ per suas facultates respiciunt ad extra, & hi respectus & extensiones ad exteriores actiones vocantur *viæ* in sacris literis. Campan. Lib. 2. Met. cap. 8. art. 1.

XI. Dico 2. Sola mutatio ordinis & situs partium, aliquando alterationem inducit: patet, dum corpus ex diaphano fit opacum: si enim vitrum diaphanum teras, opacum evadit: quid porro in vitro de novo ponis, dum vitrum teris, & comminuis, nisi novum ordinem ac situm partium? nemo autem negat corpus illud alteratum dici, quod vel ex opaco diaphanum, vel ex diaphano opacum fit. Item cum ex albo fit nigrum, aut econtra, id fit solum mutato partium situ, ut videre est tum in vitro, tum glacie trita, tum in candida spuma; quæ ex atro nigrore concrescit. Ne quid dicam de aqua conglaciata, quæ non differt a liquida nisi uno partium situ. Adde, si vis, lævigatum corpus, quod ab aspero & scabro, diverso tantum partium ordine distinguitur, ergo.

XII. Dico 3. Etiam figuræ mutatio, in corpusculis seu particulis, ex quibus corpora constant, alterationem facit. Ubi tamen observa, non ex omni figuræ mutatione sequi alterationem: quis enim mollem ceram alterari dicat, si vel ex globo cubus fiat; vel mutes quadrata rotundis? Itaque tunc ex figuræ mutatione sequitur alteratio, cum partes insensibiles figuram mutant, quarum tamen tali vel tali modo figurarum collectio, seu quasi communis nisus, sensibilem affectionem imprimit; Perspicuum id est in odoribus, saporibus, imo & in coloribus, ne quid dicam de tactu ipso, qui tum asperitatem, tum lævitatem mollitiemque sentit, quæ certe ex una quadam corpusculorum figura pendent.

Quis enim neget striata corpuscula, denticulata, aspera, acuta, horrida longe alium sensum attrectanti manui imprimere, quam lævia, mollia, flexibilia, &c. Igitur dubium non est, quin ex figuræ mutatione in corpusculis alteratio sequatur, eo modo quo dictum est. Nec est quod aliqui velint, istud tantum per accidens esse, cum sc. ex mutatione primarum qualitatum figura corpusculorum mutetur, nam si fieri possit, ut citra primarum (ut vocant,) qualitatum mutationem figura corpusculorum mutetur, haud dubie

erit

erit alteratio. Vide Campan. L. 2. Met. c. 8. art. 2. pag. 250. L. P.

XIII. Sed quid dicemus ad Aristot. L. 1. de generat. c. 4. textu 23. ubi habet: „ Alteratio est, quando fensibile subjectum permanens, in suis mutatur „ affectibus, qui *aut contrarii sunt*, ut esse album vel „ nigrum; *vel medii*, ut esse rubrum, sicut corpus idem „ permanens, vicissim modo sanum, modo ægrum „ est: atque æs, quanquam idem, alias teres, atque „ rotundum est, alias anguli speciem præ se fert. Vbi vides, dari alterationem ad figuræ mutationem ex mente Philosophi. At vero L. 7. phys. c. 3. hoc expresse negat, nec enim æs in statuam conflatum dicitur alterari, cum nullam inde sortiatur appellationem, quippe æs alteratum dicitur, vel siccum vel humidum, &c. Conimbricenses (ut refert P. Honor. Faber,) L. 1. de gen. c. 4. in Commentario, lit. B, cum viderent ex Philosophi verbis & exemplis adductis alterationem ad figuram esse, penitus evinci, ubi benignam & doctam S. Thomæ responsionem rejecissent, illico responderunt, Aristotelis auctoritati fieri satis, si dicatur, veritatem in exemplis minime requiri. Ipse autem Faber pro sua in Arist. devotione causam ejus suscipiens, subjungit, non esse quod tam cito aliqui Philosophum, quasi repugnantia scripserit, insimulent, quem utinam vel attente legerent atque intelligerent, nullius enim amplius accusationibus, sed admirationibus & elogiis locus esset. Sic ille. Longe alia de Arist. crisis fuit doctissimi Thomæ Campanellæ, uti videre est in nostro Prologo. Me quod attinet, dico cum tribus pueris Hebræis Dan. 3, 16. non oportet me hac de re respondere. Nemo mihi molestus sit objiciendo auctoritatem Aristotelis: Statuam hanc auream non adoro. Senserit Arist. quidquid voluerit, ego veritatem inquiro per rationes & experimenta, non ex fide humana; & hoc semel pro semper dictum esto.

XIV. Dico 4. Ex motu aliquando & agitatione sequitur alteratio per accidens. Sic vel una agitatione liquor spumescit, crassescit, &c. sic Pharmacopolæ sciunt, sua pharmaca sola agitatione probe misceri, crassescere, extenuari, resolvi, & in novam quasi massam formari. Sic farina cum humore, agitatione sola subigitur ac depsitur: sic à nimia contusione, quæ solo motu fit, corpus livescit, intumescit &c, quod si vehementior humorum agitatio fiat, multam corpori alterationem conciliat, non palloris modo, ruboris, &c. verum ipsam etiam febrim accendit: sic plumbum liquatum, solo motu in pulverem redigitur, quod plus est alteratione. Dixi *per accidens*, quia motus distingui debet a mutatione, nec enim omnis motus inducit alteritatem, ut dicemus Tract. 36. bene tamen mutatio.

XV. Dico 5. Datur etiam alteratio ad ægritudinem, vel totius corporis vel partis. Nempe corpus fit alterum sensibiliter; tum quatenus æger hoc sentit; tum etiam quatenus alii hoc percipiunt, tactu sc. visu & odoratu; sic Medici ex pulsu, urinis, lingua, & sensibilibus symptomatis, corpus alteratum esse pronunciant. Quis autem neget, hominem ardentissima febre laborantem & æstuantem esse alteratum? imo alterationis nomen ad sitim apud Gallos translatum est, de sitiente enim dicunt, *il est altéré:* Sicut de homine vehementer ira succenso, dicimus esse alteratum. Nec obstat, quod Arist. L. 7. phys. cap. 3. tex. 17. neget alterationem esse ad sanitatem vel ægritudinem; nempe ægritudo duobus modis considerari potest. Primo formaliter, ut sic loquar, hoc est, quatenus dicit analogiam quandam temperamenti, id est, relationem quandam resultantem ex primarum qualitatum conjugatione & dissonantia: in quo sensu negat Philosophus dari alterationem: (an recte, modo non discutio, sed videbimus in Tract. XL. de Relativis). Secundo ægritudo accipitur realiter vel materialiter (ut ajunt) hoc est, pro ipsis qualitatibus primis, aut fundamento relationis, id est, tali caloris, frigoris, &c. gradu. In hoc autem sensu ad ægritudinem est alteratio, ut patet. Præterea datur etiam alteratio ad ægritudinem partium, sic dicuntur pulmones alterari; cerebrum, jecur, stomachus, lien, renes, fauces, oculi, &c. sic etiam alterantur humores, sanguis, bilis, pituita, &c. sed quid in his diutius immoramur?

De intensione & remissione, item de pugna qualitatum contrariarum alibi agemus.

TRACTATVS V
DE
AMORE.
SECTIO I.
QVID SIT AMOR, ET QVOTVPLEX.

I. QVid sit Amor, nemo melius novit, quam expertus. Hinc qui dixit: Nescio quid sit amor: nec amo, nec amor, nec amavi, mortuis potius quam viventibus accensendus videtur, si credimus alteri vati: Solus amans, vixi, dicere jure potest. Verum priusquam amplissimum Amoris dominium lustremus, Definitionem genuinam Amoris inquiramus.

Fuerunt, qui dicerent Amorem esse *Desiderium pulchritudinis*. Sed hi ad pauca respexerunt, quoniam non desideratur pulchrum, nisi quatenus est signum boni. Pulcher quidem est serpens varietatibus & coloribus depictus: sed nos odimus eum, quoniam bonum nobis non promittit, sed malum: pulcher est ignis, & quo potentior, pulchrior: nihilominus odimus eum. Etenim unumquodque ens amat, quod sibi est proficuum & salutare; & illud videtur sibi pulchrum, ut asinus asinæ, serpens serpenti, ignis igni, &c. juxta illud: Quisquis amat ranam, ranam putat esse Dianam. Nec debet amor definiri per desiderium, utpote minus late patens, nec omne comprehendens amabile: desiderium enim est rei non habitæ. Nos autem amamus & filios, & quæ possidemus, & nosmetipsos. Vniversale quoque genus male definitur per speciem suam.

II. Alii dicunt: *Amor est velle bonum.* Et quia bonum illud vel volumus propter se, vel propter aliud: propter se amamus nosmetipsos & Deum: propter aliud amamus cibum, & uxorem, & bona exteriora. Primus Amor a Theologis vocatur Amicitiæ; secundus

dus Concupiſcentiæ. Sed neque iſta definitio valet, quia velle eſt actus voluntatis. Amor vero comprehendit voluntatem,& appetitum & propenſionem, ut de ipſo nunc loquimur. Item hæc definitio eſt per actum,& per objectum; actus autem & objectum declarant potentiam a poſteriori, non autem ejus quidditatem exprimunt a priori, & prout in ſe. Melius autem dicit D. Thomas, quod *eſt inclinatio in bonum*, ſumendo inclinationem non pro actu, ſed pro virtute unde egreditur actus: ſed cum bonum ſit idem quod appetibile, nihil videtur exprimere iſta ratio de eo, quod volebamus. Item inclinatio pertinet ad amorem reſpicientem externa objecta. At prius unumquodque ens amat ſeipſum quam alia, ad ſeipſum vero non inclinatur, quia non eſt a ſeipſo ſejunctum. Et quidem, teſte D. Thoma, appetitus animalis & electivus præſupponunt appetitum naturalem, quo ens amat ſeipſum, & appetitus naturalis eſt cauſa efficiens appetitus intellectualis & ſenſitivi quoad actum: & ex parte objecti, quod eſt ipſummet ens amatum, eſt cauſa finalis eorundem. Quapropter non videtur hæc definitio convenire appetitui naturali ſui ipſius, ſed appetitui aliorum externorum.

III. Tandem ajunt, *eſſe potentiam inclinantem, ſive virtutem ad bonum univerſaliter, quodcunque ſit illud, ſive proprium, ſive alienum, ſive verum, ſive falſum.* Et in hoc melius dicunt. Sed quia potentiam ab Eſſentia ſeparant, dicentes, quod eſſentia eſt ad unum, voluntas autem ad multa, ſicut intellectus. Nec tamen ipſa eſt intellectus, quoniam intellectus habet objectum in ſe, voluntas vero extra ſe, ad quod tendit. Videntur rectius dicere, quam ſapere. Nam juxta noſtra principia, natura non eſt determinata ad unum, neque ad oppoſita, ſed ad plura ex eodem actu: calor autem calefacit infinita, & potentia caloris eſt ipſe calor: & potentia & appetitus materiæ eſt ipſa materia ex teſtimonio ipſorum & decretis Naturæ, & Divi Auguſtini & Bernardi, qui mentem & voluntatem non eſſe accidentia, ſed eſſentiam animæ docent. Et ex eo, quod voluntas & intellectus intelligunt & amant, quæ ſunt extra animam, declaravit non eſſe accidentia: hæc enim extra ſubjectum non porriguntur. Et quidem non poſſunt habere hanc vim extra animum ſe effundendi, niſi ab ipſa anima; quapropter magis eſt in anima, quam in ſuis accidentibus. Et ipſa ſubſtantia generans alias ſubſtantias non docet extra ſe porrigi, ut ratio contraria adverſetur veritati. Intellectum autem & voluntatem diſtingui ex natura rei, ſuo loco oſtendetur. Nunc autem patet non poſſe definiri per potentiam, quæ eſt accidens, neque per inclinationem, quæ habet objectum extra ſe, quoniam amans ſeipſum non videtur ad ſe inclinari, ſed potius ſeipſo frui: qui non eſt aliud fruens a quo fruitur: ipſum frui & amare videtur cum eſſe indentificari: Melius dixit aliquando part. 2. q. 25. art. 1. S. Thomas, quod Amor eſt complacentia amantis in amatum.

IV. Forſan placet dicere, quod *Amor ſit deſiderium immortalitatis*: quidquid enim amamus, amamus ut ſimus ſemper, vel ſaltem quantum poſſumus: ideo enim amamus mulieres, ut in illis ſemen noſtrum vivificetur, & reficiatur eſſe noſtrum, quod mortale eſſe novimus. Similiter amamus pecuniam, quia per eam ſervamur: unde ſi loco pecuniæ reſp. ad permutandum bona lapillis uteretur, magis lapillos, quam argentum cuperemus. Honores quoque diligimus, quia noſtrum eſſe amplificamus per eos & in eos, qui nos honorant, & tuemur a malis, & non ſumus præda aliorum. Cibum & potum, quia nos in nobis ſervant, diligimus. Conſervare autem eſt æternare & facere ut ſimus: idcirco ſtatuas & libros, & templa, & memorias optamus relinquere, ut vivamus ſemper, ſaltem in memoria hominum. Pulchra vero diliguntur, quoniam ſpondent & repræſentant nobis naturæ ſapientiam & robur ad reproducendas & bene formandas: & ſi fœmina eſt, quia inſuper ſemen noſtrum poteſt propagare & vivificare. Si homo aut equus, quia conſervationem repræſentat: unde claudos, truncos, ægros, ſqualidos, abhorremus, quia repræſentant nobis inertiam, & languiditatem noſtræ naturæ & corruptionem noſtram; & ita execramur artifices, qui veſtes aut enſes inepte, aut domos inutiles & cito perituras fabricantur, quoniam uſui noſtro non conducunt, & naturæ noſtræ inertiam patefaciunt. Plus laudatur, & pulchrior dicitur Anus a pictore perito depicta, quam Venus ab imperito: & formoſior eſt lapidea ſtatua bene repræſentans eum, cujus eſt ſtatua, quam aurea non bene repræſentans; quoniam nobis inertiam, illa artem, conſervationis cauſam, oſtendunt. Et ſic de cæteris.

V. Quapropter in cunctis apparet Amor & delectatio & omnes actus illius ad Eſſe ſpectare: veluti dolor & triſtitia & odium, ob carentiam eſſe & ſubſtractionem ſiunt; æternitas autem & immortalitas ipſum Eſſe ſemper eſt. Idcirco Amor recte dicitur Immortalitatis deſiderium: & objectioni, qua confutabatur definitio (eo quod deſiderium dicit carentiam, Amor vero abſtrahit ab habito & non habito) reſpondere poteſt, quod in re habita, quatenus habita, eſt fruitio & voluptas, unde homo ſuo eſſe frui dicitur, & illud non amare, eo quod habet, ſed eo quod non habet. Habet quidem eſſe præſens, non autem futurum: unde amare ſeipſum, eſt deſiderare ut ſit adhuc amplius amplitudine extenſiva & intenſiva: extenſiva, quando ubique eſſe vellemus, & poſſidere mundum, & ſcire & poſſe omnia, quæ ignoramus & nequimus: intenſiva vero, quia ſemper eſſe, & omne bonum nos ſimul eſſe, & Deum forte vellemus.

Quapropter in hoc videtur Amor habiti conſiſtere, ut ſc. perpetuetur & expandatur.

VI. Verum enim vero nec hæc definitio placet, quoniam Deus amat ſeipſum & tamen non deſiderat perpetuitatem, neque amplitudinem, quoniam utrisque abundat ſibi identificatis. Item Angelus amat ſeipſum, & tamen perpetuus eſt; & licet non ſit amplitudine infinitus, nec a ſe perpetuus, ut propter Dei amorem non poſſit deficere: tamen id quod eſt, habet, & amat fruendo, & fruitur amando: ſi quid autem ultro deſiderat, illud pertinet ad non habitum, non ad habitum: ſic & homo, & cuncta entia. Quapropter non videtur Amor eſſe deſiderium immortalitatis, ſed aliquid ſuperius. Idcirco interiora rimatus doctiſſimus Campanella exiſtimat Amorem non poſſe definiri, ſed tranſcendere omnem notitiam, & poſſe vocari Præminentiam, ſeu Primalitatem Entis conſtitutivam, a Poteſtate & Sapientia manantem, in eis præexiſtentem & in eis redundantem, ſicut de Potentia & Sapientia dicetur Tract. 23. Et quia innotuit nobis ab exteriori actu, quo amamus cætera entia: & Amor ad hæc eſt amplificativa inclinatio ad illorum fruitionem; con-

ſequens eſt, ut Amor ſit Primalitas conſtituens eſſe complacendo, ſicut Sapientia ſapiendo, & Poteſtas ſtatuendo ſeu potendo. Non enim niſi per ſeipſas declarantur, & per actus ſuos exteriores, qui longe procedentes a principiis lente & obſcure ea manifeſtant. Itaque melius a priſcis ſeculorum Theologis hæc innominabilia Principia vocantur Numina & Dii. Magnus Deus eſt Amor, ait Phedrus apud Platonem. Similiter Heſiodus, & Poetæ priſci mortalium ſapientiſſimi: & Theologia Chriſtiana ſupergreditur eos, & in Monotriade ſupereminentiſſima, Potentiam, Sapientiam & Amorem, ut per ſe ſonantes Divos, ſed non Deos agnoſcit, ut ex dicendis magis declarabitur.

VII. Porro Amor dupliciter conſideratur. Primo pro actu tendentis ad bonum vel fruentis. 2. Pro potentia eſſentiali, unde fluit actus, & hanc putamus pertinere ad eſſentiam rei, rerumque principium. Conſtituitur enim res amore proprii eſſe: ſervatur vero amore alieni eſſe.

Alienum eſſe eſt duplex: aliud Cauſale omnis eſſe, ut Dei; aliud vero conſociale, ut omnis creatura omni creaturæ ſocia eſt aliquo pacto in rerum natura & mundi colligatione. Amor alieni eſſe eſt cum propenſione ſequente eſſe adſcititium, quod fit cognoſcens omne, dum mutatur in illud eſſe cognitum: at quia extra proprium eſſe eſt illud eſſe cauſativum ſui in notitia cognoſcentis, idcirco talis amor eſt inclinatio ad amatum eſſe notum, & rapit ens extra ſe, & facit eſſe aliud; ſicut ſcientia adſcititia facit eſſe aliud. Amor vero proprii eſſe, non trahit extra ſe, ſed frui ſe ipſo primi entis participe & gaudere ſe ipſo facit: unde mortem, quæ hanc fruitionem tollit, ſuper omnia exhorret. Et hoc gaudium non manifeſtatur, niſi quando ens a ſuo eſſe alienatur per externam violentiam & ſui deperditionem, & mox reſtauratur. Idcirco in comeſtione eſt voluptas, quoniam ſenſus reſtaurationis proprii eſſe deperditi adeſt. Non minus Sol, quando ſeſe effundit lucis ſuæ radios communicans, ita voluptuoſe amplificatur. Vnde lux ipſa ſeſe effundendo, præſertim in tranſpicuis rebus, a ſe amatis tanquam ſimilibus & ſui conſervativis, laſcivire, exhilarari & blandiri ſibi videtur. Ergo in actione, quatenus facit eſſe, eſt amor; in ſenſu vero non eſt amor, ſed odium & dolor, ſi deſtructivi objecti eſt perceptio, quoniam alienat ab eſſe. Ergo amor conſervat eſſe, & ideo odit amans, quia amat proprium eſſe; & dolet, quia non vult perdere proprium eſſe. Amare ergo aliud, eſt fieri aliud: ſicut ſcire aliud, eſt fieri aliud. Amare vero ſe, eſt eſſe quod eſt: ſicut ſeipſum ſcire, eſt eſſe; ſed non amamus alia, niſi quatenus noſtrum eſſe fulciunt, aut inſtaurant. Vnde neque Deum amant peccatores & diaboli, quatenus apprehendunt illum, ut ſui eſſe pravi oſorem & punitorem. Quando ergo alia quis amat, fit illa, & vult fieri illa, quatenus putat ſui eſſe conſervativa, licet decipiatur: ergo ſeipſum amat per eſſentiam, ſicut novit per ſcientiam: cætera vero amat, in quantum amat ſe, factum illa, ſui conſervativa: ſicut ſentit alia, in qua ſentit ſe factum illa alia: ſed ſi hæc factio eſt cum lucro ſui eſſe, ſequitur amor, qui eſt propenſio ad illa: ſi cum damno, ſequitur odium, quod eſt averſio ab illis, fuga & refutatio. Scire quidem mala & deſtructiva parit amorem & odium. Odium deſtructionis; amor vero eſt conſervationis, eſſe mala ſcimus cavere & declinare, ergo & per accidens ſervari nos; ex eo autem, quod afflicti ſumus in ſenſu eorum, odimus & reſpuimus, quoniam perditio eſſe facta eſt, aliquantula ſaltem. Patet ergo quod amare ſeipſum, eſt eſſe ſeipſum, nec diſtingui ab eſſe, niſi ratione & notione, veluti amare alia eſt fieri alia. Fieri autem eſt eſſe fluens & imperfectum alienum: ſicut agere eſt eſſe fluens proprium imperfectum in aliud. Et quia quidquid eſt præter eſſentiam & addititium nobis, dicitur accidens, idcirco ſicut ſcire alia, eſt accidentale eſſe illa, ita amare alia eſt eſſe accidentale alia. Et ſicut ſcire ſeipſum eſt eſſe eſſentiale ſeipſum, ita amare ſeipſum eſt eſſe ſeipſum: ſed diſtinguuntur ſcire ſeipſum, & amare ſeipſum, origine & relatione: quoniam amare ſeipſum oritur ab ſcire ſeipſum: ſicut amare alia oritur ab ſcire alia. Hoc autem patet ab omnibus effectibus amoris. Deſiderare enim eſt tendere in aliud: hæc autem tendentia & propenſio eſt motus: motus autem eſt idem cum termino ſuo, & differunt, ſicut imperfectum fluensque, & perfectum ſtans. Qui enim vadit in plateam, habet eſſe in platea fluens, & paſſim eo magis eſt in platea, quo magis appropinquat: cum vero eſt, ceſſat eſſe imperfectum in platea, & eſſe perfectum ſtansque in platea ſuccedit. Similiter quando planta generatur, ſemper eſt aliqualiter planta imperfecta, donec totum eſſe plantæ habet: idea enim plantæ latens in ſemine vel bulbo non evolvit ſe, niſi ſucceſſive, ſicut pullus in ovo. Ergo ſi deſiderare eſt moveri, palam eſt, quod eſt aliqualiter eſſe: ſimiliter ambire & cupere ſe habent. Nam etſi honor non eſt honoratus homo, nec dives eſt divitiæ: tamen qui habet honorem & divitias, dicitur eſſe honoratus & ditatus, ergo eſt aliquod eſſe accidentale, quoniam honor accidentalis eſt: ergo cupere & ambire eſt imperfectum fluensque eſſe: habere vero eſt perfectum eſſe. Conſtat autem, divitiis & honoribus noſtrum eſſe conſervari, idcircoque appeti. Idem apparet in ſpe, & in gaudio: quoniam ſpes eſt tendentia ad eſſe perfectius quam deſiderium: licet & ipſa imperfectum eſſe ſit deſiderati in deſiderante: gaudium vero & voluptas eſt in acquiſito perfectoque eſſe, & videtur ipſum factum eſſe conſtituere; & vocatur Amor proprii eſſe; & ad hunc ordinantur omnes alii amores tanquam ad finem; & ab hoc quoque fluunt & oriuntur. Nam idcirco honores & divitias & glorias appetimus, quia illis conſervatur noſtrum eſſe, vel in nobis vel in alio: itidem Veneris concubitum ob id deſideramus, quod in ſimillimo nobis partu nos conſervat perpetuatque eſſe. In omnium autem deſideratorum acquiſitione intervenit mox voluptas, quia eſt ſenſus acquiſiti eſſe, conſervantis innatum eſſe, ergo ſemper eſt voluptas in proprii innatique eſſe poſſeſſione. Sed latet nos, quia externis objectis alienamur, ita ut vix noſmetipſos ſentire valeamus, vix ergo & amare, uti dicemus ſuo loco de ſapientia, quæ eſt altera Primalitatum. Sicut enim notitia noſtri reflexa evidentior eſt nobis, quam notitia abdita: ita Amor noſtri reflexus adſcititiusque evidentior eſt nobis quam amor abditus. Et quia Amor abditus, quo ſe cuncta amant, ab omnibus Philoſophis conceditur, concedendus erat & ſenſus abditus, quo ſeſe cuncta ſapiunt. Cæteræ paſſiones, quæ retrahunt a non eſſe, ut ira, timor, odium, pertinent ad eſſe indirecte: ad-

ſunt enim, ut conſervent eſſe a non eſſe. Patet ergo, amorem ſui eſſentialem eſſe, aliorum vero entium creatorum, accidentalem; & hunc fluere ab amore eſſentiali. Dixi, entium creatorum, quia amor, quo Deum amamus, non eſt accidentalis, ſed eſſentialis, de quo alibi.

SECTIO II.

Reſpondetur objectionibus.

VIII. Opp. 5. Amor non videtur ſpectare ad eſſe, nam multi appetunt mortem, & non eſſe ſibi procurant, ut ſuicidæ: & divinæ literæ ajunt Apoc. 9. 6. deſiderabunt mori, & fugiet mors ab eis. Item amare alia eſt fieri alia illa, & transformari in illa: ſed fieri alia eſt deſtrui: lignum enim dum fit ignis, deſtruitur. Idem patet, exemplo Amantium, qui ſeipſos perdunt, inſaniunt, rem familiarem dilapidant, & vitam exitio dant, ut Iphis, Lucretius & Antiochus.

2. Qui Deum amant, morti & jejuniis & vigiliis aliisque diſponentibus ad mortem ſeſe ultro exponunt, ergo amor non tam ad eſſe quam non-eſſe ſpectat.

3. Omnes Theologi & Philoſophi fatentur, amorem proprium eſſe cauſam perditionis ac ruinæ: qui enim ſeipſum amat, voluptatibus vacat, & laſciviis, derelinquit honorem, divitias perdit, ſtudium literarum & virtutes abjicit, fit piger, ignarus beſtialisque, ut Poeta admonet, ergo nec amor ſui, neque amor Dei, neque amor aliorum entium nos ſervat, ſed perdit.

4. Nec verum eſt, omnes actiones ab Amore emanare. Nam cauſa occidendi ſe non eſt amor, neque perdendi alios, neque merces projiciendi in mare tempore naufragii; neque confitendi delictum coram Iudice ob illud condemnaturo confitentem ad mortem. Quod ſi autem actionum omnium, quæ ſunt eſſe fluens, non eſt cauſa Amor, ergo neque eſſe ipſius. Item homines peccatores & dæmones oderunt Deum, primum Ens, ergo amor non eſt Entis.

Item non videtur eſſe Eſſentialitas Amor, ſed accidens, quoniam adeſt & abeſt præter ſubjecti corruptionem. Odimus enim eadem & amamus viciſſim. Item ſuſcipit magis & minus, & non ſubſiſtit per ſe, ſed ſemper ſubjecto inhæret tanquam accidens. Eadem argumenta probant, Sapientiam, & Potentiam eſſe accidentia, nec recte dici Primalitates.

5. Amor non videtur oriri ex præcognitione, quia multa amamus, quæ non novimus. Item ad ipſum eſſe ſequitur voluptas, quæ eſt Amor, ut dictum eſt, ergo eſt effectus, non cauſa. Item multa odimus, quæ novimus, ergo non, ubi eſt notitia, eſt & amor. Item Amor a Poetis pingitur cæcus, quia amantes obcæcat, & ſeipſos ſpernere compellit, ſeque ipſos ignorare: aliud vero honorare & magnificare, & ſapere, quod noſtri eſt ſæpe ruina.

6. Avaritia & ambitio ſunt quidam Amor, & tamen deſtruunt, & abominabilem faciunt avarum & ambitioſum deterius quam cupido venerea: & ex ignorantia veri boni videntur hi amores provenire, ergo non a ſapientia.

Denique Poetæ faciunt Amorem filium Veneris & non Palladis. Plato filium Inopiæ & Conſilii.

IX. R. Ad 1. Mortem poſſe conſiderari dupliciter: vel ut eſt annihilatio & privatio vitæ; vel ut eſt mutatio ſtatus & eſſe. Primo modo nullum ens poteſt cupere mortem: bene autem ſecundo modo. Cum enim in eſſe ſuo puro ſe ſervari minime poſſe vident, ſed cogi vivere vitam ſervilem, abjectam & pecorinam, non autem ſuam nobilem liberamque, eligunt mortem veluti mutationem ſtatus. Ita Cato occidit ſeipſum, ne ſub Cæſaris poteſtate, vitam pecorinam & non ſuam viveret; ſimiliter Nero & Cleomenes, & Antonius ſeipſos occiderunt, ne ab aliis vili morte occiderentur, putantes ſeſe per hoc acquirere melius eſſe in fama & memoria ſaltem hominum, quam ſi ab aliis perimerentur, & in eſſe inimicorum tranſirent. Sic avarus quandoque ſuſpendit ſeipſum, quoniam vitam ſuam repoſuit in lucro, & illo perdito putat ſemet perdi. Amantes quoque, quia neſciunt vivere ſe poſſe abſque re amata, ſi illam nequeunt adipiſci, ſe perimunt & mortem eligunt. Non, quia mortem amant & non-eſſe, ſed quia putant ſeſe ſubtrahere a non-eſſe: quoniam ſuum eſſe repoſuerant in re cupita, & amata, ut videre eſt in Tract. 23. De Primalitatibus. Quod ſi adeo a rei exterioris vi immutamur, inſanimus, quoniam a nobis nos alienamus. Et quia habemus plus de eſſe alieno, quam de noſtro, ideo putamus nos non eſſe, ſi illo eſſe alieno non liceat frui. Et hinc Avarus & Amator eligunt mortem, quia putant ſe eſſe in morte, dum ſine re amata, in quam transformati ſunt, eſſe compelluntur, (juxta illud, anima plus eſt in eo quod amat, quam in eo quod animat) ideoque illis apparet, quaſi non-eſſe. Concedimus ergo Amorem externorum ad non eſſe nos conducere noſtrum, & ad eſſe alienum. Sed talis Amor eſt filius Inopiæ, Dæmon & non Deus; & fallit, quoniam fallitur. Non enim ſufficiens fuit genitrix finita Sapientia ad robur ejus. Amor enim fertur in cognitum tanquam bonum: & quia bona inferiora ſunt ex parte bona, non ex toto: & hoc ſapientia humana non intelligit, aut docentibus non credit, cum ſit inops, particeps Inſcitiæ Non-entis: ideo illis inhæremus quaſi omnino bonis, & decipimur, & eſſe perdimus, dum eſſe quæritamus. Nec tamen Amor trahit ad non-eſſe ſimpliciter, ſed ad aliud eſſe, quoniam ipſe omni eſſe præſidet & transmutationibus de eſſe ad eſſe. Exemplum habemus in Calore. Calor, dum vult oppugnare frigus, occiditur. Non quia amor ducit ad non-eſſe, ſed ad eſſe & amplificationem ſui: ſed per accidens contingit ab alio ente perimi, quod etiam ſeipſum plurificare cupit ſtudetque, & ſe per amorem amplificat, & per odium perdit aliud ens impeditivum ſuæ amplificationis. Non tamen odium eſt alicujus actionis cauſa per ſe, ſed per accidens. Calor enim dum frigus occidit, nihil aliud facit, quam calorem effundere & calefacere, ſeque amplificare, (quidquid dicant Democratici, id fieri per collectionem particularum ignearum). Ad hoc autem ſequitur frigoris mors, non intenta a calore, niſi quatenus non poterat cum ſuo eſſe illius eſſe convivere. Duclaratur hoc amplius:

Sicut Sapientia in primo Ente eſt una, & lux in Sole pulcherrima, vivaciſſima, puriſſima: in ſecundis vero entibus languet & fœdatur, & mutat nomen, vocatur ſenſus, ars, phantaſia, cogitatio; ut lux in opacis recepta vocatur color rubeus, croceus, viridis &c. ita Amor eſſentialis Numen eſt unicum, vivax, omnia videns. At in rebus participatus, fit impurus & languens, ſicut Sapientia, & vocatur Deſiderium, Cupido, ambitio, avaritia. Nec ſimpliciter eſt proles Inopiæ,

Inopiæ & non-entis; sed entis inopis, impotentis potentiæ & deficientis Sapientiæ.

Merces quoque projicit nauta volens, quoniam vitam suam vult & amat magis quam mercium, quarum pondus potest esse causa mnrtis. Amor quoque est causa, sive potius occasio occideudi seipsum, sed per accidens: quoniam quatenus amamus vitam veram, quæ est generosa & libera & gloriosa, perdimus vitam ipsam, quæ jam vilis incipit fieri & pecorina. Ergn fugimus nnn-esse præsentis vitæ, non autem esse: sed quia in illn esse fundatur aliquod non-esse, puta esse non-generosum sed vile & alienum, ideo per accidens dum sibi subtrahunt non-esse, subtrahunt & esse: & primus Amor divinus hæc permittit propter melius, quod ex transmutatinne nascitur, ut declarabitur in Tract. XV. de Causis.

XVI. Qui autem cupiunt annihilationem, nesciunt quid cupiant, quoniam putant illam esse carentiam omnis mali & perturbationis, sicut Indi Orientales, qui in Niba, hoc est in Annihilatione beatificari post multa sæcula expectant: at non intelligunt, subtractionem essendi esse maximum malorum, & ita delirant. Amant ergn omnes esse quatenus bonum verum, vel quatenus apparens, dum refugiunt non-esse.

Martyres tandem putant, se cambium facere hujus vitæ, quam norunt infelicem & caducam, cum alia vita quam credunt felicem & æternam.

Qualis ergo est mater, talis est proles Amor: Sophisticæ Sophisticus: Veræ verus, Magnæ magnus; vilis, vilis. Amor ergo cum sit filius Sapientiæ, sicut sapit, ita operatur: & quidem divini homines, conspicientes omnem vitam inferiorem esse mortalem, & quæ est in filiis & fama, etiam defectibilem, sagaciter intellexerunt, non nisi ab æternn Ente posse veram vitam æternam accipere: & ita ad illam amorem suum divinis quibusdam alis elevarunt. Ergn semper Amor tendit ad esse, & refugit non-esse. Sin vero hæc vita felix esset, nullus cum alia illam permutaret. Vnde & qui nimis seipsos amant, seipsos perdunt, ut dicit Messias. Non quia sese amant, sed quia dum proprio indulgent amori, externa bona atque mala non attendunt, scientias rerum non acquirunt; & bona exterinra amittunt, unde sequitur ruina proprii esse: quoniam hnmo non habet in se bonum suum, neque a se ipsn conservatur, quia non est a se, neque in se, sed a Deo, & in Mundo, ubi sunt multa sibi adversa & multa proficua: dumque utraque negligit vacando sibi, ab adversis perditur, & proficua non procurat, & sic incidit in perditionem sui esse: quod per declinationem malnrum, & procuratinuem bonorum servandum erat. Ergo Amor proprius per accidens est occasin, non tamen causa ruinæ proprii esse: alias in Deo hic Amor non esset.

XVII. Angelus quoque peccavit amore proprio inebrietas, dum vult esse id quod non est, id est, a se & non a Deo: a se autem nihil est, a Deo Ens est. Ergo incidit in non-esse, dum magnificat inconsultn proprium esse. Frigori quoque & Calori evenit, ut dum sese amplificant nimis, corrumpantur in sede aliena.

Neque Amor decipit hominem, sed Ignorantia: Quia enim non novit, quomodn oporteat seipsum amare, peccat & corruit; peccare autem non est facere, sed deficere. Deficere vero est Non-entis participatinne: dumque procurat esse & gaudet proprio esse, contingit non-esse, non ab amore sui per se, sed per accidens, nt dictum est.

XVIII. Item quia non omnia objecta sunt bona, sed mista malis: & dum procuramus bonum per amorem, incidimus in malum mistum; sed per accidens hoc fit ab Amore. Homo procurat divitias & hnnores & filins: & quia mala sunt multa mista in actinne, & procuratinne, & in divitiis & in filiis, & in honnribus, dum bona captat, mala quoque sibi parat, ndium aliorum, inimicitias, invidiam, laborem, lassitudines, ægritudines, bella, vulnera, necem, quæ mista sunt cum procuratione & cum bonis procuratis.

XIX. Nimius quoque amnr æternorum alienat hominem a se, & incidit in insaniam & sui vilificationem. Nihilominus semper verum manet, Amorem tendere ad esse & ad bnna, quibus servatur esse per se; per accidens vern in mala labi ob missuram bonorum & malorum: unde & mala parva eligit homo prudens, ut effugiat mala majora; & quatenus minus mala habent speciem boni; & vitam caducam spernit, ut acquirat longinrem in fama, vel æternam in Den: & quia bona fragilia nos impediunt ab adeptione magnorum, ideo eligimus mala tauquam bona: sunt enim bona ratione finis, ut medicina ratinne sanitatis.

Ad illud nnm. 4. annexum R. nt supra, quod Diaboli & peccatores non oderunt Deum in quantum Ens & bnnum: ipsi enim semper esse cupiunt, sed in quantum putant destructorem sui pravi esse: & non verum Deum odere, sed fictum in eorum imaginatione. Itaque seipsos imaginantes odere & nnn Deum.

XX. Quod denique attinet nriginem Amoris, dicimus quod a notitia naturali nritur Amnr naturalis; ab accidentali objectorum externorum oritur Amnr accidentalis, qui tameu est ejusdem naturalis amoris extensin, vel proles vel effluxus. Et cum pingitur cæcus, falso pingitur; non enim amamus nisi notissimum nobis esse nostrum: cæcitas autem evenit ex parte mistionis malorum & bnnnrum in nbjecto exteriore, quæ secernere non novimus, dum præsertim unum sectantes, alia negligimus. Et iden solus Amor accidentalis est cæcus, sed ex parte: & cæcitas ejus est in particulari affectione boni parvi, cui plurimum miscetur mali; & in posthabitione majoris boni pro adeptione minoris boni, & in hoc consistit peccatum. Ignnrantia ergo, saltem pro tunc cum peccamus, est causa peccati.

XXI. Ignota quoque dicimus non amari, nisi sint aliquo pacto nota saltem in simili; nec voluptatem consequi post esse, tanquam effectum, sed tanquam cnmplementum ipsius esse. Avaros quoque & ambitinsos & lascivos ignorantia labnrare, vel impotentia, ex quibus prodit amor vilis & stultus. Sed de his alibi.

Hnc tamen non est prætermittendnm, quod Amnr, cum sit conservationis Procuratnr, sive per bona ntilia, sive honesta, sive jucunda, nequaquam cæcus est, quoniam illa bnna oportet ipsum nosse: sed quia latentia mala in illis bonis nnn attendit, dum nimis ad bonum nos impellit, dicitur cæcus: sed cujusmodi est sapientia mater, est & proles Amor. Sæpe spernit consilium novum innitens veteri abditnque, quo novit summum bonum esse procurandum undique: & succedentia mala in procuratione, & in mediis abscnndita, ipsum arguunt cæcitatis: si autem pura essent

bona

bona ac mala, nunquam erraret. Sicuti non errat in amando Deo magis quam se: quem & novit magis; omnes enim creaturæ sentiunt creatorem, ait S. Hieron. etiam magis quam se notitia indita naturali, licet addita non item.

SECTIO III.

De Amore seu Appetitu naturali omnibus rebus indito.

XXII. Omnes Philosophi concedunt Amorem cunctis in rebus insitum: non enim sunt entia tantum, quia possunt esse, & sapiunt esse, sed etiam quoniam amant esse. Nisi enim illud amarent, non tuerentur tantopere unumquodque suum esse, sed a suo contrario se destrui subito permitterent: nec amica conservantia esse sectarentur, nec inimica aversarentur: nec simile, in quo serventur, generarent, & omnia in chaos abirent, aut annihilarentur. Ergo Amor videtur esse principium non modo essendi, sed & conservandi, & operandi, & agendi, non secus ac Potestas & Sapientia. Non facimus opus, si non volumus, aut nescimus, aut non possumus: opus autem extensione essentiæ fit: essentia ergo constat voluntate sive amore, sicut potestate & sapientia. Patet autem idem inductive in omnibus. Lapis enim semper vult esse lapis, & ubi ejus natura servatur: unde positus in aere deorsum vergit ad sui subtentationem. Planta vero ita appetit esse, ut etiam persentiscens mortem, generet semen & prolem, in quibus vivat semper, & instrumenta quibus sese defendat. In animalibus palam est, cuncta appetere semper esse. Nam nec musca vult esse homo, nec canis leo, nec homo Elephas aut Sol, sed etiam contra hostes & mortem, & mortifera pugnant semper animalia naturaliter omnia: & filios procreant, & educant omni labore, ut in illis vivant, vel ex parte. Et quidem ita intensus est hic appetitus, ut quasi solus & per antonomasiam retineat nomen amoris. Hinc est quod Natura dicatur abhorrere vacuum, & ob amorem unionis tanquam conservativæ sui esse omnem vim adhibere ad illud evitandum attrahendo quævis corpora ad supplendum spatium, donec in æquilibrio consistant omnia respectu globi totius terraquei, ut suo loco demonstrabimus. Hoc enim non aliunde provenit, nisi ab appetitu mutui contactus entium omnium, unde vacuum abominantur, & divisionem, non secus ac animalia & actio & passio, & ad cognata corpora reversio, & fuga a contrario, unde Mundi perficitur pulcherrima distinctio, & antipathia & sympathia rerum omnium satis declarant, quam frustra Cartesiani derident, ipsimet eum suis corpusculis explodendi, in cunctis amorem reperiri. Amor & odium circa idem sunt: fuga autem odium ostendet, quoniam amor essendi, odium non essendi parturit. Eandem sententiam nolentes volentes confirmant Peripatetici, qui cunctis rebus amorem naturalem ad sua loca perveniendi tribuunt, igni sursum & terræ deorsum. Plato quoque in sympòsio & in Phedro, cuncta entia amore donat. Hesiodus & Parmenides & Empedocles principium rerum esse putant Amorem, & primo rebus præsidentem. Virgilius in Georgicis idem monuit. Plinius in herbis amorem, & in lapidibus annotavit. Et inter cœlestia & terrestria ac maritima amorem mutuum Poetæ & Physiologi considerant in heliotropio, & in palma, & in lapide Stellario, in ferro & magnete, in ulmo & vite, & inter sidera Astrologi ponunt amorem. Nec immerito, quoniam simile simile appetit. Ipse D. Thomas cuncta proprium esse appetere naturaliter entia probavit; & plus amare Deum quam seipsa docuit, amore abdito & naturali. P I. q. 109. art. 3. & 2. contigent. Igitur de rei existentia non est dubitandum.

XXIII. Sed restat quæstio, utrum Amor iste naturæ sit essentia, vel accidens, & utrum sit unus in cunctis univoce, vel æquivoce, vel analogice? Nam Peripatetici distinguunt amorem in naturalem, & animalem, & rationalem seu intellectualem. Naturalem arbitrantur esse quandam propensionem rei ad finem suum absque cognitione, & esse ipsam rei naturam vel sequi ad naturam, veluti levitas est ignis inclinatio sursum, & gravitas est terræ inclinatio & appetitus deorsum, sequens formam suam, nulla præcedente objecti notitia vel electione. Sensitivus vero, est potestas a sensus apprehensione informata aliquo objecto, ad quam informationem sequitur inclinatio, ut, quia panem videt canis, appetitus informatur forma panis, & ad panem inclinatur, & hic est Amor. Rationalis vero non sequitur sensus informationem, sed rationis & intellectus: unde potest non inclinari ad bonum, sed ad quod eligitur tanquam bonum: & potestas eligendi est arbitraria, & vocatur Voluntas. Ergo videtur æquivoce dici appetitus, sicut de mortuo & vivo dicitur homo; vel metaphorice, sicut risus de homine & de prato, & inter accidentia reponitur juxta horum dogmata. Sic loquitur in terminis P. Aloysius Kimmet in Tract. de anima Mundi pag. 625. num. 54. „ Sicut per spiritum vitæ „ non intelligimus substantiam spiritualem: ita per „ terminos illos, desiderii, gaudii, iræ, indignationis, „ &c. (loquendo de brutis) non intelligimus actus „ spirituales; sed improprie & tropice loquimur, in- „ telligendo qualitatem accidentalem archæi, materia- „ lem quidem, sed quam exprimere aliter non possu- „ mus, sed metaphoricis istis vocabulis insinuamus. „ Sic ergo & Materia appetit formas metaphorice, ut prata rident, de quo tamen appetitu metaphorico, integra implent folia, mirisque impressionibus vexant juvenum ingenia in scholis, cum tamen inquirere, an materia magis appetat formas nobiliores quam viles, sit idem ac quærere, num scamnum aut sedes plus appetat sustentare Regem an Rusticum? Utriusque enim munus est recipere & sustentare.

XXIV. Verisimilius itaque dicendum videtur, in cunctis rebus inditum latere Amorem seu appetitum, non metaphoricum sed analogicum, prout res sunt magis minusve cognoscitivæ. Quod antequam demonstretur

Præmittendum; Quod esse innotescit ab actu, actus autem pertinentes ad esse voliti constitutionem sunt multi: vid. *Voluptas* qua delectamur in bono adepto, nobisque conjuncto. *Spes*, qua tendimus in bonum mox adipiscendum, quoniam causas adeptionis paratas habemus; & *Desiderium*, quod pertinet ad tendentiam in re volitam, sive sit, sive non sit spes. *Concupiscentia* est desiderium boni propter se. *Amicitia* propter alium, cui volumus bonum. *Cupiditas* est desiderium speciale bonorum fortunæ & utilium: *Ambitio* vero honorum. *Odium* vero est desiderium perdendi ea, quæ obstant adeptioni boni desiderati: *Tristitia* est contradictoria voluptati; tristamur enim, quia bonum cupitum non habemus; *dolor* vero contra-

trarius, quoniam mali est passio. *Ira* est tendentia contra ea, quæ impediunt vel auferunt bonum. *Timor* est fuga ab eo, quod potest auferre bonum. *Amor* tandem abstrahit ab his omnibus, & omnium passioonum est causa, & astuum: ex eo enim, quod amamus aliquid, sentimus voluptatem in ejus adeptione, licet voluptas possit dici causa finalis amoris & pars ejus optima, sensu superius declarato. Ex amore speramus illud adipisci, & in ejus adeptionem tendimus, & non habito bono contristamor, & contra impedimenta irascimur; at sublato amore, nihil ista fiuot, aut sunt. Et ita videtur sentire D. August. At siquidem amorem pro voluptate simul sumat, ut & D. Thomas, placet nobis ex notiore voce cum S. Dionysio nominare Principium entis. Nullum enim ens amatur, nisi conferat ad voluptatem: dolorifera enim eligimus, quatenus aliorum dolorum sunt remedia & occasiones bonorum. Patitur miles mortem ob bonum patriæ, in quo servatur ipse & sui. Martyr vero ob gloriam Dei soi Servatoris, omniumque entium: æger amaram potionem ob sanitatem. Patria autem, & sanitas & Deus felices oos faciunt pro rata sua: felicitas autem nulla absque voluptate. Voluptas vero sensus conservationis est, sicut dolor est sensus destructionis, vel totalis, vel partialis, vel dispositive, vel completive. Aliquid enim destruit medicina de Spiritu oostro. Martyrium vero corpus occidit; labor vires, malum nuntium animi vigorem. Ergo quæcunque oos conservant, vel ad conservationem disponunt in nobis, vel in alio, illa voluptuosa sunt: Cibus enim & res familiaris gaudium faciunt, quoniam vitam in oobis servant: Amicorum bona oos exhilarant, quoniam nos amicis servamur & tutamur: hooor voluptuosus est, quoniam in aliorum nos memoria servat, vel in oobis, quoniam semper lucrosus est. Filiis quoque jucundamur, quoniam in illis nostra vita, in nobis moritura, postea servatur. Cum ergo omois actus, omnisque passio, spectans ad amorem & voluptatem, sit sensus essendi, utique videtur amor ad essentiam pertioere & ad principationem tanquam proles sapientiæ. Noo enim tristamur, oeque dolemos, neque fruimur, oeque irascimur, neque timemus, nisi ob bonum cognitum, vel boni ablationem. Bonum autem appetitur, quia placet: placet autem, quia conservat: nam quæ destruunt, abominamur: conservari autem est esse, igitur amor est essentiale principium entis primordiale. Iam

Subsumo, si appetunt omoia naturaliter suum bonum & in eo quiescunt, ut Peripatetici fatentur; quiescere autem est frui; frui vero est voloptate ejus affici tanquam fructu ultimo, unde & oominatur, ergo appetitus naturalis est sapientiæ proles vel socius. Vnde D. Thom. de Verit. q. 23. art. 1. ad 13. docet, quod res naturales, non metaphorice, sed vere delectantur fine acquisito, & grave acquisito centro. Bonum enim, teste Dionysio est vere delectabile & amicabile omnibus participantibus esse bonum Dei pro suo modulo, itaque vere, non metaphorice seotiunt. Ex his

XXV. Infertur probatio assertionis, Nam ignis propterea sursum teodit, quia ignem in peripheria sibi cognatum petit, oon autem quod ab extrinseco trudatur sursum; oec ob propensionem, quam dicunt naturalem inclinationem, absque senso sui: si enim sic moveretur impulso stupidæ naturæ, semper sursum ferretur: at videmus e nubibus ignem ingenitum erumpere, & deorsum currere, & fugere inimicum frigus supra stans, & fugere occursantia mala, ergo movetur potentia, sensuque boni & mali. Item Sol calorem continuo demittit deorsum ad telluris frigidæ inimici destructionem; tellus vero frigus suum sursum ad cœlum destruendum, & sese dilatandum: ergo non sequuntur propensionem stupidam: sic enim semper calor sursum, & frigus deorsum tenderent. Propensio enim sequitur gravitatem, & levitatem, ut ipsi dicunt: sed gravia sæpe tendunt sursum, ut aqua ad replendum vacuum, & aer deorsum ad cavernas terræ, ergo sensu moventur, non inclinatione materiali. Item lignum quantumvis magni ponderis, in aqua natat, lapillus vero exiguæ molis, deorsum fertur: & hoc unde est, nisi quia lignum habet cognationem cum aere, & in ejus fruitione detinetur; lapis vero cum terra, quoniam densus est & aeris expers? cognoscere autem simile & dissimile, frui & abominari, ostendunt & amorem & odium: non autem stupida vis ista facit.

Arist. quoque sapientia præditam prædicat naturam, quæ nihil faciat frustra, & propter finem operetur, & in fine quiescat, & superflua, & defectus respuat: quomodo ergo nunc stupida ponitur, & inclinans ad ignota?

Fateor tamen, in antlia aquam ex ea præcise causa non ascendere, ut vacuum repleat, alioquin ascenderet quousque embolus elevaretur, quod est contra experientiam; quæ docet, ultra 32 pedes aquam non sequi nec ascendere: a natura enim sic comparatus est globus Terraqueus, ut omnia corpora circa centrum coadunentur ad æquilibrium, quo assecuto singula suo loco consistunt.

XXVI. Ad hæc respondere solent Peripatetici, eotia insensata ad fines suos impelli *instinctu naturali*: & instinctum esse impulsum præcognoscentis causæ. Quænam illa? Alii Deum, alii Colchodeam, alii intellectum agentem esse dicunt: ab hac veluti sagitta a sagittario cuncta ad fines suos dirigi, duce sapientia illius occultæ Causæ.

Contra est, quia actus naturales a formis activis naturalibus emanant, & propensiones ejusmodi formas rerum sequuntur. Quod & S. Thomas approbat, dum dicit, levitatem causare inclinationem sursum, & coofutat Arabes auferentes operationes formarum, & omnia tribuentes Deo operanti, & non solum cooperanti, ergo non sunt impulsus externarum causarum. Sane talis motus esset violentus, non naturalis, ut exemplo sagittæ comprobatur. Vnde S. Thom. de Verit. q. 22. art. 1. probat, quod si velut sagitta naturalia moverentur a Deo, noo irent proprio appetitu, sed dirigerentur solum alieno, non sponte sua: nec delectarentur acquisito fine, ut docet Dionysius. Et profecto si sic ferrentur, nunquam mutarent viam, sicut nec formam. At videmus ignem deorsum fugere a frigore, & ut stupam vel fumum urat, descendere, & calorem solis in terram deorsum labi, & alia multa, quæ consentientem indicant naturam & non stupidam propensionem. Idcirco perperam adjungunt, quod dans formam, det quasi seorsim consequentia ad formam, ergo & appetitum impulsumque: sic enim & animalia & homines & Angeli impelluntur a Deo, qui dedit formas, quibus aguntur ad fines suos: sed nequaquam stupidam dedit formam, alias nequirent ad

fines

fines ſponte tendere, ſed ducerentur; ſic nequa illis.

Cum ergo omnis forma indigeat cognitione ſui boni, & potentia adipiſcendi, & appetitu, imperfectus fuiſſet autor naturæ dans potentiam & appetitum abſque notitia appetibilis: & quidem implicat contradictionem, affirmare quod appetant, & non cognoſcant, & quod gaudeant in ſuo bono & voluptate afficiantur abſque ſenſu, & doleant abſque ſenſu, & quod fugiant mala abſque ſenſu malorum, qui eſt dolor.

XXVII. Eodem argumento utitur D. Thomas contra Arabes de imperfectione Autoris, ſi formis non dediſſet ſuam operationem; & magis valet, ſi non dediſſet operanti ſcientiam, quoniam operatio exerceri nequit circa ignotum objectum. Quapropter omnis amor eſt cum præcognitione, ſaltem abdita dicetur analogice de magis minusque cognoſcitivis amantibus rebus. Certe S. Greg. Nyſſeno & Athanaſio hic amor innotuit, cui vinum in dolio, etiam per aera ſentire vites in agro florentes videtur & conflorescere. Imo S. Thom. expreſſe concedit ſenſum naturalibus in cap. 14. Iob. lect. 2. & 2. contra gent. & 3. ſent. diſt. 29. q. 1. art. 2. in corp. quod quantum habent res de bonitatis participio, tantum habent & de participio amoris, & quantum veritatis, tantum ſapientiæ, quantum ergo entitatis, tantum & potentiæ, ideoque invenies apud S. Thom. Inſtinctum ſupernaturalem, quo aguntur Spiritu Sancto ad ſupernaturalia; & violentum, quo ſagittæ a ſagittario: & directivum, quo diſcipolus a Magiſtro & Angelo: & diſpoſitivum, quo a cælo & paſſionibus moventur; & naturalem, quo a propria intrinſeca natura, quæ eſt principium motus intrinſecus: & omnis inſtinctus ſectatur notitiam inſtigantis principii, ſive intrinſeci ſive extrinſeci. Sed de hoc ex profeſſo agemus inf. Tract. 47. de Inſtinctu. Et in Tract. XIV. de Brutis & Anima ſenſitiva. Quæ autem contra Primalitatem Amoris innati & abditi poſſent opponi, ſolvemus Tract. 23. de Primalitatibus.

TRACTATUS VI
DE
ANALOGIS, ÆQUIVOCIS ET UNIVOCIS.

Potuiſſet de his agi in Tract. de Terminis: apte tamen & hic tractatur, tum ſic exigente alphabeti ordine, tum quia proxime mentio facta eſt de Amore analogico, qui reperitur inter creaturas inanimatas, animatas & intellectuales: locum quoque habent hæc vocabula & de nominibus & de rebus. Sit itaque

SECTIO I.
QUÆNAM DICANTUR UNIVOCA, ÆQUIVOCA, ANALOGA, POLYONIMA, PARONIMA.

I. Nomen Æquivocum vocatur illud, quod eſt impoſitum ad ſignificandas plures res, ita tamen, ut non cogitaretur de altera ſignificanda, dum huic imponebatur: dicunturque ſtricte loquendo æquivoca res illæ, quæ adeo inter ſe ſunt diverſæ, ut nullam referant ſimilitudinem ad invicem, nec quidquam commune habent præter nudum nomen. v.g. *Populus*, *Tartarus*, *Gallus* &c. Quæ enim connexio aut affinitas Populo arbori, & Populo hominum multitudini? Sic nomen *Tartarus* eſt impoſitum ad ſignificandam barbaram nationem Scythiæ, quin cogitaretur de Inferis, qui latine & græce eodem nomine dicuntur. Sic & nomen Gallus reſpectu hominis in Gallia nati, & Galli Gallinacei. Sic plurima alia, in omni linguarum genere, impoſita ſunt ad rem unam ſignificandam nulla habita ratione, quod rei alienæ ſignificandæ imponerentur, aut impoſita eſſent. En tibi quid ſit proprie nomen æquivocum: eſt nomen quaſi conduplicatum ſine ullo peculiari reſpectu ſignificati unius ad aliud: ac proinde accipiendum eſt, veluti duo nomina eſſent. Hinc ſi adhibeatur tale æquivocum in Syllogiſmo, reddentur 4 termini, & nihil concludetur. Imo præſtat hujusmodi nomina claritatis cauſa ſeparare, & disjungere quopiam alio adjuncto vocabulo. e. g. Tartarus natione. Tartarus infernus &c. Et ſic evoluta nomina æquivoca in plura appellativa ſeu communia ſequuntur regulam cæterorum.

Hactenus dicta explicant id ipſum, quod vulgo dici ſolet: Æquivocum eſt, cujus nomen commune eſt, ratio vero importata per nomen omnino diverſa. Dicitur, omnino, ſi enim aliqualem ſaltem habeat convenientiam, analogum dicetur.

II. Differunt Metaphorica ab Æquivocis in hoc, quod iſta videntur caſu & fortuito impoſita ad ſignificandas duas vel plures rerum claſſes: metaphorica vero ex induſtria impoſita ſunt ad ſignificandam unam rerum claſſem propter aliquam ſimilitudinem, vel proportionem, quam illæ res habent cum rebus ad aliam claſſem pertinentibus, & quam proprie & præcipue illud nomen ſignificat. e. gr. riſus dicitur proprie de homine, & tribuitur pratis metaphorice, eo quod, ſicut riſus hominis ſignum eſt lætitiæ: ſic prata omnis generis inſtructa floribus videntur lætari. Cum autem pura æquivocatio non inveniatur in rebus participio, vel imitatione, vel reſpectu alio conjunctis, ergo nec in Metaphoris, uti dicitur viridis herba, & viridis ætas hominis, nimirum propter proportionem nonnullam, quam habet juventus hominis cum herbæ viriditate; floresque cum homine juvene, hinc flos juventutis. Econtra inter Populum arborem, & Populum turbam hominum, nulla eſt ratio communis in hoc nomine Populus: neque enim translatum eſt ab uno ad alterum; & hic eſt pura æquivocatio, ubi nulla conſiderata ſimilitudine, ſit nominis communicatio, licet in aliquo iterum nomine habeant univocationem. Populus enim arbor, & Populus homines, univocantur in vocabulo *corpus animatum*, quæ æquivocantur in vocabulo populus. Poſſet his exemplis metaphoricis addi ſequens celebre in Philoſophia, de vocabulo *ſanus*; dicitur enim ſanus homo, ſanus cibus, ſana medicina, & inſuper hæc omnia in ſenſu ſano &c. homo quidem dicitur

dicitur sanus, qui bene valet: non ita cibus; nec enim cibus bene valet; sed quia est aptus ad conservandam bonam hominis valetudinem: nec item medicina bene valet; dicitur autem sana, quia reparat & restituit bonam valetudinem. Ex hac itaque proportione impositum est illud nomen ex industria ad significandum cibum & medicinam, habito respectu ad hominem, qui proprie & præcipue appellari potest sanus. Monet tamen P. Ioan. Bapt. Ptolomæus L. 1. Element. Phil. thesi 37. hujusmodi nomina non vocanda metaphorica, sed stylo philosophico analogica (licet idem omnino significet). Addit ibidem: Analoga seu nomina analogica, si forte audias ita explicari: *Analoga sunt illa, quorum nomen commune est, ratio vero importata per nomen partim eadem, partim diversa:* scito, his verbis id ipsum, quod prædiximus, designari. Quod si verum, tolerandi erunt Autores neoterici, docentes, bruta non sentire nisi metaphorice, esseque mera avtomata, erunt bruta animalia respectu hominis, sicut homo pictus comparatus homini vero, & caseus pictus ligneus caseo vero; qood mihi omnino paradoxum, imo incredibile videtur. En, quanta de nomine quæstio hic subesse possit!

Arbitror autem, Autores disceptantes, utrum Ens prædicetur univoce, an analogice de Deo & creaturis, aliud intelligere per analogiam & plus quam metaphorice & impropriе: Item univocationem animalis inter hominem & bruta omnem excludere metaphoram.

III. Quamobrem duplex statuitur communitas analogica; alia nempe *attributionis*, secundum quam alicui primo convenit aliquid per se, & formaliter, cæteris vero per respectum ad illud primum, quod etiam recipiunt in sua definitione, tanquam declarativum & essentiativum illius respectus. Sicut diximus sanum per se dici de animali: de medicina vero & urina respectu ad animal: unde dicimus urinam, in quantum sanam, esse signum sanitatis in animali, definientes. Aliam vero *proportionalitatis*, secundum quam non videtur subito respectus ad primum unum haberi, sed similitudo unius addendi ad alterum, ad habitudinem alterius ad alterum: ut, quemadmodum se habet ala ad aves, ita pennula ad pisces, & remi ad navigium. Quæ similitudo habitudinum optime repræsentat similia, non secus forte ac animalis communitas hominem, & culicem, & echinum, & conchilia manifestat: & quamvis non definiantur mutuo, neque per respectum ad primum, tamen respectus ille est abditus in natura: etenim ab eadem idea ob eundem finem ita constituta sunt. Qua ratione autem ens dicatur de diversis generibus, & de primo Ente utraque analogia, declarabimus suo loco. Tract. 24 de Ente.

IV. Terminus Univocus dicitur, qui prædicatur de pluribus sub eadem prorsus significatione. v. g. *homo* de Petro, Barbara, Paulo. Hinc

Univocum aut Univocatum est, cujus nomen commune est, & ratio importata per nomen omnino eadem. At vero quæ sit ratio significata, seu quod objectum respondeat huic voci *homo* solitarie conceptæ aut prolatæ, (eadem ratio est de quovis termino universali) difficultas maxima & antiquissima est inter Philosophos, nec hodiedum omnino expedita: licet enim ex hac occasione plura excogitata sint vocabula *distinctionum*, *præcisionum*, *formalitatum*, *universalium* &c. Non tamen ex toto perspicua veritas redditur, ut videre est apud P. Ioan. Bapt. Ptolomæum Dissert. 9. Logico-Phys. Nos illam diss. differemus ad Tract. de Universali. Hic sufficiat dixisse, quod terminus univocus idem fere sit ac nomen commune, modo non sit æquivocum aut analogum, nec abstractum, quod vid. rem quandam significet veluti avulsam ab illo statu, in quo naturaliter esse debet, v. g. albedo, humanitas, frigiditas; sed concretum, ut album, color, animal, homo: nec sit terminus communis, qui originario significet collective, neque de una re singulari possit affirmari: hos inquam terminos communes si excipias, habebis terminum univocum. Talis est *animal* e. gr. quia significat plurimas res, nempe omnia animalia quasi per modum unius, ideo singulari numero effertur, (loquor enim de termino *animal*, non de termino *animalia*): & ratio cur quasi per modum unius eo nomine significentur omnia animalia, est, quia omnia animalia habent inter se similitudinem perfectam in eo, quod est posse sentire seu esse sensitivum per certa organa, denique esse animalia (quod idem est): unde propter hujusmodi similitudinem in hac naturali proprietate, quæ signanter exprimitur, per hunc ipsum terminum universalem & univocum *animal*, omnia animalia, licet in multis aliis proprietatibus sint inter se dissimilia, possunt ad unam classem cogitando referri. Ita fere Nominales. Altius inquirenda est illa unitas, quæ facit similitudinem in rebus. Considera sigillum, in cujus ære unitas est, quæ facit communitatem in rebus sigillatis: sic idea in rebus ideam participantibus. Nunc videamus incidenter, quomodo hi termini univoci, æquivoci & analogi applicentur causis.

SECTIO II.

Quæ dicatur causa univoca, æquivoca, analoga.

V Peripatetici Theologi vocant Deum causam æquivocam, veluti sol caloris, quem putant non esse formaliter calidum, sed potentem facere calorem; sed propriam vocem multi non animadvertunt. Non enim effectus æquivocus index est suæ causæ, sicut nec canis terrestris declarat stellatum: & tamen hæc non sunt pure æquivoca, nec similitudinis expertia. Æquivocum enim diversum genus & essentiam importat, solam autem nominis unitatem: sicut ly *populus* dicitur de arbore, & hominum turba omnino æquivoce: ubi nullo pacto sese mutuo inserunt.

Et dum ajunt, causam æquivocam semper esse nobiliorem, & universaliorem, quin & in fieri & in facto esse causam esse; univocam vero esse particularem, & in fieri tantum: qualis est ignis: si enim ignis per se universalis causa esset, seipsum causaret simul, quoniam causa per se primo universaliter est causa omnis effectus ejusdem speciei: sic Socrates, si per se primo causaret hominem, generaret omnem hominem, ergo & seipsum: cum autem hoc sit impossibile, necesse est causam univocam esse particularem, æquivocam vera universalem. Sol ergo omnis hominis est causa, & omnis ignis; sed Socrates est tantum hominis causa, & quidem hujus, & hic ignis hujus ignis. Sed profecto hæc ratio non sufficit. Motus enim apud Peripateticos est causa æquivoca caloris, non tamen omnem calorem generat, nec nobilior est calore. Et ipsi negant solem esse nobiliorem musca, nedum homine,

mine, quicunque cœlestia corpora negant esse animata.

VI. Ergo primum Ens non videtur esse numerandom inter causas æquivocas; cum, quia non faceret effectus sibi similes, nec ex eis cognosci posset: tum, quia nec nobilior esset prorsus, nec universalis. Nam risus prati non facit risum imaginis, nec e converso: nec canis piscis latrabilem canem; nec jus brodium legit Ius; sed homo vivus facit hominem pictum, & ala facit idealiter remigium, quoniam ab ea didicit homo virtutem & fabricam remi. Ergo primum ens debet poni analogum, sicut ad analogiam resolvitur omnis prædicatio, teste D. Thoma: Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona: quoniam a seipso summo bono emanarunt. Nec quidem propter hoc solum dicitur Deus bonus, quia est causa bonitatis, & sapiens, quia causa sapientiæ, & Ens, quia causa entis &c. ut quidam dicunt. Nec dicitur bonus ex eo, quia non malus, & ens, quia non nihil, ut alii volunt: sic enim solum causaliter, ut primi dicebant, aut solum per remotionem imperfectionis, ut secundi, hæc vocabula de Deo dicerentur: nam sic posset etiam de Deo dici corpus, & lapis & culex, quoniam horum est causa: & per hæc aliqua de eo negari possunt. Est corpus nimirum, quoniam non est lapis mollis fragilisque, est culex, quoniam volat cogitatione &c. quæ cum non dicantur, nisi longe inferiore modo & metaphorico propter copiam nihili quam includunt: restat, ut fateamur cum Theologis præstantioribus, & cum Platone in Timæo, ex bonitate Dei procedere, sicut fortiter arguit D. Dionys. rerum bonitates ex sapientia & entitate Dei, sapientiam & entitatem rerum, & similiter unitatem, aliasque primilitates. In Deo ergo est bonitas aliter quam lapideitas, hoc est, propriore & veriore modo. At qui Deum faciunt principium æquivocum, dicere debent, quod hujusmodi omnia vocabula removeant a Deo, vel causalitatem dicant, & quoad impositionem a quo, & ad quod proprie creaturis convenire, quod sacris eloquiis minus consonat, dicentibus, nemo bonus, nisi solus Deus. Marc. 10, 18. sed non dices, nemo bos aut nemo color, nisi unus Deus.

VII. Igitur Deus dicatur causa analoga, similiter & sol, quem tamen solum caloris & lucis univocam dicimus causam; hominis vero & plantæ & lapidis analogam, quoniam licet non habeant solis figuram & formam & virtutem, aliquid tamen simile habent & proportionaliter, & propterea

VIII. Causa analoga est illa, quæ habet in se unite, perfectissime & abundanter ea, quæ effectibus insunt divisim, & imperfecte non adæquantia virtutem agentis, sicut in homine, planta & lapide est virtus solis sparsa, & alterius rationis imminuta, & vario modo conficta. Unde quando ignis generat ignem, univoca est causa: cum generat fumum, est analoga, & cum germinare facit terram, æquivoca. Sic asinus asinum generat univoce, molum vero analogice, pediculos & pilos æquivoce. Subintellige, in quantum asinus; quoniam in quantum animal, univoce vel analogice ista generat. Non ergo causa, quia æquivoca, ideo universalis, & potentissima & generans omnia ejusdem speciei, ut putant, sic enim & motus generaret omnes calores. Sed ideo causa est universalis, quoniam abondat entitate, quam possit omnibus elargiri, & omnia ab ipsa participare; & in hoc quod deficiunt, servatur analogia deficiens ab univocatione, quod Peripatetici in re non investigantes, sed in vocabulis, aberrant ab inspectione entis & veri. Quapropter manifestum est, si omnium perfectiones in prima causa existunt unitæ, ipsam analogam esse analogia attributionis, non extrinseca modo, sed intrinseca formaliterque.

IX. Notandum quoque, reperiri analogam communitatem inter illa, quæ non sunt causa & effectus, ut urina & medicina dicuntur sana, & triangulus triangulo est inæqualis, sicut planta plantæ differens. Et hæc non satis declarare se invicem, nisi intellectus opera multa pertingentis ad primum, respectu cujus analogantur. Communitatem vero inter causam & effectum parvo negotio utcunque declarare sponte: sicut enim habent 2 ad 1, ita 8 ad 4. quoniam dupla proportio causaliter est in dualitate, in octonario vero effectualiter saltem secundum ideam, quoniam ad dualitatis ideam dicitur duplum. Quamobrem, teste Apostolo, non relinquit se Deus absque testimonio, & nulla sane res tam parva est, quæ Deum non manifestet, teste Trismegisto, quoniam omnes effectus illius sunt participes entitatis, potestatis, sapientiæ, amoris & objectorum.

X. Nec dicas, inter infinitum & finitum nullam dari proportionem, adeoque inter Ens primum, & creaturas nullam analogiam; Respondeo enim distinguendo; inter infinitum Deum, & finitas creaturas non datur proportio, quoad esse magnum & parvum, & quantitiva, ut dicunt. Conc. Non datur, quatenus entia sunt, & Deus causa & creatura effectus ejus est, similitudo & cognatio. Nego. Quoniam quidquid est, aut est effectus primi entis, ut lapis: aut signum docens nos in cognitionem ejus, ut ordo: aut recipiens effectum ejus, ut locus & materia secundum veteres: aut cooperans instrumentum ejus, ut secundæ causæ, in quantum causæ. Sic autem urina est signum sanitatis: appetitus est effectus: medicina est causa. Diæta est conservatio ejusdem sanitatis, quæ per se inest animali. Sed de hoc recurret sermo, ubi de analogia entis agemus.

TRACTATUS VII
DE
ANGELIS.

Hæc tractatio, cum magis ad Theologiam, quam Philosophiam pertineat, ac perpauca de iis nobis sint perspecta, & pleraque præter existentiam Angelorum, posita sint in conjecturis, v.gr. quomodo sint in loco, quomodo invicem loquantur, quomodo superiores illuminent & influant in inferiores &c. Idcirco paucis hunc Tractatum finiemus.

SECTIO

SECTIO I.

AN PRÆTER ENTIA SENSIBILIA, SINT PONENDA ALIA INSENSIBILIA INTELLECTVALIA, QVÆ ANGELI VOCANTVR.

I. Epicurei & Sadducaei opinati sunt, non existere Angelos, neque Diabolos, sed omnes effectus illis passim tributos, esse naturales, vel Dei ostentationes, adeoque stultum esse arbitrabantur, alias ignotas adhibere causas. Tanquam si quis me scribentem nunc cernat, & simul quæritet, num alia sit causa scribens, & non ego. Sadducei enim, licet aliquas operationes concederent reperiri, rebus naturalibus impossibiles, ut apparitiones Dæmonum & Angelorum, & insomnia mirifica, & miracula supra naturam, negabant tamen Angelos & Dæmones, & immortalitatem animorum, & hujusmodi operationes adscribebant Deo ipsi, qui nominetur Angelus, & anima Mundi, & Spiritus; adeoque omnes operationes mirabiles esse ipsius Dei solius ostentationes. Quam opinionem ea ratione probant, quod Aristoteles in Lib. de Mundo, Angelos negat esse rebus inferioribus providentes: quoniam Deus potest hæc omnia facere, si extat, & esse signum imbecillitatis, sibi multos adhibuisse ministros; sicut Rex Persarum, quia per se non potest omnia operari in suo regno, ministris utitur. Quæ tamen ratiuncula merito exploditur, quoniam si ita esset, neque sol creandus fuisset: posset enim Deus per se terram calefacere & fœcundare: neque stellæ, quoniam ipsemet posset modificare vires caloris, & species rerum variare, & in nocte lucere similiter, neque mundum creasse debuisset Deus, quoniam etiam sine ipso esse posset. Cum ergo videamus, hæc omnia esse absque indigentia Dei, utique non persuadebitur hac ratiuncula, Angelos non existere: sed dicimus ad regimen rerum adhibitos, non, propter Dei impotentiam, sed majestatem, & ut res congruos sibi rectores habeant. Dei enim potentissimi majestatem sufferre nequeunt res fragiles, nisi modificatam: & propter bonitatem Dei, quæ non solum dat esse, sed & operari, & causare suum eis communicat. At Sadducei videntes Deum fecisse mundum & legem Moysi dedisse, insaniunt, cum negant substantias intellectuales, neque enim corporalia & sibi tantum dissimilia entia creavit Deus, sed multo magis & multo plura sibi similia & intellectualia: quod autem Deus diabolicas ostentationes faciat per se, impium & falsum est dicere.

II. Similiter hallucinatus est Arist. dum adstruit, quod Angeli quidem dentur, sed in solis cœlis movendis occupentur, nec plures dentur quam 55, eo quod non plures appareant differentiæ motus astrorum, in quorum motu posuit eorum beatitudinem. Sed quia falso omnino nititur fundamento, per se corruat necesse: Fundatur enim in eo, quidquid movetur, ab alio distincto motore movetur. Esto enim, hoc verum sit de motibus artificialibus, ut ædificatio & doctrina: & de violentis, ut projectio ex toto, vel ex parte, ut vectatio: de naturalibus vero falsum est, & contra ipsummet Aristotelem, qui ponit, naturam esse principium motus intrinsecum, hoc est, ipsam formam. Et patet ignem a se moveri: & frigus, & calorem longe magis: item gravia & levia seipsis & non a generantibus, nisi motu generationis, sed a suis formis: ut Scotus, Telesius, Seneca & D. Thomas sæpe, & quilibet sensu non privatus contra Arist. clamant; motus autem cœli naturalis est, ergo a propria forma. Sed ait Averroes, cœli forma est Intelligentia, quoniam animatum est, & ita docet Arist. bis. Sed alii Peripatetici hoc negant, & Arist. in 8. Phys. dum probat, omne quod movetur, a separato moveri motore: hoc ostendit in violentis & naturalibus, & animatis, in quibus anima, ait, insidet, sicut nauta navi, & est separatus motor: & licet sibi contradicat in L. 2. de anima, ubi ipsam facit formam corporis, ut solet, secum pugnans, ut tamen præsentem tueatur positionem de separato motore, hic ita loquitur, ergo Averroes male sentit de anima cœli informante juxta Arist. Sed sit naturalis ab informante causa, non tamen recte probant, motum cœli esse æternum. Et posito, quod motus sit æternus, non tamen iste motus cœli, sed agitatio rerum & systematum sibi succedentium, & non eodem tenore.

III. Item stulte assumit, felicitatem Angelorum esse in movere, sed potius in contemplatione & in otio ponenda erat; cum ipsemet in contemplatione ibidem punat summum bonum, & in 2. Ethic. Item cum multa supra naturam fiant in inferioribus, & ipsa rerum formatio mirifici artificii, elementis stupidis, & suæ amplificationis gratia tantum agentibus, non sit committenda, debuisset alios Angelos adhibere præter motores orbium. Quod non modo Plato, sed Avicenna & Aphrodisæus, ejus sequaces, agnoverunt esse necessarium. Est ergo falsum illud assertum, quod semper movens sit actus separatus. Calor enim ignis semper movet, & tamen est actus in materia: sicut frigus terræ semper immobilitans, est actus materiæ.

Præterea neque omne ens expers materiæ, est intellectuale: nam qui cum Th. Campanella ponunt locum seu spatium receptivum corporum, dicunt esse immateriale quid, utpote penetrabile a corporibus: perperam ergo de Intelligentiis sensit Aristoteles: Quapropter si motores cœlo separatos tribuere volebat, non ad motum edendum, cui sufficit & debetur naturalis forma, sed ad regulandum assignare oportuisset: sicut ad calefaciendam carnem non requiritur coquus, sed ignis; ad sic vero calefaciendum, ne quid nimis, sed ut sit assatio congruens cibo humano, coquus adsciscitur.

IV. Plato autem, consideratis mirabilibus effectibus rerum, qui non possunt omnes formis attribui naturalibus, posuit virtutes intellectuales, quas Angelos vocamus, multiplices. Alios sc. qui ministrent Deo in rerum formatione & creatione: alios, qui cœlestia & aerea curent; alios vero, qui inferiora, quos vocat Dæmones. Quorum alios sapientiores & benigniores; alios vero ignobiliores esse putat. Et propterea addit Heroes, hoc est, animas hominum illustrissimorum translatas inter Divos. Hoc autem probat ex consensu omnium nationum, & ex eo, quod opera naturæ indigent illis: & quia decebat, præter corporalia, extare incorporea entia, Deo similiora. Putat enim in Timæo, omnia quæ a Deo immediate fiunt, esse immortalia, tanquam ab immortali æternoque, & ideo oportere esse alios factores a Deo factos, qui mortalia entia faciant. Quapropter introducit Deum facientem animam hominis immortalem, & mundum im-

immortalem,& Angelos immortales: ipsos vero Angelos, quos Deos vocat, fecisse corpus humanum, dicente Deo,oe forte,si ab eo fieret, ipsum quoque immortale esset: & tunc Angelos mutuatos particulas elementares a mundo corporeo, constituisse & plasmasse corpus humanum reddendum mundo, a quo acceperant mutuo: & ideo in Axiocho ait, quod nisi maturius vitam corpoream mundo reddamus, astans supra caput natura, tanquam fœnerator exigit usuram, ab aliis dentes, ab aliis oculos,sæpe auditum: & senes interdum bis pueros facit. Ipse autem Plato exsolvit debitum naturæ ætat. suæ A. 80.

V. Quæres, quam censuram mereatur hæc Platonis sententia, nec non illorum, qoi corporeos voloere Angelos? Apulejus & Porphyrius cum Philone arbitrati sunt, Deum posuisse Angelos tenuissimis aereis corporibus amictos: unde & Philo stellas vocat purissimas mentes visibiles,domicilia aliarum Mentium invisibilium. D. Augustinus vero sæpissime Angelos corporeos facit,& quidem non opinando tantum, sicut & Origenes, Lactantius,Basilius,Damascenus & Hilarius,qui non recipiunt glossam juxta Campanellam L. 11. Metaph. c. 1. art. 5. Chrysostomus vero & Cyrillus & Dionysius,& D. Thomas, incorporeos statuunt, D. Bernardus utrumque possibile asserit. S. Chrysostomus non recte dictum putat, ab Angelis hominem esse factum. Et D. Thomas putat, non recte providentiam Angelis dedisse, quoniam Deus immediate providet omnibus, formas quoque corporum ab eis immaterialibus fieri non posse contendit. Verum Chrysostomus hoc dicit contra Hæreticos, qui hominis creationem Angelis tribuunt,& Deum ad Angelos dixisse putant, *Faciamus hominem ad imaginem nostram*, & non potius S. Monotriadis ad se esse sermonem. Quod autem Adæ corpus Angelorum ministerio potuerit construi, testis est S. Augult. & D. Thomas P. 1. q. 91. Nec quia formas ab Angelis manare negat, Angeli formare non possint. Nam & sabet dat ferro formam gladii, cur ergo Angelus non possit formam nasi & pedis conficere? manifeste etiam ranæ fiunt ex guttis aquæ cadentibus in pulverem,ubi agens naturale univocum non adest: non ergo verum est, quod a tali agente solo potest fieri ens naturale. Sed D. Thomas loquitur de forma substantiali, quam constat esse in seminibus elementaribus, & de activis calore & frigore præexistentibus, non de formatione corporis,quæ ab arte exteriori & interiore fit. Angeli etiam non excogitant formas rerum, sed juxta ideas divinas eas conficiunt,dum adlaborant evolutioni idearum,ut suo loco dicetur. Cæterum Plato experientiæ & omnium gentium fidei innixus recte sensit de Angelis. Quod autem,quæ immediate a Deo sunt, sint æterna,difficultatem habet: quoniam Deus non agit, quantum potest,sed quantum vult. Ergo potest velle dare esse aliquando, quod non resistat contrariis in sempiternum. Idcirco Iustinus negat, Deum esse idem cum sua actione exteriora: ne facta ab eo sint æterna & ingenita. Plato autem loquitur ex quadam congruentia & verisimilitudine,sicut in principio testatur.

VI. Nec Plato negavit Deo providentiam, etiam circa particularia, quasi hanc Angelis commisisset, nam in Lib. de Repub. & in Dialog. de Legibus expresse inquit: *Quanto nobilior artifex, tanto exquisitius una & eadem arte magna simul & parva curat: Deus ergo, qui curare vult & potest, nunquid magna curabit, & parva contemnet? absit & c. similis enim esset fucis.* Quapropter usque ad singularia, & minima & infima divinus Plato extendit providentiam Dei: Angelis vero dat executionem providentiæ.

VII. Moderno tempore inter Orthodoxos certum est, Angelos corporeos non esse, licet subinde corpora assumant, dum hominibus apparent, sed esse substantias mere spirituales: spiritus autem carnem & ossa non habent, argumento Christi Luc. 24. Nec obstat, quod in Concil. VII. Oecumen. comprobetur illud Ioannis Thessalonic. Angelos depingi oportere, quod sint corporei. Respondetur enim, id quodammodo approbari & secundum quid, non absolute, nempe quoad dictum, non quoad rationem. Concilium Angelos pingi oportere assentitur, rationem vero quam Ioannes affert, in medio relinquit, neque eam aut rejicit, aut admittit. Cum itaque Angelorum operationes sint intelligere,velle & movere,minime necesse est,eos esse corporeos,ut has functiones exerant.

SECTIO II.

Angelos extare ac Dæmones, probatur ratione, experimentis, testibus & consensu omnium nationum.

VIII. Duo sunt extrema, in quæ sæpius judicia humana solent impingere,nimia nempe credulitas, cum facile quibusvis anilibus relationibus circa apparitiones Spirituum,aut defunctorum animarum fidem adhibent: econtra deformis pertinaciæ argumentum est, cum iis, quæ oculati testes sanctitate & doctrina præstantes publice facta referuot, fidem detrahimus, non alia persuasi ratione, quam quod sint insolita, & præter consuetum naturæ ordinem. Atque haud scio an dæmones, aut magorum præstigiæ, aut energumeni in animum cujusdam venire potuissent, si nihil ex iis omnibus unquam extitisset, nedum id omnium ætatum testimoniis & consensu esset comprobatum. Nos omissis S. Scripturæ testimoniis (Philosophos enim agimus, non Theologos) veritatem hanc ratione probabimus, & quidem

IX. Prima ratio petitur ab effectibus. Formatio enim rerum naturalium, licet a propria natura procedat, quia tamen natura (hoc est, complexio omnium mechanicarum affectionum, figuræ, molis, &c. ad materiam Megacosmi systematis pertinentium) stupida est,& formationis ignara, quoniam intra opacam materiam agit, non intelligens modum agendi sed actionem tantum. Veluti ignis non intendit emollire ferrum, ut inde fiat gladius, sed attenuare & facere ignem; similiter nec assare carnes in cibum hominis,sed urere. Faber autem & coquus utuntur igne in modificatione ad opificium. Cum ergo elementa non intendant facere & conservare lapides, & metalla & plantas,& cometas,& animalia,& pluvias ad generationem frugum, & fulmina ad demoliendas turres,& cometas ad significandum,& homines ad cultum Dei: Consequens est, ut ad talem finem modificentur ipsorum vires, & assistentia Numinum divinorum. Unde rectissime S. Augustinus omnia naturæ opera attribuit angelis,& ipsi Peripatetici coacti dicunt opus naturæ esse Intelligentiæ non errantis.

X. Nec

X. Nec dicas, elementa ab invicem modificari pugnando: nam modificantur quidem, sed non ad finem & opus alienum artificiose. Assistunt ergo Angeli utentes viribus elementorum sicut coqui & fabri ad exponendas divinas ideas in opificio ex elementis facto; non ergo dant formam, sed formationem juxta formam a Deo exhibitam. Similiter etiam, quando homo generat hominem, nescit formare corpus hominis, neque nunc post multas inspectas anatomias: neque ipsa anima intelligit, quibus partibus constent & qualiter fiant ossa & distinguantur, & nervi superextendantur & carnibus vestiantur, & ad motus aptentur. Nam neque nunc scit anima nostra, quomodo coquatur cibus in stomacho & distribuatur sanguis in jecore, & in omnes corporis partes particulæ chyli transmittantur. Ergo assistunt Angeli. Ipsa enim natura hoc non intelligit, sed quasi cæca vel in obscuro operatur sub Duce. Calor quidem facit calorem, & simile simile: sed ita & nunc & sapienter & ad finem minime, non instrumentaliter. Unde recte dixit D. Thomas, omne agens univocum esse tantum causam in fieri, & non in esse: & quid dicet de his quæ non fiunt a similibus, ut ranæ & mures? Habent, ait, aliquid simile a cœlo. Sed virtus cœli est ipse calor. Concinnatio autem ad hoc animal, si casu non est, ab intelligentia est: unde patet, homines esse sicut fiscellas & formulas, in quibus angeli præparant semen, ut faber ferrum in igne: deinde voluptate emungitur homo ad opus, quod ipse nescit facere, sed alius faber, qui ad ranæ formationem faciliorem non indiget fiscella. Sed, inquis, posito quod ab Intelligentia sint naturæ opera, debent Deo tribui potius, vel animæ mundi & non Angelis. Respondeo, quod tametsi Deus operetur immediate in nobis, adhibet tamen causas secundas propter modificationem suæ virtutis in rebus, & propter dignitatem suam, & propter bonitatem, qua facit non modo entia, sed illis causationem tribuit, utque res mutuo se juvent & prosequantur amore. Si enim Deus faceret hominem absque patre, non nutriret ipsum pater & mater, vel parum curaret, & sic omnium entium colligatio dissolveretur.

XI. Quapropter, ut rerum curam gerant Angeli, comparticipes eos facit causationis rerum. De Anima mundi agemus Tract. sequenti, de qua dici potest, quod ipsa sit ad curam totius, non particularum, nisi ut in toto. Et sicut anima hominis curat totum hominem & corpus, non tamen vermes, qui in ventre generantur, neque pediculos in capite oriundos, a propria enim anima bestiolæ istæ animantur, & reguntur insuper & Numine. Sic mondus totus propria regitur anima: particulæ autem ab Intellectibus a Deo distributis ad curam rerum. Sed replicabis: Sufficeret unus Intellectus ad hæc omnia. Resp. Minime; Quoniam res sunt diversæ inter se & contrariæ, & particulares, & non totum, ideo peculiaribus indigent Rectoribus: & hoc decet Dei providentiam respectu rerum provisarum, & Angelorum honorandorum præfectura & causatione, etiamsi sufficeret Colchodea.

XII. Præterea & secundo: Multæ fiunt in hominibus inspirationes, & intellectiones, & volitiones de rebus nunquam cogitatis: & quædam manuductiones super rebus cogitatis, qualis fuit in Columbi animo ad inveniendum novum Orbem. Ergo oportet esse Numen, hæc inspirans, & nobiscum communicans. Et quoniam sunt diversæ simul in multis inspirationes, & sæpe contrariæ, bonæ, pravæ, oportet esse plures intelligentias exteriores & secum pugnantes, quas Theologi bonos & malos vocant Angelos.

Item, sunt manifestæ apparitiones Angelorum in corporibus apparentibus factæ, & subito aut mox apparentium, tam bonorum, quam malorum. Et hoc testantur hominum optimi & doctissimi, non opinando sed testificando. Igitur nullo pacto negandi sunt, quoniam neque decepti, neque deceptores sunt ipsorum testes, ut Antonius Magnus, S. Bernardus, S. Thomas, S. Paulus Apostolus, S. Petrus Apost. Moyses, Iosue, &c. Adsunt testimonia quoque Ethnicorum, ut Plutarchus, qui vocat eos genios bonos & malos experientia ductos (fuit Philosophus moralissimus, & floruit ab Anno Christi 70. usque ad 119.) & Bruti, & Socratis & Stoicorum & Platonicorum, & Zoroastri testimoniis multis. Item Porphyrius sæpe dæmonibus illusus, Apulejus & Plotinus, & Trismegistus: & Oracula publica Dæmonum in Delpho. Quæ si quis neget, se quoque esse in mundo neget, aut Romam, quam non vidit ipse.

XIII. Nec omittendum duxi, quod narrat de se ipso Auctor Thom. Campanella Ord. Præd. sæpe a me laudatus, nec unquam satis laudandus. Adnumero verba ipsiusmet Lib. 12. Metaph. cap. 2. „ Sunt quoque commercia inter homines & Angelos & Dæmones, „ cujus veritatem cum diu quidam doctissimi, quæ ritassent, nec quidpiam videre potuissent, sicut Plinius de „ Nerone affirmat, quod in hoc suæ curiositati non potuit satisfacere. Tandem ex themate Cœli in Ge-„ nesi cujusdam conjecerunt, Iuvenem ex tali dispositione visurum Numina: qui instructus ut Angelos in „ stellis invocaret, cœpit videre multos singulis noctibus, qui dabant responsa de omnibus, partim Prosa, „ partim Carmine: cum ille expers literarum esset, & „ de rebus arduis responderunt, & de mutationibus, „ Rerump. & Regnorum, & de quæstionibus multis, „ mihique (Thomæ Campanellæ) seorsum degenti mi-„ serunt Oracula viri illi. Ergo præ lætitia, & pro „ gratia tanti experimenti plorabam. Nondum enim „ experti fueramus Satanæ artes: nec intelligebamus „ quod fingit se constellationibus ligari ad falleodum, „ ut docet Origenes & S. Thomas. At stupebam ex-„ spectans eventum, & ille puer mutatus est in virum alterum. Cumque commercium sequeretur, cæpi „ dubitare an esset Diabolus, quoniam quædam dubia & „ falsa veris mista cœpit dicere, & revelavit nobis in-„ sidias inimicorum, & non potuimus evadere, quo-„ niam per cipharm cœpit loqui. Quid plura? Pro-„ misit signa de cœlo & miracula, & plurima bona illis, „ fallaciter, ut teneret eos in credulitate, prædixitq; ma-„ la, quæ utinam non vera fuissent. Tandem cum in-„ telligeret, me de ipsius divinitate dubitare, ac illos „ monere ne ultra deciperentur, separavit nos dolis „ multis, quos longum esset retexere, & juvenem ad „ perditionem & violentam mortem perduxit. Mi-„ hi quoque (addit) in tribulationibus comparuit non „ semel, vario vultu & horribili nescio quis, & fugatur „ Dei nomine. Et cum aliquid instat mali, nomine, „ proprio compellat inter somnium & vigiliam, sicuti „ Socratem & Brutum suus Genius: & S. Raymundum „ & alios suus Custos Angelus, quorum historias veras „ ab ipsis, quibus ista contingunt, habeo. „

XIV. Item a Dæmone quosdam in lecto affligi, quem tangunt & vident formis variis, cum eoque turpiter commiscentur, non est dubitandum, quidquid obloquantur Athei. SS. Dominicus, Bernardus, Martinus, Raymundus & alii sanctissimi doctissimique viri narrant se vidisse Angelos & Diabolos, eisque collocutos, prout idem auctor de se testatur. Stultum ergo est dubitare de abstractis Numinibus, quamvis aliis in pœnam, aliis in levamen, aliave de causa, etiam invocati, non appareant.

Vt nihil dicam de Exorcismis, quibus Diaboli coacti multa dicunt ignota; & expelluntur adstricti dare signum indictum, & pulsant campanum, extinguunt lapides aliaque faciunt, valde cogentia credere, quod sint & operentur mala contra homines. Non inficior tamen, in similibus sæpe fraudem nebulonum, fingentium Dæmonoplexiam, subesse, & quandoque deprehendi.

XV. Quæres: Qua ratione Dæmones sibi adaptent corpora, & adeo indurent, ut apta sint exercendis actibus obscænis aliisque? Antequam respondeam, velim ex te discere, qua ratione araneæ texant suas telas nodosque in iis conficiant; aut qua arte apiculæ hexagonas cellulas suas in favis elaborent? si te nescire profitearis, fatebor ultro & meam hic ignorantiam, nec mirum, quod nesciamus quibus retinaculis componant aerem aliaque per modum corporum nostrorum: quamvis non sit improbabile, Dæmonibus impuris inesse corpora tanquam carceres cohibentes vires, & sapientiam & voluntatem eorum, nec in eo deceptum Origenem: minime autem id dicendum de Angelis puris, nisi ubi ea adsumunt ad munus aliquod explendum erga nos, quorum gratia, cum corporei simus, corpore indigent ad communicandum nobiscum.

SECTIO III,

De essentia Angelorum & proprietatibus.

XVI. Diximus Angelos esse incorporeos, non tamen adhuc, quid sint, intelligimus. Non enim negatio indicat quid sint, sed quid non sint. Nec satisfacit definitio ista: Angelus est Spiritus creatus corpori organico non unibilis; tum, quia nomen spiritus analogum & nimis generale, tum quia differentia mere negativa, neque verum, quod Angelus nullo modo sit unibilis corpori organico, esto non sit unibilis per modum formæ. Præterea non omne incorporeum est spiritus, quid enim fieret asserenti spatium, calorem, frigus, lucem esse entia incorporea? His tamen non est similis Angelus, quoniam per se subsistit, & movetur; quorum primum calori, secundum spatio deest. Restat ergo inquirendum, quid sit? Dicunt plerique esse substantiam incorpoream, intellectualem, incorruptibilem seu æviternam. Verum non videtur recte dici substantia nisi analogice, quia substantia dicitur a substando; substare autem est proprium spatio aut subsistentiæ, & corpori materiali. Angelus autem non substat, nisi forte operationibus suis internis, & illuminationibus divinis, ut qua ratione recipit, dicatur substantia. Melius ergo diceremus Essentiam. Quid autem dicat incorporeitas, nemo novit: sed quid non dicat. Nec convenit inter Philosophos, in quo consistat corporeitas, quidve sit corpus. Quippe Renatus Cartesius corpus mathematicum confudit cum physico: Inde est, quod 2. parte Principiorum n. 4. & 5. tradit, corporis physici & naturalis essentiam esse extensionem trine mensurabilem, atque adeo quidquid est trine mensurabile seu extensum localiter, illud esse vere & proprie corpus naturale, & substantiam corpoream: in tantum, ut actualis extensio localis trine mensurabilis sit realiter identificata cum corpore, vel ut differentia specifica, vel ut proprietas quarto modo, quod non curat Cartesius, qui cæteroquin cum suis parum solicitus erat de Logica subtilitate definitionum & differentiarum: quem tamen refutatum vide Tract. Cum vero addunt *intellectualis*, putant per hoc distinguere ab anima rationali, & esse hanc differentiam Angeli constitutivam. Nempe rationale importat intellectionem discursivam, quam volunt alienam ab Angelo, quasi vero Angeli circa futura vel scirent nihil, vel omnia evidenter & certo, cum multa conjecturaliter & mere probabiliter ex causis contingentibus colligere ac inferre non sit dubium. Certe ratione carere Angelos non ausim dicere, cur ergo non rationales? adeoque male statuitur τὸ intellectuale pro differentia propriissima Angelorum. Item quia Angelus non modo intelligentia constituitur, sed potentia & amore, insufficienter videtur assignari ejus definitio per intellectualitatem. Vnde Aristot. & ejus sequaces falluntur, cum Angelos vocant Intelligentias, quoniam hoc nomen ab una tantum parte essentiæ desumptum est. Nisi dicas Angelos *per essentiam* intellectuales, & *eminenter* rationales: homines vero econtra per essentiam rationales; *participio* intellectuales. Quos terminos sic intellige: Dicimus esse *eminenter* aliquid in aliquo, quia unitius, universalius & plenius; *participative* vero, dispersius, particularius & diminutius, ut calor solis in plantis & lapidibus &c. Sic in semine sunt omnes causæ, in substantiam causati simul deductæ: nihil enim est causatum, nisi causarum participatio, vel in ens aliud numero contractio. Sic in causa est omne principium, sive principiorum participatio: in principiis vero sunt primalitates; ita ut in primalitatibus insit principium, & causa & semen eminenter. In principiis causa & semen eminenter: sic in causis semen. Item omne semen est causa, sed non econtra: & omnis causa principium, sed non econtra; Omne principium primalitas, & non econtra. Ita nempe superiora in inferioribus participative: inferiora in superioribus eminenter reperiuntur. Quapropter, ut suo loco fusius declarabitur, quoniam tres sunt primalitates, tria etiam sunt principia (metaphysica) extantia erga principiata: vid. cognoscitivum, potestativum & volitivum. Et hoc in genere. Nam cum extra respiciant, multiplicantur. Vnde in unico viscere animalis datur potentia attractiva, retentiva, digestiva, immutativa, egestiva seu expulsiva, calefactiva. Et similiter in cæteris rebus. Cognoscitivum quoque, secunda primalitas, secatur in sensitivum, intellectivum, imaginativum, memorativum, discursivum, declarativum &c. Deinde etiam subdividitur, ut patet in sensoriis, ad objecta varia variis. Sed hæc per transennam.

XVII. Quapropter melius Theologi dicunt Angelos propter officium, ad quod requiritur potestas, ars & amor. Cum ergo corporeitatem Angelis tollimus, ergo & calorem & frigus, & mutationem physicam, & exaltamus eos ad superiorem ordinem metaphysicum, nec constituimus eos ex elementis physicis,

sed

sed metaphysicis, quæ sunt potestas, sapientia & amor, & ex his ipsorum natura venit examinanda, secundum quod relucet in analogica similitudine entium nostræ universitatis, cum eam in se intueri non detur.

XVIII. Igitur neque ex eo, quod intelligere & objectum ejus incorporea sunt, Angelus incorporeus est, ut putant, sed hoc erat ostendendum ex subsistendi potestate: sed nec hoc convincit, cum fateamur & animam humanam posse per se subsistere, & tamen esse corporis formam, sed ex eo, quod universitas rerum exigit ad suam perfectionem, ut, veluti sint potentes subsistere, subsistant. Subsistere enim est suo actui substare suisque accidentibus. Ergo corpora propter finem a superiore causa intentum aptata eis fuisse. Vnde Origenes culpæ id tribuit, alii exercitio, alii ministerio. Voluit enim Deus, ut animæ sibi in corporibus ministrarent. Sed quacunque ratione corporibus immittantur, æquum est, ut Deo ministrent quoque Spiritus extra corpora, nempe Angeli. Non enim omnis eotitas corporalis est. Et cum Deus sit incorporeus, plura incorporea, quam corporea entia fecisse, existimandus est.

XIX. Illud etiam hic anootandum est contra Avicembron, quod opinatur, Angelos habere materiam sine quantitate. Et quidem, si materia est pura potentia patieodi, Angelis non est deneganda, ipsi enim patiuntur recipiendo. At quia nobis materia est corpus ipsum: quantitas vero externa limes & mensura ejus, idcirco eisdem materiam detrahimus. Alii vero dicentes, quia Angeli plures sunt, & materia non potest esse tota in uno, sed plurificatur in eis; plurificatio autem est per divisionem; divisio vero per corpoream quantitatem, ergo non est tribuenda illis materia incorporea: Non videntur coovincere Avicembronem, quoniam, juxta hos AA. potentia pura est ipsum posse recipere, divisum a Deo gradibus potestatis, posse autem recipere in eis est. Sed quia non potest recipere dimensiones corporeas, & calorem & frigus, sicuti nostra materia, propterea materiæ identitas nobiscum neganda est Angelis, & solummodo analogice tribuenda, & vocanda subsistentia. Vtrum autem possit per divinam virtutem, novit ipse Deus. D. Augustinus lucem non corporalem Angelis pro materia tribuit, sicut & animabus: lucem vero sensualem spiritui brutorum. Sed de his in Tract. seqq. Sed ulterius

XX. Quær. 1. Num Angeli utaotur discursu? R. cum discurrere nil aliud sit, quam ex simili simile sentire colligereque: sic rationari dicimur, cum sentimus aliquid non in se, sed in suo simili: in se enim est sapere, in simili scire. Et omnis scientia discursiva fiat ex præcedenti cognitione: quæcunque ergo ex præcedenti cognitione alia rursus cognoscunt, discursiva sunt. Hinc arbitramur, Angelos per discursum cognoscere futura contingentia, & in his interdum falli: quoniam, licet res omnes cognoscat Angelus per rationes ideales, tamen singularitatum conjunctiones, ab ordine divino præfixas, & concursus fortuito, non subito oorunt, quando inclinatio causarum ad neutram partium declinat: alioquin noti essent. Verum quæ nobis fortuita sunt, non omnia sunt illis. Inventio enim thesauri ex fossione, cum incipit, nota est illis, nobis autem ignota & fortuita.

XXI. Similiter quæ facit Deus supra naturalem ordioem rerum, ignota sunt illis, quoniam non datur idea eorum. Quapropter in hujusmodi discursu uti eos arbitramur. Et licet negent Thomistæ aliqui, si tamen consideremus sine verborum tricis, quid sit discursus, palam est, quod quæ per aliud ignotum investigamus, discurrendo discamus. Sicut Diabolus, dum argumentatur, an Christus sit Deus? SS. Isidorus, Augustinus & Dionysius, experientiam, discursum & phantasiam dant & sensum Angelis: quoniam omnes hæ sunt actiones sapientiæ, & ubi est sapientia limitata, concurrunt omnes.

Ergo occulta hominis volitio, & futurum contingens ante causæ determinationem, & supernaturalia mysteria ante revelationem, sunt tria, quæ Angelos latent: & in quibus discursu utuntur, ut elicitur ex dictis Apostolorum & Prophetarum rationabiliter. Quod autem quandoque fallantur errentque in prædicendo futura, de Cacodæmone, non Evdæmone, intelligi velim, beatos enim Spiritus in similibus judicium suum suspendere arbitror, Deo ita providente.

XXII. Quær. 2. Quomodo Angelus Angelo loquatur? Ante resp. Suppono, loqui nil aliud esse, quam manifestare mentis conceptum propriamque affectionem. Manifestatio vero fit, aut immediate, aut per signum aliquod naturale, vel ex condicto: uti per gemitum naturalem passio exprimitur, & per verba, & per literas scriptas ex condicto, & secundum placitum arte steganographica & metacryphica. Qui autem audit vel legit, scit sentitque, quid alter sentiat velitque indicare. Ergo locutio & auditio est, quandocunque ens enti seipsum manifestat & imprimit, quod non fit nisi agendo. Igitur aqua calida tangens frigidam manifestat ei propriam caliditatem, dum imprimit effunditque. Similiter aer commotus commovet alterum contiguum, ergo ei proprium motum communicat, & hoc est manifestare. At quando per medium aliquod hoc facit, dicitur manifestatio mediata atque locutio. Quia igitur anima clausa est in corpore, sicut potest per scientiam habitualem sibi actualiter aliquid manifestare, ut cum ex principiis elicit conclusiones, & hæc locutio est mentalis: Ita potest etiam aliis loqui id, quod scit, sui locutionem illis imprimendo, quando vult: & quia hoc non potest immediate, per organa corporea aerem certis modulis verberando, movet spiritum habitantem in aoribus aliorum, perque spiritum mentem propriaque afficit affectione. Idque est loqui. At si esset anima extra corpus, alteram animam tangendo virtuali tactu, afficeret sui conceptione, ut aer tangens aerem. Sicut enim qui est in carcere, alteri in alio carcere captivo per parietum percussiones ex condicto & consuetudine vario modo actas, varias res significat: Ita anima corporata alteri animæ. Cum igitur Angeli liberi sint a corpore, non indigent signis ad loquelam, nec percussionibus corporum, sed quodam tactu sese intelligunt. Sed utrum hic contactus debeat esse immediatus, an per mediom aerem, aut per spatium, ita ut distantia loci impediat eorum locutionem, quæri posset, & R. quod non, alioqui si distantia loci impedimento esset eorum locutioni, deterioris essent conditionis, quam nos, qui aliis a longe loquimur, per trecentos saltem passus, imo ope tubi acustici ad distantiam unius horæ verberando aerem. Si vero Angeli per

per medium aerem percussum sibi mutuo loquerentur, tunc forent corporei, aer enim in corpus tantummodo agit. Si vero per spatium, difficile est captu, quo pacto spatium deferat intellectionem & afficiat Angelos. At si in Deo sibi loquuntur mutuo, hæc erit supernaturalis locutio, non naturalis, de qua nunc inquirimus. Illud quoque difficilius est, quo pacto Angelus inferior agit in superiorem, & in Deum, dum Deo loquitur, & supplicat, ut in sacris literis legimus. His præmissis

XXIII. Respondeo ad quæst. cum S. Thoma, locutionem Angelorum ad invicem fieri sola directione conceptuum per voluntatem ad alterum, adeoque non impedit distantia, nec medium requiritur: sed ex eo quod volitio hujus Angeli ordinatur ad alium, fit in idea alius similitudo id repræsentans, non quidem nova secundum essentiam, sed secundum modum. Sic quoque dicimus, quod Angelus cognoscit Petrum sedere, quia similitudo sessionis & Petri est in eo, & dum fiunt in Petro, relucent in suo simili, quod est in Angelo, cum vero non sedet, cessat hæc conjunctio similitudinum in Petro, & in Angelo amplius, ut sic non repræsentetur. Ergo dum vult Angelus Angelo suam manifestare cogitationem, repræsentatur Angelus manifestans: dum non vult, repræsentatur ut nolens manifestare. Est enim alter alterius speculum & idea. Hæc autem ordinatio voluntaria est quoddam signum excitans alterum Angelum ad audiendum. Et quia non ordinatur ad omnes, ideo non omnes audiunt, nisi ad quos ordinatur. Ergo illuminatio, purgatio & perfectio inferiorum per superiores exercentur circa ea, quorum non est notio inferioribus innata. Sed an innata quoque perficiatur, non dubitamus: Superiores autem ab inferioribus non perficiuntur, quia hoc esset supra solitum naturæ cursum, ac proinde miraculum. Angeli autem miraculis non indigent, ad credendum, qui nimirum vident omnia in sapientia Dei.

XXIV. Illud quoque observandum, quod ista voluntatis explicatio dicatur locutio, a quocunque fiat, excepto Deo. Nam Dei ad nos locutio est voluntatis talis manifestatio, quæ est rerum causa & regula veritatum. Et quoniam hoc concessit nobilioribus creaturis Deus, ut aliqua celare possint ad libitum, horum modo manifestatio est locutio, & cognitio est auditio. Loquens autem creatura Deo, nihil illi manifestat ignotum: idcirco non agit in Deum, sed in seipsam, disponendo se ad recipiendum & sciendum id, quod vult a Deo, sicut discipulus a Magistro, & naphta ab igne.

XXV. Nonnemo recentior, dum inquirit in linguas Angelorum, de quibus mentionem facit Apostolus 1. Cor. 13. sic scribit: omissis quibuscunque ineptiis opinionum, dico eos loqui per directionem conceptuum. Sed quomodo? Hoc vulgaribus videtur impossibile explicatu, nobis merus est lusus. Nimirum loquens habet jus & facultatem determinandi intellectum audientis ad perceptionem certæ veritatis, & simul, ut cognoscat, hanc veritatem ad illum dirigi a loquente: in quibus duobus perfectus sermo consistit. Quomodo hoc fit? Per *actionem regiminis*, inquit, competentem loquenti. Ergo loquens jus habet instruendi & informandi alienum intellectum? Omnino. Sed hoc cedit in bonum tum privatum audientis, tum commune Reip. Angelicæ. Modus hic maxime congruit Angelis: facillimus est, secretissimus & certissimus inter beatos; quamvis inter damnatos mendax quoque esse potest. Ad hoc tamen, pergit, requiritur certa distantia, sed in variis varia. Attamen non dicitur esse in distans, licet nihil in medio fiat: quia est independens a loco & quovis contactu: unde nihil obstat, quo minus Angelus tutelaris in terra existens existentibus in cœlo colloqui possit, dummodo ad hoc jus a Deo habeat, sicut habere censendus est: & sic qui custos inferni est, dæmones damnatos ibi alloqui & terrere potest, etsi ipse in cœlo maneat. Hæc ille, & pergit: Hæc tibi mirabilia videntur? Non habes mirandi causam, si eadem nobis hominibus cum cœlitibus competant. Attamen revera cum sanctis Angelis & hominibus loquimur. Dum enim dico: S. Maria, S. Angele ora pro me in hora mortis, dum, inquam, sic non tantum voce dico, quæ eo pertingere nequit, sed etiam solo voluntatis affectu, loquor sane Angelo ac Deiparæ, cum ei meam necessitatem exhibeam; & simul significem, me dirigente & volente hoc fieri, in quibus duobus vera locutio sita est. Loquiturne etiam Angelus suo clienti, quem abstrahit a peccato, & ad bonum pia inspiratione impellit? Non sane: etsi enim aliquam veritatem ei vivacissime proponat, non tamen significat fieri hoc se dirigente. Unde nescit homo ille sic impulsus, undenam sit ille affectus suavis? a Deone an ab alio? an casu exortus? Tametsi ergo nobis permittatur colloqui beatis, cum nostra necessitas hoc requirat; non tamen permittitur ordinarie beatis, ut nobis ipsi loquantur, quia illa familiaritas nobiscum ipsos dedecet. Sic non possunt ordinarie damnati colloqui beatis, nec vicissim, quia sunt ad æternam inimicitiam separati; possunt tamen liberalissime inter se beati colloqui, quomodo etiam identidem ad Dei laudes incitant, cujus Majestatem per Christum laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates, cœli cœlorumque virtutes & beati Seraphim socia exultatione concelebrant. Et licet inter sese Angeli non utantur vocibus, possunt tamen crispando aerem, & motu locali, in usum beatorum hominum, suavissimas voces, cantus & harmonias musicas efformare, atque ita eos incitare ad canendum Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c. Hæc verbotenus ex Philosophia P. Aloysii Kimet S. I.

XXVI. Quem discursum fateor mihi videri mirabilem. Mirandi causam præbent illa verba: *Requiritur certa distantia*. Et quænam illa? Unde scio me audiri a Sancto, quem invoco, constitutum forte in supremo Zenith Empyrei, si non tamen distantia cœli empyrei infima superficies respectu terraquei non sit satis magna. Ad quid requiritur distantia, aut certa propinquitas ad actum a loco independentem? ut tu ipse fateris in terminis. Cur negas inspirationes pias ab Angelo tutelari factas clientibus, esse loquelam, nisi sciam eas ab Angelo meo proficisci? An negabis locutionem tibi factam ab homine, quem non vides, nec ex voce agnoscis, verbis tamen ad te directis, & nomine tuo te compellantis? Nonne facto ipso talia verba ad te directa cognoscis? nec altiore significatione opus est. Miror quoque, quo fundamento adstruas actionem tuam regiminis homini concessam in superiores sibi Spiritus Angelicos & beatos, esto Adam forte habuerit in bestias. Hunc quam lusum vocas, non assequor.

SE-

SECTIO IV.

De Loco & motu locali Angelorum.

XXVII. Quid nomine loci & ſpatii iotelligamus, hic non diſſero,ſed in Tract. ſpeciali inferius, ubi quoque videbis,quid per locum circumſcriptivum & definitivum velint Philoſophi: vide quoque Tract. 32. de ſpatio imaginario. Quibus bene perceptis, hic inquirimus, qua ratione Angelus ſit in loco & moveatur localiter,ut hinc ex ejus exiſtentia innoteſcat vel tantillum quidditas.

Omnes quidem ſentiunt,Angelos non eſſe in loco circumſcriptive,ſicut corpus a corpore circumdatur, ita ut partes partibus commenſurentur, ſed definitive, quia ita eſt hic, ut non alibi: ſed eſſe ita hic,ut non alibi, Scotus tribuit ſubſtantiæ; D. Thomas operationi, quoniam ſubſtantia incorporea non habet eſſe hic, neque alibi,ſi per ſe ſubſiſtit & in mundo mentali. Vt autem ſit ita hic, id eſt,in noſtri mundi corporei particula, quod non alibi,facit operatio tranſiens ex mentalibus in corporalia. Præſentia erga non ſitualis, ſed agentis ad paſſum,ordo,& ipſa operatio in paſſum, denominant Angelum eſſe in hoc loco,ubi eſt paſſum, ita quod non alibi. Sed tamen exiſtentia ejus in loco non eſt reſpectus,qui non poteſt fundari ſuper ſubſtantia incorporea, neque ſuper limitatione ejus eſſentiali, quia hæc eſt æquivoca ad limitationem localem: neque ſuper negatione diſtantiæ a loco, quoniam ipſa nuſquam eſt, præſertim ſi indiviſibilis eſt: eſſe autem nuſquam,& eſſe hic, contradictoria ſunt.

XXVIII. E contra Scotus ait, ablata quantitate ab aqua, quæ eſt in hoc vaſe,remanet ſubſtantia ita in vaſe,quod non alibi. Si dicas cum Thomiſtis,eo caſu neque ibi,neque alibi reperiri aquam localiter: Vrgebit Scotus dicendo,quod Angelus immediate operetur in loco,ergo eſt ibi; alias non eſſet ipſe in loco,ſed ſua operatio. Et eſſet in toto cœlo quod movet, & commenſuraretur. Reſpondent, quod ſubſtantia adeſt, ſed non localiter exiſtens,ſed ut operans aut patiens. Et quod operatio tranſiens ut recepta in alio, poteſt commenſurari, & quod in ea parte cœli ſunt, unde motus incipit,& quod ſunt in Empyreo,ſi operantur ibi, ſin minus,nuſquam. D. Thomas vero concedit præſentiam ſubſtantiæ ut operantis, & contactus virtutis, & eſſe in loco ut continens,non ut contentum. Et ſane cum Peripatetici,juxta definitionem loci Ariſtotelicam, velint locum eſſe ſuperficiem ambientis, quod non ambitur, non eſt in loco circumſcriptive; unde neque punctus eſt in loco,niſi quia corpus, cui inhæret, eſt in loco. Sic neque Angeli ſubſtantia circumſcriptive locari poteſt, neque ambiri: ſic neque tota univerſi machina eſt in loco:quid enim extimam Empyrei ſuperficiem ambiat? Verum cum ſubſtantia Angeli eſt intra hoc corpus operans, neceſſario eſt in loco ſeu ſpatio definitive, alioqnin eſſet ſimul in cœlo,& ubique vel nuſpiam. Quod autem nullibi eſt circumſcriptive, nec definitive,aut eſt ens omnia continens,ut Deus,aut baſis entitatis rerum,quam mundum vocant Mathematicum ſive ſpatium univerſale; aut nihil. Neceſſe autem eſt,Angelum exiſtere ita in hac parte ſpatii, quod non in alia,habereque ſphæram activitatis limitatam,& cum incorporeus ſit, nec a corpore ambiri queat, ſed totus ſit in toto ſpatio & totus in qualibet parte ſpatii, (ſicut volunt animam intellectualem ineſſe corpori) eſſe in loco definitive dicetur. Quapropter operatio declarat quidem,Angelum eſſe in loco,ubi operatur,ſed eſſe in eo facit limitatio exiſtentiæ extra primam cauſam.

XXIX. Hinc etiam terminatur quæſtio, utrum Angelus poſſit eſſe in pluribus locis: quoniam limitatio naturæ unius in uno tantum locat: operatio vero declarat hoc, ſi Angelus non poteſt duos effectus totales adæquatos facere ſimul in diverſis mundi partibus: neque enim excedit vires proprias,neque ſphæram activitatis ſuæ,quæ pro ratione excellentiæ naturæ Angelicæ major aut minor eſt, ut mox declarabitur.

XXX. Vtrum autem ſimul in eodem loco poſſint eſſe plures Angeli? reſpondetur affirmative de potentia Dei,ſicut & duo corpora poſſunt penetrative eſſe ſimul: at phyſice quoque non eſt quod impediat, niſi voluntarie reſiſtat. Videmus enim duas luces ſeſe penetrare mutuo,quia incorporeæ ſunt.

Porro ſicuti verum eſt,Angelum eſſe in loco determinato, ita & localiter moveri poſſunt. Definitive enim eſt ita in una parte ſpatii univerſalis, ut non ſit in alia,& movetur per iter unum, quod non per aliud,puta verſus Orientem, & non verſus Occidentem: nec obſtat,quod ſint expertes elementarium qualitatum caloris & frigoris, quamvis metaphorice ignei dicantur. Motus enim eſt ex potentia motiva, quæ calorem excedit: imo operationes & facultates elementarium ſunt a primalitatibus, trochus enim movetur impetu impreſſo non calido, ergo vis motiva, quamvis eſt in calore,tamen excedit illum,ut primalitas eſt. Et ſic terra quamvis frigida,ex ſua totalitate movetur, & ſi manifeſte verum ſit,correpta a calore moveri, a frigore vero immobilitatem ſortiri, quorum vires ſunt in Angelo eminentius.

XXXI. Quod autem Peripatetici dicunt,moveri localiter non poſſe,niſi corpora diviſibilia,falſo nituntur ſuppoſito, videlicet diviſibile eſſe continuum in infinitum. Experientia quippe reluctatur: nam acus tangit ſphæram vitream in puncto, & ſphæra ſphæram. Nihilominus circumvolvendo alteram altera ſemperque in puncto tangendo, perficitur motus, ergo & puncta infinita non adſunt,uti perperam credunt. Præterea omnis mobilis extremitas eſt indiviſibilis, & illa tangit ſpatium in indiviſibili. Ergo dum movetur mobile quodcunque, licet tota tangat totum indiviſibiliter;tamen extremitate præeunte ſemper tangit indiviſibiliter; & metitur totum ſpatium. Vt ergo quod movetur,ſit partim in termino a quo,partim ad quem, non requiritur ejus diviſio,ſed ſpatii. Neque enim motus dividitur ad diviſionem mobilis,ſed ſpatii, quod etiam dat continuitatem & tempus. Nec punctus poteſt in ſe ipſo gyrari localiter,ſed ſitualiter. Atomus itaque vere talis,& non ſolum ad ſenſum,motu tantum recto, non circulari movebitur. At quidem non poteſt ſenſu nec imaginatione dari atomum abſque partibus ſitualibus ad omnes mundi ſitus reſpective: ſed poteſt ſine partibus quantitativis, & ideo poteſt centrum, recta & circulariter moveri,ſicut lineæ ab eo ad periphæriam ductæ,quoniam diſtinguitur ſitualiter.

XXXII. Verum quidquid ſit de hypotheſi Ariſtotelica,ipſius tamen Ariſt. ratio nulla eſt contra motum animæ & Angeli: non enim indiviſibilis eſt quantitative,ut punctus,ſed eſſentialiter. Neque loco ambitur,neque a corpore medio impeditur. At quin a ſpatio impediatur, vix negari poteſt, dum movetur non

non mentaliter solum, sed operative in ordine ad mundum mathematicum & situalem. Si enim ab ortu in occasum mundi simul posset moveri, non transeundo medium spatium, tunc posset similiter in infinitum subito, quod Dei proprium est. Quod enim a nulla distantia impeditur, sed simul est in omnibus, potest ubique esse & infinitis locis. Exemplo sit lux, quæ subito est in Oriente, & potens est ad docendum ejus motum. Sed tamen, quoniam lux per medium transit, utique & Angelus per medium transit: lux autem non in instanti indivisibili id facit, quoniam nulla mutatio physica est atoma, sed nobis videtur in indivisibili: qui cum simus multa successione temporali affecti, velocitatem lucis sine tempore esse putamus, quia est in minimo tempore. Quod a potiori concedere Peripatetici coguntur, secundum quos lux educitur e sinu materiæ aeris, longe magis in tempore fiat ejus motus ab ortu in occasum necesse est. Omnis enim generatio, præsertim in tanta mole, quantumvis disposita, plus temporis requirit, quam loci mutatio, cum præsertim fiat in toto aere per partem post partem: neque enim sol oriens movet aerem in occasu ad generationem lucis, sed in ortu, quæ motio communicetur usque ad occasum. Fatemur tamen Angelum moveri, non modo quia operatur in re, quam movet, ut, cum corpus circumfert: sed quia etiam substantia sua mutat situm spatii, non tangendo corpora physica, sed virtualiter, spatium tamen permeando ea velocitate, qua corpus movet. Essentia enim movens est cum ipsa motione activa: quando vero per se movetur, velocius quidem transit spatium, quam lux aerem: sed nos crasso corpore prædati, & motu pigro, hos motus sine successione fieri reputamus, sicuti & atomos in solis lumine judicamus indivisibiles. Sed quoniam Angelus voluntate operatur, potest concitare & tardare motum. Absolutus est Angelus a lege loci corporei, non autem a spatii continuitate, dum in mundum corporeum progreditur a mentali, quia finitæ potestatis est. At in mundo menta lion est motus ejusdem rationis, sed superioris a lege corporum & spatii absolutus, quales sunt humanæ mentis cogitationes & applicationes. Camp. L.12. Met. cap. 6. art. 2.

SECTIO V.

Expediuntur quædam qq. remissive.

XXXIII. Quær. 1. Vtrum Angelus (idem est de Anima) possit immutare propria & aliena corpura sola imaginatione, & miracula facere naturaliter? Nam videtur quod sic, cum Avicenna: Sicut enim potest anima ex sola apprehensione, nil corpus movendo, calefacere illud, ut in ira; & frigefacere, ut in pavore; & ægritudine afficere usque ad mortem ex sola imaginatione, & semen jaculari ex fœminæ cogitatione, & in somnis multipliciter ipsum immutare, ergo longe magis potest Angelus, qui est vehementioris apprehensionis: ergo poterit pluviam, & ventum, & pestem, sanitatem, aliaque hujusmodi facere multo magis, quam calor & frigus. Item anima extra proprium corpus ex sola affectione operatur, ut cum fascinat pueros, & arbores exsiccat & occidit: eademque ratione sanant alii, ut Prophetæ & viri benefici vehementis imaginationis, sicut malefici cædunt. Ergo & Angelus multo magis. Scribit quoque Vida Episc. Albanus heroico carmine, se vidisse hominem prope Viterbum, qui occidebat plantarum germina, & parva animalia, & pueros, virulentis oculis aspectando. Sunt & animalia noxia oculis & flatu ejusmodi. Tympanum quoque de pelle lupina pulsatum infringit tympanum de pelle ovina confectum; non quidem solo motu, quia alia tympana æque disrumperet, sed ex apprehensione. Verbum irati Regis exanimat servum, ad quem profertur, non autem alios, qui propius audiunt: & serpens occisus quoque ab umbra fraxini recedit; & homo occisus coram occisore ebullit in plaga: & fœmina ex sua imaginatione causat in fœtu macolas: & Iacob hac usus magia est ad ovium generationem, ergo aliquid facit sensus ante motum; quin imo nulla res movetur ad aliquid sponte, nisi appetitu: appetitus sensu præeunte & desiderio, vel odio, & sensus & desiderium præeunte potentia. Anima autem & Angelus potentia, sapientia & amore constant.

Ad hæc aliqui respondent, quod, quia anima est forma corporis, potest illud formaliter immutare ex sola cogitatione: quia movet appetitum sensitivum, ex motu illo causari alterationes: potest ergo virtus superior, quod inferior, non eodem, sed excellentiori modo, non per motum localem inducendo alias mutationes: & quia simile fit a simili, formas & calorem, & frigus fieri non ab Angelo, sed ab aliis formis, & calore, & frigore. Item animam non immutare corpora exteriora, nisi prius immutando proprium corpus. Non ergo imaginatione fascinat puerum, sed movet spiritus, qui afficiunt oculos, & oculus aerem continuum cum illa malitia, quam in puero imprimunt, sicut in speculo maculas.

XXXIV. Verum hæ responsiones non satisfaciunt; tum, quia forma non transmutat id, cujus est forma, sed aliud: nec enim ignis calefacit seipsum, neque forma aquæ agit in corpus suum: agere enim est reddere aliquid sibi simile: corpus autem, quod subjicitur formæ, jam redditum est tale, cujusmodi forma regnans cupit: tum quia anima brutorum non est forma, ut dicemus in Tract. sed spiritus inhabitans, ut nauta in navi; & tamen ad ejus apprehensionem incalescunt, frigescunt, ægrotant sananturque: præterea vidimus condemnatos ad mortem intra triduum ex apprehensione pavida canescere: quosdam vero etiam mori & pavore, & lætitia, quæ sunt affectiones spiritus.

XXXV. Quær. 2. Quousque se extendat scientia Angelorum? Resp. quod si ad vitam Angelorum notitia omnium rerum naturalium necessaria sit, omniscios factos esse oportet: Autor quippe naturæ, non omnibus rebus eandem cognitionem loquutus est, sed cuique qualem quantamque ejus vitæ & conservationi, & operationibus novit necessariam esse. Solus autem Deus tota Sapientia est. Angeli autem deputati sunt ad Dei laudes & admirationes: laudari autem non potest quod ignoratur, vel cujus opera latent: Idcirco omnia scire eos oportere censendum est. Rursus, quia gubernatoi rerum præfecti sunt: gubernari autem non possunt ignota, ergo res omnes noscant oportet. At quia non omnis Angelus omnia gubernat, sed alii alias, ergo cognitione intuitiva non omnia norunt, nisi quæ regunt; cætera vero per similitudinem, & abstractionem, & discursum. Quarum autem rerum habent notitiam, congenitam esse illis probabilius, quam esse acquisitam, quoniam nobilius ab ignobiliore pati

non

non potest, nisi quatenus inferius ens assumitur ut instrumentum causæ supereminentis: sic lictor agit in principem virtute regis, & penna scribit doctrinam virtute scribentis. Ideirco melius est arbitrari, Angelis congenitas esse scientias, quam acquisitas per passionem, cujus scientia est sequax.

Plura de Angelorum ministerio vide in Tract. IX. de Archæo & Mundo.

TRACTATVS VIII DE ANIMA.

Animæ notio, sicut & vitæ, admodum vaga est & incerta. Deum & Angelos vivere nemo dubitat, qui tamen animam eis tribueret, non lego. Et quidem τὸ *vivere* terminus est analogos, ut patebit ex Tract. Nec bestiis modo, sed etiam plantis, imo nonnullis mineralibus animam tribuunt; in quo autem consistat anima horum, tot sententiæ sunt Philosophorum, quot capita. Sane quæ sit notio aut natura iis omnibus communis, vix explicare possumus, ut mox patebit ex dicendis.

SECTIO I.

QVID SIT ANIMA, ET QVOTVPLEX.

I. Quam difficilis sit cognitio animæ, apparet ex omnium scriptorum libris, priscorum & modernorum, qui unquam de hac materia scripserunt, sicut hucusque in mari opinionum fluctuare videatur. Difficultate ejus oppressus Galenus dixit, animæ doctrinam adeo quascunque alias superare, ut de ejus origine quæstionem facere non liceat. Quin etiam nulla cognitio est onerosior ea, qua anima nostra seipsam comprehendit. Hinc colligitur quam exiguam scientiam rerum aliarum habeamus, dum quæ intra nos sunt, ignoramus. Hoc ipsum agnovit Galenus L. Introduct. c. 5. apud Leonem a Stipite, de Relig. mentis P. I, cap. 2. dum dicit: Scientia est conveniens, firma & nunquam a ratione declinans cognitio: talem apud Philosophos, præsertim dum rerum naturas perscrutantur, non invenies, multo sane minus in re medica: imo, ut verbo expediam, ne ad homines quidem venit. Audiamus ante omnes Philosophum.

II. Aristot. 2. de anim. text. 6. definit animam, quod sit *Actus primus corporis organici potentia vitam habentis.* Quid doctius? Resp. primo: Hanc definitionem peccare contra leges bonæ definitionis ab ipsomet traditas; nempe quod definitio debeat esse clarior definito, hæc autem æque obscura est ac ipsum definitum. Secundo, debet dari per genus immediatum, quale non est *actus primus.* Dum autem Arist. definit animam, & lumen, & calorem, & motum per ly *actum*, dupliciter peccat: primo, quia ly *actus* est genus extraneum ab anima, & non essentialis, motui autem fortasse, quatenus est actio, conveniret. At insuper æquivocationem sapit magis, quam analogiam hæc vox *actus.* Secundo, quoniam ly *actus* est prima entis differentia. Nam ens dividitur in potentiam & actum; ergo cum sit tam remotum genus, nihil declarat. Præterea videtur esse transcendens, quoniam ait D. Thomas cum Arist. omne genus circuire actum & potentiam, & ens divisum in actum & potentiam simul partiri in decem prædicamenta. 7. Metaph. quo pacto igitur essentiam animæ & motus & caloris positorum in diversis generibus, ly *actus* declarabit? transcendens autem terminus ineptus est definitioni, quia nihil notificat, uti ostendemus Tract. XXXIII. de Definitione.

III. Resp. Secundo, Arist. omnia definire solitum per respectum: neque enim definivit, quid sit ignis, aut lapis, aut aqua, aut ullum ens, per essentialia, sed per meros respectus, ut cum ait: *Natura est principium motus.* Anima est actus corporis physici, &c. Vbi solum respectus ad subjectum docetur, non autem essentia qualitatis & animæ, & quomodo ex elementis non animatis sit anima, & quæ sit ejus substantia, quam unice inquirimus. Quapropter putat scire, quod nescit, sic solet dicere: *Lux est actus diaphani. Qualitas est, qua dicimur quales.* Asinitas ergo qua asini &c. Aut dic sodes, quid plus discis ex præced. definitione animæ, quam ex ista: Anima est id, quo animamur?

IV. Resp. Tertio, Prædictam definitionem vario explicari a Peripateticis: quidam enim volunt animam educi e potentia materiæ proxime dispositæ, hoc est, organizatæ ita, ut organa præcedant animam: alii quod anima ipsa efficiat organa. Priorem sensum affingunt omnes illi, qui negant, animam vegetativam & sensitivam esse entitatem absolutam, quos inter Honoratus Faber L. 1. de plantis. propos. 28. sic discurrit: Forma plantæ non est ulla entitas absoluta. Hæc propositio, inquit, est contra communem recentiorum scholasticorum sententiam. Non existimo tamen esse contrariam Aristoteli, vel antiquioribus Philosophis, & verissimam esse contendo. Sic autem primo eam probo: Modo sit corpus organicum cum iis dispositionibus, quibus positis alimentitius succus sugi, percolari ac præparari potest, sublata etiam qualibet alia entitate, forma plantæ inest. Ergo illa forma non est ulla entitas absoluta, distincta sc. a corpore organico & dispositionibus prædictis, ex quibus sequuntur præfatæ mutationes. Si dicas, illam formam esse principium illarum mutationum vel actionum v. g. vis illa, qua sugitur & percolatur succus alimentitius: cum enim nec sit corporis organici, nec dispositionum, alterius entitatis virtus erit; & hæc est forma plantæ. Respondet, utique aliquam entitatem ponendam esse, si hic motus sequi non possit ex dispositionibus corporis organici, sed negat ex iis non sequi. Idem asserit de anima sensitiva L. 5. prop. 56. Si hic autor distingueret inter formam & animam, facile concederem, formas materiales omnes esse respectivas: secus animam. Idem autor ibid. prop. 66. negat, animam rationalem statim initio infundi; quia infunditur tantum corpori humano, sed initio (conceptionis) corpus humanum non est: sed recte ait, sentire D. Thomam cum Arist. conceptum (humanum) primo vivere vita plantæ, tum sensitiva, tum rationali, ac proinde animæ vegetativæ succedere sen-

sensitivam, & huic rationalem &c. quarum singulæ præsupponunt materiam organizatam, non efficiunt.

IV. Contrarium e diametro tenet P. Ioan. Bapt. Ptolomæus Phys. partic. differt. 1. num. 6. his verbis: Neque in bruto, neque in homine successive & gradatim tres animæ admitti debent, ita ut primo sit planta-homo, mox homo-brutum, ac tandem absolute homo. Superflua enim & absurda sunt ista inducta ex specioso quidem, sed bracteato titulo, quod ita ordinatius fieret hominis genesis, alioquin centum quoque animarum series eodem prætextu induci deberet. Itaque creatur (anima) in homine: educitur ex corpore bruti anima: illa rationalis, hæc corporea tunc temporis, cum satis organizatus est embryo ad operationes vitales, saltem vegetativas, exercendas: eo enim ipso anima quoque rationalis conjungitur juxta aptitudinem suam corpori, quia aliquem usum & effectum physicum habere potest, ac proinde non omnino caret consecutione sui finis physici: licet omnes effectus suos physicos cum corpore nondum absolute organizato, præstare non possit. Neque ludas, inquit, his verbis: illa organizatio non est perfecta pro anima rationali: distinguendum enim est *perfecta*, ad vitaliter operandum; Nego. Ad intellectualiter & spiritualiter operandum; Conc. Operatio enim vegetativa, operatio vitalis est. Quid hac in re verosimilius mihi videatur, aperiam inferius: modo non definitio, sed eatenus allegare volui, ut appareat quam ambigua sint illa verba definitionis Arist. *Corporis organici*. Hæc autem organa sive instrumenta per virtutem plasticam ope animæ efformari, multo probabilius est, & a natura non stupida sed ingeniosissima. Hinc doctissimus D. Ioan. Marcus Marci Idearum operatric. cap. 2. cum sibi objecisset, animam, ex definitione Philosophi, esse actum corporis organici, adeoque semen non posse ab anima actuari, utpote inorganicum: respondet, animam non definiri in se, & ex principiis essentialibus, sed in ordine ad corpus, quod ipsa constituit, non invenit: siquidem ratio corporis animati est effectus formalis animæ. Proindeque illam definitionem sumi ab ultima perfectione, quam adipiscitur corpus ab anima, quando nimirum suis organis est distinctum & perpolitum, non quidem subito, sed pedetentim illam consequendo. Cum vero dicitur anima actus corporis organici, ita intelligendum est, quod corpus organicum non nisi ab anima esse possit, cum alterius formæ simplicis simplex quoque sit effectus. Non autem est necesse, corpus animatum protinus sua organa habere perfecta, cum & ab ortu quibusdam oculi, quibusdam alia desint instrumenta: quin & mutari contingat aliqua, & sibi in totum dissimilia fieri, ut cum pennæ aut diversa crura, aut etiam capita nova renascuntur. Deinde dici potest corpus organicum idealiter, & ὡς ἐν τύπῳ sumi, non vero effective, tale vero est semen, nim. corporis organici specie insignitum, quam necessario consequitur ex conjugio animæ, prout ostendemus in Tract. XLII. de Semine. Hæc circa definitionem Animæ dicta sufficiant. Antequam ad rem ipsam & substantiam animæ veniamus,

V. Notandum 1. Peripateticos triplex constituere genus animarum, nempe vegetativam, sensitivam, & rationalem. Primam plantis, alteram brutis, tertiam homini tribuunt. Sunt tamen qui omnibus omnino rebus vitam sensumque tribuant, fundati in ratione & Patribus. Sunt qui duplicem in homine statuunt, sensitivam, quam simpliciter animam vocant, & mentem; communiter autem rationalis anima in partem inferiorem (sensitivam) & superiorem seu intellectualem partiri solet.

2. Gradus animantium 4 apud illos constitui. Primus & infimus gradus plantarum participat solum potentiam vegetativam. Secundus est animalium imperfectorum, quæ Zoophyta appellantur, & participant vegetativam, sensitivam & appetitivam potentias, carent tamen loco-motiva. Tertius gradus est brutorum perfectorum, quæ ultra prædictas potentias loco-motiva quoque pollent. Quantum autem de ratione participent, dicemus Tract. Quartus denique & supremus animatorum gradus est, qui soli convenit homini, qui præter enumeratas facultates etiam intellectu præditus est dignoscitur, cujus animam immortalem fides orthodoxa & ratio docent. Videamus modo de singulis animæ generibus, in quo proprie consistant.

SECTIO II.

De Anima vegetativa.

VI. Omnem rerum naturam quasi sentiendi facultate donatam esse, & potendi & appetendi, plausibiliter defendi posse ostendit Thom. Campanella in suo libro de sensu, ejusque apologia. Siquidem res cunctæ potentia essendi & sensu essendi, & amore essendi constituuntur, ex primi entis participio. Neque ad momentum duraret tota natura, vel ejus particula, si non posset esse, aut non sentiret esse, aut non amaret esse: sensu enim cognoscunt insuper nedum esse, sed contrarium ens, quocum pugnant usque ad necem, & simili congaudent, & noxia & utilia, quibus destruuntur & servantur, illa vitant, ista sectantur. Ablato autem sensu non erit fuga, neque sequela, neque actio, neque passio, neque rerum distinctio, sed chaos. Et divinæ literæ sæpe admonent, sapientiam Dei super omnem carnem, & super omnia opera Dei effusam esse, ita ut in aliis participata, sit naturalis sensus, in aliis animalis, in aliis vero rationalis, concludere liceat: & alibi omnia naturæ elementa vivere, ac Deo obedire necessario asserunt.

VII. Primum ergo genus animæ, quod vegetativum vocant, & concupiscibile, in plantis repertum, sensitivum aliquo modo imperfecto prorsus est, non tamen quantum in animalibus, in quibus etiam alius est sensus spiritus, alius carnis, alius ossis & dentis & nervi, obtusior sc. clariorque. Neque ex eo quod planta materialiter suscipit nutrimentum, non sentit, ut arguit Arist. Nam & tactus noster & gustatio sensu fit materiali, & tactus veneris similiter, quem huic tribuunt animæ, quam secant in nutritivam, augmentativam & generativam. Neque enim planta nutrimentum bonum a mixto distingueret absque sensu, sed omnem ex quacunque terra sugeret; neque exhilararetur pluvia, erectis viridantibus foliis; nec mœreret demissis squalentique vultu in magno æstu comis; neque sciret partes cibi distribuere: nec partes sine sensu attraherent; nec appeterent: nihil enim appetitur nisi prænoscatur: neque spinas contra feras parare: folia contra frigus & æstum, semen contra mortalitatem: & licet a causis instigentur melioribus, haud tamen instigari queant, sine violentia nisi sentiant. Non enim lapis obedit, sed fera, & si (ut S. Hieron. ait in 8. Matth.) omnia sentiunt Creatorem,

cur non & cibum? & proficua & noxia,licet non sint animalia? Vnde D. Thomas facit vegetativam participio sensitivam, & sensitivam participio rationalem, & rationalem participio intellectualem seu angelicam, ex Dionys. vide Camp. L.1. Met. c.6. art. 2. Vtut sit;

VII. Magnam esse inter animantes & stirpes cognationem, manifestum est: nam & plantæ tenui vita perfunduntur, & ex certis itidem seminibus oriuntur, ac magnus est in iis organorum apparatus, magna consensio: adeo ut, quod præcipuum est vitæ indicium, partes earum sint ita inter se connexæ, ut aliæ aliis indigeant, quod in lapidibus & rebus omni vita destitutis non cernimus.

Verum in hoc mihi displicent AA. dum de stirpium anima inquirentes, quæstionem sic instituant, utrum in iis sit forma quædam substantialis & absoluta, quæ partes cujusque plantæ certa disponat lege, & illius vitæ, quam in plantis cernimus, functiones? quasi vero idem sit cum anima forma: Cum tamen juxta ipsosmet Peripateticos nulla causa agat per suam formam, sed per suam vim activam, nisi ubi etiam forma sit activa. Ignis enim non agit igneitate, sed calore, non quatenus calor est forma, sed quatenus activus; alioquin omne habens formam ageret. Multæ autem formæ activæ non sunt, ut forma gladii & lapidis. Præstant tamen commoditatem agenti: acumen enim formæ gladii ad perforandum agenti utile est, non autem obtusum ferrum, aut lima. Modificat etiam forma activam vim: siquidem ligonis forma vim activam rustici ad fodiendum determinat, non autem ad metendum. Sic & sigilli forma, ut talis fieret impressio, & non aliter a gravante. Quæ anceps disputatio videtur provenire ex ipsius vitæ diversa acceptione & homonymia. Neque enim inficiari possumus, vim quandam esse in semine arboris, quæ partes omnes tum similares, tum dissimilares effingat ad ideam, quæ est in archetypo, quæcunque illa sit, quæ tam apte cuncta molitur, quæ in germine ipso partes omnes, radicem, truncum, surculos & folia delineat, & per diversos gradus omnes ideam evolvat progrediendo, tandemque absolvat, & germen ipsum in glande conspicuum, in magnam arborem explicet. Quod certe nec sola elementorum permistio, nec atomorum & corpusculorum congressus potest efficere.

VIII. Manifestum ergo est, aliud esse formam plantæ, aliud ejus animam: dum enim arbor exaruit, adhuc arbor est & dicitur, licet æquivoce, ob privationem vitæ; non tamen per hoc aliam formam acquirit, ut somniant, qui contra sensum & rationem, nescio quam cadavericam pullulare fingunt. Hinc tametsi P. Honoratus Fabri, tam formam plantæ, quam sensitivam animantium velit esse respectivas, quæ ad talem plexum fibrarum situm &c. resultent, & nec divinitus extra subjectum existere possint, nec habeant proprie causam efficientem: nihilominus dicit, quod anima sentiens involvat aliquid absolutum. Rationem addit, quia cum sit principium sensus & motus, quod utrumque veram actionem dicit, nempe movere est agere, item sentire, certam veram causam esse necesse est. Sed quidquid agit & vera causa est, aliquam entitatem absolutam dicit, cum agere supponat esse per commune principium. Quod quidem principium motus & sensus ipse reducere conatur ad unum ex elementis, vid. ignem, cui minime assentiri possumus, ob rationes allegandas, ubi de anima sensitiva agemus.

IX. Hæc cum vera sint, id tamen valde obscurum, quidnam illud sit, quod anima dicitur: an sit spiritus, an corpus? an per corpus plantæ diffusa & divisibilis? Vtrum ex alterius plantæ anima sit decerpta, quomodo e materia educatur, in qua non erat actu? an idem sit anima cum forma plantæ aut animantis, uti videtur autori Phil. Burgund. Hæc examinabimus infra Tract. 26. De formarum origine. Id omnino verosimile, in omni vivente duo spectari oportere, corpus vid. sensibile, & spiritum seu substantiam subtilem omnis motionis opificem, id quod per effectus proditur. Qui spiritus in plantis quietis impatiens, per universum corpus discurrit, utque is ferocior est aut mitior, majorem quoque aut minorem alimenti copiam exigit, ne planta seipsam consumat. Itaque omnino in rebus animatis quidam inest spiritus distinctus a forma, quo vegetantur, quique continuo fluxu per venas & tubulos, quos sibi aptavit, huc illuc commeat. In animalibus non ramos duntaxat, & quasi stratas habet vias, sed etiam receptacula & veluti quædam promptuaria, in quibus præparatur. In iis quoque humores ipsi ex circulatione subtiliores procreant spiritus, ex quibus & sensus & motus dimanant, quique animæ sunt quasi vehiculo. Quanquam in nonnullis quoque herbis, ut in planta mimosa, & arbore Pudica dicta, sensitiva quædam appareant indicia, nam admoto digito sese contrahunt, tactum refugientes, quod quidam nervulorum & fibrarum texturæ magis exquisitæ, alii verius partibus pneumaticis & subtilioribus, hoc est, animæ sensitivæ, tribuunt. Et quidem cum globus sulphureus in vase vitreo fusus leves ad se rapuit plumulas, earum fila statim eriguntur, & quodammodo distrahuntur: at si vel digitum admoveris, statim ultro, ut in planta sensitiva, contrahuntur, quod fortassis utrobique causa sit non dissimilis. Idipsum D. du Clos in Colophonia, quæ in retortæ fundo post distillationem Terebytinæ remanserat, demonstravit: nam plumulas attrahit, ut electrica corpora, quæ digito admoto statim se contrahunt, fere ut limaturæ chalybis magnetis polo.

X. Itaque planta est corpus organicum vegetans, non sentiens ut bruta, differens tamen ab iis corporibus, quæ inanimata dicuntur, in tribus potissimum, quod determinatam habeat conformationem, quod nutriatur, quod denique sui generis æternitatem, individuorum propagatione conservet.

Hujus generationis initium & progressum contemplari licet, si attendamus, quomodo primum plantæ rudimentum sese paulatim efferat ex materia spermatica, quæ terræ gremio excepta & mollita, instar lactis fit liquidior, ut fibrillas qua sursum qua deorsum proferat, quæ ex eodem velut umbilicali nodo prodeuntes, caudicem aut truncum in arboribus, aut culmum in frumentis, aut caulem in herbis, calamum in fistulosis, scapum in leguminibus procreant.

Illud quoque intueri licebit, ut culmus tritici v.gr. fibras ab exteriore duntaxat annulo, seu ab umbilicali nodo in summa radice constituto deducat. Hinc illius cavitas, cum alia sit ratio caudicis in arbore, cujus fibræ ab intima substantia proferuntur. Vt nodi per intervalla ex fibris pressioribus & varie decussatis oriantur, quo succus in iis magis expurgetur, ut rami


tanquam brachia trunco arboris per interjectum nodum velut callo quodam obducti cohaereant: ot corticetruncus aut caulis tegatur: ut cortex ipse variis fibrarum quasi nervorum ductibus carne aut parenchymate & tunicis constet: adeo ut interdum tenuis sit, ut in lauro, membranosus, ut in arundine, crassus in populo, aculeatus in urtica, spinosus in rubo, nervosus in vite, contumax in lino, glaber in ficu, asper in subere.

Illud quoque consideranti liquebit, partem caudicis cortici proximam ex fibris in longum ductis esse compositam. Quae mollis est in herbis plurimis, dura interdum, ut in buxo, pinguis in resiniferis, laxa in hedera, lenta in salice. Sic medulla, cui pars lignosa veluti caro est circumfusa, sive sit pars plantae spermatica, sive alios habeat usus, vel fungosa est, ut in sambuco, vel lignosa, ut in pinu, vel praedura, ut in corno.

Nemo nescit herbas & arbores radice, caule vel trunco, ramis & foliis constare: fruticem vocari, cum plures fere ex aequo caudices ascendunt. Est tameo frutex inter arborem & herbam medio loco constitutus. Ramos vel radici proximam habere originem, ut in cupresso, vel longius a radice, ut quaedam brachia porrigi, ut in quercu: sive confuso, sive certo fiat ordine, nt in abiete. Eos qui postremi nascuntur, ramnlos, vocari surculos, praesertim amputato vertice: Vt stolnnes dicuntur, qui ex arboris jam grandioris radicibus emergunt. Turgescentis & nondum explicati surculi primordium gemmam & oculum vocitari: hinc insitionem certo modo factam *inoculationem* vocant.

XI. Plantae pleraeque ex semine, nt originem suam, sic partes primigenias & communes depromunt. Semen autem hoc modo licebit imaginari, quemadmodum aer plenus ejusmodi picturis, in quo radii mille modis se intersecantes, vario incursu simul confundunt & explicant non una ratione figuram. Et ut rem in typo statuamus,

Sit figura plantae ex semine recens ortae, cujus centrum evolutionis in A. in qno necesse confundi speciem totius plantae, quae idea paulatim explicata formam plantae repraesentat; & non modo inde truncum ramosque, verum etiam folia, flores, baccas, radicemque ac fibras suam accipere ideam, neque possibile, folium aut baccam nasci, nisi illius species eousque confuse delata, incipiat prius distingui. Itaque omnium foliorum & florum & baccarum species convolutae latent in ramis: & non modo in his, verum etiam in trunco, ex qno germinant rami. Nam cum ex centro A. incipit species efferri, primum quidem seminis pulpa suam portionem inde capit, quae protinus evolutione perfecta consumitur in prima folia BC. ex quibus sive defluant, sive persistant, nihil praeterea figuratur. Siquidem sub illa portione speciei non alia restat evolvenda.



At vero species reliqua, oova evolutione funditur in radicem fibrasque; alia in truncum ramosque assurgit. Et licet illa pars, quae truncum ramosque procreavit, in sua membra tum distinguatur: reliqua tamen; quae folia, flores, fructus suo tempore dabit, confusissime defertur, quia nimirum ob mutuam colligatiooem nequit divelli, & ob ordinem, quem habent species, nequit evolvi prius, quam illa species, cui proxime unitur, fit evoluta. Itaque idea fructus K. quia cohaeret speciei I. non ante ipsam evolvitur; & I. non aota H. & hoc non ante E. & E. non ante D. atque ita K I H G E. in D. & omnia simul in A. sunt confusa & convoluta. Dum vero aliqua species est in fine evolutionis, ipsa quidem non transcendit hunc terminum: at vero tum aliam excitat proxime cohaerentem, quae & ipsa incipit evolvi. Igitur species A D E. ex puncto A. in quo confusa latebat, facta evolutione ad E. pertinget. Et quia ad ipsum E. extremum dictae speciei terminum, alia cohaeret, nimirum G H. eousque aliis confusa, haec tum dearticulatur in sua membra: nequaquam species H I. I K. siquidem nulla dictarum species proxime attingit ipsum E. tametsi simul confuse ferantur, quia nimirum K I H. in E. continentur.

XII. Verum dicet aliquis: si in semine plantae ipsius species continetur, qua ratione eo se conferre potuerit? nam si a centro eousqne se exteodit, cum semen omnes alias partes sequatur, necesse, omnes illas partes seminificas esse, atque ita non minus ex fronde, aut arboris trunco seminatis, arbores pullulare, quod non nisi in paucissimis fieri videmus. Tametsi enim salices, & aliae quaedam plantae hoc modo ferantur & propagentur, non tamen hoc omnibus est commune; sed aliae quidem ex semine pullulant, aliae surculis, aliae radice, aut propagine foecundantur. Quae itaque se totis, & non aliqua sui parte in novas abeunt frondes, quemadmodum salices, quarum exucci atque usu attriti rami revirescunt, enatisque frondibus late luxuriant: necesse, non modo ex illo centro speciem evolvi, verum ipsum quoque centrum ad illas partes seminificas transferri. An vero in omnibus plantis, an in quibusdam ea ratione centrum proferatur, est incertum. Nam quo minus ita sit, nihil obstare videtur, quin ratio idipsum suadere. Etenim substantia seminis figuratur in singulas partes, oon modn centro vicinas, sed etiam longe dissitas. Igitur unaquaeque portio plantae continebit aliqnid seminis, ac proinde confusam speciem illius plantae, quae non minus est in uno

uno puncto, quam in toto reliquo semine. Et cum partes postea extenduntur, non est existimandum, ex interpositis atomis alimenti, divelli a se, & veluti perforari partes speciei: verum sicuti ab anima, ita quoque a specie protinus infideri. At si ita, quid causæ, quod non ex omni parte aeris sata, novæ pullulant plantæ? An obstat species evoluta, quæ sicuti partes produxit, ita easdem tuetur & conservat? Et tametsi aliquæ putrescant, non tamen inde nasci contingit sui generis plantam; quia nimirum ob excessum caloris a putredine ebullientis expirat vis ætherea & seminifica; aut si superest, quia ad illam speciem aliæ cohærent, velut succenturiatæ & ad novi operis fabricam destinatæ, ex quarum evolutione aut novi generis planta, aut quid diversum a planta, pro ratione nimirum seminii, nascitur. Quod si non velis ad omnes partes plantæ speciem confusam sequi, ex qua semina fœcundentur, dicemus ab anima speciem concipere & impraegnari, etenim quousque procedit evolutio, potestas animæ radicalis determinatur per illas ideas ad singulas partes, pro cujusque exemplaris natura formandas: in termino vero evolutionis, cum jam defecit species, in ipsum nucleum & seminis pulpam colligitur, in hujus meditullio humor viscidus ac lentus, sua pellicula veluti urceolo conclusus: hic igitur ab anima concipit vim genitalem; quia enim tum non determinatur per ideas particulares, agit in quantum agere potest, ac proinde se totam exprimit confusa ratione. Aut, si placet, dicamus illam speciem esse veluti circulum, & in orbem revolvi. Itaque extremitas speciei attingit in ipso demum semine aliud extremum, sive principium novæ speciei, quæ cum semine deciso postea evolvitur, & in novam generationem revolvitur.

XIII. Omitto particulares plantarum anatomias, quas apud recentiores AA. legere poteris, succincte relatas in Phil. Reg. Burg. tom. 5. Pauca evinde de variarum plantarum origine excerpta subjungo.

Quædam enim ex ramis terræ commissis, ut vitis, & salix & aliæ innumeræ; plures ex bulbis, ut multæ cæparum species; aliæ ex radicibus, ut arundines, & pleraque gramina fruticantur. Id omnibus pene commune est, ut turgente succo prope nodos fistulæ lignosæ cum trachæis, & appensis utriculis producantur in gemmas primum, tum in caules, non aliter ac surculi in ramis. In bulbosis ex lignosa & solidiore corona, quæ est in basi infima, truncus & folia assurgunt: succus e crassioribus soliis, ut utriculis sunt referta, primum gemmas, tum caules procreat; hi per pediculos cum trunco, ex quo manaverunt, cohærent; hinc succum eliciunt, donec disruptis pediculis, jam sui juris fiant. His plantis deest quidem truncus ad perpendiculum erectus, sed est nodus in coronæ modum ductus, qui ex fibris ligneis, trachæis & utriculorum ordinibus mutuo implexis contexitur. Hinc gemmæ pullulant, quasi in foliorum axillis candidæ, contentus in bulbosis foliis succus per propria vasa in gemmæ radicem deductus paulatim absumitur. Hinc cepæ hortenses in aere suspensæ germinant. Collectus itaque in crassis ceparum soliis succus alimentitius, & per radiculas deductus, veris tempore in caulem, flores & semina absumitur.

Eodem fere modo in tulippa & similibus plures bulbi per pediculos trunco adhærent, & quasi pendulæ gemmæ conspiciuntur. Exeunte Octobri in plantula jam caulis, folia, stamina & stylus tulippæ expressa conspiciuntur.

XIV. Cum autem magna sit quæstio, an plantæ ex ovis tantummodo seu ex seminibus aut saltem ex radicibus vel ramis terræ mandatis sobolescant, an forte multa gramina & herbæ cuique regioni familiares sponte e terra nascantur? Quo hæc quæstio dijudicari posset, terram e profundo erutam vitreo vasi imposuit Clarissimus Malpighius, ac vitri orificium sic multiplici velo obduxit, ut aquam & aerem admitteret, semina autem leviora, quæ ventus huc illuc jactare solet, omnino excluderet. Verum hæc terra nullam herbam protulit: magno quidem argumento, ut animalia, sic plantas omnes ex seminibus nasci, nullas sine semine adolescere. Nisi forte eas excipiamus, quæ in aliis plantis vegetantur.

Nam id merito dubitari potest de visco quercino, aliarumque arborum, de musco, mucedine, fungis &c. utrum ea ex aliis seminibus gignantur, an potius ex succo alimentitio plantæ, aut concrescente aut degenere prodeant. In visco fructus & semina conspicimus, radices intra rami corticem & lignum profundas agit, & succum rami, cui adnascitur, ad se rapit, cum rami ipsius dispendio, qui aut contabescit, aut surculos non profert. Fistulæ lignosæ & appensi utriculi aliam configurationem & contextum sortiuntur, ac primum in gemmas, tum in surculos, tandem in ramos & folia ac fructus visci abeunt.

Muscus quoque in corticem arboris multiplices spargit, radices & in ramulos ac capitella rotunda desinit: utrum is semina & fructus procreet, dubitat Malpighius: certum, quod arboribus noceat.

Sic mucedo in corruptis fructibus, in caseo ipso & in aliis corporibus situ obductis in truncos & rotundos apices aut capitella definit, nec aliter fere ac fungi in arboribus, aut in fimo equino nascuntur, e succo namque coocrescente primum membranulæ effusæ apparent: tum crassiora fila, quæ in rotundos globulos coeunt, ac brevi in fungos adolescunt, in iis potissimum locis, quæ ad borealem cœli plagam jacent: nam radii solis in australi plaga succos illos concrescentes disjiciunt. Sed quid his diutius immoramur?

SECTIO III.

De Anima sensitiva.

XV. Rem perdifficilem aggredimur, investigando naturam seu essentiam animæ sensitivæ, quam tamen nosse necesse prius, quam de ejus operationibus & proprietatibus aliquid definiamus: frustra namque disputat de ejus divisibilitate aut indivisibilitate, qui nescit, corporne sit an spiritus: nec bene assignabit differentiam bruti ab homine, si inter operationes sensitivæ & mentis non sciat distinguere. Male quoque philosophari existimo illos, qui animam brutorum & plantarum cum eorundem formis confundunt: nec sentiendum censeo cum illis, qui in homine operationes mentales & sensitivas uni eidemque animo adscribunt: quæ omnia rite discernere, res est, ut dicebam, perdifficilis. Caligaverunt prisci Philosophi, nec veri quidpiam de animæ ortu nobis tradere potuerunt; Ex recentioribus non pauci egregias opiniones quidem excogitarunt, ast nihil hactenus decisum est veri. De cœli stellati corporibus, quæ intuemur, quod tanta indagine

ne additum est veterum doctrinæ, etsi multum videatur, parum tamen est & magna parte vanum in respectu ad ipsam rei veritatem; tanto minus est inventum de animæ quidditate, quanto minus subjacet sensibus: nihil enim rerum creatarum cognoscitur sine sensuum nostrorum ope & potentia cognoscendi omne quod efficit, tanquam transumptum debet sensibus. Proinde non adeo dispar est antiquæ nostra hoc in negotio cœcitas, si hoc excipias, quod magis nunc noscat mundus, quid non sit anima. Quot extant conscripta de viventium natura & proprietatibus? Et tamen, quid sibi velit vocabulum *vita*, per nullam definitionem adhuc constat, teste Roberto Boyle.

Inter eos, qui corpoream & divisibilem eam statuunt, non desunt, qui animæ brutorum, non tantum sensus memoriæ & phantasiæ, verum etiam rationis cujusdam inferioris usum concedunt, de quo Tract. XIV.

XVI. Quidam autem non tantum corpoream, sed & igneam esse statuunt. Alii cum Helmontio igneam esse negant, ajunt autem naturam esse luminosam, quæ cum calore juncta corpus calidum reddit, sine eo autem frigidum, quod in piscibus conspicuum est. Alii ajunt esse effluvium pabuli sulphurei & nitrosi quotidie assumpti, adeoque congeriem atomorum subtilium & valde mobilium agglomeratarum.

Gassendus, Verulamius, Entius, Willis, Faber & alii statuunt cum antiquis Philosophis, animam sensitivam sive corpoream brutorum esse vel quendam ignem, vel flammam, vel halitum flammæ proximum sive affinem, quod & per id probare conantur, quod alimento & ventilatione sanguis opus habeat, & dicunt eam restaurari in momenta una cum corporis habitu. Qualiter ea nascatur semper usque ad mortem juxta Hippocratem, vide sis apud Thomam Willis de anima brutor. pag. 71. Hic ait sensitivam habere binas dispositiones sibi innatas e dono creationis, ut nimirum se conservet, & de pabulo assumendo curam habeat; deinde ut speciem suam propaget, & hinc animali est proprium quærere & capere alimentum. De pabulo autem sensitivæ dicunt Autores, quod duplex sit, internum & externum, illud dicunt esse oleosum igneum, externum autem nitrosum æque necessarium.

XVII. Verum hæc opinio non arridet, ex eo capite, quod, dato, animam esse corpoream, & indigere alimento, non apparet, quare debeat esse oleosum & nitrosum, quia & externum pabulum est simul duplex, constans ipso elemento aereo pariter & aqueo.

Quod autem anima corporea non sit ignis, nec flamma, nec pabulum ejus internum oleosum igneum, plura evincunt contingentia, ut in febribus, &c. ubi vehiculum humidi, pene totum exhaustum est, non posset fieri, quin sanguis siccus inflammabilis accenderetur, cur quoque, arteriæ aliæque partes una ambustionem paterentur. Cerebrum, quod thronus est animæ sensitivæ, in quibusdam est adeo frigidum, aut temperatum tantum, ut, cum præter solitum parum incalescit, sive delirent, sive dolorem aut alias fluxiones patiantur. Sic uti a fluxione ignis facile extingueretur, ita extincto eo calor una deperiret: neutrum autem fieri comperimus. A dolore quoque & calor, & per consequens ignis in infinitum augeretur usque ad combustionem.

Denique phantasia irritata indicat, cerebrum non posse ignem pati, si vel tantillum calorem pati nequit sine molestia. Quid quod humiditas cerebri & frigiditas sunt igni, contraria, cujus attemperationi nullus ignis elementaris nescit modum dare, atque moderamen tale invenire, quo cerebrum habeat & temperamentum, & simul tot atque tantas intemperies cito vel tarde remittentes sine noxa constitui. Quod si ignis esset anima, certe in cerebro residere non posset: an forte in corde tanquam foco propriissimo, quia calidissimo? Si hoc, ergo illud animale, quod residet in capite respective frigidum, erit alia & diversa anima a cordiali, quod nemo statuit.

XVIII. Cæterum cum anima instituat propagationem, quam ignis destruit, nulla vero in pulli ex ovo generatione ignis vel actio vel forma conspiciatur, sed tantum trepiditatis tum adsint indicia, quia non desumat inde argumentum contra naturam animæ igniformem?

Nec ipse calor, qui sine igne est, tantumque consurgit e motu materiæ sua natura calidæ, est ipsa anima, sed tantum animæ fomes, comes & flamen, qui hactenus, cum est immoderatus, turbas excitat grandes, venando, irritando, confundendo, quod ipsum cum faciat calor immodicus & disproportionatus, quid quæso igni adscriptum demus? Annon membra semicongelata, item animantia natura sua exsanguia vitam & motum habent, consequenter animam? Quod si dixeris, ignem habent, ergo non frigent: si frigent, ignem non habent, ergo nec animam. Consequentia utriusque falsa est, & tamen inde apparet animam non esse ignem. Pisces fluviatiles & cancri, &c. ad vitam & animatum esse, nec igne indigent nec nitro, nisi quis velit dicere, eos utrumque ex aqua sibi assumere. Hi licet se moveant, non tamen incalescunt, quin potius frigido humido lætantur, econtra in tepido languescunt aut moriuntur.

XIX. Dices forsan, eos aere ad vitam indigere, en quod moriantur pisces hyberno tempore, nisi facta incisione glacies hinc inde in lacubus amoveatur. At ubi tota hyeme lacunæ non obrigescunt, pisces plerumque in fundo hærentes nec aerem hauriunt, nec aquæ superficiem appetunt. Quod autem sub glacie non aperta moriantur, non defectus aeris, sed alia longe ratio est, nim. ab oppressione venit, utpote quod glacies impedit, quo minus aqua queat turgescere, quocirca aqua compressa gravior reddita piscem pondere suo opprimit. Id ne fiat, glacies inciditur, & tunc videmus aquam statim opplere incisuram, atque horizontalem glaciei superficiem pro ratione crassitiei æquare, cum & aqua in superficie tunc levior sit, hac ratione aggregantur pisces in loco incisionis.

Sed uti anima non est ignis, nec pabulum ejus internum igneum, ita existimandum est, externum pariter non esse nitrosum. Ipsum autem alimentum aereum eo requiri verosimile est, maxime ob similitudinem virtutis elasticæ, quæ propria & necessaria est tam aeri, quam animæ, quatenus sine ex neutra substantia posset recipere tot tantaque effluvia, quæ calor separando e mixtis propellit, & elevata in vacuitates mittit, omne autem elasticum sive expansivum sui fit porosum (ut passim creditur) & spatia sive vacuitates admittit, quas implet effluvium irruens; quod an universaliter verum sit, videbimus in Tract. 38. de rarefactione. Cum igitur experientia doceat, in aere subtili seu rarefacto non posse diu subsistere quævis animantia, fierique, ut hæc in eo languida facta velut novam vitam acquirant,

quam-

quamprimum transferuntur in aerem humidum: exinde sumitur argumentum, externum pabulum sensitivæ esse non solum simplex aereum, sed una in eo contentum aquosum rarefactum elementum, nempe quadam constitutiva ejus parta, quam aliqui salem ejus essentialem nominant. Quod si ad ejusmodi salem, procul dubio uon ad nitrosum confugiendum est, qui est compositus; sed potius ad purum salem aquosum, qui & copiosus est & semper idem, quem sensus percipit non esse nitrum, sed quendam proprium sui modo salem, quia & convertibilem. Artifices enim norunt, hunc admirabilem salem uon solum converti cum aliis salibus iu nitrum, verum etiam cum colchotare in vitriolum, quod a nitro est valde diversum quid. Videatur Leo a Stipite in religione mentis Parte 1. cap. 4. Vtut sit, verosimile omnino est, in respiratione unum elementum ab altero uon separari, (purum enim nou datur) aer autem tam necessarius est suis incolis animalibus, ut absque eo vivere nequeant. Patet autem, ad animam necessitatem istam referri debere, ut operationes suas in corpore possit exercere, quoniam totum corpus potest in aqua submergi, præter eam partem, per quam aer in pectus & caput fertur, quod regia est animæ. Hinc a recenti aere caput statim refocillatur, ad quem & infirmi hauriendum ablegantur: præparat quoque materiam spirituum subtilizando eam, & alia mira facit.

Hoc insuper habet aer peculiare, quod sua refrigerii ope contemperat sanguinem una & cerebri calorem, sine quo refrigerio alioquin adeo fervesceret sanguis, ut nedum vasa præ turgescentia rumperentur, verum & homo suffocaretur, quin etiam spiritu e sanguine totaliter expulso corpus & viribus privaretur & functionibus destitueretur, ceu quod sentimus ipsi, cum tune vehementer langueamus, quando sanguis præ calore nimium rarescit, nec laborare, nec studere valeamus, adeo spirituum impeditur generatio, succi aduruntur & refrigeria passim quæruntur, ut febrium paroxysmos silentio prætercam.

XX. Hic adjiciendum restat, quod Willis p. 14. de anima brut. habet: Opinari, ait, fas est, animam brutalem particulis ejusdem materiei, e qua corpus organicum formatur, iis vero selectis subtilissimis & maxima activis constare, quæ tanquam flos ex crassiore massa emergentes mutuo coeunt, atque ductus idoneos, quos per totam corporis compagem ipsa procudunt, natæ hypostasin unam continuam sc. prætenuem & quasi spirituosam, toti coæquatam & coextensam constituant.

Et iterum ibid. ait: Anima licet tenuissima, corporea, corporis quasi spectrum, seu larva umbratilis videtur: porro hæc simul cum corpore ex materia rita disposita emergens hypostasin sive subsistentiam suam non minus quam corpus juxta ideam seu typum ipsi ex lege naturæ præstitutum accipit: quamvis autem corpori intime uniatur, ejusqua velut subtegman existat, attamen textura subtilissima & quasi filo admodum prætenui constans, sensibus nostris percipi nequit, at solummodo ab effectis & operationibus suis dignoscitur. Hæc Willis. Cui tamen per omnia quin assentiar, facit quod necdum intelligam, qui anima penetrare valeat corpus, si ipsa sit corporea; maximamque affinitatem habeat cum luce, imo forsan ipsamet lux est primigenia, quare altius res indagenda.

SECTIO IV.

De ortu Animæ sensitivæ.

XXI. Tametsi quidam opinentur, eam deforis accedere & infundi: plurimi tamen potiori jure statuunt, vel eam traduci cum semine, aut cuilibet seminali materiæ inesse. Quidam unde adveniat non audent dicere, sed potius suspenso animo indeterminatum relinquunt.

Arist. ait L. de anima. c. 3. *Inest in semine omnium, quod facit, ut fœcunda sint semina, vid. quod calor vocatur, idque non ignis, non talis facultas aliqua est, sed spiritus, qui in semine spumosoque corpore continetur, & natura, quæ in eo spiritu est, proportione respondens elemento stellarum.* Quamobrem ignis nullum animal generat, neque constitui quidquam densis vel humidis vel siccis videtur. At vero solis calor & animalium, non modo qui semine continetur, verum etiam si quid excrementi, quanquam diversum a natura, tamen id quoque principium habet vitale. Et subjungit: Cæterum calorem in animalibus contentum, nec ignem esse, neque ab igne originem ducere apertum ex his est.

XXII. E recentioribus Sennertus, nostri sæculi Medicus eximie doctus, opinatus est, animam iu semine esse (id quod mihi certum videtur) & cum eodem traduci aut communicari & decidi, tanquam causa efficiens fœtus, unde generatio proprie dicta. Estque expresse Arist. dicentis, seminibus & conceptibus animam inesse antequam separantur, potentia non actu. Potentia autem inesse nequit, cujus essentia abest, quamvis & de actu nobis nunc plura circa generationem innotescant. Verum de hoc plura in Tract. XLII. de Semine.

Sed & pro traduce in genere hoc ejus argumentum valere puto, cum dicit: quorum principiorum actio est corporalis, hæc sine corpore inesse non posse certum est, itaque extrinsecus ea venire impossibile est. Id autem dicere licebit, inesse seminibus animam sine actione (non sine actu) donec non est occasio pro idearum evolutione.

Illud libenter admitto, animam esse agens præcipuum, habitans in corpore apto ad vitam, Quod forte Arist. voluit indicare vocabulo *Entelechia*, quam vocem Hermolaus Barbarus *perfectihabiam* vertit, cum Ludovico vive sentiens, qui dicit: animam essa agens præcipuum in animali, quod utitur calore, spiritibus & humoribus ut instrumentis: unde vere animæ competit, quod sit & dicatur actus, quia suum corpus actuat. Ambrosius Calepinus autem Entelechiam vertit in animam mundi; Galenus, *impetum faciens*; alii alia peregrina uomina cudunt, ut videre est in Tract. IX. de Archæo.

Pro majore cognitione originis animæ sensitivæ, de spiritu animali quædam hic inferenda duximus, quare

XXIII. Suppono. Duo inveniri in corporibus animalium principia naturatenus seu ex proprietate mobilia & moventia, hoc est, quæ tam seipsa quam alias organicas partes in motum deducunt: eorum alterum calidæ siccæ, alterum humidæ frigidæ qualitatis deprehenditur. Qualibet natura ea elevatur e succis propriis, qui sibi invicem sic permiscentur, ut non solum tanquam una massa simul circulentur, omnesque corporis partes perluant, sed & suis locis a se invicem diversis finibus præstituti. Vno verbo, sanguis

guis vocatur hæc massa, estque scaturigo tum calidi nativi, tum humidi radicalis; ob quorum diversam commixtionem multæ fiunt alterationes naturales, unde & temperamenta ortum trahunt. Elaborantur quam exactissime, quamdiu juxta statum naturæ est, excrementis rejectis atque per varia ostia exturbatis: certis quoque locis & officinis destinantur, ubi expurgantur, subtilizantur, atque vel asservantur tanquam in perfectiori forma ad usum specialem, vel assimilantur partibus alendis, vel separantur in aporrhæam subtilissimam & materiam rejectitiam.

Vti autem non unus, sed duo diversi succi constituunt massam sanguineam, ita quoque eorum quilibet suam propriam reddit diversamque aporrhæam, quarum natura non ad accidentia refertur, sed ad substantiam eamque corpoream, & hinc eam physici substantiæ spirituosæ nomine antonomasticæ indigitant. Vtraque habet in se virtutem quandam elasticam, imo & affinitatem quandam cum altera, per quam sentimus eas usque adeo se exaltare, ut inde perfectio suas nanciscatur in animalibus, præsertim in homine, differentias juxta magis & minus. Est autem succorum sive fluorum animalium pars rubicunda, quæ & pinguis & oleosa, id cujus proprium est incalescere, calefacere, moveri & movere, alterare, separare & perficere, imo & destruere, hoc est, in quantum ejus particulæ seu globuli propter admixtas alterius qualitatis particulas plures vel pauciores, aut a se invicem plus minus distinguuntur, aut exturbatis aliis vel quovis modo separatis, conjunguntur. Pars ipsa sanguinis, quamdiu calet, semper de se expirat aliquid oleosi, calidi perquam subtilis, volatilis, quo ipso calor augetur vitaque conservatur: ut itaque melius queat intelligi, præstat id per exempla dilucidare, desumpta ab illis rebus, quæ vel sunt ipsæ conflagrabiles, vel oleosas accensibiles in se habent partes, utpote quod oleosa cuncta sint fontes caloris, diversitatem nacta potentiæ calorificæ pro ratione admixti heterogenei. Et inde constat, minorem calorem & motum exhibere oleum olivarum expressum, quod propter admixtas multas fæces & aquam crassum est, grave, difficulter ardens, adhuc difficilius in alembicum ascendens, secus quam fieri constat in oleis quibusvis destillatis: hæc enim levia sunt, tenuia, inflammabilia, caloris impatientia, siquidem tantillo calore adhibito movent se, sponte avolant, in alembicum pervici fuga ascendunt, per rimas erumpunt, proprio motu ac modo per aerem se longe lateque expandunt, partibus crassioribus in vase relictis.

Est ergo notissimum, subtilissimam oleorum destillatorum partem esse prætenuem, sic ut elasticam vim intrinsecus ostendat, quatenus in aura libera seipsam movet, totaque paulatim gressu invisibili aufugit: contra vero sub balnei calore, dummodo exacte claudantur rimæ vasorum, in fugam data nihilominus coercetur & coarctatur, frigorisque beneficio condensatur in liquorem levem conflagrabilem. Cum autem natura hæc talis sit, ut sponte moveat & moveatur, hoc quidem aere spatioque adminiculante, illud propria vi sive etiam calore externo irritante, cui etiam accedit, quod post accensionem in flammam sive ignem mutetur, rursus ignem subtracto aere amittat; ideo hæc rarefactionis & condensationis, illuminationis, & obscurationis actio & passio sufficiat elasticæ ejusdem probationi exarandæ. Hæc itaque natura & forma calidi, quæ inest succis animalium, & sola debetur oleo, quod ratione vinculi spissescit, aut ratione diluentis torpescit, aut ratione solutionis denique volaticum, ac inde valde subtile, mobile & motivum redditur. Hoc inquam nominatur calidum innatum, spiritus vitalis, igniculus vel aliter: nec sic solum, sed sunt qui sulphur nuncupare ausint, quo jure, nescio, cum tamen gaudeat proprio nomine olei. In hac etiam natura est, permiscibile ardenti spiritui, quin & urinoso, hinc acido, hinc aqueo, hinc salso, hinc lixivo, hinc terreo, & pro ratione mixturæ & modi habet suas in partibus connexis & continentibus actiones, pariterque hinc passiones suscipit, e quibus etiam per ignis vim violenter expellitur, unde & principii titulo gaudere potest.

Quot autem partibus constet prædictus cruor aut massa sanguinea, vide Tract. XXX. De sanguine in homine.

XXIV. Quæres. Qua ratione spiritus sanguinis (qui nil aliud est quam subtilissima pars olei sanguinis & salis volatilis ejusdem, qui sal cum sit acidus, vocatur communiter urinosus) fiat animalis, variisque potentiis instructus, quarum ope corpus animet, moveat, uno verbo, sensitivæ animæ operationes perficiat?

Ante resp. noscendæ sunt quædam circumstantiæ, quæ rei indagationem reddunt faciliorem. Nam sive spiritum animalem, sive animam sensitivam intelligas, non ea quæ facit, qualibet sua potentia discretive facit per se tanquam e suæ naturæ quadam perfectione, siquidem ea cuncta facit tanquam in corpore suo & juxta corporis aptitudinem; extra id autem in abstracto nil facit. Sic si anima humana esset in cane, non esset humana, sed canina; inde cognoscis, quare cerebrum humanum sit tantæ molis, quantæ non sunt brutorum. Item, cur cerebrum sit regia animæ, cur constet partibus diversis, diversa textura, soliditate & colore, uti trademus Tract.

Diversa siquidem cerebri corpora diversas sedes innuunt pro sensitivæ animæ potentiis exercendis, quandoquidem id diversa conformatio, partium texturæ atque diversi caloris gradus edocent. Vti ergo diversus locus, ita quoque diversus caloris gradus, diversus motus & operatio spiritus est. Operatio spiritus, quæ operatur ad sensum tactus, requirit alium ejus motum, operatio ad visum etiam alium, & sic porro pro reliquis sensibus vigorandis diversa actio, diversus motus. Sic ad movendos artus exigitur motus alius, sive is voluntarius sit, sive involuntarius, alius pro ratiocinio, & discursu specierum, alius pro contemplatione & summa intellectua operatione, tunc subitaneo motu se recipit spiritus tanquam in seipsum, ac desinit in stationem sive immobilitatem, sub qua redditur valde clarus, quia reflexus, & hinc forte AA. moti sunt, ut dicerent, intellectum habere se passive, quatenus in intellectu quidem sit idearum inconsautium discretio, sed ea actio est ipsa ratio, non intellectualis actua: in intellectu autem proprie existit interna rerum notio inidealis, & hinc vocatur mentis perceptio passiva, qualis est contemplatio. Etsi autem diversi motus vel simul, vel alternatim fiant, omnes tamen ab uno eodemque principio dependent, quia & cunctis membris totius corporis est spiritus idem animalis.

XXV. Notandum insuper, quod recentiores anatomici cum Galeno distinguunt texturam nervorum, quatenus constat, nervos motui articulorum inservientes,

tes, qui sunt fasciculis similes, esse magis duros ac fibrosos; eos vero qui sensui dicantur, esse molles magisque medullares ac spongiosos: attamen quoad eorum aptitudinem influxui spiritus præparatam censendum est, utrumque genus nervorum communem causam finalem suæ ductilitatis habere, quæ in eo consistere videtur, quod spiritus animalis non nisi a capita derivatur ad omnia membra, nec nisi per singulos ductus, sive cognitos, sive incognitos. Sic etiamsi ipsa medulla cum nervis spinæ dorsalis non videantur ab initio constare fasciculis, sed a molli meditullæ principio incipere, in vis paulisper dividi, tandem indurari atque in fibras desinire: nihilominus negandum non est, quin ea medulla satis porosa sit, spongiæque similis, donec paulatim durior evadat in fibrillas dirempta, ubique sic est quasi filatim discreta ad tenendam rectitudinem tubulosam. Fas ergo est, meatum respondere fibræ & porum poro, alioquin necessum esset, ut membranularum poros intersepientium textura sit talis, quæ transitum non prohibeat spiritui. Ita videmus spiritum volatilem permeare vesicam madidam sine obstaculo, quantumvis crassam, dummodo sit humectata, quale quid etiam structura cerebri confirmat. Generantur ergo spiritus in cerebro, prout patebit ex ejus descriptione danda ex Malpighio Tract. XXX. Nam extra dubium est, medullam cerebri, sicut & totum tractum ejus, per spinam dorsi in musculos desinentem adeo repletum esse spiritu, ut non solum omnes nervi ac fibræ, inde in statu quietis naturalem suam tensionem habeant, verum etiam quod & interstitia inter fibras, quæ una impleta sunt, non minus faciant ad eam turgescentiam, inflationem ac decurtationem musculorum, quamprimum phantasiæ opera spiritus meatus quos vult, impetit ac icit spiritum contentum in iisdem: nam una eademque opera, qua ictus fit, fit etiam in nervis eorum eadem commotio ad usque partes eas, quæ possunt inflari, hæ autem sunt musculi, de qua inflatione tractat Borellus. Forsan hac ratione nervi dispertiuntur in fibrillas, quæ desinunt in musculorum fibras ac interstitia, ut in ea vicinus spiritus, cum promovetur, tanquam insufflando ac premendo intrudatur. Id quoq; clarum quodammodo, reddit exemplum Organi pnevmatici musici, in quo compressus aer tamdiu circa universas valvulas exspectat, donec tangentes icti aperiant eas, in eas autem, quæ aperiuntur, statim irruit spiritus insufflatum fistulas contiguas, hinc sonus editur: atque hoc fit simul eo momento, quo artifax digitis premit tangentes, etiamsi ventus longissimo intervallo ducatur. Et hoc ipsum simile Organi musici quantumvis automati adducit etiam Willis de anima brut. 82. Malpigh. c. 3. de Cerebro, tanquam exemplum ad hanc materiam valde aptum, in quo artificiosa modulatio fit valvarum apertura cito respondente. Ita in cerebro comparatum esse multa persuadent. Malpighius dicit, quod in ventriculis cerebri, & ad principium spinalis medullæ copiosus cortex observatur, qui spiritus est conditorium.

XXVI. Quod si petas, unde habeat spiritus, quod tam præcipitanter premit, & irruit in musculos inflando eos? quænam tanti impetus causa, quis modus? unde mira isthæc discretio ad musculos simul movendos? Respondetur ad 1. Inesse spiritui vim elasticam aereæ similem: hæc ast facultas sa dilatandi majusve spatium occupandi; unde tanta vibratio, ac momentanea pressio, qua simul fit inflatio sive distensio musculorum in latum, quæ hinc decurtatio vocatur; potentiam eam coercet frigus, calor excitat. Ad 2. Dirigitur autem vel maxime a voluntate & desiderio, atque tunc omnis motus est regularis, & vocatur voluntarius, tanquam qui non a sola phantasia, verum ab alia potentia causatur; secus qui naturalis tantum, aut atiam involuntarius est, caret hoc voluntatis imperio, solumque causatur a vitioso statu corporis, læsa phantasia & aliis, spiritum procellosum reddentibus. Quoad 3. videtur ad causam impetus requiri lumen atque modum ejusdem: equidem in lumine externo spectamus expansionem sui momentaneam, insuper & infinitam, eamqua vocamus illuminationem. Deniqua & ab objectis advertimus eam determinari, mox minui, mox augeri. Censendum itaque est, in spiritu animali (quem præcipuum essa animæ subjectum communi opinione receptum testatur Marcus Marci) exigi lumen expansivum sui, unde vis elastica dirigatur, & in diversum agat secundum illuminationis modum. Ad 4. ajo, quod & inde petanda est discretio, quatenus, uti manus artificis uno ictu octo numeros tangentes simul in organo musico pulsara, totque diversos sonos simul edere potest: ita illuminatus spiritus juxta notulas idearum a phantasia collectarum subito potest efficere plures impressiones in diversis & complacentibus canaliculis.

XXVII. Sed de lumine spiritus, atque de modo illuminationis ejus magna ubique inter autores discrepantia invenitur. Igniculum animalem somniavit antiquitas: inter recentiores Helmontius quidditatem formarum ac animarum retulit ad naturam luminis, pronuntiando eas a spiritu diversas: ast nihil certi asseruit de origine animarum, num traducantur cum semine, an vero, & unde superveniant. Solus Bartolinus integrum tractatum scripsit de luce animalium.

SECTIO V.

De illuminatione spiritus ad animationem necessaria.

XXVIII. Videamus modo, qui spiritus illuminari possit, & ad quid illuminatio isthæc raquiratur. Spiritus nisi illuminetur, non potest dici animalis. Nam inter spiritum & animam sensitivam facit differentiam τὸ *luminosum esse*; hac ratione spiritus, cum luminosus factus est, recte appellatur animatus vel animalis, nam quod lucet in eo, est anima. Tunc autem anima dicitur actu inesse, sicut vicissim, cum spiritus nondum luminosus siva animatus est, dicitur anima inessa potentia. Ast levi negotio potest illuminari spiritus, prout fumo videmus accidere: similiter facile privari lumine, quod videmus in moribundis, quibus lumen oculorum perit; & hi quoque, si sine avidenti causa cessat agonia, recuperant lumen, uti experiantia non semel docuit.

Cum autem lumen animalis ad animam, anima vicissim ad lumen referenda sit, nemo quoqua hactenus tradiderit, qualiter substantia quædam luminosa a spiritu diversa infundatur animalibus, quæ sit eorum anima, (excepto abstracto eo Spiritu, quem vocant animam rationalem, quo sola fides docet hominem illuminari) idcirco necessitata consequentiæ concludendum est, non posse aliter fieri, quam quod sal vo-

H 2 lati-

latilis animalium in subtilissimum effluvium, quod visum fugit, redactus caloris adminiculo concipiat lumen in seipso & a seipso, nim. modo non absimili eo, quo fumus accensus, postquam, a subitanea pressione venti, lumen amisit, rursus ob motus velocitatem accenditur, quamprimum remittit aeris gravitas & violentia, id quod morbi spiritus & agonia noscendum tradunt, nec minus functiones animales indigitant alternationem eclypsationis & illuminationis, inde etiam in mortis descriptione inducitur vulgo extinctio luminis.

Confirmari potest hæc opinio ex eo, quod, sicut Deus ipse est lumen, & mens ab eo participatum lumen, & sensualis anima analogia servata lux est: sic mens noo potest lucere in corpore, si minos lumen absit, nec hoc recedente vel extincto perdurare, ergo opus est lumine qoodam naturali; non illud igneum, sed salinum, quod dicimus animam sensitivam, quod ipsum lumen suas tantum aptas ac determinatas partes illuminat, terminaturque a densitate suorum parietum, quibus apertis nil lucis videtur, sed sola partium luciditas quædam insita organica, qua gliscere dicuntur.

Confirmatur 2. Animam sensitivam esse luminosam, quodammodo indicat lumen solare, quatenus ab hujus luminis fulgore serenatur caput hominis; ad hæc & animales facultates longe felicius intenduntur, quasi accensa face, ad actum & motum faciendum intus omnia incitentur, quæ sub ejusdem obscuratione tanquam in latibulo delitescere coguntur. Sic plures actiones intermittuntur, si cerebrum ab aere crasso obscuratur, tanquam internum lumen per gradus deficiat, si lumen externum eidem subtractum sit.

XXIX. Ad honc locum Willisius. p. 68. de anima brut. sic discurrit: Quia cerebrum & appendix ejus plurima humiditate scatent, idcirco effluvia spirituosa, sive pars animæ lucida, quæ hæc corpora irradiare debet, taoquam solis jubar densam caliginem pertransiens valde obscuratur. Vti ergo lumen a lumine fortificatur; ita lumen solis non roboraret sensitivam, nisi luminosa esset. Posse autem sensitivam esse luminosam, innotescit ab experimento mechanico, quod pro exemplo adducere liceat. Conficitur massa e materia excrementosa per ignis torturam, (quam Phosphorum communiter vocant,) hæc in obscuro clarum lumen de se spargit, omnia, quæ inunguntur ea, reddendo adeo lucida, ac si igne accensa forent. Quod si materia, quæ excrementum fuit in animali, per se concipit lomen, quod quaquaversum diffundit, quando magis id, quod est purissimum in toto animali, totq; modis tantave naturæ opera vel ad id unicum summe præparatum, esse potest per se aptum concipiendi luminis ad omnes fines soos destinati, quod ipsum cum exigat necessitas, nec sit quod possibilitatem ejus infringat, non dobium est, quin etiam tam radiosum, quam diffusum existat.

XXX. Quocirca meos in homine est tanquam lumen primariom, ast lumen secundarium est animale sensitivum in cerebro lucens, tametsi corpus opacum sit. Certe anatomici septum cerebri vocant lucidum: quo dato, apparet quid lucidum cerebro inesse, quod hactenus nescitur, quare sic sit & unde? an luminosum ex se, an perceptivum luminis?

Nec dicas, si lumen datur in cerebro, ergo & ignis. Negatur enim consequentia, dari namque lumen absque supposito ignis, ostendunt exempla lapidum quorundam, gemmarum, adamantis, ligni putridi, cicindelæ &c. quæ lucent, & tamen lumen eorum caret supposito ignis. Fortis ocolorum compressio scintillas inde excutit, ut quivis experitur: & somnians interno lumine mediante videt innumeras rerum species olim impressas memoriæ. Sub mortem hominis oculi membrana destituitur manifesta luce valde visibili. Vt autem res quodammodo clarior evadat, finge cum Helmontio, ad illius intelligentiam, vermes, nitedulas nominatos, lucem noctu in ventre habere, quæ nedum splendeat instar oculorum felis, sed & circumcingentenoe lumen effundat. Lux ista extinguitur cum vita Nitedulæ. Par lumen finge, quod spiritum vitalem illuminet, quoad vivit, lucet & propagatur in recenter factum spiritum debite elaboratum: & quo impurior minusque elaboratus fuerit, eo lumen istud esse tenebrosius.

XXXI. Est ergo spiritus vitalis (ait Helmont. p. 160. de spir. vitæ) sanguis resolotus in auram salsam & illuminatam a vita. Quare censendum, spiritum esse animatum, cum lucet; inanimatum vero, cum non lucet; hinc animam esse locidiratem spiritus. Sic ea nil differt a spiritu quoad subsistentiam, sed tantum quoad differeotiam poteotiarum. Et hic sistit inquisitio horum autorum, e quorum doctrina hoc sequitur

XXXII. Corollarium. Cum anima sit lumen, lumen autem spiritui accidat, qua spiritus actu prior suo lumine tunc demum illuminatur (loquendo de spiritu recens facto) cum e cortice cerebri fertur ad locum luminosi, qui in meditullio hospitatur, inde sequitur, animam sensitivam non esse sobstantiam separatam, sive ens primitivum, (est enim in spiritu velut lux in aere aut aqua;) nec infundi, nec aliter traduci, quam sic, sicut in seminali materia est, nimirum potentia, eoque tantum præparari: quod ita explicari potest: sicut spiritus in sale volatili est, hoc est, plane naturaliter ac latenter, tum excitabilis, cum dilatatur ac turget materia seminalis sub actu propagationis, cui calor ministrat. Hoc enim sic fit, quatenus principium seminale semel ad actum promotum, continuo currit per gradus sobtiliationis (seu rarefactionis) donec ad summum pervenerit, hoc est in statum elasticum, quo cum pervenit, non deficit motus velox, qui in natura ignea est autor ignis, in lucida non ignea parens luminis, cujus exempla præbent ligna, quæ ab affrictu forti sua sponte accendantur. Sic & principium calidum oleosum pariformiter tendit per gradus subtiliationis ad summum usque, & tunc velociter motum adeo incalescit, ut nisi tum a principio salino (quod caloris per se expers est) tum etiam ab humido coerceatur, procul dubio ignem conciperet, quod ipsum in helluonibus nonnunquam fieri observamus, cum spiritus ardens affatim haustus in eorum gula accenditur.

Vtut sit, palmaris adhuc restat difficultas, qua ratione anima sensitiva, quam non solum brutis tribuimus, sed & animæ rationali sive menti sociamus in homine, cum sit materiale quid, nihilominus sit appetitiva, cognoscitiva, & forte aliquo usque discursiva (de quo ex professo in Tract. XIV. De Brutis. Altera non minor, quomodo actiones sensitivæ in homine discernere

valeamus

valeamus ab actibus mentis. Quas antequam discutiamus, sententiam Peripateticorum vulgarem referemus breviter & refellemus.

SECTIO VI.

Sententia Peripateticorum refertur.

XXXIII. Anima non est absimilis fabro, qui intra domum tenebrosam laborans, nec videt seipsum nec opus proprium: & per fenestras prospiciens percontatur ex aliis, an ipse bene operatur? utrum sit in carcere vel extra? & quid ipse sit? & quis posuerit eum ibi? Sic plane anima intra corpus opacum habitat, & has operationes operatur, non videns se neque opus suum, & prospicit per fenestras oculorum, & inspicit anatomias & interrogat alios, quid ipsa anima sit, cur stet in corpore, quis posuerit eam ibi: & quasi ebrius a somno surgens interrogat de seipso, & de his, quæ fecit in ebrietate, & quomodo in alio cubiculo sit repositus. Quapropter videtur sopore & ebrietate & sui ignorantia capta esse anima. Hoc manifestat varietas opinionum de anima, deque aliis rebus, de quibus altercantur Philosophi alii aliud sentientes: quemadmodum stulti Neapoli, in loco incurabilium inclusi: sed quia aliud delirium nostrum, & aliud illorum, videntur nobis illi stulti & nos illis.

XXXIV. Et quidem anima Aristotelis dicit, animam esse corporis formam: & statim delirio correptus, dicit alteram sui partem non esse formam (L. 2. de anima. T. 1. 2. 3. 4. mox T. II. L. 3. T. 12.) quæ est immortalis & immista, & statim separat hanc in activam & passivam. Mortalem vero in plures formas organorum, & potentias, phantasiam, memorationem, motivam, sensum communem: & tandem nihil dicit quomodo ex Elementis in animatis nascatur anima, aut undenam veniat, aut quod sit principium ejus. Plato vero dicit, animam esse numerum seipsum moventem, & venisse a Deo, esseque immortalem, & de corpore in corpus transire, etiam brutalem animam, esse ergo immortalem. Et tamen in nobis ponit animam sensitivam in corde, & in jecore aliam appetitivam, utrasque mortales & copulat eas corpori. Critias, esse sanguinem; Democritus, atomos rotundas, & ex non-sentientibus corpusculis, sentientem facit animam. Empedocles ignem, Aristoxenes harmoniam elementorum, Galenus temperies trium viscerum, Hippocrates calorem nativum, Alexander temperiei actum, Telesius & Campanella spiritum corporeum calidum, tenuem, sentientem; Varro aerem inspiratum ore, attractum pulmone, expansum per viscera; Manichæus Dei particulam & lucem; Pythagorici avulsionem ætheris, Horatius ex Stoicis divinæ particulam auræ. Moderni vulgo formam esse dicunt substantialem & absolutam; Cartesiani mere respectivam in certo plexu, textura, figuratione partium consistere contendunt: utrique tamen Aristotelis se mentem assecutos putant, & Paripateticorum, nomina gloriantur. Vniversi de animæ propriæ quidditate, sicut de re alienissima degladiantur: unde mirum qui de scientia rerum naturalium gloriari possint. Nos inter hæc in præsenti duo tantum decidemus. Sit itaque

XXXV. Assertio 1. Anima sensitiva non est forma animalis proprie loquendo. Ratio 1. est, si esset forma, vel esset absoluta vel respectiva: neutrum dici potest. Non respectiva, uti vult Faber, dum ait: Modo sit corpus organicum cum iis dispositionibus, quibus positis succus alimentitius sugi, percolari ac præparari potest, sublata etiam qualibet alia entitate, forma plantæ (idem de forma v. g. equi dixerit) adest, sed non anima vegetativa plantæ, aut equi. Possunt enim omnia organa corporis integra permanere absque eo quod animentur: ergo anima non consistit in illo respectu & configuratione atomorum aut minimarum particularum: & hoc expresse fatetur P. Kinmet, in Anno suo frugifero, die 17. Septembr. ubi sic habet: Quod si omnem nostram experientiam consulamus, in omni actione (brutorum) nihil deprehendimus aliud, quam *Organorum & partium* quandam *figuram, motum, situationem, dispositionemque localem.* Nempe in hæc resolvitur, quidquid est mirabile in brutis, sive actiones eorum naturales, sive artificiales attendas: in his consistit avium cantillatio, nidificatio, pullorum educatio, equorum saltus, canum lusus, & quidquid hujusmodi est. Quamvis (subjungit) fatendum sit, eadem omnia proficisci a quadam facultate interna (quam nos vocamus Animam) vel naturaliter insita, vel consuetudine (melius *habitu* dixisset) & inculcatione hominum eis impressa, ut sit eis vera quædam memoria, sive hæc in ipsa constructione cerebri, sive in anima absoluta (& hoc nos contendimus) eam hærere & remanere dicamus. Sed hoc ultimum Autor ista dicere non potest, cum formas materiales absolutas ad unam omnes eliminet; & animam sensumque proprie dictum brutis deneget. Sed de hoc ex professo Tract. XIV.

Nec dici potest animam sensitivam esse formam absolutam. Nam illa entitas absoluta aut crearetur, aut educeretur e potentia materiæ (ut loquuntur in scholis). Neutrum dici potest. Non primum, quia non subest ulla ratio nec autoritas id asserendi. Non secundum, quia eductionis modum vulgaris Philosophiæ demonstrabimus inanem & fictitium Tract. XXVI. De origina formarum. Quod autem anima non informet corpus sentiens, probat S. August. quoniam introgreditur in mœstitia, in lætitia vero egreditur ad oculos: somnus & vigilia docent eam colligi, & effundi. Vnde neque esse plures sensus plurium organorum partiales, putandum cum Aristotele, bena autem plures formas. In quo autem consistat præcisa ratio formæ, trademus in Tract. eodem. Quod autem anima sese colligat & effundat (quod formæ non competit) patet ex eo, quod cum homo attente quid conspicit, minus bene audit: & quando intra dioptram quidpiam vult conspicere, claudit alterum oculum, qualis retrahens totam animam videntem ad unum: & cum musicis mulcemur sonis, vix videmus: & tandem collecta anima in caput ad audiendum, fit somnus, destitutis membris motrice anima sentiente. Vnde concludit etiam S. August. quod si anima esset forma, non posset intro & foras ita ferri: neque oculus dormientis, aut auris attente audientis, apertus posset non videre, aut attenta audire, cui nimirum propria forma & vis visus & auditus non deesset, nec anima forma a suo informato recedere vel ad latum unguem posset citra destructionem totius.

XXXVI. Dicimus itaque 2. In quocunque tandem consistat quidditas & substantia animæ, illam inesse corpori, non ut forma, sed ut incola & director, velut nauta

nauta navi. Ratio, quia corpus animalis est difforme, & heterogeneum, constans ex partibus diversis, temperamento, colore, dispositione, operatione & usu instrumentisque variis, puta ossibus, nervis, carne, visceribus, manibus, pedibus, capite, oculis, dentibus &c. Palam ergo est, hæc omnia unica forma informari non posse. Sed sicut S. Ambros. concludit in Lib. de Isaac, & in L. de Noe & Arca, anima erit in corpore, sicut homines in arca, diversis nidis & organis & usibus efformata. Vnde Arist. inerudite animam esse formam corporis organici statuit, non secus ac si quis opificem diceret esse formam suæ officinæ. Ex quo enim corpus est organicum, videri debet domicilium & opificium animæ, ut navis nautæ, & domus habitatoris, & civitas civium, sicut oculatius Plato loquitur, & SS. PP. Chrysost. Ambr. Iustinus, Gregor. Nyssen. & alii. Agens enim non est forma sui organi. Quomodo autem intelligenda sit Clementina, definiens animam rationalem esse formam hominis, infra dicetur.

Porro priusquam entitatem sensitivæ eruamus, necesse videtur radicaliter examinare, in quo consistat sensus sive sensatio, & quid proprie sit sentire, unde apparebit, num bruta proprie sentiant uti homines. Sit ergo

SECTIO VII.

In quo consistat sensatio in universum.

XXXVII. Circa sensum universim spectatum multa quæri solent. 1. Quid sit, aut in quo natura illius posita sit? 2. Vtrum perceptio sensus fiat per speciem sensibilem? 3. Quomodo sensus percipiatur? Nos secundam quæstionem differemus ad Tract. XLIII. De speciebus intentionalibus. Cæteras hic discutiemus. Porro ne homonymia, ut plerumque fit, nos fallat, tria possunt in rei sensibilis perceptione distingui. 1. Impressio, quæ fit ab objecto, quæque in sensus organo excipitur, & typum seu characterem rei sensibilis gerit. 2. Illa impressio seu affectio, vel species, aut si quod est aliud illius nomen, ad primum sensorium, quodcunque illud sit, permanat. 3. In communi sensorio exceptam impressionem percipimus, seu ad eam attendimus: est enim proprie sensus, perceptio illius affectionis aut passionis, quæ ab objecto proficiscitur. Hæc impressio excitat animal ad agendum in seipso occasionaliter, & animam jugiter cognoscentem determinat ad cognitionem hic & nunc, talis objecti externi: atque illa actio interna est ipsa cognitio rei sensibilis, aut potius perceptio actionis, quæ a re sensibili profecta in organo excipitur. Neque enim actio illa seu impressio rei sensibilis sensum efficit & cognitionem, nisi cum cognoscitur: nec sentire aliud est, nisi cognoscere passionem suam, aut actionem quam in se recipit.

XXXVIII. Quamobrem sic fere rem objectam sensu percipimus. Textura animæ sentientis, aut spirituum compages objecti impulsu commovetur: deinde undulatione quadam motus ille ab objecto profectus in momento fere ad cerebrum usque, & commune sensorium traducitur. Nam spiritus in sensus exterioris organi, veluti in statione positi, characterem ab objecto impressum excipiunt, eumque ad commune sensorium irradiatione quadam transmittunt, fere ut radii luminis in tubo optico vitra pervadunt, & certa ratione modificati rerum simulacra in tabella opposita apte depingunt.

Hinc Stoici sentientem animam instar polypi cujusdam, (quod est piscis genus prælongis cruribus instructum) exhibebant, cujus caput esset in cerebro, brachia vero per organa sensuum, aut potius per nervos exporrecta, objectorum impressiones exciperent, & ad commune sensorium, seu ad caput ipsum perducerent. Atque, ut monuimus, ea quidem arte disposita est corporis nostri machina, ut vel mediocris impressio (dummodo superet & excedat ordinariam ipsius animæ) sensibilem in corpore motum excitet. Nam fibræ nervorum ab Autore naturæ ita sunt colligatæ & comparatæ, & sibi mutuo consertæ, ac per longos ductus extensæ, ut vel levi ictu commotæ sensum vegetum in communi sensorio, quod in ipsa nervorum origine positum esse arbitramur, excitent, cum spiritus in eos velut tubulos cum impetu impelluntur, ac sensus fit, ubi anima sentiens, quæ tota in actu & energia quadam consistit, vicissim huic impressioni resistit, eamque percipit. Nam sensus nihil est præter actum animæ circa impressionem ab objecto factam: affectio vero illa aut impressio est species sensibilis, neque alias hujus generis species fingere necesse est, quod cum multum sit in scholis agitatum, paulo fusius Tract. XLIII. ventilabimus.

XXXIX. Hinc facile declaratur absurda Peripateticorum sententia, asserentium, sensum & intellectum esse potentias pure passivas: alioquin, inquiunt, si essent quid actu aliorum objectorum, non possent recipere actualitates; neque omnia corpora sentire, nam intus existens prohibet extraneum, juxta parœmiam Aristotelis. Sicut nec oculus croceus potest alios videre colores, sed omnes illi apparent crocei. Nos autem dicimus, inter corporalia entia alia esse simplicia, quæ compositis & concretionibus affici possunt, alia Composita contractaque ad entitatem particularem, & hæc omnia percipiunt propria entitate, & non rei perceptæ.

Sicut enim lux, quia simplicissima est, cunctis potest tingi coloribus, & omne simplicius suo crassiore potest affici. Colores autem crassi non suscipiunt alios colores. Vnde apud tinctores niger pannus colore albo tingi non potest, vel croceo, vel rufo: albus vero tingi potest omnibus, quia simplicissimus est: croceus tingitur rubro, quoniam rubro est simplicior; sed fuscus non tingitur rubro, quoniam crassior & contractior est ad naturam materiei. Sic aqua salsa, quia crassa est, non dulcescit, si misceas duplicem dulcem: at si dulci multæ exiguam apponas salsam, salsescit. Vinum quoque rubrum parum, tingit album multum, & econtra. Sic anima sentiens non est potentia pura sicut materia, sed ens actu: & quidem simplex, ideoque pluribus potest entitatibus affici.

XL. Porro licet oculus croceus omnia videat crocea: non tamen oculus transpicuus omnia transpicua: siquidem transpicuitas est albedo simplicissima absque corpulentiæ opacitate, qualis in albedine hujus chartæ, mista nempe nigredini materiali: quam si cremaveris, alba tenuitas discedit, remanetque materialis facies nigra, non genita ab albo colore, sed detecta ab attrahente albas tenuitates, quæ nigredinem sua mistura vincebant tegebantque. At opacitas chartæ hujus nigredinem ostendit concorporatam. Si ergo oculus & aer transparentes omnes colores suscipiunt, cum tamen ipsi simplicissimo sint colore donati: sic & anima, cum sit spiritus transpicuus & tenuis, aptus

est

est tingi coloribus cunctis in oculo: moveri motibus cunctis in aure, vaporibusque cunctis gravari, vel attenuari in naribus, & calefieri frigefierique ubique corporis, & saporibus, qui calores sunt, suo calore validiores affici in lingua.

Et hoc palam est, quoniam nos non perspicimus omnes colores, noo enim aereum, quia oobis similis: neque figuram nostræ faciei, quoniam aer illa figuratus noo potest movere spiritum, quemadmodnm Antipheroutis debilem spiritum intra tenues laxasque oculi tunicas positum feriebat, ita nt propriam imaginem semper in aere spectaret. Sic plurima sunt in aere ignota nobis robustioribus. Verum in nocte aeris color, & lux lepori illucet, nobis minime. Sapor carnis nobis occultus, panditur cani: odor aquæ (omnis enim vapor odor est) noo sentitur nobis, qui calidiores sumus, sed vermibus & cucurbitis. Odor ferarum canibus notus, nobis occultatur: quia spiritus non est in naribus noster ita tenuis, ut afficiatur ab illo, sicut caninus. Genista nobis amara est, capræ suavis: qnoniam spiritu nos blando, illa vero crasso donata est. Caro pinguis mihi displicet, quooiam meum spiritum valde moderatum dilatat, aliis crassiore donatis spiritu placet.

Ecce ergo solutio dubiorum in reprobatione opinionis Arist. consistit. Si enim sensus esset pura potentia omnibus omnia eadem apparerent, nunc autem est actu ens, & quia habet gradus entitatis, eædem res aliis aliter sapiunt. Et ipse Aphrotisæus cum Arist. convictus rei veritate, concedit tantum noo esse puram potentiam, sed consistere in mediocritate. Et ideo calores similes non percipere, sed potentiores ait & languidiores; sed in hoc decipitur, quoniam languidicus tactus minime percipit, sicut Aphrod. & Arist. opinantur. Quin manus Medici videtur frigida febricitanti, & juxta eorum dogma deberet percipi calida; sicut & mihi sano, si languidiores perciperet tactus. Sed debile non agit in fortem, vel si agit, plus patitur quam agat; ergo minus sentitur. At in lingua sentitur, quoniam penetrat usque ad spiritum cum propria mole, & simul illum gravat, constipat, vel dilatat, ut vapor crassus afficit aerem tenniorem. Sic vapores carbonis occidunt hominem, quoniam sua nigredine tingunt lucem spiritus: suo calore symmetriam dissipant: sua crassitie tennitatem aggravant, motumqoe demunt, ergo immutant totum, hinc mors. Quod si autem anima sensitiva esset pora potentia incorporea, omnes reciperet entitates & a nulla doleret, quoniam omnibus apta esset; vel nullas, quia cum eis non communicaret. Cum ergo a quibusdam doleat, dissimilis est illis, ergo est ens actu actui opposito, & omnia sentit se robustiora & contractiora, non autem simpliciora nec languidiora, ut Angelos & aerem.

Si tandem ratio Aristotelis valeret, cum velit animam esse substantiam & formam corporis, non cognosceret substantiam ullam neque formam, quoniam intus existens prohibet extraneum.

XLI. Affirmandum ergo quod anima est ens actu, sed in potentia solum ad ea, quæ robustiora sunt, possuntque in ipsam agere: neque opus est esse denudatam, nisi eo quod recipiendum est, & secundum gradum receptibilis.

SECTIO VIII.

An perceptio sive sensatio sit mera passio.

XLII. Tametsi, ut dictum, sensatio oriatur ab impressione facta ab objecto in sensu externo & interno, nihilominus arbitramur sensationem non consistere in illa passione, sed quod sit potius perceptio illius passionis. Neque enim quandocunque patimur, sentimus. Dormientes enim pulicis morsum non sentimus, & tamen illum patimur, non secus ac vigilantes: & studio nimis attenti, non sentimus quæ nos tangunt. Et qui ectasi rapiuntur, aut ira aliave vehementi passione, puncti acubus nil sentiunt, sed post ectasim dolent. Ergo sensus immutatio sola non est sensatio, sed immutationis perceptio. Similiter apertis oculis dormientia animalia non vident objecta quorum species in retioa orgaoi visivi sive oculi æque depinguntur tunc ac si vigilarent: oeque nos videmus illa, quæ nobis vigilantibus aote obtutum versantur, cum aliis intenti sumus, sicut nec ictus horologii tum percipimus. Videtur tamen magis actus esse vitalis judicativus, qui rem perceptam, prout est, cognovit: nam & bruta multa percipiunt absque judicio, similiter & delirantes. Præterea res omnis sentit se, præsettim anima, ut probat Augustinus, & amat se, ut Thomas, & tamen non patitur a se. Ergo sensus est ex passione per accidens.

Quando autem conjungitur sensibilis res animæ sentienti, fit sapientia, quoniam sapor rei, sicut est, illi communicatur. Sed quia partem rei tunc sentit, & ex illa totum, omniaque illi similia: non datur sapientia totius in oobis, sed scientia tantum, quæ emanat ex notitia partis, & hæc discursus quidam sensitivus est.

Datur enim & discursus mentalis, quo ex intuitu partis intellectus judicat totum, & ex sensibilibus in sensibilia quo similia sunt: Propterea Angeli, ubi totum intuentur, habent sapientiam totius, & non indigent consequenti discursu, nisi ubi non totum vel oon totaliter aliquid sapiunt. Deus autem, qui omnia tota & totaliter sapit, sapientiam solam habet, & non scientiam, quæ ex discursu fit. Ideoque Theologi optime sentiunt in Deo non dari sapientiam discursivam, sed intuitivam: licet sæpe confundant oomeo sapientiæ & scientiæ. Alii vero sapientiam vocant, quæ altissima docet & artes reliquas moderatur. Tamen ex hoc habere videtur ut sit sapieos, qui bene sentit sensu, & bene legit meote. Ex eo enim modico quod sentimus, de cæteris judicamus. Qui autem oon recte seotit, nec recte judicat.

XLIII. Cæterum recte sentit, qui purum habet spiritum, non nimis calidum pertenuemque, qui facile patiatur, ac subito exhalet, antaquam communicet spiritui novo, qui continuo ex sanguine aggeneratur, perceptas passiones, ac proinde scientiam. Hi enim carent memoria ob ejusmodi subitaneum effluxum, licet sensu facile omnia percipiant. At ubi non conservatur perceptio, deficit prudentia probusque discursus: ex his namque, quæ passi sumus, didicimus in futurum declinare noxia, & sectari ntilia; ordinare & præcipere, quod sapienti tribuunt philosophantes.

Præterea tenues spiritus abundant fuliginibus ex sanguine nimis calefacto eductis, quæ discursum interturbant. Est enim discursus, a simili simile sentire, colligereque. Neque debet spiritus esse nimis crassus,

ſus,quoniam talis non ſuſcipit paſſiones latentes languidasque vires objectorum,ſed tantummodo magnas, ideoque ad ſcientias occultas non eſt idoneus,neque ad diſcurſum. Quæ enim craſſa ſunt.pigre moventur ex ſimili ad ſimile.Debet quoq; in amplis cellis & bene formatis habitare,ut poſſit paſſiones,quas paſſus eſt,occulere. Inſpiciendo enim præterita, diſcit futura propter iſtorum conſimilitudinem. Motus autem recolere non poteſt, niſi in ſpatinſo loco. Manifeſte enim cum aliquid recordari volumus, præteritos illos motus recolimus,& res ſpectamus, quibus cum illud ſenſimus, vel ſimiles.

Intelligere inſuper univerſale accidit, eo quod non remanent particularitates motionum in ſpiritu paſſo rare & languide,ſed paſſiones multiplicatæ & magnæ. Video Petri individualitates ſolum in Petro, ſed humanitatem in eo & in aliis, & ideo memini quod ſit homo,& intelligo quod ſit homo: non autem cum ſimo naſo, latis unguibus,ſcabioſa carne,quæ in his non vidi,niſi ſit inſigniter ſcabra caro, ut ingentem in me generet paſſionem. Quapropter abſtractio univerſalis non fit per virtutem aliquam agentem, ſed ex languore activitatis in ſingularitatibus, vel ex raritate agendi. Vniverſale autem fit ex continuitate, continuitas ax multitudine ſimilium in ceſſanter objecta. Sed ſapientia eſt nntitia rerum,ſicuti ſunt,& ideo a ſenſu incipit,& per illum certificatur, roboratur, renovatur, emendatur.

Ergo Vniverſale Peripateticum craſſi ſpiritus apti ſunt percipere, inepti ad ſingularitates: tenues vero purique univerſale Platonicum & ideas rerum in ſe percipere & imaginari poſſunt magis ac ſimul rerum ſingularitates,& una cum mente ad divina levari.

SECTIO IX.

An ſenſatio Animæ fiat per informationem.

XLIV. Ariſt. opinatur,ſenſum eſſe potentiam, quæ fit actu ipſum ſenſibile per informatinnem, & tunc ſentit; ſicut lignum potentia ignis fit actu ignis, & tunc calefacit: ſenſus ergo & intellectus Ariſt. ſentit & intelligit,eum facti fuerint ipſa ſenſibilia & intelligibilia. In principio autem eſſe ſicut tabula raſa, in qua nihil eſt depictum, & poteſt quaslibet ſuſcipere picturas. Species ſenſibiles non putat in ſenſu manere, ſed vel evaneſcere, vel ſervari in phantaſia, quæ illi interior eſt ſenſus: alioquin non ſinerent alias ſentiri. Idem dicunt alii de intellectualibus ſpeciebns, alii negant.

At quod ſenſus nnn ſit potentia, ſed ens actu, non omnia ſentiens, ſed exeedentia tantum objecta, jam oſtendimus. Et ipſi Peripatetiei coguntur ſateri, facientes ipſum ſenſorii formam. Forma autem actus eſt, non pntentia,niſi reſpectu. Quod autem non fiat ſenſatin per informationem,facile oſtenditnr. Qnomodo enim forma lapidis poteſt in ſenſu recipi? & quis ſpoliat lapidem propria forma, & deſert eam ad veſtiendum ſenſum & intellectum? & quomodo lapis poteſt absque propria forma remanere, quin deſtruatur? Et quomodo poteſt infinitas formas emittere ſimul ad ocnlos infinitos ſpectantinm in ipſum? Item,qnomodo ſolis formam & ignis capere poſſnmus absque illorum & noſtra deſtructione? Item quomodo anima, ſuſcepta una forma poteſt aliam percipere, qnin prior deleatur? Neqne enim in tabula raſa ſecundam depinges figuram, non deleta prima. Contingit antem plura ſimul ſentiri, nedum ſucceſſive, quod in re indiviſibili fieri nequit. Quomodo autem hic fit, quin perdatur ipſa vis ſentieus,quæ facta eſt nnum cum ennſenſibili, ut ajunt, magis quam ex materia & forma? Id enim eſt corrumpi, amittere propriam formam, qund in re indiviſibili fieri nequit, quomodo autem hoc fit, quin perdatur ipſa vis ſentiens,quæ facta eſt unum cum. ſenſibill,ut ajunt, magis quam ex materia & forma vid. per identitatem? Id enim eſt corrumpi, amittere propriam formam: quod ſi remanet, quare non ſemper ſentit, intelligitque? lignum enim factum ignis ſemper calefacit, habet enim formam ignis; ſic habens formam lapidis, ſemper lapidem ſentiret, intelligeretque.

XLV. Præterea nulla datur forma caloris, ſaporis, ſoni & vaporis, ſed movent immutantque ſenſum, & illa motio conſervari poteſt ut in aere: at ſpecies, quas Ariſtoteles fingit,nullo pacto ſunt, neque permanent, uti ſuo loco oſtendemus. In viſu quidem recipitur lux tincta rerum colore: & quia color eſt in figura, affert ſecum rei figuram ſpeciemque: ſed viſio fit per motionem ſpiritus a luce, & quia lux taliter eſt colorata,taliter ſpiritus afficitur & ſentit.At aliorum ſenſuum objecta talibus ſimulacris non copnlantur, neque ſimulacra ſunt,quod in guſtu & anditu ipſe Ariſt. fatetur. Quapropter non informatur ſenſus ab eis, ſed immutatur patiturque; & ex tali paſſione tale objectum per aſſuetudinem diſcit; ſive, ut Plato putat, rememoratur. Non enim pueri ex voce noſeunt homines, & multo minus talem: neque ex calore, niſi nbi aſſueverint.

Vt hanc informationem defendant Peripatetici, eſſe dieunt lapidis ſpeciem in anima, non realem,ſed intentinnalem. Sed hæc verba ſunt, nam objecta realiter movent, & anima realiter movetur patiturque, ergo realiter ſunt in ſenſu. At quæ ſpecies poteſt eſſe caloris in anima, ſi nulla datur caloris ſpecies neque ſimulachrum, niſi calor effuſus ipſe? Sed poſito quod ſint intentionaliter, palam eſt quod in ſpeculi parte eadem plures imagines recipi non poſſint, neque ſervari. In anima autem recipiuntur ſimul & ſervantur. Intelligo enim ſaporem & colorem album & nigrum, Petrum & Paulum & lapidem, atque memoria teneo.

Reſpondent, manere in habitu, non in actn. Sed nunc in actu video album & nigrum hujus ſcripturæ,& ſimul audin gravem & acutnm ſonum muſicæ. Præterea habitus vel eſt ipſa ſpecies, vel anima reddita facilis ad patiendum: ſi hoc,nobiſcum ſentiunt: ſi illud, remanet eadem difficultas; ſicut enim calor in actu frigori in actu contrariatur: ita calor in habitu frigori in habitu,qunniam ſervatæ ſunt ſpecies eorum. Patet enim,quod in debili eſſe calor ſemper agat,licet debiliter,ſicuti in robuſto robuſte, alioquin propriæ obliviſceretur naturæ.

XLVI. Præterea,illa ſpecies,quæ actu movet animam,illam et recipitnr in ea, & ſervatur: ergo ſervata eſt eadem,eodem agens modo: cur ergo non ſemper ſentimus intelligimusque? Nec explicare poſſunt, quis ſpoliet lapidem propria imagine,& deferat ad animam cognoſcentem.

At quoniam Ariſt. ſpecies ſenſu perceptas ſpoliari ſingularitatibus ab agente intellectu, ut poſſint in paſſibili intellectu recipi, docet; ideo Averroiſtæ invenerunt

runt sensum agentem, qui faciat formam lapidis immaterialem, quo possit a sensu recipi immaterialiter. Sed hoc figmentum evertemus Tract. XLIII. de Speciebus intent.

Nos autem dicimus, modicam immutationem sufficere ad sensationem, quoniam ex illa sensus judicat reliquas objecti partes, & ejusdem consimilia generis. Neque propterea negamus ideas, sed non esse sicut rerum figuras, nisi figurabilium, ponimus, sed entitates. Verum a nobis vocari formas ex similitudine artificialium formalium, quoniam melius loqui non valemus. Participationes autem divinæ entitatis sunt ideæ, ut pluribus ostendetur in speciali Tract. XXXI. de Ideis, & scientia Angelorum est per has ideas. Putamus quoque omnes rerum species, quas vulgo per formas nescio quas e materiæ potentia eductas somniant, per evolutionem idearum materiæ concreatarum commode explicari posse, prout conabimur elucidare in Tract. XXVI. de forma.

SECTIO X.

Quid tandem sit Anima sensitiva.

LIII. Dicendum cum Th. Campan. animam sentientem esse spiritum corporeum, intra nervosum genus habitantem, calidum, tenuem, sensitivum, lucidum & passionibus aptum. vide Suppl. I. Animal autem est spiritus intra crassam molem inclusus organizatam ad opera vitæ peragenda: quapropter neque aer, neque aqua, neque lapis sunt animalia: licet sint entia sensitiva: sed plantæ, & feræ, & homines. Omnia enim sentiunt, quia omne ens potest, scit & vult esse proprium. Vide Tract. 47. de Vita. Vbi ostendemus ex decretis naturæ & scripturæ sacræ, omnia entia sensu, potestate & appetitu (constitutione Metaphysica primalitatum) prædita esse. Assertio autem præsens probatur tum ex refutatione aliarum opinionum, tum ex solutione objectionum. Non esse tamen formam corporis, contra Peripateticos, constanter tuemur, & ex parte jam supra probavimus, & modo confirmamus ex eo, quia ens difforme, quale animal, ex tot partibus difformibus specie, operatione, virtute, figura & proprietate diversis compositum ab unica forma informari nequit: idcirco enim difforme est. Verum quia est ens decompositum, & omnes illæ formæ, puta carnis, ossis, nervi, sanguinis, &c. componuntur in unum ens ad finem unum, sicut in artificiatis partes horologii variæ ad unum horologium & operationem: Propterea superaddemus formam unam idealem, quæ dicatur totius: & animæ, & corporis, & partium est formalis idealitas. Idcirco anima versatur in corpore organico tanquam opifex in officina, nauta in navi, incola in domo propria. Nam abeunte anima, remanet corpus in sua forma palam, & figura, sicut nauta abeunte navis. Verum marcescit quidem corpus, quia deest gubernator causa agens intrinseca conjunctaque. Nonne cadaver est navis absque homine, ventis & undis, & scopulis, & muribus, & perforationibus, & fractionibus obnoxia? Hoc plus habebat corpus animalis, quod ab anima propter unionem substantialem, non accidentalem modo, etiam nutriebatur ejus calor exhalans, per cibos ingestos, ac dum alius abit, nullus remaneat fovens. Erat enim sicuti molendinum potius, quod abeunte molitore deficit molitio granorum, & molendini artificium. Item videmus obturatis nervis per- di sensum & motum, eo quod anima tenuis substantia est per nervos discurrens: quibus obstructis nequit ad exteriora interlabi. Item cum sensus non sit æqualis in toto corpore, manifeste non est forma æqualis, ut in aqua, quæ est tota aqua: sed alibi aliter sentit pro organorum commoditate. Item cum attente aliquid intuemur, non audimus, vel ægre eos, qui nos vocant: & cum musica delectat spiritum in auribus, totus confluit ad caput, & remanet visus destitutus: non enim vident oculi, & aliquando dormitat cæteris membris destitutis: & cum per unum oculum intueri volumus per dioptras, alterum claudimus, quia totum spiritum in unum colligimus. Ipse quoque somnus & deliquia & cicutæ comestio, & vapores crassi, subito spiritum ad interiora revocantes declarant cum non esse formam corporis; neque enim visus absque sua forma vidente remaneret, neque manus absque sensu tactus: sed esse spiritum tenuem, mobilem ad omnia munera, habitantem in cerebro, & per genus nervosum discurrentem & vivificantem totum corpus. Idcirco plantæ sectis corticibus circum circa atque nervis suppositis moriuntur; non autem si vel dimidium truncetur stipitis. Quapropter cum eadem hominibus & cæteris animantibus eveniant, inquirendum restat, utrum in homine præter animam sensitivam, alia divinior, spiritualis & immortalis reperiatur, quod mox videbimus.

LIV. Pro declaratione praecedentium, & faciliore solutione argumentorum in oppositum observa, in anima (ut in omni ente finito) dari partem passivam, & partem activam, sed non Aristotelico modo; & ipsam sapere, & amare in quantum ens, sed in quantum anima, dare alteri sapere, & posse, & amare, & secundum se, vel subsistere, vel ut causa agens inexistere; & animal esse unum non simpliciter, nec compositione, sed decompositione. Explico. Invenitur quidem in anima nostra agere & pati, prius enim recipit rerum motiones, a quibus afficitur, deinde vero de rebus moventibus judicat, ergo datur in anima pars passiva & activa, sed pars passiva non est animæ in quantum anima, sed in quantum natura deficiens. Quæcunque enim natura finita caret aliqua entitate, potest illam recipere. Quapropter in Angelo datur pars passiva, quatenus recipit illuminationem a superioribus, & in sensu, & in materia omnium maxime. Iudicare autem de re inferente passionem, est actus animæ, in quantum sapiens est, & est quædam actio, sed potius operatio interna dicenda foret: ergo non datur pars activa in anima, separata a passiva. Eadem enim quæ patitur, ipsa judicat de eo, a quo patitur. Non enim ego possum judicare de dolore, quem tu pateris. Neque pars activa est, quæ spoliet objecta materialitatibus, sed potius vestit, quoniam ex parte communique passione partis rei, judicat de tota re, & de cunctis individuis. Sensus enim ex eo, quod videt aliquod figuratum instar hominis a longe, judicat esse hominem cum carne, & osse, & oculis & pulmone, & cum cæteris materialitatibus, quas non videt. Sic & intellectus.

LV. Insuper objecta non movere animam, neque primalitatem ad exercitium (uti suo loco ostendemus) sed ad specificationem tantum. Omnis enim sapientia semper sapit id, quod est illud cujus sapientia est, vel abdito modo. Cætera vero, in quantum movent rem sapientem, & in quantum intelligit sapientem mutatam in aliud. Anima ergo non sapit sensu, vel in- telle-

tellectu, quatenus est corpus, alioquin non nisi corpora saperent; neque quatenus calor, alioquin frigus non sentiret. Ergo quatenus ens, quoniam omne ens sentit, & quia neque accidentia sentiunt, ut accidentia sunt, neque enim circulus sentit, sed res circulata: neque paternitas sentit, aliave relatio, sed res relativa; neque vestis sentit, quatenus vestis, sed quatenus est ens aliquod subsistens. Propterea dicimus, animam esse aliquid subsistens in cunctis rebus. Nec tamen quia subsistit, est immortalis, nam & aer subsistit per se, & lapis, non tamen immortales sunt. Quapropter anima brutorum immortalis non est, licet subsistens. Non tamen est forma, uti diximus; potest enim corrumpi aut abesse, non corrupto subjecto, quod nulli formae convenit: ut necatae muscae in aqua, quae mox ad solem reviviscunt, refecto spiritu; & similiter gelatae aves in Islandia sub hyeme, quae in vere reviviscunt. Unde docemur, animam esse spiritum tenuem calidumque. Nec tamen dicimus subsistentia sola sentire, quandoquidem calor & frigus sentiunt, qui tamen inexistunt. Ergo damus sensum rebus, quae sunt actionem & passionem per se habentes. Calor enim agit, & ignis per illum; paternitas autem, & vicinitas non agit, sed pater & vicinum. Animae ergo est scire, & posse & appetere, quatenus est ens, non quatenus anima, quia omnia entia his primalitatibus constituuntur, ut ostendit Tract. XXIII. De Primalit.

LVI. Quatenus autem anima est sentiens & appetens, ostendit se non esse relationem, neque actionem & passionem, neque formam passivam, ut circulus, aut temperies, neque harmoniam, neque aptitudinem, sed ens subsistens, vel inexistens activum aliquid per se potens, licet in alio: sed quatenus anima habet animare, est id, quod dat alteri minus potenti, minusque sapienti, & minus amanti, potentiam & sapientiam, & amorem ab intrinseco, respectu ejus corporis dicitur anima; respectu sui vero ens. At ex corpore & anima non fit unum simpliciter, ut ex potentia, sapientia & amore; neque ut compositum similare ex materia & forma, ut ex calore, & tenui corpore ignis, & ex aere & circulo aes: sed unum decompositum, ut molendinum ex aqua, & lapidibus molaribus, & homine: & textrinum ex texente & tela, & filis, & radio & casside, &c.

LVII. Quapropter frustra quaeritur unitas simplex in animali, in quo apparet multiformitas, sed unum est decompositione, uti recte advertit Scotus. Verum quia haec decompositio est naturalis substantialisque in unam formam totius propter finem, datur unitas major quam pistrino: licet & in hoc conveniant omnes partes in unam formam totius propter finem. Ars enim naturam imitatur: unde & theriacam ex pluribus speciebus conficit unam speciem. Cum ergo dicunt, id, quo primo vivit animal, non est corpus: verum est, sed non sequitur, ergo est actus corporis: quoniam animal est decompositum: sed potest corpus tenue & sentiens magis animare corpus crassum & stupidius. At cum addunt, illud corpus tenue non esse vitam in quantum corpus; Concedo. Nam vita est entitas constans potentia, sapientia & amore. Unde anima tenuitatis est calor: caloris vero potestas, & sensus, & amor essendi, vel horum unitas.

Solvuntur Objectiones.

LVIII. Oppon. 1. Anima est forma corporis, & non unum ex elementis, alioquin non cognosceret alia. Resp. quod anima, quatenus anima, habet regere corpus, vivificare & animare. Regens autem distinctum est a recto: alioquin idem esset regens & rectum, uti levitas est movens & mota. Iterum abeunte forma, dissolvitur compositum, sicut ignis perdito calore & levitate: sed corpus manet post mortem cum sua temperie & forma, ita quod sola separatio animae a corpore facit mortem citra dissolutionem corporis, ut Theologi de Christo, & experientia de cunctis cooestantur. Et dum dormit anima, exteriores partes sunt eaedem: sicuti navis quiescente nauta rectore suo. Ergo anima non est forma corporis. Instas. Animal est compositum ex corpore tanquam materia, & anima ut forma. Resp. Neg. ant. Est enim decompositum, ut supra declaravimus.

LIX. Oppon. 2. Si anima esset corporea, non perciperet corpora: oportet enim accipiens denudatum esse natura recepti. Resp. Neg. sequelam, ad probat. N. suppositum, nempe sensationem fieri per informationem.

LX. Oppon. 3. Corporis qualitates sunt sensibiles, non autem animae. Resp. qualitates animae esse sensibiles, sed qualiter in aere, quo tamen tenuior est anima. Nam animae calor in corpore manifestus est, ut S. Athanas. etiam probat animam calidam, in def. de anima. Lux quoque in oculis, dum laetatur spiritus in illos confluens, & similiter tenuitas tumefaciens: licet lux & tenuitas non satis manifestae sint, quoniam anima ab anima non sentitur: similiter nec aeris color, nisi intra ampullam aquae sentitur, neque motus ordinarius. Motus autem animae manifestus, quo corpus & se movet in somno, & vigilia, & caeteris motionibus. Virtutes autem & vitia non sunt qualitates corporeitatis animae sentientis, sed rationes & modi operandi, qui per operationes percipiuntur, sicuti relationes corporum, amicitiae & inimicitiae, caloris & frigoris, quae discursu, non sensu percipiuntur, sed per ea quae sentimus.

LXI. Oppon. 4. Si anima esset substantia corporea ergo esset animal, cum sit animatum corpus. Resp. Anima non est corpus animatum, sed corpus sentiens & animans. Animari enim est, intra se habere aliud ens, quod regit ipsum, ut domus animatur suo modo ab homine habitante accidentaliter; sic homo ab anima substantialiter. Aer quoque sentit, sed non est anima, quoniam non est inclusus in corpore, secundum rationem animandi; propterea non est animal sicut uter plenus aere, quemadmodum objicit Aphrodiseus; sed sicut navis homine in ratione regendi per organa & artificia ad hoc parata, vinculis vitae.

LXII. Oppon. 5. Sequeretur animam sustentari a corpore crasso, & non sustentare. Resp. animam movere corpus, ut nauta navim, & vicissim vectari a corpore, quocum facta est unum ens. Anima ergo qua corpus est tenue, dat motum corporibus crassis, & vitam si cum eo coaluit: qua vero sentit, non est corpus, quia sentire est commune omnibus rebus activis & passivis: dicitur quoque recte calor nativus, penetrans totum corpus, qua lucidus, & calidus, qua corporeus per poros nervorum, musculorum & fibrillarum. Et natura docet motum esse rerum tenuium, ut ventorum, aeris & ignis.

LXIII. 6. Animae sentientis origo aliter expli-

cari

cari non poteſt, niſi cum Epicuro aut Democrito dicamus, eam aut ignem vitalem eſſe, aut omnino flammæ analogam. Reſp. Nos cum Epicuro eatenus ſentire, quatenus bruti animam ut florem corporis, & ſubtilem atomorum contextum intellectu concipimus: ſed in explicanda illius natura & origine ab eo diſſentimus, quod bruti anima vim ſui ipſius motricem, vim plaſticam & organorum conformatricem, functionum animalium opificem non ex tumultuario atomorum congreſſu, ſed a ſummo rerum principe Deo acceperit, atque hypoſtaſin habeat, ſeu texturam ad præſcriptum formæ archetypæ, cujus eſt velut inſtrumentum, concinnatam. Cum enim ex lege ab autore naturæ conſtituta, quam ne ſuſpicione quidem attigit Epicurus, materies aliqua ad vitam & ſenſum eſt diſpoſita (quale eſt ſemen) ſimul partes magis ſpirituoſæ e craſſioribus evolutæ, & eodem velut charactere ſignatæ erumpunt: ſic anima velut cochlea ſuam teſtam molitur. Nam ubi micare incipit, ſtatim ſeſe explicat latius, partes organicas juxta ſeminarias rationes effingit, & una cum corpore paulatim adoleſcit. Sic craſſioribus materiæ partibus in organa conformatis, ſimul ſubtiliores ab iis expeditæ, in ſubſtantiam animæ ſentientis faceſſunt, idque non fortuito atomorum concurſu, non vi animæ congenita, non illius arte quadam, ſed arte omnipotentis artifice ope Angelorum perficitur.

LXIV. Inſtant. Lex ipſa archetypa, vel idea divina eſt materiæ ipſi extranea: nos autem inqnirimus principia rerum intima, non foris accerſita, ac ſemper illud manet inconcuſſum, non aliam eſſe animæ ſentientis naturam, neque alia eſſe ejus principia intrinſeca, præter Democriti atomos. Reſp. Naturam proprie & pulchre definiri a Platonicis artem Dei in materia: quare ut ideæ divinæ ſint rebus extrinſecæ, rationes tamen earum quaſi ſigilla rebus impreſſa ad intimam cujuſque rei naturam pertinent, quod amplius declarabitur in Tract. XXVI. de formis, ubi oſtendemus, formam cujuſque rei eſſe quandam divinæ ideæ participationem, aut characterem.

LXV. Oppon. 7. Si anima ſentiens eſt diviſibilis, animal perfectum in partes ſectum adhuc viveret, ut in inſectis cernimus. Reſp. Partes eſſe quasdam in perfecto animali, ut in cane, quæ ad vitam ſunt omnino neceſſariæ, ut cor, cerebellum, & aliæ forſitan: non ita res ſe habet in inſectis ſeu annuloſis: nam in iis quilibet annulus eſt velut quoddam animalculum: ſed tamen in iis quoque magna eſt organorum varietas.

LXVI. Oppon. 8. Anima quæ eſt in cane, dolorem ſentit, in quacunq; corporis parte ſit, ergo ea eſt indiviſibilis & tota in qualibet parte. R. Neg. conſequentiam, ſolum enim ſequitur, eſſe unam & indiviſam animam, ad quam ea ſpectant omnia, quæ geruntur in corpore, ſed propterea non eſt indiviſibilis aut inextenſa.

LXVII. Quid autem ſentiendum ſit de ſententia Platonicorum & quorundam Chymicorum, ponentium vim quandam materiæ ipſi coævam per cuncta diffuſam, quæ ſit actuoſa, energetica, ut ajunt, quæque a materia divelli nequeat, quam materia ipſa varie modificet, eaque ſit a prima cauſa procreata, in jugi actione poſita & ſenſus omnis principium. Hinc, inquiunt, rebus omnibus innatus eſt appetitus, qui citra perceptionem naturalem concipi non poteſt. Hæc perceptio in animalibus ſit ſentiens; cum duplici organo ſenſus interioris & exterioris inſtruitur: adeo ut perceptio illa naturalis quodammodo geminetur. Hanc opinionem fuſe admodum deducit Gliſſonius, qui tamen ad manus meas non pervenit: verum non probatur Anonymo Phil. Reg. Burgund. cujus hæc criſis: Nemo bona fide in lapidibus aut plantis naturalem illam perceptionem, aut appetitum innatum agnoſcet. Quare mavult obſcuram ſenſitivæ animæ naturam & originem relinquere in tenebris & indeciſam, quam aliquid certi definire. Nos autem infra Tract. IX. de anima mundi, de illa agemus, videturque ſatis fundata, nec a noſtris principiis multum aliena, tametſi in ſcholis non ſit recepta, quod me non movet: Profeſſores enim legibus moderatorum adſtricti ſæpius a veritatis tramite exeſſe coguntur.

SECTIO XI.

De Anima rationali, ſeu Mente.

LXVIII. Ex hactenus dictis conſtat, nullius pene rei magis vagam eſſe & incertam notionem, quam ipſius animæ: nam plantis, beſtiis & homini animam tribuimus omnes, & vitam: & tamen plerique in ea ſunt ſententia, ut putant, ex iis, quæ afferri ſolent, animæ definitionibus nullam omnibus viventibus univoce convenire; quod utique veri proximum & nobis videtur. Maxime autem acceſſiſſe ad veri ſcopum putamus Alexandrum Alenſem, qui animam ut lucem aliqnam vegetam, & ſemper mobilem concipit, quæ vitam ex ſe inſtar alicujus luminis fundit: Nam lux in ſole vel igne, lumen eſt in aere: ſic vita ex anima in corpus, ut ſubſtantialis quidam vigor jugiter fluit, id vegetat & fovet illuminando ſpiritum. Hinc a Platonicis definitur anima: *numerus ſeipſum movens*, quod ut animam ex vita, ſic vitam ex motu ipſo, & ſpontaneo maxime perſpectam habeamus. Iidem Platonici vitam definiunt, primum & conſtantem animæ motum. Ac vulgo receptum eſt, ut ea vivere cenſeantur, quæ ſe ipſa movent: ſed intellectu eſt difficile, quomodo planta ſeipſam moveat, non item flamma. Fontem quidem vivum dicimus, ubi continenter fluit; & carbonem accenſum itidem vivum appellamus: ſed voces illæ ſunt metaphoricæ; proprias inquirimus, & quid ſimile ſit in plantis cum brutorum & hominis vita. Non ignoro quid reſponderi ſoleat, vivens eſſe ſui motus cauſam principem. Sed dic mihi cur plantæ, ut cauſæ principes, ſeipſas potius moveant, quam ignis, aut gravia quæque corpora. Alii vitam in eo conſtituunt, quod ſit principinm actionis immanentis: nec repugno: verum in animalibus quidem eæ actiones ſunt ſatis conſpicuæ, in plantis non item. Nos in præſenti ſectione agemus de natura & immortalitate animæ rationalis, de ajns origine, viribus & functionibus, an & quo ſenſu forma hominis ſit & dicatur: an ſola ſit in homine, differemus ad Tract. ad meliorem tamen notitiam & ſupplementum præcedentium, ſit

SVBSECTIO I.

Animam, formas agentes & ipſum ſenſum non eſſe corpuſcula, nec harmoniam temere ortam, nec temperiem, nec ſpeciem organici elementati corporis.

LXIX. Democritus & ſui Epicurei peſſime arbitrantur, nullas eſſe virtutes activas, ſed actiones fieri ex de-

defluxu atomorum, & ex corpore non activo: passiones vero earundem receptione atomorum. Manifeste enim lux & calor & frigus activa sunt principia, sese amplificantia & in iovicem agentia, occidentia & generantia: corpus præterea additum corpori facit majus; segregatum vero, minus. At ferrum ignitum non fit majus, cujusmodi fieri oporteret, si calor esset corpus, nec frigefactum augetur, sed potius cogitur & imminuitur. Vode vides vim rarefactivam esse in calore, & condensandi in frigore. Vtrumq; autem augeret per se, si corpora essent, noo per rarefactionem, sed per coaugmentatiooem & impletiooem occupatæ molis. Item sol continuo effundendo locem, continoo imminueretur, quod nemo hactenus advertit. Stultum autem est dicere cum Epicureis, solem quotidie nasci ex novis atomis e terra elevatis ignita, & quotidie in vesperis occidere & extingui, quasi caloris effusi copiam emittens, seipsum imminueret. Quam stultitiam noo modo Oracula divina, sed omnium nationum testimonia, & præsertim navigantium in Americam & circumlustraotium orbem terræ per Oceanum australem convincunt. Calor quoque intra oubes occlusus seipso aogetur concentrato. Similiter & frigus: hoc autem noo possent facere, si corpora essent, constrictio namque corporibus est imminutio. Nec seipsa ex aliorum corporum additiooe augent, cum potius a corporibus aliis comprimaotur, præsertim a cootrario: frigus enim a calore circumdatum augetur, calor autem in frigoris materiam ooo iovertitur, ergo augent seipsas, ergo activitas oon est ex atomorum defluxu; sed ab interna potestate. Item in speculo lux aogetur, & noo additione atomorum, ergo seipsa. nam extra speculum in aere cur non magis augeatur, ubi atomi incorporabiles magis adsunt illi? Longe melius sapit Avicebroo, qui nullam dat corporibus activitatem.

At dato, quod calor & frigus sint corpora tenuissima, oportet adhuc illa esse prædita sensu: quoniam mutuo sese aversantur, & invicem agunt & patiuntur, fugioot, uniuntur; arte sese tuentur, & quæcunque edunt animalia opera vitæ & sensus, cæteris insunt quoque rebus. Item si eorpuscula hæc sint, tenuissima esse oportet, ergo a crassis extrudi semper sursum juxta dogmata Lucretii. At nunc videmus lucem venire deorsum: quod impossibile illis videri debet, si corpus est. Item nec frigus io terra vivere posset, sed extrudi sursum ad sidera, quoniam teouissimum est adeo, ut ferrum & lapides permeet: ergo oportet fateri, oon omnia entia esse corporea, & corporea & incorporea sensu esse prædita. Item non fieret rerum generatio, sed creatio: quoniam corpora non babent actu, nec potentia activas formas, ergo oeq; unde oriaotur, nisi ex nibilo, nos docebunt: situs enim, figura & ordo, materiales tantum differentias faciunt, non activas, oportet ergo præter corpora dare causas activas. Neque enim quomodo à se moveantur corpora, & præsertim industriose ad formandum animal, docebunt nos.

LXX. Aristoxenus qooque & Galenus & Aphrodis. non minoribus premuntur absurditatibus, ex insensatis elemeotis producentes sentientem animam. Constat enim, nihil esse in elementis, quod ab elementis oon cootractum sit. Virtutes ergo & potestates speciesqoa, vel sunt ipsa elementa, vel eorum barmonia & temperies, ot ajunt. At anima, sensus, ratioqua sunt aliquid longe oobilius diviniusque, & superioris ordinis: licet autem virtutes omnium unitæ quid unum nobiliusque faciant: nihilominus non quod excedit ipsas, præsertim si se mutuo comminuunt, deteriorantque per pugnam. Non quidem Oximel aceti mellisque excedit vires: & quamvis mutetur in quid nobilius, oportet illud nobilius vel ab extrinsecis causis advenire, vel ab eisdem viribus suam molem, cum auctæ fuerint, dignificantibus. Auctio vero non potest ab aucto alienum esse. Nec enim calor exilis factus robustior mutat genus: multo autem minus imminutus. Igitur nobilitas ab extra veniet; ergo sensus ratioque noo ab elementis commistis producitur, sed ab externa oobiliore causa, veluti ab ideis, aut a Colchodea.

Dictum quoque Aristoxeni invalidum est: si enim harmonia quatuor contrariorum facit animam, cum in omni misto insit harmonia, omne mistum erit animatum, ut Alexander ipse infert. Nam nisi æqoentur contraria, oon fiet mistum in doctrina eorum: sio vero aliquod ex elementis excedat viribus, aliquod vero materia, ut ipsi putant: tunc virtus animæ sensusque tribuendus est magis elemento viribus excedenti, quam materialitati, ergo sensus proprius erit illius elementi, & noo omnium, neque misturæ, quoniam mistura & elementa omnia sunt in omni misto; noo autem excessus virtutis alicujus, vel aliquorum ex miscibilibus.

LXXI. Item Harmonia, quæ resultat ex fidibus musicis, est quid aliud differens a fidibus & a vocibus, attamen ex eis resultat, & aeris percussione taliter moti: sed fides vocesque non casu edunt harmoniam, sed ab artifica paratæ ad ipsam, ergo si artifex aliquis componit elementa ad animæ productionem, ipse sapientissimus erit: & ab eo defluet sensus in misturam, & non a casuali mistura, & redibit opinio Avicennæ & Platonis; sin vero casu mistio ad talem harmoniam fiet, undique posset & quomodolibet gigni animal; nec determinate quodlibet suum simile producet. Si autem debita mistio ad talem harmoniam prærequiritur, & certa modificatio miscibilium quodam casu eveniens: omnia a casu venient, quoniam & rationalis anima a casu est, constat autem nos molta gerere consilio, & natura propter finem artificiose gignit omnia. Datur ergo prima sapieotia, ergo melios ab hac derivetur anima, quam a casuali congressu insensatorum miscibilium.

Item harmonia est respectus quidam: non enim nisi oobis est, oostroque spiritui harmonia; aliis vero rebus minime: sicut mel est dulce nobis, amara genista: capris vero econtra genista dulcis est, & mel amarum: sentiens autem anima non est respectus quidam, sed vere ens, judicans omnia entia. Item harmonia resultat ex intensionibus vocum & chordarum: at anima præcedit, quoniam ipsa architectatur corpus & organizat mirifico apparatu.

LXXII. Galenus quoque eisdem argumentis confutatur. Nam temperies fit ab anima, ergo ooo est anima. Item temperies elementorum nihil addit supra vires elementorum, nisi unionem, quia Galeoo nihil videtur in rebus esse elementatis, quod ab elemeotis non acceptum sit, ergo sensus præerat in elementis. Item nullus effectus excedit suam causam: anima autem excedit elementa, quoniam non modo materiales res elementares novit, sed in-

cor-

corporeas divinasque, ut honorem, ſapientiam, deſpectionem, virtutes, religionem & intelligentias. Hæc autem elementorum partes non ſunt, neque paſſiones. Item cogitatio animæ excedit elementa & cœlum & mundum & ſupra hæc omnia extollitur. Nec temperies excedit ſubjectum; anima autem vult & ſentit a longe valde extra ſubjectum.

Item temperies cerebri, quam Galenus putat eſſe animam ſenſitivam & conſultricem, manifeſte ſtupida eſt: & ſi tangatur, non ſentit, ut ipſi fatentur Medici, quomodo ergo cœlum, æquinoctia, ſidera & remotiſſima & diviniſſima entia conſiderabit? furor eſt prorſus ita opinari. Sanius eſt dicere, ſpiritum intra cerebrum habitantem eſſe animam, non autem cerebri temperiem ſtupidam inertemque, quæ ad ejus tutelam ex molli ſubſtantia, ne in oſſa dura impingat, & laceretur aut contundatur ſpiritus, fabrefacta eſt, quaſi lectulus mollis blandusque. Verum quidem eſt, mores animi ſequi corporis temperamentum, quoniam ſpiritus ipſe corporeus eſt: & juxta ejus paſſiones afficitur quoque anima a Deo nobis immiſſa: in brutis vero prorſus ita ſe habet. At & ipſa propriis aliquando affectibus repugnare, dum a contrariis paſſionibus ſimul agitantur, ſæpe viſuntur, & quaſi ſyllogizare, quid proſequendum potius ſit: ſyllogiſmo tamen ab affectionibus & viſis impreſſo, non libere expreſſo & ſenſitivo & non mentali. Vnde non ob id temperies erit ipſa anima, ſed hæc præexiſtit in cunctis rebus ſuo modo.

LXXIII. Pro certo itaque tenendum, corpus organicum non fieri tale ab elementis, ſed vel ab organizante anima, vel ab alia exteriore ſapientia. Quomodo enim elementa inſenſata facient organa ex temeraria miſtione, ſui uſum non præconſiderantia? A fabro utique ſapientiſſimo hæc confici neceſſe eſt. Nunquam enim malleus, & lima, & gladius ex miſtura ignis & ferri per ſe fient absque fabro. neque ex lapidum & cæmenti adunatione domus camerata & feneſtrata conſurget absque domificatore, ergo nequit organicum corpus, præſertim ab elementis ſeſe mutuo deſtruentibus fieri, ergo nec ſpecies ejus, quæ eſt anima. Item deſtructa forma deſtruitur id, cujus eſt forma, etiam apud Ariſt. at abeunte anima adhuc remanent organa, ut oculus, auris, manus, ergo non forma organorum, neque totius organici anima eſt, ſed aliquid per ſe exiſtens, vel corporeum, uti ſpiritus brutorum, vel incorporeum, uti mens humana, de qua impræſentiarum agimus. At quia deprehendimus ſenſum ejusque operationes manifeſte etiam in calore & frigore, & in corpore, antequam organizetur, igitur non organicum modo corpus ſenſum habet, ſicut ignis levitatem, ſed cunctas res ſentire oportet, & ſenſus non eſt forma organici. Quomodo enim in corpore adeo difformi, in temperamento, colore, denſitate, mollitie & caliditate & qualitatibus & figuris, & quantitatibus unica forma eſſe poteſt? quis eandem ſpeciem formamque nervi, & oſſis, & ſanguinis, & ſpiritus & carnis, absque erubeſcentia audeat affirmare? Igitur ſenſus cognitioque actus eſt rei non organicæ, ſed cujuscunque rei vitalis entitas, ut trademus Tract. de vita.

LXXIV. Cum itaque ſenſus reperiatur non tantum in animalibus, ſed etiam in calore & frigore, & aere, & in cunctis rebus, fruſtra adducitur Golchodea, aut Deus de novo creans, quod ab initio creatum eſt, niſi contendant omnium formarum, tam paſſivarum, quam activarum, tam ſubſtantialium, quam accidentalium productionem eſſe creationem, vel defluxum & emanationem a Deo; & quidem hoc concedunt Mauri, quia non putant a calore calorem gigni, quoniam tranſiret ab igne ad aquam ipſum accidens. Hoc autem irrationaliter timetur, quoniam calor gignit calorem ſeipſum effundendo & amplificando, non autem eundem ſeipſum numero transfundendo de ſubjecto in ſubjectum, quid ſi fieret, quid abſurditatis habet? Nonne aqua calido ferro ſuperinjecta, ejus ſuſcipit calorem? nam tam ſubito gigni non videtur dicendum.

Accidens ergo activum tranſit de ſubjecto in ſubjectum, ut docet lux: non autem paſſivum, ut circulus & linea & angulus. Videmus nihilominus ſigillum tranſire in ceram ſigillatam. At non tranſire judicamus, ſed multiplicari: ſic & ſapientia de Magiſtro in diſcipulum tranſit, non deſerendo Magiſtrum, ſed ſeſe multiplicando. Ita forte calor de ferro ignito in aquam ſe multiplicat, aliusque eſt numero, ſi ſubjectum aliud: & qui præerat in ferro, extinguitur. Verum nullo pacto cogimur horum creationem ponere. Et Avicenna conſultiſſimus Maurorum, a Colchodea non derivat accidentia activa, ſed formas ſubſtantiales: qui ſi per formas intelligit modum formamque exiſtentiæ rerum, quo conſtituuntur & ab aliis ſeparantur, cum iſta modus non ſit calor neque frigus, neque materia, ſed quædam ipſorum omnium ſpecies, ſeu exiſtentia in tali tantoque entium gradu ad certum finem uſumque; veluti domus non eſt idea, neque lapides, ligna & cæmentum, ſed quod reſultat ex utrisque. Vtique ſi ita ſentit Avicenna, recte ſentit. Modificatio enim hujusmodi in quodam rerum gradu ſit per fatum, neceſſitatem & harmoniam (de quibus ſigillatim ſuo loco) regulantes calorem & frigus & materiam & paſſiones ejus, & reducentes ad certam entitatem, quam ſpeciem rei ſubſtantialem dicunt, quoniam rei cujusque eſſentia eſt. Fatum vero, neceſſitas & harmonia, a ſapientia amore & poteſtate divina emanant, & ejus ideam deferunt. At in hoc errat Avicenna, quoniam Colchodea hos modos adducit, & non potius ipſam miniſtram facit Dei, ſicut Plato rectius animam mundi huic miniſterio dedicat.

LXXV. Vtut ſit, ſive anima mundi, ſive Colchodea effingat formas rerum, non tamen ex nihilo, neque ex ſui ſubſtantia, ſed ex his, quæ in rebus ſunt, efformant, applicando & moderando, uti Medicus & Agricola, inquit S. Auguſtinus. ergo ſenſum ineſſe rebus oportet, ut illum in ſpiritu occluſo intra molem organizatam afferant ad eſſentiandam animam. Senſus ergo eſt in rebus, & non ex altera materia abſtracta: ſed non eſt anima, donec in ſpiritu fiat, & occludatur in corpore organico; ſicuti & calor eſt, ſed non eſt facultas allii, aut cepæ ipſe calor, donec in materia ita affecta, ita fiat, qualis eſt allii, fieri autem ita eſt, fingi formarique in entis talem gradum: & hoc a Colchodea eſſe poteſt inſpiciente ideas Dei.

Vnde remanet veritas, quam priſci Philoſophantes docuerunt, teſte Aphrodiſeo in 1. de anima, quod anima conſtet ex principiis, cunctis rebus communibus 2. ideoque eſſe omnia: Nam potentia, ſapientia & amor entis proprincipia ſunt, quod neſcio an ita intellexerint (inquit Campanella) Philoſophi priores.

Nunc anima humana de seipsa anxie quærit, quid sit, unde sit, ad quid sit, immortalisne an corruptibilis? ut quem inter entia locum sortita sit, intelligat, atque ad proprium cuncta dirigat finem. Videtur ergo seipsam ignorare, quæ seipsam quærit, & videtur a seipsa abesse, quæ non in se, sed in alio se quæritat. Et quidem ita est

SVBSECTIO II.

De Animæ Rationalis, seu Mentis divinitate.

LXXVI. Cum ex prædictis appareat, permulta homini cum cæteris viventibus, plantis brutisque esse communia, restat inquirendum, utrum in homine habitet substantia aliqua divinior, quam quæ in brutis: & utrum illa sit immortalis.

Dico 1. Hominis excellentiam super animalia, & animæ ejus divinitatem efficacissimis rationibus demonstrari. Quod sic ostenditur. Quantum animal inanimatis, tantundem homo animalibus præstat. Ita quidem ut non sit excessus secundum magis & minus propter meliora organa & temperamentum duntaxat; sed quia est superioris ordinis. Lapides sane sentiunt, & ligna, & aqua, & quæcunque mista (quidquid vulgus dicat) sed alia magis, alia minus. Et in ipso animali, os, caro, nervus, jecur, sanguis, lien, vesica & unguis & capilli sentiunt, non tamen dicuntur animalia, neque lapides, neque partes animalium, quoniam animal est quoddam totum, ex anima & corpore organizato constructum. Neque quæcunque sentiunt, animæ sunt: non enim ventus, neque aqua, neque lapis est anima, sed spiritus ille, qui in corpore inclusus est, & animat aliud quam seipsum. Quapropter licet abeunte spiritu, sentiat cadaver tantillum, docente experientia, vid. occisi serpentis fugientis ab umbra fraxini, & hominis ad conspectum occisoris, & pellis hœdinæ ad sonitum lupinæ aliisque: non tamen dicuntur animata, nisi spiritum motorem & vivificatorem per se existentem habeant. Omnem quoque sensum esse tactum, non male dicitur: sed diversis organis diversos sentiendi modos fieri: In oculo enim transpicuo lux tangens spiritum sentitur tincta rebus illuminatis: in naribus vapor vaporantis deferens vires: in lingua tenuis, crassaque substantia seipsam indicans: in auribus motus mobilia indicans: in toto corpore omnes qualitates extrinsecæ, quæ per partes non perforatas gracilesque, qualia sunt sensoria prædicta, ut admittant sensibilia ad sentientem spiritum, sed utcumque crassas nobis suas communicant vires. Ex his autem cognitis judicat animal, sequenda esse proficua, a quibus bene afficitur: & fugienda noxia, a quibus male: & ad hoc faciendum diversas operationes init & instrumenta parat, nam faciunt sibi domos, nidos, cellas, retia, Remp., Regnum, aliaque multa ad vitam necessaria, ut patet in avibus, apibus, piscibus, formicis, araneis, & cæteris, in quibus quædam relucet sapientia & actio mirifica, indicans spiritum longe excedere sapientia lapides, plantas & partes ipsius animalis.

LXXVII. Verum enimvero homo excedit spiritus animales eminentius, quam spiritus res demortuas: non quidem propterea, quod meliora habeat organa & sensus & vires potentiores: nam Leo, & equus & Elephas, & bos, & simus, & Rhinoceros & Draco & Crocodillus aliaque plurima exuperant hominem viribus: sensilibus vero non minus. Aquila visu, lupus auditu, canis olfactu, aranea & apis tactu, per quem subtiliter fabricant telas & cellas ex filis & cera, quæ nobis contingere non licet tanta arte neque videre. Gustu autem nescimus quis præcedat, sed profecto capris dulcis est genista, nobis vero amara: cumque ipsæ ventri indulgeant magis, videntur nobis præferendæ, sicut præfertur nobis canis in olfactu, qui a longe odoratur hominem & feram, & per vaporem relictum insectatur illam, & tamen quæ nobis fœtent, cani odorifera sunt. Et quidem illis tanquam sensu exquisitiori hoc præditis credendum est magis, si entia & non respectus sint objecta sensuum.

LXXVIII. Quamvis autem Arist. & omnes Philosophi, hominem cunctis præstare animantibus in tactu dicat: & quia nobis omnis sensus est tactus fundamentaliter, videri possit homo præcellere sensu, nihilominus id minime convincit. Nam neque molliores carne sunt ingenio præstantiores, alioquin fœminæ & pueri prævalerent: sed quidem molles facile patiuntur, scientia autem per passiones acquiritur, idcirco mollities confert. At nisi sit spiritus tenuis, lucidus, purus, in bene formatis cellis amplisque habitans, ea quæ sentit non recolit, neque ex eis recte discurrit, & proinde non prævalet ingenio: nam & teouissimi spiritus ob fuliginem ingenitam, & facilem sui exhalationem, sunt interrupti discursus & memoriæ labilis, ut Æthiopes, vel qui sub Cancro habitant: molles vero spiritus, & copiosi & crassi, ut Aquilonares, sunt ingenio concreti, altum nil sapientes; ut putat Campanella.

LXXIX. Cum ergo homo sit inferior animalibus quoad vires & organa sentiendi & sensum ipsum exteriorem: econtra vero sit Princeps & Dominus despoticus animalium, consequens est, ut aliquid divinius in eo sit, quam corporeus spiritus: ipse enim sua prudentia domat equos, sibique subjicit, & Elephantes, Leones & boves, & Tygrides & nititur cunctis animalibus ad victum & vestitum, & motum, & robur & pugnam: siquidem carnibus vescitur, pellibus tegitur, eorum pedibus ambulat, equitando & currus ducendo: latratu eorum servatur, & ad pugnam ab eis vehitur. Et equus videtur creatus ad ejus usum in bello, canis ad custodiam, bos ad labores, aves & apes ad delitias. Plantis quoque utitur in cibo & condimento & calefactione, & domificatione. Verbo, nihil est in mundo, quod humanæ non subjacet industriæ. Nonne lapidibus domos & civitates construit, & propugnacula; metalla domat, eliquat, & in figuras quaslibet transformat; animalium greges, plantarum viridaria, pro libitu instruit, fovetq; tanquam Deus eorum, & ferit & inserit & copulat & maturat, & colligit & mundat & frangit; & panem conficit & epulas, & condit adipe & sale ad penetrationem, digestionem, purgationem pravarum qualitatum, quæ cætera animalia parare nesciunt, & sunt stupida ad hæc opera, sicut lapis ad animalium opera?

Præterea ventos homo domat, mariaque exuperat, tempora novit, æquinoctia, tropicos, menses, dies & terminos eorum signat, & quæ quocunque tempore congruant, tanquam sit Dominus temporis & temporalium. Construit naves, trajicit maria, utitur magnete, profunda scrutatur maris &c. Natat cum piscibus per longa spatia, uti de famoso illo Siculo no-

mine

mine Nicolæ narrat Kircherus, volat per aera, ut Dædalus & quidam Calaber, de quo Campanella. Taceo quod ambulet super fune in sublimi aere suspenso tentoque, quoniam & asinum ex parte hoc facere audimus edoctum ab homine circulatore, & capram, quod mirabile est, sed longe minus ac homo: & egomet quinquennem puerulum funi inambulantem conspexi Lincii An. 1698.

LXXX. Præterea totam homo imitatur naturam & Deum. Facit enim naves instar pectoris avium, & remigium simile alis: retia meliora quam aranea: cellas & ædificia mirabiliora, quam apes: civitatem instar corporis: muros corio similes: arces capiti: folles pulmoni: Organa cantus, arteriæ vocali: ignem focumque cordi: ollam ventriculo: cultellum & ferram dentibus: molam molaribus: alembica intestinis: horreum jecori: cloacas culo; sedilia natibus: equitatum & columnas cruribus: lasanum & matulam & sentinam & decolatorium, felli, lieni, cæco, vesicæ: & præest animalium propagationi & plantarum, ut Angelus, & nihil est in mundo, quod non imitetur.

Et quod sublimius est, adinvenit tonare archibugio, sicut Deus fulmine: quod nec imitari nec intelligere possunt animalia. Facit de nocte diem per lucernam, pinguedine arborum & animalium retinendo ignem, sicut natura igneum spiritum retinet incorpore nostro nutritum sanguine & adipe. Nec mysterio caret, quod solus inter omnia animantia homo, utatur igne, quem nec contingere cætera audent. Cum enim homo nascatur nudus & inermis, cætera vero animalia armata cornibus, dentibus, rostro, ungulis, squamis, & vestita pilis sint & plumis: Homo tamen per ignem sibi arma parat, & vestimenta ex arboribus & vermibus & animalibus ingenio tanto, quantum Deo istorum entium conveniret. Habent quidem simiæ & ursi manus, non tamen contrectant ignem, quoniam ingenio carent. Aeque videtur secundum magis & minus tantum humanum ingenium a ferino differre (quod instinctum vocare solent) sed divinitate, dominatu & natura.

LXXXI. Præterea quis non admiretur, hominem per horologiorum opus imitantem cœlos, tribuendo virtutem & sapientiam rebus stupidis? & chartis dantem animam, quasi Deus, ut loquantur absentibus & futuris sapientias, & leges, & mores, & artes, & gesta majorum. Quid dicam de Astronomia? an non maxime hominis divinitatem declarat, dum signat in cœlo circulos, æquinoctia, conversiones, siderum cursus & hominibus prædicit, quando luna obscurabitur, & sol, & congressus siderum, eorumque influentias super aquaticas & marinas, & humanas, & terrestres res, & quod sydus quibus in rebus sympathiam habet aut antipathiam. Mirabile dictu, sine alis in cœlum volat, & suo subdit ingenio totam rerum machinam: & cum non potest recte notare vias siderum, fingit novos cœlos Epicyclos, excentricos, ex quibus metitur cursus eorum ita recte, ut calculo suo videatur cœlum accommodasse, & esse faber cœli, nedum cognitor. Si profecto nostra cum cœlo cognatio id faceret, utique & animalia Astronomiam callerent, quoniam spiritus solis calore ingeneratur & ipsorum anima; sed nobis divinior insit oportet, & similis non cœlo modo, sed cœlestibus Angelis.

LXXXII. Si scientias alias, maxime speculativas spectemus; Physica de cunctis naturalibus tractans, Politica, Ethica, medicina Dei discipulum illum declarant, Metaphysica vero socium Angelorum, Theologia Dei. Qui has scientias non considerat, neque hominis divinitatem sapit, sed cum Epicuro excutit, qui vix solem esse in mundo cognovit, sed quotidie nasci & mori putavit. Vide complura hoc de argumento apud Campan. L. 14. Met. c. 2. Quapropter de hominis excellentia super bruta disputandum non est, cum sit evidentissima. Hoc solum addamus, quod figura ipsa humani corporis indicat divinitatem animæ illius; corpus enim instrumentum est animæ. Instrumenta autem fiunt sub formis convenientibus ad aliquem finem, ut gladius acutus ad secandum, & aculeatus ad pungendum & penetrandum. Similiter aquila rostrum habet aduncum ad rapiendum, alas ad fugiendum. Anas collum longum ad quærendum cibum in fundo fluvii, & pedes amplos, ut super cœno & aqua melius sustineatur. Bos collum crassum & frontem fortem ad jugum. Canis os longum ad captandam feram; imbecillis lepus pedes agiles ad fugam, & omnia disposita sunt in quovis animali ad usum proprium, nec datur cythara fossori, sed cytharoedo. A cum omnia habeant corpus pronum in terram, homo vero erectus in cœlum, manifestum fit indicium, quod hæc nata sint ad usus terrestres, & escam de terra duntaxat captandam, hominem vero ad cœlum contemplandum. Vnde etiam animal juxta imaginationem animæ formatur, & fœmina prægnans edit natum similem cupitæ rei, & spectatæ nimis intensa imagini: ut Patriarchæ Iacob magia doctissima testatur.

Divina ergo res est homo, nec quia homo habet meliora organa est melior animalibus: sed quia est melior, habet ab autore naturæ meliora organa. Non enim datur codex rustico, sed literato, nec, si daretur, legere posset. Homo ergo & melior & superioris est ordinis, superans mundum & elementa, nedum bruta.

LXXXIII. Dico 2. Anima hominis seu mens, prout realiter distincta substantia a sensitiva, est immortalis. Est de fide, & ratione demonstratur. Et quidem superius adducta argumenta, quibus ostendimus hominis divinitatem excedentem animalia robustiora supra seriem calidiora procul dubio ostendunt, hominem non a sole & ab elementis tantum originem habere, sed ab ente diviniori, quod non sit contractum ad esse calidum & frigidum, & corporeum, sed quod in sola entitate permaneat, quæ est potestas, sapientia & amor. Et quia quo magis ens est contractum ad aliquam particularem entitatem, eo magis participat non esse & corruptibilitatem; propterea animum hominis a corruptibilitate alienum valde intelligimus, sed non adhuc immortalem, quia infinitus non est. Ergo potest habere id, a quo corrumpatur. At quia quæcunque facta sunt a Deo infinito, volunt infinito vivere tempore, æmulando Deum: & quæ non possunt individualiter, saltem specifica contendunt ad immortalitatem: illa autem consequuntur immortalitatem individualem, quæ carent contrario & subjecto. Propterea dicendum est, quod si humana mens non est corpus, nec compositum ex elementis, uti constat ex dictis; & caret contrario & subjecto, incorruptibilis est: non enim a Deo corrumpitur per subtractionem esse, cum insti-

institutor naturæ non subtrahat, quod rebus est naturale.

Quod autem mens careat contrario, patet, quia constat ex primalitatibus non contractis nec comparatis. Primalitates autem non possunt dissolvi propter coexistentiam mutuam in invicem & identitatem realem, & quia sunt absque contrario; potentia enim potentiæ non est contraria, sed hæc huic: neque sapientia sapientiæ, nec amor amori, neque ipsa inter se. Ergo anima rationalis est ex hoc incorruptibilis. Nam & omnia fieri potest, quoniam non est contracta ad particularem admistam entitatem.

LXXXIV. Quod autem subjecto careat, patet, quia subsistit per se, & est nobilior anima brutorum, quam diximus esse substantiam, nempe spiritum tenuem, calidum, lucidum, &c. ergo multo magis ipsa subsistit. Vnde S. Ambros. lib. de Isaac probat, animam non esse formam corporis contra Aristot. Idem quoque probarunt veteres Theologi, Iustinus, Chrysost. August. Gregorius Nyssen. Origenes & alii. Nec obstat, quod in Clementino decretum sit, animam esse formam corporis humani: illud enim non secundum verba & literam interpretandum esse, sed secundum sensum docet S. Thom. 1. p. q. 61. art. 6. Nam forma accipitur ibi communi modo pro eo, quod est in alio, sive dependeat ab eo (prout omnes formæ materiales) sive non. Itaque decretum illud non contra Doctores suos protulit ecclesia, nec contra Moysen, qui spiraculum vitæ organizato formatoque corpori animam, non ut formam introducit: sed contra Averroistas tenentes esse unicam animam cunctis hominibus adsistentem ab extra. Theologi namque omnes docent, animam a corpore non dependere neque possideri, & propriam subsistentiam babere, neque eo corrupto corrumpi. Hæc autem contingunt formis veris & stricte dictis, tam artificialibus quam naturalibus, teste natura & Aristotele. Præterea forma nulla corporis extenditur extra subjectum suum, a quo possidetur: sed mens extenditur extra corpus & extra mundum corporeum, ergo non a corpore & elementatione, quorum est mortalitas: sed ab infinito mortali principio: ergo licet sit forma, non pendet a subjecto, nec possidetur: sicut lux in aere diei potest forma aeris, sed pendens a sole, non ab aere.

LXXXV. Probatur 2. Mentis immortalitas ex ejus Potestativo, quandoquidem nullis doloribus, nullisquo malis, corpus & spiritum destruentibus, cedit; tortores spernit, mortem non timet, in sui perennitate confidentia abdita spem reponens: & hoc Martyres & Philosophi & mulierculæ comprobarunt gentiles.

LXXXVI. Probatur 3. Mentis humanæ immortalitas ex eo, quod intelligit in infinitum, & appetit in infinitum: operatio autem infinita indicat virtutem infinitam, non quidem entitate, ergo duratione. Et quamvis calor etiam calefaciat in infinitum, tamen hæc actio est contracta ad calefacere: intelligere autem & appetere contractæ non sunt. Vnde & calor, qui est contractus, potest corrumpi ab alio, sed non per se a seipso deficere, cum sit proles infinitæ causæ. Anima vero quia non est contracta, caret contrario, idcirco ejus operatio secundum primalitates recte indicat ejus infinitatem. Et quia boc intelligere & appetere non est simul, sed quasi syllogisticum post aliud: ideirco non infinitatem entis seu æternitatis, quæ est omnia simul, sed durationis in tempore æterno indicant successive. Nam præterea non modo ambit cogitando & appetendo omnia corpora, unde colligitur quod non sit corporea, quia nulla pars est major toto: sed etiam ambit omnia tempora præterita & futura, semper anterius & ulterius cogitando, & facit universale, quod ubique & semper est; ergo non temporalis nec localis res, quia pars esset major toto.

LXXXVII. Prob. 4. Anima intelligit ideas æternas universales, ergo est similis illis in æternitate. Vbi nota, quod Peripateticorum ratio sumpta ex eo, quod universale est effectus & non causa, & inexistit mortalibus, & non subsistit: & dicitur æternum non positive, sed negative, quia secundum quod universale, non repugnat ei sempiternitas; Universale vero ideale est causa, & divinitatis æternæ participatio, quæ est semper in mente prima, idcirco ex hujus ratione recte concluditur animæ immortalitas. Hujus autem notio ex illius notione pendet, quoniam anima nostra non sistit intelligentiam in illo, sicut bruta, quæ noscunt herbam in universali ex similitudine aliarum herbarum; sed adhuc intelligit ideam herbæ, unde omnes originem habent, & velit nolit Arist. illam intelligit. Nam in artificiatis est palam, ergo & in naturalibus, & quicunque Deum autorem norunt, illas asserunt.

LXXXIIX. Probat. 5. Homo non modo ea, quæ ad præsentem spectant vitam, intelligit, sed superos, & inferos, & Deum; & anxie disquirit, utrum sint, & quid sint, eorumque societatem appetit. Natura autem non dedit animalibus sapientiam ultra quam necesse est præsenti vitæ: unde leporibus & cervis dedit agilitatem ad fugam; leonibus & apris fortitudinem; araneæ sagacitatem ad texendas telas in captionem muscarum; aquilæ acumen, ut a longe contempletur escam, & tandem nullius scientia se extendit ultra conservationem præsentis vitæ. Vnde & propbetia alcyonum extenditur ad tempestates maris, quoniam ibi nidificant: pecudum & boum ad aereas, ut præparent sibi stabulum, aut esca repleant ventrem, ne sit jejunus cum tempestat. Hominis autem studium non ad præsentem dirigit conservationem, sed ad futuram cum superis, quibuscum init commercium, & de quibus inquirit. Natura autem non dedisset frustra hanc solicitudinem infeliciter optimo animalium, ergo evidens signum est, quod aliud bonum illi reservetur atque conveniat. Confirmatur. Cum bomo cognoscat bona immortalia & immortalitatem, illaque appetat voluntate practica, utique illi conveniunt talia bona. Sicut enim natura non dedit homini manus frustra, nec pedes: sic neque hanc intelligentiam & appetitum bonorum divinorum. Nam multo sapientior est in ordinandis, quæ ad animum & sapientiam spectant, quam in corporeis. In his autem nihil est vanum: si spectes folia, spinas & fructus, & cortices arborum & usus. Homini autem non dedit cornua, neque squamas, quoniam superflua essent, cum acceperit manus & ingenium, quo ista sibi parare possit, quæ animalia non possunt. Ergo si corpori bumano non dedit quod necessarium est; vid. vestem villosam, ne sit superflua, quia dederat solertiam ad istam parandam; multo minus affirmare licet, superfluam esse hominis inquisitionem & appetitum alterius vitæ, & rerum divinarum.

LXXXIX. Probatur 6. Ipsa Philosophia universalis religio ostendit, homini aliam post mortem deberi vitam

vitam. Homo enim religans ſe Deo ſpernit vitam præſentem,jejunat,ſe flagellat, ſurgit de nocte ad contemplandum & canendum Deo,ſummoque ſuperis inhiat amore. Hanc autem religionem in cunctis nationibus invenimus. Non enim diſcordant religione, ſed in ritu & notione divinorum, qooniam aliter aliæ nationes intelligunt coluntque Deum. Sed omnes omnia poſthabent religioni. Hanc autem non eſt ullo pacto aſſerendum eſſe vanam: quia omnibus hominibus convenit. Neque Reſp. & cœtus hominum uno die abſque illa ſubſiſtere poſſent. Neque in ſola Republ. ſed in ſpeluncis & nemoribus homines ſecedentes colunt Deum, ab eoque ſperant bona æterna; & ſpernunt corpus diviniore ſui parte confiſi. Ergo remanet aliqua vita poſt mortem. Ad hæc

XC. Dicunt Averroiſtæ & Achitopheliſtæ, hanc eſſe ſuperſtitionem animorum deceptorum: neque veræ ſapientes & potentiores religioni ulli addictos eſſe: ſed eam prædicare & commendare,ut incutiant metum populis,quo ſint Deorum metu ſibi obedientes, & in officio contineantur. Sed hæc ſententia ſtulta eſt: Nam qui religioni addicuntur, non ſunt rudiores & plebeji modo, ſed hominum ſapientiſſimi & optimi, quos deceptos fuiſſe & decipere non eſt arbitrandum. Hanc veritatem religionis oſtendunt miracula, prophetia & colloquia cum ſuperis: hanc prædicant ſapientes contra ſophiſtas & Tyrannos. Quapropter eſto, ſit aliqua falſa religio; ipſa tamen religio non eſt falſa: neque enim quia plurimi ſunt ſophiſtæ & hypocritæ, & medici imperiti & pſeudotheologaſtri & Tyranni,non extant etiam Philoſophi veri, & viri vere probi,& medici ſapientes, & principes benefici humano generi. Imo prius fuit aurum bonum & purum, quam falſum & adulterum: ideo enim ſcitur eſſe falſum, quia deficit a vero & bono. Ergo & prior Philoſophia & religio,quam ſophiſtica & ſuperſtitio. Nec quia videntur impoſſibilia juxta pſeudophiloſophiam Ariſtotelicam, erunt omnino impoſſibilia. Nam & Auguſtino, & Lactantio, & Xenophani,& aliis impoſſibile videbatur, quod eſſet alterum hemiſphærium; multiſque Philoſophis & Aſtronomis videbantur inhabitabiles æquinoctialis plaga, & ſuppolaris: nihilominus experientia teſtatur contra opinionem & Philoſophiam ipſorum.

XCI. Vtrum autem in futuris ſæculis animæ humanæ annihilentur,nemo ſcit. Sed ratio negat; ſi enim bonum eſt eas eſſe,& Deo conjungentur in altera vita & meliorabuntur: utique ſemper futuras eſſe oportet. Nec enim res ollæ ex divinitatis adeptione perduntur, ſed permanent ſub quacunque forma & plenitudine & melioribus perficiuntur: ſic & melius de anima ſentiendum eſt; ipſa enim non recipit ſcientiam & robur, ſicut calor & frigus cum ſui deterioratione & perditione: ſed ſicut materia formas cum ſui amplificatione, quin etiam cum majore perfectione & lucro. Permanebit ergo anima in receptione divinitatis amplior & glorioſior & major. Stoici autem putarunt Deum eſſe corpus tenuiſſimum, & animas ae genios de ejus ſubſtantia: cui univntur ſicut aquæ guttæ mari, & vapor aeri, quiſuo toti incorporati propriam ſubſiſtentiam amittunt. Nos autem ſcimus, Deum eſſe incorporeum: nec res finitas poſſe ipſi infinito ſic identificari, ut diſtinctio non remaneat.

XCII. Tandem apparitiones animarum poſt mortem in totis tranſactis ſæculis, ut ex hiſtoriis ſacris & profanis ſcimus, animas vivere & ſemper quidem poſt corpus hominem ſani judicii & non protervum luculenter convincunt.

SVBSECTIO III.

Rationes difficiles contra præſtantiam & immortalitatem Mentis humanæ diſſolvuntur.

XCIII. Obſervandum prævie pro fundamento reſponſionum,quod quæcunque ab eadem cauſa emanant,ſimilitudinem illius gerant, ipſa quoque diverſa entia ab uno quovis producta, quatenus ab illo ſunt uno, inter ſe quoque ſimilitudinem,prolem unitatis illius,habent. Propterea cum omnia entia ſint a Deo uno, ſimilia ſunt, ſaltem in communibus, in eo quod entia: nam in particularitatibus contracta ſunt ad ſuas differentias. At in quantum entia conſtituuntur poteſtate, ſapientia & amore. Ergo in his ſimilia ſunt, & differunt gradibus. Cum ergo animalia non modo conveniant cum hominibus in eo quod entia, ſed etiam in genere animalis contrahente ens: conſequens eſt, ut in poteſtate,ſapientia & appetitu ſint ſimiliora. Idcirco nos rite ſpeculantes, invenimus in brutis ſermonem, quo mutuis officiis colligantur; & rationem ſenſitivam, qua de ignotis judicant per nota,& ſimilitudinis notionem, quæ eſt intellectio herbæ in communi, & mali, & amicitiæ, & artem fabricandi cellas,& retia & venandi. Adeoque iſta ſunt vera, ut Lactantius Firmianus, & Oſius Cardinalis religione ſola, nos vero etiam libertate ſeparemus hominem a brutis. Quæ,licet ſponte, non tamen libere, actu ex ſe elicito, operantur. Nec tamen propterea ſunt immortalia,ſed ſunt nobis ſimilia,quoniam ab eadem ſapientia Dei conſtituta ſunt: ideoque eoſdem ſciendi modos habent, qui in nobis ſunt. Sed quoniam in his adeo excedit homo bruta,quod Deus ipſorum poteſt exiſtimari: idcirco diverſi ordinis ac divinioris ponendus eſt; ſicut Angelus præ homine, licet ſit intellectualis,ut homo. Eadem enim,quæ bruta faciunt, facit homo; ac inſuper multo plura ac diviniora; participant enim lapides naturam plantarum; planta brutorum; bruta hominis; homo Angeli; Angelus Dei: & quod eſt per eſſentiam in ſuperioribus, eſt per participium in inferioribus, ut docent D. Dionyſ. & Thomas Aquinas: & infimum ſuperioris, eſt in ſupremo inferioris gradatim. Bruta enim præſenti ſenſu rei moventur, & non eligunt, niſi quod magis blanditur ſenſui,ſicut pueri & inſani in genere humano: & renuunt præſentia bona, quando aliquo malo arcentur, ut fœtore,vel baculo,vel hoſtili inſectatione. Quapropter dicuntur regi *inſtinctu* potius quam ratione: inſtinctus enim eſt, ſubito facere id,quod offertur primum nullo prævio ſyllogiſmo, vel exili valde obſcuroque,qui ab objectis inducitur & paſſionibus, non ab intus elicitur libere: ſed inſtinctu Dei, vel objectorum, vel paſſione. Homo autem penſat & penſiculat, quid mali lateat in bono oblato, læſurum ſalutem corporis, aut animæ,aut Reip., etiam quando nullis movetur objectis; ſed ex ſeipſo excogitat, ſeque ad ſyllogiſmum movet innata libertate,non addita modo objectorum motione: & de his facit libros, & doctrinas & præcepta,& ratiocinia plurima,& leges,quæ brutis non conveniunt,ſicut nec pueris, nec inſanis: & licet in multis ratiocinentur bruta,adeo tamen exilis eſt ratiocinatio

eorum, ut nulla videatur humanæ comparata: unde eis damus discursum sensualem, non mentalem. Item damus eis discursum a moventibus objectis superadditum, non ab innata vi sola, & per se elicitum. Nidificant quidem, sed non per mathematicam scientiam, sed apponendo stramenta juxta commoditatem corporis. Clysteres sibi facit ibex, sed non per scientiam medicinæ, libris enim & studiis caret: sed quia sentit intra anum duritiem, judicat molliendam aqua. Hippopotamus se sanguine ingurgitari sentiens, secat venas; & serpens fœniculo linit oculos caliginem extrahere cupiens: & in his omnibus reguntur ab Angelis & anima mundi, sicut nos, quando a casu aliquid boni invenimus; ut qui in nemore est, & ignorat viam Romam, quodam casu ambulans incidit in eam, & Romam, quorsum cupiebat, se confert. Casu quodam quis sulphur in nitrum in mortario ad aliud opus præparato, tetigit igne, & pistillum impetu accensi pulveris evolare impetuose cernens, statim bombardarum opificium excogitavit: & tamen hic casus fuit *in nutu* Dei, ut nova arma ad novas Monarchias & novum sæculum invenirentur. Et hic quidem est instinctus; & ipsius sensus commotio casualis est instinctus, & secundum hunc bruta operantur, ut etiam pueri & insani, non tamen ex arte naturali diu quæsita & confecta, ut homines consueverunt. Item neque ex quacunque occasione sciunt novas artes inventare, ut homo: sed naturalibus duntaxat reguntur, quæ absque studio addiscunt, & quodam usu perdiscunt perficiuntque. Multa ignorantes recte faciunt quodam instinctu: Sic & bruta. Nullus autem instinctus datur sine sensu instigantis & instigati.

XCIV. Nec, quia homo ab animalibus multa addiscit, discipulus eorum est. Nam & a plantis & a lapidibus, & cunctis rebus addiscit homo, tanquam discipulus Dei inspectans opera ejus, ut exemplaria suorum, & non ut rerum ipsarum discipulus: a scriptura sapientiam discit, & ab horologio tempus: non tamen est scripturæ & horologii discipulus, sed scribentis & significantis per hæc instrumenta: neque enim animalia docent in scholis nostris, sed sunt signa in schola Dei; at animalia discunt ab homine, ut equi equestrem artem, & saltum: Simiæ ludos & alia mirabiliora: nihil, tamen reputari possunt respectu hominis. Dic enim bruto, ut ludat latrunculis, aut scribat poema, metiatur decempeda vel astrolabio distantiam, suat calceos & remigium regat, &c. quæ opera mechanica & nulla sunt aut reputantur in homine, quoniam divinus est: in brutis autem mirabilia, quoniam bruta sunt. Item bruta serviunt homini, non tamen homo brutis. Et quidem omnia animalia homini serviunt, dolore aut voluptate rapta, nisi quæ nimia ignorantia reddit inepta servitio. Non enim obedit musca tenuiusculo spiritu dotata & memoriæ expers; oportet enim disciplinalia esse, quæ homini serviunt. At quis unquam homo vel stupidus fuit servus leonis aut elephanti animalium fortissimi & sapientissimi? Nec quidem homo huic se subdere, ut hic nobis; neque hic imperare sciret, quoniam parere natus est. Plures differentias vide infra Tract. XIV. de brutis.

XCV. Oppon. 1. Si anima humana esset immortalis, esset valde potens, sicut & sapiens, & cupiens: & sicut sapientia vincit omnia corpora, ita etiam potentia, cum istæ primalitates sint unum: at homo non modo est pigrior & imbecillior sole & igne, sed etiam multis animalibus: etenim leo, & elephas, & equus exsuperant viribus hominem: quin corvi & cervi diuturniorem vivunt vitam: quod si anima hominis esset incorruptibilis, utique posset resistere infirmitatibus, & corpori dominari ac prævalere, sicut invictum immortale mortali. At econtra videmus animas corporibus obrui, & timere ab eis discedere, quasi diffidentes sibi absque corpore vivere.

Resp. Immortalitatem animæ non a robore virium corporatarum pendere, sed ex eo, quod non habet contrarium, & constituitur ex primalitatibus non contractis. Potest autem, quod contractum est, robustius esse non contracto, non autem purius; ut aqua facta brodium, & liquor contractus in vinum, & ignis in ferro. Sic potentior est corporaliter anima leonis contracta ad igneam naturam, quam humana remanens in primalitatibus. Sed mirum, quomodo castigata remissaque mista elementata sint robustiora elementis: attamen non toto elemento, sed parte, nil mirum est, ut ferrum ignitum potentius est aliquo calore, sed non tota caloris natura. Anima autem hominis est participatio quædam entis primi, & potest ab aliquo ente contracto viribus vinci, non autem puritate: idcirco mens humana purius intelligit, quam quælibet brutorum anima, & limpidius, & longe plura entia & diviniora, quia non est contracta ad hoc. Sicut enim oculus croceus omnia crocea videt, at purus omnes colores, nedum croceum: sic est anima humana secundum suam entitatem comparata animabus brutorum contractis conjunctisque ad tenuitatem calidam.

Nec sola scientia, sed etiam potentia animæ humanæ extenditur ad plura, quam potentia ignis & leonis, quoniam ad miracula facienda, ad artificia fabricanda & palatia, ad leges, ad virtutis opera plurima, quæ cæteris rebus licet robustioribus robore contracto, impossibilia sunt. Quid, quod adeo potens est mens, ut tormentis corporis & spiritus nullis cedat, nec possit cogi dicere quod non vult: quod non solum sanctis viris, & gentilibus Attilio & Scævolæ accedit, sed Thom. Campanella de semetipso testatur, quod 40 horis atrocissime a judicibus tortus & ad mortem adigentibus, responsum tamen a se extorquere non quiverint ullum.

XCVI. Tandem mens humana non per se operatur in corpore, sed per spiritum, qui robustior est in leone, quam in nobis, ut noscam, divinitatem hominis non ab igne, quo leo abundat, sed a Deo participare, & in primalitatibus & libero arbitrio residere. Nec quia facile moritur homo, & prius quam animalia, fit inferior: Homo enim constat corpore, spiritu & mente, ut ait August. spiritus autem tenuis est calidaque substantia ex sanguine nutrita, quoniam continuo exhalat ad cognatum cœlum proprio educta calore. Corpus vero plurimis gracilibusque organis & vasis est compositum, idcirco quocunque disrupto vase, in quo spiritus inhabitat, vel ipso spiritu suffocato ant elabente, moritur homo: quoniam mens regit corpus per spiritum (seu animam sensitivam) eique unitur hoc vinculo, utrique simili: quo abeunte aut perempto, ipsa necessario abit, non enim potest amplius illud regere. Ergo eadem ratione moritur homo, qua cætera animalia; spiritu enim corporeo movetur & vivificatur: mente vero fit studiosus, & religiosus, & sapiens super animalia. Et profecto, si ipsa mens discederat sola, non moreretur pro-

propterea homo, ſed quod remaneret, eſſet animal, non homo, miſerabile tamen & omnibus brutis miſerius, ob rationes ſupra allegatas, quale fuit ante animæ rationalis infuſionem. Quod utrum alicui unquam evenerit, neſcimus: niſi forte furioſis id accidat: at cum ſæpe per medicinam ſanentur, non videtur mens diſceſſiſſe. Neque diuturnitas vitæ compoſiti indicat immortalitatem, ſed præſtantia mentis, conſtat enim, & corvos & cervos occidi, & mori poſſe: imo quia alterius ordinis eſt mens, facilius recedit, quam ſpiritus corpori ſimilior. Timor mortis eſt in homine incerto futuræ vitæ: quoniam anima corpori immiſſa cadit in oblivionem ſui & creatoris. Dubitat autem, an poſt mortem alia remaneat, quoniam ipſa non novit ſe, niſi abdita notitia, ad quam cum revertitur, ſtatim incipit velle diſſolvi corpus, ut multi Platonici, & apoſtoli Chriſti & ſancti viri intelligentes aliam vitam, poſt hanc ad illam contendunt. At & bruta ipſa timent mori, & tamen eorum ſpiritus melius vivit in aere, quam in corpore opaco, & hoc quia neſciunt, quæ ſibi reſtat vita: hoc autem voluit Deus, ne entia vellent mori, antequam uſui prædeſtinato ſubſerviant. Reperiri eſt multos remigantes, & captivos in carcere diuturno, qui non optant exire in libertatem: quoniam meliorem ignorant, aut diffidunt vivere vitam. Quot ſunt homines mundani, non ſolum opulenti & fortunæ melioris, ſed & mediocris, qui optarent perpetuo ſic vivere, inſuper habentes ſedes ſuperas, quia carent illius ſortis notitia?

XCVII. Opp. 2. Homo moritur ex quacunque cauſa ſicut beſtia, & ſolus cicutæ ſuccus ipſum occidit, replendo meatus, quos intercurrit ſpiritus, vel extinguendo calorem. Si autem vivaciſſima eſſet mens & immortalis, ſtatim has mortis occaſiones reprimeret evaderetque. R. ſpiritum eſſe corporeum, & per occluſos nervos tranſire non poſſe; Mentem vero, quæ nihil ſine eo operatur, præſertim ad corporis regimen, non poſſe ſuum inſtrumentum impellere, tum ob opacitatem corporis, tum quia ſic colligata eſt ſpiritui & corpori, ut non niſi ipſorum ritu agat. Cum autem ſuccus cicutæ occludit meatus & ſuffocat ſpiritum, aut ejus calorem extinguit: neceſſario anima carens inſtrumento vitæ communis diſcedit. Anima enim ſeu mens calida non eſt, quæ expellat frigus; hoc enim agit per calorem ſpiritus: neque tenuis, quæ penetret aperiendo poros: tranſit enim non aperiendo, cum ſit incorporea, fortaſſe ſibi relicta, ſeque agnoſcens amat diſceſſum, nam morientes multa vident, quoniam mens a ſpiritu ſeparatur, & incipit cognoſcere per ſe alio modo, converſa de mundo corporali ad mentalem: ſcientia enim a ſpiritu fuit, quaſi videre per cribrum, aut per fumum & vitrum.

XCVIII. Oppon. 3. Homines moriuntur aliquando ex nimia lætitia: item ex vapore in cellis vinariis muſto recenti repletis, & ex fumo carbonum in anguſto cubiculo, & fluor occludit nervos, ne poſſit interlabi: nec dicas hæc ſolum officere ſpiritui, nam anima illa divina eſt in ſpiritu, & ſuo robore ac ſapientia tales moleſtias poſſet diſſolvere. R. Eo caſu ſpiritum totum confluentem in oculos ad ſpectaculum optatæ rei ſuffocari anguſtia pororum; aut disjectum reſolvi: mundum vero in mentalem diſcedere mentem. Similiter etiam a vaporibus fœtidis extingui, qui fuligine ſua fœdant ſpiritus luciditatem, craſſitie aggravant tenuitatem tolluntque motum: calore vero vincunt vires, ac proinde ipſum in craſſum ens vertunt. Hæc autem totalis mutatio mors eſt ſpiritus; ad quem ſemper ſequitur mentis abſceſſus. Cur autem anima non tollat hujusmodi moleſtias, jam diximus.

XCIX. Oppon. 4. Levitatem opinionum humanarum, in quibus mens non perſeverat, ſed quacunque ex cauſa mutatur in timorem, lætitiam, iram, dolorem, nec poteſt manere attenta negotio præfixo. Sæpe enim quis cupit ante Deum preces attente proferre, & non poteſt; quoniam aliæ & aliæ cogitationes aſcendunt in animo, ſicut motus in aqua vel in aere quacunque ex cauſa fluctuantes. Quod manifeſte indicat mutabilitatem aeream expertem illius immortalitatis, quæ entibus convenit immortalibus. R. Hæc quidem indicare aeream mobilitatem ſpiritus, in quo eſt mens, non autem mentis. Nam quando revera ipſa ſuperis inhiat, rapit in aerem & ſpiritum & corpus, nulliſque externis paſſionibus turbatur: & cum aliquid conſtanter vult, perficit corpusque ſpernit: ergo magnum eſt indicium, quod ipſa poſſit per ſe multum: ſed quia eſt in molliſſimo ſpiritu, ejus affectus ſequitur & motiones. Spiritum ex quacunque cauſa dilatari & conſtipari ſcimus, ſicut aer: ac proinde dilatari ac triſtari. Sed qui mente in bonum aliud rapiuntur, has levitates non admittunt, ut in ſeveris Stoicis novimus, nedum in SS. Bened. Bern. Paulo & Dominico.

C. Oppon. 5. Scientia eſt motus animæ: falſitas & mutabilitas opinionum indicant ejus mutabilitatem. Adde furorem & inſaniam & oblivionem, qui morbi rapiunt animam: quæ ſi eſſet immortalis, nequaquam raperetur a fuliginibus, & caliditate, & bile, & imaginatione forti, ſed iſta omnia vinceret.

Confirmatur: Mirum enim eſt, quomodo in anima immortali recepta ſcientia poſſit deleri & fieri oblivio & deceptio, præſertim a tenui vapore vini, vel fuligine atræ bilis, vel calore attenuante ſpiritum, vel adventu alterius ſcientiæ, ac motionum. Legimus enim de Georgio Trapezuntio, qui fuit Eugenio IV. Pont. a ſecretis, quod in ætate decrepita (obiit enim an. 1486. nonagenarius) ex ſenio & morbo oblitus fuerit omnium literarum, imo & proprii nominis.

R. Oblivionem, furorem & deceptionem fieri in mente affecto ſpiritu: ejus enim exhalatio & nova paſſio facit oblivionem; fuligo vero obſcuritatem, ac proinde timorem & pravas imaginationes; quas & bilis mordicatio efficit: vehementes quoque alicujus rei cogitationes, cum ſint motus, rapere poſſunt ita ſpiritum, ut omnia putet eſſe id, quod imaginatur, vel ſe ſolum, quoniam in illud immutatus eſt, ut in rem amatam, aut formidatam, quam paſſionem corpori quoque communicat, ut commorſus a Cane rabido, & Tarantula apula oſtendit.

Anima vero has omnes paſſiones corrigere non poteſt, quoniam non eſt ſeparata a ſpiritu, ſed ipſo involuta, idcirco ad ejus inſanias inſanit, & furit, quoniam non aliunde ſapit ſcientiam & affectum. Fit autem deceptio, quoniam ſpiritus accipit paſſionem unius rei, tanquam ſit alterius ob ſimilitudinem vel affectionem præcedentem: ut, quando ex externo & interno objecto ſit, quod non eſt, & quando interrumpuntur diſcurſus a ſupervenientibus fuliginibus, vel motibus, & paſſionibus objectorum externorum, aut intrinſecus moventium. Peripatetici autem horum cauſam red-

dere non poſſunt, quoniam ponont ſcientiam in anima immortali, & oon in ſpiritu, quocum ſentit, intelligit, & memoratur & afficitur: & profecto niſi ita dicatur, neceſſario anima eſſet mortalis ponenda: quoniam hæ paſſiones non ſunt corporales, ſed animales, ergo alicujus animæ: non divinæ, ergo caducæ, quacum illa ſit unum. Mirum quidem, qoo pacto ponentes unicam immortalem animam poſſint hæc evadere argumenta. Profecto Scotus melius ſentit, qui compoſitione unum facit hominem, oon ſimplicitate, ſed totalitate.

Ad Confirm. patet R. quomodo poſſit deleri ſcientia ex mente, quoniam ſc. ipſa ſcit una cum ſpiritu: idcirco hoc deficiente aut immutato, ipſa nequaquam ſcit, ſed afficitur affectione ſpiritus. Sed cur in ea non remanet ſcientia exhalante ſpiritu? quoniam eſt utriusque, non ſolius: remanet autem illa ſolum, quæ a ſuperis defluit, & quæ abdita eſt: ſed ab infirmitate & ſpiritus abſceſſione, quo cum ſapiebat, amittit ſcientiam communem utriſque ex objectis corporeis partam.

CI. Oppon. 6. Inſtabilitatem appetituum humanorum, dum nuoc eaodem rem volumus, nunc odimus; nunc indigniſſima cupimus & obſcœna, & quæ ad immortalem vitam pertinent, ſed prorſus contraria ſunt: & omnes fatemur, pauciſſimos homines ratione regi & ſapientia, ſed pleroſque ſequi ſenſationem præſentem & voluptatem vilem. Dolor quoque, qui mors inchoative eſt, potius animæ quam corpori convenit inſenſato, & potius homini quam bruto, ergo & mors. Videmus etiam aeris & cœli affectiones oobis communicari. Nam ſub nubilo triſtes ſumus, ſub ſereno læti, ſub calido iracundi, & faſtidioſi: ſub frigido autem craſſo, torpidi: & Aſtrologi oſtendunt nos cœlo ſubditos eſſe, ergo fruſtra probavimus mentem eſſe ſuperiorem cœlo & elementis & animalibus. R. Appetitiones obſcœnas & varias eſſe corporis & ſpiritus, ſcimus: mentem vero poſſe aſſentire & diſſentire: unde pogna ſæpe oritur in nobis. Et quamvis idem ſpiritus ſecum pugnet, ut cum vult bibere aquam, quia ardorem extinguit, & oon vult, quia ſebrem producit: nunquam tamen hæc pugna ſit, oiſi quia diverſis partibus res eadem nocet & obeſt, vel delectat ſimul & moleſtat. At quaodo omnino corpori & ſpiritui prodeſt & placet, velut uti coitu cum fonnoſa puella in vere: diſplicet aotem, quia lex vetat & religio, tunc illa pugna eſt a mente, cujus eſt noſcere legem, & Deum legiſlatorum largitorem, & bonum melius ſuper caduca temporalia. Quam qui ſequuotur, oon admittunt turpia & varia deſideria: ſed naſcentia ſtatim jugulant decreto averſandi cupitas res. Quapropter fatemur, objectis externis & cœlo obnoxium eſſe ſpiritum, quoniam ab eis movetur: non tamen mentem, niſi velit aſſentiri: in ipſam enim agunt per accidens & indirecte, quoniam primalitatibus conſtat non contractis ad corporea.

Sed dicet quis: qua ratione pati mens poteſt a ſpiritu ſibi conjuncto, eadem poteſt a cœlo & aere, cum jungitur illis. Nam ſi mediate, poteſt & immediate. Hoc negandum eſt, niſi vinculis iiſdem alligetur, cœlo & aeri, quo alligatur ſpiritui a Deo per miniſterium Angelorum.

Hunc autem modum nos oon intelligimus, ſed ſimilitudinem formæ informantis habet, ſed non dependenter, quod formæ repugnat: immutato autem corpore ac ſpiritu mentem immutari novimus per accidens, quoniam ſic ioſormat.

CII. Oppon. 7. Si anima eſſet immortalis, reverteretur ad corpus poſt mortem, & daret nobis indicium, & ſi quid a morientibus poſtularemus, obtineremus: ſed, ut ait Salomon, non eſt agnitus qui ſit reverſus ab inferis, ſed ſpiritus ooſter diſſolvitur, ſicut mollis aer. Sap. 2, 3. R. Animas a corporibus ſolutas non reverti, quoniam ſi in cœlum evolant, vel in aerem, ut ſpiritus brutorum, gaudent libertate magis quam carcere: & ſicut ignis aſcendens ſurſum, non revertitur, niſi mutetur, ſic neque ſpiritus, neque mens. Si vero ad inferos fertur, per vim retinetur. Salomon autem dubitando loquitur, & ex perſona impii dubitantiſve. Nos autem novimus multos reſuſcitatos a ſanctis viris; & animas defunctorum allocutas eſſe vivos ad inſtructionem. Et quidem Marſilius Ficinus, Medicus, moriens ex condicto facto cum Socio Mereato ſe daturos indicium invicem poſt mortem, ſi Deus permittat, cum prior Ficinus deceſſiſſet, vocavit amicum dicens: Frater, anima eſt immortalis: & tunc is cum eſſet in alia domo, agnovit tranſitum illius, & accurrens invenit ſolum cadaver. Sic narrat Camp. alii paulo aliter quoad circumſtantias. Relinquo mille alias animas, quas ſcimus olim & hodiedum deſtructis corporibus poſt plures annos apparuiſſe, ſub aereo tegumento referente veſtes, & habitum eundem, quibus otebantur dum viverent, & ex flammis purgatorii liberationem ſollicitaſſe.

CIII. Oppon. 8. Si anima eſt immortalis, eſt prior corpore, aut creatur & mox immittitur corpori. Neutrum poteſt dici. Non primum, ut Origenes putavit, quod ob peccatum in cœlo commiſſum, corpori tanquam carceri in pœnam mancipetur, id enim erroneum eſt; aut quod delectent Deum mala noſtra, ut Calvinus blaſphemat, quod deteſtabile. Non ſecundum, ad quid enim creare ens nobiliſſimum, & ignobiliſſimo fœdoque in corpore claudere? & cur corporeæ labes poſſunt incorpoream immortalemque mentem fœdare, & ignorantia ſui obruere? & cur in locum peccati animam non peccatricem dejicit Deus? & cur anima creſcit ſapientia & viribus, ſicot corpus creſcit, & ſimiliter decreſcit in ſenectute, ſi divina eſt & immortalis? R. ad haoc poſtremam partem, corporeum ſpiritum naſci, creſcere & deſinere cum corpore, ſed oon in nihilum: neque enim corpus annihilatur, ſed formatio tantum. Manifeſte enim videmus calorem ſolis, ubi ſpiritum tenuem intra craſſam ingenerat materiam, uode oequeat elabi, illam organizare illis inſtrumentis, quæ ad communem vitam commoda ſunt. Quod tamen ſpiritus facere neſciret, niſi ſapientia prima per miniſterium Angelorum neceſſitate quadam ac fato ad formationem corporis adigeret: ubi craſſiorem portionem in domus ſuæ convertit ſubſtantiam, per attenuatas autem ſemper ad cœleſtia evehi enititur: & quia in principio parum elabitur, & materias oppoſitas attenuat, & in ſui ſubſtantiam tenuiorum vertit, dicimus aucto calore creſcere copiam ſpiritus. At mox abſolutis purgatiſque ædibus, quas inhabitat, conſiderat per ſenſoria exteriora entia, & dum tantum corpori additur ac ſibi, quantum demitur a ſe exhalante, fit ſtatus. Cum vero plus demitur, fit decrementum, & incipit ſenium, donec exſiccato

corpore

corpore & ægre nutriri potente, & attenuato eduꝺtoque spiritu, & remanente imminuto, adeo decrescit, ut tandem totus evolet, sicut flamma lucernæ deficiente oleo. Anima autem a Deo immissa non sic crescit & decrescit secundum se, sed secundum spiritum & corpus, cujus informationi accessit. Et quia per se non operatur, neque scit, nisi per spiritum; Idcirco augetur & minuitur illo: & quia neque corpus moritur, neque spiritus, sed tantummodo separantur & in aliud ens convertuntur seorsim, mentem quoque separari putandum est: non autem in aliud ens converti secundum substantiam, sed secundum operationem & affectiones accidentales: nam & ipsa materia incorruptibilis est, & mutatis formis, non tamen ipsa in aliud esse essentiale mutatur. Sic & anima longe magis permanet. Qualiter autem anima contrahat a corpore maculam, quam originalem vocant Theologi, alibi declarabimus.

CIV. Oppon. denique illud ex Salomone, dicente quod nihil habet amplius homo jumento, ut spirant illa, ita & nos, & easdem ob causas morimur; & omnia revertuntur in terram, & partes in brutis & in nobis eædem. Vode Vesallius admiratur, quod in hominis sectione seu anatomia nihil aliud invenerit nec plus, quam in anatomia brutorum præter cerebrum majus, sed cellas cerebri easdem. Pythagoras vero putat, animas esse easdem brutorum & hominum, & transmigrare ex nobis ad illa: nos quidem videri sapientiores, quoniam organa corporis humani sunt meliora, & ideo melius operamur. At animam canis in corpore hominis omnia humana opera edituram. Nonne videmus grues graviores gallinis, & tamen altius volare, quoniam meliores habent alas? Eandem sententiam tuentur Brachmani hodie, & Talmudistæ ex parte, & olim Pharisæi. Hinc dicunt spiritus vexantes homines sese esse animas defunctorum nominatim, unde videri posset vera opinio de transmigratione animarum, seu, Metempsychosis. Ergo vel omnes animæ sunt immortales, & transmigrant, vel omnes mortales, ita ut homo excedat cætera organis non autem virtute. Legimus in historiis sæpe bruta esse loquuta vocibus humanis: & in Sacris serpentem & asinam Balaam. Verum quia non habent organa vocis eadem nobiscum, nos eorum loquelam non percipimus, sicut neque Scytharum. Sed tamen canes linguam nostram intelligere palam est: & omnes quidam sua nomina sibi imposita: & docti gallicam, non intelligunt germanicam: ac vicissim. Psitaci linguam nostram imitantur, quia concavum, uti nos, palatum habent. Pro solutione hujus argumenti sit

SECTIO XII.

Transmigratio seu Metempsychosis animarum humanarum in corpora brutorum, & vicissim, fabulosa demonstratur.

CV. Superius memorata opinio Pharisæorum, & hodiedum multorum Americanorum confirmari quidem posset testimonio S. Blasii, qui prædicavit virtutem animalibus, & disciplina christiana correxit: & Eremitæ plurimi a brutis exegerunt obedientiam: & D. Franciscus animalia compellavit Fratres, & eis imperavit, eis imponendo silentium, eaque objurgavit. Nihilominus certum est, animam rationalem altioris esse ordinis animabus brutorum, uti supra demonstravimus: quamvis concedamus, quod post corpus quælibet anima vivat; nec paradoxum hoc videri debet illi, qui novit quid sit vivere: & brutorum quidem animæ spiritus sunt, qui in aerem abeunt sicut omnis aqua in mare, vivuntque vitam aeream. Anima vero hominis seu mens usque ad Deum elevatur, & vitam victura est divinam, ut ejus docent operationes, & communicatio cum Angelis & Deo. Vtrum autem & bruta altissimas similiter operationes exerceant, non novimus, imo potius eorum praxis contrarium monstrat. Canes enim & equi & pecudes reliquæ non nisi cibum & coitum sequuntur: ad cœlestia non respiciunt: neque jejunio & studio vacant, ut alia acquirant bona æterna, neque oobiscum communicant: sed sunt apud nos sicut homines stulti & insipientiores longe, nil discurrentes, nisi quod præsenti congruit statui, & de hoc non ambigimus: idcirco piscium, & gruum & apum, & formicarum disciplinam non meliorem esse arbitramur, neque dignam, quæ humanæ conferatur: & cum dicit Salomon, nil inveniri in homine, quod non in jumento, loquitur ex persona insipientis vel argumentantis. Quod vero Vesallius ait, nil plus in homine inveniri, nisi cerebrum majus, recte dicit: quoniam secuit corpus, non animam: in corpore autem cum brutis convenimus, & in sanguine, & in spiritu corporeo: sed hoc abundantiori nos vigemus; idcirco majori cerebro, & cellis intra ipsum formatis grandioribus opus habemus: tum quia melior est temperies humana, quam brutorum, tum quia mens spiritui primum unitur instrumento suo, ideoque multum esse oportet, qui tantæ subserviat menti. Nec dicat Pythagoras, quod si brutis eadem instrumenta data essent, easdem operarentur operationes. Quasi natura defecisset in necessariis, & abundaret in superfluis: certe si nossent humana tractare opificia, manus dedisset brutis. Pater filiis stultis victum & amictum: sapientibus vero artes & doctrinas tribuit.

CVI. Sed forsan adhuc objiciet Pythagoras, quod homini cellas cerebri latiores, & spiritum multum dederit, quo mens humana melius exerceret ingenium; brutis vero dederit in pœnam parum cerebri & spiritum exilem vel crassum, ineptum scientiæ organum. Nam & pueri ob spiritus crassitiem, & cerebri carnositatem; alii vero ob angustiam cellarum, & fuligines multas sunt rudes, non secus ac feræ. Sed contra: hic sermo aut divinatorius est, aut revelatus ab aliquo Deo. Nos enim rerum naturas investigando non debemus aliud asserere, quam quod in rebus videmus. Si ergo brutis cerebrum & instrumenta alia data sunt, quæ insipienti animæ, utique non in pœnam, sed secundum eorum naturam ita factum esse dicamus oportet.

CVII. Præterea pœna & vindicta non est, nec prodest, nisi sciat patiens passionum culpam. At oomo hoc scit: nec lex Dei docet oos esse in pœnam corporatos, a Deo autem revelationem non habemus pro brutis. Sed Moyses eorum animam ponit in sanguine, & factam ex elementis, humanam vero a Deo inspiratam docet. Spiritus immundi fingentes se animas defunctorum esse, non faciunt fidem. Blasius & Franciscus imperarunt animalibus in virtute Dei, cui omnia obediunt, & ad miraculum, & ad doctrinam nobis; ut nos factos Deo amicos cunctis posse rebus dominari intelligamus. Scimus quoque, animalia pro nobis

nobis esse, uti & plantas pro animalibus. Ergo ad nostram correctionem ipsa corrigi intelligendum est: & loqui asinam Balaam, serpentem vero Evæ, incluso Dæmone.

Sed & ratio dictat, impossibilem esse animarum transmigrationem. Nam vel in omnia transmigrarent, vel in quædam duntaxat. Si in quædam, assignanda sunt illa, & ratio, cur in ipsa solum. Si enim commensoratio corporum id facit, tunc anima elephantis non transibit in corpus formicæ & apis, sed in cete vel rhinocerotem aut struthionem. Constat autem sapientissimum esse elephantem, ita ut etiam literas græcas didicerit, si Plinio credimus, struthionem vero ignorantissimum: apem vero & formicam sapientes. Ergo potius anima elephanti transibit in apem, quam in struthionem. At quomodo potest commensurari tanta animæ entitas tam exiguo corpusculo? Si quis autem dicat, indivisibilem esse animam, ac proinde posse in maximo & minimo corpore claudi: hic non videtur animæ vim agnoscere, quia non est indivisibilis quantitative, ut punctum, sed essentialiter, quoniam essentia ejus una est & nil dissecta: essentia autem animæ præscribit sibi corpus. Non enim anima est propter corpus, suum domicilium & instrumentum, sed potius corpus propter animam. Ergo quoniam animalium alia est magnitudo & figura, figura autem exprimit affectum regnantis & fabricantis animæ, ergo magnitudo indicat entitatis & virtutis molem. Nec quia homo est elephanto minor, non est melior, quoniam figura hominis & cerebri copia, & fabrica & operationes, ejus præstantiam significant. Quapropter non videtur possibile, quod anima hominis includatur in culice, neque culex in homine: sicut nec ars cytharizandi in acu, nec suendi in aratro.

CVIII. Item qua ratione immortales sunt animæ boum & canum, eadem sunt formicarum & aranearum, in quibus industria multa relucet. Ab his autem ad pulices & pediculos & vermiculos facilis est transitus. Ergone in hasce sordities immittemus animas humanas? Item in ventre hominis multi generantur vermes & in capite pediculi, ergo multi erunt homines in uno homine, quoniam in omnibus illis est anima immortalis. Item qua ratione in vermiculis est anima humana, eadem erit & in plantis & in herbis: nam & hæc animalia inversa sunt & immobilia Platoni, & sensitiva Pythagoræ. Sed hoc concedit Ovidius, transformans homines non modo in bruta, sed etiam in plantas, secutus Pythagoram. At cum & lapidibus insit sensus, ut magnes & stellaria ostendunt, & metallorum augmenta & vegetationes & sympathiæ, etiam in saxa & metalla fiet transmigratio. Et hoc concedit Ovidius, canitque de multis. Idem de uxore Loth scriptura sacra testatur. Hoc autem naturale non est, sed miraculosum & divinum judicium: nam & in glacie & in balneo Sanctus Gregorius animas reperit, purgationis gratia.

Posset quidem Deus animas hominum in corpora brutorum immittere, sicut olim Dæmones in porcos: sed hoc non est secundum naturam, quam investigamus, sed secundum judicia Dei supra ordinem naturæ consuetum. Dicitur quidem homo fieri bestia, quando mores sectatur bestiales, sic luxuriosus hircum olet, avarus bufonis naturam, superbus pavonem imitari, & piger asinum &c. & sic moraliter forsan Pythagoras locutus est.

SECTIO XIII.

Expediuntur quædam aliæ qq. circa Animam rationalem.

CIX. Quær. 1. Quomodo mens uniatur corpori, num naturaliter, sponte & voluntarie, an violenter? R. Mentem uniri corpori naturaliter, non voluntarie nec violenter, a Deo tamen: Deus enim & natura sunt entia subordinata, sicut principale & instrumentale, a quibus idem effectus manat. Finis autem propter quem vilissimo corpori Deus tam nobilem inclusit, videtur esse bonum utriusque. Bonum quidem animæ, vid. ut meritum acquirat, ita serviendo Deo, & in exercitio corporali, quod perpetua militia est contra mala objecta malasque passiones, agonizando quæ sint præparata vincentibus bona: corpori vero, ut per talem conjunctionem & obedientiam finem sibi comparet altiorem & diviniorem, quam sibi ex natura sua convenit. Verum quia ipsum quasi instrumentum est, & propter aliud, non videtur æternum: quicquid ergo credimus de corporis resurrectione & instauratione cum anima, est revelata fides: naturaliter enim hoc non novimus, sed solum, quod anima post mortem corporis meliora speret.

CX. Quær. 2. Si anima indiget spiritu & sensoriis ad cognitionem rerum, cur separatur a corpore? & quomodo post separationem cognoscit? si vero non indiget spiritu & sensoriis ad cognitionem rerum; cur unitur ei cum detrimento?

R. Animam ut sentiat & intelligat, non indigere sensoriis, neque corpore secundum esse suum, sed secundum quod clausa est corpore, indiget sensoriis, & fenestris & foraminibus. Qui autem liber est spiritus, his non eget. Quapropter stultum est, dicere, mentem uniri corpori, ut videat & audiat per oculos & aures, quia idem esset, ac si quis diceret, hominem in carcere poni, ut fiat sapiens aspiciendo per cancellos. Ipsa enim in aperto tota est sensus & intellectus & undique, & post separationem longe melius intelligit & discurrit: & ejus intellectio tunc est sapientia intuitiva, & non per vitrum fenestræ, sed per objecti tactum internum, aut per ideam a superis defluentem. Quærenti autem, cur uniatur corpori, ubi minus bene sapit, nescio quid dicam, nisi quod Deus propter exercitium & ludum suum hoc fecit ad meritum mentis humanæ.

CXI. Quær. 3. Cur, sicut spiritus facit spiritus, non etiam anima animam per traductionem, ut sentit Apollinaris? alioq. in homo non generaret hominem, sed materiam, quæ tamen est ingenerabilis, præsertim secundum illos, qui unicam formam in homine ponunt, quæ sit corporeitas, elementaritas, vegetativa, sensitiva & intellectiva simul, putant enim, corruptis prioribus formis, semper illam, quæ supervenit, continere in se illarum formalitates.

R. Physice quidem ita dicendum fore: attamen altius contemplantibus animæ divinitatem, a Deo illam derivamus. Et licet Deus potuisset daret animæ, ut similem sibi producat animam, sicut spiritus spiritum, & calor calorem: tamen cum formatio corporis non a corpore formante fit, sed a spiritu, & quidem nesciente formationis partes & usus, sed operante instrumen-

strumentaliter, Deo agente tribus influxibus, (fato, necessitate & harmonia) per ministerium quoque Angelorum, & spiritus fit a generante communicatus, ut calor a calore effuso, & corpus ex corpore deciso. Caloris enim est generatio, non corporis ingenito spiritu: formatio autem est ab idea. Propterea arbitramur, supervenientem mentem esse a Deo, & non a mente generante. Solis enim instrumentis primis calori & frigori damus sui multiplicationem, & quidem in virtute ideæ primæ. Homo autem generat hominem instrumentaliter, ut caper caprum. Neque enim homo, neque caper, & multo minus seminalis spiritus fecit formationem, & partes & usus generati hominis & capri. Concedimus, physice esse principales causas: sed cum videamus secundum primalitates esse insufficientes, necesse est addere causas principaliores. Homo ergo generat hominem emittendo semen, in quo est spiritus (non mens) factor generationis instrumentalis causa viva activa: quæ etiam remanet, ut anima perficienda tandem a mente a Deo indita, non quidem in ipsa seminatione (uti Albert. M. & Avicenna putant) & ex his tribus, vid. materia seminis, spiritu & mente fit unus homo. Quapropter falluntur ii, qui hominem faciunt ab ipsa mente totum, quoniam non nisi materiam dedisset homo generans, imo neque hanc, juxta Aristot. cui semen non cedit in materiam fœtus, quem sequitur Harveus: multo vero magis, cum dicunt, organizationem & corporeitatem præcedentem, & sensum, corrumpi in adventu animæ & noviter fieri statim ab ea. Si enim ipsa nudæ materiæ unitur, ad quid præfuit spiritus & laboriosa organizatio? Si ut mens faciat ex ea aliam: quid oportuit eam recte factam corrumpi? Et cur mens, si subito tum divinum opus facit, & procedens delet, non etiam subito fractum crus reficit? eoque magis, cum dominari in corpus jam didicerit? Et cur a fuligine & bile discursus & scientia adimitur adeo potenti causæ, largienti tam repente ex nihilo corporeitatem, quam ipsa non habet, & mixtionem & sensualitatem? Manifestum quoque est, abeunte mente, remanere organa omnia in mortuo per febrem; ergo non sequuntur ipsam, sed corporeitatem a spiritu organizatam virtute animæ mundi, ut infra ostendemus. Quapropter homo generat hominem, quia corpus & spiritum sentientem adeo producit, ut tandem Deus perficiat opus ejus infundendo mentem, non destruat. Et profecto mirum, quo Peripatetici possint salvare generationem hominis: cum Arist. per motum generantis remanentem in semine faciat hominem ex menstruo, semenque doceat expelli. Ergo non remanet ejus vis. Omitto quod motio illa est inanis, nam subito deperditur, ut patet in exemplo virgæ ab eo adducto. Formatio autem & anima vigoratur. Et esto, permaneat, cum stupida sit motio, & non ens, nullo modo opificium tam mirificum operari potest. Nobis autem patet hominis ab homine generatio: & ranæ ex non rena, ubi nulla est motio generantis: sed formatio fit juxta ideam ab anima mundi, utente caloris opera, sicut in seminibus.

CXII. Quær. 4. Compositum generatur, ergo anima & corpus ab homine generante: alioquin non esset genitor, & imperfectior esset brutis, quæ generant materiam & formam & animam. R. Neg. sequelam, homo quippe generat corpus & spiritum, sicut bruta: & insuper disponit ad susceptionem mentis a Deo, qui non nisi perfectissimo opificio eam immittit. Dixi *a Deo*, quia nec Angelus, nec anima mundi producit animam nostram: nam ex nihilo non possunt: ex seipsis vero facerent similes sibimetipsis: & sic anima esset Angelus, & non mens inclusa ad animandum corpus. Anima vero mundi non facit animam per decisionem, quia non est partibilis, neque per sui diffusionem, ut calor calorem, quia non habet contrarium, cujus gratia velit multiplicari; neque corruptibilitatem, quare velit instaurari. Ergo a Deo.

CXIII. Quær. 5. Cum corpus sit propter animam, oportet hanc prius esse, & ad ejus voluntatem hoc formari, ut probat Plato. Hoc autem falsum, si anima infunditur jam formato corpore. Melius ergo videtur dici, animam esse in semine, ut asserit Albertus, quæ figuram rectam & manus fabricatur: ergo non creatur, sed traducitur cum semine, alioquin non esset causa efficiens sui corporis, ut cæteræ animæ, neque illo posset uti; & quidem Arist. sæpe animam corporis causam efficientem ponit.

R. Organa corporis fieri conformia animæ affectibus: unde alia anima, alia habet organa: diximus enim sæpius, timidum leporem organa habere ad fugiendum, quoniam anima ejus juxta affectum suum sibi talia paravit: Leonis vero animam parasse organa ad pugnandum, propter audaciam. Et sic de cæteris. Sic spiritus humanus in semine contentus efformat in matrice organa aptanda humanæ menti. Cum enim absque symbolo non uniantur, ille huic deservit, teste Augustino. Præterea videmus, mores juxta temperiem & organa ostendi in homine. Ergo mens, licet dominatum gerat, non tamen nisi politicum, quoniam advenit operi facto, & non ipsa facit, & venit pugnatura hic, alibi vero regnatura. Idcirco non semper organa, ut ipsa vellet, habet. Quis enim fervens jecore non optaret frigidiusculum habere? & cellas capitis ampliores, in quibus spiritus posset melius discurrere? Spiritus generans facit organa, similia suo principio pro materiæ & instrumentorum conditione. Formatio autem est ab anima mundi & Angelis, qui norunt quæ instrumenta cuique animæ debeantur. Qui autem subinde fiant monstra ex deordinatione membrorum, suo loco dicemus Tract. XLII. Nunquid in generatione ranæ præest semper rana generans organa? Item domus non fit ab habitatore ignaro, sed a domificatore artis perito: sic corpora non ab inhabitante anima, sed ab artificibus prædictis. Recte quidem probatur corpus ab anima efformari, sed non ab anima geniti, sed generantis, vel a communi anima mundi, & hoc probabilius. Semina, ut suo loco docebimus, viva quidem sunt, vita animali, non mentali, & ab ea corpus organizatur juxta ideam, quam administrant virtutes Angelicæ sub anima mundi. Deus autem, quod perfectissimum est, adjungit mentem: quæ neque forma, neque formatio est, sed ens divinum, non nisi Creatori tribuendum opus.

SECTIO XIV.

Quando indatur Anima rationalis fœtui?

CXIV. Hac in quæstione decidenda Medici primas sibi arrogant: rerum licet in arte sua dicantur expertissimi, impingunt tamen quandoque contra dogmata theologica, & in physicis a scopo aberrant. Exemplo sit

sit Daniel Sennertus apud Honoratum Fabrum L. 5 de gen. animal. pag. 189 ita scribens, ut recte illud in ipsum quadraret, medice cura te ipsum: nempe apud ipsum Thomas coecutit; Scotus ineptit; Suares somniat, Tolletus hallucinatur; Conimbricenses insaniunt; Fonseca, Pererius, Bonamicus, Ruvius sese anxie torquent: Scholastici omnes garriunt, quia dicunt formas educi de potentia materiæ, semen non vivere actu, animam rationalem non propagari per traducem, nec statim initio infundi, sed jam formato corpusculo, foetum vivere primum vita plantæ, tum vita bruti, tum demum vita hominis. Hæc sunt decumana crimina, quorum rei a Sennerto vapularunt. Quo tempore a Deo foetui humano infundatur anima rationalis, ignotum omnibus puto. Cum enim toto illo tempore, quo in utero continetur, usu rationis destituatur, nullum hujusce determinationis tempus certum assignari potest. Itaque alii protinus utero conceptum semen animari putant, cui opinioni subscribere debent omnes illi, qui immaculatam Deiparæ conceptionem octava decembris ideo ab ecclesia celebrari antumant, quod eo die anima purissima ab originali præservata infusa fuerit, aut id miraculose factum asserant oportet. Contra quos scripsit S. Bernardus. Alii die quadragesimo masculorum, foemellarum autem 80 juxta Arist. alii organis jam perfectis. At qualia hæc sint organa, & in quos usus animæ rationali tum serviant, nihil præterea dicunt.

Referam hic singularem sententiam in gratiam curiosi lectoris, quam D. Ioan. Marcus Marci, Medicinæ Doct. & Professor Primarius Pragæ, tempore Ferd. II. & III. Cæsarum (quem turpi errore P. Aloys. Kimmet Medicum Caroli V. vocat, hic autem fatis cessit an. 1558 nondum nato Marco, hic enim Landeronæ Hermundurorum in Bohemia an. 1595 13. Iun. in lucem editus noscitur. Et ipsemet addit (licet falso) illum sub P. Arriaga quadriennio studuisse, quorum neuter Carolum V. vidit) & Leopoldo, quibus sua dedicavit opuscula doctissima. Hic inquam insignis Philosophus, archiater & Mathematicus, in libello intitulato *idearum operatricium idea* an. 1635 cap. 8 sic scribit:

CXV. Quid prohibet, si dicamus, nascente demum foetu, animam rationalem a Deo infundi? an pro absurdo hoc habebitur? Non tamen absque ratione assertum. Etenim tum primum organa omnia complentur, & naturæ intelligentis igniculus tum primum emicat, in utero sensibus adhuc oppressis, sine quorum ope nequit ullus esse usus rationis: neque profecto magis absurdum, ad partum usque differri animæ exortum, quam ad dies 40, aut usque dum nescio quæ organa perficiantur. Si enim ad dies 40 absque anima rationali esse potest, foetusque humanus dici meretur, cur non etiam reliquo tempore? Quod inde quoque suaderi potest: Foetus in utero contenti non minus partes esse videntur matris, quam arborei foetus suarum arborum: unde verosimile, ab anima matris tum informari, quemadmodum ab eadem regi constat: sed & communes cum matre affectiones non parum roboris afferunt huic opinioni. Neque ea quæ circa foetum nascentem & utero contentum fiunt, videntur posse ab anima infantuli provenire. Observent, quam valido & veloci motu infantes in utero seipsos convolvant, & membra in hunc illumve situm celeriter mutent, quanto nisu in partu prodire laborent, illisque angustiis obluctentur! An existimant ab anima infantuli hæc fieri, qui ubi lucem aspexit, absque viribus esse & pene immobilis cônspicitur? Tum itaque, cum foetus divellitur ab utero, quia nequit consequi anima matris ad partes inde avulsas; quemadmodum si aliud quodcunque membrum præcideretur; eodem momento, quo anima matris a foetu absistit, virtute omnipotentis Dei alia noviter creata foetui infunditur.

CXVI. Videtur autem hæc sententia infinitæ Dei bonitati, quæ nullum vult perire maxime conformis, ne tot abortuum animæ rationales, extra spem salutis relictæ & neglectæ videantur. Quod etiam videtur sentire Iob, in hæc verba dicens: Quare de vulva eduxisti me? qui utinam consumptus essem, ne oculus me videret, fuissem quasi non essem, de utero translatus ad tumulum, quia nim. foetus, priusquam in lucem nascerentur, in utero consumpti, non aliter ac jumenta pereunt, nunquam corpora reassumpturi: proindeque illorum vita sensitiva, quæ non nisi ad tempus breve durat, quasi pro nulla habetur.

CXVII. Sed hic animo infesto (pergit Marcus) adversum nos insurgent, tum jurisperiti, tum sacer Theologorum coetus, qui hac nostra assertione suas constitutiones & decreta opinionesque tanquam pro legibus receptas violari & convelli graviter ferent, atque scripturæ & SS. Conciliis adversari dicent. Constat enim ex scriptura sacra, quosdam in utero matris fuisse sanctificatos, & Spiritu S. repletos: Ioannes, inquit Angelus ad Zachariam, spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris: quæ non videntur cadere in animam sensitivam, siquidem sanctificatio hominis consistit in gratia gratum faciente, a Deo soli animæ rationali infusa.

Quod inde confirmatur. Quia ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exultavit infans in utero. At quomodo exultavit, si, unde gauderet, non cognoscebat? Cognitio autem hæc non absque intellectu.

Deinde Christus D. sicuti extra uterum, ita quoque in utero perficiebatur convenienter naturæ humanæ: non enim ante decimum mensem ex utero in lucem prodiit, neque subito virilem statum attigit, sed sensim facto incremento. Oportebat ergo similiter animam rationalem consequi, organis jam perfectis, aut in ipso demum partu, quod est absurdum: ingrediens enim mundum dixit: Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam, &c. in qua voluntate, inquit Paulus, sanctificati sumus. Quod si ergo in ipso momento verbi incarnati actu illo libero, quo corpus suum Deo obtulit, ex condigno satisfecit pro genere humano, quomodo sola anima sensitiva inesse potuit, quæ sicuti actus liberi, ita quoque meriti est incapax. Verisimile ergo, reliquis hominibus animam rationalem in utero, non extra uterum infundi.

CXVIII. Sed & hac ratione videtur impugnari hæc sententia. In partu cæsareo, quando nim. matre mortua & dissecta, vivus extrahitur foetus, quo tempore infundi dicetur anima rationalis? Non enim ponitur infundi, priusquam ab utero separetur. At neque inter secandum adest jam anima matris, cui alias substitui debeat noviter creata. Erit ergo ejusmodi foetus absque anima rationali.

CXIX. Verum hæc, quæ attulimus, non nisi apparenter nobis adversantur. Nam quod aliqui in utero dicuntur sanctificati, aut Spiritu S. repleti: ad hoc di-

co, sanctificationem non uno modo sumi, cum neque sanctum & sanctitas unius sit rationis. Nam in humanis quidem sanctum dicitur proprie & formaliter a gratia justificante: analogice vero reliqua omnia, quæ vel causæ, vel signi, vel effectus habent rationem, in ordine nim. ad formalem sanctitatem. Fœtus igitur in utero dicitur sanctificari, non formaliter ab hac gratia, quæ soli animæ rationali est propria, sed materialiter & dispositive ad illam, quæ postea cum anima rationali infunditur. Tametsi enim peccatum originale formaliter consistat in anima rationali, cum sit privatio illius gratiæ, quæ sanctos facit, & Deo amicos: fundatur nihilominus in anima sensitiva, atque ita velut in radice ad omnes propagatur. Quod si enim sola anima rationalis illa labe esset infecta, qua ratione regius vates diceret: ecce in peccatis conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea? siquidem longe tum abest anima rationalis, & non ante quadragesimum, aut organis absolutis dicitur advenire.

Simili modo fœtus in utero Spiritu S. repletur formaliter quidem juxta capacitatem illius formæ; materialiter vero & dispositive, quia tum amoventur illa impedimenta, quæ obstant gratiæ donis, cum quibus postmodum anima creatur. Quod vero S. Ioannes exultaverit ad præsentiam Christi, a facie cujus mota est terra, montes exultaverunt ut arietes, &c. non est necesse, nde illius cognitionem, aut animam rationalem inferre, cum & reliqui fœtus absque ejusmodi cognitione in utero moveantur. Quod si tamen ita sentiendum, dico ad præsentiam verbi increati ex singulari privilegio utrumque accidisse, ut & animam rationalem, priusquam nasceretur, obtineret, & longe alia scientia, quam quæ ministerio sensuum comparatur, quem præcurrere debebat, ex utero in utero prævideret.

CXX. Et quidem anticipatam creationem animæ rationalis facile dabunt in BB. Virgine, quam ipso pene momento conceptionis scientiam infusam habuisse, actusqua liberos & meritorios elicuisse perhibent. Animam porro Christi ipso momento, quo verbum incarnatum, nefas in dubium vocare: oportebat enim Mariam Dei matrem esse, & non hominem purum, sed Deum factum concipere, in persona verbi subsistentem, & verbum æternum, non unam partem humanitatis sed totam naturam assumere. Simul ergo anima creata & corpori infusa; simul homo conceptus & deificatus; tametsi aliqua in his prioritas, non temporis, sed naturæ, finis & ordinis. At quod eadem ratio debeat esse reliquorum, negamus, si quidem in ordine ad animi functiones, & in ordine ad actus liberos ponitur infundi anima rationalis, a quibus longe abest fœtus, quousque in utero continetur, unde superflua pro tunc esset anima rationalis. Quare neque die quadragesimo dicetur infundi, cum non major illius sit usus, quam die septimo aut etiam primo.

CXXI. Quod vero alicubi ex scripturis, aut ex doctrina SS. PP. colligi videatur, infantes in utero utramque mortem incurrere: dico, non de omnibus hoc esse intelligendum, sed quibus anima rationalis contigisset: alioquin ante diem quadragesimum, priusquam adveniret anima rationalis, dicerentur reprobari: nihil autem repugnat, quin aliquando est necessarium, fœtui in utero existenti animam rationalem infundi.

CXXII. Pro cujus intelligentia adverte, duobus modis posse interire fœtum in utero: *Per se*, & *cum alio*. *Per se* dico, si vinculis, quibus utero cohæret, a casu, ictu aut aliter disruptis, priusquam moriatur, ab utero separetur; *cum alio*, si nim. matre moriente, & ipse fœtus commoriatur. Potest autem & cum matre eodem momento interire, & paulo post. Fœtus ergo in utero extinctus, posteaquam ab eodem fuit avulsus, habuit animam rationalem, quocunque demum die a conceptu: unde eo moriente, mors animam quoque involvit. Ratio, quia fœtui humano & viventi anima rationalis debetur. At si ante matrem, aut cum ipsa moriatur, non aliter se habet, atque alia quælibet pars corporis materni. Extincta demum matre, fœtus superstes, quia nequit in eo servari anima matris, sicuti sole extincto nequit lumen in aere servari, dico, a Deo animam rationalem infundi eodem momento, quo anima matris a fœtu separatur. Et ita solvitur argumentum de partu cæsareo.

CXXIII. Hæc sententia, quamvis a principio ob novitatem, ut fieri amat, obstrepentes habuit; quia tamen nihil reprehensione dignum sequi videbatur, suum deinceps locum inter opiniones probabiles tenuit, quousque demum Conradus Wechtlerus, Medicus Cæsareus in suo opere, quod homo oriens & occidens inscripsit, quæstionem status ei movit. Verum quia minus fideliter Marci verba retulit, nam Lib. 1. disp. 9. difficult. 22. sic habet: „ Tertia opinio, quæ est Marci „ Marci, Medici & Professoris Pragensis, Viri alias lon- „ ge doctissimi, ait animam infundi in fœtum, quando „ a matre avellitur & umbilicus præscinditur: toto „ enim gestationis tempore ait Lib. Idear. cap. 8. fœtum, „ vivere anima matris & informari; cum sit ejus pars, „ sicut pomum pars arboris. Et alibi eodem momento, „ inquit, quo anima matris a fœtu absistit, virtute Dei „ alia nova creatur & fœtui infunditur; ne tot animæ „ per abortum pereant. Denique dicit, fœtum ani- „ mari primo anima vegetativa, sensitiva, tandemque „ intellectiva, idque ex præcepto Arist. L. 2. de gen. ani- „ mal. cap. 3. ubi dicitur, non simul fieri animal & homo, „ quæ verba tamen varie a variis explicantur. Ita Wechtlerus, sed toto cap. 8. nihil habet Marcus de umbilico aut ejus resectione. Ideo in sua Philosophia vet. restituta, edita an. 1662 Pragæ parte 3. mihi pag. 365. brevi responso virum doctissimum, quem sibi vocat peramicum, honorare voluit, ejusque objectiones difflare, dum ait:

CXXIV. Est ergo nostra sententia, filium, tam a patre, quam a matre, recipere totum illud esse, quod est communicabile: ac proinde in semine totum hominem contineri, præter animam rationalem, quæ communicabilis non est: ipsum vero semen in utero ab Idea seminali perfici, ut actu fiat homo utrique progenitori similis; a qua etiam idea ad talem speciem entis determinatur; cui anima rationalis ex lege, quam ipse Creator sibi posuit, debetur: ostendi vero, inquit, animam rationalem post lapsum pendere ab anima sensitiva, ut quousque hæc in corpore manet, etiam animæ rationalis eidem unita maneat: ubi vero illius vita defecit, confestim hæc a corpore separetur. Vnde sequi videtur, fœtui humano nunquam deesse animam rationalem, etiam ipso momento conceptionis: siquidem vita sensitiva eidem inest ex traduce, cui anima rationalis debetur. Quia tamen ob aliam legem anima patris sequi non valet: neque alia de novo creata eidem tum infundi, propterea quod necdum sui ju-

ris fit defectu centri proprii, quod est cor; a radiis animæ maternæ, cujus est fructus, occupator: sub quibus manet, quousque anima matris suos radios subtrahere cogitur: non quidem defectu vitæ sensitivæ, quæ in eodem fœtu manet, sed quia radiatio ejus prohibetur: non secus ac lumen in aere a duobus luminosis productum, idem manens impediri potest, quo minus ab hoc & non illo luminoso radios admittat: atque tum illa lex a Creatore lata postulare videtur ejusdem animæ creationem; quod fieri potest, quamvis ombilicus eidem atque etiam utero annexus maneat, separatio enim illa, qua de supra locuti sumus, non tam continuitatem, quam vitæ communionem respicit. Denique quia S. mater ecclesia huc inclinat, quæ non ante diem 40 animam rationalem in fœtu admittere videtur, licet, quo deinceps tempore id fiat, nihil determinet, idcirco malim assentiri posteriori opinioni, quam illorum, qui vel in ipsa conceptione aut paucis diebus post, animam rationalem infundi putant; maxime cum doctissimus P. Faber L. 5 de gen. animal. propos. 66. arbitretur, sine aliqua temeritate id dici non posse his temporibus, alioqui anima esset ante hominem, nec enim embryo homo est. Infusio autem ex variis pendet dispositionibus, nempe ob vitiatum uterum quandoque serius conceptus sobolescit; ipse autem ut plurimum secundo mense circa medium accidere putat.

SECTIO XV.

An in homine præter Animam rationalem rectè admittatur sensitiva distincta?

CXXV. In homine non dari tres simul animas realiter distinctas, vid. vegetativam, sensitivam & rationalem, teste P. Pennafiel Disp. 1. de anima q. 9. sect. 2. num. 4. est communis inter DD. Catholicos sententia, & omnes fere PP. ecclesiæ asserunt. Addit, sententiam oppositam debere ad minimum temerariam judicari. P. Tellez Disp. 78. de anima sect. 6. n. 1. dicit periculosam esse in fide. Card. Tolet. ante lib. 1. de anima post relata VIII synodi Gen. verba ita subjungit: „ Et „ quamvis aliquis effugere posset, asserens intelligi de „ pluralitate animarum utentium ratione, quod aliqui „ Catholici (inter quos est Scotus & Paulus Venetus) „ tenent animam esse vegetativam & sensitivam in „ homine distinctas a rationali, nec tamen videatur „ illos damnatos in illo canone: tamen hoc fateor, „ eam non esse ita tutam & contra canonis interpreta„ tionem & restrictionem, eum in genere loquatur & „ sanctorum aliorum testimonia glossam non pati, „ cum sint manifesta. Idem autor Lib. 2. de anima q. 7. erroneam & temerariam, utræque philosophiæ adversam vocat, siquidem bene citat Marcus Marci, rectè dicens, verba illa 8. Synodi Gener. Constantinop. quibus damnat mater ecclesia eos, qui duas in homine animas profitentur, negant huc pertinere scholastici notæ melioris; sed illos tantum damnari volunt, qui vel plures animas rationales ponunt, unam assistentem, & aliam informantem; vel unam a Deo bono, aliam a Deo malo factam, qualiter Manichæi ponebant.

CXXVI. Non obstantibus horum privatorum DD. censoris, eorumque auctoritate, respondet Leo a Stipite cap. 36. relig. mentis, non ideo quid verum est, quod antiquitas id statuit, sed tantum quod firmissimis argumentis, & rerum magistra experientia comprobatum est. Est autem hæc materia adeo intricata, ut nec hodie quisquam pro veritate suæ sententiæ dimicari audeat. Quorum

CXXVII. Statuimus dualitatem animarum (sensitivæ & rationalis) non ut litem adversus aliquem contestemur, sed tantum ordinis & distinctionis causa, & ut paganismus, qui atheismum fovet, a Christiana fide, cui alias permistus videtur, separetur ut tenebræ in lucem vertantur. Nam veri Christiani e sacra scriptura eruditi docent, quod credunt, nim. animam quandam immortalem immediate infundi a Deo unicuique fœtui humano, qui non monstrosa indigna perditionis nota insignitus, sed vera humanæ figuræ effigie a natura condecoratus est. De qua dicit Deus apud prophetam: Animas ego facio. Hanc immortalem & infusam creaturam vocamus mentem, sive spiritum viventem, tum in abstracto, tum in concreto. Hinc nihil diversi statuimus, sed omne id, quod e theologorum & philosophorum Christianorum sana doctrina receptum habemus, cum iisdem commune servamus; sed in eo tantum dualitas facit differentiam, quod attinet functiones & modum agendi ejusdem in corpore.

CXXVIII. Tenemus etiam cum iis, qui, prout docet experientia, statuunt in homine esse principium animale, quo mediante fiant sensus externi, sensus internos, motus, imagines, & potentiæ appetendi, abominandi, complacendi, recipiendi, movendi, quiescendi, volendi, memorandi, imaginandi, & juxta rationes quasdam ordinandi, quorum omnium causa hoc ipsum *principium* vocatur *sensitivum* & *animale*, communiter *spiritus animalis*, a quibusdam *anima sensitiva*, & est in sua essentia per omnia simile principio animali brutorum, quod est imago vitæ & mortis.

Ast in quo non convenimus omnes, est nuda etymologia, cum nos sequamur tenorem verborum sincere denotantium: nonnulli vero sensum antiquum corruptum sequantur verborum aliter denotantium, quo ipso immersos se vel plane non sentiunt, vel si sentiunt, non contrasentiunt, ideo forte, ne qua errasse videantur.

Verum, quid est, quod ajunt, id quod in brutis sentit, & imaginatur principium, esse animam sensitivam mortalem: quod vero in homine hoc idem præstat, esse animam rationalem immortalem? quasi cum sensitivum vident in uno mori, & in altero mori, sit licitum illis dicere, non mori in uno, cum ipsis non placet: quod est idem ac si diceres, quod mastigat in cane panem, & rodit ossa, sunt dentes, in homine vero non dentes, sed potestates Angelicæ. An non est sensitivum in carne, quod carne combusta non est? aut brutis neganda est anima sensitiva, aut concedenda in homine similis saltem analogice. Brutis autem negari non posse in esse animam sensitivam, contra Cartesianos neotericos demonstrabimus in Tract. XIV. ergo & in homine: cujus operationes animæ rationali immediate adscribi non possunt, quam parum corporeitas, quam ab anima pure immateriali proficisci capere non possum; esset enim materiæ propria. Dic, amabo, a qua systema fœtus humana constitutum est, antequam ei infundatur anima rationalis? Estne pura materia prima solis accidentibus substans absque substantiali forma? an negabis fabricam illam sine principio substantiali, quod est anima, construi? quomodo potest dicere infusam animam esse principium

pium constructivum corporis, quod ante infusionem factum est? Quod cum passim fateantur, ex ipsa eorum doctrina resultat necessitudo dualitatis; nulla enim subest ratio, cur destruatur principium illud per adventum supervenientis animæ rationalis, quam parum calorem præinductum forma ignis superadveniens destruit, nisi velint dicere, animam a semine in materia actuatam formare carinam, & viscera fœtus, deinde supervenire animam, aut infundi a Deo, & esse unam cum ea, quæ a principio formavit rudimentum, quæ & traducta est, & hebet in se naturam elementalem, tum & superelementalem, & partim subire mortem, partim fugere eam, quod absurdum est dicere. Siccine dividat quis in fine, quod a principio confudit? Quis ad hæc non erubescat? sed istam virtutem hodiedum sola negatio disperdidit. Quod si per fidem credimus, infusam animam esse imaginem Dei, oportet etiam noscere, quæ, & qualis sit ea imago? an habeat ideam seminis, nec ne? si verum est, quod de ea scribit Helmontius p. 332. §.23. „ Mens immortalis est substantia lucida, incorporea, immediate Dei sui imaginem referens, quia eandem in creando sive in ipso empsychosis instanti sibi insculptam suscepit. Si dico, hoc verum est, uti arbitramur, verum quoque necesse est, quod alibi (pag. 217.) dicit: Blasphemum esse, in rationem retulisse imaginem Dei: cum nulla sit rationis similitudo vel comparatio facultatis incertæ & caducæ cum Deo.

CXXIX. Sed accedamus propius ad rem, & videamus utriusque sententiæ discrepantiam. Totum quod hominem superare facit omnes creaturas elementales, est anima intellectualis infusa, quæ vitam perennem habet; & cætera omnia, de quibus disputat fides cum ratione; unde palam fit, rationem dici quid separatum, imo & adversum.

De anima infusa dicit Helmontius pag. 214. quod sit substantia spiritualis, vitalis & luminosa creatura. Et iterum, pag. 212. anima est purus & nudus intellectus, & imago increati luminis. Quis neget? atqui in nudo intellectu & imagine increati luminis, quis somniet sensitivum, imaginificum & specierum receptivum? Non ego existimarem, inquit Leo a Stipite, non stipes, ullum doctorem adeo vacare magisterio, ut sic philosophetur. Convenit ergo hic, quod nulla censura indiget.

CXXX. De sensitiva, quæ non incurrit in rationes theologiæ, res taliter componi posse videtur. Quod Christiani philosophi vocant *sensitivam*, sive corpoream animam, id alii vocant *spiritum animalem*, id est, qui ab Hebræis vocatur *figmentum malum*, *fomentum peccati*, *concupiscentiæ incentivum*, quem scriptura comprehendit sub etymo & *lege carnis*, & ideo in ipsa convenimus. Quod autem ab eo dependent sensus, & potentiæ, memorativa, imaginativa, voluntas appetitiva, in hoc adhuc convenimus, quia & bruta, quibus hæc omnia similiter (non solum metaphorice & improprie, ut Cartesiani nugantur) insunt, litem tollunt, si qua dehinc oborirètur.

CXXXI. Varum in quo a vulgari opinione discedimus, est hoc, quod ajunt, id esse in homine tantum spiritum animalem; in brutis vero simul animam sensitivam. Ita Philosophia Burgund. Tom. 2. Tract. 3. p. 345. respondet huic argumento: anima sentiens aut vegetatrix est mortalis & corruptibilis, non item anima rationalis, ergo non est una & eadem anima, cum idem simul mortale & immortale esse non possit. Respondet, inquam, dist. ant. anima sentiens est corruptibilis, cum sola est, ut in brutis. C. cum autem eadem est intellectualis, N. tum enim est immortalis, non ex se ipsa, sed ex mente. Quod est idem (ni fallor) ac dicere: spiritus animalis illuminatus brutorum, quem animam sensitivam illorum dicimus, est corporeus & corruptibilis: & tametsi in homine iidem aut similes spiritus non possimus negare, quorum opera sensationes peragi constat, non tamen debent vocari anima sensitiva, sed solum instrumenta inanimata deservientia menti seu animæ rationali, cui hic titulus debetur.

CXXXII. Nos autem dicimus, cum omnes circumstantiæ evincant, etymologiam rei convenire debere, consonum esse, ut animale principium eodem nomine vocetur in homine, quo vocatur in brutis, & vicissim: sicut enim homo dicitur habere aures, & oculos, & nares, & dentes, & ossa, & cætera membra, sic omnino & asinus, canis & equus. Consequenter & recte vocari debet in homine anima sensitiva, quod taliter vocatur in brutis; si vero aptius vocatur in homine spiritus animalis, convenit, ut etiam sic vocetur in brutis. Nec ipsa ratio tanti præponderat, ut ignorantia compensetur confusione. Quomodo autem sufficiet confusio ad revocandum apistum datum, qui suos adversarios ad incitas redigit, cui tamen hac distinctione nervus apistiæ resecatur? supra data vero distinctio risum movet. Multum autem tribuunt rationi, quod organis debetur, & ipsis ideis; multum quoque, quod ad solum spiritum animalem pertinet; potissimum autem tribuunt rationi, quod mero intellectui debetur, adeoque cum nihil sit, quod præter hæc rationi tribuunt, & nihilominus putant idipsum dignum esse, cujus respectu sensitiva immortalitatem adipiscatur, hac ratione merito rejicimus identitatem hanc, statuimusque cum divinis scriptis, & præstantissimis doctoribus infra nominandis, distinctionem esse faciendam inter ea, quæ revelatæ fidei sunt, & inter ea, quæ paganæ cæcitatis velamenta sunt: inde pronascitur præfata distinctio ter bona, terque beata, inter entia caduca & sempiterna.

Mirum autem non est, quod rei ignoratæ concesserunt immortalitatem, cui nomen animæ imposuerunt, tametsi nesciverunt, nec ausi sunt dicere, quid sit anima. Gentiles autem, ut huic cederent difficultati, affinxerunt animæ intellectum, Christiani quidam superaddiderunt meditationem & contemplationem. Ast quam inepte gentiles intellectum tribuerunt animæ sensitivæ humanæ, nonnulli ex iis etiam immortalitatem, tametsi eam potentiis brutorum plurimum admirandis non concesserint; tam incongrue concedunt Christiani substantiæ elementali contemplationem & immortalitatem, qui tamen quotidie observant, intellectum & contemplationem non esse familiarem corpori, sed se habere juxta donum & intentum Dei, qui dixit: Intellectum tibi dabo. Observant quoque tam rationem, quam memoriam & phantasiam lædi a variis causis, modificari quoque ab impedimentis ac variis determinationibus, quin etiam, sub agonia perire & redire. Nesciunt autem quid statuant, sub ea fieri sub mortem, num sicut lumen extinguatur, si lumen fuit, aut evolet ex ore, per cutem, &c.

CXXXIII. Cui quidem contrariantur exempla: sed

nec-

nec dum ſciunt, ſi tradux non eſt, unde, quando, & quomodo adveniat? Sicne dicendum erit, cum anima humana participet cum animabus brutorum maximam partem potentiarum, reliquam autem cum creaturis intellectualibus, confectarium eſſe, quod ſit partim mortalis, partim immortalis? Sed hoc eſt rationi diſſonum; uti & affingere ſpiritui abſtracto, (qualis anima noſtra,) immediatam communionem cum corporea compage, qua corpus quidem poteſt penetrare, ſibi vero nequaquam unire: quam etiam abſonum, cum corpus ſibi concorporare nequeat, ſtatuere, eum caducas quaſdam potentias naturæ ſuæ incongruas ſibi ſua ſponte aſſumere & appropriare, dehinc labi in deterius, porro caducas pœnoſas appetere noxas, quas ſibi noverit fore æternum pœnitendas & expiandas, &c.

Nec ſuffragatur adverſariis ſacra ſcriptura, cum vocet primum hominis mobile ſpiritum, qui vadit & non revertitur, nec noſcit amplius locum ſuum, cum vocet figmentum malum, &c. Tale autem principium mortalibus hominibus æque ac brutis videmus neceſſarium, imo & adeſſe, cum in hoc ipſo, quod vitæ principium eſt, finis quoque ſive mors conſiſtat, fœto ſc. brutorum ſimillimo. Inſtrumenta ejus ad motum ſunt oſſa, ligamenta, tendines, muſculi, nervi; ad ſenſum loca ſunt diſparata capitis, viſcerum, ſuccorum, unde ſpiritus promanans luminoſus, calidus: Omnia hæc magna ſapientia, ſed in viciſſitudine ſunt ordinata, atque ad mutua ſervitia determinata, apta quæ moveant, moveantur, vivant & ſentiant, nihil eorum a ſphæra corporis exulat, excepto theſauro imaginis divinæ cœlitus infuſo. Nulla vero ratio eſt, prædictas facultates materiales & homini cum brutis communes, diverſis adſcribendi principiis, aut principium illud in brutis vocare animam ſenſitivam, in homine vero ſpiritum animalem, non animam: hinc Carteſiani potius negare voluerunt brutis ejuſmodi operationes, quas ſoli ſpiritui competere putant: qualem in brutis non agnoſcunt, licet perperam, uti demonſtrabimus Tract. XIV.

CXXXIV. Sane capitoſum eſt, negare in homine dualitatem animarum præfatam, & tamen pro libitu ſtatuere diverſam in eodem, vegetativam ſc. & ſenſitivam, cur non & tertiam addunt formativam? ad quid exotica illa anima velut amphibia, quæ ſola ipſa vegetet, ſentiat, vivat & omnia faciat, quæ ſunt in brutis & fiunt, & ſimul etiam (quod brutis deeſt) intelligat & contempletur, imo & enthea ſit? Nonne rationi id adverſatur ſimul & ſacris eloquiis, divinis ſc. revelationibus? anima ſenſitiva elabente perit ſimul omnis vitalitas & animalitas in brutis: iſtæ ergo potentiæ ſunt ſenſitivæ. Hæc ſenſitiva non habet intellectum, quo cognoſcat & contempletur cœleſtia: reſtat ergo ut præter eam alia inſit homini natura ſuperelementalis, ſpiritus ſimplex, habens vitam permanentem, qui cum miſtionis ſit expers, diſſolui neſcit. Annon ergo diſſonum eſt, diverſitatis cernere veritatem, & tamen ſtatuere, humanam animam eſſe pariter rationalem, intellectualem, ſenſitivam & vegetativam, quod nihil aliud eſt, quam dicere, animam humanam eſſe ſenſitivam, & non ſenſitivam, caducam & non caducam, elementalem & non elementalem? an ut quis contradictionem effugiat, conveniet dicere, animam ſenſitivam elementalem poſſe eſſe creaturam immortalem infuſam, & tamen poſſe ſimul ſentire & vegetare? Eadem facilitate dici poterit, ſequi, ut & infuſa ſit brutis, quoniam ſentiunt. Quis autem abſque deriſione auſit probare infuſionem, cum ſacra ſcriptura revelet, animantia bruta fuiſſe creata viva per verbum, quo ipſo eloquio noſcendum datur, unde corpus factum, inde quoque animam factam eſſe, & ſemen, & alia, quibus mediantibus fit propagatio, hiſce tollitur ratio & neceſſitas infuſionis. Idcirco fingere infuſionem ſenſitivæ in una ſolum ſpecie citra teſtimonium revelationis, uti figmentum abſonum eſt, ita nullatenus poteſt probari, præter id, quod ſequeretur, creaturam immortalem corpori mire aptatam poſſe id pari modo conſervare, quo ſenſitiva brutorum corpora ſervat, ne ſua excidat quadra, id quod experientiæ & ſacræ ſcripturæ contrariatur: ſi enim hoc, poſſibile quoque eſſet, ut quod majus eſt, conferret minori una ſuam immortalitatis proprietatem. Seorſim ergo ponit vegetalis & ſenſualis actio ſuum agens, quod in brutis & carnalibus, in barbaris & ſtultis conſpicuum eſt, & intellectualis actio ſeorſim ponit ſuum auctorem, id quod in divinis hominibus conſpicuum redditur: nexus vero entium diverſorum non tollit alterutrius naturam in gratiam cœcutientium, ſed aperit januam ad penuarium veritatis, quæ promus condus eſt ſcientiarum minime vanarum. Quocunque autem tempore ſcientia inventa tollit ignorantiam, rejecta hac eſt amplectenda, quoniam veritas quadrat ad omnia vera edocta, utut vanitatem arguat, & veritati fides ſuffragatur. Vt quid ludimus in metaphoris affingendo partem ſuperiorem & inferiorem, ſibi acerrime oppoſitas in una ſimpliciſſima animæ ſubſtantia, dum ratio & ſacer textus ſuadent & oſtendunt, propriiſſime nos loqui, ſtatuendo diſtinctionem, & dualitatem animarum realem? Sic enim argumentor: Quidquid habet ſenſus, motum, phantaſiam, memoriam, habet etiam animam ſenſitivam: atqui homo habet ſenſus, motum, phantaſiam, memoriam, ergo habet animam ſenſitivam. Maj. ſupponitur ex dicendis Tract. de Brutis contra Carteſianos & Democriticos: nec video, ſi negetur, quomodo probari poſſit, vel homines pollere ſenſu: quin & rationem brutis eſſe aliquam demonſtrabimus. Sic & de anima immortali parallelum fit argumentum: Quidquid eſt ſpiritus immortalis, intelligens, cognoſcens verum, bonum, Deum, & res cœleſtes in contemplatione, id non eſt elementalis natura, nec elementis ſubjecta, non ſenſum faciens, eoque nec ideas per ſenſus illatas recipiens, nec per eaſdem immediate operans, &c. Aſt talis ſpiritus eſt mens humana ſive imago Dei, ergo non eſt elementalis natura.

Mens ergo facit in homine id, quod proprium eſt ei, & hoc ipſum quoque facere poteſt ob liberum ejus arbitrium, quod indicat lapſus Angelorum, eo quod mens humana Angelicæ naturæ ſimilis eſt participative. Hinc ſi fortificatur, regit ſenſitivam, quo ſimul hæc per ideas diſcat cognoſcere bonum verum, & eatenus redigit eam ſub obſequium, & cuncta propter nexum ſive vinculum, quo Deus colligavit eaſdem. Nam etſi ſpiritus boni & mali poſſint penetrare corpus humanum, quod in obſeſſis patet, id tamen non poſſunt regere quando volunt, aut tanquam organum uſurpare, vel ideo, quod nexum non habent cum ſenſitiva, ſicut mens habet. Fatemur quidem, hunc nexum eſſe æque obſcurum, ac utriusque animæ cognitionem; nec deſunt AA. qui cenſent,

nexu

nexu aliquo inter rationalem & sensitivam non esse opus, partim ob destinationem creatoris, qua forma informans fit: partim ob inclinationem specialem erga suum diversorium, quatenus donec in corpore est, quoad operationem suam a phantasia plurimum dependet, sine cujus ope nil scire queat, nil intelligere. Supposita hac dependentia habebit se intellectus passive, quoad operationem vero & intuitionem active. Willis de anima brut. p. 103.

CXXXV. Restat ut afferamus rationum momenta pro tuenda dualitate animarum: & primo quidem notandum, tametsi anima rationalis subinde secum disputat, contra semet argumentatur, donec veritatem inveniat: propter hoc tamen non est duplex anima, sed in objecto est obscuritas & incertitudo: aliquando etiam id accidit ex corporearum partium diversa temperie, quibus alia prosunt & nocent: Sic quia placet linguæ frigida, & nocet stomacho, fit pugna febricitantis, dumque utrique parti satisfacere vult spiritus, secum pugnat. Similiter dum præceptis contrariis patris & matris simul cupimus obedire, fit repugnantia in anima dissidiumque. Est ergo diversitas in objecto & fine & temperie gubernati corporis, diversas apparentias & argumenta in anima cognoscente. Nihilominus tamen ex eo, quod contra corpus & spiritum mens divina appetit, & a corporis gubernatu alienatur, ejusque omittit curam, omnino in extasim rapta: Spiritus vero corporeus (anima sensitiva) econtra divina aversatur & inferiora concupiscit usque ad delirium & insaniam, divinæque vitæ, prorsus repugnat; legi Dei non subjectus &c. ex his concludimus, mentem humanam, & spiritum animalem duas esse substantias, alteram divinam, alteram mortalem, fines oppositos habentes.

CXXXVI. 2. Supponimus ex dictis Tract. XXVII. de Generat. cum Scoto contra S. Thomam, pluralitatem formarum partialium, & quemadmodum in morte animalium non fit resolutio usque ad materiam primam: ita nec in generatione adveniente forma ultimata & perfectionem supremam dante composito perire præcedentes: quidquid putet D. Thomas (forte magis Commentatorem agens Arist. quam ex sensu proprio loquens) rationalem continere in sua virtute, etiam animalitatem, & vitam & corporeitatem: & adveniente vegetativa corporeitatem perdi, & dari a vegetativa vitam & corporeitatem; adveniente sensitiva perdi vegetativam & corporeitatem, & dari sensum, vitam & corporeitatem ab ipsa sensitiva. Tandem adveniente rationali priores aboleri, & dari iterum a rationali, & simul rationalitatem. Sed hæc contraria decretis naturæ sunt, uti recte Albertus M. & alii DD. sentiunt, priores formas non perdi, sed perfici, & in unum coire; sicut addendo lineas & angulos figuris simplicibus, illas non delemus, at in meliores, aut multipliciores mutamus. Frustra enim laborasset natura in formandis necessariis, quæ corrumpantur: corporeitatem autem esse materieitatem, nec formis incorporeis dari posse, ostendemus Tract. XIX. de corpore. Nos quidem unius rei unicam esse formam arbitramur, sed simplicis, ut aquæ, simplicem: compositi, ut animalis, compositam ex partium formis: alia enim est ossis, alia carnis, alia nervi forma simplex. Item manus forma est composita ex istis: sic & pedis & capitis, & cruris, & aliorum membrorum; & has compositas diversas esse quoque. Totius vero animalis formam decompositam esse unam, & significari per nomen *animal* simul cum materia multipliciter formata, & substantialiter habitata. Animas autem (stricte loquendo) non esse formas dicimus, sed incolas corporum, excepta mente a Deo infusa, quæ sola potest diversa temperamenta informare, quoniam ab eis non dependet, ut formæ corporales unius temperamenti affectæ. Hinc formatur hoc argumentum: Ante infusionem animæ rationalis embryo jam habet animam sensitivam: hanc non amittit adveniente rationali, ergo remanet cum ea, consequenter usq; ad mortem hominis duæ sunt animæ in uno corpore. Maj. prob. Quia indecens foret, tam excellentem animam, (qualis est rationalis) cum semine infundi simulque propagari: ut enim taceam tot repurgationes naturales, quantum non depravatur materiæ seminalis in uteris fœminarum debilium, infirmarum, abortientium, molis impraegnatarum &c. quanto plus destruitur in intemperatis, senescentibus, & sterilibus, & alia?

Ideoque divina providentia ejusmodi dehonestationem præcavendo & interitum plane, animarum infusionem sibi ad certum tempus reservavit, in quod non est curiose inquirendum, quia sufficit, mentem inesse vivo homini; sufficit, inferri posse, eam non traduci, & quod traduci potest, non habere mentis naturam. Deus autem, ut nimis curiosorum irritas redderet captiosas quæstiones, eorumque argutias retunderet, revelavit per scripturam, se inspirasse formato homini animam viventem, in argumentum, modum cum infusionis voluisse Deum usurpare, vivificando hominem, ut idem sit tam in primo, quam reliquorum corporibus superanimandis, id est, ut tunc demum infunderetur mens, cum homo (quoad corpus) perfectus est, hoc est, cum fœtus humanus cunctis membris ad corporis humani repræsentationem constat, cum naturalibus potentiis, sensibus & facultatibus instructus est, cum metus destructionis propemodum cessavit, & hoc eo fine, ut vita ejus imposterum non terram solum, sed cœlum potius saperet. Cæterum cum diximus, sensitivam resultare e materia seminali, adeoque mixtionis elementaris participem esse, cujus etiam respectu recte dici potest divisibilis, bene intelligitur, quomodo cum semine decidatur & traducis instar propagetur: & sic diversum plane quid est a mente, quam recipit: quod si quis eam velit vocare animam, hoc ipso duplicitatem animæ statuit in homine: sin vero dualitatem rejicere conatur, & loco sensitivæ spiritum animalem, vel simile quid substituit, non potest fieri, quin animali generi adimat id, quod omnes Philosophi in iis nominarunt animam, præter id, quod sensitivæ traductionem negare debebit, ac semen propagationi aptum dicere inanimatum, tanquam concipiatur animal sine anima.

CXXXVII. 3. Elucet hæc dualitas ex diversitate essentiæ utriusque. Mens enim, cum sit simulachrum Dei veraciter, adeoque lumen, (Deus enim lux est,) non posset incorporari, nisi corpori inesset lumen analogum, cui se una cum suis infundat virtutibus. Supponit ergo mens assymbolum sibi lumen, cui se societ, hoc est, principium sensitivum, cujus ope se simul potest expandere, aut simul concentrare. Analogiam habes in radiali solis lumine, cui hoc proprium, quod

motu imperceptibili locum immedinte occupat, nec se patitur interim a medio violento, sive vento procelloso, sive pulvere, sive aqua rarefacta simul loco moveri: id consimiliter animæ proprium est: nihilominus tamen omne, quod est opacum, cum pro medio usurpatur, potest adeo lumini transitum impedire, ne posticus operetur illustrandn; & tale quid animabus posse accidere docet experientia. Qualiter autem mens regat phantasiam, & dominetur affectibus, vide apud Willisium p.105. de an. brut.; qualiter & sensitiva repugnet menti seducendo eam. Sane in iis, qui ratione destituuntur, nihil potest mens agere, nec unquam sine disciplina affectus eorum cohibitos esse compertum est. Igitur non nisi ea sensitivæ potentia, quæ ratio vocatur, potest esse mentis objectum & instrumentum, in quam suo solum intuitu nutuve agat, sicut & reciproce ab ea illectamenta & ansam ad bonum & malum potest recipere. Is autem effectus & affectus a libero ejus arbitrio promanat, alias a nulla alia re dependet ejus actin aut voluntatis flexio, nisi a se ipsa. Nempe in mente intellectus, voluntas & amor substantialiter unum sunt. In anima vero sensitiva operationes distinguuntur e radice facultatum diversarum, dum intelligimus non desiderata, desideramus quoque quæ nollemus, nec plana noscimus. Vnlumus denique, quæ non desideramus (dum quis tendit ad supplicium) sed nollemus: hinc contingit, desiderium superare voluntatem, ac vicissim vnluntatem cogere desiderium, adeoque esse mutua & pugnantia imperia. Compertum quoque habemus, pravas cogitationes, cumprimis probi hominis, sæpe in momento elidi, quod quandam vim contrariam indicat: hinc est tenendum, quod hic spontaneus actus sit mentis, non sensitivæ: Certe qui sunt experti, norunt dicere, quod sit tam præpotens, ut sensitivam prave somniantem, proprio instinctu, quasi validissima percussione suscitet, prnsternat & vincat. Contrarias autem actiones, nti contraria objecta, ita quoque cnntrarias causas habere, nemo inficias ibit.

CXXXVIII. 4. Natura humana quoed mentem est coosimilis Angelicæ: sed huic nulla est tam caducis brutorum animabus paritas: ergo nec potentiæ, quas vocant superiores (mentales) cum inferioribus, quas homo cum brutis communes habet, sunt conferendæ: nec mortales immortalibus ullatenus identificandæ.

CXXXIX. 5. Scriptura & S. August. dividunt hominem trifariam, in corpus, spiritum & animam: & quando in Symb. S. Athan. dicitur: sicut anima rationalis & caro unus est homo; ntique carnis nomine spiritus sensitivus subintelligitur.

CXL. 6. Cum mores sequantur temperamentum corporis, adeoque effectus sint sensitivæ: intellectus autem persistente eodem temperamento mores invertat, consequens est, præstantem hanc potestatem supponere præsentiam naturæ intra sphæram carnis & sanguinis nulla de causa exortæ.

Et hanc sententiam tenet Thomas Campanella, Guilelmus Ockam, Mayronius, Picus Mirand. Marcus Marci, Len a Stipite &c. quibus tutius subscribendum censeo, cum juxta eam omnium difficillimæ qq. facilius intelligi & resolvi possiot, quam in vulgari. Nunc argumenta cnntrariæ partis dissolvamus.

CXLI. Objic. 1. Repugnat viribus naturæ, duas formas eandem numero materiãm informare. R. 1. Neg. suppositum, nempe animas esse formas stricte loquendo, vide Tract. 26. de Forma. R. 2. dist. formæ sibi contrariæ, totales, non subordinatæ. Transeat. partiales & subordinatæ. N. aliter: in uno composito simplici. Conc. in decomposito, quale est homo, animal &c. Nego.

CXLII. Objic. 2. Dum anima contemplationi intenta est, corpus languet, & nutritio sensatinnesque aliæ impediuntur, ergo ab una anima procedunt omnes. R. Neg. conseq. Neque ex eo, quod actiones diversæ sibi ipsis sint impedimentn, recte colligitur unitas principii, sed tantum communis instrumenti. Itaqoa quod concoctiones in stomacho minus recte fiant ob intensas & assiduas speculatinnes, non hoc fit velut anima deficiente ad plura, sed quia spiritus administri & ad concoctionem necessarii alio avocantur. Vel certe dicendum, non posse divelli illas actiones, quæ utrique animæ sunt communes: nulla autem notitia intellectus esse potest absque phantasia. Quid igitur mirum, languere animam sensitivam & ab actione vegetandi aberrare, dum omnes suas vires colligit ad opitulandum animæ intellectrici?

CXLIII. Objic. 3. Ex doobus per se, non fit unum ens per sa: nec ex duobus in actu, unum in actu; nec ex duobus esse, unum esse. Iam respondimus supra: si enim per illam propositionem intelligas, duo individua non posse habere ejusmodi unitatem. Conc. At vis, duas formas, quarum utraque per se facit compositum cum materia illam actuando, non posse eidem simul in esse; id sane est, de qno controvertitur, petisque principinm, assumendo pro concesso, quod nos negamus. Vnum quidem ex duobus in eodem genere unitatis posse fieri negamus: at vero compositione unum in plures unitates simplices, ex quibus componitur, posse resolvi, necesse.

CXLIV. Objic. 4. In morte Christi Domini anima sensitiva vel mortua est, aut non? Si mortua, ergo mors non solum pertinebat ad separationem animæ Christi a corpore factam, sed etiam ad partem substantiæ, atque ita sanctum vidit corruptionem, & quod semel assumpsit verbum, dimisit: qui sunt errores contra SS. PP. & scripturas: & postea anima quoque sensitiva resurrexisset, quod est inauditum. Si non fuit mortua, tum vel mansit corpori unita in sepulchro, proindeque corpus vivens, non vero mortuum fuit: aut cum anima rationali ad inferos descendit; aut alicubi separata delituit; quæ omnia non parum sunt absurda. R. hoc argumentum nullius esse momenti, siquidem ex eo, quod modum ignoremus, rem ipsam tollit. An igitur ob nostram ignorantiam, magnes aut polum ignorabit, aut a ferro abstinebit? Dico igitur, potuisse animam sensitivam Christi extra corpus servari, & hoc multo facilius, quam formæ materiales Peripateticorum & accidentia absoluta, cum juxta nostra principia spiritus animalis sit substantia tennis, lucida, calida &c. neque absurdum est, si corruptam dicerem, eo nempe modo, quo corrumpi potest, nempe desinere esse in tali subjecto: non tamen desiit esse unita hypostatice: quin imo potuit remanere in corpore, quin illud animaret. Aut dicitn mihi, quo migrant animæ insectorum v. g. muscarum in hyeme, vel superfuso oleo, dum per calorem cinerum aut solis reviviscunt,

ſcunt, an non quaſi concentratæ latitant in corpuſculis?

SECTIO XVI.

De æquivocatione harum vocum, Spiritus & Anima.

CXLV. Defectus vocabulorum, quibus rei cujusque exprimatur eſſentia & Idea; maximam parere ſolet confuſionem: dumque promiſcue utimur eadem voce ad ſignificanda diverſa, altercamur ſæpe de nomine, & hoc modo hæreſes quandoque ſolent palliari. Noſtra dialectus, qua in hac materia utimur, hæc eſt: per τὸ *mens* intelligimus ſubſtantiam ſpiritualem Angelicæ ſimilem, infuſam a Deo embryoni ſeu fœtui humano, quocunque tandem tempore id fiat: cujus officium eſt, ſic regere potentias vitales in homine, ut præceptis divinis obtemperando perveniat homo ad ſcopum ſibi a Deo præfixum, qui eſt vita æterna. Huic ſynonyma eſt *anima rationalis.* Per *ſpiritum* in definitione animæ ſenſitivæ poſitum, intelligimus ſubtiliſſimum & tenuiſſimum corpus, aptum ſe aliaque movere ac moveri, quod alii nominant *impetum faciens*, & per hoc animari bruta docemus; & fœtum humanum ante adventum ſeu infuſionem animæ rationalis. Τὸ *anima* eſt terminus genericus, & communis ſenſitivæ & rationali animabus. Quandoque per *ſpiritum* intelligimus etiam mentem, quando ſumimus prout opponitur *carni* & *ſenſualitati*, ſeu animæ ſenſitivæ, quæ & brutalis dici meretur, cum mere circa caduca verſari ſoleat. *Senſitiva* recte vocatur id, quod ſenſus efficit; *anima* quoque proprie nominatur id, quod corpus animat & vivificat: phyſice quoque vocari poteſt *ſpiritus animatus*, utpote quod ſubtiliſſima fugitiva animalis eſſentia venditur ſub nomine ſpiritus: & deſumitur hæc appellatio a ſimilitudine venti ſtantis ſeu ſpirantis, eo quod habet potentiam proprio motu impellendi ſeu impetum faciendi. Eſt autem hic terminus *anima* æquivocus reſpectu rationalis, & ſenſitivæ, ut patet in hoc ſophiſmate:

Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam. Pſ. 10, 6.
Qui odit animam ſuam, in vitam æternam cuſtodit eam. Ioan. 12, 25.
E. Qui diligit iniquitatem, in vit. æt. cuſt. animam ſuam.

Varia quidem hæc etymologia competit animæ humanæ, ſed adhuc minus quid dicit, quam quod in ſua natura habet, præcipue ſi luminoſum qoid ei conceditur, cum & aliæ potentiæ (ideificatio, diſcretio, proprietas &c.) ſe relative habentes, & ad materias diſpoſitas conteſtentur hanc animam obtinere ſuperadditum nativum donum creationis.

CXLVI. Magis autem quam par eſt, dicit etymon *ſpiritus*, ſi natoram ſpiritus capiat quis in abſtracto, prout antiquitas accepit contra, quam mortalitatis experientia edocuerat. Enimvero ſpirituum abſtractorum notio non niſi e revelatione habetur, quam cum Pagani non obtinuerint, ignota iis ea manſit hactenus. Quod autem in ſolo corpore humano habitet ſpiritus abſtractus, & qualiter is in pulverulentum lacunar coactus ſit, quo præſidendo *ſenſitivam* Deo reddat obſequioſam, id populus Dei electus accepit per traditionem divinam, & ſpiritus hic incorporatus, teſtante Sacra Geneſi, accepit nomen imaginis divinæ ad differentiam Angelorum, qui a quavis corporea ſarcina abſtracti in ſua libertate perſiſtunt. Imago ergo Dei vocatur etiam in ſcriptura *ſpiritus*, quia & Deus ſpiritus eſt: vocatur & apte *mens*, *animus*, qualiter & antiquitas nominavit ipſum Deum juxta illud Caton.

Si Deus eſt animus, nobis ut carmina dicunt:
Hic tibi præcipue pura ſit mente colendus.

Gentilium autem, & modernorum Atheiſtarum error circa animam inde provenit. Cum enim viderent homines vivere, ſentire, memorare, velle, infirmari & mori: brutis autem eadem omnia accidere, ſtatuerunt eorum omnium in genere eſſe ſimilia principia animalia. Cum etiam notarent, hominem rationis compotem, præ cunctis aliis animantibus non ſine cauſa ponderoſiſſimam cerebri molem in parte ſuperna geſtare, concluſerunt, id ita commode factum eſſe ad rationis ſedem determinandam, qua ſine ſi eſſet, ratio non eſſet; idcirco etiam acuti alias Philoſophi cunctas eas potentias animales ſpeciei ineſſe a propagationis exordio cenſuerunt; eoque immortalitatem negarunt. Confuſi autem ſunt a ratione, qua ejus limites ultra quam par erat, extenderunt, eoque nobilitatem morum, ſummi boni perveſtigationem, corporis caſtigationem, voluntatis reſignationem, fidem & charitatem &c. (quarum omnium excellentiam alias enti ſuperelementali adſcribimus) vel ideo ſolum, quod ignorarunt, rationi adſcripſerunt ſine ratione, cum tamen ex oppoſito viderint rationem his omnibus repugnare, eoque diverſum quid indicare.

CXLVII. Hujusmodi rationis infirmitati ſuccurrit divina revelatio, quæ dicit, quod eſt ex carne, caro eſt, & Paulus ipſe nominat diſtincte *ſpiritum*, quem carni & ſanguini opponit. Quod autem omnium maximum eſt, ab ipſo creationis generis humani exordio detegitur hoc fundamentum, quatenus dicit ſcriptura, hominem factum eſſe ad ſimilitudinem Dei.

Invenimus autem, totum hominem vivum cum ſenſibus & ratione non exprimere imaginem Dei, quia Deus non eſt corpus, non moritur &c. Idcirco ea ipſa imago Dei longe diverſum quid dicit, & quidem tantum id, qood eſt *ſpiritus*, ſicut Deus ſpiritus eſt, cujus eſt intellectus, voluntas & deſiderium, unius *mentis* trina poteſtas, qua ſola ſimulachrum Dei exprimitur, ob cujus excellentiam totus homo vocatur imago Dei: ſicut ſine reſpectu ejus dixit Deus: Non permanebit ſpiritus meus cum homine, quia caro eſt. Gen. 6, 3. Hæc ipſa Dei imago credit, hæc ipſa vult bonum, hæc ipſa amat Deum, hæc ipſa ſpernit vitam, præfert voluptati paſſionem, hæc ipſa rationi ſuccurrit illuminando eam, frangit carnis deſiderium, corpus præcepto obſequioſum reddit, hæc ipſa ſola eſt immortalis, ſola meretur vocari *anima vivens*, ſicut altera, ad diſtinctionem, *anima moriens*.

Ideo perquam diſtincte dicit S. Paulus, hominem conſtitui, corpore, anima & ſpiritu, natura ſc. mentali, & anima ſenſitiva, cujus ratione corpus vocatur animale, homo item, qui ſolum rationalem ſe exhibet, vocatur etiam *animalis*: contra ſpiritualis homo vocatur *divinus*.

Ita quoque Paulus animalem hominem vocat carnalem, quemadmodum & alias caro in ſcriptura vocatur fœnum, quoniam & proprie loquendo e ſuccis herbarum fiunt ſucci animalium, ex his caro & ſpiritus tenuis, ſive aporrhæa animalis.

CXLVIII.

CXLVIII. Hoc ipſum revelat hominis creatio, ſi recte expendatur, quod Deus e terra (adamah) finxerit hominem, qui niſi fuit verus homo vivus, non potuit vocari homo, qualem fingit figulus ex luto, ſed erat revera talis, qualis dicebatur: nam ſi ex rubra terra Deus formavit carnem rubentem, & oſſa & omnia, quis audeat dicere fuiſſe exſanguem, cum ſanguinem propriiſſime; ruborem obtinere dicendum eſt a rufa paradiſi gleba: ſed e ſanguinea materia generatur caro & anima, & ipſa ſcriptura dicit, animam eſſe in ſanguine, quod eſt ſic intelligendum, e ſanguine reſultare, quod alibi dicit ſcriptura ipſum ſanguinem eſſe animam: aſt ſi aliter intelligi deberet, quomodo ſalvaretur opinio, quod anima ſit tota in toto, cum ſanguis non ſit totum, nec totus in toto? Verum tamen de ſic formato homine dicit verbum Dei, quod Deus inſpiraverit homini *animam viventem*, & factus eſt homo in animam viventem. Gen. 2, 7. Non dicit ſcriptura *in hominem vivum*, quem nominaverat ante hominem, ſed *animam viventem*, hoc ipſo oſtenditur antecedenter formatum initium humanum fuiſſe tantum vivum, non item vivens, quia moriens; moriens autem uti Deus non poterat inſufflare, quia non creavit mortem, ita quoque non poterat adeo emphatico etymo vocare *vivens*. Hinc non ſolum luculentum deſumitur teſtimonium, quod antecedenter de ſingulari natura mentali diximus, ſed etiam una revelatur, quod Deus facto homini indiderit talentum ſive theſaurum quendam cœleſtem magni nominis, hactenus vitæ ejosdem ſuperaddendo ſpiritum perfectiorem, animam ſc. viventem, id eſt perenniter: hoc ipſum ſufficit tollendis omnibus quæſtionibus & argumentis Paganorum, eosque ſequentium ſtupidorum atheorum.

APPENDIX.

Differentia ulterior Animæ humanæ ac Brutorum.

CXLIX. Tametſi etiam brutis ratiocinium aliquod concedamus, & intellectionem univerſalis, nequaquam propterea homini conferenda ſunt. Hæc enim non habent eſſentialiter, ſed ex participio, quatenus ſpiritus eorum corporeus participat primalitates, & non eſt ipſæ primalitates incorporeæ, puræque: nec ergo purum ratiocinium, puramque ex ſe habent intellectionem. Ratiocinantur enim, prout ab objectis & paſſionibus ſenſus imaginationisque feruntur ex una notitia in alteram: non tamen eliciunt ratiocinium ſponte libereque, ſicut homo, qui mentis vi innumerabilia excogitat, etiam cum ab objectis non movetur.

Præterea ex humanis, ex naturalibus ad divinorum cognitionem diſcurrit, & cultum benefactoris & creatoris ſui exinde cognoſcit. Proptereaque Theologi doctiſſimi, divinorum ſapientia, & religione erga Deum, & arbitrii libertate diſtinguunt hominem a brutis: diviniorem que animam ſupra ſentientem in eo agnoſcunt. Vnde argumentum Ariſt. Quod ſi anima humana habet propriam operationem, in qua non communicat cum corpore, & altiorem ſenſitiva, contingit ipſam ſeparari tanquam alterum genus animæ: non eſt vanum. Sed in minori propoſitione errant, dum optimam, quæ eſt intelligere, dicunt eſſe phantaſiam, vel non ſine phantaſia. Nam & datur ſine phantaſia, etiam in multis ſe notitia innata cognoſcentibus: & cum phantaſia poteſt eſſe, & non incipiendo a phantaſia, ut notitia divinorum: vel ſi ex phantaſia, tamen ultra quod poteſt dare ſenſitiva phantaſia in infinitum extenſio. Sic etiam intellectio brutorum non eſt ſimilis humanæ, de qua theologi loquuntur, ſed ſimilis Ariſtotelicæ, qui cognitionem univerſalis cauſati ab ideatis, quæ etiam brutis maxime ineſt, tanquam optimum donum hominibus præbet. Humanæ enim eſt univerſalis ideæ inſuper cauſantis ideata, ipſarumque idearum divinarum, ad quas bruta non eriguntur.

CL. Præterea neque intus colligunt rerum naturas, ſicut homo, ſed extrinſecus, quæ ſenſibus hauriunt, modica perceptione concipiunt. Eadem ſapientia Dei fecit nos, & illa, & quidquid nobis ineſt, ineſt & illis de virtute cognoſcitiva umbratili, & per participationem. Neque enim diſſimilia totaliter ſibi fecit Deus entia.

Addit in nobis mentem immortalem, cui nomen *rationis* & *intellectus* tribuerunt Doctores; ex notis ignota nominantur. Ambroſius tamen contendit in Lib. de dignit. hominis, non, intellectum, & rationem, & animam; ſed *mentem* appellari oportere. Sic Iuſtinus, & alii. Nec propterea dicemus beſtias rationales, neque intellectivas, licet ſimiles ſint ex parte nobis in his, qooniam vocabula reſpiciunt id, ad quod ſunt impoſita, non unde ſunt impoſita, & ad quod eſſentialiter & perfectiſſime eſt tale, non quod ex participio imperfecteque. Quamvis tota rerum phyſicarum natura prædita ſit corporeitate & qualitatibus activis & paſſivis: attamen genera & ſpecies earum gradibus idealibus diſtinguuntur; & una eſt in aliis omnibus aliquo modo. Sic quamvis omnia entia, ut entia, eſſentientur primalitatibus: tamen gradibus ſpecialibus diſtinguuntur, & unum eſt in altero quovis, ſed non illorum gradu eſſentiali. Exemplum accipe de ſapientia, quæ eſt naturalis in elementis & lapidibus exiliter, lapis autem in metallis eminentius; metallum in lapide vilius, in planta eminentius, vegetant enim ſicut planta quaſi participio; planta vero per eſſentiam. Planta participat ſenſitivum gradum: animal per ſe habet illum. Senſitivum eſt rationale participio, homo vero per eſſentiam. Eſt homo intellectualis participio; Angelus eſſentialiter, qui participio eſt Deus & ſapiens divina. Deus per eſſentiam & eminenter omnia, id eſt unitius, univerſalius & plenius. Ideo confunduntur nomina eſſentialia, ut ex Dionyſ. & D. Thoma, Deus quoqoe propter hoc vocatur *Spiritus*, ſimiliter Angelus & anima: ſed ventus prius dictus eſt ſpiritus, ut ex quo. Similiter Salomon vocat *ſenſum* ipſam animam a Deo infuſam. Sap. 9. 15. *Terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem.* & Iob. 38, 36. *Quis dedit gallo intelligentiam?* quam David negat equo & mulo. & D. Thomas cogitativam vocat intellectum rationemque 2. 2. & prudentiam tribuit brutis.

CLI. At differentiam inter nos & illa Ariſt. non novit: operationes enim, quas immortali tribuit animæ, brutis conveniunt magis, quibus qui eas negant, ut hominis immortalitatem tueantur, veritatem ſuſpectam reddunt, & theologiam convellunt, ait Campanella, quæ non ex univerſalis peripatetici notitia, ſed ex divinorum ſapore hominem a brutis diſtinguit, quemadmodum apud Lactantium Lib. 3. & D. Bernard.

Lib.

Lib. de considerat. Iustinum, Basil. Ambros. manifestum est. Aristot. aotem hunc saporem Dei oegat in anima: oegatque inter Deum & hominem amicitiam, idcirco nil concludit. Brutis ergo spontaneitatem, non libertatem, rationem & iotellectum sensualem, non mentalem, qui nec nomen intellectus, sed æstimativæ tantum mereatur, nos agnoscimus, uti & Philosophus Christianus distinguit.

CLII. Ostendimus quoqoe contra atheos, quod hominis operationes animasticæ etiam circa corpora, non excedunt solum brutales, secundum magis & minus, propter melioritatem temperiei, & organorum, sed sicut rerum superioris ordinis longe præcellentis omnia bruta, & corporea entis, sui vigore & excellentia, non corporearum dotium causa. Habet etiam operationem mens, qua oon communicat cum corpore & organo, sicut sensus: nec ut objecto, ut intellectus, quem oportet phantasmata speculari: unde ipse fatetur, quod est phantasia, vel non sine phantasis, id est, motione spiritus animalis; ut cum sapit divina, & cum ad infinitum tempore & loco extenditur. Verbo, omnes operationes spiritus sunt in homine perfectiores, non ex temperie & organis melioribus, sed a mente perficiente spiritum & operationem, cum simul operantur. Quousque autem dominium mentis se extendat super operationes sensitivæ (nam despoticum non habet) dicemus alibi Tract. XXX. de Homine. vide quoque Tract. XIV. de Brutis.

Restat propter connexionem subjungere dissertationem de anima aot spiritu mundi: item de archæo, cum de utrisque passim multa circumferantur, non sine discrepaotia opinionum, & æquivocatione vocabulorum, ut alibi. Num anima sit in semine, vide Tract. XLII.

TRACTATVS IX
DE
ANIMA MVNDI, ET ARCHAEO.

I. MArsilius Ficinus, Floreotious Philosophus & Medicus natus an. 1433. 19. Octobris, mortuos 1499. Lib. de vita cœlitus comparanda cap. 1. Anima muodi, inquit, ubique vigens, per solem præcipue suam passim explicat communis vitæ virtutem. Vnde quidam animam, & in nobis, & in mundo, in quolibet membro totam, potissimum in corde collocant, atque sole. Semper enim memeotò, sicut animæ nostræ virtus per spiritum adhibetor membris, sic virtutem animæ mundi per *quintam essentiam*, quæ ubique viget, tanquam spiritus intra corpus mundanum, sub anima mondi dilatari per omoia, maxime vero illis virtutem hanc infundi, quæ ejusmodi spiritus plurimum hauserunt. Potest autem quinta hoc essentia a oobis intus magis magisque assumi, si quis sciverit eam aliis elementis immixtum plurimum segregare, vel saltem his rebus frequenter uti, quæ hac abundant, puriore præsertim, ceu electum vinum, & saccharum, & balsamum atque aurum, &c. similiora enim tibi magis procol dubio conferunt. Vbi de delectu ciborum curiosa tradit. Idem autor ibid. ait, neque in muodo vivente toto quidquam reperitur, cui ooo adsit anima, cui non insit & animæ munus. Et io apologia, esto, inquit, ne nominemus in mundo, quando non placet, animam. Nomen sit anima profanum: licebitne saltem, vitam qualemcunque dicere? quam Deus ipse mundi faber huic operi suo tam feliciter absoluto clementer inspiret: quandoqoidem erga vilissima quæque viventia non est avarus; & quotidie per cœlum quam plurimis, quæ sunt io eo, largissime præstat vitam. Dic, amabo, nonne vides boves & asinos, o bos, o asine, qui tacto quodam viventia ex se generant, esse vivos? Si ergo hæc præterea ex se viva quædam aspectu etiam generarent; an non multo magis hæc vivere judicares? si quo modo ipse jodiciom, si quam vitam habes. Cœlum, terræ maritus, non tangit, ut commuois est opinio, terra cum uxore oon coit; sed solis syderum suorum quasi oculorum radiis uodique lustrat uxorem, lustrando fœcundat procreatque viveotia: num ergo vitam vel intuendo largiens, ipsum io se propriam nullam habet vitam? Hactenus Ficinus. Videamus nunc, quid alii sentiant de Quinta illa essentia & spirito mondi.

SECTIO I.
Animam mundi consistere in rationibus seminalibus.

II. Ioan. Bapt. Ptolomæus S. I. insignis Philosophus in sua Phil. mentis & sensuum & Professor io Collegio Romano, edit. an. 1698. tenet, rationes seminales esse illam entitatem, quæ a Peripateticis dicitur Quinta essentia. Pro cujus intelligentia.

III. Sopponit, 1. Laudatam ab omnibus illam divini Platonis definitiooem vocantis naturam esse artem Dei in materia, & alibi sic loquentis: concludo itaque, illa, quæ oatura gigni dicuntur, arte divina fieri. Plato autem 5. statuit uoiversi principia; 1. Deum. 2. Mentem. 3. Animam mundi. 4. Naturam. 5. Materiam. Est itaque, secundum Platonem, idem, ars Dei in materia, ac principium activum, seo energia & fœcunditas causarum secundarum. Præterea, quod natura sit quid pertinens ad superiorem gradum ipso corpore & materia, & forma substaotiali, ex qua corpora constant; nomine enim materiæ absolote corpora substaotialia intelligi volunt Platonici; adeoque corpora secundum se & gradum suum, hoc est, sine natura arteque divina si considerentur, esse quid emortuum & sterile, nec principium activum in illis magis deprehendi, quam io materia fabrili, ut ligoo, principium activum intrinsecum ad formam statuæ.

IV. Suppooit 2. Artem dupliciter intelligi posse, activam & passivam. Activa est illa, quæ in mente artificis, Passiva, quæ in opere cernitur. Illa archetypa; hæc ectypa dicitur, estque symmetria & proportio respleodens io artefacto, quæ in humaois artefactis eorum forma dici solet. Itaque *ars Dei* est Deus ipse, seu Platonice *mens*, hinc a S. Augustino dicitur, verbum divinum *esse rationem plenam rationum viventium* Lib. II. de Trinit. Hinc in SS. literis Sap. 7. Sapientia Dei *omnium artifex* appellatur. Huc referre debent sublimia vererum sapieotum effata, vid. *Mundum esse vas plenum Deo.* Ita Trismegistus in Pymandro, *omnia esse*

ſe plenâ Deo. Ita Empedocles in lib. de mundo: *Deum animam eſſe per naturam rerum omnem intentum, & commeantem, ex quo omnia, quæ naſcuntur, animalia vitam capiunt.* Ita Pythagoras Deum definiens. Similia babet Plato, paſſim quippe in rebus divinis Pythagoræus (præſertim 10. de Rep.) *artem archetypam Dei,* ait, *rebus omnibus præſentiſſime & penetrantiſſime ineſſe, perque totum cœlum terramque protendi.* Hinc optime cecinit ille:

Cum quid turpe facis, quod me ſpectante rubetes,
Cur ſpectante Deo, non magis ipſe rubes?

V. Ars ectypa Dei eſt ipſa mirabilis partium univerſi diſpoſitio & conſenſio, qua res omnes ordinatiſſime aptatæ ſunt ad agendum & patiendum juxta numerum, pondera & menſuras, tum peculiariter debitas rebus quibusque, tum generatim toti univerſitati. Hæc ipſa eſt natura, quam ſcholaſtici barbare appellant *naturam naturatam*, ad diſtinctionem artis archetypæ Dei, quam naturam naturantem vocitant. Hanc diſtinguit nobiliſſimus Anglus D. Boyle in univerſalem & particularem. Vniverſalis natura, inquit, eſt aggregatum quodpiam e corporibus mundi formam conſtituentibus, conſideratum ut principium, cujus vi agunt patiunturque, conformiter legibus motus ab autore naturæ præceptis & præſcriptis. Cujus deſcriptionis ſenſus eſt: Natura in genere eſt effectus quidam materiæ univerſalis, aut ſubſtantiæ corporeæ univerſi ſpectatæ ut in præſentem mundi ſtructuram & conſtitutionem efformatæ, qua omnia, ex quibus conſtat, corpora apta fiant, quæ agant in ſe mutuo, patianturque a ſe invicem juxta ſtatas motus leges. Natura particularis eſt conventio quædam mechanicarum affectionum, puta molis, figuræ, ordinis, ſitus, texturæ, motus localis. Mechanicarum, inquam, affectionum partium, ſive ſenſibilium, quibus particulare, quod conſtant, corpus, in particulari ſpecie aut denominatione conſtituatur, quatenus harum omnium affectionum concurſus conſideratur ut principium motus & quietis, mutationumque eo in corpore.

Brevius, generalem naturam dicit mechaniſmum coſmicum, hoc eſt, complexionem omnium mechanicarum affectionum, figuræ, molis, motus, &c. ad materiam magni mundi ſyſtematis pertinentium. Naturam vero hujus aut illius particularis corporis, vocat privatum, particularem, aut ſi mavis, individuum corporis mechaniſmum, aut brevitatis gratia, corporis mechaniſmum, hoc eſt, eſſentialem modificationem, ſi ita loqui liceat, quo nomine complexionem omnium mechanicarum affectionum, in particulari, inquam, corpore, collectarum intelligit. Particulari, inquam, corpore conſiderato ut determinate locato in mundi inſtar noſtri conſtituto. Sed de naturæ nomine & ſignificatione vide plura In Tract.

VI. Quod hic quærimus, eſt, unde poſſit explicari ars ectypa Dei? Quid objectivum & reale reſpondeat his vocibus? Forte dices modalitatem aliquam mirabilem, uti Boyle, ut quælibet alia proportio, & ordo: bene eſt; ſed de termino ipſo modali ſollicitus ſum, quo vid. poſito & connotato reſultat illa modalitas. Nam Hujusmodi ſymmetria & ars ectypa non tota conſiſtit in ordine illo externo rerum, omnibus rerum naturam conſiderantibus otcumq; pervio, ſed præcipuæ illius partes, & philoſophicis oculis duntaxat aſpectabiles ſunt, ad illamque pertinent, *vis energica cauſarum, appetitus innatus rerum ad fines ſuos peculiares, inſtinctus viventium irrationalium, principium activum relucens in materia prima naturali,* ut contradiſtincta a materia artificiali, etiamſi materia ſit pura potentia: *illa, quæ dicuntur qualitates occultæ*, ſeu effectus quidam mirabiles ſolitis refundi, a nolentibus tacere, in qualitates quasdam occultas: *vinculum & compago univerſi*, & ejus partium omnium inter ſe; unde illa decantata fuga vacui in natura, & ſimilia: in quibus exponendis duo caveri debent, unum, ne mera verba dentur audientibus, obſcuriori plerumque reſponſione, quam fuerit ipſa quæſtio: alterum eſt, ne quorundam Arabum opinionem adoptemus, qui, ut Averroem impugnarent, negarunt omnes cauſas ſecundas, hoc eſt, omnem virtutem producendi quidquam rebus omnibus creatis denegarunt, ſed Deum ſolum omnia in omnibus operari, quæque dicuntur cauſæ creatæ, meras eſſe conditiones, quibus præſentibus Deus ſolus agat, quidquid agitur. Enimvero ita ſentire, non eſt nodum ſolvere, ſed abrumpere.

VII. Quæritur ergo, quid ſit, Id ratione cujus relucet ars ectypa Dei in materia? quid natura naturata? quid ſint numeri, pondera & menſuræ in qualibet re? eſſe aliquid diſtinctum a rebus corporeis ſenſibilibus, prout a nobis ſenſibiliter cognoſcuntur, & a materia, & forma peripatetica, auſim dicere (verba ſunt Ioan. Bapt. Ptolomæi) ſenſerunt omnes totius antiquitatis Philoſophi, & plurimi ex SS. Patribus, qui iſta expenderunt, & plerique ex modernis Phyſiologis, qui non ſolas ſcholaſticas diſputationes in Philoſophia, ſed veritatem ſequuntur: hoc ipſum quodcunque ſit, ſub diverſis & ſymbolicis nominibus ſtatuitur & ponitur, ut ex ſequentibus patebit.

Inprimis ponitur, hanc virtutem eſſe quandam entitatem diſtinctam a Deo, a Deo immediate procedentem, diffuſam per omnia corporea per modum flatus ſubtiliſſimi & vivaciſſimi, quo tanquam inſtrumento univerſali utitur Deus ad omnia naturæ opera adminiſtranda, juxta diſpoſitas & ſtatutas providentiæ leges. Hujus entitatis exiſtentia in rerum natura colligitur 1. Ex SS. paginis: ex Pſ. 103. Emittes ſpiritum tuum & creabuntur. Ex cap. 16. Iudith, ſapientia Dei, quæ relucet in operibus Dei, vocatur: *vapor virtutis Dei, & emanatio quædam claritatis omnipotentiæ Dei ſincera*, Ex Gen. 1. *Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas*, ſuper quibus verbis D. Auguſtinus ait: *igneum vigorem illis injiciens*. & D. Baſilius ibid. ſpiritus Dei fovebat, & vivificabat naturam, vitalem virtutem his, quæ foventur, injiciens. Item D. Auguſt. L. 1. de Gen. ad lit. *Deum operari omnia extrinſecus æternis atque incommutabilibus rationibus coæterni verbi ſui, & quodam quaſi flatu pariter coæterni Spiritus ſancti.* Quæ dicta omnia, niſi miſerabiliter detorqueantur, deſignant vaporem virtutis Dei, & emanationem ſinceram claritatis omnipotentiæ, & igneum vigorem, & vitalem virtutem & quaſi flatum a ſpiritu & ſapientia, tanquam arte Dei archetypa, rebus corporeis injectum, eſſe veram & propriam entitatem. Audi Eugubinum in coſmopeja, qui ex SS. PP. ſic explicat dictum illud Gen. 1. *Ille ſpiritus vel eſt tertia perſona Trinitatis, vel quædam virtus quaſi flatus ſubtiliſſimus effuſus præter lucem & calorem inſenſibilis, ſed efficaciſſimum robur præbens, & ſecretam rerum cuſtodiam.*

VIII. Animæ mundi apud Platonem, ſi metaphoris & para-

bolis denudetur, nil aliud est, quam hujusmodi entitas: inde animam illam in libris de legibus appellat *κίνησιν* seu *motionem*; & alibi, *numerum se moventem, ἀριθμὸν αὐτοκίνητον*, nempe motio illa, quæ per modum flatus subtilissimi & vigoris ignei exponitur. Hæc autem motio non ineleganter, licet metaphorice a Platone dicebatur anima mundi, qui ab anima naturam naturatam procedere dicebat, hoc est, artem Dei ectypam in materia ratione talis motionis, & vivacissimæ entitatis a Deo jugiter emanantis existere. Cæterum nullo pacto dicenda anima rigorose & proprii nominis (subdit autor hic) ne incidamus in eorum errorem, dicentium quod mundus ex hac anima constitutus sit quoddam perfectum animal: Equidem non video, cur spiritus vivificans naturam, & vitalem virtutem injiciens, juxta S. Basil. supra adductum, non possit dici proprie anima.

IX. 3. Arist. & Peripatetici puriores eandem ipsam entitatem intellexerunt sub nomine *Quintaessentiæ*, seu elementum astrorum, quod cum omnibus rebus sublunaribus commiscetur. Arist. L. 2. de gen. anim c. 3. *Omnis anima sive virtus, sive potestas corpus aliud participare videtur: idque magis divinum, quam quæ elementa appellantur. Inest enim in semine omnium, quod facit ut fœcunda sint semina, videlicet quod calor vocatur: idque non ignis, non talis aliqua facultas est: sed spiritus, qui in semine, spumosoque corpore continetur: & natura, quæ in eo spiritu est, proportione respondet elemento stellarum.* Sic Fernelius Lib. 1. de abditis rerum causis, diligentissime expressit, ait enim: „Iuvat sen„tentiam Aristotelis epilogo concludere: una cœli vis, „& facultas omnium caducarum rerum vites præ se „fert: has autem vector mundi spiritus (nota hunc ter„minum) e cœlo in totum universum diffusus rebus o„mnibus impertit, simul & speciem, & nativum vita„lemque vigorem gignendis illis, atque conservandis accommodatum, &c. Cicero 2. de nat. Deor. sub nomine naturæ hanc ipsam vim exponens, ait? *Est vis quædam ciens motus in corporibus necessarios, cujus ordo indicat, quid cujusque rei causa efficiat, & quid quamque causam sequatur.* Ex scholasticis Peripateticis id ipsum senserunt Franciscus Piccolomineus & Zabarella, & præter D. Thomam infra adducendum Alexander de Hales, qui 2. parte q. 1. ait: „sententiam suam esse, „quod in elementis mundi insita sit a conditore natura „quædam (hoc est entitas) reipsa differens ab elemen„tari, simplex & incorporea (hoc est, non corpus e„lementale, juxta phrasin illorum temporum) ut possit „esse principium substantiæ simplicis, &c. hoc est, pos„sit esse virtus effectiva, quoad effectus proportiona„tos.

X. 4. Idipsum comprobatur ex quæstione apud veteres Philosophos & Peripateticos celeberrima de rationibus seminalibus: agitur enim, quid sub hoc nomine a SS. PP. etiam usurpato intelligatur: & quæstio hujusmodi a Peripateticis jungi solebat cum illa, *quid sit, formas educi ex materia prima peripatetica?* Ad quam quæstionem non recte intellectis illis rationibus, nil præter mera verba dari potest, ut patebit ex Tract. XXVI. de Formarum origine. Putat igitur autor, rationes illas seminales nihil aliud esse, quam ipsissimam virtutem, motionem & entitatem prædictam, quam Peripatetici vocant quintam essentiam, quod conatur evincere seqq. argum.

Probatur. 1. Entitas illa, quæ spiritus & igneus vigor est, jugiter a Deo manans & per omnia diffusus, sufficientissime & probabilissime præstat in natura, quod rationes seminales præstare dicuntur; & quemadmodum, prout est in causa secunda efficiente, constituit ejus energiam & efficaciam: ita congruentissime, ut est in materia & subjecto effectus producendi, constituit rationem seminalem & vim formatricem, quæ præsupponi debet in materia ad generationem, juxta S. August. ergo, &c.

XI. De hac entitate seu quinta essentia scribit Mars. Ficinus in Lib. 8. Plotini, juxta Phœnicum theologiam, *diffusa est per universum, & omnibus insita substantia quadam translucida & diaphana ex lumine temperata, quæ sit actus purus pura intelligentia quodammodo extra procedens.* Teste Gassendo tom. 1. phys. L. 1. c. 5. vix ullus Philosophorum dissentit, terram, solem, lunam, ac cæteras substantias solidiores & compactiores cohærere substantia quadam tenui sive aerea, sive ætherea intercedente, seu vi quadam subtili ea corpora permeante & quasi colligante.

Philosophi autem Hermetici seu Chymici hujusmodi virtutem ultro admittunt, eamque symbolice more suo vocant *naturam radicalem, quintam essentiam, balsamum naturæ, mummiam, vitale sulphur, archæum centralem, omnium naturalium actionum fontem, & propaginem, fœcunditatum & transplantationum originem.*

XII. Cartesius ipse per subtilem substantiam, sive ex primo, sive ex secundo suo elemento constitutam, quæque opifex est omnium motuum & generationum, perque omnia diffusa, illud idem nomine commutato intelligit, quod Plato & supradicti DD., & fatentur utriusque Philosophiæ, veteris & novæ viri consultissimi.

XIII. Quibus sic stantibus, ab auctoritate probatissimum videtur, hujusmodi virtutem rerum naturæ inesse, eamque accommodatissime significari vocabulo *spiritus mundani seu universalis*, deducta analogia a spiritibus corporis animati, qui ab Arist. Lib. de spiritu c. 2. & a medicis eruditis appellantur: *inorganicum animæ instrumentum* ad omnes omnino functiones in corpore peragendas, quique subtilissimi a corde, vel a cerebro per totum corpus diffunduntur. Neque altercabimur, quo debeat compellari nomine, sive spiritum, sive animam mundi, sive archæum, vel substantiam æthercam, vel quintam essentiam dixeris, modo rem teneamus.

XIV. Quæres 1. An ista quinta essentia sit substantia, vel non? (idem est de rationibus seminalibus.) 2. an sit corpus, & consequenter impenetrabile? 3. quomodo facere possit unum per se cum individuo cui inest? Resp. ad 1. esse substantiam: ad 2. esse corpus simplex, unde ab Alex. de Hales dicitur incorporea, hoc est, incomposita & simplex natura. Quod autem dicit Ptolomæus, & comparat illum cum spiritu animali, de quo præced. Tract. quod insinuet se per poros, difficulter credo, quam parum luci opus sunt pori, ut pervadat vitrum, quod sane undique porosum sit oporteret, & quid contineretur in corporum poris, quod æther expellere deberet, ut intret citra penetrationem? ad 3. facere unum per se cum quolibet corpore, vid. quod utraque pars simul juncta possit effectum, quem neutra seorsum, nec inadæquate poterat. Et hoc nil absurdi aut novi est in decompositis, nec in hoc scanda-

lum ullum est, nisi apud assuetos præposteræ explicari unius per se.

SECTIO II.

Exponitur alia sententia de Anima Mundi.

XV. Thomas Campanella ex familia S. Dominici, vir non minus pius ac doctus, profundissime in suis Metaphys. libris, qui est operum ejus tomus IV. editus Parisiis an. 1638. de anima seu spiritu mundi sic sentit: (Lib. 9. cap. 6. art. 5.)

Non modo Angelos, & dæmones esse arbitror, & scio, sed etiam mundi animam longe nobiliorem, ut placet Platoni, & D. Basilio in Hexaemer. & D. August. in lib. imperfecto super Genes. & S. Nysseno, aliisque Patribus: ipsamque ponere non modo auctoritas & inspirationes suadent: possunt enim illæ negari, & hæ Angelis adscribi. Nec ratio illa, quam posuimus (in libro) de sensu rerum, ex vi consiliativa: sicut enim, quidquid intra fabricatus est spiritus, duce Deo, & quidquid intus operatur, foris quoque operari & fabricari videtur. Vnde civitatem similem corpori fecit; capiti similem arcem; ollas ventriculo; horrea jecori, folles pulmoni, fornacem cordi, equitatum pedibus, arma unguibus, fenestras oculis & auribus, & quidquid operatur intus, extra operatur: succedentibus enim lætis ad plateas imus, vestibus ornamur & splendemus; sicut spiritus in oculos confluit ubi lucidissimus splendet: succedentibus vero infortuniis consortium aversamur, homines fugimus, ad penetralia nos abdentes, & luctuosis pannis vestimur, & opera vitæ non exercemus; sicuti spiritus fugit ab oculis in mœrore, & eos obscuros relinquit: abdit se in penetralibus, vestit se fuliginibus, quoniam eas non expellit, & dimittit nutritiones, & sequestrationes; unde suboriuntur infirmitates, & saltem ephimeræ febres, cum voluerit novo fervore damna reparare: & in omnibus operamur extra, sicut intra. Vnde optima est divinatio morum, & naturæ ab actibus consuetis. Ergo quoniam in rebus dubiis accedimus ad consiliarios vel viventes vel mortuos, qui in codicibus loquuntur, excogitavimus, quod animus in interioribus dubiis aliquando recurrat ad consilium divini numinis, quod putavimus esse animam mundi, & non Deum ipsum: siquidem Deum rogamus in exterioribus negotiis justis sanctisque, sic & in interioribus: in cæteris vero consulimus sapientes in exterioribus, ergo & in interna contemplatione aliquod numen sapientia præditum consulimus: quod credidi esse mundi animam. Sed ex quo vidi Angelos & Dæmones existere, & cum hominibus commercia inire: ejusmodi argumenti vis in me labascit, quoniam potest hic recursus ad Angelos fieri, præsertim custodes, a quibus bonas suggestiones & consilia reportamus: & quando iniqua & inania petimus, a dæmonibus ludificamur, ut Socrates & Brutus testantur: & hoc negare non solent, nisi insueti inexpertique perscrutari divina, & sensuum exteriorum curis valde dediti, abditam notitiam nescientes, ut belluini homines.

XVI. At nunc duæ me rationes cogunt mundo animam dare divinissimam. Prima est principatus Angelorum & dæmonum. Debet enim præfici cunctis spiritus unus sui ordinis, qui immediate percipiat a Deo facienda, & jubeat, & rebus consulat cunctis: non enim reducuntur ad unum Deum, nisi per unum. Hæc autem anima, non huic modo corruptibilium sphæræ præsidet, sed cunctis, quoniam totius mundi est anima. Cœlos autem ab Angelis non moveri, sed a proprio calore, alibi ostendemus; & fundamentum Arist. quod omne, quod movetur, ab alio separato motore moveatur, falsum esse, omnia naturaliter mota declarant, & Philosophi & Theologi præstantiores.

Altera mihi ratio suadet animam mundi, sumpta ab homine: si enim homo non modo spiritum corporeum, sicut bruta, habet sui habitatorem & rectorem, verum etiam a Deo animam inditam longe diviniorem & immortalem, ut ejus intellectio & volitio infinita & dominatus super rebus, & cœlestium intelligentia & religio, & prophetia rerum, non corporearum modo, qualis est brutis, sed etiam pertinentium ad alteram vitam meliorem post mortem, & communicatio cum superis & conversatio manifestant; multo magis ipsi mundo, præter sensum communem, partibus cunctis adscribenda est anima divinissima. Non enim pars toto melior est, neque homo mundo. Vnde & soli & stellis peculiares quoque animas dare, non Aristotelico modo, sed assistentes, sicut D. Hieronymus & Origenes, & patres alii docent, congruum est.

Nec propterea, quod mundus anima beata vivit, vermes & belluæ beatæ erunt, ut quidam arguunt: non enim hæ particulæ communicant cum ea, sed reguntur tantum, sicut vermes nascentes in ventre hominis, & pediculi in capite, & lendes, non vivunt vita hominis rationali, nec ejus beatitatem participant: ita nos sumus in ventre mundi, hanc animam mundi ignorantes: & multo minus bruta, & vermes, ut dictum est: non enim est forma materialis, ut temperies possessa a materia, sed ut lux pendens a divinorum patre luminum intellectualium, infusa quidem corpori, sed non confusa, ut bene advertit S. Ambrosius. Hanc animam in mundi genesi divinissimam toti mundo, qui est epilogus magnus eorum, quæ sunt in mente Dei, assistentem indidit, quæ universitatis curam gereret. Neque enim minori gloria totam sui statuam, quam partem decoravit. At partibus mundi magnis præfecit Angelos providentiæ tantæ executores.

XVII. Probat 3. Lib. 15. c. 2. art. 3. Profecto si unus est mundus, & Deus pro majestate utitur ministris, oportet unam intelligentiam toti mundo præsidere, quam veteres vocaverunt *animam mundi*. Hunc autem puto esse unum ex dominationibus, ultimum erga secundam hierarchiam. Hic quidem dominatio, non alicui corpori magno, ut cœlo, vel soli, vel terræ, assistit, sed totum complet spatium mathematicum, basim corporum omnium sustentativam, & rationabiliter. Siquidem spatium omnia implet & penetrat corpora. & unitas Deitatis per vicariam unitatem regit: non autem extemplo per plurimas, ut servetur ordo Monarchicus, divinæ unitatis repræsentativus. Vnde Philosophi doctiores unum intellectum præficiunt cunctis corporibus: rudiores vero plures absque ordine ad unum, sicut si rex in uno regno suo a se distante, qualis est mundus corporeus in regione dissimilitudinis, præponeret judices in singulis civitatibus absque uno pro-rege. Hujus Angeli seu dominationis officium est per subordinatas virtutes & potestates formationes, entium compositorum evolvendo ideas expedire, uti ostendimus in Tract. VII.

XVIII. Quæres. An operationes causarum secunda-

darum proveniant ab anima mundi, illique adscribi possint? R. minime, sed oriuntur a propriis rerum formis agentibus. Ratio, quoniam vel tota actio, e.g. caloris, frigoris, magnetis &c. est ab anima mundi, vel partim ab ea, partim a calore: ergo cum anima mundi non sit forma rei & natura, erit tantum dirigens, & docens, quid, & quomodo agendum est cuilibet naturæ. At natura stupida non potest doceri, ergo oportet per vim animæ ad opera talia agi, ergo omnis operatio naturalis erit violenta. Non enim anima est sicut Deus, cujus nutui cuncta parent; quoniam ipse dat eis, ut sint, & operentur, & est intimior rebus, quam res ipsæ sibimetipsis. At quis audeat dicere, calorem occidere frigus, non, quia sentit frigus esse sibi inimicum, sed quia ab anima mundi impellitur ad occidendum frigus? Sed tunc quæro, quid impellit frigus ad resistendum, & quandoque ad fugiendum? utique eadem anima id non faciet: si enim alterius ruinam vult, non parat illi salutem per fugam & resistentiam. Item cum stupida sint calor & frigus, quo pacto ab anima reguntur vi ad opera rationalia? & quomodo ipsa animat contraria simul? Forte dices, animam esse quasi fabrum, qui utitur mallen, & igne, & aqua, & lima, & armat aliud contra aliud instrumentum, ut ex eorum pugna prodeat suum artificium. Et quidem aqua extinguit ferrum ignitum natura sua, sed applicatus a fabro ad extinguendum. Ita ignis emollit natura, sed applicatus ab artifice. Ita calor & frigus, & elementa stupida ab anima mundi ad actiones diriguntur propter opera ex tali pugna nascentia. Sed hoc nihil probat. Etenim artifex sic agendo non dat instrumentis esse formale, & actiones ab esse prodeuntes, sed utitur actionibus illorum ad proprias ideas exprimendas in materia, instrumentorum actionibus sub quadam mensura contemperata. Patet enim, non dare igni vim emolliendi ferrum, & fugandi frigus, destruendi duritiem; neque vim aquæ extinguendi ignem; neque malleo gravandi & premendi, sed uti tantum eis: ergo neque anima mundi dabit calori, ut calefaciat: calefacere autem est frigus expellere & fugare. Item nec dat calori, ut velit esse calor; igitur nequeut fugiat a frigore tollente esse: ergo si vi sua calor calefaciat, & frigus fugat, argo inimicum illud esse sibi sentit. Non enim poterit unquam ab anima mundi doceri calor, quod frigus sit sibi inimicum exitiale. Nec poterit impelli ad faciendum, quod sibi non prodest, nec prodesse novit. Item nec magis contra frigus, quam contra alia entia posset ad agendum agitari. Item si calor & frigus ita operantur, quasi sensum habentes, si negetur illis sensus & actio sensata, itidem & brutis, & nobis neganda erit: asserendumque, ab anima mundi impelli ad operationes vitæ & sensus, quod dicere stultum est. At si nos, & calor, & frigus, & arbos, dicemur ab anima mundi, ergo sentimus. Non enim potest doceri, quod sensu caret, ut S. Hieron. etiam concludit.

Unde mirum est, quod quidam ex nostris theologis asserunt, bruta etiam instinctu Dei omnia operari, & non proprio sensu, nec sensuali ratiocinio: sed instinctu divino, sicut sagitta a sagittario impulsa scopum attingit. Hoc refutabimus inf. Tract. XIV. de Brutis.

XIX. Stulta quoque videtur opinio, quod Angeli deputati sint a Deo ad faciendas operationes naturales in rebus vilissimis, quas ipsæ res per se edere possent. Cur enim magnes Angeli virtute ferrum trahat, quod sua natum trahere potius esset? potius quidem hominibus, & animalibus perfectioribus dati esse deberent Angeli, quam lapidibus, ut ferantur deorsum, igni ut sursum, calori ut calefaciat, corvo ut præsentiat pluviam, ovi ut fugiat lupum. At quamvis ab Angelis, & Colchodea formæ imprimerentur corporibus, nihilominus operationes a formis deinde prodire necesse foret, & non a Colchodea. Et cum sentientem indicent naturam, natura formaque sentiat, æquum est.

XX. Non negem autem, Angelos præsidere custodiæ rerum, & regulare actiones caloris & frigoris, aliarumque rerum, quæ seipsas mundo multiplicare intendunt, & efficere, ut alia entia ex seipsis sub alia idea efficiant. Calor enim solis calefacere & urere terram & in cœlum vertere solum cupit, & propter hoc solum agit: frigus vero in terram cœlum convertere studet: arte autem Dei factum est, ut non penitus se mutuo perdant, sed castigent per vices agendo, & ex illorum debilitatione & mistura, plantæ fiunt, lapides, metalla, animalia &c. in qua modificatione opus Angelorum intervenire non nego. Non enim calor & frigus illa facere volunt, neque sciunt. At operationes frigoris & caloris & genitarum rerum ab eis per accidens, ab Angelis vero ex præcepto Dei, conteodo non esse Angelorum, nec ullius causæ extrinsecæ, sed a propria virtute, quam posse, sentire & velle agnosco in cunctis. Profecto cum ad rerum esse & vitam requiratur potestas, & sensus & amor: & nulli potestas & amor negetur naturalis, utique si Deus est perfectus in operibus suis, sensum quoque illis concessisse dicendus est.

XXI. Posset autem quis exemplum horologii contraponere: quod nimirum ex rotis & ponderibus multis constat, artificis ingenio paratis ad docendum nos horas, & solis motus: cum tamen insensatum ipsum in hoc sit: & scriptura seipsam nescit, scientiæ tamen sensum in nobis facit. R. quod hæ significationes non sunt a natura, sed ab instituto humano: & non docent nos per sapientiam suam, sed per sapientiam alterius ibi signatam. Nam si neque nos signorum hujusmodi rationem habuerimus, neque sapientiam horologii, & codicis inscripti intelligemus. Sicut si quis diceret puero, ut sonet aut pulset tintinnabulum, ut aliquid significet, utitur eo sicut horologio: at si dicat, ut doceat per se aliquid; non potest, nisi ille sciat: sic frustra impelles quempiam ad aliquem scribendi modum, nisi scriptor sit. Vide hæc magis declarata Tract. IX. de instinctu & Tract. XIV. num. VI. & sect. & Tract. XLVII. sect. II.

SECTIO III.

Proponitur tertia sententia de Anima Mundi.

XXII. Floruit sæculo præcedente inter viros raræ eruditionis Reverendissimus D. Hieronymus Hirnhaim, Abbas in monte Sinn, vulgo Strahovv. Can. ord. Præmonstraten. Pragæ, qui in Tract. brevi de Typho generis humani edito ibid. An. 1676. cap. II. hæc habet: Sat multa jam attulimus admiranda naturæ, (ex quibus & nos præcipua delibabimus in Tract. 37. de natura) diversorum experientiis comprobata, e quibus ipsemet non pancorum experimenta feci. Hæc

uti apud multos adhuc fidem non promerentur, ita & econtra multis non tantum incredibilia, sed etiam mirabilia esse desinunt, existimantibus,se causas modusque illorum optime clarissimeque concipere, & posito quodam universali principio, tanquam fortissimo & acutissimo Alexandri gladio, nodos quoscunque Gordios in physicis occurrentes, uno velut ictu dissolvere, naturæ abdita tanquam luculentissima face illustrare, rerumque causas ad oculum demonstrare. Principium hoc est *spiritus seu anima mundi*, de qua seqq. ponunt hypotheses:

Primo dicunt, animam illam esse formam substantialem, & indivisibilem, existentem in toto, & in qualibet parte hujus universi, quod ex illa simul & materia, velut magnum quoddam animal, essentialiter physiceque componitur. Magnum hoc animal *lapides habet loco ossium, ut scribit Plato; rivos loco venarum, arbores loco pilorum. Animalia inter ejus capillos* (nemora) *nutriuntur, sicut vermiculi inter pilos animalium.* Hic est ille spiritus, quem pene omnes Philosophiæ antiquioris Principes admiserunt, tam Græci, quam Ægyptii & Chaldæi, de quo Virgil.

- - - - Cœlum ac terras, camposque liquentes
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque astra
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Secundo ajunt, hanc animam esse principium effectivum, & ab illa plerasque naturales actiones in hoc universo procedere. Hæc juxta illos, rugit in leone, in lupo ululat, balat in ove, in cane latrat, germinat in herba, volat in musca, natat in pisce, repit in verme. Omnia denique tam quæ animata, quam quæ inanimata vulgo dicuntur, tanquam substantialis & vitalis actus informat.

Tertio eandem mundi animam in homine admittunt, non exclusa tamen anima rationali, cui illam docent esse subordinatam, & in corpore organizato præsuppositam.

Quarto docent consequenter, nullam dari inter quascunque res rationalitatis expertes distinctionem essentialem seu specificam, sed omnes tantum accidentaliter differre, & solo numero juxta materiarum singularitates discerni.

Quinto dicunt, illam animam esse ubique indifferentem, seu habere potentiam saltem remotam ad eliciendas quascunque operationes, e. g. Leonis aut vermis, ignis aut ligni; lapidibus præcise tribuere denominationem substantialis compositi; plantis vero addere gradum viventis vegatativi, animalibus prædicatum sensitivi. Docerent etiam procul dubio, gradum rationalis in homine ab eadem anima provenire, nisi animas rationales per singula hominum individua numero distinctas ex fidei præscripto admittere cogerentur. Est ergo spiritus mundi, juxta illos, velut quidam Protheus, in mille formas rerumque species transmutabilis.

Sexto, spiritum hunc mundi, ex se ad quascunque operationes indifferentem, ajunt per accidentia determinari, ut hic & nunc talem & non aliam operationem eliciat; sic determinatus in hoc vel illo subjecto, & a semetipso alibi existente quodammodo differens, sive sub aliis accidentibus virtualiter replicatus, Archæus ab ipsis nominatur. Hæc discriminatio & limitatio ex ideis (de quibus Tract. XXXI. agemus) melius intelligitur.

Septimo, explicant hæc omnia exemplo Microcosmi, in quo multi admittunt unicam indivisibilem formam, animam vid. rationalem, non obstante, quod diversissimas corporis partes informet, ac diversissima oportet. Sicut ergo anima in homine quasdam hominis partes in communi sententia præcise informat, ut sanguinem; quibusdam præterea dat gradum vegetativi, ut ossibus, capillis, unguibus, pulmonibus; quibusdam etiam gradum sensitivi, ut manui, pedi, oculo, aliisque nervosis partibus: ita in hoc universo, eadem licet sit anima numero indivisibilis, & in actu primo remoto vegetativa & sensitiva in omnibus, non omnibus tamen actum primum proximum sensationis aut vegetationis tribuit, sed quædam præcise informat, ut lapides; in plantis vegetat, in brutis sentit.

Nunc audiamus argumenta, quibus hunc spiritum mundi (unde dicti Pneumocosmici) probare ac stabilire nituntur:

Primum argumentum est negativum, a communi principio, de mundi entibus præter necessitatem non multiplicandis desumptum. Dicunt, nullam videri necessitatem multiplicandi formas substantiales materiales in hoc universo: omnes enim effectus, qui substantiis materialibus attribuuntur, procedere possunt ab una indivisibili anima, adeoque non explicandum est per plura, quod expediri potest per pauciora. Nullam vero esse necessitatem, non aliter probare tenentur, quam solutione objectionum, quas infra dabimus.

Prob. 2. Inter duas sententias, circa spiritus mundi existentiam sibi mutuo contrariantes, illa est eligenda, qua posita multæ solvuntur difficultates, & plurima naturæ phænomena facilius atque commodius explicantur: atqui supposita mundi anima multæ resecantur atque solvuntur difficultates, quæ communes vulgarium Philosophorum scholas vexant, & miranda quælibet naturæ opera facilius & lucidius explicantur, in quorum declaratione alii frustra desudant, eorumque rationem rogati sæpius hærent, sicut mus in pice, ad tandem frivola quærere coguntur effugia, naturæ magnalia, quæ suis non viderunt oculis, vel penitus negando, vel soli Deo, aut intelligentiis attribuendo, vel superstitiosa proclamando & pacto dæmonis saltem implicito adscribendo: ergo sententia spiritum mundi admittens est præferenda negativæ. Major videtur certa, nisi talis suppositio trahat secum aliquod absurdum vel inconveniens; atqui nil tale involvit sententia Pneumocosmicorum: ergo.

Minorem probant inductione variarum difficultatum, quibus Peripatetici communes premuntur, circa præexistentiam formarum in materia, earumque quotidianam in tot generationibus eductionem, circa earum species, prærogativas, compatibilitatem, divisibilitatem, numerum & novitatem.

XXIV. Moscæ, aliaque insecta, uti & hirundines, per hyemem absque vita sunt, & calore denuo tepefacta, anima velut ab orco revocata, ad vitam redeunt, in quibus proinde pluralitate animarum admissa dicendum, vel animam corruptam reverti, vel aliam de novo gigni.

Dicet

Dicet quis, animam in illis mansisse, neque corruptam fuisse, sed ob defectum dispositionum nullas vitæ operationes elicere potuisse. Hoc vero est difficile creditu, quod anima cæteroquin separabilis tamdiu penes inimicas dispositiones permaneat. e. gr. in muscis diu submersis, vel hyeme integra post trabes & tabulata sine sensu atque motu hærentibus, quæ postea leni calore aeris aut cineris ad vitam revocantur. Vel in avicula illa americana, quæ non tantum in sylvis, sed etiam in hypocaustis, initio hyemis admeante, rostro in lignum aliquod infixo se suspendit, & sic appensa hæret absque sensu & motu per sex circiter menses, donec vernantibus agris avulso rostro avolet. In sententia spiritus mundi data responsio melius procedit: ille namque a suo subjecto non est separabilis, & quamvis per inimicas dispositiones in operando ad tempus impediatur, nunquam tamen substantialiter expugnatur.

XXV. Præterea, multum laborant peripatetici in assignanda causa illorum, quæ generantur ex putri materia v. g. ranæ, serpentis, scarabæi, & aliorum mille insectorum, dum alii ad solem, alii ad nescio quam ranam in communi, alii ad Deum recurrunt. Pneumocosmici facile se expediunt, negando omnem generationem substantialem eo sensu, quasi in similibus nova forma producatur: sed dicunt apparere tantum novas ac diversas, quoties ad diversas idearum evolutiones, ac sub diversis accidentium apparatibus eadem mundi, anima in scenam prodit, nunc hoc, nunc illud operando, ad quod per ideam hanc vel illam determinatur.

XXVI. Præterea in communi sententia explicari nequeunt plurimæ actiones, quæ sæpe fiunt in distans, ut in pulvere sympathico, in tractione linguulæ magneticæ, in cœlorum influxibus in hæc sublunaria, & similibus. Quamvis multa utcunque declarari possint fieri per effluvia corpusculorum, uti Tract. XIII. dicetur, non tamen ubique locum habent. Nec commode alia qualitas, quæ per medium transmittatur aut per tantam locorum distantiam propagetur. Quis enim credat, in tot tamque variis cœlorum influxibus semper aliquid in medio produci, maxime substantiale? Si autem dicatur esse accidens, quomodo non sæpe attinget productionem substantiæ? Dices, non attinget ut quod, sed ut quo, seu ut instrumentalis, non ut principalis causa: sed hoc ipsum satis est inconceptibile, quomodo causa principalis per instrumentum a se adeo remotum possit operari: quod videbimus in Tract. XV. de causa efficiente.

XXVII. Pneumocosmici similes actiones, quæ fieri videntur in distans, hoc est, in loco, ubi causa ipsa non existit, clare satis explicant, per analogiam microcosmi. Sicut enim in homine non miramur influxum voluntatis. e. gr. in potentiam locomotivam pedis, sive, quod cum voluntas vult pedem movere, pes confestim ac instanti moveatur, sine aliquo per medium diffuso, quia sc. eadem est anima, quæ in corde aut capite vult, & quæ in pede movat, seque ipsam, ut est in corde vel capite, determinat alibi existentem ad motum, aliasve actiones: ita, inquiunt, mirari non debemus, quoties in macrocosmo unum ab altero, tametsi remotissimum, produci vel dependere videtur, eadem enim in cunctis universi corporibus est anima, secundum quam omnia sunt unum, neque a se invicem, nisi ratione materialis principii, distant.

XXVIII. Præterea, sympathias, antipathias, magnetismos, & alia naturæ mirabilia, quorum seriem videre est in Tract. XXXVII. de natura, dicunt per spiritum mundi optime intelligi posse ac explicari, & hujus Ariadnæ filo quosvis difficultatum labyrinthos reddi permeabiles; hujus facis auxilio, quasvis naturalium causarum latebras utcunque illustrari, dum Democratici veluti vocabula inania derident contra omnem experientiam.

XXIX. Denique pro complemento sententiam suam ulterius stabiliunt argumentis quibusdam non contemnendis:

Magna, inquiunt, est partium hujus mundi conspiratio, rerumque omnium pulcherrimus ordo, unde & nomen *Cosmi* accepit; ita perfectus, ut etiam illo perfectiorem fieri non posse graves quidam Doctores affirment. Dici ergo debet, quod sit ens per se, constans partibus per eandem formam sibi invicem connexis; non vero ens per accidens, ex rebus formisque diversis aggregatum. Esset enim alioquin valde imperfectus, sicut cumulus arenarum aut lapidum nullo sibi mutuo nexu cohærentium.

Hinc videmus, in periculo vacui unum corpus trahi ab altero; sic dum aer per siphonem attrahitur, etiam vinum contra naturam suam sequitur aerem ascendentem. Cujus rei rationem in vulgari philosophia reddere non est facile. Dicunt quidem passim, quod naturæ horreat vacuum. Quæ natura? an vini? quid nocumenti vino, si tantillum vacuum oriatur in siphone? at impedietur influxus cœlestis in vinum. O lepidos atque ineptos ingeniorum influxus! nullane alia cœlestibus in vinum influxibus, nisi per siphonem, via patet? majus est vino nocumentum sequi aerem a siphone tractum, & ab illo potatum destrui, quam vacuum permittere. Natura ergo, quæ vacuum horret, non est natura aliqua singularis, cujus parum interest dari vel non dari in parte aliqua universi vacuum, & quæ illius repletione sæpius destruitur: sed est natura seu forma universalis, cujus hoc plurimum interest, ne unio & continuitas partium dissolvatur. Cum enim sit continua, imo plane simplex & indivisibilis, non admittit discretum & interruptum ubicationis modum, sed per omnes universi partes, quæ ultima cœlorum superficie continetur, virtualiter continuata diffunditur, servatque hanc existendi rationem, & cum non patiatur locum a se vacuum, nec sine corpore ullibi possit existere, necessarium est, ut quoties vacui periculum imminet, corpus quodcunque vicinum, etiam contra naturam particularem illius corporis attrahat, & sic sibi totique universo provideat, ne intra se aliquem locum deserat, & vacui deformitatem alicubi admittat.

XXX. His accedit, quod homo passim a Philosophis vocetur *Microcosmus* seu parvus mundus. Si homo est parvus mundus; mundus erit magnus homo. E. sicut in homine datur quædam anima, quæ omnes ipsius partes informat, sic etiam aliqua huic mundo tribuenda est, anima, qua omnes illius partes animentur, sibique cohæreant, constituendo unum ens per se. Vide Marcum Marci Phil. Vet. restit. pag. 115.

Superest videre, quibus armis obvient adversariorum

rum argumentis, quorum pleraque retorqueri possunt ex analogia prædicta inter Micro- & Macrocosmum.

Responsa Pneumaticorum ad argumenta sibi opposita.

XXXI. Argum. 1. desumitur a Transsubstantiatione, quam fides orthodoxa docet; dum fit conversio panis & vini in corpus Christi, perit tota substantia panis & vini: atqui hoc non potest dici in sententia admittente spiritum mundi, ergo hæc sententia salva fide teneri non potest. Min. prob. cum pereat tota substantia panis & vini, etiam spiritus mundi perire deberet, ex quo panis & vinum substantialiter componebatur, sed non potest dici, quod illa pereat; nam 1. si periret, periret ubique, est enim ubique idem, unus ac indivisibilis. 2. Est in corpore & sanguine Christi, quæ substantiæ panis & vini succedunt, ergo non potest dici, quod pereat. Hoc argumento putat communis Philosophiæ grex spiritum mundi omnino prosterni.

Respondent nihilominus Pneumocosmici, Ecclesiam & SS. PP. nomine Transsubstantiationis Eucharisticæ non aliud nobis ad credendum proponere, quam quod per illam pereat tota substantia panis & vini, quæ non est Christo & pani communis. Vnde asserendum est, hanc numero materiam panis & vini in consecratione perire, quia Christi corpus constat alia materia numero diversa. Non definit autem Ecclesia perire simul formam substantialem & materialem, Christo & panis vinique composito communem; neque necessarium est ad transsubstantiationem, ut omnes partes substantiales prioris compositi pereant. Nam etiam secundum multos datur corruptio substantialis, nulla parte substantiali pereunte, in morte vid. hominis, in quo præter materiam & animam rationalem, nullam aliam substantialem, seu essentialem formam vel partem admittunt.

XXXII. Oppon. 2. S. Paulum 1. Cor. 2. Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, ergo saltem in homine non datur hujus mundi anima. R. apostolum loco cit. intelligere malum dæmonem, quem etiam Christus in Evangelio Principem hujus mundi appellat, à quo nos liberet omnipotens. Quid quod Apost. confirmat potius hanc de dualitate animarum sententiam ad Gal. 5. ibi: *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem, hæc enim sibi invicem adversantur.* Vbi carni sua tribuitur concupiscentia, quæ non nisi in animam sensitivam referri potest. Cum enim illæ duæ concupiscentiæ sint sibi invicem contrariæ, non possunt ab eadem anima rationali provenire, prout Add. contendunt. Et iterum ad Rom. 7. Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Si autem unica tantum esset in homine anima, legi suæ facilius obtemperaret, nec opus esset animæ rationali exclamare: quis me liberabit de corpore mortis hujus? Idem sapientissimus Doctor gentium, 1. Thess. 5. ut integer spiritus vester, & anima & corpus sine querela in adventum D. N. Iesu Christi servetur. Item illud in Cant. Magnificat anima mea Dominum, & exultavit spiritus meus &c. qui textus omnino favere videntur Pnevmocosmicis, utpote in quibus per *spiritum* optime intelligi potest anima rationalis seu mens, per *animam*, sensitiva, ne alioqui idem inutiliter repeti dicatur.

XXXIII. Oppon. 3. Si esset eadem anima in cane, & reliquis hujus mundi animantibus, quæcunque nosset aut sentiret ille canis, sentirent omnia; & eo Fastibus excepto, omnia hujus mundi animantia dolerent. Respondent Pnevmatici, negando hæc sequi ex præd. sententia: sicut non sequitur, dolente pede dolere caput: vel capite speculante, pedem speculari, quamvis sententia communis eandem ponat animam in pede & capite.

XXXIV. Oppon. 4. Cum eadem numero anima sit in lupo & in agno, quis eam contra seipsam exagitat? quis ad dilaniandam se in agnello, ad seipsam devorandam acuit? vel quomodo non ipse lupus proprios sentit morsus & dolore territus, prædam ex faucibus, seipsum a propriis dentibus dimittit immunem? Ad hanc paraphrasticam objectionem

Respondent pneumocosmici retorquendo: Si quis ex impatientia vel desperatione se ipsum pulset, evellendo crines, fricando genas, vulnerando pectus, quis animam in manu exagitat contra seipsam in capite vel pectore? cur non dolorem illatum capiti vel pectori manus sentit? Dicunt ergo, spiritum mundi simpliciter & secundum se acceptum, sibi non adversari, bene tamen archæos. Sicut idem quoque concursus divinus in consertis Daretis & Entelli lacertis contra seipsum non pugnat, quatenus est generaliter ad omnes creaturarum actiones indifferens, sed quatenus hic ad talem, ibi ad aliam actionem a diversis individuis determinatur; sicut lumen, quod ex se ad viridem, rubrum aut cæruleum colorem est indifferens, per diversas cortinas, quas penetrat, diversis imbuitur coloribus.

XXXV. Oppon. 5. Dantur in diversis compositis diversissimæ accidentium collectiones; unde in ipsis diversa radix admitti debet, ex qua determinate illa potius accidentia & operationes, in isto potius quam in alio composito inferantur: hæc radix non potest esse alia quam forma, ergo secundum diversitatem illarum collectionum debet admitti diversitas formarum. Respondent iterum primo, retorquendo in ipsos AA. qui in homine negare non possunt diversissimas accidentium collectiones, puta ossium, carnis, oculorum, pedum, &c. & tamen non admittunt, nisi unicam indivisibilem formam, animam rationalem. An non in sole passim unica potentia calefactiva sufficit ad autumhic, alibi ranam, alibi alia insecta producenda, quarum operationum varietatem in solam dispositionum diversitatem referunt? Eodem modo discurrant oportet de spiritu mundi per ideas (de quibus suo loco Tract. XXXI.) diversimode determinato.

XXXVI. Oppon. 6. Ex tribus præsertim signis arguitur formarum in rebus diversitas. Primo ex difformitate operationum. 2. ex separabilitate rerum. 3. ex independentia unius ab alio. Sed hæc diversitatis signa manifeste reperiuntur in rebus hujus universi: an non summa operationum diversitas in rana & leone? musca & elephanto? Quæ major rerum separabilitas, dum una re hic permanente, alia ad Garamantas & Indos transferri potest? Summa quoque rerum a se invicem independentia exinde liquet, quod singulæ in actionibus suis, secundum proprias naturæ suæ leges independenter ab aliis agunt, nec ulla cogitari possit

depen-

dependentia in essendo vel agendo inter lapidem & canem.

Respondent Neg. ant. quoad primam partem: nam ex diversitate actionum male argui diversitatem formarum, jam sæpius ostendimus ad hominem. Ad 2. membrum resp. cum distinctione, negant enim, ex separabilitate qualicunque rerum argui formarum diversitatem, sed bene ex separabilitate tali, quæ non tantum immediatam, sed etiam mediatam continuitatem solvit. Talis autem separatio in rebus hujus universi non reperitur: quamvis enim una res videatur ab altera quandoque localiter separari, sicut manus una separatur ab altera, manet nihilominus continua, saltem aere mediante. Cujus rei exemplum habere videmur in sanguine, qui secundum probabiliorem sententiam eadem anima informatur, qua cæteræ partes, adeoque illis debet esse continuus. Et tamen singulæ illius guttæ, non solum a se invicem, sed etiam ab his & illis venarum & arteriarum aliorumque viscerum partibus in quotidiana circulatione separantur. Quod si vero alicui non videntur res tam diversæ universum hoc componentes, posse invicem continuari, e. g. aer & paries, ferrum & lignum, ignis & aqua, respiciat easdem humani corporis partes, an non venæ & arteriæ cordi, hepati aliisque visceribus unione continuativa cohærent? nervi cerebro, ligamenta ossibus, caro tendinibus & membranis, &c. Quanta tamen partium istarum est diversitas?

XXXVII. Dicunt ergo Pneumocosmici, res omnes in hoc mundo secum invicem esse continuas, & elephantum, licet mille stadiis a rhinocerote distet, adhuc eidem manere continuum, saltem aere mediante; manum quoque abscectam adhuc cum suo corpore continuari, saltem in ordine ad universum. Vt tamen humanum corpus cum aliis membris actualiter integret, non tantum mediate, sed etiam immediate ipsi debet uniri. Aer namque intermedius parum ad hanc unionem confert, bene tamen ad unionem cum universo, quod imaginari licet velut magnum animal ex tot rerum varietatibus tanquam membris compactum, cujus constitutionem, non tantum ipse aer, sed etiam manus abscecta ingreditur; corpori tamen, a quo præcisa est, aeris intermedii beneficio dici non potest unita: aer enim ille tametsi ad universi constitutionem sit ordinatus, non est tamen ordinatus ad constitutionem humani corporis, unde per illum non potest manus continuari cum corpore; continuatio enim non procedit, nisi inter partes ejusdem compositi.

Quoad 3. objectionis membrum respondent, admittendo, ex rerum independentia bene argui formarum in rebus diversitatem: negant tamen in hoc universo similem rerum a se invicem independentiam reperiri; quin imo summam potius illarum esse dependentiam, quam probant rerum in se invicem influxus, sympathiæ, ac magnetismi. Adeo ut major quibusdam videatur consensus inter coelum & terram, quam inter partes unius corporis materialis. Ob quam connexionem & consensum merito asseruntur res omnes hujus universi velut magni cujusdam animalis membra, per unam eandemque animam sibi sociata, quæ omnes inter se uniat & substantialiter compleat.

XXXVIII. Oppon. 7. sequeretur, nullam in rerum natura dari generationem vel corruptionem substantialem, quod tamen non solum omnibus scholis, sed etiam sacræ scripturæ videtur adversari: scriptum est enim a Salamone, Eccl. 1. *generatio præterit, generatio advenit.*

Huic objectioni respondent Pneumocosmici, sententiam suam communi quidem scholarum doctrinæ contrariari, non autem veritati aut S. Scripturæ: plures enim errores communes in scholis Peripateticorum inculcari auditoribus manifestum est, quorum septenarium collegit P. Aloysius Kimmet, in suo cribro dogmatico, typis vulgato an. 1706. nec non Illustr. D. Caramuel in sua metalogica, & innumeros pene Aristotelis in sua metaph. Thomas Campanella, ex quibus in hoc opusculo hinc inde nonnullos adduximus. Quamvis enim non detur generatio substantialis in sensu vulgari seu Aristotelico, quæ hæc dicit motum a privatione ad formam; nunquam autem post primam creationem, privatio formæ seu animæ mundi in ullo subjecto præextitit; datur tamen generatio in alio genuino & veriori sensu, quæ est spiritus mundi per certas ideas, ad novam speciem, novasque operationes limitatio. Sic rana ex luto generari dicitur, quamvis nihil substantiale, seu melius loquendo, nulla nova substantia producatur, præter compositum, cum novæ dispositiones in materia luti producuntur, ob quas anima, quæ nullas ante vitales operationes ibi exercebat, jam saltare incipit & coaxare.

XXXIX. Oppon. 8. Sequeretur etiam in hac sententia nullum animal irrationale mori vel corrumpi contradicente scriptura. Eccl. 3. *Vnus interitus est hominis & jumentorum.* Respondetur, nullum animal irrationale seu brutum mori vel corrumpi in sensu Aristotelico & pseudo-philosophico, bene tamen in sensu veræ philosophiæ, quæ sicut docet, generationem nihil esse aliud, quam abolitionem ideæ, quæ ipsum ad præcedens esse ac operari determinabat; hæc in pristinum chaos retrusa, veterem simul archæum sepelit. Non ergo semper, cum aliquid moritur, forma substantiali quoad entitatem privatur, alioquin male a Christo diceretur (Ioan. 12. 24.) *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Si enim forma ipsius, sive ratio grani physica, ratio seminalis & vis energetica, periret, a quo multiplicaretur? Est ergo in similibus mors duntaxat accidentalis, quamvis nulla contingat partium substantialium desitio vel etiam separatio. Aliter loquimur in homine, hic enim præter mundi animam, simul forma rationali est præditus, qua a corpore separata mori dicitur.

XL. Hoc igitur spiritu mundi semel admisso, nulla generatio & corruptio substantialis in rerum natura locum habet; & qui hunc tuentur, nihil unquam substantiale denuo fieri aut perire asserunt: quod etiam confirmari potest illis scripturæ testimoniis, in quibus dicitur Deum omnia creasse *simul*, & requievisse die septimo ab omni opere, quod patrarat, ergo non datur ulla, saltem substantiarum, nova generatio. Dicitur item in scripturis, quod omnia Dei opera perseverent *in perpetuum*, ergo saltem substantialiter opera Dei non corrumpuntur, quidquid sit de morte hominis, qui mori dicitur, non tam per corruptionem, quam separationem partium. Excipitur etiam hic transsubstantiatio, quæ magis est annihilatio, quam corruptio termini a quo.

Dum ergo canis mori dicitur, nihil perit in hac sententia, sed anima communis materiæ adhuc inest, etsi

non sit proxime potens ad functiones canis exercendas ob defectum dispositionum. Et profecto miror, peripateticos ortum & interitum formarum absolutarum adstruere & tam acriter defendere, cum ipse Aristoteles nullibi mentionem faciat de forma absoluta, sed pluribus in locis expresse neget formam produci aut generari, sed totum: unde manifestum fit, illum mere respectivas, & resultantes formas admisisse, ut recte ostendit P. Kimmet, uti pluribus demonstrabitur infra in Tract. 26. de Formarum origine.

XLI. Sed nec aliqua nova substantia, cane mortuo, producitur: eadem enim anima, quo in cane latrabat, repit postea in verme, propter ideas sive dispositiones caninas abolitas & sepultas, aliasque verminosas a causis efficientibus evolutas, ac prioribus succedentes. Nec mirum videri debet, eandem animam tam diversis sobesse dispositionibus tamque diversa operari, cum videamus eandem animam in homine infante, viro & sene; in bombyce & necydalo, in eruca & papilione, volatili & reptili motuum adeo diversorum. Eandem item formam in aqua, nive, glacie & vapore, Mercurio vivo & sublimato, & secundum multos in tritico & siligine, rapa & brassica, ocymo & serpillo, quorum unum quandoque verti solet in alterum.

Sic etiam cinnamomum ex India allatum apud nos mutatur in laurum, & piper seminatum degenerat in hederam.

Scribitur, quod in mari Sinensi sit piscis quidam, croceus a Sinarum Indigenis appellatus, hic per æstatem crocei coloris volucrem induit, volitans hinc inde per montes; hyemis initio figuram volucris exuit, mare petit, & rursus in piscem suavissimi saporis mutatur, quem tantum hyberno tempore capiunt.

De alio quodam animali, terrestri & quadrupede, canis magnitudinem æquante, scribit Aloysius Almeida, quod in senectute, quadrupedis forma deposita, in piscem convertatur.

Cum igitur essentiæ rerum sint immutabiles, una eademq; substantialis forma in præfatis conversionibus debet intervenire, idemque subjectum, sola quamvis notabili diversitate accidentium, a se ipso distinctum. Ita etiam legimus, fœminas in viros, & viros sexu virili abjecto in fœminas transiisse. Hiænam quoque *sexus esse animalis*, ut scribit Tertullianus, sive alternis annis marem, alternis fœminam; in quibus tamen conversionibus substantialem formam mutari nullus hucusque docuit.

Ad horum omnium confirmationem allegant Hippocratem, qui jam olim (natus enim est ante Christum an. 460. floruit circa an. 375. mortuus 350.) idem sensisse videtur L. 2. de diæta, in quo ita scribit: „ Nihil „ quidem omnino perit, neque oritur, quod prius non „ erat; verum invicem commixta vel discreta alteran- „ tur. At homines existimant, id quidem, quod ex or- „ co in lucem augetur, oriri; quod vero ex luce ad or- „ cum imminuitur, perire, magisque oculis, quam ra- „ tioni fidem esse adhibendam. Ego autem ista ratio- „ ne exponam: Animantia namque sunt & illa & ista: „ neque animal interire potest, quin omnia intereant, „ neque quod non est generari, cum non sit unde ge- „ neretur. Hæc divinus Hippocrates. Hujus doctrinæ insistendo, ajunt nullam perire substantiam in toto universo, sed in orcum sive chaos suum recidere, quoties ideæ ipsius a potentioribus aliis superantur, & in chaos sive noctem suam retruduntur: gigni vero vel generari, dum ideæ ipsius ex materiæ abysso evolvuntur, sive ex chao & orco suscitantur, & animam mundi ad novæ speciei operationes determinant.

XLII. Oppon. 9. Sequeretur, hanc mondi animam esse perfectiorem Angelo, quod est absurdum, ergo non est admittenda. Seq. maj. prob. spatium, quod Angelus etiam primæ hierarchiæ occupare potest, ex sententia theologorum est contractius, quam sit sphæræ cœlestis capacitas & amplitudo: sed hanc universam spiritus mundi substantialiter occopare dicitur, ergo dicendus est perfectior Angelo.

Respondent pneumocosmici, negando seq. maj. ad cujus probationem transeat maj. quis enim determinabit spatium assignatum Angelis a Deo, aut cui hoc unquam revelatum? Conc. minore, dist. consequens, spiritus mundi foret perfectior Angelo secundum quid; Esto: absolute perfectior, N. Quamvis enim Angelus tam vastum spatium occupare non possit, quantum hæc anima, illam tamen Angelos in perfectione rationalitatis & spiritualitatis plurimum excedit, estque longe altioris ordinis: nam hæc anima nec rationalis est, nec spiritualis, quamvis communi vocabulo spiritus nominetur, quo etiam frequenter appellare solemus subtiliores quasdam & puriores substantias, ut spiritum vini, spiritum sulphuris, &c. Dependet etiam a materia, ut in communi sententia formæ omnes materiales, hoc solum discrimine, quod tota dependeat a tota universi materia, tota item a qualibet ejus parte, cum sit indivisibilis. Materialem autem & indivisibilem simul esse, non repugnat, cum S. August., S. Thomas & Albertus Magnus animas animalium, saltem perfectorum, tales de facto esse asseveraverint.

XLIII. Oppon. 10. Sequeretur ex hac sententia etiam cœlos esse animatos, sed hoc non potest admitti, E. prob. min. nam inter errores Origenis quinta synodus Gen. Constant. hunc quoque condemnat seqq. verbis: *Si quis dixerit cælum, & solem, & lunam, & stellas, & aquas, quæ supra cælos sunt, animatas quasdam esse & mobiles virtutes, anathema sit.* E. hoc dogma fidei repugnat. Respondetur, conc. seq. maj. Negando min. ad cujus probationem dico, longe alium & diversum fuisse Origenis errorem, quem verbis allegatis PP. damnarunt, cœlos nempe non simpliciter animatos, prout supra ex Marsilio Ficino audivimos, sed rationales creaturas, meriti & demeriti capaces, esse docuit. Imo S. Thomas vult expresse, necessario esse necessario in cœlis aliquam animam, quæ illis intrinsece uniatur ut forma, atque parum spectare ad catholicam veritatem, an cœli sint animati, an non. Ad autoritatem concilii respondet, eam vel non esse authenticam, vel intelligendam de anima rationali. Nec est quod causetur quis forte defectum organorum: nimis enim simplex est, qui credit motum ab intrinseco, absque nervis, tendinibus, aut musculorum fibris, vel aliis quibuscunque partibus organicis non posse peragi. Hinc absque scrupulo definitio vulgaris Arist. animæ, qua dicitur *actus primus corporis organici*, &c. cum cæteris plurimis claudicantibus, quæ passim circumferuntur, rejeceris: unica enim authoritate Aristot. nituntur, ac pro ejus asseclis tanquam oracula juventuti obtruduntur.

SECTIO IV.

De Archæo.

XLIV. Cum frequens hactenus mentio facta sit de ar-

archæo, inquirendum bic est, quid nomine isto intelligatur. Video autem a variis in vario sensu usurpari. Nam P. Aloysius Kimmet pag. 586. num. 4. ita scribit: „ Præter formas quoque substantiales, atiam archæus „ in viventibus a medicis consideratur, tanquam spe„ ciale vitalium actionum principium. Quid autem „ nominetenus sit archæus, & dicatur esse, facilius in„ telligitur, quam quid reipsa sit, capi possit. Dicitur „ esse spiritus vitæ, ignis innatus, lux substantialis & „ vitalis, humor siccus, flamma vitæ, humidum sic„ cum, radix & fundamentum, ex quo vigor, motus „ & sensus progreditur. Nec melius videtur concipi „ posse, quam per analogiam ad spiritum influum, ani„ malem atque vitalem, qui ex alimento, naturali nu„ tritione ex nobiliori sanguine in nobis generatur. „ Archæus enim est congrua portio cœlestis materiæ „ semini conjuncta, quem ipsum tanquam scintilla vi„ talis excitat, explicat, evolvit, de potentia maturat „ ad actum; ipsum deinde vivens regit, ad exercitia „ vitæ animat, cum crescente augescit, cum deficiente „ deficit; & tanquam spiritus insitus atque innatus, „ ubi recte est constitutus, facit vivens recte valere; ubi „ ipse languet, facit ægrotare; dum extinguitur, mori finit. Item pag. 623. num. 53. Notandum est, inquit, quod archæus dirigit vitam animalem, & corpus qualificat; non autem corpus qualificat aut regit archæum. Hinc homo claudus non generat claudum, quia defectus pedis non transit in archæum: attamen sanus aut vegetus generare solet vegetum & sanum, quia vigor resederat in ipso archæo melius constituto. Vnde podagrici generant fere podagricos, quia solet esse vitium seminale in ipso archæo, quod per eum communicatur pruli. Nimirum non corpus spiritum, sed spiritus corpus imprægnat, cujus figuram, adumbrationem, finesque agendarum rerum continet causative: causat autem actione, non contactiva vel alterativa & paulatim, sed actione regiminis & instantanee, & summa cum efficacia, quatenus subordinatas causas sibi, & ubi hæ deficiunt, ipsam primam & universalem applicat ad vota sua.

XLV. Tametsi autem (pergit num 54.) spiritus vitæ proprie non patiatur influxum ab actionibus vitæ animalis, & partibus membrisque corporis, sed ipse in illa influat: attamen ipsemet se plurimum modificat, & qualitates sibi assumit validissimas, ad actiones sensus interni, & appetitus subitaneos: quæ mutationes potentissimæ sunt in iis, quibus periculum mortis repræsentatur. Nam cum sit spiritus vitæ, & vitam ipse ex officio promovest, ubi periculum est mortis, notat, occurrere periculum destructionis suæ, & annihilationis omnimodæ: unde mirum non est, quod summis nisibus se opponat. Ita desiderio longioris vitæ febricitantes, aliisque morbis afflictos, in defectu aptioris antidoti, legimus cibis vel potibus plane contrariis repente consanatos fuisse, puta ingenti haustu aquæ frigidæ, vel vini generosi, vel esu crudorum fructuum, &c. Sicut autem per spiritum vitæ non intelligimus substantiam spiritualem; ita per terminos illos, desiderii, gaudii, iræ, indignationis, &c. non intelligimus actus spirituales; sed improprie & tropice loquimur, intelligendo qualitatem accidentalem archæi, materialem quidem, sed quam exprimere aliter non possumus, sed metaphoricis istis vocabulis insinuamus. Vt melius capias mentem hujus autoris eximii, juvat fundamentalem ejus doctrinam de negotio vitæ subnectere propriis illius verbis.

XLVI. Docet idem ibid. num 11. Vita corporea isto fere modo peragitur: 1. Semen animalis aut plantæ per *archæum*, qui est *ignis vitalis*, accenditur. 2. Potast autem exigua hujus ignis portio etiam decem myriadas seminum, inquit Helmontius, accendere. Vnde facile patet, quo perfectior, aut intensior ignis bic fuerit communicatus semini, eo nobilius genaratum iri vivens. 3. Ignis hic vitalis agit in semen eo fere modo in genere, sicut ignis non vitalis in suum pabulum, actione tamen in specie plane diversa. Nimirum uterque ignis conatur se propagare per corpus, circa quod agit: & quia corpus non seminale non est ita distributum in varias particulas, forma substantiali consociatas, sed promiscue dispositas; ideo ignis non vitalis in eas agit etiam promiscue, sine ordinato discrimine, nihilque intendit, nisi omnes a sese divellere atque disjungere: ignis autem vitalis agit in semen, cum quodam velut discrimine electivo, alias partes avellendo & separando, alias adnectendo & sociando, alias addensando ac stipando, alias subtilizando, omnia certo ordine ac modo, ad quem determinatur ipsa varia constitutione partium seminis, ejusque forma substantiali, qua ipsum jam vivit potentia. 4. Ad eum agendi modum aptatus quoque est ac præparatus ipse archæus in seipso, per nutum ipsius creatoris, juxta suas æternas ideas, eundem archæum sic instruentis. 5. Sic agendo inducit in samen paulatim formam substantialem vitæ actualis, sive animæ, diversis in partibus, diversæ ac heterogeneæ: simul etiam seipsum archæus propagat per corpus vivens, in singulia membris diversum ac varium. 6. Sicut apicula non tantum conficit mel, sed etiam confectum per cellulas favi disponit, ne diffluat; ita archæus sibi per eadem membra sua fermenta parat, quibus custodiatur ipse, conservetur & crescat; atque ita vis & operatio plastica peragitur.

Quæ operatio (pergit num. 12.) si fiat juxta ordinem in ideis divinis præconceptum, proba est & perfecta: si vero casu aliquo deflectatur ab illo ordine, hæc plasmatio erit defectuosa, & generabitur monstrum. Patet ergo, nutum Dei tanquam primam causam regiminis in eo negotio potissimas habere partes: maxime cum in dispositione locali particularum fere omnia sita sint, qui motus localis sine operatione creativa Dei nulla ratione peragi potest. Vnde 2. Machab. 7. sancta mater dicebat filiis; Nescio qualiter in utero meo apparuistis: nam singulorum membra non ego ipsa compegi, sed mundi creator, qui formavit bominis nativitatem, quique omnium invenit originem.

Operatione plastica (num. 13.) sic peracta archæus corpori organico deinceps placide præsidet, diffusus per totum, & in singulis partibus operationes vitæ, irradiantis in modum, dirigens, cum quodam sui ipsius gaudio & incremento. Nam post operationes viventi congruas, sollicitus est idem archæus (affectu utique metaphorico) de propagatione speciei ulteriore, pro qua viventi parat novum semen, juxta ideam sibimet impressam, cooperante rursum specialiter Deo. Nam alia est constitutio archæi equini, alia asinini, alia humani, sed & alia partialis in capite, alia in peda, in corde, in stomacho: quas diversas constitutiones sive modalitates substantiales, veluti ideas aut imagines

concipimus: non quæ possint visu aut sensu attingi, sed quod sint modi substantiales ipsum ignem vitalem integrantes, distinguentes, constituentes, juxta quos ipse viventi irradiat, secundum ordinem viventi bonum, & ab autore naturæ præscriptum: quæ irradiatio sic placida, ordinata, quieta, jucunda, est ipsa recta valetudo viventis. Præterea

Num 14. Contingit vero, vel vitiato fermento, vel alia perturbatione se ingerente, ut eadem radiatio defectum contrahat, vel quasdam velut caligines ac nebulas sibi assumat, modosque archæus induat plane præposteros, divinis ideis oppositos, turbativos, viventi difficiles ac molestos, ac veluti convulsivos. In qua habitudine ac inepta dispositione arbitrare morbum consistere; qui nisi sistatur, sed duret & augeatur, præsidium archæi fiet magis quotidie nocivum, qui se ipse paulatim, una cum vivente, consumet, & in nihilum rediget, quod est mori. Itaque in eodem subjecto stabulantur vita, morbus & mors; in eoque, labor medici versetur oportet, quomodo malam illam habitudinem archæi discutiat, sive correcto fermento, sive alia ratione meliorem archæo imaginem reducendo. Cujus rei similitudinem daot io spasmo, cujus malum in eo est situm, quod musculus non moveatur in directum, sed in oppositum, reluctantis ad instar: item in cane rabido, ac equo furioso. Nam archæus in seipso, & contra seipsum furias quasdam contrahit, rectoque ordine dimisso, tendit in oppositum ad suum ipsius, totiusque viventis interitum.

Num 15. Ita hydropem affirmaot, nequaquam in vitiato jecore situm esse, ut vulgo persuasum est, cum constet, multos hydropicos cum sano jecore periisse; multos etiam cum vitiato jecore, hydrope caruisse: sed consistere in archæo renum in furias acto, & sic recto ordini reluctante, ut vias lotio versus vesicam per ureteres claudat, cum aperire deberet: aperiat autem versus cavum ventris, ubi conclusa omnia esse oporteret. Atque per hujusmodi actionem contra ordinem perturbate tendentem, necessario contingit, hominem, aqua intercute, interire debere, nisi reperiatur modus, quo archæus a suo errore in placidam quietem reducatur. Differt ergo inter morbum calculi & hydropem, quod archæus renum in calculo conatur urinam recta dimittere, sed non potest, propter obstructiones: in hydrope vero idem archæus facile posset viam aperire versus vesicam, sed non vult, quia errore depravatus conatur in oppositum. Vlterius

Num 16. Vt porro characterismos morbidos archæus in se depingat, ad hoc determinatur, non solum a vitiato fermento partium, & humore quodam, sive quavis materia nociva ibi stagnante: sed etiam variis aliis accidentibus & casibus extraneis, maxime quoque a charactere mentis vivacius concepto, a quo in archæum est frequens & potens actio regiminis. Sic nonnemo (teste Drexelio) somniarat se factum cœcum, & experrectus cœcum se esse est expertus: alius audito, quempiam sibi amicissime junctum, remotis in terris peste mortuum, correptus peste & ipse mortuus est. Non pauci stultitiam contraxerunt circa aliquod speciale punctum, circa quod forti errore correpti fuerant. De catula juvene scribunt, si ista catulum 15. dierum nacta fuerit, solere eum primum lambere: deinde infatuatam, se hujus matrem credere, conceptoque lacte, eum lactare pro suo. Simile de capone, quem si pectore deplumaveris, ac super ova linteo calefacto tepentia collocaris, ex ova incubando excludere, seque, etiam media hyeme, matrem glocitando credere, & pullos fovere.

Num. 17. Sed & alia multa, & potissimum Deus ipse potest solo nutu, causam regiminis agere, & archæum ad hujusmodi ideas alienas in se efformandas determinare. Sic egit in Nabuchodonosore, archæum ejus modificando, at motum (modum) ferini & bovini, ut proinde appetentias exerceret ferinas, aliosque actus bestiales, etiam mentales affectaret, neque ipsa exprimeret, donec idem Deus archæum ejus constanter sanaret.

Similiter in Iobo, ut dicto citius sanaretur, non fuit opus alio medio, nisi ut Deus ejus archæum, omni morbida imagine relevatum, in placido statu restitueret. Porro licet eædem morbidæ imagines in archæo expressæ, eidemque impressæ tenacissime adhærescant; reperiuntur tamen aliquæ etiam separatim existentes. Sic in locis, in quibus multa cadavera insepulta jacent, generantur hujusmodi formæ pestium, vel febrium, in aere volitantes, sive in modum nubecularum atque fuliginum, sive etiam in animalcula & vulantes vermiculos transformatæ, ut ostendit Kircherus. Sed & ex scripturis novimus, morbum lepræ quondam non hominibus tantum, sed etiam domibus, & vestibus adhæsisse.

Num. 18. Cum igitur iidem characteres archæum insideant, non solum ex humoribus vitiosis fermenta corrumpentibus, sed etiam ex aliis causis per actiones regiminis ingenerentur: ideo mirum non est, solere interdum morbos quosdam nullis cedere medicinis, aliis tamen miris eventibus aboleri. Sic compertum est, podagram ex subita consternatione, vel apprehensione instantis mortis, ex toto & in perpetuum cessasse: ita rabies canina cadit, dum rabidus in aquam conjicitur. Nimirum sicut figura ceræ impressa, per impressionem alterius figuræ deletur: sic character morbidus per characterem mortis vehementiorem advenientem aboletur. Confert eodem melior cibus & potus, quia talis continere solet plus materiæ spirituosæ (Ficinus ait, quintæ essentiæ) qua nutritur, augetur & reficitur archæus, qui aliud non est, quam spiritus insitus vitæ. Vnde longævus quispiam interrogatus, quo medio vitam ita perduxisset, respondit: *foris oleo, intus melle*; mel etenim a Marsfie dicitur *cæleste donum*, quod plus materiæ cœlestis contineat.

Quod dictum de impressione characterum morbidorum, locum non habuit in statu innocentiæ, ubi nec mors, nec morbus erat: sed nunc post peccatum hujusmodi affectus ac passiones horridæ plurimum dominantur, adeo ut archæum frequenter in omnimodam consternationem & stuporem agant. Quod ubi factum fuerit, interdum idem archæus veluti fuimet impos, ab omni sua actione cessat: & quia ab hujus actione regiminis ac directiva non solum prima organizatio seminis, sed postmodum distributio quoque alimenti, & viventis directio conservatioque pendet: consequenter, dum sic lipothymiam veluti aliquam archæus patitur, cessat cum ejus regimine omnium aliarum subordinatarum causarum influxus: & quia conservatio non fit, nisi per actiones productivas semper durantes, manifeste sequitur, his cessantibus cessare vivens. Aliquando vero non penitus obstupescit archæus, sed resumit & colligit vires, & tunc vehementissimis

ſimis conatibus inſolitiſque niſibus agit, unde & miri effectus, viis inconſuetis, prodeunt. Hujuſmodi refert idem Autor

Nom. 52. Nonnemo ruſticus cultrum breviorem caſu deglotierat, quem poſtea dextro abdominis latere, cum multo pure, poſt magnam anxietatem reddidit, & incolumis ſupervixit. Vacca ſimiliter cum pabulo cultrum devoraverat, quem poſtea reddidit inter coſtas & homoplatam. Alius a latronibus coactus deglutire cultrum, eum reddidit ſoſpes per apoſtema lateris. Puella Veneta acum deglutitam poſt biennium reddidit, per viam orinæ, calculo incruſtatam. Fœtus in utero conſumptus legitur oſſa tranſmiſiſſe trans uterum & abdomen per umbilicum, nec non aliquando per anum. Antverpiæ prægnans tempore Ducis Albani, conſpecta decapitatione unius, mox peperit infantem abſque capite, quod nunquam apparuit. Alia Mechliniæ videns cuipiam manum amputari, peperit fœtum abſciſſa manu, quæ nuſquam comparuit, cruore inde defluo extinctum. Alia videns militem in bello altero brachio truncatum adhuc cruento vulnere, peperit filiam, cujus cruentus humerus per chirurgum ſolidari debuit, quæ poſtea nupſit mercatori Hochkammer Amſtelodami anno 1638. adhuc ſuperſtes, inquit Helmontius, brachium autem quo devenerit, non liquet. Hujuſmodi mirabilia multa apud diverſos leguntur, quæ quomodo contingere ſine penetratione potuerint, difficile captu eſt: laudatus tamen P. Kimmet num. 57. pag. 616. potat veroſimiliter exponi poſſe in hunc modum. Nimirum facta fuit inſolita concuſſio, ac ſtupefactio archæi tam horrifica, quæ omnem ejus actionem reginimis, circa certa illa objecta ſtiterit; qua actione ceſſante, ceſſavit & aliarum cauſarum influxus, a regimine archæi pendens: his ceſſantibus ceſſavit conſervatio illarum partium ac membrorum. Quid igitur mirum eſt, ſi abſque illis partibus infans natus ſit? quo igitur devenerunt partes? Reſp. ita in nihilum ſunt mutatæ, ſicut apparuit matribus, ſive ſubito mutatæ ſunt in aerem, ventum, fumum, vaporem.

Et num. 58. Poſſumus docere, quomodo ſit factus tranſitus illarum rerum per ſtomachum, acutem, abdomen, &c. Etenim factus eſt per vehementem niſum preſſivum, imperatum ab archæo. Naturale enim eſt archæo, inutilia excernere per vias naturales, quæ ubi nullæ patent, & urget archæum inſolita paſſio, propter inſtans periculum mortis, conatur ſibi tranſitus inſolitos parare, etſi cum ſumma difficultate & diſcrimine: adeo ut prælegerit corporis ruptionem, ſciſſionemve, evidenti morti alias obventuræ. Quomodo autem talis operatio læſiva non attulit & ipſa mortem? Reſp. dubitandum non eſt, etiam iſtam, ſimilibus in caſibus, frequenter accidere. Neque enim infallibilis eſt archæus in ſuis conatibus, præſertim per accidens, & præter naturam, occaſione facti peccati, occurrentibus Sed agit in iis ſecundum impetum, non elective: quod tamen in ſupradictis caſibus non evenerit mors, accidit ex ſimili actione archæi. Cum enim apertione facta nocivum corpus ejectum eſſet, cœpit archæus facultate ſibi connaturali ingenti affectu gaudii affici, quo impellente coegit omnium cauſarum & ſpirituum vitalium vires, quæ cooperabantur, ad maturam ac tutam vulneris coagulationem.

Ex dictis colligitur, fructum arboris vitæ in paradiſo plurimum cœleſtis alimenti habuiſſe, quo dicto citius potuit recreari & reparari ſubſtantia archæi, & omnis languor, ſi quis obrepſerat, abſtergi. Sed & hunc eſſe lapidem philoſophicum, ſive univerſalem medicinam (panacæam) quam phyſici quærunt, & pauci inveniunt; qui ſimilibus fere terminis exprimitur, quibus flamma vitæ: quod ſc. poſſit propagari, ex modica portione, in magnam quantitatem, ſive materiam ad hoc elaboratam inſtar flammæ accendere; quod converti poſſit in ſtatum liquidum, & fieri potabile; vel contra in conſiſtentiam addenſari, &c. Quæ omnia intellige ſecundum genos; nam in ſpecie differt utique ſubſtantia fructus vitæ, & lapidis philoſophici, ab archæo ſive homano, ſive alterius viventis; cum ſemper aliud ſit alimentum, aliud alitum.

Idem autor num, 73. ſic diſcurrit: Cum igitur Deus O. M. in opere ſuo mundali ſeipſum commendare & cognoſcendum exhibere vellet, præter alia Divinitatis ſuæ attributa, etiam unitatem ſuam in pluribus innuere voluit. Unde prope infinitum rerum creatarum apparatum ita diſcrevit, diſtinxit, diſpoſuit, ordinavit, ut omnia tamen certis legibus in unum convenirent & conſpirarent. Inprimis ergo ex una materia univerſali produxit omnia, quæ aliud non eſt, quam ſubtiliſſima ſubſtantia ſeminalis, & velut originalis archæus totius mundi. Hujus portionem ſinceriorem ac puriorem implantaverat arbori vitæ in paradiſo; & ejus aliqua indicia vult eſſe reliqua, oſtendendo quibuſdam, etſi paucis, univerſalem medicinam, quam *Lapidem philoſophicum* vocant. Exinde quoque decerpit & miſcet archæos particulares rerum, ſic ut de communi omnes aliquid participent, & in propriam ſuam differentiam nihilominus velut abſcondant. Hinc fit, ut omnia partim conveniant, partim diſcrepent. In quantum ergo conveniunt, in tantum alterum ab altero amatur ac trahitur, ac naſcitur ſympathia (ſive conſenſus); in quantum vero diſcrepant, ita a ſeſe disjunguntur ac (per qualitates contrarias) invicem repugnant. In eo proinde ſtatuta eſt *actio regiminis* in rebus diverſis, quod ſi una res agat, determinet & aliam ad agendum ſecum, ſi ſit ejuſdem ſecum rationis; aut patiatur, ſi altera patiatur; hæc eſt ſympathia. Antipathia vero, ſi determinat ſibi contrariam ad actum contrarium. Atque ita per actionem regiminis, præſide Deo, omnia ordinatiſſime in cœlo ac terra peraguntur, tanquam ſi in mundo nihil conſpiciatur, quam perpetua & admirabilis harmonia rerum omnium, in Dei laudem & gloriam conſpirantium.

XLVII. Hinc facile apparet, quomodo operetur unguentum armarium. Videlicet ſi unguentum ex bonis herbis ſpirituoſe confectum ſit (aut ex vitriolio abundante archæo) ſanguis autem armis adhærens adhuc recens ſit, copioſoque archæo prægnans: archæus ille ſanguini ſic immerſus, ubi amicabili unguento delibutus furorem remiſerit, determinat archæum totalem, in vivo adhuc & vulnerato homine, ad ſimiliter remittendum furorem: atque ita placatus archæus dirigit corpus vulneratum ad convaleſcentiam. Hujuſmodi actionibus & paſſionibus conſenſivis plenus eſt mundus, ut fidenter pronunciem, (inquit cordatus P. Kimmet, & ego cum illo) Philoſophiæ defectum efficere, ut nonnulli Theologi inconſulte ſuperſtitionis veſtigio damnent medicos, dum talia faciunt; exiſti-

mantes, non posse fieri ullam actionem physicam, nisi mediante contactu (transmissa nescio qua, quove nuntio, qualitate, ut ipsimet vocant, occulta, hoc est, ipsismet incognita) & per motum localem; non attendentes, quod ipsimet talem actionem doceant, independentem a concursu locali, in locutione angelica, & qua cœlites in precibus alloquuotur. Animandi potius medici sunt, ut hujusmodi studia exerceant atque promoveant, nec dubium, eos devenire posse ad varios modos curandi morbos, si membrorum, corporum, herbarum, &c. consensum perspectiorem habuerint. Cum enim immediate sæpe applicare non possint medicinas, poterunt tunc mediate, & aliis viis salutem suggerere. Vide plura in Tract. XLVI. de sympathia. Hactenus doctissimus P. Aloys. Kimmet, quocum in quaotum accordemus, patebit ex subjuncta crisi: illud mirari satis non possum, quod archæum mundi, quem ex Helmontio hausit, tantopere extollat & commendet, alibi tamen brutis omnem sensum & cognitionem proprie dictam deneget, quam tamen archæo tribuit Helmontius, ut mox aodiemus.

XLVIII. Nobilissimus Ioan. Marcus Marci a Krooland, in sua Phil. Vet. restit. Parte IV. pag. 414. subsect. 2. Quid dicatur archæus, hæc habet: Priusquam ulterius progrediamur, definiendum, quid dicatur archæus, quem sui effectorem aut etiam subjectum habeot morbi. Helmontio est idem, quod Hippocrati, *impetum faciens*. fol. 22. N. 3. constat ex nexu vitalis auræ tanquam materiæ cum imagine seminali, quæ est interior oucleus spiritualis, fœcunditatem seminis continens. Et N. 6. ait Helmont. *Cum omnis actus corporeus in corpus terminetur; hinc fit, ut archaus generationis faber ac rector seipsum vestiat statim amictu corporali; & in animatis perambulat sui seminis latebras omnes & recessus, incipitque materiam transformare juxta imaginis sua entelechiam*, & fol. 90. N. 61. Massa seminum recipere dicitur in se corporalem auram, quam Vulcanum nominat. fol. 92. n. 80. Creator luca quidditatis specifica archæum modo ineffabili illustrat; & simul in unitatem concreti connectit: estque in sensitivis anima sensitiva. fol. 91. n. 72. differentiæ & dissimilitudinis amplitudo in hoc est sita, quod splendor seminum effectus archæi fabri: lumen formale vero sit causa & actus vitalis. Denique splendor differt ab archæo, tanquam lumen a materia; adeoque totum splendoris esse terminatur in splendendo. fol. 69. n. 41. Archæus est gas de natura salis balsamici, & ex occursu alterius salis difflabilis; prout sal armoniacus, dum obviat spiritui salis petræ. fol. 251. n. 4. Archæus a primo conceptu, tam animal, quam vegetabile ad nutum propriæ destinationis movet, figurat, alterat, auget: extra autem præter quem nihil moveri, sentire vel alterari io animatis, qui regulariter se movet juxta ideam sibi a generante relictam vel aliunde ascitam.

XLIX. Est ergo archæus, juxta Helmont. impetum faciens Hippocratis, Vulcanus faber, vitæ custos, transmotationis promotor, tam animal, quam vegetabile movens, figurans, alterans, augens; præter quem nihil horum fit. Idem gas, aura vitalis & corporalis, ex sanguine arteriali ortum habens, cujus effectus splendor. Hæc & alia sunt syoonyma & proprietates archæi; seu potius *chimera*, ait Marcus Marci.

Hippocrates suum *impetum faciens* vocat ignem, Ignis, inquit, & aqua ad omnia sufficiunt; quoniam aqua omnia nutrire, & igois omnia movere potest. Ast Helmont. *absit*, inquit, *ut lux ista vitalis dicatur ignea, cremare & devastare humidum radicale, hujusque continua suliginum fœcunditate cor & arterias inquinare.* Et iterum: *non est demortuum quoddam simulacrum, sed plena insignitum scientia potestatibusque necessariis rerum in sua destinatione agendarum ornatum; adeoque vita & sensationis primum organum.* Vlterius inquit, archæus generationis faber ac rector, seipsum statim vestit corporali amictu: in animatis enim perambulat sui seminis latebras omnes & recessus; incipitque materiam transformare juxta imaginis suæ entelechiam: hic enim cor locat, ubi cerebrum designat; atque ubique immobilem habitatorem quendam ex universali sui monarchia determinat. Ita Helmontius suum depingit archæum, quem explodit Marcus Marci, ipse vero admissa anima seu spiritu muodi, archæum multo aliter intelligit, ait dum loc. cit. pag. 418.

L. *Est* autem *archaus vis & potestas anima per systema ideale limitata ad vitaliter agendum.* Systema vero ideale est series idearum ab uoa radice ordinem & nexum ad se habentium, suaque evolutione ad corpus organicum constituendum, atque hujus usum determinantium. Quæ quidem radix in humido radicali manet in suo chao involuta; suam vero evolutionem sortitur in vitali flamma ex eodem humido succensa, quam Hippocrates ignem & impetum faciens, Aristoteles calorem vitalem, Galenus calidum innatum, alii spiritum appellant, quæ una cum vita perit. Neque enim in homine mortuo calor vitalis, neque calidum innatum, neque spiritus, neque demum actionum vitalium determinatrices ideæ esse possunt. Manent vero in humido radicali involutæ, & in potentia ad novam evolutiooem, si vitæ flamma reaccendi posset, quæ non nisi ab idea jam evoluta, seu flamma homogenea propagari potest.

LI. Eodem modo loquitur de archæo parte II. sect. 4. p. 133. Est vero archæus idearum certo modo & ratione connexarum systema, fluens ab anima mundi, singulaque constituens in certo genere & gradu entis. Hæ vero ideæ actiones determinant, non solum primas seu fabricam corporis organici, sed etiam secundas seu earundem partium a se constitutarum usum, videatur Tract. de Ideis operatr. cap. 5. Verum hæc omnia magis reddentur perspicua, si idearum natura bene percepta fuerit, quam explanare conabimur Tract. XXXI.

SECTIO V.

Crisis super relatis sententiis de Anima mundi & archæo.

LII. Observo inprimis circa hactenus relatas opiniones magnam confusionem vocabulorum, quibus promiscue utuntur in hac de Animastica, quæ Chymici excogitarunt pro libitu cujusque. Isti homines (inquit Nobiliss. Boyle) affectata industria dictionibus utuntur æquivocis, sive ut sui admirationem apud lectores excitant, suæque arti majorem venerationem & mysterii speciem concilient, sive (uti id nobis persuasum vellent) ot cognitionem, quam ipsi judicant inæstimabilem, his verborum involucris abscondant. Verum quidquid horum hi viri sibi pollicea ntur ex splendido illo nugandi modo, qui naturæ principia

tra-

tradunt, majorem hominum sagacium partem id sibi sumere reperient, ut non intelligentes quæ legunt, scriptorem potius culpandum, quam seipsos, concludant. Ioan. Bapt. Ptolomæus *animam mundi, quintam essentiam, rationes seminales* habet pro synonymis: at Mars. Ficinus aliter loquitur: Sunt, inquit, in anima mundi virtutes seminales, quæ instar ignis naphtam ubique sibi expositam ignit: &, sicut nostra anima (rationalis) per spiritum (sensitivum) dilatat suas vires in membris: sic anima mundi per quintam essentiam spiritalem diffundere vires per omnia membra mundi: ex quibus qui hauserit, sciens segregare quintam essentiam, hauriet simul dotes illis ab anima mundi datas. Vnde & qui volunt nutrire cor, edant corda animalium & qui cerebrum, cerebra; & qui ossa, ossa. Ergo si vis ex sole accipere virtutem, manduca solaria, eisque utere, &c.

LIII. Campanella per animam mundi Angelum intelligit, & quidem ex choro Dominationum, rationem vitæ ex Primalitatibus deducit, &c. en quanta diversitas! Nec minus discordant inter se celeberrimi duo archiatri, Helmontius & Marcus Marci circa archæum. Nos de vocibus non disputamus, dummodo, quod res in se est, attingamus, quodque verosimilius videbitur, amplectamur. Dixi *verosimilius*, non enim ausim jactare pro vero absolute, veritatem enim e puteo profundo naturæ nemo hactenus extraxit, uti recte judicavit Antor Phil. Reg. Burgund. sic concludens, (Parte 3. Phys. Tract. 1. dissert. 1. c. 5.) His & aliis non aliud confici, quam obscuram admodum esse animæ brutorum naturam vel originem: quod in iis omnibus accidit, quorum ideas non habemus, vel quia sub sensus non veniunt, vel quia eorum non conscii sumus, ut affectionum aut cogitationum nostrarum: vel quia non sunt cum iis, quæ a nobis percipiuntur, conjuncta. Sed illud semper tenendum est, nos ab iis, quæ certa sunt & explorata, recedere non oportere, quod cum aliqua insigni difficultate, quæ evolvi facile non potest, sint conjuncta. Nam prima rerum initia ubique nos fugiunt, eaque conjecturis tantum, vel analogia quadam assequimur. Neque ii sumus, qui omnia clare a nobis percipi cum dogmaticis affirmemus.

LIV. Sic est. Non solum in Physica, sed etiam in aliis scientiis, uti notum, plura sunt, quæ nescimus, quam quæ scimus: nihilominus tamen, quod scimus, tantam habet latitudinem, quantam humanum ingenium perambulare vix potest, & ideo non decet cavillis eas denigrare, sed potius decet commiserari nostræ incapacitati, quæ ad plura indagandum est insufficiens. In cunctis fere scientiis est velut quoddam scientiæ & ignorantiæ æquilibrium, & quæ sciuntur, suæ æstimationis jus habent, cujus respectu immerito parvi penduntur. Dubiorum omnia plena sunt, hinc Viri ingenui plurimum inquirunt, ut plura adinveniant. Drelincurtius circa uteri statum & formam plures quæstiones proposuit, ad quas hucusque non est responsum, sed ad Verulamii cogitata & visa, imo ad infinita alia nullæ sunt evolutiones factæ. Illustrissimus D. Ioan. Caramuel totum Theologorum agmen provocavit in Theologia sua fundamentali, in qua Dialecticam iis ostendit, qua juxta opinionum diversissimam fundamenta ostendit doctrinæ consequentiam tenendam, aut evertenda principia illorum AA, qui permulta ad proprium placitum effinxerunt, quibus plus inest opinionis, quam veritatis: & nemo fuit, qui responderet, sed ipsimet, ad dubia ut responderet sua, injunctum fuit, quod & præstitit utcunque pro ingenii sui subtilissimi acumine in Theologia resolutiva Alexandro VII. Pont. dedicata, ad stuporem orbis literati, suique nominis gloriam perennem. Et ut verbo concludam, illud vel maxime dolendum, quod homines tot annis ab anima recti & viventes, suorum tamen immemores, nunquam ad notionem principii, eoque nec ad cognitionem sui totius animum impellant. O animam multimoda negotiantem, terraqueam machinam, resque difficillimas curantem, & tamen in re summe necessaria cœcam! Cum nulla scientia melior sit illa, qua homo cognoscit semetipsum, quid sit physice, quid moraliter: præcipue autem hominis pars anima.

LV. Observo 2. Tametsi hi termini incorporeum, immateriale, &c. videantur negationes importare; econtra materiale & corporeum positivum sonent, nequaquam tamen ita est, sed potius corporeum & materiale negationes aut imperfectiones denotant, quas per voces proprias exprimere non possumus. Fatetur autem candide doctissimus Campanella Lib. 12. Met. cap. 4. neminem nosse, quid dicat incorporeitas, sed quid non dicat. Et Rever. Abbas Hieronymus Hirnhaim, in Typho gen. hum. cap. 17. §. 4. ait: Illud axioma, quo dicitur ens materiale ac spirituale toto genere differre, non adeo certum est, ut negari non possit. Cum satis videatur probabile, corpora electorum in futura resurrectione vere spiritualisanda. Substantiæ enim spiritualis & corporeæ ratio non videtur distingui, nisi secundum majorem & minorem entitatis puritatem ac subtilitatem in suo genere. Nec contra fidem esse video, si dicatur, Dæmones de substantiali & nativa sua puritate ac subtilitate multum perdidisse. Hinc paradoxum videri non debet, si spiritum animalem dicamus corporeum & tamen penetrativum, sicut & animam, cum doctissimi AA. statuant spatium penetrari a corporibus, quod tamen corporeum & materiale dicunt esse: item qui negant, corpora liquida, puta aerem, aquam, &c. habere poros, & tamen luci pervia & calori concedunt.

LVI. Observo 3. Quæstionem esse de nomine, an spiritus mundi, & anima sensitiva brutorum debeant dici formæ, de quo hic supersedemus, determinaturi suo loco in Tract. XXVI. De origine formarum. Illud tamen improprie nimis dictum mihi videtur, quod Angelus vocetur anima mundi a Thoma Campanella, cum non sit pars mundi, sicut omnis anima vere pars est corporis animati; esto, sit rector universi, vices Dei gerens, sicut cæteri Angeli provinciarum, civitatum, hominumque privatorum Tutelares & Præsides. His præmissis

LVII. Censeo 1. Tenendum cum Platonicis & Chymicis illis, qui vim quandam materiæ ipsi coævam & concreatam per cuncta diffusam agnoscunt, quæ sit actuosa & energetica, quæque a materia divelli nequeat, quam ideæ rationibus seminalibus inditæ variæ modificant & determinant, ad operationes vegetativas ac sensitivas, quarum omnium ipsa principium, eliciendas. Hinc rebus omnibus innatus est appetitus, qui citra perceptionem naturalem concipi non potest. Hæc perceptio in animalibus duplici organo sensus interioris & exterioris instructa, excedit vegetativa tantum, adeo ut quo-

quodammodo geminata dici poſſit. Ratio ſtandi pro ſententia (quam optavit D. Hieron. Hornbaim a Viris doctis ſcholaſtica methodo, ſtyloque, ſine ullis verborum tricis & ambagibus magis excoli, & veritatis amatoribus plenius exponi) eſt, quia tali nititur hypotheſi, quæ plurimis difficultatibus expediendis planam ſternit viam, juncto idearum effluviorumque adminiculo, puta circa influxus cœleſtes, ſympathias & antipathias, magnetiſmum, &c. prout ex dicendis ſuo loco manifeſtum fiet, cum de illa ſingulatim tractabimus. Nam ut dicit Gallicus quidam Autor in ſuo libello intitulato, la Recherche de la Verite: Toute ſuppoſition, qui peut ſatisfaire a la reſolution de toutes les difficultez, que l'on peut former, doit paſſer pour un principe inconteſtable. Lib. 2. cap. 7. tomi. I.

Huic animæ ſeu entelechiæ, ſeu luci primigeniæ ineſſe quoque putamus præter panſpermiam, vim quoque plaſticam ſeu formatricem, omnis autem directio operis tam artificioſi fit per Angelos a Deo deputatos, qui prædictis utuntur inſtrumentis ad ideas infuſas conformiter divinis exprimendas & evolvendas.

LVIII. Dices. Omnis anima ſenſitiva diſtincta ab anima rationali eſt ſuperflua, ergo & anima mundi. prob. ant. quia vel eſſet ſubſtantia corporea, vel ſpiritualis: neutrum dici poteſt. E. Non prius, alias eſſet corpus; non poſterius, quia eſſet ſpiritus. Subſtantia enim in prædicamento immediate & adæquate dividitur in ſpiritum & corpus: ſicut ergo omnis ſubſtantia corporea eſt corpus, ita omnis ſubſtantia ſpiritualis eſt ſpiritus: nec dicas animam ſenſitivam eſſe ſpiritum corporeum, hoc enim chymæricum ens foret, non minus ac homo irrationalis. Si vero dicas eſſe corpus elementale, quomodo forma? quomodo cognoſcitiva? Hoc eſt argumentum palmare Carteſianorum.

Reſp. Animam ſenſitivam (idem eſt de ſpiritu mundi) dici ſpiritum eo ſenſu, quo apud chymicos tenuiſſima & ſubtiliſſima materia, quam & quintam eſſentiam vocant, quæ penetrat corpora craſſa; & quia activiſſima, formæ quoque nomen obtinet, eo quod determinet & modificet materiam, quæ ſe reſpectu illius habet ut mera potentia receptiva, poteſtque concipi ut entitas media inter ſpiritum purum, qualis eſt mens, & corpus, participans aliquid ab utroque, non tamen ob id chymæra. Quomodo autem differant ſpiritus ſtricte ſumptus, & corpus: item, qui ſpirituale & corporeum, ſubſtantia & ſubſtantiale, dicemus in Tract. XIX. De Corpore. Anima ergo, qua corpus eſt tenue, dat motum corporibus craſſis, & vitam, ſi cum eo coaluit: qua vero ſentit, non eſt corpus, quoniam ſentire eſt commune cunctis rebus activis & paſſivis: qua vero cognoſcit, habet a primalitatibus. Corporeitas tamen, ut res corporeas percipiat, medium eſt. Nec anima ſentit, qua corporeitatem participat, ſed qua primalitates, quod magis declaratum habes in Tract. 23. de Primalitatibus.

LIX. Cenſeo 2. Probabilem eſſe opinionem Roberti Boyle, Societatis Regiæ Anglicæ membr. Exercit. 5. pag. 352. & 355. & Tract. de Natura ſect. 4. & 5. ubi hæc habet: „ Cum Deus primum univerſalem in-
„ digeſtamque materiam creavit, varium ipſius parti-
„ bus motum impreſſit, quo neceſſario in innumeras
„ portiones diverſæ figuræ, molis, ſitus comparatæ ad
„ ſe invicem dividebantur. Harum autem partium motum, ſub primordia rerum, infinita ſua ſapientia, „
ac poteſtate ita direxit, ut tandem in ſpecioſam hanc „
ordinatamque mundi formam coaluerint: Cujus „
e partibus quædam erant eo artificio contextæ, ut ſe- „
mina ſeu ſpermatica plantarum atque animalium „
principia forent. Eas propterea motus localis le- „
ges regulasque partes inter univerſalis materiæ con- „
ſtituit, ut concurſu ordinario diverſæ univerſi partes „
hunc in modum confectæ magnum mundanorum „
corporum ſyſtema oeconomiamque tuerentur ac „
conſervarent, animaliumque ſpecies propagarent.

Hac ſtante hypotheſi circa mundi geneſin (nempe „
univerſales motus leges inter materiæ partes ſtabili- „
tas fuiſſe, variasque particularum conventiones in „
ſeminalia variarum rerum principia diviſas; quæ „
omnia effici poterant vi motus localis, non ſibi reli- „
cti, ſed peritius ſub initium rerum directi) ſi hæc, in- „
quam, ac ordinarium, ut merito poſſumus, genera- „
lemque Dei concurſum, ſupponamus; non ſat capio, „
cur eadem phænomena, quæ nunc in mundo obſer- „
vamus, produci nequeant, ac reipſa producantur abs- „
que auxilio ullius entis a Deo diſtincti, quod natu- „
ram aut animam mundi eſſe volunt. „

Idem pag. 45. de orig. qualit. & form. Credo, inquit, quod ſapientiſſimus naturæ Autor, non tantum materiæ motum introduxerit (ut vult Carteſius) ſed cum fabricandum mundum deſignaſſet, adeo motum particularem materiæ catholicæ certo ordine digeſſerit, ut majora earum ſyſtemata in claſſes iis præſtitutas redegerit, quodque ſpeciatim quasdam iſtius materiæ portiunculas in ſeminalia rudimenta aut principia (ideas) diſcreverit, quæ in paratis receptaculis tanquam uteris commode reciperentur, alias autem in corpora plantarum animaliumque ſegregarit: quorum contextura in hoc mihi viſa eſt maxime conſtitiſſe, quod nonnulla eorum organa ita formata fuerint, ut (præſuppoſitis, & majorum corporum fabrica, legibusque in natura rerum promulgatis) ſuccoſæ quædam & ſpirituoſæ horum animalium partes aptæ fuerint, quæ in prolifica ſemina maturentur, unde & ſui ſimile generando potentiam ſpecies ſuas propagandi adſciſcerent; adeo ut, in quantum ego video, neceſſitas quædam in initio impenderit, ut ſciens & providus agens catholicam materiam in orbem diſtribueret (maxime autem aliquas ejus portiones in ſeminalia organa & principia, legesque, ad quarum normam, motiones & actiones partium ejus in ſe invicem exigerentur, confirmaret.

Eſto igitur, poſſe poſt innumeras inſenſilium materiæ partium occurſiones Carteſii vortices oriri: omnino tamen abſurdum videtur, dicere, quod bruta & irregulata quantumvis mota materia in tam ſtupendas fabricas, quales perfectorum animalium ſunt corpora, poſſent ſponte convenire. Hucusque D. Boyle. Quæ quidem præcipue ſpectant ad Tract. 23. de principiis corp. nat. hic tamen recenſere volui pro confirmatione rationum ſeminalium & idearum, quibus velut inſtrumentis & cauſis immediatis in formatione corporum naturæ utuntur Angeli Dei Vicarii. Inſere Supplem. III.

SECTIO VI.

Cur veritas quandoque in Scholis ſupprimatur?

LX. Tametſi ſententia pneumocoſmicorum tan-

tis

tis nitatur rationum momentis (uti cum ex dictis, tum ex dicendis patebit) ut prudentem mereantur assensum, eique libenter assentiar, donec probabilior philosophandi modus occurrat, nec enim ulli veritati, nisi demonstratæ, tam pertinaciter adhæreo, quin crastino mutem judicium, si contrarium fortius persuadeatur. Et quia concordem reperi hac in parte doctrina pietateque clarissimum Abbatem, Hieronymum Hirnhaim, placuit ajus crisim propriis ejus verbis hic subjungere.

Hoc, inquit, commodi conferre mihi videtur hæc sententia, quod me a quibusdam scrupulis reddat solutum & immunem, qui solent quandoque Viris religiosis occurrere in occisione quorumvis animalium, etiam insectorum, ut culicum, pulicum, aut muscarum. Videtur enim esse contra mansuetudinem Christi, animam cujuscunque viventis cum corpore perimere, quod tamen in communi sententia facit, qui vel unicum culicem aut pulicem comprimit & occidit. Ab hoc scrupulo sunt liberi, qui spiritum mundi tenent: credunt enim, occiso pulice nihil de anima ipsius vel substantia perire; nec dolor archæo illatus tanti est momenti, aut contra mansuetudinem Christi tantopere pugnat, quantopere unius formæ substantialis atque vitalis corruptio. Desinant ergo, qui doctrinæ spiritus mundi contradicunt, & nihilominus in animalia sæviunt, saltem esse *crudeles*, si nolunt esse *creduli*.

Verum scrupulo simili nec Cartesiani anguntur, qui omnem tollunt brutis animam, sed mera volunt esse automata, uti audies Tract. XIV. De Brutis.

Quid vero est (pergit Hirnhaim) quod hinc mundi spiritus paucos hucusque inveniat fautores, quibus tamen esse vegetativum & sensitivum; item operationes omnes materiales, & cum omnibus universi rebus, ipsisque purissimis ac splendidissimis cœlorum corporibus, substantiæ sensusque naturalis communionem tribuit; econtra plurimos ex ipsis habeat adversarios & osores, qui cane pejus & angue ipsum execrantur?

Duplicem hujus causam affert; unam commune vitium hominum, qui doctrinæ, qua semel fuerunt imbuti, adeo manent tenaces, ut quidquid eam non redolet, irrideant & reprobent cum lippis & tonsoribus, ne quidem illud audire velint, multo minus intelligere, uti conqueritur expertus P. Kimmet, quod a semidoctis scholarum moderatoribus non sine gravi injuria arceantur a cathedris veræ philosophiæ. (recentiorem Cartesii, &c. intelligit).

LXI. Non desunt ex his, qui spiritum mundi, quem tamen vix adhuc unquam bene ooverunt, aut intellexerunt, adeo persequuntur, ut ejus fautores dicant non esse Philosophos, sed deliros (quo titulo P. Arriaga D. Marcum Marci honoravit) ipsamque sententiam vocent delirium ab hominum mentibus exterminandum. Utinam vero spiritum ipsos inflantem potius exterminassent, quam spiritum ipsos informantem! Sed nec informari volunt, nec discere: quos proinde missos faciamus; unusquisque interim in suo sensu abundet. Sane qui faciles sunt in censurandis aliorum DD. opinionibus, suam superbiam non obscure manifestant.

Nec solum discentium indocilitate, vel discere omnino respuentium pertinacia, sed etiam docentium ac veritatem proponentium vitio fit, quod pauci ad ejusdem veritatis tramitem a devio sententiarum suarum itinere coovertantur. Multi quidem (præcipue Glissonius) de spiritu mundi hucusque scripserunt, sed valde paucos in suam traxerunt sententiam. Cujus prima causa est, quod methodo inordinata & confusa doctrinam suam proposuerint, & insuper terminis quibusdam barbaris, ac verbis exoticis eandem obvolverunt. Qualia sunt: *Ens Pagoycum*, *Cagastricum*, *Iliastrum*, *Cherionium*, *Evestrum*, *Ylech*, *Zenda*, *Trarames*, *Turban*, *Stannar*, *Perenda*, *Nostoch*, *Zonetti*, & plura similia, quæ in Paracelsi scriptis passim occurrunt. Ex quo etiam Helmontius desumpsit suum *Relollaeum*, apud quem præterea invenies: *Gas*, *Blas*, *Quellem*, *Burlessas*, *Alkahest*, *Azot*, vocabula non tantum scholis, sed & linguis hominum, imo & diabolorum peregrina. Quo scribendi modo nihil aliud, quantum æstimo, intenderunt, quam ut viderentur sub ejusmodi verbis grandia celare mysteria, quorum margaritæ ante quoslibet non essent projiciendæ. Si hæc fuit eorum lovida intentio, scriptionem intermittere præstitisset. Magna satis est rerum naturalium obscuritas, ut obscuratione majore non indigeat. Taceo quod non pluribus margaritis scripta illorum referta sint, quam siliquis.

LXII. Alteram causam, ob quam hucusque sententia spiritum mundi asserens omnibus exosa fuit & contempta, hanc esse video, quod nonnulli ejus asseclæ in communem scholarum doctrinam, & Autores contrarium sentientes turpissime invehantur, ob quod scripta ipsorum vix habent lectorem. Plures Helmontium volverent, nisi stylo tam arroganti & supercilioso scripsisset. Inprimis enim, tanquam a Deo ad reformandam Philosophiam simul & Medicinam, *ad penuriosas*, ut vocat, *scholarum cæcitates, & credulam ignaviam* corrigendam esset vocatus, ac delegatus, dicit, *se veritatem docere compulsum, & novam condere Philosophiam, ac omnia pene rescindere a prioribus tradita. Tantam*, inquit, *scholarum & sæculorum ignaviam & cæcitatem cum mecum perpendo, laudo Deum ter gloriosum, quod parvulis in* (seipsis) *seipso multam veritatem patefecerit, quam magnatibus & cathedris occultavit.* Verum est, quod Deus intellectum dat parvulis, eisque secreta sua plus quam aliis revelet. Videamus autem quam iste (Helmont) fuerit parvulus in semetipso. Vereor enim ne omnibus major esse voluerit. Ait se legisse opera Galeni, Hippocratis, Avicennæ, & tam Græcos, Arabes, quam modernos forte sexcentos; ex iis, quidquid calamo dignum, annotasse, & in collecta supellectile nihil comperisse solidi aut veri. Aristotelem vocat *naturæ ignarum, & miserum rixatorem*. Divini Hippocratis pleraque opera *quisquilias* dicit esse *adulteras*. Galenum nominat *impostorem, alienorum corrasorem, judicio penuriosum*. Scripta Martini del Rio *stipulas* appellat *inanes, rapsodiaque pauperrima judicio priva*. In omnes denique scholas, scholarumque Doctores passim turpissime debacchatur. Sibi soli datam a Deo scientiam veritatis, non semel repetit. Se novum Medicinæ vocat Autorem hactenus duntaxat oominetenus cognitæ, & doctrinam libri sui permansuram jactat usque in mundi finem. Quæ quidem in libro ipsius usque ad diem judicii permanere potest, paucos tamen arbitror per illam convertendos. Habet cæteroquin in suis scriptis multa rara & consideratione digna, sed, ut dixi, falso & ambitioso scribendi modo animos legentium avertit, & sibi tanquam Machaoni alicui vel Æsculapio de cœlis delapso

inviolabilem in omnibus vult fidem haberi, suam medendi potentiam in omnibus extollit, & miracula jactat. Medici nomine judicat indignum, qui febricitantem non restituit ante quatriduum. Aliorum quoque morborum brevissimas innuit curationes, quamvis ego existimem theoriæ tam arroganti praxin in multis defuisse. Quidquid sit, eo, quo usus est, scribendi stylo parum probat, se ad reformandam Philosophiam & Medicinam a Deo missum.

Hunc præcessit Theophrastus Paracelsus, quem si totum legeris, jejunus ut ante manebis, maledictorum tamen satur, quæ ubique scriptis suis immiscet, & docti[n]t terminis aliquibus non significativis, quos, ut supra dictum, frequenter usurpat, quatenus mysteriosum aliquid, & communi hominum notitia indignum illis obtegere videatur. Ejus quoque jactantia[m] audiamus: Libros suos libris per quatuor millia annorum scriptis præfert. Ait ad se pervenisse Monarchiam omnium artium. Avicennam, Galenum, Rhasen, Montagnanam, Mesuen, Parisienses, Monspelienses, Suevos, Misnicos, Colonienses, Viennenses, & quotquot Dannbium ac Rhenum accolunt, insulas maris, Italiam, Dalmatiam, Athenas, Græcos, Arabes, Israelitas, se Monarcham sapientiæ sequi jubet. Vniversitatum Professores non Professnres veritatis, sed confessores mendaciorum; mendaces, non Doctores esse scribit.

O Medici, mediam huic capitis pertundite venam!

Non est hoc, aliis tradere sapientiam, sed suam omnibus profiteri stultitiam. Pancos hoc modo scriptorum & sententiarum suarum lectores, panciores adhuc asseclas reperient tumidi & arrogantes hujusmodi convitiatores & sycophantæ, qui omnem sapientiam se putant devorasse, & aliis nihil nisi deliramenta reliquisse. Nihil hic volo dicere de quibusdam aliis partis contrariæ scriptoribus, qui eodem humani generis typho sufflante, non minus per tumorem & arrogantiam excesserunt, cum tamen perfectiores esse debuerint (ratione religionis) Paracelso & Helmontio. Quisque se putat veritatem comprehendisse, quam proinde mordicus vult tenere. Interim plurimi decipiuntur; cœci sunt & duces cœcorum, quos inter

Ille mihi cœcus stultissimus esse videtur,
Qui se præ reliquis quam plurima cernere jactat.

Cum tamen longe minus videat, quam cœcus ille Evangelicus, cui homines apparebant, tanquam *arbores ambulantes*.

Licitum est nihilominus, imo & laudabile, pro modulo capacitatis nostræ scrutari naturæ mysteria, & quod quisque probabilius repererit, in medium proferre. Hanc modestissimam sinceri doctissimique Præsulis crisim ad commendationem ejus volui prolixius hic inserere.

SECTIO VII.

Ostenditur omnibus rebus sensum sui esse, & conservationis in esse: & esse, conservari, operari & agere, quia sciunt.

Ad pleniorem notitiam hujus de anima tractatus, conabimur hac sectione declarare fundamentum verissimi dogmatis, quod omnia entia sint donata sensu sui esse, conservationis & operationum, vid. primalitatem sapientiæ. Omne enim ens constat potentia essendi, sensu essendi, & amore essendi (analogice), sicut Deus, cujus imaginem ant vestigium gerunt: & sicu operatio, quæ est essentiæ extensio, non fit, si desit posse ambulare, v. g. neque si desit sensus ambulandi, neque si voluntas: ita nec ens potest esse, cui istorum deest unum. Ecce videmus quidem ens esse, quia novit esse, & nullum ens reperiri sui inscium; nam pro se pugnat contra non ignota sui destructiva, quia essendi & conservandi esse principium sapientia est, quod manifestius est nobis in animalibus. Ipsa quidem ideo sentiunt, ut noscant contraria & inimica proprii esse destructiva, & illa fugiant, ne ab illis corrumpantur: & ut noscant similia, & amica entia proficua & sui conservativa, & hæc sectentur, quærant & procurent. Vnde ignorantia est causa mortis: si enim ovis ignoret, lupum esse suum destructorem, non fugit, & sinit se perimi: & si non sentiat dolorem spinarum & lapidis, & baculi ictus, sinit se rumpi, & frangi, & perdi. Item si nesciat herbam sibi prodesse ad vitam, non edit, & pereat oportet. Vnde & quæ perdunt sensum gustus, a cibo abstinent & moriuntur. Et in confesso est apud omnes Philosophos, sensum datum esse atque sensoria propter conservationem esse, ut sc. proficua & noxia percipiant, & hæc declinent, illa sequantur.

Et quia non modo præsentia, sed etiam absentia bona & mala indigent scire: datum est eis memorari, & juxta præteritas passiones illatas, de futuris judicare, cavere, & sectari, & a similibus similia quoque dignoscere, & syllogizare, unde & æstimativo discursu indiguerunt, qui est sensus in simili: & intellectu, qui est sensus absentis, & occulti, & communitatis. Servantur ergo per sensum & cognitionem. Et cum ista perdunt totaliter, perdunt & totaliter esse animal, sicut cum perdunt potentiam essendi. Generant quoque per exquisitissimum veneris sensum: & quæ carent hoc sensu, non generant, nec proinde in suo simili servantur. Generandi quoque ratio videtur esse sapientia, qua vel occulto persentiscunt propriam mortalitatem in se, unde generant similia sibi, in quibus vivant.

Sapientia quoque miro ordine constituit, & architectatur corpora & organa sensuum, & nutritionis, & generationis & motus: basim faciendo solidam ex ossibus disjunctis & colligatis, ut possit erigi & flecti, & moveri: superextendendo nervos ad ipsa colliganda, & ad deferendum spiritum animalem: venas vero & arterias ad deferendum nutrimentum: caput, in quo mirifice fabrefacto universitas spirituum resideat tanquam inharce: sensoria tanquam fenestras ad noscenda mala & bona: os ad capiendum cibum ad instaurationem ejus, quod continuo de corpore exhalat a calore eductum in aerem: ventriculum, in quo coquatur cibus: intestina, in quibus distilletur, & pars proficua a fæcibus sequestretur: cœlum ad fæces purgandas: jecur ad succum utilem coquendum & sanguificandum: cor, ad extenuandum sanguinem in spiritum: & fel, lienem, vesicam urinariam, & renes ad sequestrandas fæces, spumam & cineres: & denique non est particula in animali, quæ non multos ob usus mira arte fabrefacta sit: hæc autem a stupida natura fieri nequeunt: & cum homo generans istbæc ignoret, consequens est, ut sit sapientia essendi indita rebus, quæ est principium essendi & operandi, & agendi, & conser-

van-

vandi entia, ut concludit S. Gregor. Nissenus. Et quia in cæteris rebus eadem sapientia relucet, quæ in animali, & ob eosdem usus, consequens est, ut sapientia sit essendi principium, non minus ac potestas. Et quoniam quidquid habent elementata, est ab elementis, ut calor, frigus, materia, motus, &c. ita & sensum ab elementis contrahaot necesse est, vel ab intelligentia, vel a Deo, si non inest elementis: Atqui inest elemeotis, ergo &c. quod

Probatur 1. in calore & frigore. Calor enim agit contra frigus, & non contra lineam, nisi sit frigida: neque contra materiam non frigidam: & persequitur frigus ad internecionem usque, & quando potest, extinguit ipsum, & a suo deturbat subjecto: ubi vero non potest, fugit: & si fuga impediatur per antiperistasin seu circomsessionem, unitur, colligitur, concentratur & fortior fit: veluti milites pauci Cæsareani circumdati e multis Belgis, Gallis, Africanis hostibus. Frigus econtre idem facit: ergo sese mutuo sentiunt, proprio sensu, non alieno, sicuti propria vi sunt & egunt. Nam idcirco contra iovicem agunt. Si enim non sentirent, non dolerent, & sinerent se a contrario interimi perdique. Item non agerent contrarium in contrerium, nec resisterent alterum alteri, & proinde generatio & corruptio nulla foret, nec alteratio. Necesse est ergo contraria ipsa sentire.

LXIII. Item mundus ipse Chaos esset, & nil distingueretur, nisi sensus rebus inesset. Videmus enim ignem fugere sursum, quia sentit in loco imo tellurem sibi infestam, & in circumferentia cœlum sibi cognatum simileque. Econtra tellus deorsum ad suam fertur universitatem, & aquæ ad mare. Hoc autem non fecerent, nisi sentirent amicum inimicumque: & ubi primo invenirentur, aut ubi postea punirentur, ibi sisterent seipsa: & ita rerum uniuersitas distinctissima in chaos fuisset semper, vel abiret modo. Quapropter recte Anaxagoras menti effignavit rerum distinctionem, si tamen rebus, ut obedirent, sensum dedisset, sicut S. Hieron. qui omnia sentire creatorem ait, quoniam venti, terra & mare obediunt ei.

Quod si autem calor & frigus sentinot, cuncta entia, cum sint ab eis constituta, sentiunt, maxime cœlum & terre. Nam

LXIV. Præterea non possent fieri animalia sentientia ex elementis non sentientibus; ex nihilo enim anima brutorum esse nequit. Neque est harmonia, neque quid sequens mistionem, sed aliquid operans potensque, sciens & volens, ergo vereeos. Et sane stultum videtur, attribuere formicis & culicibus, & vilissimis rebus sensum, & negare illum cœlo & terræ, a quibus ista originem ducunt, & quidquid habent; particulamque vilem nobilitare, & totum nobilissimum ignobilitare. Vnde dixit Deus: *producat terra animam viventem*, procul dubio, ut PP. concludunt, de suo produxit, quia sensitiva est.

Vnumquodque porro conservatur a simili; & destruitur a contrario, ergo indiget utriusque scientia. Dei autem perfecta sunt opera, nec deficit in necessariis, ergo cuoctis dedit sensum necessarium, aliis clariorem, ut aeri, calori, frigori, cœlo, ventis, spiritui: aliis obtusiorem, ut lapidibus, ossibus, nervis, aquis, terræ.

LXV. Item in plantis manifestæ sunt operationes sapientiæ; siquidem ipsæ nutriuntur & vegetant, ergo purum & proficuum ab impuro & inutili sequestrant; ideoque utrumque norunt, alias vel nullum attraherent, vel omnem telluris foceum. Videmus ees, cum æstu affliguntur, languere & squalescere, comasque demittere. At si pluvia subito irrigentur, cernuntur attollere comas, virescere & manifesta gestire lætitia, veluti famelicæ pecudes, ubi pascua invenerunt.

Habent quoque plantæ amicitias inter se, & inimicitias, & sexum: non modo enim cognationem specificam habentes sese mutuo sentiunt, unde S. Athanasius notavit, quod dum in campis florent vites, etiam vinum in doliis reflorescit, & exultet: adde oleum, dum oleæ florent: verum etiam specie differentes habent consensum. Vites nim: ulmis amicæ, brassicis inimicæ dicuntur; & lupiois sicomori. Oleas ament mirti, fugiunt cucurbitæ, & ad salices extenduntur, & a supposito oleo aufugiunt & contrahuntur: ad aquam vero suppositam in vase extenduntur & augentur: solatrum solis amore circumvolvi norunt omnes: almas vero non fructificare, nisi suo masculo adhæreant, vel ejus odore aut pulvere eb eo accepto illinantur. Fungi nascuntur in Calabria odoriferi: at si juxta eos excrementa humana ponaotur, non nascuotur ibi, sed ulterius genitalis eorum vapor serpit, & longe a merda fructificat. Non me latet, hæc omnia sine sensu & anima, per corpusculorum diversitatem ab Honorato Fabri explicari, quasdam entem experientias pro fabulosis habere, quem permittimus in suo sensu abundare.

Est quoque rationis specimen in plantis: quoniam quæ cito sunt morituræ, cito fructificant, ut in natis vivent, velut frumentum, hordeum, avena, in eodem anno: quæ diu victuræ sunt, serius pariunt fructus, ut quercus, & narangii, cedri; quæ mediocri tempore, ut vites, ficulneæ. Item emittunt primo folia ad munimen sui & florum, ab æstu & frigore; mox flores, mox fructus, quos osse & pulpa ad tutelam & cibum vestiunt: & ad defensionem ab animalibus aliæ producunt aristas, ut frumentum & hordeum contra passeres; aliæ spinas & tribulos, ut graneti & lazaroli, & spinaces contra linguam asinorum & boum, &c. aliæ folliculis spinosis vestiunt fructus suos, ut castanea cootra glires & mures, quoniam aoimalia grandia ad ipsos non ascendunt: & ita faciunt animalie se cornibus muniendo, dentibus exertis, squamis & spinis, ut istrices, echini. Ergo & plantis est sua sapientia, principium essendi, & operandi, & agendi manifeste: quod & Pythagoras novit, & Aristot. iners negavit, quoniam non vidit in eis, ut dicit, opera sensus, quæ tamen manifestissima sunt.

LXVI. Item in lapidibus relucent opera sensus, quoniam non ubi ponuntur, permenent, sed deorsum ad cognatam feruntur terram, & crescunt, & nutriuntur. Non enim subito & paulatim montes lapidei creverunt, & ossa enimalis lapidibus simillima crescunt, & testæ limacum, & conchiliorum lapideæ sunt & augentur, & vegetant, ergo trahunt nutrimentum, ergo illud sentiunt.

Petet idem in quibusdam actionibus. Magnes enim attrahit ferrum, & succinum paleas; & quidem non nisi sensus ad superpositum magnetem erigit ferrum. Nam & canes eriguntur ad cibum eo sursum, quo non possent ebsque cibi sensu & amore efferri. Colligit ergo ferrum vires suas, ut amico fruatur corpore sibi agneto. Magoes eoim juxta ferri fodinas nasci-

nascitur,& ejus pars nobilior videtur. Astrohites quoque lapis, & trochites,succo lemonis vel aceto perfusi super tabellam moventur sponte, quoniam pars spiritalis in eis latens,ut ignis, qui excutitur ab eis, admonet, excitatur acumine aceti, & ad motum agitur, sicut & demortui homines allio vivificantur.

LXVII. Est tandem sensus in rebus, quas mortuas vocamus: homo enim occisus ad occisoris præsentiam movetur & sanguinem emittit, quasi timorem iramque servans. Serpens etiam occisus ab umbra fraxini recedit,quam vivens ita odit,ut potius in ignem, quam in ipsam ruat. Tympanum ex pelle ovina confectum, rumpitur ad sonum tympani illius,de pelle lupina. Fides cytharæ de intestinis pecorum dissiliunt ad sonum fidium de intestinis luporum inimicorum. Et fides prima tracta & extensa ad sui mensuram; si alia ejusdem mensuræ & crassitiei cum prima pulsetur, sponte agitatur & commovetur, quoniam sua a simili afficitur. Pili & capilli in serpeoticulos vivos aqua tepente vertuntur: positi ad ignem retrahuntur & fugiunt: crescuot etiam in mortuis, & vermes in cadaveribus fiunt seotientes, quoniam sensus cunctis inest, etiam mortuis, ut S. August. considerat. 3. super Gen. c. 14. sed non qualis quaotusque vivis eisdem.

Mori ergo est,mutare seotiendi modum, & sentientem spiritum amittere: in quo maxime vita relucebat: non autem est,lensum omnem perdere, quoniam, oequit,nisi & esse ipsum perdatur penitus.

Quid? quod & ipsa materia sentiendi vim babet, quoniam habet potentiam (fatentibus Add.) susteotandi formas, ergo & illas sentiendi, unde & appetere dicitur: & quidem cum omnibus rebus insit appetitus, nihil potuit appeti, nisi præcognitum, ut probat S. Thomas; utique omnes sentiant necesse. At in materia, cum deorsum labuntur corpulentæ res, patet. Cum enim neque a calore sint devictæ, ut possint moveri in aere,neque a frigore, ut possint immobilitari, cadunt ad fulcimentum exterius, vid. ad terram. Et quo illi propinquant magis, concitant motum magis, veluti animalia prope fiuem fugæ: cujus ratio nulla afferri potest, nisi materiæ sensus,quæ nata est ad sustinendas operationes caloris & frigoris, & non ad proprias edendas. Itaque cum a neutra causarum activarum (caloris & frigoris) sit devicta, sibi ipsi relicta, decidit ad fulcimentum commune,& concitat motum sibi exosum; quia non est sibi proprius,nec formæ io ea regnantis, sed veluti fuga, & casus, est impotentia ad motum, quam merito amittere cito velit. Noo enim hanc concitationem facit telluris amor: quoniam entia calida, terræque inimica, ut calx, vinum & carbo accensus,casum eundem accelerant. Neque aer multus superpositus, ut alii somniant. Nam subterpositus multus etiam condensatur magis, & detinere potius deberet mobile circa finem, cum etiam probatum sit,minoris diametri pilas ferreas citius ad terram descendere, quam majoris, (de quo tamen suo loco disputabimus) ergo detur materiæ sensui; quæ servat ipsam in esse sustentativo, & non activo. Ideo aversatur actionem, & sustentationem agentiom cupit.

LXVIII. Sane miror, Add. materiæ appetitum erga formas in scholis suis prolixis disputationibus texere,& tamen non admittere,nisi metaphoricum,similem risui pratorum. Ipsi in hoc ridendi, dum quærunt, an materia magis appetat formas nobiliores,quam ignobiles; an etiam semel corruptas optet recuperare? Cum enim nil sit materia præter puram putam potentiam receptivam, idem faciunt, ac si quærerent, an scamnum appetat sessionem nobilis præ rustico, & caupona divitem præ paupere? apage has nugas.

LXIX. Demum totius universi distinctio partium a partibus, & ad cognata recursus, & coosensus aliorum ad alias partes priocipales,& sympathia, & antipathia, idem testantur,uti particularius monstrat Thom. Campan. Lib. 6. Met. c. 7. art. 1. Specialem herbarum cum hominis partibus vide apud Portam, & Paracelsum.

Nec quia elementa, & cœlum, & venti,& planta earent oculis,& auribus,& lingua,non sentiant, ut Peripatetici stulte (ut loquar cum Campan.) contendunt. Non quidem oculus videt, nec auris audit, sed spiritus, qui est io ipsis: quo abeunte introrsus, ut in somno; vel ad cœlum,ut in morte, non sentit oculus & auris, aliaque organa,sicut prius, sed alio modo longe stupidiori: quooiam sunt instrumenta, partes vid. corporis foratæ ac graciles, ut possint ad sentientem spiritum sensibilia entia admittere: idcirco putandum, longe melius sentire aerem ac ventos, qui nihil non moliuntur, ut constrictionem,propriæ mortis causam, effugiant, ac spatium suæ vitæ ac tenuitati aptum utilequa cooquirant. Et sicut stultum est, dicere, propterea ventos non moveri, quia ooo habent crura pedesque, atq; eos,qui in campo sunt,non videre,quia non habent fenestras, per quas nos domi moraotes foras prospicimus: vel pueros non videre, quia ocularibus noo utuntur: ita stultum est, asserere,propterea entia non videre, nec sentire,quia careut oculis,auribus & naribus, cum hæc instrumenta & portæ sint spiritus intra crassam molem inclusi gratia admittendi res sensibiles, quas in aperto aer, & omne sensitivum sentit subito & melius: sicut liber melius noscit,quæ foris fiunt, quam clausus in carcere videns per fenestras solum & clathros.

Veteres quoque sapientes nostræ sententiæ favent. Thales putat omnia esse animata, quod exemplo magnetis ferrum trahentis, in quo vix credi potest, confirmat. Pythagoras,& Plato,& Varro, & Paracelsus, & Stoici, mundum animal magnum esse docent. Divi Basilius,Gregor. Nyssen., Augustinus,Iustinus Martyr, animam dant mundo universalem, ut patet ex Libr. imperf. super Genes. Hippocrates in lib. de principiis corp. humani,calorem intelligere, sentire & præseotire docet. Galenus quoque calorem nativum esse sensitivum declarat, & cum nihil ipse faciat nisi ab elementis, ergo calor elementaris seotit, ergo & omnia calida. Et in 17. de usu partium, dat mundo animam. & in lib. de format. fœtus itidem: stulte tamen postea jecori & cordi negat sensum, ut triplicem animam in corpore oostro adaptet. Item Arist. in Lib. de gen. animal. c. 11. *In putrefactis*, ait, *facile generantur animalia, quoniam est in terra humor; in humore spiritus, in spiritu calor, ut quodammodo omnia anima sint plena.* Telesius celebris Philosophus cuncta entia sensu donat multis argumentis.

LXX. Confirmatut ex illo Eccl. c. 42. *omnia hæc vivunt, & manent in seculum, & in omni necessitate obaudiunt ei.* Ponimus itaque in cunctis rebus sensum naturalem,in brutis sensum animalem,in hominibus sensum rationalem; in Angelis sensum intellectualem, in Deo sensum divinum. Vnde Apost. ait: *Quis novit sensum Domini*? Hieron. ergo negat elemen-

mentis sensum divinum irretitum, qualem Manichæi posuerunt, & rationalem; non autem naturalem: & ipse super illud Ezechielis: *Spiritus vitæ erat in rotis*, vitam & sensum dat cunctis elementis, & elementatis: & quoniam appetitus sequitur perceptionem appetibilis: sequitur, quod si cuncta entia, ut probat S. Thom. 2. contra gent. & in 14. Iobi lect. 2. habent appetitum naturalem, habent etiam sensum naturalem ab impressione primæ sapientiæ, & propterea vere, non metaphorice, appetunt & delectantur in suo fine adepto gravia & levia, & cuncta naturalia, ut probat S. Thom. q. 23. de volunt. ergo vere sentiant oportet, ut ibid. q. 22. concludit: alioquin non vere appeterent, sed sicut sagitta, ad scopum (ait) dirigerentur a Deo, & non irent appetendo, & periret natura; & mundus esset statua Dei mortua, non viva.

Hæc sunt, quæ speciose affert acutissimus Thom. Campan. Lib. 6. Metaph. c 7. a. 1. pro sua sententia omnes res animante: cui e diametro Cartesiani opponuntur, vix homini tribuentes animam, ad quam fide magis admittendam, quam ratione naturali, non erubescunt profiteri. Forte quis media tutissimus incedet via. Iuvat interim proferre argumenta non levia, quibus supra positus Campanellæ discursus impeti potest, & quibus se defendat armis.

SECTIO VIII.

Proponuntur argumenta contra dicta sect. 7.

LXXI. Oppon. 1. Si cunctis rebus inesset sensus, & omnia essent sensitiva, animalia non differrent a non-animalibus: nam lapides, plantæ, & elementa æque dici possent animalia, ac equus, leo, canis, &c. Impossibile autem est, fieri animal sine organis, & habitari ab anima, & corpus animatum non solidum, non compositum, non heterogeneum.

Respondet Camp. N. conseq. quamvis enim omnia entia sentiant, non tamen omnia erunt animalia. Animal enim est corpus, cui spiritus tenuis æthereus intra crassam molem, & humidas viscosasque partes ingenitus est & inclusus; ex quibus egredi non potens, & ad cognatum cœlum evolare, crassitie retentus, & timore frigoris externi, ac caloris magni, qui mensuram sui subjecti perdit, vivere ibi statuit, efformatque sibi fato, necessitate & harmonia (de quibus influxibus vide speciales Tractatus hic in suo ordine) cooperantibus, organa vitæ: quorum alia pertinent ad potestativum, alia ad cognoscitivum, alia ad appetitivum, alia ad operativum & motivum principium, communis vitæ causam. Quapropter non est necesse, omne sensitivum corpus esse animal.

Non planta, (nisi forte inversum imperfectumque velis dicere) : caret enim acumine & copia spirituum, similiter & organis motus, quoniam potest ex terrestri succo nutriri ob suam crassitiem, nec facile læditur ab externis rebus ob idem. Ideoque non indiguit organis motus, neque sensoriis, quibus a longe bona malaque persentiscat. Habet tamen organa appetitus & potestativi proportionata nostris, non autem sensus egressionis: si enim non potest ad illa vel ab illis conferri, neque sentiendi portas & foramina necesse habet: multo autem minus ipsi lapides & metalla. Aer autem & cœlum non sunt crassa in mole conclusi, ideo sensoriis & pedibus cæterisque motus organis opus non habent: subito enim sentiunt, subitoque moventur, quo necesse est. Idcirco nec animalia, nec animæ dici debent, anima enim est, quæ animat, movetque corpus sibi ab extrinseco coaptatum: cœlum autem, ut Salomon quoque innuit, spiritus est tenuis calidusque sentiensque, corpore crasso non vestitum, nec proinde anima dici potest, licet substantia sit animæ.

LXXII. Oppon. 2. Ex hac doctrina sequeretur, mortua non differre a vivis, cum & in illis adstruatur sensus, & D. August. ait, non, quia inesset cadaveribus sensus, esse nobis tumulanda. Manifeste etiam pili, ossa & nervi, ut terrestres & plantales non sentiunt; imo nec sanguis, nec spiritus nisi animetur. Resp. aliam esse mortem rei simplicis & uniformis; aliam compositæ & difformis. Simplex quidem calor extinguitur, peritque a frigore devictus, non tamen dicitur mori. Similiter nec ignis ab aqua suffocatus, cum tamen secundum rem moriantur, non secundum nomen. Nomen enim mortis ad animalis extinctionem proprie pertinet, juxta usum & vocabuli originem. Estque, ut docet S. Ambrosf. separatio partis spiritalis vivificantis & moventis crassam, & sentientis exquisite & acute a parte corpulenta, organizata ab eo (spiritu) & vivificata & mota: quæ a spiritu derelicta, non amplius potest moveri ob suam crassitudinem: nec videtur posse nutriri, quoniam spiritus sensitivus mortalitatis cognitor acutus, quærebat alimenta, comparabat & aptabat corpori, & sibi illa; unde corrumpi necesse est illo non servante. Nec videtur posse sentire, quoniam illa pars, quæ acute sentiebat & maxime, abscessit. Igitur mors hoc ipsum est, separatum esse a magis sensitivo, & motivo, & vivificativo. Quapropter lapides, qui hujusmodi spiritum nun habuerunt, mori non dicuntur: cum tamen semper mortui sint. Plantæ vero mori dicuntur, sed non ita proprie, quoniam non relucebat in illis per organa sensus & motus. Et ideo modica vita privari videntur. Aer vero & cœlum mori non possunt, nisi in aquam aut terram vertantur. Et quia non remanet pars corpulenta privata tenuioribus, non dicitur illis inesse mors: cum tamen verum sit, omnem mutationem esse mortem præcedentis, & vitam sequentis naturæ. At in mortuis vocatis rebus sensum inesse, sed non qualis erat in spiritu abeunte, palam est, tum ex dictis, tum quando bos decoriatur a lanione, partes carnis nondum toto spiritu evacuato tremunt, & quasi exhorrent dolorem: ungues & pili mortuorum crescunt: Quod non fit absque sensu: vermes quoque generantur ex eis, quorum sensus præerat in carnibus, ut etiam docet S. August. 3. super Genes. c. 14. & paulatim crevit attenuante calore mollitiem, & vertente in spiritum, operari, moveri, & sentire potentiorem: ex nihilo enim hujusmodi spiritus & sensus esse nequit. S. Augustinus negat sensum cadaveribus, qualis prius inerat, cum a spiritu vivificabantur, vel quod anima humana circa cadavera spatietur, veluti putabant cum errore gentiles: non autem negaret sensum obtusum convenientem illis; etenim in libro allegato sensum dat cadaveribus naturalem, & in libro de divinat. Dæmonum, docet Dæmones ideo acute sentire, quoniam corpora habent tenuissima, & aerea. Aer autem ad acute sentiendum & patiendum aptissimus est: sensus enim est pati. Quod si aer sentit Augustino, utique & cætera elementa sentiant oportet. Præterea in lib. imperfecto super Gen. cap. 5. probat, sensitivam vim cunctis inesse elementis, unde fiant animalia: & in putrefactis inesse seminaliter sensum, unde fiunt ver-

vermes. Omitto, quod non ut testis, sed ut opinator, sæpe loquitur, spiritus ergo servabat corpus multiformiter, per motum purgando: per sensum servando a contrariis, & quærendo utilia: & per actiones internas restaurando. Ideo illo abeunte hæc cessant, & sequitur putrefactio, quæ etiam non mortuis communis est: & mutatio communior entibus cunctis magis minusve.

LXXIII. Ex his patet responsio ad Arist. qui ossibus, & nervis, & pilis sensum aufert: ideoq; & ab elementis. Nam dentes tactos sentire, manifestum est, & calorem, & frigus & saporem, quod & Galenus fatetur: ergo & alia ossa, licet obtusius, sentiant oportet, ejusdem enim sunt substantiæ.

Item augentur ipsa, & pili, & secernunt utile ab inutili; illud attrahunt, hoc respuunt, & ex eodem semine animata fiunt. Verum providit Deus, ut parum sentirent, quoniam statuam animatam totam tanquam basis sustinent, & pili tuentur. Si autem exquisite sentirent, uti spiritus, paterentur dolorem ab omni infesto occursu, & a pondere proprio, & rueret crebro animal, & ab extrinsecis affligeretur nimis: propereaque ex materia indurata, abscessu partium tenuium, in quibus sensus vigebat, constanti stupidaque, & sensu modico donata. Et sane cum pili secantur, & cornua, & ossa sentiunt aliquid doloris: sed propter suam densitatem non communicant illam passionem sentienti spiritui, a quo veluti discontinua sunt, nec pars læsa alteri parti satis sensum communicat: & ideo animal, quod est spiritus ipse in crassa organizata vivens mole, non sentit illam passionem, putatque nec pilo sectionem, aut ossi perceptibilem esse: spiritus enim particulis implantatus non communicat spiritui libero suas passiones, ut patet in somno, & extasi, & inadvertentiis aliis. Vermes quoque, qui intra corpus nostrum generantur, putant nos non sentire, quia eorum spiritus a nostro est discontinuatus: sic & nos cæteras mundi partes, in cujus ventre vivimus, putamus non sentire.

Sanguis quoque si pungatur, sentit, ex eo enim est spiritus sensitivus, ait Athanasius, Ambrosius & Basilius. Sed tamen anima ejus sensum non percipit, quoniam disgregatur, & non constat passio in continuitate communicabili, ut etiam spiritum efficiat.

Dormientes quoque, si paululum pungantur, non sentiunt, quoniam, etsi carnis spiritus sentiat, ejus passio ad spiritum liberum, ad interiora collectum, non pertingit. Igitur neque durities nimia sensum doloris admittit, neque admissum communicat: mollities vero nimia admittit, at refugit. Nervis Arist. perperam sensum aufert, & cuti, cum in his manifestissimus sit. Sed in habitante, & per eos dilato spiritu sentiant magis, quam propria temperie; qua obtuse sentiunt ob densitatem datam illis ad tegendum, & retinendum spiritum: sic etiam obtuse sentiunt plantæ & tellus, nec ipsarum similitudo aufert sensum.

LXXIV. Oppon. 3. & fortius. Adductæ rationes præced. sect. vanæ sunt, ex eo capite, quia sufficit instinctus naturalis ad movendum calorem & frigus ad agendum in se invicem: aut certe id provenit ab anima mundi, ergo non est necesse singulis dare sensum rebus, sed sufficit ab illa ad suos fines dirigi.

Item non modo sensitiva, sed & plantæ rationa quadam & architectura constant, folia enim & fructus, & spinas ob fines suos gignunt, & immortalitatis cupidinem ostendunt: ergo ea ratione, qua sensum damus rebus, oporteret quoque dare intellectum, quod absurdum est: sufficit enim anima mundi, vel natura, vel Angelorum cura ad illarum opera dirigenda.

Manifestum quoque magneti & ferrum nullum inesse sensum. Ergo hoc faciunt instinctu, uti & remora tenet navim; & mustela ori bufonis devoranda illabitur; & bos ad ficulneæ umbram mansuescit; & alia multa, quæ occulta vi fiunt, instinctu ignoto. Sic Honoratus Faber Lib. 4. de plant. prop. 7. n. 4. quærens, cur cellulæ apum sint hexagonæ, & quomodo conficiantur? Respondit, quid mirum si natura illum fabricandi modum adhibet, & natura duce apes?

Respondit Campanella, operationem sensuum instinctui (ut vocant) naturali perperam tribui. Nam quæ idea hujus vocabuli *instinctus?* Instigare est impellere, & dirigere aliquid in finem. Impellens autem (si rite & ordinate impellit) debet cognoscere finem. Cum autem res omnes naturales recte ad suum finem ordinentur, videntur & causa cognoscente dirigi, quacum operantur. Igitur aut ista causa est extra ipsas res naturales, aut intra: se extra, vel est Deus, vel Angelus, vel anima mundi, vel necessitas, fatum aut harmonia. Nihil borum dici potest. Si Deus, ipsis non consentientibus & cooperantibus, sed mortuo modo & mere passive se habentibus, ut sagitta, ergo sequitur opinio Saracenorum & Arabum sacerdotum cum Averroe Metaph. 11. a D. Thoma & omnibus reprobata, quod vid. res naturales nullam edant propriam operationem, sed Deus operetur in illis. Et sic tolleretur ab eis actio formarum propriarum, & formæ ipsæ: si enim Deus dedit illis proprias formas & virtutes, utique & operationes ut edant proprias concessit. Ut quid enim dedit operandi vim & non operationem? item imperfectus esset autor Deus, qui mapus dedit & non potuit perficere, quod daerat minus, vid. actionem. Item non magis calefaceret calor, quam frigus, Deus enim est, qui calefacit, & in utroque potest idem. Item homo nasceretur Deo similis in specie, non patri suo, & nullus error nec in natura, nec in arte proveniret, si Deus cuncta immediate, ut ajunt, immediatione suppositi, & non principii tantum, vel virtutis produceret & ageret, ut docte probat S. Thom. 3. contra gent. 70. Potentissimus enim est Deus, sapientissimus & optimus. Non ergo peccabit impotentia, nec inscitia, nec negligentia aut malitia. Unde ergo monstra, & peccata naturæ & artis? Profecto si opinio placeat cuipiam, bestia sit ille oportet, & deterior Calvino: sic enim sequitur, nos agi ad peccandum a Deo, & plantam fructus non producere elegantes, & flores deficere, quia Deus non potuit illos producere, & retinere. Et cum calor non potest calefacere, illa impotentia erit Dei? absit, & quidem hæc & alia absurdissima concedi deberent, si a rebus proprias abstulerit actiones.

Quapropter lapis, calor, frigus, magnes, & omnia entia juxta vires proprias operantur: & cum sensus indicium promant, sentiant est opus: si autem dant Deo impotentiam, aut inscitiam, aut odium, ille non erit Deus. Unde patet ab Alcorano Mahometi hanc opinionem ortam esse, & a Calvino inde haustam.

LXXV. Unde mirum est, quod quidam Theologi asserant, bruta instinctu Dei omnia operari, & non proprio sensu, nec sensuali ratiocinio: sed instinctu divino, sicut sagitta a sagittario impulsa scopum attingit. Unde ait Sotus de Iust. & Iure L. 1. 4. 3. & 5. se deprehendere

dere ex eo, quod creaturæ irrationales diriguntur a Deo despotice, sicut corpus ab anima, & ideo id solum bonum appetunt, quod illis vere est bonum: & hominem esse inferiorem quodammodo brutis; quoniam appetit quod sensui est bonum, & rationi, quæ est sua natura, est malum. Et hoc quidem perperam affirmant; nam & bruta quandoque appetunt malum: sæpe anim e omedere herbas noxias solent, v. gr. oves napellum, & contra naturam feles catulos suos devorant, & Campanella testatur se vidisse cervum subagitare asellum in ano, & alia multa facere solent bruta sibi noxia, & pœnam naturalem pati, & non ab omnibus pœnis eximi, ut putant. Et quidem, si solo Dei instinctu agerentur, nunquam errarent, nec dolores incurrerent, nec in foveam caderent.

Exemplum de sagittario nihil probat: sagitta enim violenter aliena vi, & alieno appetitu impellitur: naturalia vero naturali vi appetituque innato. Ergo si Deus dirigat omnia ut sagittas, violentat naturas.

LXXVI. Audiamus de hoc S. Thom. de verit. q. 22, art. 1. ubi ait: quod si naturalia non a se, sed ab alio ducerentur ad finem, sicut sagitta: tunc non appetere finem, sed dirigi aut impelli dicerentur, &c. probarat autem, quod omnia naturaliter appetant finem. Ergo sentiunt dicat oportet. Vnde 1. 2. q. 109. concedit res omnes amare Deum plus quam seipsas naturaliter. Et de volunt. q. 23. art. 1. negat naturalibus sensum animalem, qui fit per speciem apprehensam, non autem naturalem, sicuti appetitum naturalem habent. Ipse enim semper docet appetitum sequi præcognitionem, vel rationalem, ut in homine; vel animalem, ut in brutis; vel naturalem, ut in elementis. Et triplicem ponit in q. de volunt. *instinctum*; sc. *impulsivum*, qualis sagittæ; *directivum*, qualis discipuli a Magistro; & *naturalem*, qualis unicuique a propria forma. Et propterea ait in resp. ad 13. Res naturales non metaphorice, sed vere delectantur fine acquisito, quem appetebant; & probat authoritate S. Dionysii: ergo & sentire. Si autem operantur, & Deus ab intra cooperatur immediatione virtutis, attingunt suos fines per suas operationes, & per suas vires, & fine acquisito delectantur vere, non metaphorice, ait S. Thom. cum Dionys. & cum operationes indicent vim sensitivam, & delectatio necessario sensum præsupponat, negandus non est, nisi quo instrumentaliter modo agerent. Alias nec possemus dicere, ignem esse calidum: nam quamvis calefactio ejus calorem indicet, posset protervus opinator dicere, hanc calefactionem evenire ab instinctu, vel influxu Dei, & non a forma rei.

Et hæc ratio procedit etiam de Colchodea, & spiritu mundi, qui cum formis rerum operatur.

LXXVII. Si autem instinctus est ab intra in rebus naturalibus, a propria vid. forma vel materia, uti Arist. & Peripateticos dicere necesse est, ipse enim nullam aliam novit naturam, nisi formam materiamque: tunc quando res naturali instinctu agitur ad finem, præcognoscat oportet finem. Instinctus enim nil aliud est, quam cognoscentis virtutis impulsus: igitur instinctus naturalis est cognoscentis & appetentis naturæ: & Arist. ita videtur asserere in lib. de somniis, ubi increpans eos, qui dicunt, a diis somnia immitti, asserit, potius a natura fieri, *quoniam ipsa natura*, ait, *dæmonia est*, id est, sapiens. Et in 2. phys. propter finem naturam agere docet, & non indigere consilio novo, quoniam peritissima est. Cytharœdus quippe (ait) addiscens, cogitat, quomodo hanc vel illam pulset chordam; at peritus nihil cogitans, ex arte recte cytharizat: ita plantæ germinant, florent, flores, frondes, spinas, fructus artificiose producunt, nullo facto consilio novo: sed arte utentes sua, quæ ad finem illas dirigit.

LXXVIII. Item ibi Arist. & D. Thomas docent naturam esse artem rebus intrinsecam; artem vero esse naturam extrinsecam. Et idcirco quercum gigni e glande & non navem, quia ars faciendi quercum est in suo semine, & non faciendi navem; quæ ab arte extrinseca ex eadem quercu deinde fabrefit. Igitur ars & sensus inest rebus cunctis juxta dogmata Aristotelis: & hæc ars est natura: & quia illi natura videtur esse intrinseca materia & forma, idcirco asserat oportet, in cunctis intraneum esse sensum & artem, quam nos impressam profitemur ex participio divinæ artis. Imperite ergo postea ex insensatis elementis producit res sensatas, & plantis negat sensum in 2. lib. de anima, quibus in 2. phys. tribuerat & rationem & peritiam. Et in 3. de gen. anim. c. 12. propterea fieri in elementis ex putrefactis docet animalia, quia quodammodo omnia animæ sunt plena.

Cæterum quare metallis & lapidibus, & plantis non concedamus cum sensu rationem, uti brutis nonnullis, patebit ex docendis Tract.

Cur leo expavescat cantu galli, ratio esse potest, quod spiritus ejus crassus acumine spiritus galli penetratur, sicut a stridore in sectione suberis spiritum suum penetrari fassus est Campanella, & multi stridorem limarum tolerare nequeunt. Quod refertur de Gallo & Leone, multi fabulosum dicunt, de similibus autem reddere velle rationem, supervacaneum. Quod ficulnea odore suo mansuefaciat taurum, uti nos aromata delectant, fit, quod ejus spiritui proportionatur. Roboratur odor Moschi in cloaca suspensi, quia calor ejus spiritalis a contrario putente refugit, cogitur & augetur. Quod ignis & aer eant sursum, non, quia extruduntur a gravioribus, docebitur in Tract. XXVIII. De gravitate & levitate.

LXXIX. Vt tandem concludamus hunc de anima tractatum; Aristoteles cum mentem deforis accersisset, sentientes animas a calore promit in 2. & 3. de gen. anim. 11. Averroes quoque ibi de mente Arist. docet, terram, aquam & aerem animastico vigere calore, non autem ignem, quoniam destruit animalia; sed calorem cœlestem solum sentire, eoque constitui animalia. Sed, inquit Campanella, cum calor cœlestis sit igneus, & nullus ignis nisi a cœlo: imo calor iste cœlestis a motu cœli fiat, sicut & noster elicitus a lapide, secundum Arist. 2. de cœlo t. 42. Consequens est, ut ignis verius sentiat & vivificet omnia, ut SS. Ambros. August., Gregor. Nyssen., Athan., Dionys., Basilius & cuncti Philosophi & Theologi monuerunt, ut ab eo sit sensus, non a materia, nec ab Angelis, ut August. probat 7. de Trinit.

LXXX. Athan. Kircherus, Matheseos rerumque naturalium expertissimus, vir arcanæ scientiæ peritissimus omnisque generis linguarum, Lib. 12. mundi subterranei pag. 347. vult in genesi mundi creatum spiritum quendam materialem, seu ex subtilioris cœlestis auræ, sive ex elementorum portione compositum, fuisse vaporem quendam spiritualem (spirituosum potius) sulphureo-salino-mercurialem; semen universa-

le rerum, &c. de quo in Tract. XXIII. De elementis. Sed, ut redeam ad Thom. Campenellam: is, cum Lib. I. met. cap. 8. quæsiisset, quid est calor? respondet, quod calefacit. Sicut enim patitur sensus, ita judicat, & quia calor calefacit omnia, & attenuat & movet, & illustrat, & albefacit, dico esse potentiam vel principium calefactivum, illustrativum, attenuativum, motivum, & ex multis actionibus agnosco esse principium naturæ activum. Verum ipsam caloris entitatem, prout a Deo fit, nunquam intelligo, sed quid faciat in nobis, & ejus usum in mundo. Cum enim ex quo calefacit, potestatem calefaciendi ipsum invenero, nihil amplius investigare ultro possum, utrum a Deo habeat, ut possit hoc, vel ex sui natura; & quid est natura, & quæ potentia Dei in illo, scire non datur. Neque, cur duo & tria faciant quinque, intelligo, sed faciant accipio, ut notum. Idem de anima dictum puto, & acquiesco.

TRACTATUS X
DE
AQUA.
SECTIO I.
QUID SIT AQUA, ET QUAE NAM EIUS PROPRIETATES.

I. Utrumque breviter declarat eximius P. Aloys. Kimmet pag. 153. his verbis: *Aqua est elementum vulgare, humidum, fluidum, constans particulis oblongis, fluidis, flexibilibus, jugiter inter se agitatis, glabris, teretibus, & anguillarum instar lubrice volubilibus, cum terra unum globum constituens.*

Proprium aquæ est, quod *frigefaciat*, quia ejus particulæ, poros ingressæ, motum materiæ subtilis impediunt; sive, quia, ut alii loquuntur, ignem potentialem, quæ est materia subtilis, dividunt. *Humectat*, quia particulæ aquosæ eisdem poris inhærent. *Emollit*, quia aliis per poros se miscet. *Flammam extinguit*, dum motum partium ignis impedit, obstruitque meatus. *Abluit*, quia sordes secum avehit. *Calefacta rarefacit*, quia particulas ignis rejicit (lego recipit). *Elevatur fervescendo in bullas*, quia agitatione ignis collectum aerem concludit; quæ bullulæ coeunt in unam, aeris pressione.

Et pag. 370. ait: *Frigida est*, quia particulæ ejus intercipere materiam subtilem, & motum suffiaminare natæ sunt, & connaturaliter ad quietem coeunt. Quo purior, eo frigidior non est: nam quo plus terræ admixtum habet, eo minus agitabilis est: plane pura vero nulla esse potest; quia materiam subtilem omnem excutere non potest, per quam & semper movetur, etsi per se non multum agitetur: quod & de aliis alimentis vulgaribus, imo etiam de primogenitis intellige: cum ipsa quoque mira materia suo motu semper se aliis misceat. Nullum ergo nunc corpus, nisi saltem imperfecte mixtum esse potest. Ita Kimmet.

II. P. Honoratus Fabri Lib. 2. de elem. Tract. 5. propos. 101. vult, aquam esse elementum frigidum in summo. Forte neuter bene: & melius Thom. Campanella Lib. II. metaph. cap. 8. art. 1. asserit, aquam esse ex se calidam, quoniam a calore fit ex vapore condensato in locis calidis: & ejus motus, & candor, & sapor, & transpicuitas ostendunt eam esse calidam: at calore blando. Nam a magno solvitur in aerem; a frigore in glaciem cogitur; a blando calore in suo esse fluido servatur. Certe si ex natura sua esset frigida in summo, quo purior, eo foret frigidior, quod recte negat Kimmetius.

III. Anonymus autor Phil. Burgund. tom. 4. Tract. 1. pag. 137. placet, dum ait: utrum aqua summe frigida sit, vel humida, quæri solet? & respondet in hæc verba: Quamdiu fluida est, impense frigida esse non potest: cum frigore intenso partes aquæ rigeant. Sed nondum satis liquet, in quo posita sit frigoris natura, quodque sit illius primum subjectum, an sit qualitas realis & positiva, an caloris duntaxat privatio? Et paucis interjectis: Aqua, ait, est præcipuum corruptionis principium.

Nam actuosa principia ita divellit, ut non possint mutuo implexu inter se devinciri: cumque aqua sit admodum volatilis & fugax, vinculum mixtionis sua fuga reserat, & volatilia elementa januis patefactis statim excedunt. Hinc quæ aquosiora sunt, quæque sunt magis composita, ut herbarum decocta & pharmaca vulgari modo præparata, perfacile corrumpuntur. Ubi autem activa principia, sal nim. sulphur & mercurius dominantur, tum res diutius perseverant. Sed de his nos suo loco Tract. XXIII. pluribus agemus.

IV. Huic a diametro contradicit Athan. Kircherus in suo Itiner. Extat. I. Dial. 2. c. 1. pag. 369.: contendens, aquam esse alterum generale universæ generationis principium, *humidum* sc. *radicale*, gluten illud vel maxime necessarium inter sulphur & salem. Quemadmodum enim Deus ex communi chaotica massa terræ, materiam singulis mundi corporibus formandis aptam deprompsit: ita & de aquarum massa chaotica singulis humidi portionem, sine qua nec subsistere, nec virtutes nativas exercere possent, distribuit. Illa est, quæ omnibus mundi corporibus juncta, veluti mundi quoddam gluten & vinculum indissolubile omnia nectit: nam ex terrestri substantia producta mundi corpora sine aqua mox siccitatis suæ causa in pulverem converterentur.

V. Sunt autem hæ ejus in universo partes officii universum mundum supercœlestium aquarum fomento animare, a solarium astrorum æstu, frigiditate & humiditate sua defendere. Quin ab ea, tanquam ab inexhaustis uberibus, universa mundi machina necessarium sibi nutrimentum trahit, ut, si quandoque nimio perennium ignium æstu deficiat, illius subministratione humiditatis refecta restauretur. Quin & cœleste illud infinitæ capacitatis *expansum æthereum*, quod perenni motu cœlestes astrorum globi permeant, spatium nihil aliud est, quam tenuissimum, agillimum, *subtilissimumque aqueæ substantiæ effluvium*. Unde & Hebræi illud non alio meliori nomine, quam Schamaim, -- *ibi aqua*, indigitandum duxerunt.

VI. Hæc non solum totius Geocosmi peripheriam ambit, sed & interiores penetralium recessus permeat ad-

admirando quodam motus processu, non multum absimili circulationi sanguinis in microcosmo. Ex ortu enim in occasum solis & lunæ cursum insequitur: ex austro vero in septentrionem perenni quadam revolutione agitatur: & ubi sub axe boreo absorbetur, ita per subterraneos inciles revoluta ab opposito australi axe regurgitatur; atque adeo per innumeros meatus in universam geocosmi oeconomiam distribuitur: ex quibus motibus resultat reflexionis quartus, quem currentium vocant. Kircher. Itiner. II. Dial. 1. p. 544.

VII. Sed nec elementum universale recte dici aquam, ostendemus in Tract. cum non in omni mixto reperiatur, nec enim ab auro vel argento simile quid aquæ separaveris. Quidam definiunt aquam elementarem, esse substantiam fluidam, liquidam, insipidam & inodoram. Quas qualitates non reperias in chymicorum phlegmate. Ad corporis autem esse fluidum nil aliud est necessarium, quam ut in partes dividatur satis minutas: hæque partes in talem inter se motum cieantur, ut aliæ hac, aliæ illac, juxta suas invicem superficies, labantur: adeo ut, licet concretum aliquod esset siccissimum, nec ullam in se aquam aut liquorem contineret, ejusmodi tamen partium ejus comminutio, ignis aliorumve agentium ope, effici possit, ut magna earum portio in liquorem vertatur. Exemplum in sale marino exhibet Boyle pag. 131. Chym. dub. & parad.

VIII. Supponamus quoque verum esse, quod Helmontius de suo alkahesti affirmat, se omnia corpora, vi illius, (etiam chymicorum primitiva) in merum phlegma seu aquam insipidam resolvere posse: an illa erit aqua pura & simplex? Esto, sit insipida sensibiliter, id fieri potest respectu nostrorum sensuum: quid obstat, quo minus in se sit apta in alia corpora operari? Sic abstemii magnum saporum discrimen in diversis aquis possunt dignoscere, quod alii non possunt discernere. Observatur quoque, optimum genus olei olivarum fere insipidum esse, cum tamen longe distet ab aqua. Mercurius ipse, licet ejus corpuscula tam sint minuta & subtilia, ut iodensissimi compactissimique auri poros penetrent, est omnino insipidus.

IX. *Humida* est & dicitur, non ob definitionem Arist. juxta quam ignis foret humidissimus, sed quia humectat & madefacit, unde potius uda & humectans dici deberet: *liquida* vero proprie dicitur ex eo, quod in plano declivi fluat, unde & *fluida*, medium enim nacta est statum inter ea, quæ dura dicuntur, & inter spirabilia. Aer autem spirabilis potius est, quam liquidus. *Abluit fordes*, dum meatus subit, & quando exprimitur, sordes secum vehit, idque commodius, ubi lenta materia, v. g. sapone, abluendum præparatur. Nam sordes plerumque pingues lentæ materiæ facilius adhærescunt. Hinc lixivia ob eosdem usus adhibentur, ob lentorem nimirum cum salium acrimonia & vi penetrante conjunctum.

Flammam extinguit quoque, sed non semper, datur enim ignis infra aquam ardens. Neutrum effectum præstat aqua marina & salsa, eo quod pinguedine, qua dulcis caret, imbuta sit, ac proinde potius incendia promoveat quam extinguat. Hinc & lucernæ, injecto sale, melius ardent: hioc etiam vestes aqua marina lavari non possunt, quia pinguedo salis ipsi inexistens potius inficit, quam lavat.

Facile aliis corporibus adhæret. Ratio, cum enim superficies corporum, saltem ut plurimum, aspera sit & scabra; & humor facile per cavitates sobeat, quid mirum si adhæreat? hinc quo levior est superficies, minus adhæret, ut patet experientia: hioc pinguiori materiæ non ita facile adhæret, fluit enim facillime quasi in lubrico plano: Hinc propter prædictam rationem, id est, propter lævorem superficiei, pennis multarum avium minime adhærescit, nec etiam majorum caulium foliis, sed in quibusdam quasi fossulis, in majorem guttam humoris partes coeunt.

Diximus aquam ad abluendum esse aptissimam, quia cum facile subeat, & dein facile exprimatur, sordes expurgat, quas secum devehit: ut tamen hoc melius succedat, sordes debent prius ab aliqua materia lenta subigi ac præparari, nempe melius dein e suis latebris eruuntur, adhærentque melius lentæ materiæ, quam aquæ; unde cum deinde lentorem illum aqua abluat, ac secum effluens deferat, adhærenter quoque sordes aufert. Hinc cum quis sapone manus abluit, unctas initio manus sentit, ac lubricas: ubi vero effusa aqua sapo abstersus est, asperiorem manum relinquit; quia sc. rugæ, quas prius uligo illa complanabat, inæqualem manus superficiem relinquunt, unde asperitas: Commodius lavandi manus & ad sordes extergendas absque asperitate cutis remedium est lixivium, quo pisa coqueoda & percolanda præparantur & deglubuntur pelles eorum: Gynæceum & delicatuli ad conciliandum faciei lævorem utuntur hoc remedio: fabas diu noctuque macerant in aceto, donec pelles abjiciant; exsiccatas dein ad solem contunduot in pulverem: huic affundunt frigidam, eaque ante quam concedant cubitum, faciem manusve abluunt. Subnecto ex Honor. Fabri, quod plurimum ad patinas abluendas conferre videtur: nempe in eam partem periculus ducendus est, in quam figulus patinam seu scutellam versabat.

X. Alibi diximus, aquæ poros non inesse per se, cum sit humida, cujus singula puncta quamlibet figuram facile induunt: nam aquæ nostræ multa corpuscula dura immixta sunt, quæ poris haud dubie constant. Hinc rejiciuntur quidam Democratici, qui cum lumen in tenuissimis corpusculis diffundi putent, per poros sc. seu vacuola medii, per quod diffunditur, aquam ex illorum mente (idem dic de crystallo) multis poris & vacoolis distinctam & perviam esse necesse est: sed quid mirum, si ex absurdo antecedente, absurdum consequens concludatur? imo ex absurditate consequentis, absurditas antecedentis, si forte aliunde non constaret, colligi posset.

XI. Paradoxum videri posset, quod idem Honor. Fabri Tract. 5. Lib. 2. de elem. propos. 233. affirmat: *Nisi humor pulveri tormentario inesset, nulla fere accensi pulveris vis esset*: cum enim tota illa vis a compressione procedat, & compressio a rarefactione, hæc demum a calore: certe calor humorem tantum rarefacit, saltem sensibiliter, dum sc. pulvis accenditur; nec enim partes ignis de novo rarescunt: terræ puncta vel nullam, vel modicam rarefactionem patiuntur: tam parum denique aeris inest, ut parum quoque ad tantam vim, illius rarefactio & compressio conferat: igitur prædicta vis compressionis tota fere ab humore admixto & rarefacto procedit. Quis, inquit ipsemet, hoc crederet, nisi perspicua, & ex certissimis principiis petita ratio evinceret? Hinc pulveri multus humor aspergitur, ut intimos pulveris recessus ac sinus penetret.

XII. Præterea recte dicitur aqua commune elementorum vehiculum, cum iis non adeo pertioaciter cohæreat, quin caloris vi facile abscedat. Unde in distillatione, & resolutione corporum aqua plerumque prima exhalat. Hinc ubi copiosior est, mixtum fit frigidius & languidius, quæqoe chymicis actuosa dicuntur principia (puta sal, sulphur & spiritus seu mercurius) longius a se invicem dissita minus vigent & facile discedunt: hinc mixtum cito putrescit, quod miscibilia nullo arctiori vinculo teneantur. Nec tamen elementa aut actuosa principia vires suas promunt, nisi aqua diluantur: hæc enim illa quodammodo separat, cum antea mutuis velut amplexibus irretita moveri non possent.

XIII. Ulterius in cap. hujus sect. dictum est, aquam constare particulis *oblongis*, *fluidis*, *teretibus*, &c. non cubicis, aut rotundis, aut ramosis. Ratio est 1. quia minutæ & insensibiles particulæ (de ipsis enim atomis nihil certi statui potest) ex atomis conflatæ, noo ex alio magis definiri possunt, quam ex ipsis aquæ phænomenis, quæ satis apte explicantur, si figura prædicta instruantur, non item, si aliam iis figuram tribuamus. At si tenues, læves, flexibiles, lubricas, atque alias aliis more anguillarum incumbentes supponamus, omnia phænomena satis cum hac figura consentiunt. Sic enim facile fluunt, & a subtili aere aut æthere continenter agitantur, idque eo facilius, quo sunt tenuiores. Hinc spiritus vini nunquam concrescit in glaciem: quod illius particulæ adeo tenues sunt, ut ab illa subtili materia quoquo versum moveantur.

XIV. 2. Hioc liquet, cur aqua in vapores facilius explicetur, quam oleosi liquores, & cur panno aut aliis corporibus non adeo pertinaciter adhæreat. Nam ea, quibus constat, filamenta, mediocri calore evolvuotur: cum ramosæ & intricatæ olei particulæ non ita facile sese expediant, sed altius infigantur, atque inter se implicentur, fere ut arborum rami: non item aquæ particulæ, quæ suot simpliciores, quæque corporum meatus & asperitates implent, sed tenacius tamen iis non adhærescunt: facile fluunt in declivi corpore, quod non modo sint læves & lubricæ, sed etiam levitatem corpori, cui insont, omnino afferunt. Hinc ubi vas aqua vel alio liqoore aquoso & macro impletum leniter effunditur, aqua in guttulas separatas decidit: cum oleosus & pinguis humor filatim decidat, quod partes habeat lentas & sibi motuo implexas; quod etiam cernimus in vino desioente io vappam.

XV. Hinc liquet 1. Cur aqua vix cum oleo misceri possit, quod partes olei sint tenaciores quam ut facile ab aqua minutim dividantur. 2. Cur aqua vix comprimi possit, cum tamen facile dilatetur, eo quod plores aquæ partes, quæ sibi motuo incumbunt, & vix ullum inane spatium admittuot, hoc magis aeris pressioni resistant; quo densior & compactior est aqua. 3. Hinc fit ot aqua calida, cum frigescit, vix extensionem suam mutet, aut sensibiliter condensetur. Nam aqua millies fere gravior est aere: unde ut comprimatur, resistentia millies fit majur.

XVI. Galilæus, insignis Mathematicus & Philosophus, existimavit aquam esse congeriem atomorum, & quidem matbematicorum, ita diversorum inter se, uti & aeris particulæ; quod putamus omnino falsum. Palam enim est, quod, dum transit materia de unitate ad quasi numerum, id est, ex densitate ad tenuitatem, gradus patitur divisionis: primo enim lentescit, deinde mollescit, & viscosescit, & lubricescit, & fluit, & liquescit, & fumescit, & tenue fit: ergo duplo unitior est aqua aere, propterea quod ex una parte aquæ sunt duæ, vel plures aeris, ut experientia docet, & quioque fere ignis. At si divisa essent penitus, non posset igois in minutiora corpuscula aquam vertere per subdivisionem. Et si dicat Galilæus, divisionem fieri videri; non tamen fieri vere, sed partes divisas fieri per ignem distantiores: ergo inquam, omoia corpora erunt congeries atomorum conjunctorum magis miousque, non continuorum. Tunc quæro, a quo conjunguntur, & separantur? utique a calore & frigore, uti experimor; aut ab amore & odio forte? si a calore & frigore, ergo hæc habent vim unitivam & separativam. Tunc quæro, habentne vim banc quatenus incorporeæ sunt virtutes, an quatenus sunt corpuscula Democraticis? si primum, ergo datur aliquid activum præter corpora, quod est contra Democritum & Galilæum dogmatis ejus assertorem. Si secundum, quia Democritus facit calorem & frigus corpora, tunc intrudent se intra corpulentias alias, & potius replebunt quam dividant: nec frigus faceret densiora: sed vel rariora, sicut calor, vel pleniora: similiter & calor pleniora: nec segregabit, sed replebit vacuitates solidorum suis acuminibus, minutisque portiunculis, ut farina lignis intrusa & arena maceriæ. Nec ut ibidem habitet ingredietur, cum ejus sit sursum ire: nec ergo candelam sub se uret, etenim cum ejus sit extrudi sursum a gravioribus, quomodo sese intrudet deorsum in graviora?

Deinde si aqua esset atomorum coogeries separatorum, non posset chartas compingere madidas quasi visco, quooiam viscositatis noo est expers, ergo non est divisa, nisi & viscum dividas.

XVII. Præterea qua ratiooe atoma ponuntur divisa in aquis, eadem & in cunctis corporibus, etiam in aoro pooam: tunc mirum, quod tam difficile divellantur: Galilæus autem facit continuitatem ex tactu exquisito: sed quæ virtus faciat exqnisitum tactum, dicere nequit, nisi ad primalitates recurrat, & odia, & amores, quibus datis corruit Philosophia Democratica. Hinc quærendum, cur partes aeris carent mutuo contactu? Si enim, quia intercipitur vacuum: cum sese aliquaodo tangant, statim unirentur & fierent compactæ sicut in auro & aliis corporibus: vacuum enim, cum nil sit copulentum, tactum exquisitum non impedit, nisi ubi distaot partes, alioquin nec partes auri unitæ essent. Si dicas, diversarum figurarum esse atoma aeris, ac proinde copulari inter se penitus non posse, quin intersit vacuitas: idem dicam de auri atomis, nec enim hoc poris caret. Si respondebis, hæc esse inter se continuissima & unius figuræ, ego quoque idem de aeris pronuntiabo, cum sit ejusdem specificæ cognationis, debere inter se cootinuacissima, ac vi affinitatis sic copulari, ot disjungi amplius nequeant, nisi violenter, ut aurum. Vide quæ dicemus in Tract. de rarefactione. Hic

XVIII. Observo ex Honorato Fabri Tom. 3. Tract. 5. Lib. 2. de Elem. Proposit. 213. ubi hæc habet: „ *Aqua non est humida in summo:* Cum aquam dico, aquæ „ puncta intelligo, quia sc. aer humidior est aqua, cum „ facilius cedere, comprimi, & quamlibet figuram in- „ ducere soleat: sed boc est, magis humidum esse, id est, „ facilus terminis alienis terminari; oeque hoc discre- „

pat „

„pat ab Arist. mente, qui aera humidum esse in summo „pronuntiat, non vero aquam, cui omnes *veri* Peripa„tetici adstipulantur. Dico *veros* Peripateticos, non *spurios* & *fictitios*, quos inter recentior nonnemo, aquam humidiorem aere censendam esse voluit, quod sc. magis humectet: sed profecto egregie hallucinatur, nempe *humectare*, non ab humiditate, sed *ab humore procedit*: quis porro nescit, aera humorem dici non posse, licet humidus recte dicatur, cum tamen aqua non modo humida, verum etiam humor dici queat. Idem Autor Tom. 2. Phys. Lib. 4. Prop. 3. Humiditatem distinguit ab humore, ut sequitur: Multa enim sunt humida quæ non habent humorem, ut aer; de quo nemo sanæ mentis dubitarit, quin sit humidus, cum difficile suis terminis, & facile alienis terminetur, igitur humidus est per Defin. 1. (quæ erat talis: Humidum est, quod facile terminis alienis, difficile suis, terminatur, nisi punctum sit. Hæc, ait, est definitio Aristotelica, cui nihil addendum esse existimo, cum ex ipsis terminis constet. Voco enim humidum, quod facile ab alio corpore terminatur, circumscribitur, definitur, & figuram omnem facile induit, quam tamen non servat, nisi ab extrinseco aliquo corpore contineatur. Dixi, *nisi punctum sit*, quia punctum figuram suam servare potest, si ab extrinseco non prohibeatur): Hinc aliquorum recentiorum errorem castigabis, qui cum *humidum*, ut vulgo a Grammaticis usurpatur, acceperint, non vero juxta illum sensum, in quo a Philosophis intelligitur, humiditatem pro humore etiam acceperunt; cum tamen toto cœlo differant; nempe humor est corpus; humiditas vero est qualitas, quæ corpori inest: igitur humidum illud esse dicimus, cui humiditas inest: humiditas vero est, qua facile alienis, difficile suis terminis humidum continetur; hinc etiam humidum distinguimus ab humecto; quippe humidum est, quod habet humiditatem; humectum vero, quod continet humorem. Hucusque Faber;

XIX. Ex cujus verbis infero. 1. Aquam magis proprie apteque dici madidam sive udam, quam humidam in sensu Peripatetico: eo quod aqua vere sit humor & humectet seu madefaciat, humectatio enim, ut fatetur Faber, ab humore procedit. 2. Inconsequenter loqui veros Peripateticos, si aquam & aera dicant humida elementa, & non ignem. Nam ut recte Campanella Lib. II. Met. cap. 8. art. 3. Aer humidus est Aristoteli, quia tenuis; & quia tenuior aqua, humidior illa: constat autem ignem esse longe tenuiorem utroque, ergo respective erat humidissimus. Quomodo ergo siccus? 3. Absque causa sufficiente Fabrum castigatione dignos & hallucinantes pronuntiasse recentiores, qui phrasi Aristotelica non utuntur: sane prudenter loquitur Autor Phil. Reg. Burgund. tom. 4. tract. 3. Dissert. 3. c. 1. De humiditate & fluiditate; quem juvat audire:

Ac primum quidem (ait) nihil necesse est anxie inquirere, quid humidum a liquido, seo fluido differat: utrumque enim confundit Arist. atque humidum definit: quod propriis terminis non continetur, sed alienis. Verum causam inquirimus, cur humida aut fluida suis terminis facile non contineantur; seo fluida eadem sint, quæ humida, seu inter se differant. Vnde argentum vivum, aer ipse, ignis, metalla fusa forte humida non sunt, quod non madefaciant, seu poris corporum non adhærescant: tametsi argentum vivum cum auro & argento, plumbo & stanno comparatum, humidum dici possit, cum eorum meatus subeat; ut aqua, si cum foliis brassicæ, aut anatum plumis, quas non madefacit, conferatur, humida non erit.

XX. Sed utcumque ea res sit, quæ non est permagni momenti, id merito inquirimus, quid causæ sit, cur corpora fluida propriis terminis ægre contineantur? Aut si malis definire fluida: quæ tactui facile cedunt, (quæ mollia rectius dixeris); unda illa in fluidis tanta est ad motum (fluxum) facilitas? Hoc vero dignum est Philosophi contemplatione. Neque enim magnum quiddam, aut vulgo incognitum docet, qui humida aut liquida diffluere, nisi vase quodam contineantur; dura aut sicca suis terminis consistere, neque se ad vasis formam accommodare, nec facile dividi, pronuntiat. Id enim quærimus, unde illud inter dura & fluida, sicca & humida discrimen oriatur?

SECTIO II.

Expediuntur quædam curiosæ, scitu dignæ tamen quæstiones circa naturam aquæ.

XXI. Quær. 1. Quæ causa sit fluiditatis aquæ (& cæterorum liquorum)?

Resp. 1. Fluiditatem efficit partium exiguitas, figura, textura ad motum expedita, & motus ipse ab æthere vel aere, vel humore intercurrente profectus, prob. & explicatur. In hoc maxime fluida corpora a duris & solidis differunt, quod eorum partes facile huc illuc moveantur, & divisioni motui non obstent, contra atque evenir in duris corporibus: sed illud efficiunt mechanicæ affectiones, quas attulimus. Primum enim exiguitas partium id præstat, ut ad motum sint promptiores, ac subtilioris materiæ intercursu facilius dividantur. Nam si partes sint majusculæ & crassiores, non facile huc illuc moveri possunt: quod utique ad naturam fluiditatis maxime pertinet. Sic pulveres tenuissimi liquorum speciem præbent, nec metallorum fusio aliud quiddam videtur esse, quam partium comminutio. Hinc aurifices argentum in magna & diuturna fusione detinent, quo typi aut moduli impressionem facilius excipiat; nec aquæ fortes & corrosivæ aliud sunt præter sales in atomos pene comminutos. Sic ovorum albumina, & viscosa quædam in fluidam & aquosam abeunt substantiam, cum crebra agitatione partes, quæ erant ante aliis implicitæ, fiunt minutiores. Sic alabastrum in tenuissimum pulverem comminutum, & igni admotum liquoris ebullientis speciem præbet, & bacillo agitatum non magis resistit, quam metallom fusum: quin & fumos id videtur emittere. Quod si tamen paululum alabastri sic fusi puræ chartæ tum imposueris, cum maxime videtur ebullire, nec chartam madefaciet, nec quidquam aliud apparebit, nisi pulvis candidior: ita ut non fusione, sed sola partium agitatione fluidum esse videatur. 2. Figura partium multum ad fluiditatem confert. Nam partes illæ insensibiles aut parum, aut nihil inter se cohæreant necesse est: sic enim facilius dividuntur. Vnde interim evenire potest, ut particulæ corporis minutius sectæ figuras quoque minus æquabiles sortiantur, & arctius inter se cohæreant. Quo aotem majores pro mole sua habent superficies, hoc ad quietum & immediatum contactum, seu ad firmitatem sunt aptiores. Atque hanc fluiditatis causam agnoverunt Epicurei, quæ ut vera sit,

 tamen

tamen non sola est. Neque enim, ut iis videtur, omnes corporis fluidi atomos rotundas esse crediderim, adeo ut sese in punctis contingant, ut facilius divelli & moveri queant. Tanta quippe est in fluidis corporibus varietas, ut partes, quibus constant, unius & ejusdem figuræ esse non possint. Sed tamen non id negaverim, fluidi corporis particulas plerumque esse figuræ rotundæ, non quod omnes sint globosæ, sed partim sunt cylindricæ, partim sphæricæ, partim pyramidales, aut alias nactæ sunt figuras ex iis compositas. Sic enim minus inter se cohærent, & facilius a se invicem discedunt ac moveotur. 3. Ex partium textura fluiditas & firmitas magna ex parte oriuntur. Sic ubi spiritus vini purissimus, & spiritus urinæ, qui longa fermentatione aut digestione in vase occluso præmissa, leni calore elicitur, una conjunguntur, statim in nivis speciem concrescunt. Non dissimili ratione spiritus salis una cum ovi albumine agitato permistus idem efficit, quod partium contextus utriusque liquoris mutetur. Sic ovi albumen, & sanguinis serum coctione indurantur mutato partium plexu. Imo ex eodem ovi albumine dum in pullum formatur, tot partes duras & stabiles solus partium contextus procreat; infinitis quippe modis variari potest. 4. Præcipua fluiditatis causa est motus partium insensibilium. Non enim aliud magis fluida a duris corporibus secernit: dura quippe sunt, quæ suis terminis facile continentur. Id vero propterea evenit, quod eorum partes omnino quiescant, seipsas immediate tangant, & nulla intercurrente materia dirimantur: unde corpora suis contenta terminis non effluunt, cumque pars una pellitur, reliquæ omnes huic motui resistunt. Contra accidit in fluidis, quorum partes tenui substantia dirimuntur, nec forsitan seipsas immediate tangunt, sed in continuo motu versantur. Hinc corpus fluidum magna facilitate dividitur; partes enim vario & indeterminato motu divisioni non obstant, & loco facile cedunt: cumque aliæ aliis non fiot consertæ, nullo negotio separantur, & quoquoversum impelluntur, nec pars una alteram sistit, aut instar fulcri sustinet. Atque has esse præcipuas fluiditatis causas, pluribus ostendit D. Boyle in suis Tentaminibus.

XXII. Rem ita esse, varia ostendunt experimenta: nec ex alio principio duci possunt pleraque naturæ phænomena. Cur sales, v. g. in aqua, imo in humido aere resolvantur & liquescant, aut metalla in aquis stygiis ita dissolvantur, ut penitus evanescere videantur? Sunt enim hæc corpora humore ipso graviora: & tamen in eo dissoluta & in atomos pene comminuta, intra fluidi corporis poros reconduntur. Hoc utique citra aliquem motum fieri non potest: nec enim quidquam a seipso movetur. Quod si igitur partes aquæ sint immotæ, cur salis aut sacchari, aut duri alterius corporis partes divellunt & exagitant? cur aquæ fortes cum tanta effervescentia (si aurum excipias) metalla exceduot? Unde tam inopinata motio, si nulla omnino in iis aquis præcesserit? Quo autem causa illius motionis facilius perspiciatur,

Resp. 1. Liquidorum fluiditas a subtiliore corpore jugi motu agitato proficisci videtur. Quamvis non negem, causas plures mobilitatis hujus in fluidis, esse posse, oempe vel spiritus intus conclusos, ut in vino & in sanguine; vel ignitas atomos, ut in metallis fusis & aqua effervescente; vel etiam æthera, sive purissimum aera liquoris alicujus poris interceptum, ut ex bullis, quæ ex liquoribus in machina pneumatica collocatis attolluntur, colligere est. Huc etiam pertinet aeris incumbentis pressio & jugis motus: quod multis experimentis viri doctissimi confirmant. Considera sequentia:

XXIII. 1. Cum aqua scypho vitreo infunditur, tum circa vitri parietes paululum assurgit: quod forte aeris motus in iis partibus nonnihil impediatur. Hinc aqua magis in medio premitur, quam in iis locis: ea quoque cum vitro facile cohæret, & paululum, ut diximus, attollitur. Unde corpus leve huic innatans, ut bulla vitrea, aut ligni frustulum, oon in medio vitri sistit, sed ab aeris pressione ad vitri latera fertur, maxime si vitrum aqua sit madidum.

2. Si vitrum ab omni oleosa pinguedine expurgatum non fuerit, contrarium accidet: tum enim aqua immediate non tangit vitrum: unde aer intra aquam & vitrum interceptus oon sinit imposita corpuscula circa vitri latera consistere.

3. Hinc fit, ut hydrargyrus tubo vitreo aut scypho conclusus circa sui medium attollatur. Noo enim tam apte cum vitro cohæret, ac aqua ipsa, quæ vitri poros subit. Unde aer intra hydrargyrum & vitri latera facile se insinuat, illius adeo extrema deprimit.

4. Cum scyphus vitreus aqua impletur, ea videtur assurgere: præterquam enim aqua tenacius vitro adhæret, partes illius supremæ ab aere duntaxat superiore comprimuntur: sed ejus margines undique premuntur, quique subjectus est aer, in aquam, quæ vitri tangit extrema, vires suas promit: adeo ut aqua in eum pellatur locum, ubi minor est pressio. Hinc levia corpora aquæ imposita, noo ad vitri margines, ubi major est aeris actio, sed ad medias partes, licet altiores, truduntur: contra accidet, si vitrum pinguedine inficiatur, aut si tubus hydrargyro repleatur, tum enim argentum vivum oon convexam, sed concavam figuram affectat, quid illi male cum vitro cooveniat.

XXIV. 5. Hinc ratio peti potest, cur in syphone inverso, cujus alterum latus sit valde angustum, aqua non ad libellam, sed altius in angustiorem tubum ascendat: nempe quod lateribus vitri magis inhæreat, neque ab aere circumfuso tantum prematur, sicut in latiore tubo: idque maxime evenit, cum angustior tubus jam aqua madidus est, non item, si pinguedine afficiatur: tum enim aqua non ascendit. Atque eandem ob rationem hydrargyrus in angustiorem tubum adeo non ascendit, ut infra libellam deprimatur, & io majore tubo sit altior: quod illius particulæ poros vitri subire non possint, iisque sustentari. Unde aeri inter hydrargyrum & vitri latera patet aditus, hicque hydrargyri extrema deprimit, & instar cunei extremas hydrargyri partes a vitro removet: unde in medio scyphi vitrei non excavatur, sed nonnihil attollitur; in vasis metallicis, si ferrum exceperis, ultro diffunditur. Crassiores enim sunt illius partes, quam ut vitro instar aquæ adhærescant, aot illius poros subeant; sed ei cum metallis optime convenit. Miror tamen, qui poros auri subeat, & vitri non possit.

XXV. Postremo hinc multi naturæ effectus, etiam occultiores, satis apte explicantur. Hinc enim fit, ut acus chalybea aquæ innatent: eo quod aer inter chalybem & aquam interceptus eas quodammodo sustineat, isque sit instar aggeris, ut loquitur Galilæus: unde

unde acus vitreæ & exiles aquæ non innatant, quia vitrum immediate tangit aquam. Quare hic effectus noo videtur oriri ex eo, quod aquæ superficies sit uliginosa, & divisioni obstet: sed ex aere intercepto, qui, cum aquam deprimat, noo mirum est, si aliæ consimiles acus eundem velut locum affecteot & sese mutuo trahere videantur. Cumque aquam immediate non tangant, non vitri latera altiora, sed medium aquæ locum, & depressiorem quærunt: cum sc. scyphus vitreus non est aqua plenus. Nam ubi omnino repletur, tum acus chalybeæ, & corpora, quæ aqua non madent, ad vitri margines depressiores feruntur. Sic ubi calamus atramentum attingit, statim sua sponte ascendit atramentum: non aliter atque aquam in tubulos vitreos sponte attolli diximus, dum eos madefaciat, & ab omni sint pinguedine liberi. Secus enim neque aqua tubulos, neque atramentum limam calami subit; sed magis infra calami apicem descendit. Nam id semper tenendum est, eo se recipere aquam, ubi minor est pressio. Sic autem apparatus est calamus, ut illius velut rostrum multos pressionis radios intercipiat, atque atramentum rimæ ipsius lateribus sustineatur. Sic aqua subjecta spongiæ meatus subit, dummodo eam contingat. Sic in filtro, seu panni lacinia, per quam aqua trajicitur, infinitos licet spectare velut tubulos aut syphones, per quos aqua ab exteroo aere pressa paulatim eluctatur. Ac licet panni lacinia infinitis poris sit pervia, hoc nihil obstat, quo minus per illos velut tubulos continenter ascendat. Nam ubi extra illos meatus exire nititur, a circumfuso aere repellitur (oon aliter atque aquæ guttula secundum tubuli vitrei superficiem decidens, cum ad imam partem pervenerit, a circumjecto aere intra tubulum repellitur. Nec forte aliter succus per fibras plantarum ascendit. Sic in tubo vitreo, qui minio seu calce plumbi impletur, subjecta aqua ad magnam conscendit altitudinem: ac forte sypho ea ratione parari potest, per quem aqua citra suctionem paulatim ascendat: sunt enim meatus tanquam tubuli, per quos aqua ultro subit.


XXVI. Ex dictis colligitur, aquam non esse frigidam io summo, alias foret omnis caloris expers, consequenter sine motu, unde necessario coogelasceret: & experientia docet, frigus aquæ intendi, dum coocrescit in glaciem.

XXVII. Liquidis opponuntur firma, dura & solida: Sicut ergo liquida corpora efficiuot partium exiguitas, figura, textura ad motum expedita, & motus ipse ab æthere vel aere, vel humore intercurreote profectus: ita verosimiliter firma corpora constant partibus crassinsculis, ad motum minus idoneis, quæ in minutiores facile secari non possunt; & quo majores pro mole sua habent superficies, hoc ad immediatum contactum & firmitatis statum sunt aptiores.

XXVIII. Cæterum humido opponitur siccum, ut canit Poeta, frigida pugnabant calidis, humentia (sive humida) siccis: estque hæc significatio apud omnes nationes communis, ut humidum, madidum, udum, pro syoonimis usurpent: nec Peripateticus ullus cum tota Aristotelis eloquentia persuaserit pistori, vel coquo (Germano, Gallo, Italo, Hispano, &c.) ligna recens succisa a stipite, aut pluviis diu exposita pinsendo aut coquendo apta esse: ridiculi quoque sunt tales, dum vestimeota sua compluta exponunt soli, vel ad fornacem calefactam expandunt; quæro in quem finem? ut exsiccentur? jam ante sunt sicca secundum dialectum Aristotelicam, propriis enim terminis facile continentur. Cui persuadebis glaciem esse siccam? Ignem humidum? Ita loquendum, ut ab omnibus intelligamur.

XXIX. Quær. 2. Quænam aquæ salubres censendæ sint? Resp. 1. cum P. Kirchero, illa aqua ex duabus est melior, quæ igni apposita facilius & citius effervescit, & facile iterum frigescit. 2. quæ est sine omni colore odore ac sapore. 3. Cujus scaturigo est ad ortum, utpote minus obnoxia vento occidentali, qui dicitur nocentissimus. 4. Quæ est levior. Ratio horum indiciorum est, quod aqua his dotibus prædita sit a crudioribus corpusculis magis libera ac defæcata.

XXX. Quær. 3. Quomodo cognosci possit mixtura aquarum, nempe qualia secum vehant mineralia? Respondet idem expertissimus P. Kircher. Lib. 5. mundi subterr. pag. 274. Per distillationem velut omnium certissimum securissimumque medium, quo non particulæ duntaxat singulorum mineralium aquis mixtæ; sed & spiritus vaporesque iis dominantes, pulchra sane methodo & infallibili indicii trutina digooscantur, sicut exhibet sequens figura.



Sic autem procedes:

Parata fornacula A, cum spiraculo B. igne aoimato, ejus concavitati vas testaceum C D E F. imponatur, quod arena aliquousque repletum sit. Huic arenæ ad medietatem immergatur aliud vas strictioris colli, quod signatur literis G H. aqua medicata repletum; cui imponatur capitellum I. naso K. instructum, ita luto fasciolisque vasi G. in loco H. coagmentatum, ne quid inde expirare queat. Naso K. capitelli I. alia vitrea fistula in L. inseratur, ea industria oblutata, ne & hinc quidquam evaporare possit. Hæc demum fistula L. M. per medium vas ligneum, N. aqua frigida repletum transeat, utroque foramine O P. vasis N. exacte clauso: & habebis omnia ad explorandas aquarum misturas præparata.

Ignis enim A. in soroace succensus arena vasis C D E F. quod igni immediate supraponitur calefacta, calefaciet aquam medicatam vasi G. inclusam; unde aqua in vapores attenuata, simul ac in capitellum I. ingressa fuerit, frigore condensata in aquam convertetur: quæ cum vapores spiritusque secum devehat, illi per nasum K. descendentes in N. novo frigoris occursu, quo fistula L. M. per medium aquæ frigidæ vasis N. infestatur, exhalare nequeunt. Ignis itaque

hoc

ftum & in cineres redactum statim novam salis foeturam suppeditabit.

Nota 2. Terraqueo globo salem naturaliter, tum ad totam terraquei globi occonomiam conservandam, tum ad eandem sustentandam alendamque, a principio rerum insitum fuisse, tanquam balsamum naturæ. Vbi enim sal non est, ibi putredinis initium esse necesse: unicus sal, tam animata, quam inanimata a putredine servat. Quod sale caret, noo corrigitur; quod noo corrigitur, id totum insaluore, indigestum, putredinosumque advenit homini, utique verum morborum naturalium medicamentum, unde non sine causa Homerus *divinum* vocat, tanquam id, quod a corruptione omnia, quæ videntur, præservat. Addo genitalium rerum principia ex sale suam originem deducere: unde & Poetæ venereio *aphroditum*, tanquam e *spuma maris* natam fingunt, ut hoc veluti *ἐν τῷ τύπῳ*, salis vim per mare dispersam genitabilem propooerent: Deosque marinos eam ob causam *fecundos* & multorum liberorum parentes faciunt. Et notum est omnibus, nil mari feracius, nil foecundius esse; tum infinita monstrorum marinorum multitudo, tum immensa piscium progenies, ovorum innumerabilium copia propagata, abunde testantur. Atque hæc de necessitate salis dicta sufficiant. Restat ut quæstioni propositæ satisfiat, quomodo oempe aqua salsugine illa ab initio imbuta fuerit, quomodo eadem deposita in dulcedinem vertatur.

Resp. In primordiali aquarum in telluris alveos deductiooe, quam sacra Genesis tertio die factam docet, statim aqua chaotica tum ex se salsugine præstans, tum ex ipsa salsuginosæ terræ substantia tanquam sibi necessarium attraxit nutrimentum. Terra itaque sale referta, utpote naturali terrestri suo elemento coostans, derepente voce Dei percussa, pro cooditione partium primum in ossaturam (rupes, mootes & cautes) terræ; deinde in omnis generis lapides, tam communes, quam pretiosos, limum adhuc mollem seu sedimentum aquam fixavit, deinde varias metallorum mineraliumque species, cooperante subterraneo igne ipsi coævo, id est sulphur, mercurium exteraque mineralia, tanquam genuinos salis filios produxit; seipsam vero tanquam omnium basin & sustentamentum necessarium, per universas prorsus telluris fibras diffudit, ex quibus Oceanus veluti uberibus, cootinuo sugeos, præterquam quod jam & ipse illo imbutus esset, avide in se attractum derivavit. Et quia fundus maris iooumeris meatibus & voraginibus cribratus ooscitur: hinc fit, ut ignis subterraneus salsugiooso terræ spiritus calore excitatos, Oceano omnibus in locis passim communicet: Sol vero & luna continuis influxibus per ventorum vaporumque copiam mare indesinenter agitent. Hinc salsuginei mari mixti universum Oceanum ea imbuunt salsedine, quam experimur in illo. Quod ipsum experimentis confirmatum videre est apud eundem L. 3. mundi subterr. pag. 175.

XXXV. Quomodo vero aqua marina in subterraneis incilibus dulcescat, & deposita salsedioe reddatur potabilis: Id fit

Primo. Decoctione aquarum. Cum enim viscera terræ ignibus subterraneis referta sint, fit ut aquarum inciles sive meatus siphooum in morem propagati, dum Pyrophylacia transeunt, volatiles aquæ salsæ, concoctæ jam & digestæ, spiritus mox sublimentur; sublimati & in maximam subtilitatem attenuati, per intimas terræ fibras se insinuent, & ubi frigore condensati fuerint, denuo in salem revertantur, adeoque terræ restituaot illud, quod ab ea abstraxerant: terra naturali attractu id, quod suum erat, repetente.

Accedit quoque, ut aqua allambente latera meatuum gleba dulci refertorum ibi percolatum salsum humorem, pari modo terra naturali quodam attractu in se derivet id, quod primo mari dederat: Vnde fontes & flumina, quæ ex mari primum salsa per meatus fundi maris subierant, ob adductas causas, deposita salsugine, per extrema orificia aqua dulci recepta exeunt fluuntque, donec mari reddita denuo salescant, durante perpetuo hac rerum pericyclosi.

XXXVI. Quæres 8. Vnde proveniat motus Ponti Euxini, & maris Balthici ab aquilone in Austrum? Resp. Rationem dat Arist. quod sol circa meridiem plures vapores ex mari attrahat: unde ad servandum æquilibrium, aqua a septentrione versus meridiem defluit. Hanc rationem approbat confirmatque Kircherus frequenti experimento. Accipe, inquit, globum ferreum, igne prius calefactum & candentem, eumque furcipe apprehensum sensim duc supra vas aqua plenum, ita tamen, ut eam proxime non tangat: & videbis, eum globi candentis motum sequi aquam, in medio velut canali quodam relicto. Vbi vero globum amoveris, sulcum illum coiens aqua complanat, non modice tamen immiouta, utpote calore globi in vaporem resoluta.

XXXVII. Quær. 9. Qua de causa Oceanus zonæ torridæ subjectus feratur ab ortu in occasum, uti navigantes certo experiuntur? nam iter quod ex Hispania in Americam seu occasum tendentes uno mense dimetiri possunt, redeuntes ex occidente in Europam vix tribus mensibus conficiunt. Resp. Hunc motum etiam adscribi soli eandem viam decurrenti: nam si in priore experimento e regione globi candentis plumam posueris, illa etiam constanter motum globi sequetur, manifesto indicio alicujus venti.

XXXVIII. Quær. 10. Quæ causa cieat æstus marinos, sive fluxum & refluxum maris, mutatis semper post 6. horas vicibus? Resp. Primaria causa est luna, quod probat Kircherus experimento: si catinum latiorem aqua nitrosa cum sale cummuni mixta impletum nocte serena lunæ radiis exponas; videbis quod dicta aqua incipiat fervere ac bullas agere tanto vehementius, quo luna fuerit vicinior novilunio vel plenilunio: quem effectum nullo modo experieris in aqua fontana.

XXXIX. Quær. 11. Vnde oriantur perpetui fontes & flumina? Resp. Ex mari, juxta illud Eccl. c. 1. Ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant. Ratio est, quod alias mare tanta aquarum mole continuo auctum, jam pridem debuisset totam terram inundare. Modus autem, quo marina aqua io altissimos etiam montes propellatur, hic a Kirchero affertur. Mare per æstum assurgit instar montis etiam altissimi, & sic premit inferiores aquas, easque per foramina fundi marini protrudit ad concamerationes, sive hydrophylacia montium. Sed hinc movetur iterum dubium, cur fontes illi præbeant aquam dulcem? quod solvimus in præcedentibus.

XL. Quær. 12. Quænam dicatur aqua fortis vel stygia chymicis, & unde fiat? R. cum Campan. quod extra-

trahitur ex alumine, nitro & vitriolo. Hæc non Angulorum vi dissolvit metalla (non aurum, teste Boyle, Rohault, &c.) nam ceram & sebum non solvit, nec argillosum vas, penetrabiliora metallis: in quæ injecta statim ebullit, incalescit, pugnat, irascitur, ignisque ritu in ligna agentis, dissolvit: at non subito in aerem, ut facit fulmen, quoniam fulminis vehementia illi deest: ut videas qualitates activas vi primalitatum agere per sympathiam & antipathiam. *Aqua* tamen *regia* usurpatur ad auri solutiooem, non autem argenti.

XLI. Quær. 13. Quotam partem superficiei globi terrestris mare occupet? 2. quæ sit ejus proportio quantitatis respectu terræ? 3. quanta sit ejus profunditas? Resp. ad 1. Thomas Campanella putat sextam partem superficiei terræ ab mari occupari. Vegetius & Scaliger tertiam globi terrestris partem io superficie ab aquis occupari existimant. Alexander Piccolomineus, post accuratissimam dimensionem, adhibita non mediocri diligentia, eam singulari libro, ante centum & plures annos, ut refert Honor. Faber, in lucem edito, eam superficiei partem & portionem tribuit, quæ paulo minor sit ea, quæ terræ ac cootinenti competit: sed profecto ab eo tempore magna satis globi terrestris pars, quæ ante latoerat, explorata & detecta est; & etiam quantum lateat, Geographi nesciunt: ego, inquit Faber, sextam orbis partem facile incognitam adhuc censuerim, tum versus austrum, tum versus Boream. Igitur oullo modo definiri potest, quota cuique, aquæ sc. & continenti, portio competat prius, quam tota terrestris sphæræ superficies aperta & probe perspecta sit: utinam tandem aliquando Gallica vel Angliea Natio rei nauticæ peritissimæ hanc in se provinciam susciperent! Ad 2. Prædictus Campanella L. 2. met. c. 5. art. 8. vix decem millecuplam partem tribuit aquæ respectu terræ. Ad 3. Idem ait, maris profunditatem vix attingere $\frac{1}{7500}$ terræ Diametri, tot enim milliarium brevissimam esse terræ profunditatem censet: verba hujus autoris ex L. II. Met. cap. 16. adnumero: „Centrum nostri mundi terram statuimus immobilem, frigidam, crassam & tenebricosam: aquam vero quasi ejus sudorem in vallibus ejus, „sextam superficiei partem occupantem, ut dixit „Esdras: profunditas vero vix septimillesimam quingentesimam. Aquarum quippe moles ad terram „nulla est, sicuti neque sanguinis ad animal, ut Basilio „Magno quoque videtur, & Copernicus probat. Et „nos emensi maris Siculi & Sardoi profuoditatem vix „ad 80. passus numeramus; terræ vero profunditas „quibus videtur brevissima, est septem millium & „quingentorum milliariorum. Oceanum autem vix „pertingit ad 100. esto ad mille passus: quid sunt ad 7500? Equidem assentiot P. Honorato Fabri, qui censet, quoad profunditatem maris oullam certam regulam dari posse, cum idem mare in diversis tractibus, diversam altitudinem habeat: quænam demum maxima altitudo sit, nemo mortalium scit, & quidquid a diversis authoribus super ea re adstruitur, merum commentum censendum est.

XLII. Quær. 14. Superficies maris an infra soperficiem terræ sit? R. Superficiem maris esse inferiorem superficie terræ, nisi forte aliquot lacunas & quosdam tractus excipias. 1. pars facile probatur, tum ex descensu fluminum in mare; tum ex eo, quod, si mare altius esset, aqua maris proprio pondere exundaret & inferiorem terram occuparet litora transcendendo. Nec est quod aliqui hoc miraculi loco habeant; quasi vero mare ab arena litorum cohibeatur: ubi enim mare intumescit, ut in æstu videre est, longum satis terrarum tractum inundat.

Objic. 1. Littus e mari depressius & humilius videri: E. Resp. Rationem hujus peti ex optica, idque superficies convexa maris præstat, ut littus e mari quodammodo nasci videatur & emergere.

Objic. 2. Vbi navis e portu solvitur, videtur ascendere E. Resp. esse fallaciam visus, cujus rationem docet optica, ex eo sc. quod sub angulo acutiore videatur altitudo illa, quam ex dato plani horizontalis puncto, ad cœlum usque productam oculo metimur, sic enim & solum assurgere & cœlum deprimi videtur; hoc tamen oon facit, quin etiam superficiem convexam maris subsidere judicemus, cum sc. novæ semper illius plagæ ac novi tractus emergant.

Quoad alteram assert. partem, certum est, aliquot terræ tractus infra maris superficiem subsidere, quod ipsi Batavi ultro de sua patria fatentur. Hinc tot aggeribus & repagulis aquas coercent, ne sc. in sobjectam planiciem excurrant: prout ruptis aggeribus non semel accidit cum ingenti hominum pecudumque submersione. Et vero nihil obstat, vallem aliquam mootibus undique cinctam infra maris superficiem deprimi, nec enim periculum est inundationis, cum mare firmissima illa claustra perrumpere non possit; nisi forte per cuniculos subterraneos penetraret & erumperet, quod tamen non reperimus contigisse.

XLIII. Quær. 15. Vnde fit, qnod aquæ superficies suprema primum congeletur? Resp. cum frigus ab extrinseco impugnet aquæ calorem, dum prævalet, cogit calorem recedere, partesque extimas paulatim constringit. Et ex hoc manifeste colligitur, aquam non esse frigidam ex natura sua in summo, alioquin frigus extrinsecum adveniens naturam ejus non destrueret: destruit autem, dum congelat & in glaciem vertit, tollendo liquiditatem & tenuitatem fluidam. Male ergo Arist. cum Empedocle frigoris sedem aquam ponuot, cum ipsa sit alba, transpicua, mobilis, liquida mollisque natura, quæ conditiooes caloris facies & opus manifesta sunt. Præterea aqua generatur a calore liqoefaciente terram, vel ex vapore a calore genito, & postea condensato, & quidem absque frigoris ope, ut patet in alembicis, & in capitibus animalium, obi fumus in fluores cogitur: & in operculis ferventium ollarum, & in laquearibus calidorum balneorum, quo delati fumi prohibitiqoe progredi ulterius, absque frigore condensantur; ut nullo pacto frigus aquæ constitutionem ingredi existimari debeat, sed illi externum esse, sicuti vino, oleo cæterisque liquoribus, & coocurrere aliquando, qua condensativum, non qua frigus est. Quantumvis enim in aere sæviat frigus, & quotvis adsint vapores, nisi condensentur, aqua fit nulla. Noo ergo frigus, sed condensatio vaporis, vel liquefactio densitatis, est causa liquoris aquei. Vnde omnia metalla & tellus ab igne funduntur io liquorem.

Tandem neque si frigida sit aqua, frigoris sedes aut thesaurus dici potest: oportet enim frigoris regnum esse frigidissimum, veluti caloris calidissimum. At aqua frigidissima non est, nisi ubi maxime congelatur: alias

alias nec posset bibi absque morte, si summum frigus haberet, veluti neqne ignis sorberi potest absque nostra destructione: nec animalia in aqua viverent: nec liquidæ esset naturæ, sed glaciatæ, duræ immobilisque, qualis fit aqua a frigore summo, hoc est (nt Honoratus Faber Tract. 2. phys. L. 2. de frigore pag. 388. loquitur) a mercurio incubante.

Vnde patet, frigus esse potius contrarium aquæ, quoniam ipsam destruit, & facit ex aqua non aquam, vid. ex molli, fluida mobilique, duram, solidam immobilemqne. Si autem sua esset natura, frigus non destrueret, sed servaret; sicut calor servat, non destruit ignem, cujus est natura, ergo frigus aquas gelans aliunde advenit, & sibi nativum non est. Fatetur hoc Faber, dum ait prop. 61. Lib. 2. de frig. quod mercurius aeri immixtus ambienti aquam plurimum conferat ad hoc, ut aqua calida remota ab igne ad frigidum statum reducatur, dum potenter agit in partes ignis, quæ sunt in prima superficie aquæ calidæ; hinc superior aquæ calidæ superficies ante alias frigori restituitur: ex eadem causa quoque prius congelatur.

XLIV. Nota. Per mercurium hic intelligere Fabrum humorem quendam subtilem, qui tamen sit densior aqua: nam L. 3. de mixtis imperf. aqueis, mercurium chymicorum sic declarat: dubium non est, quin ille sit mixtum imperfectum aqueum; hinc ex diversis mixtis, diversus quoque mercurius educitur, non quidem ratione humoris puri, nempe hic. omnibus mixtis inest idem, hoc est, ejusdem speciei; sed ratione corpusculorum admixtorum; hæc enim e diversis mixtis diversa educuntur, cum diversa sit diversorum mixtorum textura. Hæc ille loc. cit. prop. 125. n. 6.

Cæterum mercurii nomine (inquit Boyle) quid velint chymici, obscurum. Paracelsus id alicubi appellat mercurium, qnod ligno urente sursum fertur (uti Peripatetici fumum pro aere habent) adeoque mercurium videtur volatilitate (effumabilitate) definire. Sed hoc non subsistit: nam in hoc exemplo & sal volatile, & sulphur partem fumi constituunt, qui revera & phlegmaticis & terreis corpusculis insuper constat.

Beguinus Tyroc. chym. L. 1. c. 2. ait: Mercurius est liquor ille acidus, permeabilis, æthereus ac purissimus, a quo omnis nutricatio, sensus, motus, vires, colores, senectutisque præproperæ retardatio. Definitio an encomium? Quomodo ergo a quibusdam refertur inter principia & elementa corporis naturalis? Etenim cum Hermetica Philosophia omnes sapores sali ferat acceptos: Mercurius aut non est principium, aut ex salino ingredienti & re alia quadam compositum quid.

Quercetanus adhuc plura epitheta addit. Libavius per negativa describens, non satisfacit Seonerto, qui tamen aliud nos non docet, quam quod in omnibus corporibus id, quod præter salcs & sulphur reperitur, & elementa (veluti ea vocant) phlegma & terra mortua appellatur, sit ille spiritus, qui in Aristotelis dialecto vocari potest ὀυσία ἀνάλογος τῷ τῶν ἄςρων ςοιχείῳ. Sed & hujusmodi liquores complures, sive spiritus hi, præterquam quod inter se valde sint diversi, tum in sensus oostros actione, tum cæteris suis operationibus, insuper in substantias a se invicem differeotes resolvi possunt, consequenter non merentur dici elementa seu principia primaria.

Taceo, quod mercurius fluens, qui passim in officinis venditur, ab ipsis chymicis habeatur pro mixto quodam. Item notabilis est differentia inter mercurium corporum, qui ex metallis separatur, & mercurios vegetabilium & animalium.

Adde mercurium ex stanno vel plumbo elicitum, testimonio quorundam chymicorum, in purum aurum mutari posse, secus alios mercnrios. Item mercurius ex cupro elicitus viridi colore est, non argenteo, ut cæteri. Alexander van Suchten.

Leo a Stipite in sua religione mentis P. I. cap. 6. ait: Mercurius est corpus minerale, perfectum principium metallorum, quod adhuc, unde fiat, nemini constat: ecquis ergo merito suo audeat aquam aut aquosum, vel vegetabilem aquam ardentem aut spiritum animalem, mercurii nomine compensare, quasi non sufficeret iis propria eorum nomenclatura, sitque necesse antonomastice titulo mercurii, ceu longe obscuriore termino appellare. Hæc obiter & occasionaliter de mercurio hic immiscere volui, ut appareat, quam obscuro termino suum dogma de frigore obnubilarit Honoratus Fabri, qui alias juxta sua principia resolvi cuncta clarissime & facillime existimat.

TRACTATVS XI
DE
ARTE.
SECTIO I.
QVID SIT ARS, ET QVOTVPLEX.

I. ARtis nomen trifariam a Philosophis usurpari solet. Primo qnidem latissime pro quovis habitu intellectus verum attingente, etiam speculativo; quo sensu Aristoteles 1. poster. c. 1. & 1. Met. c. 1. Scieotias Mathematicas vocat artes, quas Lib. 12. Met. c. ult. scientias vocat. 2. Minus late pro solis habitibus practicis, etiam scientificis, quo sensu loquitur 1. Ethic. c. 1. & D. Thom. 1. 2. q. 57. art. 3. ad 3. Tum denique stricte pro habitu intellectus distincto a cæteris quatuor, nempe ab *intellectu*, *Sapientia*, *Scientia* & *Prudentia*, & definitur 6. Ethic. c. 3. *Ars est recta ratio factibilium.* Galenus, qnem secuti sunt Conimbricenses, sic definiunt artem: *Est collectio multarum apprehensionum habitualium ad finem aliquam utilem vitæ.* Verum snb hac definitione scientiæ quoque speculativæ comprehenduntur, quæ tamen oon sunt artes: licet sint collectio multarum apprehensionum habitualium, utiles ad aliquem finem vitæ: quælibet enim scientia intendit bonum vitæ, sive honestum, sive delectabile.

Sed nec definitio Aristotelis placet, qua dicitur ars habitus cum recta ratione factivus: quoniam convenit etiam scientiæ practicæ & prudentiæ, ut consideranti patebit, quæ tamen artes non sunt.

Conficiunt alii aliam ex eodem Arist. dicendo, artem esse habitum effectivum eorum, quæ aliter esse

contingit. Sed contra, quia etiam ſcientiæ practicæ efficiunt ea, quæ aliter eſſe contingit, id eſt, quæ a ſcientiis practicis poſſunt aliter & aliter fieri, v. g. Logica efficit definitiones, quas aliter & aliter, hoc eſt, bene vel male poteſt facere. Contra 2. Quia prudentia non eſt ars, & tamen verſatur circa actiones morales, quæ poſſunt bene & male fieri.

D. Thom. ait, artem non attendere niſi ad bonitatem ipſius operis, v. g. ut ſit bonus culter: non autem ad bonum ipſius operantis, quia non curat, an homo per illud reddatur bonus mnraliter, & bene vivat, quod facit prudentia. Hæc doctrina bona quidem eſt, non ſufficiens & adæquata, quia, etſi diſtinguat artem a prudentia, non tamen diſtinguit illam a ſcientia in communi. Nam etiam multæ ſcientiæ nnn attendunt bonum morale operantis, ut Logica, Phyſica, Geometria, &c.

P. Gabriel Vaſquez & alii docent, omnem ſcientiam de re factibili ab ipſo operante eſſe artem. Diſplicet hæc ſententia, quia contra communem ſenſum modumque loquendi hominum, non diſtinguit artem a ſcientia practica, nam & hæc eſt de re factibili ab ipſo operante.

Alii in eo diſtinguunt artem a ſcientia, quod ars ſit effectiva operis externi, & relinquat opus poſt ſe; non item ſcientia. Sed neque hi ſatisfaciunt, tum, quia medicina reſpicit opus externum, & tamen non eſt ars, ſed ſcientia: tum, qnia multæ ſunt artes, quæ non relinquunt opus poſt ſe, v. g. ars ſaltatnria, digladiatoria, &c. tum, quia prudentia dirigit actinnes externas, maxime civiles, quæ per ſe externæ ſunt, & conſequenter relinquit poſt ſe npus, & tamen non eſt ars: ergo.

II. Recentinr quidam in MS. Philoſophia an. 1650. dictata, non impreſſa, ſentit artem ſic eſſe definiendam: *Eſt habitus dirigens ad aliquid faciendum, quod non ſpectat ad genus moris, per præcepta non diſcuſſa ſcientifice, quantum eſt ex ſe.* Ly habitus dirigens ad aliquid faciendum, ponitur locn generis, quia convenit etiam ſcientiæ practicæ, prudentiæ & aliis. Ly aliquid, qnod non ſpectat ad genus moris, per præcepta non diſcuſſa, &c. ponuntur loco differentiæ, diſtinguunt enim artem ab omni alio, quod nnn eſt habitus artificioſus.

Dices forte, hæc definitin datur per negativa, ergo non eſt bona. Reſp. Nnn eſſe vitium definitionis, ſi in ea ponatur aliqua particula negativa differentiæ oppoſitæ, modo ea differentia non definiatur iterum per negationem hujus. Sic enim ſnlet definiri brutum per negationem rationalitatis, dicendo, brutum eſt animal irrationale. Non poſſum tamen econverſo rationalitatem definire per negationem irratinnalitatis: ſic enim enmmitteretur circulus vitioſus, & diceretur idem per idem. Iam vero ars, licet definiatur per particulam negativam differentiæ *ſcientificæ*; non tamen econtrario definitur ſcientia per particulam negativam artis, ergo definitio data non eſt rejicienda ex hoc capite.

Objic. 2. Etiam prudentia tradit præcepta ſine diſcurſu de illis, ergo artem nnn diſtinguit a prudentia hæc definitio. Reſp. 1. Neg. ant. prudentia enim cum conſideret præſentia, præterita & futura, priusquam concludat quid de facto agendum ſit, vel maxime diſcurrit. Reſp. 2. Prudentiam ab arte in en diſtingui, quod illa reſpiciat actiones morales, ſecus iſta, & ideo ponuntur in definitione artis hæc verba, *quod non ſpectat ad genus moris.*

Objic. 3. Grammatica non eſt ars, ſed ſcientia: & tamen nnn diſcurrit de vocibns ſcientifice, ſed dicit ſimpliciter, *amo* ſic conjugatur, ergo nnn requiritur ad artem, non procedere ſcientifice, ſeu per præcepta ſcientifica. Reſp. 1. Grammaticam, prnut de facto in ſcholis traditur, non tradi ſcientifice, ut deberet: quotusquisque enim ex pueris etiam tertiæ aut quartæ claſſis novit definitionem Grammatices, ejusque partes? ſed tantum per modum artis, propter incapacitatem diſcipulorum diſcurſus ſcientifici nondum capacium: & ideo Grammatica vocari ſolet ars, & inter artes 7. liberales numerari. Reſp. 2. Grammaticam ex natura ſua, quantum eſt ex ſe, diſcurrere de ſuo objecto per præcepta ſcientifica, pro materiæ ſubjectæ capacitate, inquirit enim rationem a priori, cur voces ſint ſignificativæ, &c. Qnod autem nnn habeat Grammatica tot demonſtrationes de ſuo objecto, quot habet v. g. Logica, Phyſica, &c. non obſtat, quia ſufficienter cenſetur aliqua ſcientia de ſuo objectn ſcientifice diſcurrere, ſi tantum de illn inquirat, quantum inquiri poteſt & materia capax eſt: nam materia unius ſcientiæ pnteſt dare occaſionem plnrium diſcurſuum ſcientificorum, quam materia alterius.

III. Quæres. Quotuplex ſit ars? ante reſponſionem

Nota, nomen artis ab Ariſt. & aliis varie accipi, prout modo dictum: vid. 1. pro omni habitu intellectus tendente in verum, & hoc ſenſu quælibet ſcientia poteſt vocari ars. 2. Prn ſolis ſcientiis practicis. 3. Pro ſola arte effectiva, id eſt, verſante circa actinnes externas: nam Ariſt. ut colligitur ex L. 6. Ethic. c. 4. operationes immanentes, id eſt, quæ recipiuntur in ipſo agente, vocat ſimpliciter actiones: operationes vero transeuntes, hoc eſt, eas, quæ non recipiuntur in agente (cujusmndi ſunt omnes externæ) vocat effectivas. Hoc præmiſſo

Reſp. Sicut nomen artis juxta dicta varie accipitur, ita varias illius diviſiones. 1. Ex objecto. 2. Ex ratione finis. 3. Ratione dignitatis.

IV

ARS latius sumpta pro habitu intellectus verum attingente, dividitur,

- 1. Ratione objecti.
  - in Reales.
  - in Sermocinales.
    - Grammatica.
    - Poetica.
    - Historica.
    - Rhetorica.
    - Dialectica.
- 2. Ratione finis.
  - in Practicas, quæ habent pro fine operationem, & hæ sunt vel
    - Activæ, & hæ vel
      - intellectivæ.
      - appetitivæ
        - Scientia Moralis
          - Monastica.
          - Oeconomica.
          - Politica
            - Iurisprud.
            - Canones.
    - Factivæ
      - circa sermonem externum
        - Grammatica.
        - Rhetorica.
        - Dialectica.
      - res alias extra nos.
        - opus relinquentes.
        - non relinquentes.
  - & Theoricas, quæ habent pro fine contemplationem, uti sunt
    - Physica, ad quam pertinet quoque ¶
    - Theologia, naturalis & divina.
    - Mathesis
      - Pura,
        - Arithmethica.
        - Geometria.
      - Mixta
        - Optica.
        - Musica.
        - Cosmographia.
- 3. Ratione Dignitatis.
  - Superiores,
    - Physiologia
    - Ethica
    - Theologia.
  - Inferiores,
    - 7. Liberales.
    - 7. Serviles.
  - Mediæ.

¶ Anthropologia. De natura hominis.
Botanologia. De natura herb. radic.
Bucolica. De Oeconomia animalium.
Cosmologia. De Creatione mundi.
Anthologia. De natura florum.
Dendrologia. De natura arborum.
Entomologia. De natura insectorum.
Georgica. De Agricultura.
Ichtiologia. De piscibus & aquatilibus.
Lithologia. De natura lapidum.
Mesologia. De fossilibus imperfect.
Ornithologia. De volatilibus.
Phryganologia. De Plantis & veget.
Phyturgica. De cultu hort. & vineæ.
Sciasophia. De natura umbræ.
Somatologia. De principiis corporis naturalis.
Stoechiologia. De 4. Elementis.
Tetrapodologia. De animalibus quadrupedibus.
Thamnologia. De natura fruticum.
Zoologia. De docilitate, solertia & astutia animalium.
Præter alias innumeras.

Ars magis presse accepta dividitur in

Non-LIBERALES seu SERVILES 7.

quas indicat versus sequens:

Rus,[1] Nemus,[2] Arma,[3] Faber,[4] Vulnera[5]
Lana,[6] Rates.[7]

id est:

Agricultura,[1] Ars Venatoria,[2] Militaris,[3] Fabrilis,[4] Chirurgica,[5]
Textoria,[6] Nautica.[7]

Et hæ sunt proprie dictæ artes, ut ex iis, quæ supra de arte proprie dicta, ostensum est.

Nemo tamen putet, omnes artes mechanicas in mox allegato carmine esse comprehensas: quia ars pictoria, ars spagyrica (ut plures alias omittam) versu illo non continentur.

LIBERALES 7.

quæ hoc versu comprehenduntur:

Lingua,[1] Tropus,[2] Ratio,[3] Numerus,[4] Tonus,[5]
Angulus,[6] Astra.[7]

id est:

Grammatica,[1] Rhetorica,[2] Logica seu Dialectica,[3] Arithmetica,[4]
Musica,[5] Geometria,[6] & Astrologia.[7]

Vbi nota, ad Rhetoricam revocari debere tum Historiam, tum Poetriam, quia utraque verborum ornatum & concinnitatem quærit; utraque affectus movet: Historia quidem rerum gestarum exemplis; Poetica rerum (seu verarum, seu verosimilium figmentis). Vnde Poetica, pictura loquens; Pictura, tacens Poetica dicitur.

Quapropter non probo eorum sententiam, qui Poesin ad Grammaticam revocant; bene tamen Prosodiam, quæ Grammatices pars est.

Differentiam inter artes liberales, & serviles seu mechanicas pulchre explicat D. Thomas I. p. q. 57. art. 3. dum ait, quod liberales ad animam, quæ libera est, ordinentur: Serviles autem exerceantur a corpore, quod animæ servit, estque ejus quoddam velut mancipium.

Si-

SECTIO II.

Per quid potissimum differat Ars strictè sumpta a scientia practica?

V. Ars a scientia practica differt 1. in eo, quod non procedat definiendo, dividendo ac demonstrando, sicut scientiæ, sed modo magis operabili: nec tradat regulas attingendo essentias rerum, sed præcise præscribendo, quod res hac vel illa ratione debeat fieri, descendendo magis ad particularia, quam scientiæ: non quidem operatione (nam omnis operatio versatur circa singularia) sed consideratione, quia artes ut plurimum magis particularia considerant. Et hoc constat tum ex communi hominum sensu, tum inductione per omnes artes in particulari. Dixi, *ut plurimum*, quia etiam artes habent aliquando præcepta universalia, neque semper circa particularem materiam discurrunt, ut patet in arte Architectonica: uti etiam e contrario scientiæ practicæ non semper considerant universalia. Medicina enim considerat hæc & illa singularia corpora. Logica item, quæ passim inter scientias practicas numeratur, sæpe examinat suas definitiones, divisiones & argumentationes in singulari explorando an regulis conformes sint. Iste autem descensus ad singularia non est ita frequens in scientiis, sicut in artibus.

2. Differunt ars & scientia non tantum ex modo tendendi in suum objectum, sed etiam ex objecto: Demonstratur, quia objectum artis debet esse factibile exterius manibus vel pedibus, vel aliquo alio membro eorum defectum supplente: objectum autem scientiæ id non requirit, ergo differunt etiam in objecto. Anteced. 1. pars, in qua sola est diff. probatur, quia qui manibus vel pedibus carent, non possunt addiscere ullam artem ob solum defectum tractandi objectum, ergo objectum artis debet esse tractabile manu vel pede, vel alio membro, eorum defectum supplente.

3. Potissimum discrimen inter artem & scientiam hoc est, quod ars, etsi det præcepta, ut, quomodo aliquid male vel bene fieri debeat, non tamen tradit rationes ultimas a priori aut posteriori, cur id ita fieri debeat, quod tamen faciunt scientiæ. Patet ex communi hominum sensu. Solemus enim vulgo dicere, quod artes non procedant scientifice, id est, non dant rationes suorum præceptorum. Item, quod artes tantum doceant modum aliquid faciendi, rationem vero illius non reddant: Scientiæ vero non tantum docent modum faciendi aliquid, sed etiam reddant rationem, cur id faciant hoc & non alio modo, resolvendo illud in sua principia seu causas, demonstrando vid. per causas, proprietates & effectus sui objecti. Quod si aliquando ars causas afferat, eas (inquit Oviedo) non adducit præcise, ut res per causas melius innotescat, sed ut causis cognitis facilius res fieri possit.

VI. Oppones 1. Musica est ars, & tamen non eget manu vel pede. Resp. 1. Musicam per se esse scientiam, quam qui callent, Musurgi proprie vocantur, esto forte, non sint Musici practici. & hi non solum artem musices, vocalem, instrumentalem omnis generis) docent, & in præcipuis universitatibus peculiarem obtinent cathedram, sed & rationes ex primis principiis norunt reddere, qualis merito famosissimus P. Athan. Kircherus Orbi & Vrbi notus appellari meretur. Qui vero tantum ex usu & exercitio artem canendi, aut ludendi in cheli aliove instrumento addiscunt, si perfecti sint & excellant, virtuosi dicuntur, cæteri simpliciter Musici vocantur, & qui regulas nesciunt, nec artem norunt: Est ergo musica respective scientia (Musurgiæ) & ars, cujus modicam partem participant, qui sola lingua sum.n præstant officium. Eadem est ratio de Grammatica, &c.

VII. Oppon. 2. Etiam artes habent principia generalia, quæ sunt quasi rationes a priori, v. g. sutor, dum ponit in inferiore parte calcei corium durius, dant hujus rationem a priori, ut nempe calceus diutius resistat attritioni, ergo & artes procedunt scientifice. R. Artes per accidens solum dare rationem sui objecti; per se autem id non requiri, quia tota Ars perfectissime haberi potest sine istis demonstrationibus. Itaque sutoria, qua talis, nihil demonstrat per causam: etsi enim sutor det aliquando causam sui operis, hoc tamen non facit qua sutor senex vi artis suæ, sed ex vi luminis naturalis, vel experientiæ, vel alterius habitus aut cognitionis in intellectu sutoris existentis. Sutor autem qua talis tenetur vi artis suæ tantum scire modum conficiendi calceum & alia ex corio indumenta pedum, idque in fide Magistrorum, a quibus artem suam didicit, quæ proinde ars in fide illa fundatur. Hinc sutor rogatus, cur calceum hoc vel illo modo faciat, respondet, quia ita sum doctus, vel quia ita fieri semper & ubique vidi, & non aliter. Scientiæ autem, qua tales & per se loquendo, debent sua objecta per discursum, vid. effectus proprietatesque per causas demonstrare. Confirmatur. Videmus homines etiam valde stupidos, modo forti imaginatione præditi sint, artes perfectissime addiscere posse: quod signum est, discursus scientificos ad artes non requiri. Sic statuarius fortiter imaginando sibi figuram hominis, potest demere vel addere partes ligni tam diu, donec statua ideæ præconceptæ respondeat: imo videmus simias, eo quod forti imaginatione polleant, sæpe imitari ea, quæ per artem fiunt. At vero nulla scientia sine bono ingenio & discursu perfecte acquiri potest.

VIII. Oppon. 3. Aristot. 1. Met. c. 1. in eo distinxisse artem ab experientia, quod ars sciat & cognoscat rationes operis a se facti, experientia autem illas ignoret, ergo ad artem spectat, dare rationem sui operis, ergo in eo non distinguitur a scientia. Ant. probatur verbis Philosophi, sic enim ait: scire ac cognoscere magis arti quam experientiæ arbitramur inesse, ac eos, qui artem tenent, ac eos qui experientiam habent, sapientiores esse putamus, &c. Resp. Arist. non velle docere, quod artes scientifice circa suum objectum procedant, sed solum docere, differentiam artis ab experientia in eo consistere, quod ars magis accedat ad scientiam quam experientia (quæ vulgo quidem magistra rerum, sed ab Angelo Sala, nobilissimo chymico, stultorum magistra vocatur). Ars enim etsi suum objectum non demonstret, habet tamen certa præcepta & regulas, quæ hominem boni ingenii & rationis capacem occasionaliter facile inducunt in scientiam & demonstrationes. Experientia vero non habet ulla certa præcepta, sed simpliciter quasi quodam casu ducitur. Quod si vero ex diversis experientiis certa formentur præcepta, non manebit jam nuda experientia, sed ex observationibus constantibus generabitur filia ars, cujus mater experientia. Hinc Medicinæ Doctores dicuntur *Expertissimi*.

Certe demonstratio potissima est, cui omnes sen-

fabricatur ars extrinseca, intrinsecam artem, id est, naturam imitatur. Naves enim facit persimiles avibus; horologium cœln, ollas ventriculn; civitatem corpori animalis. At & interiorem similitudinem imitatur; in legibus Dei ratinnem; in codicibus mundum; in tormentis bellicis, tonitru; in auro fulminante, fulmina; in sermnne creatinnem: sicut enim creando Deus significat quæ sunt intra se; sic homo lnquendn. Declaremus hæc ulterius confnrmiter ad prætactas tres formalitates & proprincipia Philnsnphiæ radicalis.

XII. Sunt itaque artes quædam imitantes naturam in *Potestativo*, ad usum potestativi humani artificia redigentes. Potestativum vero secatur in *sustentativum*, *contentivum*, *colligativum*, *transmutativum*, *munitivum & offensivum*. Igitur ars alia facit columnas, alia trabes instar nssium sustentantium animalis statuam, ad sustentandum dnmos, palatia & templa, lecticas, mensas, &c. sic antes parietibus interpnnuntur, quibus pergulæ seu podia innituntur. Aliæ ad *continendum* faciunt vasa, & dnmos, & naves, cellaria, granaria & areas instar cerebri & pectoris, & abdominis, & vesicæ, & viscerum. Aliæ ad *colligandum* faciunt funes, cnrrigias, ligulas, gluten, filum, instar nervnrum, tendinum, fibrarum, &c. Aliæ ad *transmutandum* conficiunt fornaces chymicas, calcearias, vitriarias, pharmacopœas, instar jecnris & cordis, in quibus cibi transmutantur. Aliæ ad *muniendum* faciunt civitates, castella, dnmos, vestes, instar alveariumapicularum, & nidorum, & plumarum, coriorum, squamarum & corticum. Aliæ lanceas, gladios, falces, & aratrum, instar spinarum, cornuum, unguium, rostrorum & exertorum dentium, & mussi pnrcini: aratrum enim hujus imitatione terram findentis factum esse, Plutarchus autumat.

XIII. Post hæc sunt aliæ artes imitantes *cognoscitivum* naturæ, ad usum cognoscitivi hnmani. Secatur enim cognnscitivum in mentale & sensitivum. Artes mentem imitantes, eique servientes, sunt Grammatica, quæ res signat vocabulis, & significat, sicut natura proprietatibus. Et Logica, quæ definitiones, divisiones & syllngismos rite conficere docet, menti in cognoscendo & cogitandn, ejusque actibus regulam & famulatum præbet. Item Rhetorica, quæ instrumenta suadendi non tam conficit, quam ornate & concinne ad persuadendum ordinat, imitandn mentem nuntiantem & prnbantem ntilia. Et Poetica ideatrix exemplnrum ad dncendum, imitans virtutem imaginativam: & historingraphia, narrationes tractans & testificans, sicut sensus menti testificantur de naturalibus, in quibus scientiæ fundantur.

XIV. Scientiæ antem ab arte secernuntur, qunniam illæ considerant res: istæ autem accommodant usui humano res, sive in anima, sive extra animam. Et ideo omnis ars præsuppnnit scientiam; & omnis scientia, ut ordinatur ad docendnm, ars est, quatenus universalia tradit præcepta. Ars in scientia; scientia in sapientia fundantur. Mathematica ex scientia & arte constat.

Sensitivum subdivisum est, *in liberum & organicum*, quod dividitur in visorium, auditorinm, olfactivum, gustativum & tactorium. Prnpterea etiam certæ artes, imitantes Deum, cujus imaginem gens humana gerit, ad usum mentis tractant etiam scientiam, & quæ usui animæ sunt: nt Philosnphiam, religionem, contemplatinnes, transhumanationes, divinationes. Adde sacerdotium, prophetiam, quæ quidem non snnt artes humanitus inventæ, licet humanitus perceptæ, docente Deo: qnidquid autem extrinsecus faciunt ad populi informatinnem mirificam, ad artis rationem accedit magis. Ad idem pertinet & legislatura, in qua mens Deum æmulatur, vetantem & imperantem, & intrinsecus persuadentem. Aliæ artes significant, & signa imprimunt, instar memorantis animæ, & imaginantis, & ratincinantis, nt scriptura, typographia, pictura, histnriographia, & aliæ ld genus notionibus internis correspondentes, easque adjuvantes. Aliæ instar nculi fecerunt ocularia nculum jnvantia, ut specula, specilla, tubos opticos. Aliæ instrumenta acustica sive aures adjuvantia, ut melius vel a longe audiant. Ad idem valent fistularia & organa musica omnigena, multis tractata artibus. Quædam vero olfactui deserviunt artes, cujus instar npificium edunt. Siquidem faciunt nlfactorinla, myrnpolium, unguenta, thurihula instar florum & rosarum, heneolentia, compnnendn tamen interdum ex pluribus similitudinibus naturalibus opus unum artificiale. Fiunt & errhina ad purgandas nares, narium instar, multaque alıa medicis nota.

XV. Artes ad discretionem sapnrum, paucissimæ sunt, cum sit appetitivi sensus iste præcursnr, nec ad illum formaliter pertineant, nisi quæ saporum discretinnem faciunt: inter quas eminet termopolium, quæ aquam generosn vinn calidam miscero dncet, nt vini sapor intrinsecus bene percipiatur. Item quæ medicinalium potionum sapores adulterat, ut lingua decepta non significet appetitivæ animæ salubrem mnlestiam. Sic natura pulchritudine & defnrmitate mala & bona detegit atque tegit. Aliæ artes deserviunt tactui: quæcunque enim non pertingimus mann, aut periculosum est tangere, aut inamœnum, per media instrumenta artificiata tangimus, ut haculn & arundine metimur lnngitudines & latitudines quasi palmn & pede: fnrcipe tangimus ignita; fnrficibus dividimus pannum; pectine chnrdas cytharæ: specillo profunda vulnera, &c. hæc autem facit ars digitos manus imitando.

XVI. Tandem aliæ artes *appetitivum* naturæ imitantur, humann appetitivo deservientes: qund secatur in *præparativum*, *concoctivum*, *expulsivum*, *nutritivum*, *generativum*, *fruitivum*. Prnptereaque agricultura & pastoralis utentes ipsa natura, artem adhibent, qua nascantur immobilia, mobiliaque animalia in escam hnminum: cnlligunt fructus instar apum & formicarum: venantur sicut accipitres & leones. Sic ars mnlendinaria dentes mnlares imitatur ad præparandum cibum: Coquinaria ventriculnm nlla & sartagine æmulatur: furnaria, coctinnes solis. Destillatoria, intestinnrum alembicos. Sunt & fartores, cupedinarii, æmulatores viscerum, in quibus melinrantur & absolvuntur alimenta. Imitantur nutritivum, qui refectorium & mensas in convivia & symbola curant. Expulsivum juvat medicina evacuativa, imitando industriam naturæ, quæ per stimulum amaræ bilis, pungendn intestina, educit excrementa. Item qui cloacas & matulas curant, æmnlantes sequestratinnem excrementorum in lienem, in vesicas & ad exteriores partes, in quo converritores suæ artis habent originem.

Sunt

Sunt aliæ artes generationem curantes, ut qui matrimonia tractant instar naturæ, quæ mares fœminis in omnium animalium genere copulant: quod & pastores & armentarii bestias multiplicando faciunt, licet eorum finis non generatio, sed nostrarum sit escarum. Similiter & agricolæ dum seminant, & inserunt plantas & maritant. Igitur multæ artes sunt puræ humanæ, ut scriptura: multæ, quæ simul cum natura cooperantur, ut agricultura, medicina, bombardaria: & hoc per magis & minus: unde mathematicæ usus est ars, notitia scientia.

XVII. Porro ex his artes vere sunt, quæ naturam imitantur, aliquam formam in materiam imprimendo utiliter: inter quas ferraria præcellere videtur, quæ omnium artium instrumenta facit: arma militibus; asciam & terebram, &c. lignariis; falcem & vomerem agricolis: frena & calcaria equitibus: acum & forficem sartoribus; subulam sutoribus; celte latomis; nec est qui non indigeat opificio ipsorum.

Non tamen propterea nobilissimam dixeris artium: siquidem & medicus & miles, imo & barbitonsor, & annularius pluris æstimantur: nempe non necessitas dignificat artem; nam & cloacaria magis necessaria, & balneatoria utilior. Aristot. ignobiliores vocat artes, quæ fœdant corpora artificum, ut tinctoria, figlina, cloacaria, &c. Sed profecto errat, nam pictores & aurifices fœdant corpus magis, quam vestiarii & textores sericorum, nec tamen ignobiliores habentur. Videbitur forsan nobilior, quæ ingenio tractatur, quam quæ corpore: nihilominus militia præcedit exploratoriam, sæpe quoque & scripturam. Propterea nobilior existimanda venit, quæ materiam tradit meliorem, & minus fœdat corpus, & animum nobilitat, & ingenio majore tractatur, & usus præstat magis necessarios; ut, quæ mentem juvant, Logica, Poetica, &c.

XVIII. Denique notare libet, non omne exercitium, ex quo vivit homo, artem esse, nisi aliquam formam meliorem in materia, de qua tractat, imprimat. Igitur nummularia, negotiatoria, lenocinium & hujusmodi, non sunt artes, sed exercitium & peritia, plerumque deceptioni commista. Saltator autem, digladiator & musicus imprimunt figuras & transformationes in proprio corpore, & ore & aere transeuntes: quarum usus est in fieri, non in facto esse, & utiliter fit: aliquando tamen inutiliter: & tunc, ut Chrysost. probat, non est ars, nisi ei, cui utilis.

SECTIO IV.

De Arte Chrysopœia.

XIX. Chymicorum paradoxa paroemia est, inquit Rob. Boyle: *Facilius est aurum facere, quam destruere.* Sicut & illud, quando docent, aurum (nonnullaque alia metalla) *incombustibili sulphure* abundare: ea dictio æque sana est, ac si dicas: *nox sole collustrata*, vel *glacies fluida*. Idem author ait: Nemo usque huc aurum resolvit in sal: esto inde chymici tincturam (quam sulphur vocant) elicuerint; item argentum vivum, &c. Dixi, *esto*, quia præstantissimus chymicus, Angelus Sala, testatur: Experientiam certe comprobasse, mercurium auri adeo fixum, maturum, & arcte cum reliquis ejusdem corporis substantiis conjungi, ut nullo modo retrogredi possit.

Qui nobili vino bene instructa & ampla possidet cellaria, frumentisque farta granaria, absque furno & crucibulo facili negotio magnam auri copiam sibi comparare posse, illa vendendo, nemo inficiabitur: sed aurum hac methodo *factum* æque facile *destrui*, hoc est, prodige dilapidari posse æque certum. Vini & frumenti copia, optimæ sunt auri fodinæ. Sed de hujusmodi arte conficiendi aurum, præsens quæstio non procedit. Cui curiosæ quæstioni

XX. Priusquam satisfiat, quorundam terminorum explicatio præmittenda est. 1. Quid ars chymica, & alchymia? 2. Quid tinctura auri, seu lapis philosophicus? 3. Quid ars spagyrica? Itaque sciendum 1. & prænotandum ex P. Kirchero Lib. II. de mundo subt. sect. 1. cap. 2. Nullum in universa naturali Philosophia argumentum adeo controversum, & tot differentium opinionum monstris fœcundum reperiri, quam id, quod de auro conficiendo (hæc est ars chrysopoeia dicta) palam circumfertur. Legi, inquit, in quibusdam thesibus philosophicis hanc tractari quæstionem, & valde dubito, num Professores ejusmodi magis, quid aurum sit, intellexerint, quam rustici, quod responsiones & rationes illorum inconditæ satis indicant.

Quatuor sunt, pergit idem, de quibus inter Philosophos & Mathematicos nullo non tempore inextricabilis, & in hunc usque diem indecisa controversia mota fuit: quorum prius *quadratura circuli* requirit: alterum statica facultas sibi vendicat, estque *motus perpetuus*, quem *pura artificiosa* quadam *machinatione* constitui posse nonnulli perperam existimant. Tertium Physica sibi prærogat, estque *lampadis, qua perenni & aeterno igne ardeat, constructio*. Quartum est alchymia, qua imperfecta metalla Philosophici lapidis divina, ut ipsi ajunt, efficacia pollentis potestate in aurum purissimum nobilissimumque converti posse contendunt.

XXI. Sciendum 2. Alchymiæ nomen esse mixtobarbarum ab Arabico articulo *al*, & græco χύω deductum, omnibus populis & nationibus proprium factum, sonatque artem metallicam, seu spagyricam. Sunt enim multiplices alchymiæ species, quarum prima est omnium antiquissima, quam *metallurgiam*, sive metallicam artem vocamus, & sic describi potest: *Alchymia metallurgica* nihil aliud est, quam ars metalla præparandi, lavandi, excoquendi, solvendi, coagulandi, & pura ab impuris separandi in usus humanos necessarios, quam & *chymiam* proprie dicimus.

Altera species alchymiæ est *transmutatoria*, quæ *chrysopœia* vocatur, qua qualibet metalla imperfecta in aurum argentumque purissimum se transmutare posse alchymistæ prætendunt, quam hoc pacto licet definire: alchymia (transmutatoria) est scientia (verius ars) docens facere & generare quandam medicinam, quam Elixir vocant, quæ, quando projicitur super metalla, perficit illa, completque in momento projectionis, eaque transformat, non imperfecta solum in perfecta, sed & in aurum & argentum, pro ratione medicinæ projectæ. Ita definire placuit P. Kirchero, quam definitionem ad leges dialecticæ examinare non vacat.

Tertia species recte dici potest *chymia spagyrica* sive *analytica*, qua non mineralium tantummodo, sed & vegetabilium animaliumque corpora in sua elementa resolvuntur: quam etiam *chymiatriam* sive *chymiam medicam* vocant, & versatur potissimum circa artificiosam oleorum, salium spirituumque, sive quintarum essentiarum ex mineralibus, metallis, plantis animalibusque

busque extractionem in medicinæ usum; estque studium omni laude dignum, quod ex intimæ naturalis Philosophiæ fontibus haustum & prolatum, primo regum, deinde multorum principum studio excultum, jure merito in liberalium scientiarum numerum relatum, in sacratissimum tandem medicinæ complexum venit: cujus quidem ingentia emolumenta in genus humanum emanantia condignis encomiis sat celebrari nequeunt: eum vere sit arcanioris Philosophiæ fons, humanæ sapientiæ clavis, medulla & anima tum Physicæ, tum Pharmaceuticæ facultatum; medicinæ radix & scopus unicus, ad quem viri sapientes nullo non tempore collimarunt.

XXII. Sciendum 3. Totum artificium chrysopœiæ consistere in conficienda illa tinctura philosophica, seu *Elixir*, quam & *Lapidem Philosophorum* dicunt; vi cujus metalla in se invicem transmutare, quin & in aurum, quod omnium censetur purissimum perfectissimumq;, convertere. Vide Kirch. L. II. mundi subter. f. 2. c. I.

XXIII. Sciendum 4. Metalla nihil aliud esse, quam corpora, dura, firma, solida, malleo extensibilia, igne liquabilia. Habent autem dubio procul in se aliquid aliud occultum, quo in diversas formas degenerant. Quomodo alias in solidam illam duritiem sola terræ simplicis cum aqua simplici mistura degenerare possent? Quomodo inseparabilis illa pinguedo & viscositas, qua metalla, citra rupturam, extendi, aut sine ullo humidi diffluxu aut madefactione, solo simplicium elementorum ministerio eliquari valeant? Illud sane nemo concipere potest, cum nihil det, quod non habeat. In intimo itaque elementorum centro latere tantorum causam effectivam, quodque metallis originem suam præbeat, necesse est. Quod quidem nihil aliud esse dicimus, quam humidum illud unctuosum & viscidum, cujus vapor continuo exspirans, & intra intimas telluris fibras, abditosque montium ductus diffusus, tandem ubicunque materiam proportionatam repererit, ibi pro ratione puritatis impuritatisve, nunc lapidem, aut gemmam, modo minerale aut metallicum corpus generat.

XXIV. Quomodo vero hoc humidum unctuosum & viscidum a natura elaboretur, merito quispiam dubitare posset. Iuvabit circa hoc breviter delibare ex eodem Autore Lib. I. mund. subterranei sect. I. c. 3. nonnulla, ubi sic ait: Dico, id ex defluxu astralium virtutum spirituumque cœlestium derivari; qui spiritus, uti ex origine sua purissimi sunt, ita quoque ob summam & inexplicabilem tenuitatem subtilitatemque, statim omnia elementa penetrantes, magnetico quodam attractu iis, quæ in primordiali rerum chaotica massa idem fuerunt, mira quadam ratione junguntur: Elementa vero, aer & aqua, iis fœta, per maris accessum recessumque, solis & lunæ ministerio causatum, in intima telluris reconditoria diffusa, ibidem a subterraneo igne denuo decocta, digesta, depurataque per multiplicem iteratamque coctionem in humidum illud unctuosum, pingue & viscidum evadunt, cujus vapor per abditas terrestrium venarum fibras delatus, primo insita & invisibili salis virtute in terram salsuginosam convertitur, quæ continua ejusdem resoluti vaporis irroratione irrigata solvitur, & depuratur multis modis, tum sublimatione, tum filtratione per terræ poros facta. Atque hoc pacto ab omnibus terrestrium fæcum quisquiliis expurgatum tandem in genus quod-dam candidissimi sulphuris degenerat: quod quidem sulphur purum lotumque matricibus terræ conclusum calore vulcanio, & sui ipsius ulterius coctum, multorum annorum decursu in argentum proprii salis spiritibus figitur.

Si vero hoc sulphur album & incombustibile fortiori adhuc igne ad rubedinem usque torqueatur, id tandem depurgatissimum, sub æquali humidi pinguis & terræ portione inseparabili unione in aurum purum transmutatur. Quæ omnia Lib. II. experimentis ad naturæ exemplar accommodatis ostendit. Si vero hujus humidi unctuosi & viscidi vapor nondum ab omni impuritate & fæculentis recrementis expurgatus fuerit, tum pro ratione gradus puritatis impuritatisve, nunc in perfectius, modo in imperfectius metallum convertitur. His ita circa metallorum genesim breviter expositis

XXV. Sciendum 5. Pro majore intelligentia prædictorum, metallorum genesim non procedere aliunde quam a sulphureo-mercuriali vapore, qui pro ratione terreni, aut matricis puræ aut impuræ, metallum nunc purum, nunc imporum producit: atque hunc vaporem *semen* metallorum vocamus. Est autem *sulphur duplex*, uti & *mercurius*, *innatum* & *adveniens*. *Innatum* sulphur, quod & vivum dicitur, ac simul cum semine confunditur: atque hoc ipsum est, quod metalla promovet, materiam dispositam in aurum & argentum convenit, nisi ab adveniente aliquo obruatur, &, uti diximus, nihil aliud est, quam vapor ille purissimus & igneus, qui vim coagulandi mercurium habet. *Adveniens* vero sive externum sulphur, sive minerale in suo naturæ statu jam constitutum, grossum, fæculentum, adustibile unctuosumque, tantum abest ut metallorum perfectionem promoveat, ut potius adustiva sua qualitate mole sua mirum in modum impediat: semen vero innatum purum, si puræ matrici fuerit concreditum, id eodem in loco purum etiam metallum, sine longo naturæ labore miro quodam naturæ magnetismo generabit, scopum suum assecutum, dum id facit, ad quod semen ordinatum fuerat. At contra si semen hoc in matrices impuras, variisque terrestrium glebarum quisquiliis contaminatas inciderit, secundum majoris minorisve impuritatis gradum, metallum aut minerale quoque nunc perfectius, modo imperfectius producet. Si vero in genesi terrestris & adustibilis fæculentia sese admiscuerit, pro fæcum copia, antimonium, marchesitam, pyritem, aliaque non ductilia mineralia gignet, quæ, quia de mercurio participant, liquefieri quidem possunt, ad perfectionem autem promoveri non existimantur.

Sin autem sulphureæ fæces paucæ, & subnigræ se commiscuerint, & mercurius non satis coctus fuerit, argentum vivum vulgi fiet. Sed si fæces malæ, mali saporis & fœtidæ, nec non virtutis debilioris fuerint, illæ mercurium inficient, illudque fragile, pondarosum luteumque reddunt, quod uti non bene coagulatur, ita quoque in plumbum degenerat. Si vero sulphur malum fuerit, non bene cum mercurio miscibile, stannum generat, si vero sulphureæ illæ fæces penosæ, immundæ & terreæ fuerint, ferrum producent: & si sulphur ejusmodi rubrum & adustum fuerit, æs gignetur.

Atque ex his patet, quid alchymistis agendum sit, ut ex dictis intentum illud semen metallicum extrahant; quod

quod tametsi iis inesse negare oequeamus, edoctionis tamen ratio est tanto incertior, quanto modus naturæ, quæ illo semine in metallorum genesi utitur, nobis est ignotior, imo vix humano iogenio investigabilis: neque ab artificibus ulla adhuc ratio, quæ intentæ lapidis confectioni satisfaciat, inventa fuit. Non ignoro, addit Kircherus, tale sulphur spermaticum in solo auro & argento latere purissimum: sed hoc ab auri incorruptibili & indestructibili substaotia separare, hic Rhodus, hic saltus.

XXVI. Sciendum 6. Magnam esse differentiam ioter *transmutationem* unius rei in aliam; & *reductionem* unius rei ad aliam, seu separationem unius ab alia. transmutatio sive transsubstantiatio tum est, quando duarum substantiarum, unius in aliam, integra & perfecta, quoad formam, proprietatem viresque, fit mutatio: ut, cum ferrum in argentum, in æs, in aurum, aut similia metalla in similia mutantur: atque ad hanc transmutationem prorsus oecessarium est, ut eædem substantiæ rei alicujus alterentur penitus, prorsusque mutentur, dum adsciscere sibi debent aliam formam perfectionemque, quam prius non habebant. Est autem reductio quædam, per quam recolliguntur & in unam massam coadunantur res quæpiam, quæ in minutissimas particulas dispersæ & dissipatæ erant, nec non diffusæ commixtæque alteri cuidam rei, ceu amissæ & perditæ per reductiooem in pristinum suum statum restituuntur.

XXVII. Quando autem Neosolii in Hungaria ferrum transmutari dicuot in æs aut cuprum, illud fit hoc modo: Cum in vitriolo infinita ærata corpuscula inexistant: & quemadmodum illa maximam sympathiam cum ferro habeot, ita quoque fit, ut statim ad ferrum coofluant, atque in ejus se poros intime insinueot. Cum vero ingentis acrimoniæ spiritibus polleant, hinc intra ferrum insinuata illud mox rodere incipiuot, usque dum omni pinguedine ferri consumpta, ferrea substantia dissoluta in scobem seu rubiginosum pulverem abeat: corpuscula vero vitriolata in consumpti ferri locum se sobstituentia, nativa tum ferri, tum propria pinguedine in unam massam coogiutinantur, quæ primo quidem intra aquam mollis; aeri tamen liberiori, ventis, solisque radiis exposita in perfectum æs induratur; atque hoc pacto idem fit, quod ante fuit: antea quidem per ipsorum corpusculorum in aquis dispersionem, modo per eorundem a ferro tractorum unionem. Si anim vera hic daretur transmutatio, nihil amplius ferri superesset: sed experientia docet, tantum ferreæ rubiginis manere, quantum fere massa prius ferrea pendebat. Hinc istam transmutationem non veram, sed ex accidente tantum vocat Kircherus Lib. 10. mond. subter. sect. 1. cap. 10.

Praxis autem in sodinis Hungaricis est talis: Ferrum rubiginosum & inutile, uti variorum veterum instrumentorum supellectilem accipiuot, atque fornaci inditam ad incudem redoctum in tenuissimas laminas extendunt: hoc peracto, has laminas rivi vitriolati, qui io profuodissimis fodinarum cuniculis profloit, fundo imponunt, ibique ad nonnullos menses relinquunt. Constituto itaque tempore rivum adeunt, & laminas in pultem sobflavam amalgami instar abiisse reperiunt: hisce aeri ventisque expositis, paulatim in optimum æs induratæ cerountur. Addit ibid. opera Morlandi chymici ex centenario ejusmodi cupri, 25 lotones auri extractos fuisse, cum ex cupro minerali ne quidem 6. educere potuerit.

Quæres incidenter, quid sit vitriolum? Resp. vitriolum corpus est minerale, in imis terræ visceribus, ex spiritu sulphureo, aqua & minera æris aut ferri, aut utriusque simul permixti compositum. Et a spiritu quidem sulphuris acrimooiam suam habet: claritatem vero fluiditatemque ab aqua, & a minera æris aut ferri colorem saporemque metallicum obtinet: atque ex his tribus, spiritu sulphuris, aqua & minera æris aut ferri, vitriolum componi experientia cognitum haberi testatur Kirch. loc. cit. pag. 338. Cæterum tam vitriolum quam alumen parentem agnoscunt pyriten. Adde, vitriolum, si ferream mineram subierit, viride: si cupream, vitriolum album: si denique argenteam glebam, vitriolum cæruleum evadet: quæ quanto ex perfectioribus metallicis substantiis originem habent, tanto quoque majoris virtutis esse censebuotur. Quæ per occasiooem dicta suoto. De Vitriolo vide plura Tractatu. Iam ad rem.

XXVIII. Controversia præsens inter literatos nostro tempore acerrime ventilata in utramque partem Patronos habet: negativam mordicus tuetur P. Athanasius Kircherus, Franconum decus, natione Fuldensis, quem Ioannes Zwelferus, Palatinus, Med. Doctor Heterodoxus Norimberg. in sua pharmacopœia regia, typis evulgata an. 1693. solide (meo quidem judicio) refutat, cujus verba hic adnumerare placuit: tum nostram crisin subnectemus.

Sic inquit, Mantissæ Spagyricæ Parte I. cap. 1. Hæc quæ de auro, ejusque *essentiis*, *tincturis* aliisque melioris notæ parandis arcanis remediis, præmisimus, & quæ universaliter ad mentem antiquorum philosophorum, de *vero auro potabili*, præfati sumus, ex professo & acerrime impugnat & eliminare nititur magnus ille societatis scriptor & Presbyter P. Athanasius Kircherus, Vir incomparabilis doctrinæ ac taleoti, multisque ævo oostro arcanis tomis, luculenter editis, conspicuus. Hic, inquam, *mundi* sui *subterranei* Tom. 2. Lib. II. sect. 2. cap. 1. *de Lapide Philosoph.* Chrysopœiam, tincturam Philosoph. seu quocunque compelles etymo, nunquam ulli revelatam, aut cognitam fuisse hactenus, nec in futurum parabilem esse, palam decidit, apertus alchymistarum aotagonista. *Nos*, ioquit, *media via incedentes*, *neque* χρυσοποιίας ἀδυναμίαν, *neque etiam eo modo id fieri*, *quo alchymista illud producere posse existimant*, *asserimus*. Quod quidem placitum ac dogma suum adeo nervose tutatur, ut eos, qui cootrarium tutati sunt, uti Isaacus Hollandus, Paracelsus, Villanovanus, Rupicissa, & complures, ludibriis sannisque recte seotientium philosophorum se prostituisse, apertissime perhibeat. Cujus Viri, utpote celeberrimi, fama ac talentis nunquam æquandi, doctissimas assertiones & argumenta, licet aperto marte incessere ac adoriri neque velim, neque ausim; meam tameo interim non tam opponam, quam amice proponam, opinionem; arbitrio cujusvis relicturus, utrinam parti assensus jure debeatur.

XXIX. Definitionem magni hujus arcaoi naturæ non affero juxta P. Kircherum, *non-entis*, *chymera*, *ac non existentis*, ac per coosequens, neque genere ac differentia circumscribendi. Ordior ab eo, quod magno huic viro admirationem peperit, *quod Lapis Philosoph. omnium pene rerum similitudine descriptus sit*, dum aliis

ca-

celum chrysospermа, semen auri, terra benedicta; aliis *aqua viva, aqua vitæ, sigillum Salomonis; omnium morborum medicamentum, de quo qui bibit, non morietur*, & similia, ot ait, *partim ridicule, partim irreligiose, nuncupatur*. Verum festiva prosonomasia, allegoriis & sensu tropologico hæc ab autoribus dici, quis non videat, venerandam æmulantibus antiquitatem? quæ non tantum hieroglyphica brevitate, substitutis signis abditis pro rebus, posteros æquivocando delusit: verum etiam barbara verborum aphonia Phœnicum & Arabum, a divinandis rerum mysteriis & naturæ arcanis deterruit, neminem volens Oedipum. Quorum elenchum ex dedicatoria Beguini epistola P. Kircherus in sua transtulit. Vnde & de chrysopœia tractaturi scriptores, suis sese latibulis & verborum umbris abdidere, proprio quisque abundans senso ac etymo, tanto potiore jure, quod neminem ad similia revelanda charitatis lex ac character obliget, dubitem, an noo inhibeat, quamplurihus abusuris, aut exinde usorariis futuris. Quod ioterim *nulla inter alchymistas harmonia, ac instar canum, efferа mordacitate & sarcasmis se petunt ac sæviunt; nulla consequentia est, lapidem aurificum & philosophorum, in natura dari non posse, aut nunquam extitisse*. Avita hæc, ac coæva semper magnis artibus fuit calamitas, ut figulus figulum oderit, sibique malignantes ac æmulos instare deprehenderit. Privata hæc, ac proprio vitio accrescens licentia fuit, magno hujus arcani splendori nollam inducens umbram. Ioefficax proiode hoc P. Kircheri argumentum censeo, hoc foote derivatum.

XXX. Sed, inquit, vario dissident alchymistæ conceptu, sensu ac pathemate in adstruenda materia prima chrysopœiæ, dum alii *ad ovorum putamina, busones, vini substantiam, ac ignobilioris conditionis substrata recurrunt, tanquam materiam ex qua*. Ad quod resp., quod nec mihi cum talibus feriæ sint, nec ulli sensato Philosopho: suo hæreant defixi limo; nobis meliora prostant. Quod autem aliqui ad arsenicum, tanquam causam materialem, profugerunt, patrocinium aut autoritatem in vaticinio Sibyllæ fingentes, id nihil urget: & ultro assero, quod illo Sibyllæ vaticinio nomen Dei mysticum, ac HOMO DEVS, nota magnis ecclesiæ luminaribus paraphrasi, signatum fuerit; & prout olim, uno 70. interpretum ore, concordia S. Spiritus, & concors scripturarum veritas, sancita fuit: sic tot Sibyllarum propheticis metris ac versibus, magni Salvatoris adventum, uti & passioois sacratissimæ seriem, figuratam fuisse, concedo. Non tameo ex hoc sequitur lapidis philosophorum implicantia; quidquid etiam a congruo iotulerit R. P. Kircherus. Pergit Zwelferus &

XXXI. Dicit I. (salvo meliori judicio) possibilem esse, arte pure oaturali, coofectionem *lapidis philosophorum*, seu *tincturam*, quæ omnia metalla in aurum argentumque substantialiter tingat, ac projectione sua finite in infinitum multiplicet; quod probat argumento negativo: Nulla potest hujus, nec ex parte naturæ, nec ex parte hominis, nec ex parte subjecti seu seminis aurifici, nec omnium horum reduplicative sumptorum dari implicaotia, ergo naturaliter possibilis est chrysopœia. (quando, & quantum probet argumentum hojusmodi, suo loco ostendemus).

XXXII. II. Multos hoc lapide dotatos fuisse. Probatur ex infra dicendis contra P. Kircherum, & instantiis ibidem afferendis, (argumentum ab actu ad potentiam validissimum apud omnes) ergo improbabilis est P. Kircheri cooclusio negativa. Confirmatur prior conclusio. De facto naturaliter in visceribus terræ aurum seminaliter propagatur, ergo ratio hojus propagationis & seminii, utpote pure naturalis, a philosopho comprehendi potest, & arte adæqoari; utpote quam multi imitati sunt; nisi una negatione plus derogare velis, quam centum philosophi possint affirmare (& ad sensom demoostrare) quod cujusvis obvii est.

XXXIII. III. Minime probanda est P. Kircheri sententia, qua ait: „Ex 4 elementis tria generari principia, salem, sulphur & mercurium: atque ex iis simul debita proportione junctis metalla generari, arbores „ produci &c. ot, si quid aliud extra illa qoæramus, id „ verius in Vtopia, quam in naturæ imperio quærere „ censeamur. Sed dico, quod & sibi objicit P. Kircherus, dari in natura materiam quandam, a dictis principiis distinctam, communem, resultantem & prodoctam ex diversa commixtione, digestione & alteritatibus sulphuris & hydrargyri; in quibus vis mineralis ad operandum & geoerandum existat: & quorum mutuis agendi & repatiendi principiis & caosalitatibus traducantur a forma corporum imperfectorum primo generatorum, in formam aliam, ut tandem perveniant continuatis digestionibus & purificationibus, ad ultimam illam & perfectam, quæ est forma aori, in qua est ultimus terminus motus, quem ars etiam consequi potest, saltem de possibili.

Dari autem materiem talem, seu *sulphur spermaticum, aut vaporem ad metalli hujus solaris genesim conducentem primo & per se*, ipse P. Kircherus admittit, (ut constat ex mox dictis.) Subsumo: atqui non datur implicantia, quo minus hojus separationis ars dari possit, ergo oihil contra nos infertur.

Neque dicat: In definienda materia chrysopœiæ ignotum per ignotum, ac idem per idem explicari vitiosumque committi circulum: alioquin de jure negaverim R. P. Kirchero, ullam dari rigorosam definitionem in Philosophia, sed ubique circulum committi: cum, nisi assignatis in rigore genere & differentia, his tanquam ultimo rem determinantibus, sistamus; in infinitum procedere quemvis urgebo. Noo enim certatur terminis in alchymia: sed rebus, ἐγχειρήσει & operatione manuum opus est; in qua non juxta dialecticam, sed veram philosophiam omnia deciduntur.

XXXIV. Ad cæteras congruentias, quas P. Kircherus affert, cur sc. I. *Magnus Deus non revelaverit philosophorum lapidem servis & Amicis magnæ sanctitatis; quibus tamen sese ad extases usque communicavit*, ac pleno torrente voluptatis etiamnum viatores potavit? Apposite respondet Zwelferus, huc illud P. Kircheri, quod alchymistis objicit, esse detorquendum: *qui divites volunt fieri, incidunt in laqueos diaboli*, juxta Apostolum; & *quæ conventio Christi ad Belial?* Semita virorum Deo dicatorum, est continua tendentia ad perfectionem, per omnimodam sui abnegationem; segregaodo sese a terrenis sollicitudioibus, quæ a Deo avocare solent, uni & soli spiritui sese mancipantium. Quæstuosæ autem ejusmodi artes (consulatur D. & maximus Hieronymus in epistolis) recta diametro huic opponuntur fini. Totos sibi vendicant animos eorum, quos tyrones semel nanciscuntur, ac a

Deo faciunt peregrinari. ... Vnde videmus, plurimos religiosissimos, ac consummatos viros in cogitationibus suis evanuisse, & discinctè conversatos fuisse; dum in alienam messem falcem suam mittere volentes, lapidem offensionis, non Philosophorum, Diabolo alchymistam se fingente, inquisivere: cum extra sphæram religiose conversantium sit, ac alia longe occupatio desideretur in talibus; uti patet ex Hieronymo, sanctissimo asceta, epist. ad Pammach., ad Rusticum, ad Heliodor., ad Paulinum, ex Bernardo in epist. item Serm. 30. super Cantica. Ex Cassiano in Collat. PP., præcipue autem Hugone de Claustro animæ cap. 5. Innumeros producere possem ex probatissimis scriptoribus aut propria etiam experientia, quis claustrali observantiæ chymiam & artes lucro deditas, qualis alchymia est, jungere volentes, malo eventu id practicarunt. Notus ex scriptis est Basilius, D. Benedicti monachus: a quo Paracelsus descendit. Ioannes de Rupescissa, D. Francisci conventualis: Valentinus alter monachus, Villanovanus, & sine numero numerandi, quos apud Spondanum, Galliæ Narbonen. Episc. & S. R. E. Cardin. Cæsarem Baronium, chronographos reperies: plures etiamnum usu cognosces, quos nostra vidit ætas, totos in laboratoriis demersos: quos minime judico, cum his impar sim officiis. Econtra vero participari se sinit clementissimus Deus, ac naturæ recessus iis reserat, qui inter limites vocationis suæ, orando & laborando, pusilli & humiles creatori suo adstant, ac gemitibus incessanter plangunt & gemunt, donec exaudiri mereantur; cum interim inanes dimittat eos, quos ad aram, non vero ad alchymisticas acerras, destinavit. His enim non hermetica apocalypsis scrutanda destinatur, sed ea, quam in Pathmo insula primus intellexit Ioannes, quæ propria eorum est, quibus datum est desuper, *solvere sigillum & aperire librum*.

XXXV. Demiratur P. Kircherus, *qua ratione spiritus sapientiæ in animam malevolam migrare potuerit; cum plurimi fuerint prostituta vita alchymista?* (quod potius privatæ cujusvis libidini & genio, minime arti innocuæ accensendum) & Theophrastum Paracelsum, alchymicorum præsidem, nigerrimo signat calculo, figura usus, Græcis polysyntheton dicta, notissima Poëtis, dum cum multiplicatis epithetis *convitiatorem, blasphemum, rixosum, ebriosum, atheum, ac magum & ariolum fuisse* arguit, multa contra virum adducens ex ingrato Paracelsi discipulo *Oporino*: qualem olim & Plato habuit cuculum. (Aristotelem). Ego, pergit Zwelferus, Theophrastum vindicare nolo; adducam tamen pro eo formalia ex subtili illo Philosopho & Medico, *van Helmont*, Titulo, de magnet. vuln. curat. ubi hæc leguntur: „ Novi satis contradicentium mores: cum enim nil in rem ipsam moventi habent amplius, contumeliosiores fiunt, & in hominem impingunt: quocirca dicet fortasse aliquis, magnetismum esse quid novum, a Paracelso solo inventum: eum autem fuisse hominem improbum, & ignarum. Tum quod si fuisset uspiam talis virtus naturalis, illam non tot læculis occultam stetisse, & expectasse in adventum Paracelsi. Respondeo, inquit Helmontius, quoad scommata, & multorum subsannationes in virum Germaniæ decus instillata, ne nuce quidem digna esse, asserentem eo ipso reddere indigniorem: utpote qui nedum vivos, sed & mortuos judicare annititur. Est itaque objectio superbia sua sterilis, quæ nimirum præter vivos & mortuos etiam Deum ipsum judicandum assumit. „ Hæc Helmontius. Legatur contextus ibidem, quem ego huc transferre nolui. Ad finem autem sic concludit:

XXXVI. Quæ autem sint Paracelsi opera, & quam omni expectatione naturæ, & linguarum mordacitate majora, ipsius epitaphium, ab Illustrissimo & Rever. antistite, principe Salisburgensi, illi benemerito funeri appensum, satis invita invidia declarat. Habetur itaque Salisburgi in Nosocomio apud S. Sebastianum, ad templi murum lapidi incisum, epitaphium adhuc hodie visendum: Conditur hic Philippus Theophrastus, insignis Medicinæ Doctor, qui dira illa vulnera, lepram, podagram, hydropisin, aliaque insanabilia corporis contagia, mirifica arte sustulit: ac bona sua in pauperes distribuenda collocandaque honoravit. An. 1541. die 24. Septemb. vitam cum morte mutavit. Hæc de Paracelso, artis chrysopœiæ instauratore, publica monumenta. Quibus si P. Kircherus fidem negarit interveniente tanti præsulis auctoritate: neque ipse demiretur autor, si proprios ejus partus minus æquo judicemus oculo.

XXXVII. Post Paracelsum arguit P. Kircherus Bernaudum, ex cujus confutatione structuram lapidis aurifici demoliri studet, dum ex Bernaudo pag. 263. cap. de Lap. Phil. adducit; sed, (sit venia verbo) imponit huic autori, quasi sensisset, *omnem tincturam ex auri obrizi unciis duabus, & decuplo mercurii paratam super argenti vivi drachmas duas projectam, ejus tantum drachmam unam commutasse in aurum*, cum tamen mens autoris sit, *quod duodecima pars unius grani, de sua descripta tinctura projecta super duas drachmas mercurii seu argenti vivi, tingat seu transmutet hujus drachmam unam in aurum perfectum*. Et quivis, qui artem spagyricam vel a limite salutavit, coojicere poterit, ab auri obrizi unciis duabus & decuplo mercurii, plus tincturæ, post perfectam hujus (tincturæ sc.) & lapidis elaborationem in residuo futurum, quam duodecimam portionem unius grani, virtute cujus duntaxat unica drachma argenti vivi in aurum transmutari potuerit. Scrutetur P. Kircherus, aut cuicunque vacat, accuratius formalia autoris, ac liquido deprehendet, quod asserui ego; sc. duodecimam partem unius grani tincturæ illius ab ipso descriptæ, tingere 60. grana, id est, drachmam unam argenti vivi, in aurum purum; & sic consequenter tincturæ ejusdem granum saltem unum & integrum, duodecim drachmas, id est, unciam unam cum dimidia, argenti vivi; adeoque ultro calculando, usque ad drachmam unam tincturæ, quæ sunt grana 60, transmutarentur, juxta mentem Bernaudi, unica drachma illa, libræ octo circiter, minus ℥iij. argenti vivi in purissimum aurum. Et posito jam, de auri obrizi unciis duabus, & decuplo mercurii, segregatis omnibus heterogeneis, in præparatione lapidis philosophici remanere saltem dimidium, aut minus etiam: an non magnum exinde commodum accresceret operanti? Sed non ideo hæc allego, quasi processum Bernaudi per omnia legitimum censeam, qui revera mancus ac mendosus est: sed solum ut remonstrem, Bernaudum a R. P. Kirchero indebite refutatum ac notatum acrius fuisse, cujus mentem ac sensum non erat assecutus.

XXXVIII.

XXXVIII. Fuisse autem quondam viros, qui, citra jactantiam, magnum hoc lapidis ac naturæ mysterium cognoverint, probandum mihi restat, uti supra pollicitus sum. Et vero possedisse Theophrastum Paracelsum lapidem aurificum, orbis clamitat, & ad nos vocem reflectunt Magni Rudolphi Austriaci tempora, quibus hoc indubitatum apud omnes percrebuit. Adducam tamen vel unicum ex Helmontio testimonium, quod reperies titulo: *Tartari historia:* eo directum L. B. volo, nimium alias futurus prolixus.

Habuit chrysopœiam Helmontius. Ita enim ipse de se, tit. *Vita æterna*, & tit. *Demonstratur thesis.* fol. 427. *Ego itaque*, ait, *renascentiam salvandorum contemplor in natura sublunarium & terrena fieri, perinde ac in projectione lapidis chrysopœiæ.* Enimvero vidi illum aliquoties, meisque contrectavi manibus. Erat enim coloris, qualis croco in suo pulvere, ponderosus tamen, & micans instar vitri pulverati. Datum mihi semel fuit ejus $\frac{1}{4}$ unius grani. Granum autem voco sexagesimam partem unius drachmæ. Hunc ego pulverem ceræ, ab epistola quadam abrasæ, involvi, ne projiciendo in crucibulum per fuligines carbonum dispergeretur: quem deinde globulum super libram argenti vivi ferventis, & recenter emti, in vas triquetrum crucibuli projeci, &c. Mox deinde ait: aucto igne sub follibus, liquatum est metallum, quod everso vase fusorio, reperi pendere octo uncias auri purissimi. Facto igitur computo, unicum granum istius pulveris convertit 19200. grana impuri ac volatilis metalli, per ignem delebilis, in verum aurum, &c. Plura ibidem. Concludit ergo. Tit. *Vita æterna* fol. 427. *Inter terrena ergo reperitur præfatus pulvis, quodammodo similis, qui fere infinitum metallum impurum transmutat in aurum optimum, sibique uniendo, ab ærugine, rubigine, carie & morte defendit, ac velut immortale facit, &c.* Plura ex ipso fonte legat & hauriat, qui volet.

XXXIX. Si igitur tanti viri reverentia apud R. P. Kircherum (quem miror in hunc locum non incidisse) pondus non habeat; incredulus sim, si plures adducam, quos possem & vellem. Tamen priusquam finem faciam, adjiciam e penu Austriaca, aut potius glorioso ærario, magnum & augustum chrysopœiæ tributum, quod olim ter felix Cæsarum FERDINANDVS III, sanctissimæ memoriæ Princeps, perenni gloria & fama, ad aram Apollinis suspendit, trophæum: & est numisma, purissimo auro conflatum, minime sophistico, quod arte, & mercurio vivo, per projectionem unius grani tincturæ, ipse FERD. III. transmutavit. Ejus accuratam delineationem, æri incisam subjungo, & pluribus rem edissero.

IDEA NVMISMATIS AVREI.



XL. Hoc, quod coram intueris, numisma, constat ex auro, quod e vulgari mercurio tinctum fuit, cujus libras tres integras ipse FERDINANDVS III, Imp. gloriosæ memoriæ, manu propria in libras duas & dimidiam auri puri, beneficio unius grani tincturæ philosophorum, transmutavit. Fuissent quidem integræ tres libræ mercurii transmutatæ, nisi tingenda mercurii massa semilibra illa proportionem tincturæ superasset. Neque hic locum habent infidæ forsan multorum retorsiones, fuisse magnum hunc monarcham ab impostore quodam illicio, inescatum supposititio quodam auro, ad majora aucupanda. Exulent procul indignæ ejusmodi neniæ viro probrosæ: cadere hoc in principem tam circumspectum, & ævi nostri Salomonem non potuit; utpote qui technas, ac mille gyros & anfractus ejusmodi tenebrionum & pseudoalchymicorum ex asse perspectos habuit, quibus obviaret, ut veritatem & naturæ abdita erueret. Quare huic veritati propugnandæ non immemor, L. B., perpendere volo ac subducere calculum, facta hypothesi, quod, si granum unum libras duas cum dimidia tingat; hæ autem duæ libræ cum dimidia contineant grana 16470. quod tum quoque una pars tincturæ totidem, hoc est, 16470. mercurii tingendo transmutet; atque adeo hæc ars transmutatoria sine lucro non sit & absque fœnore.

Addo confirmationis loco, quod hæc metamorphosis, & metallorum transmutatio, jam temporibus Magni Rudolphi sæpius elaborata fuerit: quod in Germania notissimum. Vnde Ferdin. III. hoc numisma in tantum redamavit, ut illud consueto aulæ magnifico Thesauro adjungi passus non fuerit, sed secretissimo, & conclavis sui scriniolo incluserit, nullo, aut paucis arbitris. Vnde accidit, quod cum recentissime ego (Ioan. Zwalfer) apud sacratissimam Majest. Leopoldum per ordinatum & aulicum thesaurarium, Nobil. Dn. Ioannem Ladner, hujus rarissimi numismatis, ac vere thesauri mentionem fecissem; ne-

que sacratissimus Cæsar, neque Thesaurarius, hujus notitiam & copiam se habere perhibuerint; usque dum me humillime instante, Clementissimus Imperator in secretissima arcula reperit, mihique ad 14. fere dierum spatium, ut domi meæ æri incidendum custodirem, clementissime concessit.

XLI. Exhibuit autem hoc granum tincturæ Ferdinando III Vir quidam nobilis, cognomentu *Richthausen*, quem deinde ad Baronis fastigium evexit, motu proprio, Sacra Majestas, & Domini de Chaos titulo insignivit. Perque hunc & mihi, utpote amicum olim singularissimum, unius atque alterius unciæ obrizi, & ex mercurio tincti auri, copia obtigit: uti de facto tanquam pretiosum thesaurum mihi servo atque recondo.

XLII. Hæc pro chrysopœiæ veritate & possibilitate adstruere volui: quibus tamen, si nihil profecero adversus obfirmatos quorundam animos, cum magno illo Viro, *Conrado Wechtlero*, Ferd. III. & Leopoldi I, Invictissimorum Cæsarum, archiatro, &c. exclamare cogor: Quis credat scientiam hanc chrysopœiæ homini non fuisse communicatam, quam Evdæmones norunt, quam Angeli eminenter possident? Aut cum Hugino a Parma Parisiense: Majestatem naturæ naturantis nondum adoravit, neque naturæ naturatæ decessit satis, qui divini operis hermetici possibilitatem non credit, realitatem ignorat vel contemnit. Denique quibusdam interpolatis concludit lepida historia, quam non omittendam duxi. Helmstadii (civitas, Magdeburgum inter & Brunswicam sita, Vniversitare insignis) accidisse compertum habemus, ubi Cornelius Martini, Vniversitatis illius tunc temporis Professor Public. tractatum quendam, de Lapide Philosoph., manu autoris (Cornelii) fideliter & industrie, uti existimabat, elaboratum & typis propediem mandandum, ac pro disputatione eventilandum dedit. Intervenit nobilis quidam vir, moribus ac pietate conspicuus, Cornelio familiaris, qui de more, ad disputandum & argumentandum lacessitus est: cum tamen impar huic oneri esset, re, non syllogismo tantum Philosophus. Hic ut sententiam suam factis proferret, carbones ac plumbum sibi afferri jussit, & in præsentia coram oculis Cornelii tincturam quandam eliquato metallo injecit, ejusque virtute jam dictum plumbum in aurum optimum transtulit; deque eo etiamnum calente, Domino Cornelio particulam notabilem porrigens, hoc subjunxit apophthegma: *Heus jam tu, mi D. Corneli, solve mihi hunc syllogismum!* sic ex abrupto argumentatus spectatores suis multis reflexionibus gravidos dimisit, ac palam fecit, quid possit in natura genuina Philosophia. Cornelius interim rubore ac verecundia suffusus, palinodiam cecinit, vanas dimittens quæstiunculas, pyrotechniæ se tradidit, futuris per ignem Philosophus (qualis dici voluit Helmontius) orando & laborando.

Hactenus strenne a Zwelfero chrysopœiam audivimus, quæ breviter in hanc demonstrativam formam rediguntur: Quod non semel factum est, non debet dici impossibile: per tincturam aurificam arte chrysopœia non semel metalla imperfecta in aurum purissimum transmutata sunt, (uti testimonio irrefragabili ostensum) ergo chrysopœia seu dicta transmutatio non debet dici impossibilis aut chymærica.

XLIII. Debellatum itaque in præsenti controversia: & ne solus iste acatholicus contra P. Kircherum triumphasse videatur, adjungo alterum Achillem, similiter archiatrum & mathematicum, D. Ioann. Marcum Marci, Med. Doct. & Professorem olim Primarium in Vniversitate Pragen. orthodoxum, cujus opuscula suspexit Sorbona, Synchronum P. Athan. Kirchero, eique perquam familiarem; sicut & Reverendissimo P. Ioanni Caramueli Lobkowitz: hic eorum, quæ Pragæ gesta, in dato specimine chrysopœiæ testis est omni exceptione major Part. V. Phil. suæ Vet. restit. pag. 548. Vbi præter usum sæpe dictæ tincturæ, de arcano simili ex vitriolo parari solito tractat, quo usus est Basilius Valentinus, & in novissimo testamento commendavit his verbis: „ Custodi illud, quod in recipiente invenis, tanquam thesaurum arcanorum; nam per hanc viam es assecutus sapientiam & intelligentiam, cum fundamento & desiderio omnium Philosophorum: ut per hanc brevem experientiam sis assecutus notitiam illius, in quo aqua hæc quæri & inveniri debeat, neque enim pro aqua communi est habenda, sed revera & absque omni dubio hæc aqua est cœlestis, de qua tempestive & postea scripsi: quæ spirituali modo a virtute cœlorum huc in terram effusa ortum metallorum inchoat atque perficit, ob quod ab antiquis mercurius, a me vero spiritus mercurii appellatur. Et ne putes, hæc inania solum verba esse Basilii, subjungit D. Marci: Hujus aquæ vires sæpius sum expertus in renum, vesicæ & aliarum partium internarum inflammationibus: potissimum in Nobili Virgine Susanna Catharina Amanin, quo triplici abscessu laborabat; nim. uteri, hepatis & lienis. Prior abscessus in hepate ejusdem inflammationem secutus, per alvum pus fœtidum in magna copia vacuavit. Post abscessus lienis majori ex parte per urinam secessit. Demum recidiva uteri finem vivendi fecit. Dissecto cadavere repertus est uterus sphacelo absumptus cum magno fœtore; hepat vero prorsus integrum & sano simile, nisi quod locum abscessus linea tenuis suturæ similis notaret; lien denum quasi media ex parte in statu naturali; reliquam medietatem supplebat caro renum substantiæ similis, quæ pro liene absumpto succreverat: consolidatio in hac potissimum per opobalsamum facta fuit.

XLIV. Aliud refert ibid. pag. 550. Memini ante annos 10. Viennæ filium Ioan. B. Helmont (mercurius illi nomen) phlegma quoddam e vitriolo distillasse, & per illius distillati reaffusionem, digestionem & cohobationem non contemnendas eidem vires conciliasse. De quo cum per dies aliquot Illustri Heroinæ Luciæ de Kolowrat Viduæ, me, qui curam illius habebam, permittente exhibuisset: (laborabat autem tabe ex vomica pulmonum) adeo vegeta fuit effecta, ut cum eousque lectulo affixa esset, assurgere & animi gratia domo & urbe egredi non dubitaret; ubi casu mihi obviam facta, & hilariter me allocuta, fasciculum florum, quem manu tenebat, mihi porrexit. Verum a quibusdam, qui dictum Helmont aversabantur, & curam illam suspectam habebant, aliter persuasa, illud phlegma, quod nihil ab aqua differre videbatur, deinceps sumere renuit. Vnde rursum relabi & deficere cœpit; & paucis post diebus rupta vomica cum pure fœtido & sanie cruenta, secutisque convulsionibus vivere desiit. Hucusque Excellentissimus D. Marcus Marci. Equidem obiter hinc observo & de-

cestor

teſtor imperitorum & ſcrupuloſorum multorum conſilia & temeraria judicia, qui cum effectuum naturæ & arcanorum medicinæ rationem non intelligant, in vera Philuſophia per omnia rudes, mox ſuperſtitioſa & ex Dæmonis pacto implicito proficiſci pronuntiant, & conſcientiam erroneam ſimplicibus ingenerant. De quibus mox plura num. XLVII.

XLV. Vt denique categorice, quid de chryſopœia ſentiam, edicam; rationibus & experimentis allatis, ac virorum fide digniſſimorum teſtimoniis perſuaſus nequaquam impoſſibilem exiſtimo: mirorque P. Athan. Kircherum adducere voluiſſe illud Sap. 1, 4. in malevolam animam non introibet ſpiritus ſapientiæ, &c. cum legerit apud Lucam c. 16, 8. filios hujus ſæculi eſſe prudentiores filiis lucis, & nemo neſciat diſtinguere inter gratiam gratis datam, & gratiam gratum facientem ſeu ſanctificantem. Non ſoli ſancti arcanorum naturæ ſunt participes: imo rari inveniuntur Alberti Magni. Si pietas aurum: ſapientiam & literaturam recte gemmam dixeris annulo aureo inſertam. Sapientia mundana & profana, qualis eſt chryſopœia & ſimiles, nec opponitur ſtatui eccleſiaſtico, nec dedecet: dummodo religioni cultuique divino non præferatur, nec lucri cauſa, ſed ad emolumentum eccleſiæ, Reip. & proximi adhibeatur. Nolim ego omnes acatholicos (plurimi enim materiales tantum ſunt hæretici) dicere malevoli eſſe animi, qui in omni facultatum genere, maxime jurisprudentiæ, medicinæ, matheſeos, &c. noſcuntur peritiſſimi, abſit! Quid, quod nec miracula reddant ſanctum: & apoſtoli prohibiti ſunt gloriari in eo, quod dæmonia ejecerint: ſicut nec ſanctos quis dixerit Tintiritas, de quibus Plinius Lib. 28. cap. 3. refert, quod *tanto crocodilis ſunt terrori, ut vocem quoque eorum fugiant.* & Lib. 8. c. 25. *Non ſolum crocodilorum dorſo equitantium more inſidere, verum etiam in os eorum clavam imponere, dextra ac læva tenentes extrema ejus utrimque, ut frænis in continentem agitant captivos: ac voce etiam ſola territos cogunt evomere recentia corpora ad ſepulturam. Itaque uni ei inſulæ crocodili non adnatant, olfactuque ejus generis homines, ut Pſyllorum ſerpentes fugantur.*

XLVI. Quia tamen Dalilæ hujus inſano amore capti plures Samſones & potentiſſimi principes (eccleſiaſtici, ſæculares) non ſolum plures vitæ annos, neglecta Reip. & boni communis cura, ſed ingentes auri acervos dilapidarunt, cum inani labore lapidem philoſophicum venarentur: & tandem a ſycophantis & pſeudo-chymicis ſeſe deluſos verius, quam Herodes conqueſtus de magis, animadverterint; item ob plurimas fraudes paſſim inter vulgum commiſſas, &c. merito alchymiſtæ minus bene in Rep. audierunt. Qua de cauſa jam olim Diocletianus hujuſce artis libros diligenter conquiſitos flammis dedicavit, ut Lib. 7. lect. antiq. c. 2. Cœlius teſtatur apud Conimbric. hic q. 7. art. 2. in fine. Hucque ſpectat illud Ioannis XXII. in Extrav. Spondet: Alchymiſtæ ſpondent, quas non habent, divitias. Equidem integram talium voluminum Bibliothecam nec viliſſimo comparaverim pretio, cum nemo eorum, qui genuini ſunt artis ſpagyricæ alumni, arcana ſua per typum unquam evulgant, alias arcana dici & eſſe deſinerent, multique rei domeſticæ ſuæ penuriam inde paterentur: nec quiſquam ad hoc tenetur. Sed impoſtores, ut nomen ſibi concilient & famam, oſtentationibus fucum faciunt. Myſtici tales ſcriptores, ait Boyle, qui ſcientiam ſuam tergiverſantur communicare, cum minore exiſtimationis ſuæ fraude, minorique lectorum ſuorum moleſtia eam celaſſent, nullos ſcribendo libros, quam ſcribendo malos.

XLVII. Diximus ſupra n. XLIV. nonnullos imperitos ſcrupuloſos injicere laqueum ſubinde conſcientiæ, dum licita & ſalutaria diſſuadent ſimplicioribus tanquam ſuperſtitioſa. Quod idem quandoque viri alias bene docti faciunt. Ex pluribus ſufficiat unus Sennertus, inſignis Medicus Lib. 5. parte 4. cap. 10. pract. „Si, inquit, adhibito iſto medicamento (loquitur de pulvere ſympathico ſeu unguento armario) vulnus aliquod graviſſimum ſanetur, quod naturæ vires omnino ſuperare videatur, vi ipſius dæmonis ex pacto, ſeu explicito, ſeu implicito, ad curationem hanc illecti id accidit. Neque ſuſpicionem hujus rei tollit illud, quod nonnulli dicunt, omnia ſimplicia, quæ ad compoſitionem hujus unguenti adhibentur, eſſe plane naturalia; nullos in compoſitione vel inunctione adhiberi characteres vel conjurationes & incantationes: nam non ſolum ſub characteribus & conſecrationibus (conjurationibus) aut certo verborum modo ſuum pactum occultare poteſt diabolus; ſed etiam ſub rebus naturalibus, ſi eo jubente (quod fit in pacto primo & explicito, cui implicite alii, qui eadem adhibent, incaute ſe admiſcere poſſunt) res naturales ad alios, quam a Deo creatæ ſunt, uſus adhibentur; atque actiones diabolicæ ac magicæ ſub magneticarum curationum velo obvolvuntur & obtruduntur: poſitoque, ut hoc unguento vulneratus ſanetur; Diabolum tamen, ut perdat animam, corpori aliquo modo prodeſſe impoſſibile non eſt.„ Ita Sennertus, & plures theologi morales.

XLVIII. Verum cenſura hæc magis paſſionem propriam ſapit, quam zelum Chriſtianum: quo nimirum opinionem ſibi contrariam odioſam reddat ſub hac pietatis umbra. Vt enim delictum contrahatur, libertatem requirunt omnes Theologi, & notitiam legis, quam violat. Virgines in lupanari vim paſſæ absque macula & culpa nonne paſſæ ſunt? Legem paternam transgreſſus fuit Ionathas, & morte piaſſet, niſi furori paterno populus illum ſubduxiſſet: neque tamen ob ignorantiam legis peccavit. Quomodo ergo pactum alienum cum dæmone nefarie contractum perdere poteſt animam hujus pacti prorſus inſciam? Poteſt quidem quis cum dæmone paciſci, & eo, tanquam inſtrumento, uti, prout enſe vel igne ad malum alteri inferendum, non ſolum in fortuna, ſed etiam in vita, Deo id quandoque permittente, (exemplum habes in Tract. De Maleficio) licet ſæpius utrumque impediant Genii tutelares: at vero, ut inſcius, neque omnino liber delictum incurrat, nullius pactum efficere poteſt, faciendo nim. id, quod ex ſe bonum aut indifferens eſt. Vnde ut ex pacto aliquid a me fieri aut agi dicatur, aliquo modo ejus notitia adeſſe debet; ut, ſi effectus, aut hujus finis ex ſe malus, in legibus prohibitus ſit: v. g. tempeſtates ciere, ſegetes excantare, lacte alieno ſuum pecus implere, aut frumentum per inſecta ex alieno horreo convehere. Sciat vero aut ſcire debeat, aut etiam ſuſpicetur id modo non naturali fieri; non eſt dubitandum, hunc agere ex pacto implicito, quod alius explicite cum dæmone contraxit: talis enim præſumitur ſcire dæmonem hujus autorem, & quibuscun-

quo

que conditionibus acceptare hoc ab illo beneficium: cum neque Deus, neque Genii boni cooperentur in malum. Quod si vero quis cum dæmone pacisceretur, nt, quoties hic Pragæ quis rhabarbarum sumit, icterum infallibiliter curet: quoniam rhabarbarum bilem, a qua icterus provenit, dicitur vacuare: Medicus sane, qui tum rhabarbarum exhibet & cooperantem habet dæmonem pacti hujus ignarus, imo etiam, si sciens, independenter ab his naturæ cursum sequatur, nequaquam ex pacto agere dicetur. An enim, si quis paciscatur, nt, dum comedimus aut bibimus, in obsequium dæmonis id fiat, a cibo & potu abstinebimos? Manent res omnes sub potestate sui Creatoris, neque ulla ratiooe juris alieni fiunt. Quod vero in primitiva ecclesia Christi fideles ab illorum esu, quæ dæmoni erant immolata, abstinere jubebantur, non ideo factum, quasi in hoc dæmoni jus aeqoisitum esset, sed ne per illum actum de sacrificiis illis participare, eaque ratione dæmoni se initiatos profiteri viderentur.

XLIX. Eadem ergo ratione cura sympathica, quantumvis superstitiosis ritibus a dæmone inquinata, manet sub potestate naturæ Deo subordinatæ, non minus quam reliqua medicamenta: ac proinde immerito hanc in suspicionem aliqui trahunt, & dæmoni potius quam naturæ illius effectus tribuunt. Laodo aphorismum moralem doctissimi Villalobos in Summa, Tract. 24. Tom. r. dub. 9. n. 8. *Rigidum omnino est, quempiam mortiferi peccati reum agere, ubi jus non fuerit valde clarum.*

Et sane si rationes Sennerti aliquam vim haberent, nunquam securi erimus, ne pactum diabolicum nostris actionibus se immisceat. An enim minus suspecta, qoæ circa magnetem, quam quæ per unguentum armarium aut pulverem sympathicum fiunt? Refert Ioannes a Porta, ubi primum ea miracula, quæ circa magnetem fiunt, amicis detexisset: persuaderi non potuisse, quin dæmonem hic intervenire opinarentur. Licebitne ergo eodem argumento uti: Magnes ferrum non tangit, & tamen magnetice ipsum disponit: ergo necesse est, aliquo modo præsentem esse: non per effluvia corporea, quæ irregulariter moventur: neque per species seu virtutem a se diffusam, quæ hæc supponit substantiam, neque enim per accidens & qualitatem aliquam id fieri potest: cum accidens de subjecto in subjectum non migret: duas autem formas simul in eodem subjecto plures negant. Igitur cum nullus alius sit modus, sequitur, dæmonem ex aliquo pacto hic agere & ferrum illud disponere. Neque sane temere quis suspicaretur, lapidem hunc, qui niger est, qui color dæmoni vulgo tribuitur, principi dæmoniorum fuisse consecratum, & ex pacto obligari, ut quoties ferrum tangit, ad aquilonem illud convertat, quasi ibidem, nbi suum thronum ponere volebat Satan, illum veneraretur.

Si dicas, pro magnetismo adesse rationes naturales, quas affert Gilbertus, Cabeus, Kircherus, quoniam magoes ex natura sua, & ferrum ab hoc vim habet, ut axem suum axi telluris constituat parallelum: dicam & ego, pro cura sympathica non deesse rationes, quas reperies in Tract. de Magnetismo.

APPENDIX.

De Auro volatili seu fulminante.

L. Quæres, Quid intelligatur per aurum volatile? Respondet Marcus Marci in Tract. de Arcu cœlesti pag. 43. qood sit pulvis ex auro aqua chrysulca soluto, & sale tartari præcipitato, quem aurum fulminans dicunt ab effectu: habet enim magnam cognationem cum pulvere nitrato, ob vim percutiendi molto majorem, adeo ut scrupulus unus sit magis violentus, qoam libra pulveris communis. Nam si assumas de eo, quantum satis est ad catapultæ imponendum flammæ illicium, & imponas laminæ ferreæ vel tegulæ planæ, quæ igoiario foculo admovetur: paulatim iocalescit pulvis, atque in flammam uno impetu erumpit, quæ omni ex parte diffusa sonitum excitat terribilem. Quo experimento palam fit, Aristotelem perparum definiisse sonum, requirendo corpus durum, læve & concavum, cum nihil horum accidat in accenso pulvere dicto, ubi sonus pendet a flamma & aere, quæ neque dora sunt, neque levia, neque concava.

Quidam alius scribit, aorum fulminans esse compositum ex nitri partibus tribus, florum sulphuris duabus, & salis tartari una, seorsim tritis, postea commixtis.

LI. Pro quo sciendum, inter salem tartari, & salem armoniacum esse contrarietatem naturæ, qua mutuo in se agunt. Quod si enim commisceantur, protinus odor gravis, qualis a spiritu urinæ, oares ferit, ab illorum potrefactione ebulliens. Quæ quidem contrarietas magis fit evidens in confusione aquæ stygiæ cum oleo tartari: subito enim magno tumultu effervescunt & ebolliunt. Secundo. In solutione metallorum illam aciditatem menstrui iisdem pertinacius adhærere: neque etiam fortiore ignis impressione penitus exsugi. A qua natura metallica alteratur, nt, menstruo abstracto, nequeat in eodem solvi. Idem ergo in auro fieri existimandum: esse nimirum huic cognationem cum aqua chrysulca: cujus spiritus vi magnetica ejusdem sulphuri associentur & penitissime uniantur. Non tamen hac ratione ex aoro confectus pulvis vim ignificam assumit, neque igni admoto inflammatur: verum ubi oleo tartari præcipitatus, & leni calore fuerit exsiccatus. Necesse ergo ex oleo tartari hanc vim eidem conciliari: quia nimirum sulphur auri a sale armoniaco attenuatum, nova decoctione in lixivio salis tartari a mercurio acido reserati, ipsum qooqoe reseratur: quemadmodum fieri videmus in illo magisterio, quod lac sulphuris appellatur. Tertio. Tametsi aurum ignis non absumit, neque inflammat, potest tamen igniri: neque nisi prævia ignitione liquescit. At vero quod ignitur, necesse spiritu igneo pervadi, a quo partes discontinuantur, & veluti fluidæ reddontur. Tanto ergo magis igniri poterit aurum subtiliatum. Sicuti ergo carbo ignitus, si a percussione momento fatiscat & dissipetur, erumpentibus scintillis speciem flammæ exhibet: ita aorum ignitum carboni in hoe simile, flammæ simulachrum æmulatur, aere in iis intervallis, quæ abscesso atomorum forte fiunt, lucem purpuream trahente, qualis nim. color per aurum quoque foliatum tralucet. Aurum igitur igniri & inflari, & si major vis accedat, divulsis atomis dispergi potest. Sicuti vero in pulvere nitrato, ita in hoc auro insunt naturæ contrariæ: quæ ubi principium motus ab igne omnia movente sumpsere, in diversa nituntur.

LII. Quod si tamen quis negaret, salem tartari auri incorporari, ut qui aquis elui videatur: dici potest, hunc solum energia inesse: quatenus nim. putrefactio-

ctionem in sale armoniaco, ac proinde majorem volatilitatem, & ab igne fugam induxit. Quod manifestum in spiritu urinæ, cujus odorem refert, qui sua volatilitate etiam subtilissimum vini spiritum antevertit, neque ullis vasis, quin avolet, includi potest. Hic ergo sal mercurialis auri mercurio unitus, ubi sulphur ignem concepit, ad motum concitatur. Et neque avolare potest ob gluten & magnetem auri, neque manere ob naturæ contrarietatem: unde aerem anhelans ad vacuum prohibendum inspirat: ex cujus impetuoso ingressu & simul mercurii motu vis illa stupenda ex atomis infinitis collecta.

Quid, si vero dicamus, in oleo tartari sulphur volatile contineri, quod sulphuri auri unitum sit principium inflammationis? cujus quidem indicium tinctura ejusdem, quæ spiritu vini prolicitur. Sed de hoc viderint alii.

TRACTATUS XII
DE
ARTE SYLLOGISTICA, SEU ARGUMENTANDI.

I. Non incongrue subnectimus hunc tractatum quæstioni præcedenti, ob analogiam utriusque: sicut enim aurum purum & genuinum se habet respectu impuri & adulterini; ita legitimus syllogismus respectu sophistici & paralogismi. Quoniam vero totius Logicæ seu Dialecticæ nucleus in arte discurrendi consistit: quidquid enim Philosophiæ rationalis tyronibus præter 5. terminos prædicabilium Porphyrii, & modos sciendi (Definitionem, Divisionem & Argumentationem) traditur, impertinens censemus ad Logicam, & ad juventutis tantum vexanda turbandaque ingenia, quod plerique tamen, nescio quo abusu, in more habent, confundendo Metaphysicam cum Logica, ordine præpostero inculcando scientiam ante modum sciendi: idcirco hic, si uspiam, attentum & ab omni præjudicio liberum requiro lectorem, qui magis perpendat rationes, & quid dicatur, quam auctoritatem & consuetudinem vulgaris Philosophiæ. Utque faciliore methodo procedamus, sit.

SECTIO I.
Quid, & quotuplex sit Argumentatio?

II. Dico 1. Argumentatio *est oratio, in qua antecedens infert consequens;* sive, est oratio composita ex antecedente & consequente, in qua ideo consequens, necessario aut infallibiliter saltem, verum sit, quia antecedens est verum. Hinc quotiescunque antecedens non infert consequens (tamen in se sit verissimum) aut tantum inferre videatur, mala est argumentatio. Tria igitur ad legitimam & bonam argumentationem requiruntur: 1. Id, ex quo aliquid infertur, quod vocamus *antecedens;* sive jam una tantum, sive pluribus propositionibus constet. II. Id quod infertur ex antecedenti, & vocatur *consequens.* III. *Nota illationis:* neque enim sufficit ad argumentationem, unum ex alio sequi, nisi intellectus ex unius cognitione deveniat in cognitionem alterius, & cognoscat *ideo* unum esse, quia aliud est; unde non est argumentatio, si dicas: *Petrus currit & movetur.*

Duxit autem argumentatio nomen suum ab argumento, seu, ut loquuntur, a medio, quo sc. id, quod dubium erat, per id quod dubium non est, confirmatur, & ex quæstione fit conclusio. Cum enim propositionis extrema ita inter se cohærent, ut eorum nexus menti sit apertus, tunc non est opus argumentatione; ac cognitio talis propositionis ad intelligentiam principiorum omnino pertinet, ut in hac: omne totum est majus sua parte, quæ in quæstionem venire non potest. Sed ubi non ita plana est & aperta subjecti cum attributo societas, tum ea propositio thesis, aut quæstio, aut problema dici solet. Quare terminum, aut potius ideam quandam inquirimus, in qua & subjectum & attributum conveniant, atque hic terminus nominatur *argumentum*, aut *medium, sive medius terminus*, & in omni syllogismo debet bis poni in præmissis, uti fusius declarabitur infra.

III. Dico II. Quamvis argumentatio ex parte materiæ dividatur in *probabilem & demonstrativam:* ex parte tamen *forma* & *consequentia* nulla datur argumentatio probabilis. Patet, nam forma essentialis & intrinseca consequentiæ est connexio illativa consequentis cum antecedente; ergo aut consequentia hanc illativam vim semper habet, aut non: si prius, ergo quantum ex se, semper bene & verum infert: si non habet aliquando, ergo non est bona consequentia. Ad bonam enim regulam & amussim requiritur, ut nunquam fallat; si enim vel semel ad illam ducatur curvilinea, tanquam inepta rejicitur. Iam vero lydius lapis est formæ syllogisticæ, vid. si non possit dari syllogismus similis formæ, hoc est, præmissis taliter dispositis quoad quantitatem, qualitatem, medium terminum, qui ex præmissis veris inferat falsam conclusionem; syllogismus vitio carebit: sin autem talis afferri possit, recte negabitur consequentia paralogismi. Est autem copula argumentativa triplex: *Conditionalis, Rationalis, Causalis.*

IV. Quær. 1. Utrum ex antecedente vero possit inferri consequens falsum, vel econtra? Resp. 1. Ex antecedente vero nunquam potest sequi falsum, si bona sit consequentia. Ratio est, quia antecedens est causa consequentis; verum autem non potest esse causa falsi: causa enim debet in se continere effectum, aut *formaliter, aut eminenter.* Quos terminos sic intellige: *Formalis* præcontinentia dicitur illa, qua causa continet perfectiones effectus sub eodem conceptu & prædicatis, sub quibus in ipso effectu sunt: sic ignis dicitur continere formaliter ignem. *Eminentialis* in eo sita dicitur, quod etsi non ea ipsa, quæ effectus, prædicata in se habeat, seu sub eodem conceptu formali, quo in effectu sunt; habeat tamen ea eminenter, seu dempta illorum imperfectione: quo pacto omnem creatam perfectionem eminenter Deus in se continere dicitur. Atqui neutro modo verum in se continet falsum, uti nec bonum causa est mali, ergo verum nequit esse causa mali, cum illi non det esse sed potius destruat.

Resp. 2. Ex falso tamen potest inferri verum, v. gr. *Petrus est lapis, ergo est substantia.* Ratio est, quia consequens non semper deducitur ex præmissis ut actu ve-

ris, sed facta suppositione, quod sint veræ: non autem est absurdum, ex vero, ex suppositione aut concessione, verum deduci. Hoc modo recte arguet Catholicus Calvinistam: Imagines & figuræ Christi (juxta tuum dogma) non sunt venerandæ oec adorandæ: ergo Eucharistia, quam veneramini & adoratis, non est mera figura & imago Christi. Hujusmodi argumeota dicimus fieri *ad hominem*. Sic frequenter argumentamur in scholis ex concessis a respondente; & subinde per reductionem syllogismi legitimi, in quo coocessis præmissis negabatur consequentia, cogimus respondentem ad impossibile concedendum, hoc est, ad duo contraria vel contradictoria simul vera.

V. Quær. 2. Vtrum ex antecedente contingenti possit deduci consequens necessarium, vel econtra? Resp. 1. Ex contingeoti posse deduci necessarium. Sic ex creaturarum existentia, & mundi gubernatione arguimus inferimusque Creatorem & causam primam; haa ratiooe consequens necessarium deducitur ex contingenti, ooo quidem ut tali, sed ut oecessariam coonexionem habente cum alio, qualem omnis effectus habet cum sua causa.

Resp. 2. Ex antecedeote necessario noo potest sequi nisi necessarium, non vero contingens aut impossibile v. g. Petrus est homo, ergo animal, ergo corpus, ergo substantia, &c. Ratio, quia necessarium semper est verum, ergo semper infert verum; alias si inferret falsum, posset ex vero falsum deduci, quod supra ostensum fieri noo posse.

VI. Dico II. Argumentatio alia dici solet *materialis*, alia *formalis*. Materialis est, in qua verum sequitur ex sola connexione materiæ, quamvis spectata sola forma & dispositione terminorum posset inde falsum deduci: tales sunt syllogismi formati in materia necessaria, non concludentes universaliter in materia contingenti, prout requiritur ad boc, ut syllogismus fiat io modo legitimo. Formalis argumentatio est, quando retenta eadem forma seu dispositiooe terminorum, nunquam dari potest coosequens falsum, antecedente admisso ut vero. Tales sunt omnes syllogismi formati in quacunque figura & modo in tabella inferius Sect. II. n. 33. a nobis designatis.

Alii vero dicunt, eam argumentationem esse *formalem*, quando nullus termious est io consequenti, qoi noo fuerit in antecedenti; esto aliquis fuerit in antecedenti, qui non sit in consequenti: in quo maxime elucet artificium logicum. *Materialem* vero vocant, in qua licet unum ex alio inferatur, & conseqnens vere ex antecedenti sequatur, oon tamen sequitur ex vi dispositionis terminorum, quia in consequenti est aliquis terminus, qui oon fuit in antecedenti. Iuxta quam explicationem solus syllogismus erit formalis argumentatio.

VII. Dico III. Argumentationis species (sumendo eam prout complectitur differentia essentiales & accidentales) ad 9. possont reduci, vid. *Conversivam*, *Definitivam*, *Divisivam*, *Oppositivam*, *Ascensivam*, *Descensivam*, *& Syllogisticam*: quibus addere licebit *Expositoriam* & *Sophisticam*. Singulas breviter dilucidemus.

1. Argumentatio *Conversiva* deducit ex cooversa convertentem, de quu vide tract. 38. sect. VII. De Conversione proposit.

2. *Definitiva* a definito ad definitionem, aut econtra procedit. Hæc supponit illud protheorema logicum: De quocunque verificatur definitio, verificatur definitum: Item, de quocunque falsificatur definitio, falsificatur definitum; & vicissim.

3. *Divisiva*, quæ Dilemma (alias bicornis argumentatio ἀπὸ τῦ κέρα quod cornu significat) dicitur, aut Trilema, &c. cum duabus contradictoriis insistentes antagonistam expugnamus. Estque duplex: *antecedens* & *consequens*. Antecedens Dilemma ex duabus contradictoriis eandem consequeotiam infert. Dilemma consequens ex eodem antecedenti infert contradictorias conclusiones.

Hoc priore argumentandi modo, ait eximius P. Basilius Finckeneis, Ord. S. Bened. ad S. Lambert. Sup. Aust. professus, in suis thesibus Philosoph. Salisburg. an. 1689. Part. 1. q. 13., procedi solet contra negantem ens rationis, sic arguendo: Vel datur ens rationis, vel oon datur? si datur, cur negas dari? si noo datur, ergo cognoscis illud in intellectu, ergo eo ipso datur ens rationis. Aliter: Vel coocipis, quod negas, vel non concipis? si concipis, ergo hoc ipso facis: si non concipis, imprudenter negas. At fallitur bonus iste Pater, cum suis Thomistis, dum putat se instruxisse argumentum ceratioum, cum oon sit nisi cereum. Inprimis enim retorqueri potest ad bominem, cootra illos oempe, qui oegant dari ens rationis simplex, hoc est, formalitatem simplicem, cui tamen repugnet existere. Vel eoim concipiunt ens rationis simplex, vel non concipiunt? si concipiuot, ergo hoc ipso datur; si non concipiunt imprudeoter oegant dari. Aut dicat mihi P. Basilius, an conceptibile sit aliqood genus supra ens, seu supremum genus? otique negabit. Quæro ao tale, quod negat, concipiat nec ne? quod mihi respooderit, sibi dictum putet. Placet hic audire Illustrissimum D. Caramuelem, qui in epist. quadam ad D. Malachiam, post annos aliquos deio Abbatem Mon. Alderspacen. in Inf. Bavar. data Viennæ 13. Iul. Ao. 1654. inter cætera hæc habet: „Entia rationis
dari nego. Entia linguæ substituo: nec existimo a- „
liud posse probari, quam entia linguæ. In hac mate- „
ria, ot loquar libere, Viri magni cæcutiunt. Et quia „
sunt aliqui, qui dicunt se posse meote formare hanc „
propositionem: Homo est irrationalis, dum rideo, „
ioterrogo; an id credant? boc est, an, dum ita lo- „
quuntur, credant hominem irrationalem esse? Sane „
si id non credunt, oon assentiuntur: si noo assenti- „
untur, non formant; qoia formare mentem affir- „
mativam propositiooem, assentiri est. Hanc ego „
propositionem non formo, nec possum formare „
meate; sed lingua a te formatam apprehendo; „
concipio per apprehensionem simplicem istos duos „
terminos, *hominem* vid. & *irrationalem*; & etiam „
concipio illud *est*, hoc est ootam identificationis, & „
actu reflexo judico me concipere humanitatem & ir- „
ratiooalitatem identifiratas de facto in tuis verbis, „
quæ tamen a parte rei sunt identificationis incapaces. „
Hoc judicium est verum, & veritas ad res pertinet, non „
ad chymæras. Ens rationis est mendacio simillimum, „
aut potius species meodacii: propositio enim impossi- „
bilis dicitur chymærica; falsa vero, si contra mentem „
(impossibilis sit, aut possibilis) meodacium. Dicit „
Petrus: Iulius Cæsar est hic. Ego qui scio cootrari- „
um, assentiri non possum: at possum concipere Iu- „
lium Cæsarem, & istum locum, & proountiare illos „
verbis coojungi, oon re. Ergo eodem modo de enti- „
bus linguæ philosopheris. Nec opinor majori hic ar- „
te „

te nos aut eruditione indigere. Ita Caramuel, cui consentit Eminentiss. D. Sfondrati, quem alibi audiemus.

Ex quibus ad argum. directo & in forma sic Resp. Concipio ens rationis in actu signato. Conc. Concipio in actu exercito. N. Explicationem habes, & distinctionis sensum ex verbis Caramuelis, quibus modo nil addo. Sed hæc incideoter.

VIII. Porro multis modis formari solet argumentatio divisiva. Primo enim a negatione unius membri ad alterius positionem arguimus. 2. a positione ad negationem. 3. a negatione omnium membrorum dividentium ad negationem divisi, ut patet in seqq. exemplis. I. Petrus est animal, ergo vel rationale vel irrationale: at non est animal irrationale, ergo est animal rationale. II. Ioannes est Romanus, ergo vel ordinis Senatorii, vel Equestris, vel plebeji (modo enim plures nolumus). At est plebejus, ergo non est Senatorii, nec Equestris. III. Si magoes esset sensitivus, esset animal, adeoque vel rationalis, vel irrationalis: at nec est rationalis, nec irrationalis, ergo non est animal, ergo nec sensitivus. Hic argumentandi modus servit ad coovincendos nostri ævi Sectarios, Calvini & Lutheri asseclas, ut videre est apud P. Arsdeskin in Theol. quinquepart. pag. 65. unde placuit nonnulla depromere.

IX. Dilemma I. Vel judicas tuam sectam, o Lutherane, esse veram, vel falsam? si falsam, cur non abjuras? si veram, ostende vel minimum veritatis vestigium, idque ex SS. literis, quo probes, tuam potius quam Calvinisticam, Zwinglianam, &c. religiooem esse veram, Catholicam falsam. Omnes enim hæreses se fundant in sacra scriptura, exemplo Arianorum.

II. Religio tua, Lutherane, Calvinista, &c. vel extitit ante Lutherum, Calvinum, &c. vel non extitit. Si non extitit, ergo novella, non a Christo instituta, nec ab Apostolis tradita, &c. ergo non est vera ecclesia Christi. Si dicas extitisse, recense sis regionem, urbem, populum, Doctores, ubi & quinam illam fuerint professi. Non reperies, nisi hinc inde unum vel alterum dogma apud hæreticos, jam dudum ab ecclesia Romana & Conciliis oecumenicis damnatum & anathematizatum.

III. Suppono unicam tantum dari veram ecclesiam salvificam, & tu mecum. Quæro vel illa est infallibilis, vel non? Si infallibilis, quomodo falli potuit, ut indigeret correctione & reformatione? Quomodo errare potuit Romana ecclesia, quam tute fateris a tribus primis sæculis stetisse incorruptam, tot summorum Pontificum martyrio firmatam, quomodo in definiendis fidei articulis potuit decipi & falli? Si dicas esse fallibilem: unde ergo tibi constat, tuam ecclesiam Lutheranam acephalam, non falli hodie, si vera ecclesia Christi falli & cum tempore deficere possit a vera fidei doctrina, quam Apostolus columnam pronuntiat veritatis, & firmamentum. 2. Tim. 3, 15.

IV. Vel homines possunt salvari in ecclesia Romana, vel non? si non possunt, ergo universi damnati sunt a primis ecclesiæ temporibus usque ad Lutheri apostasiam, quousque semper sola & unica Romana ecclesia viguit, & exortas hæreses coactis conciliis Episcoporum & SS. Patrum extirpavit: consequenter majores tuos ad unum omnes ad gehennam infernalem ablegas, quod crudele & insanum. Si vero dicas posse quoque salvari in ecclesia Romana, cur Lutherus eam deseruit, & novam cudit? Cur de facto vos Domini Protestantes mavultis novam inire, & pertinaciter terere salutis semitam, in qua nec unius sancti viri vestigium monstrare potestis, quam redire ad viam antiquam tutissimam, tot millibus sanctorum præviis pedibus tritam, tot coruscantem irrefragabilibus, imo quotidianis miraculorum testimoniis a Deo confirmatam?

V. Vestra ecclesia vel est sancta, vel non est sancta. Si est sancta, date vel unicum, cujus vita sanctitatem, aut signis apostolicis, aut mors inclaruerit miraculis, quibus characteribus Deus amicos suos condecorare & manifestare solet, fideique orthodoxæ veritatem tanquam sigillo suo obsignare, quales sexcentos omni sæculo demonstrant Pontificii. Si non est sancta, ergo non est vera ecclesia Christi, cujus nota infallibilis expressa habetur in Symbolo Apostolico; ibi: Credo in Spiritum Sanctum, *sanctam* ecclesiam Catholicam, &c.

VI. Ecclesia Romana, a qua Lutherus accepit Sacram Scripturam (nec enim ea cum Luthero nata, aut aliunde advecta) vel fuit tum vera, vel falsa ecclesia? si dicas fuisse veram, ergo male eam deseruit Lutherus, omnesque illius asseclæ, ac perperam impugnarunt. Si dicas tunc jam fuisse falsam & corruptam, unde vobis constat Lutherum & Lutheranos habere veram scripturam, cum illam acceperit a falsa ecclesia? quomodo potestis gloriari, quod adhæreant puro puto Verbo Dei? Nec dicas D. Martinum ex instinctu Prophetico & speciali flamine SS. Biblia corrupta restituisse in integrum: (nam exemplar vetustum a mille annis, Hebraicum aut Græcum, cui vestra moderna biblia concordent, non exhibebitis) nti gratis dicitur absque ullo fundamento, sic non nisi temere & levissime a quoquam credi potest.

VII. Vel donum miraculorum est certum signum veræ ecclesiæ, vel non est? si dicas non esse, accusas Christum fraudis, imposturæ & mendacii, qui miracula pro signo certo & infallibili veræ ecclesiæ posuit Marci 16. *Signa autem, eos qui crediderint, hæc sequentur*, &c. Et nun nisi per signa Iudæos ad ecclesiam suam perduxit dicens: si signa non fecissem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent, &c. In sola autem ecclesia Romana adhuc quotidiana ferme signa miraculosa fieri sine protervia negari nequit. Cur autem similia in aliis religionibus non fiant, ratio est, quia Deus doctrinæ falsæ testimonium ferre non potest, quod fit per miracula, cum sit ipsa veritas. Sed hæc obiter, non enim mens est, tractare controversias fidei.

X. 4. *Oppositiva*, quæ procedit ab inconvenientibus, & ex præmissis incaute concessis, aut male negatis. Respondentem ad impossibilium concessionem deducit: & ut efficaciter queat, supponit Maximas, de quibus infra de Demonstrat.

XI. 5. *Ascensiva*, cum ab enumeratis sufficienter particularibus ad universalem tendimus. Hic ascensus in materia necessaria & convertibili, ex una particulari enuntiatione infert universalem, ut cum dicimus: Petrus est risibilis, ergo omnis homo est risibilis, cujus consequentiæ vis ostenditur hoc modo: Risibilitas est proprietas quarto modo, ergo si convenit uni, convenit omnibus, ergo si convenit huic homini, convenit omni homini. Si materia fuerit contingens, debebunt omnia individua sufficienter enumerari, alias non valet consequentia. Dixi *sufficienter*, singula enim

enim recensere impossibile: & aliquibus allegatis, incumbit adversario afferre unum in contrarium, quod vocamus *dare instantiam*. Innititur huic theoremati: Quod omnibus particularibus notis nobis convenire probatur, & nulli particulari nobis ignoto deesse scitur, inesse omnibus (notis, ignotis,) prudentissime asseritur. Non tamen valet hæc consequentia, hoc est præceptum singulis, ergo communitati. Nam singuli religiosi tenentur servare castitatem, paupertatem, &c. non tamen propterea communitas, aut corpus mysticum.

XII. 6. *Descensiva* ab universali ad particularia descendit, ut: Christus vult omnes homines salvos fieri, ergo & Germanos, Italos, Catholicos, Hæreticos, infantes, adultos, Petrum & Barbaram &c.

XIII. 7. *Syllogistica*, ex tribus propositionibus (majore, minore & conclusione) componitur: quandoque altera præmissarum subticetur, & vocatur *Enthymema*. Quandoque 4 aut plures coacervantur Præmissæ, & *Soriten* vocant, seu *acervalem syllogismum*.

Ratione qualitatis seu veritatis (& præcipue materiæ) cum non sint omnes propositiones semper æque veræ, licet forma in omnibus sit evidens: alius vocatur *Topicus* seu *probabilis*, & per antonomasiam *Dialecticus*, cujus nempe ambæ præmissæ sunt *comprobabiles* tantum; si enim sint certæ & evidentes, demonstrativus seu apodicticus dicitur. Dixi *comprobabiles*: (nec enim omnes theses sunt syntheses, quod requiritur ad topicum syllogismum) nam non sufficit quod utraque sit probabilis quomodocunque. Hinc syllogismus iste non concludit:

Vota, in quibus Pontifex sibi reservat potestatem dispensandi, non sunt solennia. Constat ex D. Thoma.

Vota, quæ hodie emittuntur in ordinibus ab ecclesia approbatis, sunt vota, in quibus Pontifex sibi reservat potestatem dispensandi. Constat ex praxi, & communi Romanorum sententia.

Ergo *vota, quæ hodie emittuntur in ordinibus ab ecclesia approbatis, non sunt solennia*.

Habet quidem præmissas probabiles, non tamen comprobabiles, licet enim possis alterutram concedere, non tamen utramque. Ioan. Caram. Theol. fund. edit. 4. numero M CCC XCIV.

XIV. 8. *Expositoria*, quæ utitur medio singulari, ut cum dicimus: Aliquod animal est Petrus, Petrus est rationalis, ergo aliquod animal est rationale.

9. Et ultimo loco *Sophisticam* posuimus, quæ tota in eo est, ut aliqua voce duplici significatione prædita, aliave fallacia argumentator abutatur, de qua infra sect. Nam Σοφιστικὴ græce, latine cavillatio dicitur. Has omnes 9. species Complutenses Lib. 3. Summ. c. 1. ad syllogismum & inductionem reduci posse contendunt, nec multum repugnamus.

SECTIO II.

De Syllogismo.

XV. Syllogismus *est artefactum logicum, constans tribus propositionibus, & tribus terminis; postulans ut duabus concessis tertia necessario admittatur*. Tres enim res in omni discursu tanguntur: idcirco tribus vocabulis significantur, qui *termini* dici solent in Logica, quod rei significatæ terminant limitantq; naturam illam, ut non aliam percipiamus tali signo. Unde *Definitio* vocatur *terminus perfectus*; vocabulum vero *imperfectus*, quoniam non totam totaliter rei naturam significant vocabula nostra, sed angelica fortassis totam prorsus significant: ideoque illis omne vocabulum est definitio, non autem nobis, nisi in paucissimis.

Tres igitur res propterea insunt discursui, quoniam aliquid incertum de aliquo quæritat, ut in hac, utrum homo sit immortalis, quærit immortalitatem de homine (secundum animam vid.). Quia autem, ut diximus supra, incertum sciri nequit, nisi per aliud certum, quod est lumen illius, idcirco requiritur tertium, quod illuminet, & quæstionem absolvat, ideoque semper notius esse debet. Et quia tres sunt res atque termini, tres oportet formari propositiones in omni discursu, propterea quod medium semel copulatur cum uno, & iterum cum altero termino, quibus affulget. Unde mox duo termini jam illuminati patent, & certi nos reddimur, utrum debeant conjungi vel disjungi, affirmari vel negari, prout res significatas per illos terminos (quorum alterum vocare licet *majorem*, alterum *minorem extremitatem*) jam videmus conjunctas sub tali lumine, vel disjunctas. Nostrum enim affirmare vel negare rebus concordare debet, ut sit verum: non autem e converso. Sic ergo dicemus: Infinitum est immortale; animus humanus in cognoscendo & appetendo est infinitus: ergo homo secundum animam est immortalis, & hoc est quod quærebamus de homine, & sub lumine infinitæ intellectionis & appetitus conjunctæ cum homine & immortalitate, esse in homine immortalitatem palam est.

Verum enim vero id, quod volumus concludere in ultima propositione quæsita, aliquando affirmatur, aliquando negatur. At cum affirmatur, oportet medium terminum utrique convenire, & de utrisque affirmari propter similitudinem, quam habet cum utrisque essentialiter. Non enim sunt inter se similes, & convenientes illæ res, quarum altera est similis tertiæ rei, ac perinde una: altera dissimilis & non conveniens. Si enim passer & volatus non convenirent cum alato, nequaquam concluderemus passerem volare, ex eo quod sit alatus.

Quando vero conclusio est negativa, tunc oportet medium invenire, quod conveniat alteri extremorum, alteri vero disconveniat; ut si probandum sit, Petrum non esse album, medium erit fuscum, quod Petro inest, & non inest albo. Ergo conclusio negativa necessario requirit alteram præmissarum negativam, alteram affirmativam. Si enim utraq; sit negativa, tunc medium non convenit subjecto nec prædicato conclusionis: Ergo non illuminat, neque docet aliquid de illis: ut si dicas; linea non est alba, Petrus non est linea, ergo Petrus non est albus. Nequaquam sequitur. Si vero utraque sit affirmativa, convenit medium subjecto & prædicato, ergo copulabit ea, & non disjungit, igitur negatio concludi non potest.

XVI. Quær. Quænam sint elementa seu principia, ex quibus constat, & in quæ resolvitur syllogismus? Resp. Patere ex jam dictis, esse duplicia; *materialia & formalia*. Materialia quidem alia *remotiora* ac minima, nempe *termini*, quorum tres sunt: duo vid. extrema *majus & minus*, quæ in quæstionis proposito statuuntur, & repetuntur in conclusione. Tertius τὸ μέσον, dicitur *medium*, quod a conclusione separatum est, & cum utroque extremo conjungitur in præmissis, estque causa

caufa & ratio quæftionis atque conclofionis. Alia funt propinquiora & majora, vid. propofitiones & fumptiones, (*προτάσεις καὶ λήμματα*) ex quibus deducitur conclufio. Ex his alterutra dicitur a Rhetoribus *κρινόμενον*, de qua nempe eft controverfia, & quæ eft *ἀμφίδοξος*. Quænam vero ex his dicenda fit *major vel minor*, eft quæftio de nomine. Communis tamen ufus loquendi invaluit, ut illa, quæ primo loco profertur, dicatur *major* : fi tamen nomen difplicet, vocemus priorem propofitionem feu thefin, & alteram *affumptum*.

Cæterum boni fyllogifmi hæ habentur leges. I. Altera, vel utraque præmiffa fit univerfalis. Nam ex puris particularibus, vi formæ, nil fequitur. Ratio rationis eft, quia confequens debet *virtualiter* in antecedenti contineri, ut ex eo deduci poffit. Sed unum particulare in alio particulari non continetur, fed potius ab eo excluditur. II. Altera vel utraque fit finita. III. Conclufio in tertia figura fit femper particularis; in aliis duabus fequatur debiliorem partem, hoc eft, fit particularis, aut infinito prædicato prædita, fi talis fuerit alterutra præmiffa. IV. In confequentia I. figuræ femper illa prædicetur *extremitas*, quæ fuit prædicata in præmiffis; & regulariter femper *major extremitas* in omni figura & modo locum prædicati obtineat in conclufione: fi fecus fiat, non quidem vitiabitur fyllogifmus, fed conclufio efficietur *indirecta*; uti demonftrabitur in feqq.

XVII. Porro principia directiva extrinfeca fyllogifmi funt *dictum de omni*, & *dictum de nullo*. Eft namque lumine naturæ notiffimum, illud quod dicitur *de omni*, v. g. homine univerfaliter & diftributive fumpto, dici neceffario debere de quolibet particulari, alioquin duæ contradictoriæ effent fimul veræ; *omnis homo currit, & aliquis homo non currit*. Illa vero axiomata feu principia vulgo tradi folita: *Quacunque funt eadem uni tertio, funt eadem inter fe*; Item: *Ex puris negativis vi formæ nil fequitur*, fuas adhuc patiuntur difficultates, de quibus fuo loco.

SVBSECTIO I.

De Syllogifmo Formali, feu Forma Platonica, ejusque metamorphofi, feu Figuris Ariftotelicis.

XVIII. Syllogifmum formalem vocamus cum Caramuele illud artefactum logicum & fpeciem argumentationis fyllogifticam, quam folam antiquiores Sophi ante Ariftotelem agnoviffe videntur, in quo fyllogifmo *medium* prædicatur in prima propofitione, & fubjicitur in fecunda: termini vero extremi eadem retinent in conclufione loca, quæ tenuerant in præmiffis: quod fi ordinem invertant, *indirectum modum* conftituunt. Aut brevius: Eft fyllogifmus, in quo medium eft prædicatum majoris, & fubjectum minoris, & extremitates in conclufione copulantur. Rem exemplo dilucidemus.

Homo eft animal: animal eft vivens,
E. Homo eft - - - - vivens.

XIX. Conclufio generatim eft duplex: *Directa*, quando in ea *majus extremum* prædicatur de *minore extremo*. *Indirecta*, quando *minus extremum* in ea prædicati locum obtinet.

XX. Si quæras quis terminus in præmiffis vocetur majus extremum? Refpondeo generaliter illum, qui locum digniorem in præmiffis tenet, dignior autem locus cenfetur locus prædicati: quod fi utrumque extremum contingat aut fubjici, aut prædicari, (prout in Figura II & III Ariftotelis) tum qui in prima propofitione feu majore ponitur, majus extremum vocatur. Specimen fyllogifmi *directi* feu directe concludentis dedimus, en jam *indirectum*?

Homo eft aoimal, animal eft vivens,
E. vivens eft - - - - Homo.

XXI. Hæc eft fabrica *indefiniti* fyllogifmi: (directi & indirecti) fed quia utiliores funt propofitiones quantæ; ut fcias, quales fyllogifmi illis componi poffint in hac Forma Platonica, hos verfus fubfcribo:

Bammada, Camene, Dimagni, Figmeno; nec non
Pone indirectos: Fefapor atque Fefifor.

XXII. Habes igitur 4 modos directos, & indirectos duos; omnes formales & bonos, legitime inferentes veritatem. Supereft ut fingulos modos exemplis illuftremus.

Directi.

Bam- *Omnis Leo eft animal,*
ma- *Omne animal eft fubftantia,*
da. E. *Omnis Leo eft fubftantia.*

Di- *Aliquis Leo eft niger,*
ma- *Omne nigrum eft obfcurum,*
gni. E. *Aliquis Leo eft obfcurus*

Ca- *Omnis Leo eft animal,*
me- *Nullum animal eft lapis,*
ne. E. *Nullus Leo eft lapis.*

Fig- *Aliquis Leo eft niger,*
me- *Nullum nigrum eft album,*
no. E. *Aliquis Leo non eft albus.*

Indirecti.

Fe- *Nullus Leo eft lapis,*
fa- *Omnis lapis eft fubftantia,*
por. E. *Aliqua fubftantia non eft Leo.*

Fef- *Nullus Leo eft lapis,*
if- *Aliquis lapis eft fubftantia,*
or. E. *Aliqua fubftantia non eft Leo.*

Quatuor directi modi adeo connaturales funt, ut iis utantur fæpe (licet inadvertenter) etiam illi, qui eos rejiciunt. Hinc apparet artificiofam naturæ vim inferre. Naturaliffimus ifte fyllogizandi modus vulgo tribuitur Galeno, non quod illum invenerit primus, (hoc enim falfum eft) fed forte ob frequentiorem illius ufum. Hoc ufus eft creberrime D. Thomas, Valerianus Magnus Capuc. alii. Adduco folum unum alterumve. P. Rodericus de Arriaga Difp. 16. Log. fect. 8. num 66. hanc Demonftrationem producit:

Omnis homo eft animal rationale:
Omne animal rationale eft admirativum
E. *Omnis homo eft admirativus.*

XXIII. Et quia Galenicam Figuram (quam nos cum Caram. fyllogifmum formalem, five formam Platonicam vocamus) Arriaga rejicit, velim fcire in qua ergo figura fit præcedens demonftratio. Æque turpi-

ter impegit P. Oviedn controv. 19. Phys. puncto. 3. n.5. ubi hunc syllogismum efformat:

Omnis pars motus, existentis ab aeterno, habet aliquid prius existens, vid. *aliam partem: sed omne quod habet aliquid prius existens, est in tempore.* Ergo *omnis pars motus existentis ab aeterno, est in tempore.*

Optimus, fateor, syllogismus. Sed in qua Figura? Audiamus Autorem: major (inquit Oviedo ibid.) est certissima, quia, &c. minnr est inconcussa apud omnes; nihil enim &c. Consequentia est deducte in syllogismo perfecte in *Barbara* cnnstructn. Risum teneatis Amici! Nempe si Barbara idem sit ac Bammada; & Fnrma Platonis, quam hic explanamus, coincidat cum Figura 1. Aristot. quod falsum esse patebit ex dicendis.

XXIV. Exposuimus breviter & clare Formam Syllogisticam, qua ante Aristotelem usus est orbis literarius, quæ tam connaturalis est, ut suomet quasi pondere excidat, quoties mens sibi relinquitur, nec nnvis Peripateticorum legibus impeditur. Hanc *Formam* velut Prototypon, ejusque modos, non sine subtilitatis laude & gloria, Aristoteles transformavit in 3. Figuras. Et quia forte non omnes intelligunt, quid sint dialecticæ metamorphosis sive transformationes, rem exemplis notissimis, quid dilucidabimus.

Forma.	Homn	est	animal.	Animal	est	vivens.	E. homn est vivens.
Figura I.	4.	5.	6.	1.	2.	3.	E. homn est vivens.
Figura II.	4.	5.	6.	3.	2.	1.	E. homn est vivens.
Figura III.	6.	5.	4.	1.	2.	3.	E. homo est vivens.

Numeri designant, quo locn & nrdine singulæ dictiones supra scriptæ legaodæ sint. Consequentia semper est eadem, ut vides: & prima linea cnntinet syllogismum in forma Platonica, hoc est cnnnaturalem illam syllogizandi fnrmam, Platnni & veteribus familiarem. Cæteræ lineæ ob oculos ponunt 3. Figuras Aristotelis, quæ sunt quasi terminorum formalinm anagrammata, aut si mavelis, analaxes, & ex coordinatione, juxta numeros notatos, terminorum resultant.

XXV. Ecce ideam totius modernæ dialecticæ! Hanc, præter alios, mirifice illustravit Illustrissimus D. Caramuel, quem supra cendelabrum Vniversitatis Ingolstadiensis collocare intenderet Serenissimus Dux & Elector Bavariæ Maximiliann, nisi obstitissent, qui ab ejus splendnre oculos sibi perstringi metuebant.

Tot igitur Figuræ Syllogismnrum dantur, quot modis terminus medius trensponi potest, nempe trifariam. Nam vel subjicitur in utraque præmissa, vel prædicatur in utraque, vel in majore subjicitur, & in minore prædicatur; (cootra quam in archetypo formæ Platnnicæ snlat) salvo semper programmate in sun valore, cui per has metatheses nil derogatur, neque inter Figuras numerari debet, nisi nomine abutamur.

SVBSECTIO II.

Modi indirecti vulgaris Dialecticæ reformantur.

XXVI. Vt in bellis, inquit Card. Sfondrati Lib. 3. Log. §. ult.) ita & in scholis, non semper malior causa triumphum canit: vincit, qui pugoandi artes melius callet, edhibetque; ars vero pugnandi, non solum Philosophiæ, sed atiam Theologiæ, e dialectica & syllogismis est. Ne ergo veritati noceas ignorantia pugnandi, regulas aliquas generales, selectas tamen, nnta-

Anagramma vocamus inversionem aut transpositionem ordinis literarum in dictione: ut, cum *Roma* vertitur in *Maro*, *Amor*, *Mora*. Vt ludit in literis anagramma, sic in integris vncibus *analexis*, velut in illo Bahusii versu: *Tot tibi sunt dotes, Virgo, quot sidera cælo.* Cujus verba quoties, salvn metro, transponi queant, docet ars Combinatoria. Hac notitia præventi capiemus facile Stagyritæ metamorphoses: sunt enim mera terminorum (extremitatum & medii) & præmissarum anagrammata. Vel lineas subsequentes cnnsidera.

Dixerat Platn & antiquinres:

H — A. A — V. Ergo H. V.

hoc est, *Homo est animal: animal est vivent*, ergo *homo est vivens.* Et Aristoteles retinet consequentiam: utque eam inferat, format priorum literarum sen terminorum anagrammata, hoc modo:

Figura I. A. V. H. A. ergo H. V.
II. V. H. A. H. ergo H. V.
III. A. V. A. H. ergo H. V.

Pone loco literarum terminos supradictos, & tot hababis analexes, quas Aristoteles vocavit Figuras, uti habentur in vulgari Dialectica.

Eadem veritas novo paradigmate illustratur ex Caramuele.

bimus, quæ si nbserventur, tutum te ab insidiis Logicorum præstent. (Audiamus illas)

Regula I. Omnes boni syllogismi comprehenduntur hisce versiculis.

Barbara, Celarent, Darii, Ferio, Baraplipton,
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum.
Cesare, Camestres, Festino, Barocco, Darapti,
Felapton, Disamis, Datisi, Boccardo, Ferison.

Qui illis non includitur, malus est. Sic ille.

XXVII. Assentior Eminent. Cardinali, sæpe bonam causam succumbere, quia male defenditur. Video impæsentiarum malam causam defendendam suscepisse Virum doctissimum, & miror tam evidentem falsitatem nobis voluisse obtrudere prn nnrma & regula: contradictoriam enim esse veram, nempe, aliqoos bonos syllogizandi modos nnn comprehendi in prædictis versiculis, fiet luce meridiana clarius ax mox demonstrandis. Dabimus modos indirectos legitimos in II & III. Figuris Aristotelis, omissos a Peripataticis: ostendemus quosdam pro indirectis intrusos in I. Figura, quos ut spurios eliminabimus; nnn sunt enim indirecti, sed submodi seu sacundarii solum: quorum differentiam manifestam essignabimus. Quod priusquam aggrediamur

XXVIII. Observa, in præmissis versieulis adnumerari indirectis 1. Figuræ *Fapesmo*, & *Frisesom*, a Peripateticis tres alios, vid. *Baralip*, *Celantes* & *Dabitis*, quos expungandos pronuntio, cum submodi sint seu secundarii duntaxat: quod ne gratis & ex capriccin dictum putes,

XXIX. Notandum 1. Id esse discriminis inter mndum indirectum, & inter modum secundarium seu submndum, qnod indirectus inferat quidem conclusionem indirectam (prædicando minus extremum de majori in conclusinne) sed ex diversis præmissis, quam dire-

directus, ut patet in *Fapesmo*, & *Frisesom*. Modus autem secundarius dicitur ille, qui retentis iisdem plane præmissis & invariatis modi directi, infert unam pluresve consequentias (sive directe, sive indirecte) quales sunt *Celantes*, *Dabitis*, *Baralip.* constant enim iisdem præmissis cum *Celarent*, *Darii* & *Barbara*. Si autem tales habendi essent pro modis indirectis, perfecto in II. & III. Figuris (ob paritatem rationis) apponi quoque debuissent *Cesaror* & *Camestrer*, &c. (Quod jam pridem observavit R. P. Sebastianus Rhoer, Professor eximius Salisburgen. in suis Exercit. Philosoph. num. XVII.

Nota, 2. Quod, advertente Chrysostomo Iavello Tract. 6. Log. cap. 2. Aristoteles tantum duos modos indirectos in prima figura posuerit, nempe *Fapesmo* & *Frisesom*. Theophrastus vero & Eudemus tres supradictos adjecerint. Vtut sit, propter rationem allatam tolli debent, & exterminari e numero modorum indirectorum. Quod ipsum adhuc magis dilucidatur.

Nota 3. Positis & retentis eisdem præmissis, quatuor modis posse conclusionem inferri: In quocunque enim syllogismo concludi poterit, I. *Directe universaliter*, II. *Directe particulariter*, III. *Indirecte universaliter*, IV. *Indirecte particulariter*. Non tamen semper omnes sunt legitimæ in materia contingenti; sed solum illæ, quas nostri modi mox in Tabellis exhibendi denotant. Rem ipsam exhibet subjectum Schema.

Platonice.

Omnis homo est risibilis
Omne risibile est rationale
I. Ergo *omnis homo est rationalis.*
II. Ergo *aliquis homo est rationalis.*
III. Ergo *omne rationale est homo.*
IV. Ergo *aliquod homo rationale est.*

Aristotelice.

Omne risibile est rationale
Omnis homo est risibilis

Directæ. (I., II.)

Indirectæ. (III., IV.)

In II. Figura.

Omnis homo est admirativus.
Omne risibile est admirativum.
I. Ergo *omne risibile est homo.*
II. Ergo *aliquod risibile est homo.*
III. Ergo *omnis homo est risibilis.*
IV. Ergo *aliquis homo est risibilis.*

In III. Figura.

Omne admirativum est homo
Omne admirativum est risibile.

Directæ. (I., II.)

Indirectæ. (III., IV.)

XXX. Ex his apparet radix colligendi, quinam modi pro *indirectis*, qui pro secundariis tantum sint assignandi. Quotcunque enim intuleris consequentias (sive directas, sive indirectas) ex iisdem invariatis modorum directorum præmissis, non nisi *Submodos* confeceris; quales sunt *Barbari*, *Barbarir*, seu *Baralipton*, &c. *Dariir* seu *Dabitis*; *Celarer* seu *Celantes*, &c. Hos modos secundarios agnovit eximius P. Heinricus Heinlein, quondam Salisburgen. Professor. Disp. 3. Log. art. 3. num. 157. dum ait: *Barbari* pertinere ad *Barbara*: debuisset ergo consequenter *Barbarir* seu *Baralipton* etiam secundariis adnumerare, non obstante ejus conclusione indirecta; aut in reliquis figuris appunere pro indirectis modis, Cesaror, Daraptir & similes.

XXXI. Quæres. Quot ergo in universum dantur modi syllogismorum legitimi, hoc est, in quibus, concessis præmissis, non possit impune negari consequentia, in qualibet figura? Resp. In qualibet figura afferri quidem possunt sedecim diversi modi, juxta quos totidem diversi syllogismi intra eandem figuram, sive sub eadem positione medii termini fabricari queant: siquidem modus syllogisticus nihil est aliud, quam combinatio propositionum seu præmissarum secundum diversam quantitatem & qualitatem: in qualibet autem figura possunt fieri 16. combinationes diversæ, diversitate se tenente penes quantitatem & qualitatem cum *majoris* tum *minoris* (servata tamen eadem *medii* positione) adeoque manente eadem Figura; ita ut medius terminus vel bis prædicetur, vel bis subjiciatur, vel certe semel prædicetur, aut in prima præmissa, ut fit in syllogismo Formali; aut in secunda præmissa, ut fit in Arist. I. Figura. Totum hoc apparet ad oculum ex

Forma Platonica. AA; A. IA; I.
Figura II. AA; A. AI; I. IA; I.

combinatione diversa harum 4. Vocalium A. E. I. O. quæ 16. non pluribus, modis fieri potest, ut sequitur.

AA. AE. AI. AO. EA. EE. EI. EO. IA. IE. II. IO. OA. OE. OI. OO.

Per A. universalem affirmativam, per E. universalem negativam; per I. particularem affirmativam; per O. particularem negativam intellige.

Vides itaque 16. modis commutari & combinari posse inter se præmissas, ita ut spectando quantitatem vel qualitatem semper sit nova. Nam ex parte quantitatis possunt præmissæ quater variari. 1. ut utraque præmissa sit universalis, quales AA. AE. EA. EE. 2. ut utraque sit particularis, quales sunt: II. IO. OI. OO. 3. ut major sit universalis, & minor particularis, uti: AI. AO. EI. EO. 4. ut major sit particularis, minor universalis, velut IA. IE. OA. OE. Et has possemus *mixtas* vocare.

Simili ratione quoad qualitatem variari possunt, nempe ut major sit affirmativa, minor negativa: aut econtra; vel utraque affirmativa, aut utraque negativa. Cum autem ex duabus negativis, item ex duabus particularibus (nisi in expositorio syllogismo) nihil legitime inferatur: fit quod multæ combinationum harum, & ex numero 64. possibilium, reddantur inutiles, quos vocamus *Modos Innominatos*. Reliqui vero, qui sunt legitimi, suis nominibus (licet barbaris, mysteriosis tamen) indigitabuntur, prout omnia perspicue in appositis infra Tabellis exhibentur.

XXXII. Hæc tamen dicta sunto ex hypothesi communis Dialecticæ; juxta cujus leges omnes negativæ eliminari debebunt, nempe EE. EO. OO. OE. Item meræ particulares, uti sunt. IO. II. OI. OO. remanebunt modi pauci, qui sint legitimi & utiles. Nempe seqq.

Fig. I. Arist. AA; A. AI; I.
Fig. III. AA; I. AI; I. IA; I.

Quod

Quod ſic intellige : In ſententia illorum authorum, qui contendunt nullam dari propoſitionem pure negativam, ſed quamcunque verbotenus negativam æquipollere alicui affirmativæ (qua de re vide Tract. De propoſitionibus) juxta horum, inquam, opinionem remanebunt ſoli mox aſſignati modi, ut patet conſideranti. Interim via trita & regia progrediemur, ut Tabellæ appoſitæ ab omnibus capi poſſint; nominum barbarorum explicationem, & uſum declarabimus infra, ubi de Propoſitionum converſione, & hic, ubi de reductione ſyllogiſmorum agemus.

FORMA PLATONICA.

XXXIII.

Præmiſſæ.	Conſequentiæ.	Nomina Modorum.	Indicium.
A A.	A.	Bammada.	Bonus.
A E.	E.	Camene.	Bonus.
A I.	•	Innominatus.	Malus.
A O.	•	Innominatus.	Malus.
E A.	OR.	Feſmapor.	Bonus.
E E.	•	Innominatus.	Malus.
E I.	OR.	Feſiſor.	Bonus.
E O.	•	Innominatus.	Malus.
I A.	I.	Dimagni.	Bonus.
I E.	O.	Figmeno.	Bonus.
I I.	•	Innominatus.	Malus.
I O.	•	Innominatus.	Malus.
O A.	•		
O E.	•	Innominati.	Mali.
O I.	•		
O O.	•		

FIGVRA I ARISTOT.

Præmiſſæ.	Conſequentiæ.	Nomina Modorum.	Criſis.
A A.	A.	Barbara	Bonus.
A E.	OR	Fapeſmor	Bonus.
A I.	I.	Darii.	Bonus.
A O	•	Innominatus.	Malus.
E A.	E.	Celarent.	Bonus.
E E.	•	Innominatus.	Malus.
E I.	O.	Ferio.	Bonus.
E O.	•	Innominatus.	Malus.
I A.	•	Innominatus.	Malus.
I E.	OR.	Fiſmeror.	Bonus.
I I.	•	Innominati.	Mali.
I O.	•		
O A.	•		
O E.	•	Innominati.	Mali.
O I.	•		
O O.	•		

FIG. II.

FIGVRA II

Præmissæ.	Conclusio.	Nomina Modorum.	Iudicium.
A A.	*	Innominatus.	Malus.
A E.	E.	Camestres.	Bonus.
A I.	*	Innominatus.	Malus.
A O.	O.	Barocco.	Bonus.
E A.	E.	Cesare.	Bonus.
E E.	*	Innominatus.	Malus.
E I.	O.	Festino.	Bonus.
E O.	*	Innominatus.	Malus.
I A.	*	Innominatus.	Malus.
I E.	OR.	Frimesor.	Bonus.
I I.	*	Innominati.	Mali.
I O.	*		
O A.	OR.	Domacor.	Bonus.
O E.	*		
O I.	*	Innominati.	Mali.
O O.	*		

FIGVRA III

Præmissæ.	Conclusio.	Nomina Modorum.	Crisis.
A A.	I.	Darapti.	
A E.	OR	Fapesmor	Boni.
A I.	I.	Datisi.	
AO	OR.	Dacoccor.	
E A.	O.	Felapton.	Bonus.
E E.	*	Innominatus.	Malus.
E I.	O.	Ferison.	Bonus.
EO.	*	Innominatus.	Malus.
I A.	I.	Disamis.	Bonus.
I E.	OR.	Fismeror.	Bonus.
I I.	*	Innominati.	Mali.
I O.	*		
O A.	O.	Boccardo.	Bonus.
O E.	*		
O I.	*	Innominati.	Mali.
OO.	*		

TABVLA VNIVERSALIS.

Formæ Platonicæ.			Figuræ I. Ariſtotelicæ.			Figuræ II.			Figuræ III.		
Præmiſſæ.	Concl.	Modus.	Præm.	Concl.	Modus.	Præm.	Concl.	Modus.	Præm.	Concl.	Modus.
A A.	A.	Bammada.	—	A.	Barbara.	—	*	Innomin.	—	I.	Darapti.
A E.	E.	Camene.	—	OR.	Fapeſinor.	—	E.	Cameſtres.	—	OR.	Fapeſmor.
A I.	*	Innomin.	—	I.	Darii.	—	*	Innom.	—	I.	Datiſi.
A O.	*	Innomin.	—	*	Innomin.	—	O.	Barocco.	—	OR.	Dacoccor.
E A.	OR.	Feſmapor.	—	E.	Celarent.	—	E.	Ceſare.	—	O.	Felapton.
E E.	*	Innomin.	—	*	Innomin.	—	*	*	—	*	Innom.
E I.	OR.	Feſiſor.	—	O.	Ferio.	—	O.	Feſtino.	—	O.	Feriſon.
E O.	*	Innomin.	—	*	Innomin.	—	*	*	—	*	Innom.
I A.	I.	Dimagni.	—	*	Innomin.	—	*	Innomin.	—	I.	Diſamis.
I E.	O.	Figmeno.	—	OR.	Fifeſinor.	—	OR.	Frimeſor.	—	OR.	Fiſmeror.
I I.	*	Innom.	—	*	Innomin.	—	*	Innomin.	—	*	Innomin.
I O.	*	Innom.	—	*	Innomin.	—	*	Innomin.	—	*	Innomin.
O A.	*	Innominati.	—	*	Innominati.	—	OR.	Domacor.	—	O.	Boccardo.
O E.	*		—	*		—	*		—	*	
O I.	*		—	*		—	*	Innomin.	—	*	Innomin.
O O.	*		—	*		—			—	*	

XXXIV In

XXXIV. In hisce Tabellis vides omnia modorum nomina esse trisyllaba: in quibus prima vocalis *majorem*, ejusque quantitatem & qualitatem; secunda *minorem*, & tertia *conclusionem* deootat. Vbi præterea notandum, omnes incipere ab una ex his consonantibus. B. C. D. F. quod servit pro reductione osteusiva modorum II. & III. figuræ, ad quatuor 1. figuræ, inchoantes a simili litera, prout fusius dicetur infra. Sic etiam intermediæ consonantes p. s. m. mysterio non carent; indicant enim, propositionem illam, quam afficiunt, (spectant autem semper ad vocalem præcedentem, quod bene notandum.) debere in reductione converti, simpliciter, vel per accidens, aut præmissas transponi. Vide infra. Omnes modos comprehendunt versiculi seqq.

FORMA.

Bammada, Camene, Dimagni, Figmeno; nec non
Pone Indirectos: Fesmapor atque Fesisor.

FIGVRA I.

Barbara, Celarent, Darii, Ferio; hisque reflexos
addere debebis: Fapesmor atque Fisesmor.

FIGVRA II.

Cesare, Festino, Dacoro aot Barocco, Camestres:
atque Indirecti: Frimesor atque Domacor.

FIGVRA III.

Tertia subsequitur, Datisi, cui junge Darapti,
Felapton, Disamis, Docamo aut Boccardo, Ferison.
Fapelmor refluit, Fismeror atqoe Daooccor.

XXXV. Qua vero ratiooe medium, tam in forma, quam in figuris, collocandum sit, docemur hisce versibus:

Forma prius medium dicit, post subjicit. Illud
Prima Figura prius subdit, post prædicat; Ipsum
Prædicat Altera bis: bis illud Tertia subdit.

XXXVI. Tabella ultima universalis compendiose ostendit, an, & quæ consequentiæ utiliter & legitime inferri queant ex quaternario literarum A. E. I. O. sedecies variato, in quacunque figura: tot enim & non plores neque paociores modi legitimi soot possibiles: ubi OR, modos indirectos indicat.

SVBSECTIO III.

Quorundam DD. Professorum Salisburgensium doctrina circa hanc materiam discutitur.

XXXVII. R. P. Basilius Finckeneis sup. cit. q. 18. Log. inquirens, quid sit *major*, quid *minor* syllogismi, & unde tales dicantur? respondet, illam præmissam recte vocari *majorem*, cui *majus extremum* inest. Vnde infert, noo subsistere doctrinam eorum, qui docent oniversaliter, primam propositionem syllogismi cujusvis esse *majorem*, alteram vero *minorem*, saltem si juxta rigorem loqui velimus: quamvis fatear, inquit, consuetudinem id ferme obtinuisse, ut, in fervore præsertim disputandi, ad hoc noo attendatur, obi sit extremum majus vel mious, sed communiter *major* vocatur, quæ est prima, & *minor* quæ est secunda propositio. Accepto hanc resolutionem, sed velim authorem esse memorem.

XXXVIII. Si autem ex eo ulterius inquiras, quid vocet *majus*, quid *minus extremum*? Respondet ibid. q. 17. Varii varia sentiunt. Ego illod *majus extremum* dico, quod præstantiorem locum obtinet; *minus extremum* vero, quod minus præstantem obtinet locum. Præstantior autem locus est, habere locum prædicati, quam subjecti. Igitur quod in 1. figura in præmissis de termino medio prædicator, vocatur & est *majus extremum:* quod autem eidem *medio* subjicitur, sive de quo medius terminus prædicatur, est *extremum minus*. Dixi in I. Fig. Nam pro II. in qua utrumque extremum prædicatur de medio; (NB. videtur irrepsisse error Typographi, aut aliqua omissa) majoritas vel minoritas extremi, desumenda est a conclusione: & tunc illud dicitur extremum esse majus in præmissis, quod est prædicatum in conclusione; illud minus extremum, quod est subjectum conclusionis. Hactenus P. Basilius.

XXXIX. Verum banc exceptionem in II. & III. figuris gratis adstruit, & suomet segladio jugulat, ot mox patebit: Melius fecisset, addendo illis verbis: Ego illud extremum majus dico, quod præstantiorem locum obtinet in præmissis, aut saltem prius profertur, nempe in præmissa prima; tunc enim inoffenso pede omnes figuras transcurrisset.

Neque tamen (pergit idem Doctor) placet eorum doctrina, qui universaliter dicunt, *majus extremum* illud esse, quod est prædicatum conclusionis; *minus* vero *extremum* illud semper, qood est in conclusione subjectum, uti vult Meilhat aliique plures. Hoc enim non subsistit in 5. modis indirectis primæ figuræ, ubi minus extremum in conclusione prædicatur de majore extremo, & ideo modi indirecti vocaotur: adeoque major vel mioor extremitas, saltem in 1. Fig. aliunde quam a prædicato vel subjecto conclusionis desumi debet, nempe quod est prædicatum vel subjectum in præmissis, sive quod in præmissis medio termino vel subjicitur, vel de eo prædicatur.

Hic ego subsumo: Atqui in II. & III. figuris non minus dantur modi indirecti quam in I. (uti Tabulæ suprapositæ ad oculum monstrant) ergo neque in illis figuris majus extremum æstimari debet ex prædicato conclusionis, sed aliunde desumendum est, cootra quam P. Basilius contendit. Sed unde? cum io præmissis pari passu procedant duo extrema, nempe vel ambo subjiciuntur, vel ambo prædicantur: Respoodeo, tum locum præstantiorem occupare illud extremum, adeoque *majus* dicendum, quod præcedit in pronuntiatione, seu in prima propositione ponitur: & ita debere sentire omnes, manifestum fiet ex infra dicendis.

Similiter nec placet (prosequitur P. Basilius) eorum

mens, qui cum Caramuele illud universaliter vocant *majus extremum*, quod est prædicatum primæ propositionis, (quam eo ipso vocat majorem, quo prima est) *minus* vero *extremum* illud, quod est subjectum minoris seu secundæ propositionis.

XL. Hic hæreo, & subdubitare incipio, num bonus iste Pater Herculem sibi finxerit stramineum, quem expugnet. Quidquid sit de aliis AA. (equidem hanc sententiam in nullo reperi) D. Caramueli (sit venia verbo) fit hac in parte injuria; & ut videat Lector perperam ipsi affiegi tam ineptum dogma, quod ut palam fiat, verba Caramuelis formalia fideliter dabo. Logicæ vocal. Parte 4. num. DCC LXXIII. ubi ostendit Fig. I. Aristotelis esse meram inversionem Formæ Platonicæ, sic discurrit:

„ Medium naturali mentis inductu ponitur loco „ medio, unde nomini occasio; inde enim non nisi „ violenter exulat. Dicunt Platonici:

Homo est animal: animal est vivens;
Ergo Homo est - - - - vivens.

„ Ecce in antecedenti (ex majore & minore ipsum „ componitur) tres sunt termini; primus, ultimus, me„ dius. Primus est *homo*, & dicitur *major extremitas*. „ Vltimus est *vivens*, & dicitur *minor extremitas*. Me„ dius est *animal*, & est terminus re & nomine medi„ us. Quid verius? quid clarius? quid facilius? Qui „ ordo & verborum proprietas in Aristotelico syllo„ gismo minime observatur. Et quia adhuc audio, A„ ristotelicum concludere directe; Platonicum indi„ recte; illum esse rectum, hunc inversum: condo„ leo juniorum pusillanimitati, qui malunt credere „ auri, quam oculis; qui malunt errare cum multis, „ quam nobiscum demonstratam veritatem admittere. „ Sic sentio, sic loquor, quia sincerus: & existimo „ eum, qui aut formam Galenicam neget, aut eam Ari„ stotelicæ figuræ postponat, vel rem non examinasse, „ vel examinandæ non sufficere, vel loqui contra pro„ prium dictamen. Ita Caramuel.

XLI. Dices. Medium syllogisticum tale dici, non quod in loco medio sit collocandum, sed quod assumatur tanquam medium ad inferendam conclusionem. Resp. Caramuel: „ *Medium* dici relative, hoc est re„ spectu alicujus. Tres terminos assumunt Dialectici, „ fabricaturi syllogismum. *Majorem* (seu priorem) „ *extremitatem*. Medium, & extremitatem mino„ rem (seu posteriorem). *Major extremitas* est ter„ minus qui ponitur (NB. non dicit prædicatur) in „ majori, & non reperitur in minori. Minor extre„ mitas e contrario, qui semel in minori, non autem „ in majori invenitur. Medium his extremitatibus „ interponitur, & in utraque præmissa debet esse. Me„ dium igitur dicitur, non respectu conclusionis, quam „ infert; non enim conclusio ipsa vocatur extremitas, „ sed respectu extremitatum, majoris & minoris, in„ ter quas collocatur. Hanc resp. confirmat Aristot. „ L. 1. prior. c. 1. asserens medium in 1. Fig. esse positio„ ne medium. Ecce medium dicitur ratione loci! „ Nota tamen, medium non in prima figura Aristoteli„ cæ, sed in forma Platonica esse positione medium. „ Hactenus Caramuel.

Quæ volui prolixius & verbotenus adnumerare, non quod approbem usquequaque singula (vide Tract. De Proposit.) sed quatenus appareat, R. P. Basilium ex inadvertentia terminum, qui prædicatur, supposuisse rè ponitur: nemo autem nescit, hos terminos toto cœlo differre, & ineptum prorsus est dicere, majus extremum vocari illud, quod *prædicatur* in majore. Porro quod idem Pater, cum suis DD. Collegis proscribat modos indirectos ex II. & III. Figuris, absque ulla ratione & fundamento, ostendemus paulo post, reformando quinque syllogismos ab eodem confectos.

XLII. P. Matthæus Weiss in suis Thesibus *Pronuntiata Logica* intitulatis, Salisburg. 1621. Pronunt. 40. hæc habet: „ Sunt modi indirecti; sed eorum nulla „ fere habetur ratio, præsertim in II. & III. Figura. Do„ cumentum. In prima Figura esse duos modos indi„ rectos, non est qui neget: an autem in secunda quo„ que & tertia reperiantur indirecti, disputant Logici. „ Aristoteles cap. 7. (lege 8.) 1. Prior. clare affirmare vi„ detur; nec video, quomodo ejusdem verba cohæ„ reant, si negentur indirecti. Fateor non esse eorum „ magnam habendam rationem; tum quod natura rei „ semper nos trahat ad directe concludendum; tum „ quia in secunda & tertia figura longe minus noti & „ usitati sunt. „ Idem sensit P. Rodericus de Arriaga infra referendus: nos ostendemus contrarium subsect. V. quam expende.

Idem circa mentem Arist. observavit alius Professor Salisburg. D. Bernardus Ruedorfer in sua tertia mentis operatione defensa ibidem Ao. 1647. cap. 2. §. 18.

His assentitur sæpe cit. P. Basilius, qui partem primam suarum thesium conclusit his verbis: Si plures non essent modi, quam 4. primi perfecti; etiam hi sufficerent, quia quælibet conclusio ad illos reduci, imo in illis inferri potest, sive affirmativa, sive negativa, sive universalis, sive particularis illa sit. An recte, judicet Lector ex infra traditis. Doctissimus Caramuel hujusmodi Dialecticos pauperum classi adnumerat, & qui negotium hoc radicitus non examinarunt. Mihi sane omnino videtur omnem sublatum iri controversiam, si, sepositis affectibus, difficultatem hanc præsenti Tractatu satis perspicue evolutam, & concludenter demonstratam libuerit trutinare.

XLIII. Finiam hanc subsectionem referendo, quæ legi in 3. parte *Artis expeditæ* R. P. Pontiani Schyz Monachi Ottoburani, quam evulgavit Salisburgi Ao. 1691. ubi q. 1. art. 3. §. 2. ad quæstionem, quid sit *majus*, quid *minus extremum*, rejectis aliorum sententiis, iisdem ferme verbis cum P. Basilio, respondet in hunc modum. „ Existimo probabilissime dici posse *ma*„ *jus extremum* eum esse terminum, qui locum in to„ to syllogismo præstantiorem obtinet præ altero: „ *minus extremum*, qui minus præstantem; ab utro„ que dein ipsas etiam propositiones capere denomina„ tionem. Et paulo post, hanc eruit regulam univer„ salem: Majus extremum est, quod prædicatur, vel in „ præmissis, si fieri istud figura patiatur, vel saltem in „ conclusione: minus est, quod subjicitur, vel in præ„ missis, vel in conclusione.

Idem ibid. q. 1. art. 5. Si quæras, quæ directa, quæ indirecta dicatur conclusio? Resp. Directam esse eam, in qua majus extremum prædicatur, minus subjicitur. Indirectam, in qua e contrario minus extremum prædicatur de majore.

Sed quis adeo cæcutiat, ut non videat circulum committi vitiosum? Peto, quænam conclusio, in II. vel III. figura, sit directa? & respondes, illam esse, in qua majus extremum prædicatur: dum autem inquiro, unde

agno-

agnoscatur majus extremum? respondes, ex loco prædicati. Mi Pontiane, videris me ab Herode mittere ad Pontium Pilatum, & a Pontio remittere ad Herodem.

Audiamus ulterius, quid responsi det ad hanc quæstionem: An, & cur in II. & III. Figura nulli dentur, nec dari possint modi indirecti? Respondet, Figuram II. & III. modos indirectos non admittere, ex ratione mox afferenda. Vtramque aurem arrigitote! „ Probatur; syllogismus indirecte concludens est, in cujus „ conclusione minus extremum prædicatur de majore: sed ejusmodi syllogismi non sunt possibiles in II. „ & III. Figura, ergo &c. min. prob. In prima figura „ ille terminus, qui in præmissis de medio prædicatur, „ adeoque est majus extremum, potest fieri in conclu- „ sione subjectum: istud autem in cæteris figuris est „ impossibile; cum enim in his ratio majoris & mino- „ ris extremi sumatur non a præmissis, in quibus ter- „ mini extremi sunt paris conditionis, sed unice a „ conclusione, id quod in hac prædicatur, semper est „ majus extremum, ergo in istis figuris semper verifica- „ tur, quod conclusio illarum prædicet majus extre- „ mum de minori, ergo semper est directa, nunquam „ indirecta.

Bella probatio, vix non apodictica! Me hercle Sagittarius iste a scopo nimium quantum aberrat. Considera, amabo, paradoxum ejus argumentandi modum: promiserat ostendere, non dari modum indirectum in II. & III. Figura, & quod plus est, infert, ne quidem possibilem esse in illis syllogismum indirecte concludentem. Si forte putat modum indirectum coincidere cum syllogismo quocunque indirecte concludente, impingit insuper contra veritatem supra a nobis demonstratam, ubi manifestum & latum discrimen assignavimus inter utrumque: Nam *Celantes*, *Baralip*, & *Dabitis* indirecte quidem concluduot, minime tamen sunt modi indirecti, sed secundarii eut submodi duntaxat. Deinde probat incertum per æque incertum, imo per falsum aperte, dum dicit, majus extremum in II. & III. Figura, non a præmissis, sed a conclusione desumi debere. Negn. In omni syllogismo harum figurarum prædicari necessario majus extremum. Nego; & petis principium, hoc enim est in controversia. In hisce figuris omnem conclusionem esse directam. Nego. Hæc enim assumpta esse falsa, & gratis asseri demonstro, asserendo subscriptos syllogismos, quorum præmissas a P. Basilio formatas, verbotenus data opera retinui, ut ostenderem, posse ex iisdem inferri conclusiones legitimas & irrefragabiles: sane non directas, quales intulit ipse: & quia videbat illas non tenere, proscripsit andacter hos 5. modos, sed quo jure, qua ratione, qui vis consideret & judicet.

XLIV. II. Figura.

Fri- Aliquod animal terrestre est homo;
me- Nullus lepus est homo:
sor. E. Aliquod animal terrestre non est lepus.
Do- Aliquod animal non est homo,
ma- Omne rationale est homo,
cor. E. Aliquod animal non est rationale.

III. Figura.

Fa- Omnis homo est animal,
pel- Nullus homo est leo,
mor. E. Aliquod animal non est leo.
Da- Omnis homo est animal,
coc- Aliquis homo non est lupus,
cor. E. Aliquod animal non est lupus.
Fis- Aliquis homo est animal,
me- Nullus homo est equus,
ror. E. Aliquod animal non est equus.

Hos 5. Modos esse bonos & legitimos, minime tamen directos, quisquis ausit negare, formet mihi vel unicum, in quacunque materia, similis formæ, qui ex præmissis veris inferat conclusionem falsem, & manus dabo. Interim veritatem hanc ista demonstratione stabilio. Ille est bonus syllogismus, cujus leges non tolerabunt aliquem, in quo ex præmissis veris, sequatur conclusio falsa: sed nullus est inter hos 5 modos (imo inter omnes, quos exhibent Tabellæ superiores) cujus sit verum antecedens, & consequens falsum: aut illum assigna, ergo modi a nobis designati omnes sunt boni & legitimi.

SVBSECTIO IV.

Ostenditur utilitas Modorum Indirectorum.

XLV. In confirmationem prædictorum, & demonstrandam utilitatem modorum indirectorum, in omni Figura addocam unum alterumve specimen ex scriptis Doctissimi piissimique Viri P. Valeriani Capuc. Comitis de Magnis, syllogismum, inquam, fortissimum, quo actione IX. terret & triumphat Lutheranos. Petietat per multos menses a Prædicantibus & Theologis Lutheranis fidei Regulam; & illi videbantur muti. Tandem dederunt ei Biblia magna & parva, hoc est, pro doctis textum ipsum Bibliorum, pro plebe Catechismum & Conciones, quæ vocari voluerunt Biblia parva. Et Magnus irridens hoc delirium fortissime argumentatur sic:

Do- Vocale ministerium & Catechismus non continent doctrinam fidei, in quam consentiant Christiani dissentientes de fide:

ca- Id autem, unde quilibet & quælibet possit ac debeat sibi cavere ab hæresibus ecclesiæ supremo loco docentis, eamque arguere & reformare, necessario continet doctrinam fidei, in quam consentiunt Christiani dissentientes de fide:

mor. Ergo Vocale ministerium Verbi & Catechismus non sunt, unde quilibet & quælibet possint ac debeant sibi cavere ab hæresibus ecclesiæ supremo loco docentis, eamque arguere & reformare.

Addo & alterum syllogismum, quo nititur contra Prædicaotes Valerianus, cujus licet forma sit alia, materia est similis, & effectus idem. Sic arguit.

Fig- Vocale ministerium (seu Concio) & Catechismus sunt humanæ deductiones articulorum fidei ex magnis sacris Bibliis:

ne- Nulla deductio humana articulorum fidei ex magnis sacris Bibliis est sacer textus, sive magnus, sive parvus, seu indisputabilis vox Spiritus Sancti.

no. Ergo Vocale ministerium Verbi (seu Concio) & Catechismus non sunt sacer textus, sive magnus, sive parvus, seu indisputabilis vox Spiritus Sancti.

Est evidentissimus syllogismus, quo doctrina Haberkornii & aliorum Prædicantium evertitur, & major

alterius syllogismi firmatur. Ioao. Caram. Log. vocal. num. DCCC. VII. Sed

XLVI. Inquiris curiose, an omnis syllogismus, & in quacunque materia, possit formari in forma perfecta? (sic vocant 1. Fig.) P. Arriaga responderet affirmative, & cum eo DD. Salisburgen. mox citati. At velim satisfacerent hoic iostantiæ a Caramuele ipsis factæ. Docet Coroel. Iansenius in suo Augustino Tom. - - Lib. 8. c. 26. & alibi: Christum non pro omnibus mortuum, sed pro illis tantum qui salvantur.

Contra Coocil. Trident. sess. 6. cap. 3. definit: „ Etsi ille (Christus) pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed hi dontaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur.

Negat ille se opponi Spiritui Sancto in Concilio loquenti. Quomodo urgeri poterit? qui convinci? Anne cuilibet argumentaturo (nisi id data opera obscuritatis causa faciat) facilius erit syllogismum formare in perfecta, quam in indirecto modo, vel imperfecta Figura? Sic putabat Arriaga & alii; at ego (Caramuel) dico, syllogismum demonstrative concludentem contra Iansenium posse fieri in Baroco; posse in modo perfecto, (sive uno ex 4. I. Figuræ) Nego.

BA- Omnes, qui salvantur, mortis Christi beneficium recipiunt.

RO- At aliqui, pro quibus mortuus est Christus, mortis ejus beneficium non recipiunt.

CO. E. Aliqui, pro quibus mortuus est Christus, non salvantur.

Maj. est de fide: mioor est de fide, quia expressa a Concilio; consequentia legitima, & tamen contradiceos Iansenio. Formet Arriaga, & qui cum eo sentiunt, talem syllogismum ita convincentem in *Barbara*, *Celarent*, *Darii aut Ferio*, & vicisse pronuntiabimus.

SVBSECTIO V.

An quarta figura, quam Galeni, vocant, sit admittenda?

XLVII. D. Bernardus Ruedorfer cit. opusc. cap. 2. §. 12. hanc assertionem (quam iisdem pene verbis docoerat P. Sebastianus Rhoer in Exercit. philosoph.) ponit: „ Quarta (Figura), quam addidisse Galenum „ refert Averroes, simpliciter possibilis non est: volunt autem multi etiam modernorum, *ideo* eam quartam esse, qood medium de majori extremo prædicetur, & minori subjiciatur, quod tamen est impossibile: nam cum medium inter majus & miuus extremum ponitur, debet a regula sua, quæ est: Dictum de omni & nullo, meosuram accipere; secundum hanc autem, ex illis terminis, quorum alter de omni subjecto dicitur, alter sub sobjecto continetur, omni jure majus extremum est ille, qui de omni dicitur. Is autem est, qui de medio prædicatur; & sic impossibile est, quod majus extremum, ubi medium semel subjicitur, & semel prædicatur, medio subjiciatur. Quocirca corruit totum fundamentum quartæ Figuræ.

Hoc ariete putat eversam totam fabricam Figuræ Galeni, quam nos non Figuram, sed formam Platonicam vocamus. At ego pooo hanc antithesin. Forma illa, sive figura syllogistica, quam exhibuimus supra, in qua medius terminus in majore prædicatur, & mox in subsumpto subjicitur, non tolerat ullum syllogismum, juxta modos ibidem designatos, qui habeat præmissas veras, & conclusionem inferat falsam, ergo est legitima & admittenda; In argumento adversariorum observo illud *ideo*, & nego absolute causalem hanc: nego pariter, in Figura Galeni majus extremum subjici medio, & minus extremum de eo prædicari. Ratio negaodi hæc est. Tametsi enim Caramuel dixerit, *majus extremum esse terminum, qui ponitur in majore, & non reperitur in minore*, & recte; oon tamen definivit majorem universaliter loqueodo esse primam propositionem etiam in Forma Platonica, alioquin sibi contradixisset: quod clare ostendo. Iuxta Caramuelem (& omnes) illa propositio seu conclusio est directa, in qua majus extremum prædicatur de minore extremo: Illa indirecta, in qua fit oppositum. Sed in modis Camene, Bammada, &c. Formæ Platonicæ (figuræ Galeni) conclusiones sunt directæ, ergo necessario majus extremum de mioori extremo prædicabitur: atqui manifestum est prædicari terminum illum qui in secunda propositione prædicabatur de medio, & illum denoo subjici, qui subjectus fuerat in prima propositione, adeoque majus extremum non fuerat in prima (majore) sed in subsumpto (minore). Quocirca corruit totum fundamentum P. Bernardi, quod ideo 4ta Figura impossibilis sit, eo quod medium de majori extremo prædicetur: hoc enim falso supponi modo demonstravimus, cum medium prædicetur de minore extremo. Sed

Insurgis. Cur ergo vocatis majorem, si non contineat majus extremum? Resp. Constare ex supra dictis, hoc pendere ex consoetudine magis, quam ex jure & ratione: loquimur cum multis, & ipse Caramuel loco cit. expresse tribuit licentiam circa hæc aliter loquendi ac sentieodi.

Quod vero in prædictis modis *Bammada*, *Camene*, *Figmeno*, in cooclusione prædicetur majus extremum de minore, (hinc dicuntur directæ) patet ex modis indirectis *Fesapor* & *Fesisor*, in quorum conclusionibus iovertitur ordo, & minus extremum prædicatur do majore. Eadem ratio obtinet in modis indirectis II. & III. Figura. Et hoc modo omnia sunt complanata. Nunc ad quæstionem iu titulo propositam.

Resp. V. Cum eximio P. Basilio Finckeneis q. 19. Log. Figuram Galeni oon omnino (& ut impossibilem) rejiciendam esse aut cootemoendam tanquam inutilem, ut nonnulli faciunt, sed esse bonam syllogizandi formam. Hæc veritas abuude hactenus demonstrata est.

Resp. 2. Hanc syllogizandi formam non recte dici Figuram IV. sed melius archetypon trium figurarum, ut ostendimus supra. Addo, male confundi a quibusdam cum Fig. I. Aristot. qui revocandam esse eo volunt: neutrum eoim fieri convenit. Non prius, quoniam ubi distincti modi (directi, indirecti) reperiuntur, cum diversa transpositioue medii, ibi distincta quoque figura statuenda, oti patet in Tabellis nostris. Non posterius, quia noo decet Magistrum servire Discipulo, nec antiqua revocaoda sunt ad nova, originale ad transumptum, sed contra. Lepidum igitur est, tribuere Galeno hunc argumentandi modum, tanquam primo ejus inventori, quo ante ipsum quingentis ferme annis (floruit enim sæculo secundo a Christo nato) usi

sunt

sunt cum Platone prisci Philosophi, si credimus D. Caramueli.

XLIX. At dices. Distinguitur solo præmissarum ordine a I. Figura; transpositis enim præmissis in Bammada, resultat syllogismus in Barbara: sic & Camene transibit in Celarent. Ergo debet reduci ad I. Figuram Arist. Resp. negando consequentiam: & inverto argumentum. Omnes syllogismi I. Fig. transpositis præmissis transibunt in Figuram Galeni (Formam Platonis) ergo Fig. I. est reducenda ad Formam Platonicam. Resp. 2. dando alteram instantiam. *Cesare* & *Ca-*

Ce- Nullum vitium est virtus
sa- Omnis patientia est virtus
re. E. Nulla patientia est vitium.

L. Oppon. 1. Præter modos I. Fig. adjici debere modos habentes alteram propositionem singularem, quales sunt hi syllogismi: Omnis homo est animal, Petrus est homo, E. & similes. Resp. Non esse necesse propterea speciales modos assignare, cum ad Darii & Ferio referri possint & debeant.

LI. Oppon. 2. Hunc syllogismum: Omne primum immediate antecedit secundum; omne secundum immediate antecedit tertium, ergo omne primum immediate antecedit tertium. Hic est in forma Platonica, & tamen conclusio est falsa, ergo modus Bammada est vitiosus. Resp. Hunc syllogismum nullius esse Formæ, sed similem huic: Vrceus continet aquam, aqua est liquida, E. urceus est liquidus. Quis tyro non videat 4 terminos? Ad regulas Dialecticæ sic debebat instrui. Omne primum immediate antecedit secundum: omne antecedens immediate secundum, est immediate antecedens tertium, Ergo. ubi vides, minorem aperte falsam.

LII. Oppon. 3. similem paralogismum. Omne falsum est altera pars contradictionis: omnis contradictionis altera pars est vera, ergo omne falsum est verum. Resp. 1. transpositis præmissis tibi reponendo eundem syllogismum in I. Fig. Arist. Resp. 2. cum Georg. Stengelio, esse Sophisma laborans eo vitio, quod minor non sit universalis, qualem requirit *Bammada*: nam τὸ *altera* est signum particulare in certo genere, nempe duorum, in quo genere est universalis τὸ *uterque* affirm. & τὸ *neuter* universalis negativa. At vero signum *omnis*, quod præbet ansam deceptionis, est tantum Syncategorema & genitivus cohærens. Par ratio foret, si minor esset hæc: aliqua pars contradictionis est vera, quæ quidem propositio sensum habet disjunctum, quia non est sensus, quod omnis contradictionis affirmatio sit vera, vel quod omnis contradictio negativa sit vera, sed quod affirmatio vel negatio indeterminate sumpta sit vera. Recte igitur Fonseca ait, sub subjecto particulariter & indeterminate sumpto, non licere sumere determinatum singulare, ratione cujus particularis sit vera, quod tamen fit in objecto syllogismo.

LIII. Oppon. 4. contra *Camene* hunc syllogismum: Omnis homo per se est animal: nullum animal per se est rationale, ergo nullus homo per se est rationalis. Resp. formam esse bonam: at falsam minorem; cum contradictoria ejus sit vera: aliquod animal est per se rationale, nempe homo.

LIV. Oppon. 5. Hic syllogismus est Galenicus, & tamen indiget medico, male enim concludit. Quinque sunt duo & tria: duo & tria sunt par & impar, ergo quinque sunt par & impar. Resp. dist. maj. Quinque sunt duo & tria in sensu formali, id est, prout quinque dicit quinarium numerum. N. maj. in sensu materiali, id est, prout cumponitur ex partibus ternario & binario. Conc. maj. & concessa min. Dist. conseq. Quinque sumpta formaliter sunt duo & tria. N. consequentiam; sumpta materialiter. Conc. consequentiam. Sic intellige Aristotelem, dum ait: bis tria non sunt 6. Cum tamen in ore arithmeticorum nil sit frequentius, quam in additione numerorum sic loqui.

mestres diversi sunt modi II. Fig. & tamen sola differunt præmissarum transpositione: similiter *Datisi* & *Disamis* in III. Fig. multo magis Bammada & Camene a Barbara & Celarent, cum habeant aliam insuper medii dispositionem. Hoc solum discriminis intercedit in hac secunda instantia, quod transpositæ præmissæ Cesare & Camestres non inferant eandem numero conclusionem, sicut ante: sed hoc non obstat, cum saltem inferant æquivalenter eandem, vel ejus conversam simpliciter, ut patet ex his:

Ca- Omnis patientia est virtus,
mes- Nullum vitium est virtus,
tres. E. Nullum vitium est patientia.

APPENDIX

Ad subsectionem II. supra, de sub-modis, seu modis secundariis.

LV. Placuit resumere hanc materiam secundo calamo: non quod existimem dicta ibidem ad naturam submodorum, eorumque differentiam ab indirectis cognoscendam non sufficere: sed ut Lector curiosus videat mirabile acumen ingenii Caramuelistici, paritérque Dialecticæ nostræ fœcunditatem. Id unum præmoneo, Caramuelem supponere, particularem affirmativam posse converti per contrapositionem, (sicuti universalis affirmativa, & particularis negativa juxta omnes) quod nos in Tract. De proposit. refutabimus, & hic breviter ex propriis ejus verbis evincemus. Iam ad rem.

LVI. Pro ubertatis Dialecticæ in pariendis consequentiis secundariis, seu submodis inde resultantibus notitia, servire possunt juvandæ memoriæ versiculi seqq.

Arcam dum miris cygnis onerabis Apollo,
Edes & pronos ingeniose choros.
Est ignis gelidusque cinis, rutilasve favillas
Ex orco Pollux eruet horrisono.

De his versiculis extrahe dictiones dissyllabas, & invenies has:

A. ArcAm mIrIs cygnIs.
E. EdEs bOnOs ChOrOs.
I. IgnIs CInIs
O. OrCO pOLLux.

LVII. Quarum dictionum usus est iste: Prima litera initialis, primam & principalem consequentiam; reliquæ vero subconsequentias suborientes (quas secundarias dicimus) designant. C. jubet converti per contrapositionem. S. simpliciter, & vocalis, quæ nec ante se habet C. neque post se S, est subalterna præcedentis. Et tandem V. nihil significat. Pono exempla.

BAR- Major Syllogismi,
BA- Minor Syllogismi.
R' Ar- Prima, eaque universalis consequentia.

cam-

cam-		Cootrapositio hujus consequentiæ.
mi-		Subalterna hujus contrapositæ.
ris.		Conversio simplex hujus subalternæ.
cyg-		Cootrapositio hujus conversæ.
nis.		Conversio simplex hujus contrapositæ.
BAR-		Omnis homo est risibilis.
BA-		Omne rationale est homo.
R' Ar-	Ergo	Omne rationale est risibile.
cam-	Ergo	Omoe oon-risibile est non-rationale.
mi-	Ergo	aliquod non-risibile est oon-rationale.
ris.	Ergo	aliquod oon-rationale est noo-risibile.
cyg-	Ergo	A. aliquod risibile est rationale.
nis.	Ergo	aliquod rationale est risibile.

LVIII.

Addo II. Exemplum in Celarent.

CE-		Major Syllogismi.
LAR-		Minor Syllogismi.
E-		Consequentia universalis negativa.
des.		Conversio simplex hujus consaquentiæ.
bo-		Subalterna hujus conversæ.
nos.		Cooversio simplex hujus subalternæ.
cho-		Contrapositio hujus conversæ.
ros.		Conversio simplex hujus contrapositæ.
CEL-		Nulla arbos est Angelus.
AR-		Omnis platanus est arbos,
E-	Ergo	nulla platanus est Angelus.
des.	Ergo	nullus Aogelus est platanus.
bo-	Ergo	aliqnis Angelus non est platanus.
nos.	Ergo	B. aliqua platanus oon est Angelus.
cho-.	Ergo	aliquis non-Angelus non est non-plataous.
• • vel	Ergo	C. aliquis oon- Angelus est platanus.
ros.	Ergo	aliqua plataous est non-Angelus.

LIX.

Subjungo III. Exemplum in Darii.

DA-		Major Syllogismi.
RI-		Minor Syllogismi.
Ig-		Consaquentia particularis affirmativa.
nis.		Conversio simplex hujus consequentiæ.
ci-		Contrapositio conversæ.
nis.		Conversio simplex hujus cootrapositæ.
DA-		Omnis color est qualitas,
RI-		Aliqua albedo est color,
Ig-	Ergò	aliqua albedo est qualitas.
nis.	Ergo	aliqua qualitas est albedo.
ci-	Ergo	aliqua noo-albedo est non-qualitas.
nis.	Ergo	aliqua non-qualitas est non-albedo.

LX. Et ut nihil desit, quod Dialecticæ studiosum juvare possit, ultimam quoque dictionem exponamus.

Fe-		Major Syllogismi,
RI-		Minor Syllogismi,
Or-		Consequeotia particularis negativa.
co.		Contrapositio ejusdem.
Poll-		Conversio simplex hujus contrapositæ.
FE-		Nullus canis est homo,
RI-		Aliquod animal est canis,
Or-	Ergo	aliquod animal oon est homo.
co.	Ergo	aliquis non-homo non est non-animal.
• •	hoc est,	aliquis non homo est animal.
Poll.	Ergo	aliquod animal est non-homo.

Non aliter desinunt, nec desinere possunt syllogismi, quam in A. E. I. O. & omnium posuimus exempla. Ecce, ut vides, siogulæ consequentiæ a præcedenti quasi catenatim inferuntur, & inferunt immediate sequentem: quod quia novum & utile, bene notandum. Vt autem illationum securitatem calleas, ne sit scrupulus, quo pungaris; explico literas A. B. C. interjectas.

A. in exemplo I. Hæc propositio: *aliquod non-rationale est non-risibile*, si convertatur per contrapositionem, erit: *aliquod non non-risibile est non non-rationale:* cumque duæ negationes æquipolleant nulli, (so enim mutuo tollunt eliduntque in lingua latina) illa ultima propositio: aliquod oon oon-risibile est non non-rationale, æquipollebit huic: *aliquod risibile est rationale*, quam scripsi. Ita Caramuel.

Hic ego subinfero. Ergo hæc propositio: *aliquod animal est non-homo*, si convertatur per contrapositionem (uti fieri posse Caramnel contendit) erit: *aliquod non non-homo est non-animal:* cumq; duæ negationes æquipolleant oulli, (cum se mutuo tollant,) illa ultima propositio: aliquod oon non-homo est non-animal, æquivalebit huic: *aliquis homo est non-animal*, sive aliquis homo non est animal, quæ est evidenter falsa, cum sit contradictoria hujus: Omnis homo est animal. Ergo non stat, omnem propositionem particularem affirmativam posse converti per contrapositiooem, ergo male D. Caramuel correxit tritum versic. Ast O per cootra. dicendo actio per contra. Vide infra Tract. 38. de propositionibus.

B. in II. exemplo. Vides ibi particularem negativam converti simpliciter, & hoc negas posse fieri ad regulas simpliciter positas parte 2. cap. 4. §. 1. ait Caramuel. Et Resp. noo posse converti simpliciter omnem particularem negativam, posse aliquam, nimirum illam, cujus universalis etiam est vera. Nam si tibi videatur mala consequentia,

Nullus Angelus est platanus,
Ergo aliquis Angelus oon est platanus,
Ergo aliqua platanus non est Angelus,

quod tametsi secunda propositio bene inferatur a prima, male inferatur a secunda illa tertia: ostendam hanc eandem tertiam debere necessario admitti, justa alias regulas procedendo, sic inquam:

Nullus Angelus est platanus
Ergo nulla platanus est Angelus
Ergo aliqua platanos oon est Angelus.

Vbi

Vbi vides tertiam consequentiam eandem esse, quæ prius, & esse necessario admittendam. Prima enim conversa simpliciter, dat secundam universalem negativam, & hæc subalternat illam tertiam.

Hic iterum observo, similem exceptionem ac limitationem oportuisse Caramuelem addere, cum egit de conversione particularis affirmativæ per contrapositionem. C. Hæ propositiones, tametsi labio videantur differre, æquipollentes tamen sunt: nim.

Aliquis non-Angelus non est non-platanus,
Aliquis non-Angelus est non non-platanus,
Aliquis non-Angelus est platanus.

Secundam tertiamque coincidere constat, quia duæ negationes affirmant: coincidere primam secundamque convincitur ex eo, quod negatio non afficiat copulam, sed prædicatum, ut alibi ostendemus.

Cum igitur ex præostensis exemplis liqueat, modum desinentem in A. hoc est constantem conclusione universali affirmativa, inferre suas secundarias consequentias per *Arcam mirir cygnis*: item desinentem in E, ut *Celarent*, per *Edes bonos choros* &c. manifestum fit, cur *Baralipt. Celantes, Dabitis*, non debeant statui pro modis indirectis, cum imbibantur in suis directis *Barbara, Celarent, Darii*; alias quamplures similes in II. & III. quoque figura statui deberent. Præterea insistendo discursui parallelo Caramuelis infero sequens corollarium. Quamvis alicui videatur mala consequentia in hisce propositionibus:

Omnis homo est animal,
Ergo aliquis homo est animal.
Ergo aliquod non-animal est non-homo.

quia tametsi secunda propositio bene inferatur ex priore, utpote illius subalterna, male tamen tertia ex secunda: juxta alias tamen regulas procedendo, eandem debere necessario admitti. Sic inquam:

Omnis homo est animal
Ergo omne non-animal est non-homo
Ergo aliquod non-animal est non-homo.

Vbi vides tertiam propositionem esse eandem, quæ prius, & esse necessario admittendam. Prima enim conversa per contrapositionem, dat secundam universalem affirmativam; hæc tertiam.

SECTIO III.

De Reductione Syllogismorum.

LXI. Veritas sibi ipsi pretium & præmium est assumpti laboris. Multa examinamus, quæ nullum unquam præbeant fructum, quam nosci. Ergo etsi nemo legitimam consequentiam negaret: (quod tamen sæpe fit, dum turbati respondentes, concessis præmissis negant consequentiam, conatique per hoc evadere argumenti violentiam, ex abysso in abyssum labuntur) dignum adhoc scitu est, cur nemo illam impune negare possit vel audeat. Dialecticam scientiam habere non censetur, qui nesciat reductionis artem: sublatis enim reductionibus, Dialectica non jam scientia, sed opinio, vel forte opinatio mera est. Ne itaque de inconsequentia doctrinæ forte convincamur, [sicut P. Rodericus d'Arriaga apud Caram. Log. vocal. num. 852.) patientibus injuriam a defendente per legitimæ consequentiæ negationem, remedio reductionis in jure nostro dialectico succurritur. Reductio siquidem apud Dialecticos idem est, ac legitimæ illationis probatio: cum enim bona consequentia negatur, syllogismus ad aliam nobiliorem formam reducitur.

Docemur autem a veteribus duplicem reductionis modum. Se reducere *ostensive* dicebant, quando resumptas prioris syllogismi assertiones, vel mutatas, vel conversas, ad formam perfectiorem reducebant. Se autem *per impossibile* reducere affirmabant, cum negantes consequentiam cogebant admittere impossibilia, puta vel duas contradictorias aut contrarias simul veras, vel duas subcontrarias simul falsas.

SVBSECTIO I.

De Reductione ostensiva.

LXII. Vt forma Platonica in I. Figuram Arist. aut hæc in illam convertatur, sufficit transponere præmissas, ut patet in hoc syllogismo: *Aliquis homo est albus; omne album disgregat visum*, ergo *aliquis homo disgregat visum*. Est in Dimagni, modo Platonico, & transibit ad Darii, transpositis præmissis. Sic Bammada in Barbara, Camene in Celarent, & Figmeno in Ferio.

Vt II. & III. figuræ modos utiles ad I. Arist. reducantur, literæ 4. sunt inventæ, nim. S. P. M. & C. de quibus extant hi versus:

S. vult simpliciter converti; vult P. per accid.
M. vult transponi; C. per impossibile duci.

Sensus est: Cum istæ literæ reperiuntur in alicujus syllogismi vocabulo seu modo, significant præcedentem vocalem convertendam (S) simpliciter, & (P) per accidens. Si in media syllaba omnium vel modi fit M. significabit illum syllogismum transiturum in formam Platonicam, nisi præmissæ commutentur. Prima seu initialis litera indicat modum, ad quem debeat reduci, nempe a simili litera incipientem & sunt B. C. D. F.

Exemplum sit in

Da- *Omnis homo est rationalis*:	Da- *Omnis homo est rationalis*:
rap- *Omnis homo est animal*;	ri- *Aliquod animal est homo*;
ti. E. *Aliquod animal est rationale.*	i. E. *Aliquod animal est rationale.*

Et quia nomen *Darapti* incipit a D. constat hunc syllogismum reduci debere ad *Darii*. Et quia P. afficit secundam vocalem, liquet secundam præmissam, seu minorem, convertendam *per accidens*, eo modo quo factum vides. æquivalentiam propositionum conversarum, de qua vide Tract. 38. De præpos. quæ eo respicit, ut eadem maneat argumentationis vis, mutata figura vel modo.

LXIII. Reductio itaque syllogismorum supponit

Et quia discipulis clariora sunt exempla, quam regulæ & leges, omnes syllogismos II. & III. figuræ ad 4. primos perfectos, ut vocant, I. Figuræ revocabimus.

Cesare in Celarent, conversa majore simpliciter.

Ce- Nullus equus est homo,	Ce- Nullus homo est equus,
sa- Omne risibile est homo,	la- Omne risibile est homo,
re. E. Nullum risibile est equus.	rent. E. Nullum risibile est equus.

Nota, si juxta legem dictam literæ M. præmissæ in Camestres commutentur; minor & conclusio convertantur simpliciter, transibit io Celarent, hoc modo:

Ca-	Nullus Turca est baptizatus,	Ce-	Nullus baptizatus est Turca,
mes-	Omnis Christianus est baptizatus,	la-	Omnis Christianus est baptizatus,
tres.	E. Nullus Christianus est Turca.	rent.	E. Nullus Christianus est Turca.

Festino transit in Ferio, conversa simpliciter majore.

Fes-	Nullus equus est lapis;	Fe-	Nullus lapis est equus,
ti-	Aliquis adamas est lapis,	ri-	Aliquis adamas est lapis,
no.	E. Aliquis adamas non est equus.	o.	E. Aliquis adamas noo est equus.

Parum differt a *Festino* modus indirectus *Frimesor*, eum subscribo: & quia continet literas M. & S. afficientes præmissas, converto minorem simpliciter, & transibit in *Figmeno*, commutatisque præmissis in *Ferio*.

Fri-	Aliquis adamas est lapis,	Fe-	Nullus lapis est equus.
mes-	Nullus equus est lapis,	ri-	Aliquis adamas est lapis,
or.	E. Aliquis adamas oon est equus.	o.	E. aliquis adamas non est equus.

Ex Darapti in Darii, conversa minore per accidens.

Da-	Omnis homo est vivens,	Da-	Omnis homo est vivens,
rap-	Omnis homo est mortalis,	ri-	Aliquod mortale est homo,
ti.	E. Aliquod mortale est vivens.	i.	E. Aliquod mortale est vivens.

Huic similis est Datisi, qui, conversa minore simpliciter, transit in Darii.

Da-	Omnis homo est vivens,	Da-	Omnis homo est vivens,
tis-	Aliquis homo est mortalis,	ri-	Aliquis mortalis est homo,
i.	E. Aliquis mortalis est vivens.	i.	E. Aliquis mortalis est vivens.

Et quia Felapton & Ferison sunt similes, eos conjungo, qui conversa minore (in Felapton per accidens, & io Ferison simpliciter) transeunt ad Ferio.

Fel- Fe-	Nullus homo est lapis,	Fe-	Nullus homo est lapis,
lap- •	Omnis homo est rationalis,	ri-	Aliquod rationale est homo,
• ri-	vel Aliquis homo est rationalis,	o.	E. Aliquod rationale oon est lapis.
con. o.	E. Aliquod rationale non est iapis.		

Hac ratiooe manent ostensive demonstrati Disamis, Fapelmor & Fismeror, quoniam mera commutatione præmissarum (prout litera M. in medio posita faciendum monet) & conversa simpliciter majore in Disamis, ac conclusione: nec non majore in Fismeror: per accidens autem in Fapelmor, transibunt in Darii *Disamis*, & *Fapelmor* in Ferio; *Fismeror* similiter. Cæterum hi 3. modi, *Disamis*, *Fapelmor* & *Fismeror* sola transpositione præmissarum differunt a *Datisi*, *Felapton*, & *Ferison*, ut patet consideranti.

LXIV. Dubitatis; An verum sit, quod communiter AA. docent, modos in quibus est C. mediam syllabam afficiens (ot Baroco & Bocardo) oon posse reduci ostensive? Resp. Caramuel sub dist. juxta vulgata nomini non posse; posse tamen mutatis nominibus, & dicendum, contrapositionem solummodo requiri in *Dacoro*, & *Domacor*: & in *Docamo* & *Dacoccor* (duo posteriores III. Figuræ respoodent *Boccardo*, & duo priores II. Fig. *Baroco*). Quod si propositionem affectam litera C. contraponas; &, ubi M. jubeat, præmissas commutes, reduces omnes istos 4. modos ad Darii.

Baroco aut Dacoro, conversa majore per contraposit. transit in Darii.

Ba-	Dac-	Omnis homo est animal.
roc-	o-	Aliquis substantia oon est animal.
co.	ro. E.	Aliquis substantia oon est homo.

Ergo C. vel CC. non significant, modum illum non posse reduci ostensive, sed reduci debere per contrapositionem, convertendo propositiooem illam cui illæ literæ adhærent. Hoc apparet io exemplo.

Da- Omne non-animal est non-homo,
• Aliqua substantia noo est animal,
ri- vel Aliqos substantia est non-aoimal,
• E. Aliqua substantia non est homo.
i. vel Aliqua substantia est oon-homo.

Addamus & alium Syllogismum in *Boccardo*.

Boccardo aut Docamo conversa majore per contrap. transit in *Dimagni*: & transpositis præmissis (propter lit. M.) in *Darii*.

Boc-	Doc-	Aliqua substantia non est equus.
ar-	a-	Omnis substantia est ens.
do.	mor. E.	Aliquod ens noo est equus.

Di- { • Aliquis non-equus non est non-substantia.
vel Aliquis ooo-equus est substaotia.
mag- Omnis substantia est ens.
ni. { ergo • Aliquis non-equus est ens, / ergo Aliquod ens est oon-equus. / ergo • Aliquod ens noo est equus. } æquipollentes.

SVBSECTIO II.

De Reductione per impossibile.

LXV Talis dicitur, cum ex negata consequentia legitimi syllogismi infertur contradictoria; & hæc præ- aut postponitur majori, ut inferat contradictoriam jam concessæ minoris: vel præ-aut postponitur minori, ut inferat contradictoriam majoris similiter concessæ. Ponamus exemplum in *Celarent aut Camene*:

Ca-	Omnis homo est animal,
le-	Nullum animal est lapis:
rent.	E. Nullus homo est lapis.

Concedenti præmissas, & neganti consequentiam, ego sic: Hæc propositio, *Nullus homo est lapis*, est falsa? ergo ejus contradictoria: *Aliquis homo est lapis*, est vera. Si igitur hanc præponam majori concessæ, resultabit hic syllogismus.

Di-	Aliquis homo est lapis,
sa-	Omnis homo est animal,
mis.	E. Aliquod animal est lapis.

Consequentia est legitima in *Disamis*, & nihilominus

nus contradictoria minori concessæ in syllogismo antecedenti. Vel si maluerim, eandem contradictoriam postponam eidem majori, & resultabit hic analogismus.

Da- Omnis homo est animal,
ti- Aliquis homo est lapis,
si. Ergo aliquis lapis est animal.

Est illatio legitima, quia in *Datisi*. Tunc sic: aliquis lapis est animal: ergo aliquod animal est lapis; patet, quia particularis affirmativa potest converti simpliciter: ergo jam habemus duas contradictorias simul veras. Patet, quia hæc ultima consequentia, *aliquod animal est lapis*, contradicit concessæ minori primi syllogismi.

Hic observa, tametsi omnes modi a nobis recensiti, & versibus comprehensi, oullo excepto, sint æque perfecti, cum singuli ex præmissis veris non nisi vera inferaot, in quo consistit perfectio: Iuxta vulgus tamen, soli modi directi I, figuræ (quia forte communiores & notiores) pro talibus habentur, ad quos modi reliquarum figurarum debeant reduci: hinc

Quæritur, utrum possit *reductio per impossibile* sic institui, ot sine errore & ambagibus certo quemcunque syllogismum (sive directum, sive indirectum) si contingat ejus consequentiam ab imperito negari, possimus ad unum ex 4. modis I. figuræ reduci? Resp. Posse. Sunto igitur hæc carmina regularum loco. Et quidem

Pro imperfectis I. Figuræ reducendis.

Majorem in prima abjectæ vice pone minoris.

Hoc est, contradictoriam consequentiæ tibi negatæ, v.g. in *Fapesmor*, aut *Frisesom*, assume pro majore, & majorem prioris syllogismi pone loco minoris, & habebis præmissas io *Barbara* aut *Darii*, quos modos consequentia naturaliter inde fluens dabit prodetque.

Pro directis II. figuræ reducendis

Servat majorem, perditque secunda minorem.

hoc est, retenta majore prioris syllogismi, subsume contradictoriam negatæ consequentiæ, v. gr. in *Cesare*, & habebis syllogismum perfectum in *Ferio*, cujus conclusio erit cootradictoria minori prius concessæ.

Pro directis III. figuræ reducendis.

Tertia majorem perdit, servatque minorem.

hoc est, contradictoriam oegatæ consequentiæ. v. g. in *Datisi* pone loco majoris, & ei substitue minorem prioris syllogismi: ex quibus præmissis inferes cooclusionem cootradicentem majori prioris syllogismi jam concessæ, idque in *Ferio*.

Pro indirectis II. figuræ redocendis.

Perdit majorem, retinetque secunda minorem.

hoc est, contradictoriam negatæ consequentiæ, v. g. in *Frimesor*, aut *Docamor*, assume loco majoris; & retenta minore prioris syllogismi, inferes conclusionem in *Camene* aut *Bammada*: coosequenter transpositis præmissis in *Celarent* aut *Barbara*.

Pro indirectis III. figuræ reduceodis.

Major fit minor, ut fit contradictio major.

hoc est, cootradictoriam negatæ conclusionis in Fapesmor, v. gr. pone loco majoris; & majorem prioris syllogismi vice minoris, conclodesque in *Barbara* I. Fig. Idem accidet in reductione reliquorum modorum *Daceccor*, & *Fismeror*, cujus reductio cadit in *Darii*.

Horum omnium praxin exhibet appositum Schema.

ΣΧΗΜΑ Reductionis per impossibile ad 4. I. figuræ modos.

LXVI.

Indirectorum formæ Platonicæ.

Fes-	Nullus leo est homo,	Ca-	Omne animal est leo,
ap-	Omnis homo est animal,	me-	Nullus leo est homo,
or.	A liquod animal non est leo.	ne.	Nullum animal est homo.

En conclusionem contrariam minori concessæ!

Fes-	Nullus homo est lapis,	Ca-	Omnis substantia est homo.
is-	Aliquis lapis est substantia,	me-	Nullus homo est lapis,
or.	Aliqua substantia non est homo.	ne.	Nulla substantia est lapis.

En conclusionem cootradictoriam minori concessæ!

Indirectorum I. figuræ Aristot.

Fap-	Omnis homo est animal,	Bar-	Omne animal est leo,
es-	Nullus leo est homo,	ba-	Omnis homo est animal,
mor.	Aliquod animal non est leo.	ra.	Omnis homo est leo.
Fri-	Aliquis homo est substaotia,	Da-	Omnis substantia est equus,
se-	Nullus equus est homo,	ri-	Aliquis homo est substantia,
som.	Aliqua substantia non est equus.	i.	Aliquis homo est equus.

Vbi vides in priore syllogismo consequentiam contrariam minori concessæ; in altero contradicentem implicite minori concessæ.

Directi II. figuræ.

Ces-	Nullus leo est rationalis,	Fe-	Nullus leo est rationalis,
a-	Omnis homo est rationalis,	ri-	Aliquis homo est leo,
re-	Nullus homo est leo.	o-	Aliquis homo non est raticoalis.
Ca-	Omnis homo est rationalis,	Da-	Omnis homo est rationalis,
mes	Nullus leo est rationalis,	ri-	Aliquis leo est homo,
tres.	Nullus leo est homo.	i.	Aliquis leo, est rationalis.

Vtraque conclusio contradicit minori concessæ.

Fes-	Nullum animal est immortale,	Ce-	Nullum animal est immortale,
ti-	Aliquis spiritus est immortalis,	la-	Omnis spiritus est enimal,
no.	Aliquis spiritus oon est animal.	rent.	Nullus spiritus est immortalis.

Ba-	Omnis homo est animal,	Bar-	Omnis homo est animal,
ro	Aliquis ſpiritus non eſt aoimal,	ba-	Omnis ſpiritus eſt homo.,
co.	Aliquis ſpiritus non eſt homo.	ra.	Omnis ſpiritus eſt animal

Vtraque cooclusio contradicit minori conceſſæ.

Indirecti II. figuræ reducti.

Fri-	Aliquod animal terreſtre eſt homo,	Ca-	Omne animal terreſtre eſt lupus,
meſ-	Nullus lupus eſt homo,	me-	Nullos lupus eſt homo,
or.	Aliquod animal terreſtre ooo eſt lupus.	ne.	Nullum animal terreſtre eſt homo.
Do-	Aliquis homo noo eſt niger,	Bam-	Omnis homo eſt æthiops,
cam-	Omnis æthiops non eſt niger.	ma-	Omnis æthiops eſt niger,
or.	Aliquis homo non eſt æthiops.	da.	Omnis homo eſt niger.

Vtraque conclusio contradicit minori conceſſæ.

Directi III. Figuræ.

Da-	Omnis homo eſt aoimal,	Fe-	Nullus doctus eſt animal,
ti-	Aliquis homo eſt doctus,	ri-	Aliquis homo eſt doctus,
ſi.	Aliquis doctus eſt aoimal,	o.	Aliquis homo non eſt animal.
Da-	Omnis homo eſt animal,	Ce-	Nullum rationale eſt animal,
rap-	Omnis homo eſt rationalis,	la-	Omois homo eſt rationalis,
ti.	Aliquod rationale eſt animal.	rent.	Nullus homo eſt animal.

Concluſio prioris ſyllogiſmi reducti contradicit majori cooceſſæ; & poſterioris, contrariatur majori cooceſſæ.

Fe-	Nullus homo eſt quadrupes,	Bar-	Omne animal eſt quadrupes,
lap-	Omnis homo eſt animal,	ba-	Omnis homo eſt animal,
ton.	Aliquod aoimal nou eſt quadrupes.	ra.	Omnis homo eſt quadrupes.

Iterum conclosio reducti eſt contraria majori conceſſæ.

Di-	Aliquod animal eſt cornutum,	Ce-	Nullum vivens eſt cornutum,
ſa-	Omoe animal eſt vivens,	la	Omoe animal eſt viveos,
mis.	Aliquod vivens eſt cornutum.	rent.	Nullum animal eſt cornutum.

Concluſio reducti contradicit majori prioris.

Boc-	Aliqood animal non eſt bipes,	Bar-	Omnis ſubſtantia eſt bipes,
car-	Omne animal eſt ſubſtantia,	ba-	Omoe animal eſt ſubſtaotia.
do.	Aliqua ſubſtantia noo eſt bipes.	ra.	Omne animal eſt bipes.
Fe-	Nullus homo eſt Angelus,	Da-	Omne rationale eſt Angelus,
riſ-	Aliquis homo eſt rationalis,	ri-	Aliquis homo eſt rationalis,
on.	Aliquod rationale noo eſt Angelus.	i.	Aliquis homo eſt Angelus.

Vtraque cooclusio reducti contradicit majori prioris ſyllogiſmi.

Indirecti III figur. reducti.

Fa-	Omnis Monachus eſt religioſus,	Bar-	Omois religioſus eſt Ieſuita,
pel-	Nullus Monachus eſt Ieſuita,	ba-	Omnis Monachus eſt religioſus,
mor.	Aliquis religioſus non eſt Ieſuita.	ra.	Omois Monachus eſt Ieſuita.

Concluſio reducti cootrariatur minori conceſſæ.

Fiſ-	Aliquis Ieſuita eſt religioſus,	Da-	Omnis religioſus eſt Monachus,
me-	Nullus eſt Monachus.	ri-	Aliquis Ieſuita eſt religioſus,
ror.	Aliquis religioſus oon eſt Monachus.	i.	Aliquis Ieſuita eſt Monachus.

Concluſio reducti contradicit minori cooceſſæ.

Da-	Omnis hæreticus eſt reprobus,	Bar-	Omnis reprobus eſt dives,
coc-	Aliquis hæreticus noo eſt dives,	ba-	Omnis hæreticus eſt reprobus,
cor.	Aliquis reprobus non eſt dives.	ra-	Omois hæreticus eſt dives.

Concluſio reducti contradicit minori cooceſſæ.

Vides itaque modos quoque indirectos II. & III. figuræ eſſe legitimos, adeo ut noo liceat impune negare unquam, conceſſis præmiſſis, conſequentiam, cum ab expedito argumentante, & hiſce ignis rite inſtructo mox compelli poſſit ad contradictoria & impoſſibilia concedeoda, utraque via, & oſtenſiva & per impoſſibile. Q. E. D.

SECTIO IV.

De ſyllogiſmo ſophiſtico.

LXVII. Sophiſtæ olim, teſte Valent. Erythræo, dicti ſunt magiſtri & effectores Oratorum Rhetorumque, quos inter excelluerunt Corax, Georgias Leootious, Protagoras, Iſocrates, & alii, oon abſimiles rabulis forenſibus noſtri ævi, illis Reip. peſtibus, genus magis mercena-

cenarium, quam Philosophicum, Tricones, caussarum quarumcunque desperatarum, etsi iniquissimarum, patroni, qui pro lucello venalem habent animam, qui malunt sapiscotes videri quam esse: cum vere sapieotis proprium sit, esse potius talem, quam videri dicique.

Nihilominus, qui depravati mundi genius est, & opinione regitur, magnis quandoque præmiis honoribusque hæc vitia scimus remunerata. De Gorgia enim Leontino legimus, quod aurea illi statua, ob hujusmodi sive professionem, sive doctrinam fuerit erecta. Socrates vero (quem omnium sui ævi sapientissimum pronuntiavit oraculum) primus Sophistarum extitit oppugnator, eos linguæ & orationis ornatores, non cordis & animi excultores (ut veros & non simulatos decet Philosophos) & fallam artis eorum, quam sophisticen debuccinabant, definitionem, & fucosam fallaciemque ostendit. Hinc merito

LXVIII. Quæri posset: An utile sit, agere de sophismatibus? Resp. Nemo scit solvere nodum, qui modum, quo fieri solet, nesciat. Nemo ergo solvere melius poterit paralogismos, quam qui scit, quomodo formentur. Eam dialecticæ partem, quæ sophismata fabricare docet, & vitare, Græci per antonomasiam *Philosophia* nomine insigniverunt; eo quod in tota scientiarum encyclopedia nulla facultas sit, in qua plus studium & sapientia reluceat. Hinc hæc Apostolo ad Coloss. 2. *Videte, ne quis vos seducat per philosophiam & inanem fallaciam.* Cum igitur paralogica philosophia sit fingendi ars, & fallendi doctrina, cui molti diligenter student, prout & Machiavelli dogmatibus, ne ab illis seducamur per philosophicam hanc fallendi artem, opus est nobis magna diligentia & studio, ne incanti, & omnis simplices in casses horum pseudo-dialecticorum incidamus, sed dextre nos sciamus extricare, fraudemque detegere. Porro sophismata generatim dicta sunt Ceratinæ & Vtides. Prius nomen traxerunt ex eo, quod primum sophisma de *cornibus* dicant formatum a Chrysippo, vid. *Quidquid non amisisti, adhuc habes: cornua non amisisti*, ergo *ea adhuc habes.* Posterius, ab eo quod Vlysses captus a Polyphemo gigante se vocaodo Vtin, deceperit gigantem. Dicitur quoque pistillus dialecticus: Insolubile aut crocodilites: Antistrephus sive reciprocus, qualis Protagoræ cum Evathlo discipulo. Suppar. Non, & hoc, &c. Quæ tamen inter se confundi non debent, nam sophisma, & insolubile multum differunt. *Sophistica* enim quæstio proprie illa est, quæ solvi a viro docto potest, & multos confundere solet; insolubilis tamen simpliciter non est, sed solum respective ex igoorantia respondentium. At vere *insolubilis* vocatur illa, quæ solvi non potest, confunditque universos. Talia vocantur, quæ reducuntur ad propositiones falsificantes semetipsas, & gaudent nomine *insolubilium*, quæ seipsas destruunt, v. g. Iuro me nunquam jurare. Ego semper mentior, &c. Quæ etiam pseudomenes vocatur. Hos nodos Gordios cum Alexandro discindere malunt, quam solvere, qui dicunt enuntiationes hojusmodi, nec veras, nec falsas esse, eo quod proprie enuntiationes non sint, quatenus supra seipsas reflectuntur, ut sic enim habeot seipsas pro objecto: talis autem enuntiatio implicat, quia actus intellectus (de vocali analogice philosophandum) est naturalis similitudo sui objecti: ejusdem autem ad seipsum non datur similitudo, sed identitas negativa. His itaque missis ad solubilia nos convertamus.

SVBSECTIO I.

De locis communibus fallaciarum, quæ in verbis committuntur.

LXIX. Præter locos cum veris sincerisque dialecticis communes, utuntur sophistæ quibusdam sibi propriis, quamvis & in prioribus deteriora quærant. In hoc tamen eorum vestigia velut impressa notantur, quorum ductu fraudem & fallaciam possumus detegere. Horum autem locorum generalis partitio illa est, quod aut in verbis, aut in rebus consistant. Hic de prioribus, quorum vulgo 6. assignari solent, agemus.

(1) Verborum ὁμωνυμία seu æquivocatio dici potest, qui est locus sophisticus, per quem delabimur in errorem, eo quod unius verbi plures significationes non rite distioguere sciamus: unde falsa sequitur conclusio, quia voce tenus tres quidem termini apparent, reapse tamen 4. sunt. Quæ fallacia, dum aperta est, oisi jocose fiat, aspernanda venit, qualis est, quam κερατίνην ceratinam Chrysippi vocant: *Quod non amisisti*, &c. Verbum enim *amittere* in majore sumitur de eo, quod in nostra potestate est, aut fuit, aut a natura nobis tributum: in minore vero pro eo quod nec a natura nobis inest, nec in nostra potestate.

Alia est minus aperta, ut in hoc exemplo:

Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam, Ioan. 12,25.

Qui diligit iniquitatem odit animam suam. Ps. 10,6.

Ergo qui diligit iniquitatem, custodit animam suam in vitam æternam. Vbi vox *anima* in majore sumitur pro sensitiva, seu inferiore parte hominis, ut loquuntur alii, nempe qui per mortificationem subjiciunt carnem spiritui, vitam æternam sibi comparant. At in minore sumitur pro mente aut spiritu, prout opponitur sensualitati, peccatum enim animæ mors est.

LXX. Sed quid ad hoc? Quod est investigabile, potest investigari: Viæ Dei sunt investigabiles, Rom. 11. Ergo viæ Dei (hoc est judicia Dei arcana) possunt investigari. Aliter. Quod est investigabile, non est inscrutabile, sed viæ Dei sunt investigabiles ergo non sunt inscrutabiles, ergo contradicit sibi Apostolus. Resp. In epist. ad Rom. particulam *investigabiles* incuria vel imperitia scriptoris irrepsisse; & hactenus cum cæteris erroribus similibus ab ecclesia toleratam: cum legendum sit *ininvestigabiles*, observandum enim cum Sanctio, Melchiore Cano, Corn. a Lapide & aliis Bibliorum Commentatoribus, sæpe in Bibliis contingere, ut una dictio a descriptore prætereatur, quia alia ei similis conjuncta est. Ex pluribus exemplis hæc pauca, etiam post novissimam Vrbani VIII. correctionem, adduxisse sufficiat. Hebr. 12, 2. legit vulgata: *proposito sibi gaudio*, cum tamen, juxta codices græcos legeodum sit, *pro proposito sibi gaudio* ἀντὶ προκειμένης αὐτῷ χαρᾶς, uti legunt Chrysostomus, Theodoretus, Theophylact. Oecumenius: sic etiam Rom. 11. *investigabiles* viæ Domini, pro *ininvestigabiles*. Ante Sixti V. vero correctionem legebatur *interpretabiles*, at nunc *ininterpretabiles*, græce δυσερμήνευτος. Et Ps. 118. nunc temporis etiam legitur, *prævens in maturitate*, pro contrario vocabulo, in *immaturitate* hoc est, in tempore nondum opportuno. Adjungit præterea S. Hieronymum ad locum Isaiæ 42. *Educet in veritate judicium*, observare, hunc locum mutilate legi apud Matthæum c. 12. omis-

fis iftis, *non erit triftis*, neque turbulentus,donec ponas in terra judicium. Idque fcriptoris errore contigiffe,qui hanc vocem *judicium* repetitam in illo Ifaiæ loco non advertit; ideoque femel tantum per inadvertentiam pofuit,omiffis verbis intermediis. Quam obfervationem idem Hieron. repetit ad Aglafiam. q. 2. Hæc dicta funt per tranfennam.

LXXI. (2) Verborum ambiguitas, *ἀμφιβολία*, non multum diverfus a priore, nifi forte in eo, quod hic fit verborum conjunctorum, fuperior fingulorum. Vterque evitatur negando confequentiam fyllogifmi, explanando ambiguitatem fententiæ, uti fupra. Aut in hoc exemplo:

Pecunia, quæ eft Cæfaris, poffidetur a Cæfare,
Hæc pecunia, quam tu tenes, eft Cæfaris,
E. *Hæc tua pecunia poffidetur a Cæfare.*

LXXII. (3) *Σύνθεσις*, fallacia compofitionis, cum a fenfu divifo fit tranfitus ad compofitum: ut, *vidi imaginem auream veftem habentem.* In fyllogifmo autem hoc duobus modis accidit. 1. Cum variatur modus, & cum fubjecti feu *Dicti* in præmiffis eft divifio, in conclufione vero conjunctio, v. g. *Quemcunque poffibile eft dormire, fieri poteft ut dormiat: vigilantem poffibile eft dormire*, ergo *fieri poteft ut vigilans dormiat.* 2. Cum determinatio variatur: confiftit enim hoc genus in accommodatione attributi ad determinationem, quando pars medii conjungitur cum extremis in conclufione, v. g. *Poffibile eft nigrum effe album; æthiops eft niger, ergo æthiops poteft effe albus.*

LXXIII. (4) *Διαίρεσις*, divifionis fallacia econtra fit, cum a fenfu compofito ad divifum arguitur; ut: quicunque dormit, hunc impoffibile eft vigilare. Item 2 & 3. funt par & impar: 5. funt 2, & 3. ergo numerus 5. eft par & impar. Idem contingit, cum fententiæ AA. vel S. fcripturæ, vel leges mutilate citantur, quod noftris hæreticis cum diabolo familiare eft Matth. 4. Huic obviandum eft negatione confequentiæ, & compofitione eorum, quæ dolofe disjuncta erant. Nam ut recte ICtus L. *incivile*. ff. de LL. Incivile eft,nifi tota lege perfpecta, de aliqua particula ejus propofita judicare vel refpondere. Nam plerumque principium per finem corrigitur, L. *fi tibi.* in fine ff. *fi certum petatur.*

LXXIV. (5) *Προσῳδία*, a Grammaticis Fallacia accentus dicitur, per quam male pronuntiando vocabula incidimus in errorem, qui tamen facile advertitur. Vel enim fit extra argumentationem,ut in his vulgaribus verfic.

Mala mali malo mala contulit omnia mundo.
Et. *Filia fub tilia mea net fubtilia fila.*

vel in fyllogifmo,ut: Omnia mala funt deteftanda; poma funt mala, ergo poma funt deteftanda. Prout in his variatur quantitas, fic alibi afpiratio: ut, quicunque ad aram fugit, liber eft. (non qui ad haram). Coridon ad aram,fugit,ergo liber eft.

LXXV. (6) *Σχῆμα λέξεως*, dictionis figura,feu forma verbi, cum diverfa res eodem genere, eademque orationis forma exprimitur. Huc fpectat ignorantia Hellenifmi, latinitatis aut linguæ vernaculæ five dialecti nationis,quæ multiplices errores parere folet, & fæpe perplexos reddit confeffarios excipientes rudis plebeculæ confeffiones.

Simile quid occurrit in SS. literis, ut Matth. 1, 25. Non cognovit eam, *donec* peperiffet filium fuum primogenitum,ergo Iofeph cognovit Mariam poft Chriftum natum. Inepta confequentia hæretici. Mendacium eft,inquit Erithræus: fed ratio,quam dat, non placet; quod adverbium *donec* more hebraico,non fignificet conditionem, fed perpetuitatem. Hinc idem autor per fimilem phrafin vult intelligi debere textum illum Matth. 5. Non exibit,donec ultimum quadrantem folverit,dum infert nullum e purgatorio liberandum, nifi probe a fordibus peccatorum defæcatus fuerit, quafi nunquam id futurum fit.

SVBSECTIO II.

De locis communibus Sophiftarum in rebus.

Loci hujufcemodi numerantur feptem.

LXXVI. (1) Dicitur accidentis,id eft,cum id, quod accidentario de attributo dicitur, aut non dicitur, exiftimatur etiam convenire fubjecto aut non convenire. Vt fi,quia animali accidentario convenit effe genus,idem exiftimes convenire homini, cujus effentiale prædicatum eft animal,& fic argumenteris: animal eft genus: fed homo eft animal. E. homo eft genus. Huc fpectat paralogifmus ifte: Quod ego fum, tu non es; ego autem fum homo, ergo tu non es homo. Hic enim quod de rebus fingularibus feu individuantibus dicebatur,ad fpeciem transfertur. Scribit A. Gellius Lib. 18. c. 13. Sophiftam quendam fimili fophifmate ufum contra Diogenem, qui refponfi loco poftulavit, ut is a fe inciperet hoc modo: Quod tu es, ego non fum: tu es homo,ergo ego fophiftes non fum homo,fed forte beftia. Simile prioribus eft iftud: Quam emifti carnem,eam comedifti: crudam autem carnem emifti, E. crudam comedifti.

LXXVII. (2) Ejus quod dicitur *fimpliciter* & *fecundum quid*, nempe duplex: altera fallacia eft a dicto fecundum quid,ad dictum fimpliciter; cum ex eo,quod adhibita conditione dicitur, aliquid fimpliciter & abfolute dictum concluditur, ut in hoc: In Symbolo Athanafii: *Quicunque*, &c. continetur fides Catholica: Domini Proteftantes credunt,quod continetur in Symbolo Athan. ergo habent fidem Catholicam,E. Norimbergenfes infignia imperialia æque funt Catholici ac tempore Caroli IV. Altera eft a dicto fimpliciter, ad dictum fecundum quid,cum ex eo, quod fimpliciter loquendo verum eft, aliud conditionale falfum concluditur,ut in hoc paralogifmo: Res quævis fuo domino reftituenda eft: fed Petrus (furiofus) eft dominus hujus gladii, ergo hic gladius ipfi (hic & nunc in mania conftituto) reftituendus eft. Similis farinæ eft his difcurfus: Matrimonium non folum licitum eft cuivis,fed etiam præceptum a Deo in Gen. Ibi: Crefcite & multiplicamini. E. Monachis & quibuscunque, non obftante voto, licet convolare ad nuptias exemplo Lutheri: quafi vero votum folemne non foret æque impedimentum *dirimens*, ac *ligamen*: efto hoc fit divini, alterum humani tantum juris.

LXXVIII. (3) *Fallacia confequentis*, cum ex oppofito antecedentis colligitur oppofitum confequentis, hoc enim legitime non poteft concludi, nifi ratione materiæ,quando nempe argumentationes recurrunt in utramque partem, & hoc genus femper eft *ἀντιστρεφόν*, ut, corpus lumini oppofitum eft, ergo umbra eft: valet viciffim,umbra eft, corpus igitur lumini oppofitum eft. Secus obtinet in aliis. Hinc eft quod propofitio particularis negativa non convertitur *fimpliciter*

citer

vitur, nisi cum ejus universalis subalternans vera est, nec affirmativa particularis per *contrapositionem*, v. g. *Aliquis homo est Doctor*, ergo *aliquis non-Doctor est non-homo. Aliqua virgo profitetur religionem, ergo aliqua non-profitens religionem est non-virgo.* Possibile enim est omnes (tam moniales, quam non-moniales) esse virgines.

LXXIX. (4) *Fallacia petitionis principii*, cum ad probationem rei ignotæ, assumitur aliud æque ignotum & incertum, quod & circulum vitiosum appellamus, v. g. dum dicis, majus extremum esse illum terminum qui io conclusione prædicatur: & conclusionem directam esse illam, in qua majus extremum de minore extremo prædicatur: idem probas per idem, & priocipium petis, hoc ipsum enim est quod quæritur, vid. an in II. & III. Figura detur cooclusio indirecta? & unde cognosci possit, quæ conclusio dicatur directa vel indirecta, sive in qua prædicetur majus vel mious extremum? Sed in hoc persæpe peccamus (ut optime advertit Vir doctissimus apud autorem Phil. Burgund. hic in fine Tom. 1.) quod incognitum per aliud æque incognitum probare conemur: cum omois vera argumentatio ex percepto & cognito in obscuri notitiam nos ducere debeat: & tamen si plerosque syllogismos (quantumvis legitimos) severiori examini subjiciamus, id liquebit, majorem propositionem, quæ utplnrimum latius patet, oon secunda modo propositione, sed etiam ipsa conclusione esse obscuriorem. Interdum quoque inter argumentum seu medium, & extrema, aut nulla est, aut tenuis admodum connexio: hinc oritur illa cavillatio, quam transitionem a genere in genus dicunt. Vt, si ad ea, quæ sunt fidei, probanda, physicas rationes adhibeamus, quæ illustrare quidem theologicas veritates possuot, noo demonstrare. Si male quis demonstrationes mathematicas ad res politicas adhiberet. Atque hinc maxime usitata docitur

LXXX. (5) Fallacia *a non causa pro causa.* Verum hæc non tam cavillatio est aut sophisma, quam error, cum falsam effectui causam aptamus, id assumendo pro vera causa, quod tantum concomitanter, aut consecutive vel occasionaliter connexum est cum altero. Ex gr. Si Papa Leo X. non excommunicasset M. Lutherum, is oon combussisset Ius Caoonicum, neque pertinax in hæresi sua mansisset, &c. E. Pontifex fuit causa tantorum scelerum & ruinæ æternæ hujus pseudo-Apostoli. Aliud exempl. Si nullum tempus esset, nox non esset: si nox non esset, dies esset; si dies esset, aliquod tempus esset, ergo si nullum tempus esset, aliquod tempus esset. Item. Ebrietas est mala, ergo vinum est malum, unde oritur ebrietas. Item. Per Monachos multæ hæreses ortæ sunt (quod ipsum ne Clerici objiciant Mooachis, prohibetur in Extrar. comm. de Treuga & pace c. 2.) ergo monachismus non est tolerandus.

Sæpe etiam causam nimis remotam & generalem adducimus, ut cum metalla a sole formari decernimus. Omnino enim vitiosa est argumentatio, cum oullus est ratiooum delectus, cumque iis utimur, quæ nec doctiores oos efficiunt, oec rem, quæ probanda est, illuminant; cum peregrinas & communes, non proprias & rebus ipsis cognatas rationes adhibemus; cum denique effata quædam, aut axiomata ab omnibus concessa, prætermittimus, verum ad propositam quæstionem accommodari ea non possunt.

LXXXI. (6) Cavillatio a multiplici interrogatione proficiscitur: cum sc. plures quæstiones ita proponuntur, ut una & simplex videatur. Quæ quæstiones, cum unica responsione expediri nequeant, *systmata* vocantur. Vt si quis roget: An sol & terra moveantur? Exemplum habes de Menedemo, qui rogaoti, ao patrem cædere desiisset? apte respondit, nec cæcidi, nec cædere desii. Cum eoim ioterrogatio est multiplex, ea est dividenda, & uoicuique parti seorsim respondendum. Hujus generis interrogationes captiosæ tum solent nos decipere, cum gradatim aliquid additur aut minuitur. Nam in tenues & acutas rerum differentias intendi animus facile non potest. Hæc 6. Sophismata vocantur etiam argumenta non concludentia.

Est quoque alia deceptio in arguendo, quam Scotus in 3. dist. 37. q. - - - §. 3. vocat fallaciam figuræ dictionis, dum arguimus a particularibus determinatis ad universale indeterminate. Vt si dicas: die festo non teneor audire primam missam, nec secundam, &c. nec ultimam, ergo nullam. Tantundem concludit, ac si dicerem, nec hæc, nec illa penna necessaria est ad scribendum, ergo nulla. Item Deus non est coleodus hoc tempore, nec illo determinate, ergo nunquam. Ratio est, quia homo tenetur in his & similibus præceptis (divinis, aut humanis) disjunctive; in disjunctiva autem propositione altera pars debet esse vera, & possunt plures; & qui tenetur disjunctivo præcepto, debet facere, ut saltem semel obediat: & pluries poterit, nisi multiplicatio actuum novo præcepto interdicatur.

LXXXII. (7) Fallacia ignorationis Elenchi, hoc est, reprehensionis, contrarium oon concludit; quam ob causam a præcedentibus seorsim tractare volui, quem locum ut bene intelligas,

Observa, vocabulum hoc Græcum ἔλεγχος esse æquivocum, idem quod argumentum: dicitur enim aliquando, cum de argumento convincenti firma ratione disceptantem, ut nec contra hiscere possit, id quod præcipue fit in refutando. Vnde Rhetores dicuntur ἐλέγχοντες, qui rationes contrarias adversariorum refelluot; & qui possunt ea, quæ causæ suæ obstant, argumenta, reprehendere, diluere & confutare. Deinde sumitur pro concludendi genere. Est enim Ἔλεγχος ratiocinatio, qua aliquid efficitur, quod ei, quod propositum est, aut ab altero fuit affirmatum, sit contrarium. Quando igitur Sophista hunc argumentandi & convinceodi modum, more suo, id est subdolo & fallaci, imitatur, conaodo respondentem incautum vel imperitum rerum dialecticarum ad angustias eas redigere, ut contraria simul admittat; & interim noo observat leges & conditiones veræ & legitimæ contradictionis aut Elenchi, tunc dicitur committere *ignorantiam Elenchi*, v. g. aliquis neotericus ex Protestantibus sic arguit: Omnes animæ post extremum diem judicii erunt damnatæ aut beatæ, ergo animæ infantum sine baptismo decessorum erunt damnatæ, aut beatæ seu salvatæ. Non est forte dilemma, cum oon afferat membra divisum adæquate exhaurientia.

Finis autem, quem Sophistæ per hasce versutias assequi inteodunt, est, ut incautum responsalem inducant, aut ad concedenda contradictoria, & dicitur *Elenchus Sophi-*

Sophisticus; aut ad aliud manifeste falsum, sive ad paradoxum seu inopinabile quid respectu auditorum & circumstantium. Ita refertur de quodam Philosopho, qui cum Regem in suo sedentem throno genu flexo adorasset; mox regium & ipse solium conscendit, Regique assedit. Cum autem ob eam temeritatem a Rege objurgatus esset, respondit, arguendo hunc in modum: Vel tu Deus, vel tu homo. Si Deus es, jam te adoravi: si homo, non facio injuriam tibi assidendo: nec enim terra erubescit, quod alia terra prope ipsam sit; & pulvis pulveri adhæret. Cui Rex, acute retorquendo & invertendo pseudodilemma: Vel ego homo sum, vel Deus. Si homo, non leviter peccasti me adorando: si Deus, assidere non debebas, cum nulla sit inter Deum hominemque æqualitas.

LXXXIII. Hæc 13. sophismata sive fallaciæ (sex vid. in dictione, & septem extra dictionem) ad paucas lineas redigi possunt, hoc modo. I. Fallacia homonymias sive æquivocationis, *quando una vox, semel hac, semel illa significatione accipitur*, ut ita logice revera duo sint termini, ut: Deus est adorandus. Magistratus est Deus. E. II. Fallacia amphibolias sive ambiguitatis, *quando integra phrasis vel enuntiatio in diverso accipitur sensu*, ut: Qui soli Deo servit, veram habet religionem. Barbari quidam soli Deo serviunt. E. III. Fallacia compositionis, *qua dividenda componuntur*, ut: Aristoteles est Mathematicus, est item celebris. E. celebris Mathematicus. IV. Fallacia divisionis, *qua componenda dividuntur*, ut: Est malus Poeta, E. est malus. V. Accentus seu prosodiaca, *qua vocabula, quæ tempus & spiritum simul, ac significatum diversa, vel quod alii addunt, pronuntiandi modo variantem dicti sensum captiose invicem confundit*, ut: Populus est major pars urbis; populus est in sylva. E. VI. Fallacia figuræ dictionis, cum quis ob apparentem similitudinem, pronuntiatum aliquod sequius, seu alieno sensu accipit, sive similitudo illa & deceptio sit Grammatica, sive Dialectica magis. VII. Fallacia accidentis, *quæ id, quod per se, & id, quod ex accidente verum est, captiose confundit*, ut, vinum *ἀσωτίαν* parit. E. est malum. VIII. Fallacia dicti secundum quid ad dictum simpliciter, vel contra; *quando ab eo, quod certo solum modo & respectu, atque sic limitate dicitur, ad simpliciter, h. e. citra respectum illum & illimitate dictum, aut vice versa, concluditur*, ut: Æthiops est albus qua dentes. E. Est albus. Obediendum est parentibus, E. & jubentibus peccare. IX. Fallacia ignorati Elenchi, *qua committitur, cum conclusio thesi, quam quis redarguere intendit, apparet solum contradictoria, revera autem non est, ob violatas nempe justæ contradictionis leges*. Sic elenchum ignorant, qui probare parant, Jurisprudentiam esse habitum, cum quæritur, an non in via doctrinæ, disciplina vel methodus rectius definiatur? X. Fallacia petiti principii, *cum vel ex ipsamet data quæstione petitur probatio, vel aliquid per æque dubium probatur*. XI. Fallacia consequentis, *cum falso consecutio habetur reciproca, aut, ex negatione antecedentis infertur negatio consequentis*, ut: Si pluit, terra madet; E. si terra madet, pluit. Si pluit, terra madet; E. si non pluit, terra non madet. XII. Fallacia non causæ, ut causæ, *cum falsa syllogismi conclusio imputatur præmissæ non fonti, sed insonti*, ut: si quis, me ponente hanc thesin: Omnis virtus est laudabilis; subsumeret sic: Pseudopolitica comitas est virtus. E. laudabilis; & hoc falsum adscriberet meæ thesi. XIII. Fallacia plurium interrogationum, *cum data quæstio, vel conclusio, diversas omnino theses captiose miscet*, ut, solusne ignis inter elementa generatur? Verum enim vero commodius & rectius fortassis priores 6 ceu ad unum omnes subdolo 4. terminorum vitio infames, ad unam; posteriores autem 7. ad duas revocaveris classes, utpote, quæ vel conclusionis & quæstionis, vel antecedentis & præmissarum a parte sic decipiunt.

LXXXIV. Finio hanc sectionem curiosa & jucunda historiola. Accidit eo tempore, quo acutissimus D. Caramuel agebat Pragensis Archiep. Eminentiss. D. Card. ab Harrach officialem, publicæ interesset disputationi in Universitate ibidem, in qua defendebatur hæc thesis: *Illa sententia est probabilis, quam 4. Doctores defendunt*. Contra quam Caramuel sic argumentabatur: „Per vos quatuor Doctorum sententia est „ probabilis, ergo & unius: probatur sequela. Quid- „ quid testantur 4. Doctores, est probabile: sed ad proba- „ bilitatem non requiri 4. Doctores, sed unum omnino „ sufficere, quatuor testantur Autores (imo viginti aut „ plures) ergo opinio unius autoris est probabilis. „ Ita refert ipsusmet in sua Theol. regul. Disp. 6. num. 53. & addit Theol. fundam. num. 448. edit. 3. Lugdun. Hæc ratio solutione hucusque caruit.

Audivi quidem D. Emmanuelem Monast. in Salem Abbatem, virum alias raræ eruditionis & eloquentiæ prædictum Caramuelis syllogismum dixisse sophisticum, sed non potuit ostendere vel unam ex 13. in eo. Equidem non dubito econtra pronuntiare apodicticum *ad hominem*, evidenter & fortissime concludentem. Scio inter propositiones ab Alexandro VII. proscriptas Ao. 1665. fer. V. die 24. Sept. fuisse hanc num. XXVII. *Si liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a sede apostolica tanquam improbabilem*. Cui si velis esse æquivalentem illam, quam in suo argumento infert Caramuel, adeoque interdictam: idem dicam de tua thesi: *Illa sententia est probabilis, quam 4. Doctores defendunt*, quia infert paritque priorem: hinc si consequens est falsum, igitur & antecedens: falsum enim ex vero non sequitur. Illaque sententia, quæ expresse damnatam ex se gignit, implicite quoque reprobata censetur, diciturque antiquata. Vide Joan. de Cardenas Crisin Theol. edit. Coloniæ Ao. 1690. pag. 59. Sed de his satis.

TRACTATUS XIII
DE
ATOMIS, EORUMQUE EFFLUVIIS.

I. NOn est nostra intentio, hoc loco definire, num omnia constent ex atomis meris, tanquam principiis, sed in Tract. de Continuo, & de Materia id discutiemus. Hic solummodo sententiam Democriti & Epicureorum referemus, & quid nomine atomorum intelligamus: tum de effluviis corporum occultis & mirabilibus agemus; non quod omnes effectus, quos occul-

occultis adscribere solent Peripatetici vulgares, qualitatibus, per illa velimus explicare, sed quamplurimos. Nam Pnevmocosmici, ut omnia Naturæ mirabilia adæquate possint explicare, præter Spiritum mundi, qui est omnium operationum causa effectiva, & ideas, quæ sunt causæ exemplares Spiritus mundi determinatrices, docent, a singulis corporibus quædam effluvia promanare, quæ non parvum sunt Naturæ miraculum (sive sint accidentalia, sive substantialia). Qualia sunt *vapor*, qui est humida, & *fumus*, qui est sicca exhalatio; quæ duæ exhalationes adeo interdum tenues sunt ac subtiles, ut sensum omnino effugiant. Et plura longe invisibiliter ac insensibiliter, quam manifeste ac sensibiliter a corporibus emanant. In nobismetipsis longe plus occulte ac insensibiliter exspirari aut transpirari, quam sensibiliter exerni, communis tenet Medicorum opinio. Experientia nos edocuit, ait Robertus Boyle, quod Transpirationis insensibilis (qua corpus unum unius diei spatio, 4 vel 5 libras materiæ excrementiciæ deponere potest) promotio aut suppressio sanitati plurimum conferat, aut obsit. Dicitur autem Perspiratio ille halitus invisibilis (ut loquitur Sanctorius) qualis e corporis poris in hyeme uno die naturali ad 50. uncias & ultra exhalare potest. A somno, ante excretionem sensibilium excrementorum homo fit levior 3. libris circiter. Spatio unius noctis 16. unciæ lotii plus minus; 4 cunctorum excrementorum per alvum; 40 & ultra per occultam transpirationem evacuari ut plurimum solent. Pluribus unica die naturali plus transpiratur, quantum per alvum 15 dierum cursu. Æstate corpora temperata leviora sunt 3. lb. circ. quam hyeme. Hæc Sanctorius. Sed de his inferius.

SECTIO I.

De Atomis, earumque affectionibus.

II. Democritus & Asseclæ Epicurei, cum viderent Peripateticorum opinionem de materia prima, quod nempe sit pura potentia, non subsistere, recte senserunt, Materiam esse quid, & quale, & quantum in actu, & non meram potentiam: attamen actu passivo, materialique: imo nec dederunt causam ullam agentem, sed materiam agere. Vtque id faciant, dicunt in minutissima corpora esse naturaliter partitam, quorum quodlibet indivisibile: omnis enim resolutio ad indivisibilia terminatur: alioquin ex æque infinitis partibus constaret milium, atque elephas, & mundus, si in infinitum abit divisio. Corpus autem componi ex his, in quæ resolvitur, consentaneum est. Si autem non esset finis resolutionis, sed divisio in infinitum abiret, tunc oportuit aliquando fuisse divisa in immensitate seculorum omnino, ergo in nihilum acta. Ergo si ex ipsis penitus divisis res factæ sunt, ex nihilo omnino factæ sunt. Quidquid enim totaliter omnino & undique divisum est, illud nihil est: divisio enim annihilat; unio entificat res. Nunc autem, neque ex nihilo, neque in nihilum res mutari videmus, sed certis e rebus atomis, quas in radio Solis domum penetrante contuemur, & in apicibus spinarum & acicularum, in quos indivisos si desinit figura, facile credendum est, in tales atomos resolvi, nec amplius ultra. Natura enim semper stat ex corruptis reparans entia: corrumpi autem penitus non possunt, alioquin nihil posset ex eis ad nihilum actis fieri: nec ex non corporibus corpora. Inane enim spatium corpus non est; tale autem est, quod omnino divisum est.

Oportet enim, addunt Democritici, reperiri inane, alioquin non esset motus, nec mutatio rerum: si enim non esset, compacta essent omnia corpora in unum, nec quo ferrentur, haberent: nec ergo fieret disgregatio, & congregatio, quæ localis motus species sunt, & generationem, & corruptionem & alterationem constituunt ex concursu vario, & ordine & positione minimorum: hoc autem faciunt ictibus: ictus ex ponderibus, & agitatione in vacuo. Ergo nulla requiritur causa activa (ajunt) cum omnis actio sit localis motionis species: localis autem motio ex atomorum pondere satis est, ut fiat intra vacuum, præbens commoditatem.

Quoniam vero intelligebant Democritici, non posse fieri rerum agglutinationem compositionemque, si atoma sint nullius figuræ, figuras eis dederunt multigenas, & angulos & uncinos, quibus complicentur in unum: dissolvuntur autem ictibus ab extra illatis: & quoniam penetrant & penetrantur concretiones atomorum in invicem agentium: propterea alias res ex atomis acutis, & minutis componi, ut ignis; alias ex obtusis, ut tellus; alias ex hamatis, ut lapis & omnia dura; alias ex rotundioribus, ut liquores molliores que res. Mare autem qua fluidum ex lævibus, qua amarum ex asperis atomis.

Hæc itaque solent Epicurei cum Democraticis in atomorum structura distinguere, figuram, situm, ordinem, magnitudinem & motum. Innumeras esse atomorum figuras, multis argumentis probant. Primo enim hinc summa rerum varietas ducitur, ac plurimæ qualitates explicantur. 2. id veritati proximum videtur, pleraque corpora, ac sales inprimis certam affectare figuram, quod atomis consimilis figuræ constent; idque luculento satis experimento confirmari potest.

Nam si salem communem, nitrum, seu salem petræ, alumen, & alios sales in vas aqua plenum conjicias, tum leni calore aquam evaporari sinas, sales omnes separatim in fundo & lateribus vasis concrescent, adeo ut similes cum similibus consocientur, & nativam quæque vel minutissima granula figuram tueantur. Ea est enim constantissima naturæ lex, ut res unaquæque sui similem quærat. Sic marini seu communis salis grana cubicam figuram, aluminis octaedricam seu octo facies easque triangulares, salis petræ particulæ consuetam figuram pyramidi fere similem exhibebunt. Imo si vel gutta salsa sensim exhaletur, salis velut atomos figura cubica instructas microscopio intueri licebit: adeo ut id satis verosimile videatur, atomos ipsas certis figuris addictas esse, quas majora quoque corpora constanti naturæ lege tuentur

Verum autem ex iis atomis quædam sint læves, aliæ asperæ; quædam velut hamis & uncis instructæ, ut fingunt Epicurei, res est tota in conjecturis posita: nos ea in medio relinquimus.

III. Nos atomos (vel atoma) vocamus minutissimas partes, ex quibus unumquodque corpus componitur: insectiles quidem sunt, hinc enim nomen suum duxere; non tamen sunt puncta, ut vocant, mathematica, omni extensione destituta: puncta sunt physica suis figuris circumscripta. Sunt itaque

atomi,

atomi, si minus insectiles, saltem indivisæ. Quomodo autem hi AA. generationem ex atomis explicent, suo loco dicetur. Quæ cootra atomos objici solent, perpendemus in Tract. XIX. de Continuo, ubi ostendemus, illud non esse in infinitum divisibile, ut vulgo tradunt Peripatetici cum suo Aristotele; sed tandem resolvi in partes minimas, quocunque nomioe ex partes appelleotur. Hinc enim magna in animis nostris fit confusio: quæ ut penitus auferatur, quædam prævi ex insigni Mathematico P. de Chales hic annotare placuit.

IV. Primum itaque id prudeoter observat, puncta Mathematica cum Zenonicis male confundi. Zenonis puncta sunt partes quantitatis omnium minimæ, quæque indivisibile spaoum occupant, adeo ut ne per mentem quidem dividi possint. Punctum vero Mathematicum illud est, cujus pars nulla concipitur. Nam quæcunque pars quantitatis sumatur, dummodo ejus partes ooo distinguamus, aut ab iis mens abstrahat, punctum mathematicum vocitant, sive revera partes habeat, sive noo: id enim nihil ad Geometram pertinet, qui partem quantitatis coosiderat indivisibiliter, hoc est, sic eam concipit, quasi ex partibus non constaret. Vulgo igitur id puncti oomine intelligimus, quod magnitudinem sensibilem non habet. Sic ubi Circulum describimus, punctum erit æquale cuspidi circini, & circulos erit eo perfectior, quo cuspis circini erit acutior: sed ea quantulacunque est magnitudo, a nobis non inspicitur: quamvis nulla sit linea expers latitudinis; eam tamen licet cogitare sine latitudine. Quin & Astronomis licet terram cum firmamento collatam ut punctum Mathematicum supponere, cum sensibilis non sit illius magnitudo: idque verum est ex suppositione mathematica & comparate, noo absolute.

V. Nec aliud concludi potest ex demonstrationibus Mathematicis, quam dari puncta, lineas mathematicas, imo ex iis continuum conflari: & quod magis mirandum est, contrarium ex iis colligitur, nempe divisibilitas in infinitum. Quæ utique omnia vera sunt ex hypothesi: si nimirum definitiones, & Postulata Geometrarum admittamus, noo absolute. Vtrum autem puncta quædam sint omnino indivisibilia, aut non alia quam physica, id decernere ad Geometram oon pertinet: Is enim circa idealem quantitatem, non ut est in materia, aut in rerum natura, occupatur. Secus Geometra ipse contradictoria demonstraret, dari nim. puncta Zenonica, cum circulus rectam lineam in puncto tangat: ac simul, non dari puncta, hinc demonstrat, quod quædam lineæ sint incommensurabiles. Nam si dantur puncta Zenonica, omnia ex iis constare demonstratu facile est. Quod si ita sit, punctum illud erit communis & minima omnium mensura.

2. Quamvis puncta mathematica, in sensu mox explicato, admittantur: Demonstrationes tamen Mathematicæ neutri opinioni favent. Non iis, qui Continuum ex punctis Zenonicis constare volunt: neque iis, qui illud in infinitum dividi posse contendunt. Cum enim v. gr. demonstrat Geometra circulum a recta linea, aut perfecte planum a globo in puncto tangi: id verum est de puncto mathematico, noo de puncto Zenonico. Atque id punctum mathematicum est revera divisibile, sed ut tale non considernatr. Est enim æquale cuspidi circini, & circulus est perfectus, cujus partes æqualiter distant a centro, seu a puncto medio: quod licet sit revera divisibile, fit tamen abstractio ab illius partibus, & sumitur indivisibiliter. Hæc de Atomorum natura dixisse sufficiat. Nunc ad earum effluvia transeamus.

VI. Dicendum occultas & actuosas qualitates ad effluvia atomorum magna ex parte referri posse. Probatur 1. Qui enim paulo attentius perpenderit, quos stupendos effectus vel gratissimi odores in plerisque hominibus, & maxime in mulieribus hystericis procreent, minus forte mirabitur si odor fracidus, qui ex locis paludosis, aut fluminibus, quæ maris æstus alluit, aut ex terræ antris, aut ex insepultis cadaveribus exhalant, & spiritus naturales deprimant, & sanguinem ipsum adeo conturbent, ut morbi pestilentes inde nascantur.

2. Quod occultæ qualitates magna ex parte ad effluxus substantiales sint referendæ, ex atramento, quod magicum vocaot, noo mediocriter confirmatur. Varius id modis parari solet: hic autem est vulgo ootissimus. Aceto distillato, quantum fere scyphus capit, lithargyrus argenti infundatur, per octavam horæ partem ebulliat; postquam frustum calcis vivæ itidem infusum per 24. horas fuerit in vase fictili & plumbato: ambo hi liquores separatim filtrentur, qui pellucidi futuri sunt. Priori aqoa, seu aceto distillato utendum tanquam atramento, adeo ut characteres exsiccata aqua evanescant. Qui epistolam accipit, spongiam aqua secunda, seo calcis vivæ imbutam chartæ leviter admovet: imo si recens fuerit aqua, admota spongia solo velut aquæ odore aut vapore characteres statim se produnt, idque citra contactum. Verum id optime succedit cum auripigmentum (de l' orpin) calci vivæ incoquitur. * Vix enim inficiari ausim, quin vel a solidis corporibus tenuissimum quiddam exhalet, quod sanguinis & spirituum motum mutare possit.

3. Infinita in hanc rem experimenta afferri possent, quibus id, quod volumus, omnino confirmatur, nempe complures occultas qualitates nihil esse nisi subtilia quædam effluvia, qoæ ex omnibus corporibus erumpunt, quæque vim suam tuentur, & corporis, ex quo effluxerunt, naturam. Sic ex ipso hydrargyro tenues halitus & invisibiles exeunt, ita ut aurifices aurum ore gestent, ut auro halitus mercuriales adhærescant, dque suo colore inficiant. Imo in eorum capitibus, & aliis corporum partibus interdum guttulæ hydrargyri reperiuntur. Quanta sit odorum subtilitas, quam late spargantur, & quam pertinaciter naturam suorum corporum retineant, non alii magis noruent, quam veoatores. Si credimus Bontekoe Oeconom. animalium pag. 64. Mosci granum dimidium potest fragrantia sua aliquot hominum millia inficere sic, ut alia millia his obviam facta dignoscant Mosci odorem, & rursum inficiantur. Quæ quidem effluvia explicari solent per atomos, multo subtiliores illis, quas in radio solari locum obscurum penetrante, & in crassiore nebula quandoque videmus. Vide seqq. experimenta, infra oum. VIII. Supplem. 11. Prænotandum 10. &c.

SECTIO II.

Asseruntur varia effluviorum experimenta.

VIII. Datur fungus quidam cadaverosus, cujus foeto-

fœtorem homo percipit, tametsi plurimis distans passibus. Animalium quoque cadavera per longissima terrarum spatia plurimum fœtoris exhalant, quem, commisso semel in Græcia prælio, ad quingenta milliaria, aquilæ, corvi & vultures persensisse & ad illa depascenda longinquis e regionibus advolasse scribuntur. Odorem felicis Arabiæ, & hispanici rosmarini, ad aliquot milliaria a litoribus distantia percipi testantur, qui maria illis regionibus vicina sulcarunt. Notum est, ventos easdem qualitates secum vehere, quas habent loca etiam remotissima, ex quibus veniunt.

Talia effluvia dimittunt feræ, ut lepores & vulpes, in suam perniciem. Leporem transcurrisse aliquem locum, longo post tempore canis odoratur. Venatores quoque, vulpis odorem, diu post vulpis discessum persentiscunt. Quilibet homo de suo corpore plurimum transpirat, ut ante diximus; hinc canes dominos suos odore solo norunt discernere. Vt canem tibi reddas familiarem, frustillum panis sub axilla tua calefieri sinas, & cani devorandum da, & inseparabiliter tibi adhærebit.

Fuit aliquando Pragæ religiosus quidam, qui solo odoratu omnia norat explorare, & instar sagacissimi canis discernere, a qua persona ex plurium adstantium numero res aliqua vel levissime fuerit contacta. Talia etiam effluvia, & quidem sat mordacia, exhalant cepæ, nasturtium, raphanus rusticus, & alia vaporosa, ita ut etiam oculos satis quandoque remotos offendant.

Londini ex carbonibus fossilibus, quibus Angli focos instruere solent, tanta multitudo atomorum in aërem se diffundit, ut instar nigri pulveris omnia obtegat. Magis per unum diem collaria, & alia lintea dicuntur sordescere, quam alibi per decem dies; similiter utensilia splendida & pulchra brevi tempore aër ille fuliginosus obscurat & livore obducit; quin etiam vestes in cistis abditas & conclusas nigredine inficit; humanis quoque pulmonibus non parvam creat pestem. Hinc dimidia fere Londinensium pars peripnevmonia vel phthisi perire dicitur. Si ægri Parisios abeant, mutato aëre statim convalescunt.

Probant nonnulli atomos aëreas ex eo, quod dolio superius bene operto, aliquot nihilominus guttæ per epistomium effluant, quarum locum illis atomis censent impleri. Igneas dicunt imprimi corporibus adustis, ad quas extrahendas adusta membra flammæ solent admoveri. Terreas videtur continere, non tantum aër, sed quævis aqua, maxime pluvia, in qua post aliquot tempus solent visibiliter subsidere. Aqueæ implent & cogunt rimas, quas vasa lignea in sicco aëre acceperunt.

Per eadem effluvia optime nonnulli videntur explicare, quomodo feles & canes per multa quoque milliaria domum redeant, quamvis antea viam non cognoverint; & maxime, quomodo apes absque ulla semita a locis distantissimis ad sua quotidie revolent alvearia. Imo sunt, qui cum Digbæo asserunt, aërem nihil esse aliud, quam confusionem similium effluviorum & corpusculorum, quam terræ atmosphæram vocant: ubi tamen partes aëreæ prædominentur. Rationem dant, quoniam nullum elementum purum & homogeneum reperitur: nam ignis externus & lumen agens ex una parte; tum calor internus cujusque corporis agens ex altera parte, miram in singulis commistionem faciunt. Verum his experimenta chymica refragantur: siquidem in distillatione ea, quæ ignis vi sursum pelluntur, rursum gravitate sua huc relabi cernuntur. Vnde Philosophi atmosphæram non nisi ad pauca milliaria extendi volunt, idque per crepuscula Astronomi demonstrant.

Asserunt quoque, illa ex omnibus omnino rebus emanare, non tantum ex mollibus & vaporosis, sed etiam ex duris, quales sunt gemmæ, aliique lapides: quod probare videntur amuleta, quæ sola gestatione multum quandoque prosunt & mirabiles causant effectus. Dixi *quandoque*, quod enim refert Kircherus, & a multis confirmatum est, in Sinensi Regno multos esse serpentes, quos Lusitani pileatos vocant, quod cutem habeant in capite prominulam, & in his lapillos reperiri, qui in pulverem contriti cum terra sigillata aut Melitensi misceri solent, eosque vulneri venenoso adhærescere perhibent, & virus omne exsugere, donec velut sua sponte lapilli a vulnere excidant, tumque in lacte positi expurgantur. Id tamen valde dubium & incertum putat Autor Phil. Reg. Burg. ubi & multa, quæ de appensis seu amuletis referuntur: cum varia circa eos lapillos facta sint experimenta in Academia Florentina, quæ promissis non responderunt. Ex quo tamen non infertur, omnia esse vana, multo minus superstitiosa; potest enim per accidens impediri subinde effectus, prout in omni probatissima etiam medicina.

Rubinus ab homine portatus venenis resistit, & animum exhilarat. Similiter Sapphirus pesti & febribus malignis adversatur, arteriæ applicatus febrilem æstum imminuit; cardiacos etiam & melancholicos affectus sola gestatione tollit. Sardius quoque lapis gestatus animum exhilarare dicitur, timorem pellere, venenis & fascino adversari. Chrysolithus melancholica & molesta insomnia, terroresque nocturnos abigit.

Lapis Lazuli amuletum esse creditur contra syncopen & abortum, e collo suspensus, oculorum quoque aciem roborare, ac serenare vitales spiritus. Granatus cor confortat; similiter Smaragdus & Hiacynthus, qui etiam a peste hominem præservant. Uniones castitatem adjuvare creduntur. Et hoc lapides illi omnes præstant, non contusi aut intro sumpti, sed gestati duntaxat. Aureis annulis tribuunt non pauci virtutem recreandi cor: non videtur eadem esse neganda crudis auri foliis, quæ quidem cordialibus medicamentis admisceri multi perperam rident, credentes corpus adeo solidum, nec tantum ventriculo, sed etiam ignibus invictum, nihil de se in sanitatis commodum spiritibus vel sanguini posse communicare.

Lapis Turchesia sola gestatione hominem a casu præservare creditur, vel saltem a damno seu fractura, quam per casum incurrisset. Quod idem multi asserunt de lapide Malachite, qui etiam tempore casus frangi dicitur, corpore ferentis illæso. Idem aliqui cum duobus vel tribus dactylorum nucleis expertos se fuisse testantur.

Lapis Nephriticus contra nephriticos dolores, calculos & arenas, coxendici alligatus, vel collo appensus gestatur; nonnulli etiam armillas inda sibi fieri curant. Chrystallus contra vertiginem portari solet.

Amethystus similiter portatus ebrietatem arcere creditur.

Rubra corallia præclarum sunt amuletum contra fascinationes, terriculamenta, incantationes, spectra, dæmones & fulmina; item contra immodicos mensium fluxus, & gonnorrhæas. Colorem quoque mutare dicuntur præsente vel instante morbo.

Globuli ex succino annecti solent occipiti contra oculorum defluxionem. Collo gestati destillationes in guttur prohibent. In quem finem etiam annuli Mercuriales a quibusdam gestari solent.

Hæmatites vel Chrysolithus corpori alligatus sanguinis fluxum sistit. Item bursa pastoris gestata, vel bufo debite siccatus & manu detentus usque dum incalescat. Idem scribitur de Jaspide, usnea cranii humani, & radice pentaphylli. Ossa quoque sirenum manu duntaxat gestata, quoscunque sanguinis aliorumque humorum fluxus, miraculosa quadam vi sistere dicuntur, uti & Veneris desideria retundere.

Si quis oris extremitatem, desumptam a quodam animalculo, quod reperitur in Iava insula, nomine Cabim, aut lapidem ex aliis quibusdam bestiis, quæ a Sinensibus Cabrisiæ vocantur, apud se habeat: quantumvis corpus ejus multis confodiatur vulneribus, nec guttam tamen sanguinis emittit. Econtra si caudæ pavonis pennas deferentem cruentari contingat, sanguinis fluxus cohiberi non potest.

Quidam ab aspide percussus, utrem aceti ferens, quoties illum deponebat, sentiebat ictum, alias illæso similis; tantam vim habuit in dolore vulneris leniendo acetum forinsecus portatum. Quo deinde in substantia adhibito plene convaluit.

Vulgo creditum est, viperæ & aliorum animalium morsus, ex sola ira esse venenatos, adeo ut partes omnes sint veneni expertes, quod cum carnibus permistæ a canibus impune devorentur. Sed, ut pluribus demonstravit D. Redi Florentinus, viperæ vesiculas habent in dentium radicibus aut gingivis humore quodam flavo refertas, qui potus non nocet: sed ubi carni exulceratæ admovetur, & venas subit, sanguinem inficit & coagulat. Sic spiritus vitrioli potus in parva admodum dosi, adeo non obest, ut plerumque multum prosit: verum ubi per venas animalium infunditur, statim id enecat. Sanguinem enim, ut acida quæque, figit & coagulat.

Annuli ex cornu vel ungulis bubali gestari solent contra spasmum, ex ungula vero alcis confecti contra epilepsiam: a qua etiam hominem præservat pæoniæ radix, certo tempore fossa, & grana de collo suspensa; uti & carbo sub artemisia circa solstitium in Festo S. Ioannis Bapt. repertus, parienti appensus, & in pulveris forma exhibitus. Pollex quoque iyncis ex pede dextro, argento vel auro inclusus, a spasmo & epilepsia gestantem creditur præservare.

Alii pro insigni antileptico commendant lapidem chelidonium brachio vel collo appensum; qui etiam ita gestatus oculis conferre scribitur. Qui bufonitem gestant, tuti sunt a veneois.

Secundina cati primipari e collo suspensa, valere dicitur ad oculorum affectus. Idem scribitur de radice taraxaconis introrsum per fossam subtus factam extracta. Alii radices morsus Diaboli, numero circiter quinque, luna decrescente effossas, parentibus ad collum appendunt, & curant spatio 20 dierum quoscunque oculorum affectus, etiam periculo cæcitatis conjunctos: primis tamen diebus pressuræ quædam sufferendæ sunt & dolores. Radix rutæ appensa oculos puerorum in morbillis a cæcitate præservat.

Oculus dexter ursi exsiccatus infantibus contra terrores nocturnos appenditur: quos etiam arcet asini pellis culcitræ loco supposita.

Cingulum ex pelle lupi confectum & corpori applicatum, ita ut pili ventrem tangant, colicam abigit.

Contra lumbricos adhiberi solet cingulum, quod transgressa est Salamandra.

Radix pseudoiridis contra dyssenteriam; amaranthus luteus contra lumbricos e collo suspendi solet; artemisia contra lassitudinem; chelidonia contra icterum pedum plantis supponi.

Verbenæ radix e collo suspensa capitis dolores sanat. Vermiculi ex dipsaco e collo similiter gestati quartanam arcent, uti & araneus collo vel lacerto appensus.

Radix Valerianæ amuletum est febris quotidianæ; radix taraxaconis tertianæ; radix fœniculi atrophiæ mederi dicitur.

Contra incantationes insigne creditur periapton officulum cruciforme capitis ex lucio. Contra spectra multi portant radicem crinitam herbæ victorialis. Non pauci contra magias ad nudam carnem deferunt lignum taxi.

Contra melancholiam, terrores & magias, nonnulli accipiunt nucem avellanam foraminosam; hanc debite a sordibus evacuant; deinde imponunt unum speculum de cauda pavonis minutim concisum: reliquum spatii mercurio implent; foramen cera virginea claudunt. Nucem sic præparatam, & serico charmesino insutam in collo deferunt.

Hæc quidem, tametsi non omnia, expertum semet fuisse testatur Reverendissimus & Doctissimus D. Hieron. Hirnhaim Abbas Ord. Præmonst. Pragæ in monte Sion vulgo Strahow, in suo Typho Gen. hum. cap. 14. cum hac censura, se falsitatis, aut quod peius, diabolicæ artis, nolle condemnare prædicta, cum nihil in illis superstitiosum videatur usurpari, & omnes præfati effectus per effluvia corporum, quæ pro amuletis gestantur, salvari possint.

Magis autem miratur vitrum antimonii, quod plurium annorum infusionibus, nec de pondere, nec de virtute quidquam perdit, ut non immerito pocula illo incrustata, a nonnullis pocula æternæ virtutis appellentur. Placet subiungere ingeniosos ejusdem versiculos

Effectus miri toto cernuntur in orbe:
Omnia sunt atomis, omnia plena tomis.
Vera quidem e cunctis manant corpuscula rebus:
Multa sed ingeniis dogmata falsa fluunt.

Hæc quidem, & his similia quam plurima sat commode per effluvia atomorum salvari & expediri possunt; sed restant æque multa, v. g. cura sympathica unguenti armarii &c. ubi hæc explicano locum non habet, uti patebit ex dicendis in Tract. 37. de Magnetismo. At nostri ævi consuetudo obtinuit, ut quod ratio non capit, etiam non esse velint.

Sane satis temere faciunt illi, qui oscitantiæ & levitatis animi arguere non verentur Viros longe doctissimos & circumspectos, cum ipsi nihil horum ex-

per-

periti sint. Semper enim major autoritas (cæteris paribus) esse debet illius, qui aliquid affirmat ob experientiam, quam qui negat ob solam rationem. Neque enim verosimile est, viros tantæ dignitatis, doctrinæ & probitatis, aut decipi potuisse, aut alios decipere voluisse. Qui autem ex ratiunculis e vulgari Philosophia petitis, experimenta ejusmodi, & remediorum talium vim dissipare conantur, similes sunt Zenoni, qui motum localem e medio se tollere putabat: quoniam si motus esset, id quod velocissimum est, assequi non valeret tardissimum. Diogenes vero, qui rationes Zenonis solvere nesciebat, tum assurgens & deambulans: ecce, inquit, moveor!

IX. Istud coronidis loco adjungo, singulas Regiones suas atomos habere sibi proprias, a quibus majori ex parte morbi endemii ortum habent.

Quod autem de fragrantia rosmarini hispanici narratur, quod videlicet duobus aut tribus diebus priusq; Hispania in conspectum veniat, odor naribus percipiatur, non aliter, quam si avulsus ramus rosmarini manibus teneretur: ab atomis per spatium 30 aut 40 milliarium extenuatis provenire, non est rationi consonum; verum quod aër illo odore imbutus eo usque flatu propellatur. Vnde etiam vestigia a feris relicta ea ratione dissipantur, ut non nisi recentia, aut dum aër a ventis silet, neque extra illam viam, quam a pede suo fera signavit, a canibus deprehendi valeant. Simili modo vultures a 200 & 300 milliaribus advolare dicuntur odore cadaverum illecti; non quia halitus eo usque se extendit, sed quia aëri permixtus una cum illo a ventis defertur. Similiter contagio ex una regione in aliam serpit: quam Græciæ imminentem Hippocrates ab illius finibus propulsavit.

TRACTATVS XIV
DE
BRVTIS.

I. HOc tractatu excutiemus diligentius, an perceptio seu cognitio sensusque ita sit animæ rationali proprius, ut ad bestias nullo modo pertineat. De quo quidem nunc temporis magna contentione certatur. Sunt enim Philosophi moderni in 3 velut partes distracti. Qui Cartesium sequuntur, omnem omnino cognitionem, imo & sensum bestiis adimunt, easque ut machinas, seu automata a summo artifice elaborata considerant. Cornelius Bontekoe, medicus insignis, in sua Oeconomia animalis n. 25. hæc habet: Quid sit sentire, dici non debet, quia nemo id ignorat, nisi fuerit omni destitutus sensu; atque hunc si docere velis, quid sit sensus, laterem lavabis: sed ex Metaphysica notum est, non corpus, sed mentem sentire, quia sentire est cogitare, cum nemo sentiat, quin sentire se sciat, & qui sentiat, eo momento sciat; at vero cogitare, scire vel conscium esse, mentis, non corporis est. Verum mens non sentit, antequam organa sensuum suo funguntur officio: hoc autem quodnam sit officium, & quali id modo contingat, præter unicum Cartesium nemo, vel scivisse vel quæsivisse videtur; sed ingenio & fictione hic magis valet nobilis ille vir, quam vera explicatione; involutus enim veteri illi errori, quod conarion aliquod seu sensorium commune requireretur, & alii forent sensus externi, alii interni, quæ distinctio nullius est (momenti) & mater maximæ confusionis gravissimorumque errorum. Hæc ille. En quomodo laudem magistri unici, & encomium mox obnubilet intra paucas lineas! Non legerit Bontekoe Thomam Campanellam, qui multo ante Cartesium doctissime animæ sensitivæ functiones explicuit: nec contemporaneum sibi Leonem a Stipite, medicinæ ac chymiæ expertissimum: sed sit illi exotica sua Metaphysica, ex qua complura deduxit paradoxa, quæ meus intellectus non capit. Alii econtra non cognitionem modo, sed & rationem brutis tribuunt; quid verosimilius nobis appareat, seqq. sectionibus trademus.

SECTIO I.
Atomistarum opinio refutatur.

II. Horum sententiam fuse refert & refellit R. P. Balthasar Stromayr S. I. ex cujus thesibus elegantissimis desumpsi, quæ sequuntur. Non alia, inquit, in atomistarum principiis naturalium rerum generatio est, quam atomorum diversa combinatio atque coagmentatio. In simplicium equidem inanimatorumque productione non perinde magnas Democriticis Cartesianisque occurrere difficultates, non abnuam, plantarum vero ac animalium generis, quo pacto expedire atomi possint, non facile quisquam dispiciat.

De plantis expendamus nonnulla. Est vero in illarum ortu, quod non parum Atomistis favere posse. Quædam enim non raro plantæ sponte nascuntur, radice nulla, nulla stirpe, nullo semine prognatæ. Asarum, sive sylvestre nardum e maris nonnunquam excrescit. Quædam Adianti species prope puteos progerminat. In Lybia Laser, in Creta Cypressos, e diversis terris, virginibus ut vocant, nullo impregnatis plantarum semine, diversas tamen plantarum pullulare species, Theophrastus autor est. Farris spicam e mulieris naso, hederam e cervi cornibus, platanum aliquando ex æneo tripode procrevisse, Dioscorides, Plinius & Plutarchus memorant. Quæ vero tam fortuitæ generationis melior, quam fortuita causa, fortuitus nempe atomorum recte consentientium occursus atque conjunctio assignari queat?

Nempe, ut ait Antonius le Grand histor. natur. parte 7. art. 6. generantur plantæ absque radice aut semine, dum insensibiles terrestris materiæ partes in superiori terræ crusta a subtili materia agitatæ, talem figuram adipiscuntur, eumque situm & motum obtinent, quæ ad primam stirpis formationem requiruntur: quo veluti jacto fundamento cæteræ partes producuntur, dum succus nutritius per primum illud rudimentum ascendens partes dilatat, eisque certam figuram tribuit.

Enim vero imperceptibile, atque a vera ratione alienum hoc ipsum est, posse sola subtilis materiæ agitatione & varia, tam in constanti, tam facile leves, si quos fecisset in materia terrestri delente ductus, tam nullam habente formatricem vim, efformari tam accurate, tam ad amussim, tam juxta certæ speciei exigentiam, corpus plantæ tanta partium varietate, tanto organorum apparatu instructum, fabrica forte

fortuna resultante tanta, quantam ingenium atque humana, cui insoperabile prope nihil est, nisi quod supremum Numen suis abscondit in thesauris, nulla excogitare industria ac conatus nullus queat assequi, vel etiam imitari.

Tum tametsi agitatione illa a terrestri materie effingi plantæ figura posset, quis illico ideo plantam fore credat? Mixtum sane hæc perfectum est, non terrenam solum præfert indolem. Vivens est, functiones certas vitales aliciendi vim habet, mira humanis corporibus medendi facultate pollet. Quis hæc a sola terrestri materia, nescio qua subtili, proficisci posse somniet?

Rationabilius certe philosophantur, qui ad perficiendas exoticas istas geneses ex alto causam petunt, cœlestesque, solis maxime ac cæterorum errantium siderum vires in subsidium vocant. Cum enim nobilissima illa corpora fœcundo complexu totam sublunarem naturam ambiant, luce collustrent, calore foveant, influxu stimulent corporeas omnes substantias, neque obscuræ sint, quæ ad diversos illorum situs, aspectus, conjunctiones oppositionesque in mundo hoc inferiore consurgere solent mutationes: non leve utique duci ex illis argumentum potest, ad derivandam cœlestium virtutum in peragendis vegetabilium ac animantium generationibus operam.

Non tamen ego hic assero, totum procreandi sublunares substantias onus sideribus imponendum esse. Nec enim improbabilis est, nec aliena a Stagyritæ ac Angelici Doctoris mente Panspermia illa a Peripateticis non paucis asserta (de qua nos suo loco, & in Tract. XXIII. de Principiis, de materia prima, & de generat. quo hæc quæstio proprie spectat, fusius agemus,) qua putant, jam inde a sua origine impregnatam diversis plantarum seminibus a Conditore Deo tellurem esse, quæ si benignus accedat siderum aspectus, nativas suas vires exerant, ac evolutione idearum per animam mundi, inopinato herbas plantasque omnigenas progerminent. Quin etiam fieri potest, ut elevatæ cum vaporibus seminales rationes, dehinc cum pluviis deciduæ peregrinarum forte herbarum seminium regioni cuipiam impertiant. Atque inde fortassis est, quod Physiologi memorant, ut post imbres magnos in Cyrene quondam ingens subito e terra sylva pullulaverit.

III. Novi equidem Atomistas quoque Democriticos ac Cartesianos in explicanda plerarumque plantarum genesi ad seminariam virtutem recurrere, (prout Kimmetius ultro ad Archæum seu Spiritum Mundi pag. 641. & sæpe alibi.) At enim, qua via ex illorum principiis hanc extundas, non reperies facile. Quid enim aliud semen in illorum hypothesi esse possit, nisi coagmentatæ fortuito atomi, vim agendi sortitæ nullam, nullam peculiaris temperiei, nullam figuræ certæ, certæ complexionis, nulla formatrice pollentes facultate, essentialem specificamque diversitatem inter se obtinentes nullam, nullam specialium proprietatum habentes radicem aut exigentiam. Verbo, fortuitis pene ac temerariis subtilis materiei subjectæ agitationibus minutiæ? Seminalis vero isthæc virtus ad plantarum genesin quid conducat? Quid ad animalium? Age, imperfectarum etiam animantum spectemus genesin, quam apte consentiant illa Atomistarum principia, videamus. Generantur animalcula aliquam multa absque congressu, veluti sponte sua. Ex humanis corporibus pediculi, ac cimices; e vestibus tineæ; cossi ex ligno; termites ex caseo; blattæ ex libris; e pulveribus pulices; e quisquiliis enascuntur quandoque mures; ex fimo bubulco scarabæi; ex humore roscido papiliones ac locustæ; e putrescentibus aquis tipulæ; sui quovis fere ex pomorum genere vermiculi. Edicant Democriti & Cartesiani, quænam atomorum moleculæ, quæ illarum figuræ, quis motus, quæ agitatio has animantes compaginet animetque?

IV. Audiamus Anton. Le Grand Cartesii asseclam hic prope factum peripateticum, ita enim histor. nat. parte 8. art. 1. de hac genesi differit: Quidquid in natura gignitur, a semine promanat, & nihil casu, aut ludente natura in terra producitur. Verum est, pergit, quod illa semina potissimum interna sint, & non oculis semper sese offerant, sed talia in corporibus latere negari non potest, cum videamus pediculos, erucas, tipulas &c. apprime elaboratas esse, & omnes inter se partium similitudine convenire. Quippe nihil illis ad perfectionem deest, & non minus quoad internas, quam externas partes completæ dicuntur.

Belle omnino, sed pro Peripateticis & contra se. Nam utut ejusmodi seminium negari non possit, a Cartesianis tamen nequit sustineri. Præter mobilitatem ac figurationem in moleculis suis agnoscunt ipsimet nihil, longissime vero hæc a virtute seminali absunt, quam suadente ratione, convincente experientia statuunt Peripatetici.

Sed protestatur Cartesianus noster! Ita enim pronuntiat: “Non autem hic motus temere & casu perficitur, sed juxta naturales leges ac vires seminarias, ex materia scilicet idonea, & calore determinato procedit. Quo fit, ut ita exagitatæ materiæ partes, non modo ad cordis, venarum formationem & earundem cum arteriis unionem concurrant; sed etiam ad principium cerebri sensorium, & fibrarum, nervorum & spirituum motorium concinnandum, quibus suppositis, ad perfectiora instrumenta fit progressus, ad ea nimirum, quæ sensationi, locali corporis motui inserviunt & famulantur. „

Nempe historice narrata sunt hæc, fidem haberi postulat? sed rationem nos petimus. Motus hic seminalium particularum non temere, non casu perficitur, quia juxta naturæ leges, juxta seminarias vires, directrice virtute plastica, juxta systema idearum. Hic Rhodus, hic saltus. Id ostendant Cartesiani (quibus addo Thomistas ex materia sua nuda puraque potentia) oportet, si in censum Philosophorum admitti velint. Quasnam vero illi ex suis principiis naturæ leges adducent? an intrinsecas illas atque insitas creatis rebus? at præter molem, figuram, mobilitatem nihil omnino, ut contendunt, inest; non exigentia, non agendi vis; non sese movendi virtus; operatio ab illis procedere potest nulla: nulla igitur naturæ lex, nec natura indita illis est; externo subjacent moventis imperio & arbitrio. Non perspicimus, quales naturæ leges crepent. An vero ad extrinsecam naturæ legem subtiles Philosophi sese attollunt, quæ in mente ipsa ac providentia consistit summi omnium Conditoris? Sic P. Aloysius Temmik (Kimmet) animam mundi Providentiam Dei vocat. At non aliunde hæc Deo nomenclatio accedit, nisi quod activæ ejus ordinationi ac sapientiæ, passiva quædam in ipsis rerum diversis consistens exigentiis respondeat,

prout

prout diximus de Instinctu: istam igitur si tollant, activam pariter naturæ tollant legem necesse erit. Nullæ igitur naturæ leges in illorum principiis erunt, obtrudere illas nobis ac jactitare non poterunt. Qua ratione generatio fiat, dicemus ex professo Tract. XXVII.

SECTIO II.

Bruta sensu & perceptione & cognitione proprie dicta donantur.

V. Hæc veritas mihi luce meridiana clarior videtur, quamvis non videatur talis Cartesianis, nec miror, cum Solem esse calidum negent, nec lucidum sibi persuadeant: sane non capio, quibus argumentis hi Philosophi probent sese sensitivos esse, si equos, canes &c. sensu privent. Frustra quærit Iob c. 38. 36. quis dederit Gallo intelligentiam? Fallitur plebs fideliom canens: Cognovit bos & asinus, quod natus esset Dominus &c. Tu considera seqq. 1. Non mious videtur certum, bestias aut sentire, aut percipere, quam certum est eas oculis, auribus & aliis ad sentiendum aptatis organis esse præditas. Non enim est verosimile bruta oculos ab Aotore naturæ accepisse, tametsi non vident, nec percipiunt quidquam; aut nihil ea esse aliud quam machinas, quæ nihil sentiunt, nihil agunt.

2. Nihil est fere qnod ab experientia, a communi hominum sensu, & ab ipsa evidentia magis abhorreat, quam sensum & cognitionem bestiis adimere. Fœtus & matres ovium, vaccarum, canum &c. mutuo sese agnoscere in numerosissimo grege, notum est & in confesso apud omnes. Canes discernere heros suos ab omnibus hominibus, testantur omnes. Fieri quomodo potest, ut canis videlicet venaticus per compendia viarum leporem insequatur; aut lepores ipsi per varios flexus canes insequentes eludant; aut bestiæ aliæ struant insidias aliis, ut quæ ex præda vivunt, si omni omnino cognitione priventur? Hoc sane nunquam venatores, qui ferarum artes & astutias norunt, in animum suum induxerint: non enim eos fugit, quam vafri sint veteres lepores præ junioribus, ut canibus per varios cursus illudant, ot in sua recurrant vestigia, ut per medias aliquando oves penetrent, quo vervecinus odor vincat odorem pedum; ut cervus dolosus soleat alium sibi defesso supponere. Nemo tantam solertiam in automate potest bona fide agnoscere, quantam in equis, canibus, simiis, elephante & omnibus pene animantibus cernimus. Quid enim cum lupus suspenso gradu canes in ipsis domorum liminibus dormientes opprimit; cumque sint majores, quam ut facile humeris imponi possint, ventre discisso intestina projicit, ut minus sint oneri; cum denique cervos minores ita venantur lupi, ut stationibus dispositis recentes & integris viribus defessos excipiant: imo grandiores quoque compellant ad loca glacie obducta, in quibus eos corruere necesse: an forte hæc citra ullam cognitionem fieri possunt?

VI. Respondent nonnulli, illas bestiarum astutias ex occultiore quodam naturæ instinctu prodire.

Id ultro fatemur; sed merito contendimus, instinctum illum citra ullam cognitionem, aut perceptionem intelligi non posse. Instinctu naturæ canis ad venandum impellitur: sed nisi in eo esset vel ot docilitas quædam, perdice olfactu aut visu deprehensa, tremulo caudæ motu venatorem non admoneret. Vide Tract. XLVII. sect. 1. num.

VII. Verum, inquiunt, canes longa assuetudine, verberibus etiam, aut blanditiis & aliis artibus formantur & instituuntur. At hoc ipsum videtur omninu evincere, bestias nec sensu, nec perceptione destitui. Nam illa institutio, docilitas plagarum, quæ acceptæ sunt, memoria, metus impendentium, prædæ ipsius cupiditas, citra sensum, cognitionem, appetitum, voluptatem, dolorem denique, intelligi non possunt: nec subtiles & exquisitæ quædam ratiuoculæ apud nos plus valere debent, quam oculorum testimonia, mille experimenta, omnium bene, qui hacteous extiterunt, consensio. Autor Histor. natut. p. 382. ait: Brutis multi judicium assignant, licet imperfectum & umbratile, quo actiones suas dirigant, & cogitationis specie, quæ meditantur, efficiant: ea ratione ducti, quod lingua, auribus, oculis, cæterisque sensuum organis prædita sunt: ac proinde probabile esse, illa, sicut & nos, sentire: quia vero in nostro sentiendi modo, perceptio sive cogitatio includitur, similem quoque iis assignari debere cogitationem. Verum non satis ad *cogitationis* naturam animadvertisse videntur, dum illam brutis animantibus tribuunt, quippe non illa corpori, sed soli menti propria est. Et quibusdam interjectis: Affectus quidem, inquit, in brutis agnosco, quibus ad sua agenda impelluntur, non autem *cogitationem*, & provenientes ex illa *cogitandi* modos. Ponit itaque nervum suæ opinionis in verbo *cogitatio*. Mox tamen sui immemor subjungit: Vnde Ajatochlo contingere potuit, ut lassatus & sob dio quiescens delapsam aquam in ventre post pluviam contineret, ad quam hauriendam cervus accedens, Ajatochlum evigilaverit (expergefecerit) qui subito experrectus, constrictis laminis, cervi buccam comprehenderit, & prædam nactus sit: cujus casus postea *memor* NB. sollicitante fame, eo artificio usus fuerit, ad novam prædam comparandam.

Ecce memoriam tribuit huic animanti! Et quid est *Memoria?* Respondit Bontekoe, Oecon. animal. p. 73. Est *cogitatio* reiterata de re, quam ante quoque *cogitavimus* cum conscientia, qua conscii sumus nos idem illud ante *cogitasse*, & nunc *iterum cogitare*.

VIII. Adde bruta, uti canes, habere insomnia, quæ proprie loquendo, juxta eundem Bontekoe, sunt cerebri vigiliæ dum oculi aliique sensus profunde dormiunt, estque interna quædam cerebri commotio, id est, *actio memoriæ*, sed levis & confusa, seu *cogitationes* in somno &c.

Profecto bruta non tantum per sensus externos percipiunt objecta, discernuntque an sibi adversa, vel congrua sint, utilia, vel nociva, uti & nos: sed & delectantur & gaudent, tristantur, amant, timent, oderunt &c. Dicere autem, hæc illis convenire solum metaphorice aut æquivoce, est idem ac dicere, qood comedant æquivoce, per dentes metaphoricos & improprie sic dictos &c. quod ridiculum esset & Philosopho indignum.

Nos id nunc non agimus, ut rem apertissimam vel rationibus, vel sensuum evidentia demonstrandam aggrediamur: id enim omnino superfluum videtur: sed iis, quæ contra afferuntur, rationibus, quas omnino concludentes & demonstrationibus proximas putant, occurendum nobis est.

SECTIO

SECTIO III.

Respondetur objectionibus.

IX. Opp. I. Nihil esse in brutis nisi corporeum & extensum: sed cognitio aut perceptio non est corporea, neque affectio aut modus rei extensæ: cum ea nec dimensiones habeat, nec figuram; neque enim perceptio aut cogitatio quadrata vel rotunda, uti nec longa vel lata concipi potest: ergo in brutis nulla est perceptio, ac ne illa quidem quæ sensibus tribuitur, cum perceptio nihil habeat cum extensione commune, cum utriusque ideæ sint omnino diversæ. Atque hæc velut demonstratio, non Cartesio tantum, sed & plerisque melioris notæ Philosophis videtur. Nec tamen difficilis adeo est responsio. Diffiabitur autem tota ejus vis, ubi ostenderimus radicaliter, in quo consistat sensatio sive sensus, ex eo enim elucescet differentia inter principium sensitivum materiale & corporeum, quod homini cum brutis commune; & intellectivum spirituale, immortale indivisibile homini proprium; quod qui Peripatetici non penetrarunt, satisfacere non potuerunt apistis, qui animas tam hominum quam brutorum ejusdem naturæ (nempe vel utramque mortalem, aut immortalem) esse contenderunt. Interim

Respondetur Neg. min. argumenti. Nam quæ in bestiis fit perceptio, est corporea & extensa, cum nihil nisi corporeum & per imagines corporeas percipiant. Sic motus rei extensæ seu corporis, est modus seu affectio corporea, nec motus est corpus quoddam: neque enim corporis substantia motus accessione augetur; est tamen quid corporeum. Itaque substantia corporea dimensiones suas habet, & figuram, non item modus cujusque substantiæ corporeæ. Quod autem de sensu, aut de perceptione afferunt, ideam rei percipientis nihil habere cum rei extensæ idea commune; perceptionem & extensionem toto genere differre; hoc ipsum de motu dici potest, qui tamen est modus vel accidens corporis. Fatemur enim, perceptionem, uti & motum, non esse de ratione corporis: sed hinc non sequitur, utrumque eidem subjecto inesse non posse. Nam & Idea Medici diversa est ab Idea Musici: hoc tamen non obstat, quin idem homo & Medicus, sit & Musicus: tametsi Musica homini, quatenus est Medicus non convenit. Non dissimili ratione extensio & perceptio eidem substantiæ inesse possunt: quamquam perceptio forte non est modus substantiæ quatenus est extensa, atque ut loquuntur reduplicative: sed nihil prohibet, quominus substantia, quæ est extensa, ut ajunt, specificative, eadem & sentiat & percipiat res singulares & corporeas.

Diximus autem alibi, animam sensitivam esse spiritum corporeum, lucidum, tenuem, calidum, passionibus aptum, corpus animans: quæ anima, qua corpus est tenue, dat motum corporibus crassis, & vitam si cum iis coaluit; qua vero sentit, non est corpus, quia sensus est commune cunctis rebus, activis & passivis: non ergo sentit anima quatenus corporeitatem participat, sed qua Primalitates. Est ens actu, sed in potentia solum ad ea, quæ robustiora sunt, possuntque in ipsam agere: ipsa est, quæ proprie sentit, non potentiæ seu organa. Corporeitas medium est, quo anima res corporeas percipiat; quod clarius fiet ex sect. 4

X. Instant. Moveri tantum, aut figurari corpus potest; non rem percipere aut sibi exhibere, quantumvis illud exagites, aut ad summam tenuitatem exaltes, aut pulchra imagine imprimas, nunquam ad eum perfectionis gradum illud perduxeris, quem perceptio exigit: ergo substantia corporea nihil percipit.

Respond. dist. ant. Materia ex se, quantumvis sit tenuis aut lucida, vim percipiendi habere non potest. C. ex Conditoris voluntate & vi primalitatum, & in corpore suis organis instructo, & ad certos usus a natura destinato, vim sentiendi aut percipiendi vi suæ compositionis habere non potest. N. Quod si enim figura, partium apta collocatio, motus denique tam admirabiles effectus in machinis procreant, quæ ad solam materiam ex se inertem referri non possunt: cur summus rerum artifex non potuerit animantibus vim motricem aut sentientem, aut animam denique, quæ corpus regeret, quæque objecta corporea perciperet, imprimere? Quocunque id fiat modo, sive vi primalitatum, sive Spiritus universalis per totum mundum diffusi, certum videtur quiddam esse in animali, quod illud a cæteris rebus discriminat, quod sensitivæ cognitionis principium est, quod totius animalis vitam tuetur.

Contra inquiunt: Ex materia insensibili non potest fieri quiddam sentiens & actuosum, aut cognitionis particeps. Respondetur hoc ipsum nos negare. Natura quippe ab iis, quæ sunt valde imperfecta, ad perfectiora per gradus solet progredi. Itaque sentiens ex non sentiente, & res lucida aut accensa ex obscura, frigida & inerte fieri potest. Sic humor vitalis in ovo primum est immobilis & torpidus, donec caloris accessu, ac lege certa ab Autore naturæ sancita, & vita & sensus se prodant. Quid multa? negamus suppositum, nempe dari ullum ens materiale plane insensibile, ut ostendemus in Tract. XXIII. de Primalitatibus.

XI. Opp. 2. Quod si, quæ in animantibus cernimus, ex mechanica organorum structura explicari possint, frustra recurrimus ad formam, cujus natura, origo, functio denique omnem materiæ vim superant. Atqui dubitare non possumus, quin summus naturæ opifex ejusmodi machinas fabricare possit, quæ eosdem plane motus aut actiones exerant, quales ab animantibus proficiscuntur. Quod ipsum multis rationibus confirmant.

Nam si ea est hominum industria, ut omnis generis machinas, vel ad usum vitæ, vel ad oblectationem excogitet, dubitare non licet, quin a summo rerum artifice machina ex infinitis pene partibus compingi possit, quæ eodem modo ex objectorum impressione moveatur, ac si sensu & perceptione donetur; præsertim cum nos ipsi tam varios & dissimiles motus, ne cogitantes quidem, exeramus. Cum enim loquimur, aut scribimus, aut testudinis fides pulsamus, simul & eodem momento, tot musculos, nervos & alia organa citra ultra perceptionem, & perite & celerrime movemus. Quid, inquiunt, an canis sine perceptione latrare non poterit, cum homo sæpe loqui, aut nervos testudinis stringere soleat citra ullam intentionem, ex assuetudine tantum & mechanica partium dispositione? an forte plus rationis, aut perceptionis bestiis tribuemus, quam somnambulis, qui domorum tecta conscendunt, natant, discurrunt,

cum

cum obviis sæpe tantur, & excitati nihil horum, quæ egerunt, meminere?

Respond. His & aliis plurimis, quæ in suæ causæ patrocinium afferunt, ac multum dilatant, ut probent animalium corpora esse machinas miro artificio coagmentatas, facile assentior: sed nego eas aliud non esse, nisi machinas, quæ nihil sentiant, nihil agant. Nec dubitamus, quin Deus possit efficere machinas, quæ eosdem prorsus motus exerant, quos à brutis fieri cernimus, cum magnam partem actionum, quæ ab iis exercentur, ex ipsa partium dispositione perfici fateamur: non solum enim vitales & naturales actiones, ut cordis & thoracis motus, sed etiam plerique motus spontanei nobis vel insciis, vel etiam invitis quandoque fiunt. Non igitur dubium est, quin etiam potuerit ejusmodi machinas efficere, sed utrum fecerit, quæstio est, & an bestiæ, quæ omnibus ad sentiendum organis, iisdem oculis, palato, lingua sunt præditæ, quibus corpus nostrum fuit instructum, eæ tamen non magis sentiant, aut videant, aut doleant, quam horologium, aut quævis alia machina? Ac nescio an non hæc quædam illusio futura est, quæ nos in errorem necessarium inducat, quæque in sapientissimum & optimum naturæ Conditorem cadere non potest?

Sane si adversariorum discursus valeat, negabimus infantibus, fatuis, dormientibus, ebriis, phreneticis animam rationalem & sensitivam, omnes enim illorum actiones æque salvabimus absque anima, sicut brutorum, quod nec ipsi concedent. Quamvis audiverim a quibusdam Cartesianis se non credituros anima se præditos, nisi fides id doceret: an autem hæc confessio sit Philosopho digna, tute judica. Nos ratione naturali persuasum habemus, hominem utraque a Deo dotatum esse.

XII. Sed molestius inquirunt, qua tandem ratione animum a corpore distinguemus, si res corporea percipit? Quod si, inquiunt, bestiis cognitionem tribuimus, validissimam demonstrationem, qua immortalitas animæ rationalis persuadetur, omnino deserimus. Hæc quippe ex natura perceptionis desumitur, quæ in materiam cadere non potest. Sunt enim, ut diximus, perceptionis, & extensionis ideæ omnino disjunctæ; adeo ut nec perceptio rei extensæ, nec vicissim extensio rei percipientis attributum esse possit. Hinc utriusque natura est omnino diversa, quodque in nobis percipit, nihil habet cum materia vel extensione commune. Adversus hanc Cartesii demonstrationem (sophisma rectius) nihil afferri potest, quod impios non adjuvet, qui animos nostros una cum corporibus interire putant. Nam si perceptionem bestiis, ut homini concedimus, animos nostros, non tamen specie & natura, quam gradu & perfectione a brutorum formis diversos esse statuemus.

Respond. Quamvis brutis concedamus, non solum perceptionem & cognitionem sed rationem insuper & discursum (de quo mox plura) nihilominus adhuc latissimum discrimen esse inter animam hominis rationalem & Elephanti v. gr. Totumque fundamentum sophismatis hujus corruit, si duplicem in homine statuamus animam (mentem vid. seu rationalem, & sensitivam) unam spiritualem, immortalem, a Deo infusam & creatam; alteram materialem, elementarem, ex traduce propagatam, mortalem, brutorum animabus analogam: Panicus ergo timor est, ne impiis ansam demus dubitandi de interitu animæ nostræ, quin omnino & radicitus dubium illorum, distinctione animarum præmissa, statque sine ulla hæresi aut errore in philosophia vera illud Eccl. 3. 19. Vnus est interitus hominis & jumentorum. Sicut enim moritur homo, per extinctionem flammæ vitalis, in qua consistit vita in actu secundo, sic & bruta. Superest autem Spiritus ille, quem Deus inspiravit corpori Adæ jam formato, ut fieret in animam viventem &c. Quod ut clarius elucescat, sit

SECTIO III.

An, & quatenus Brutis Rationis usus concedi possit & debeat?

XIII. Dico. Omne animal habens memoriam, habet prudentiam, ut docet D. Thomas apud Campan. L. 1. Met. c. 6. art. 6. Memoria enim, teste Arist. ad hoc data est illis, ut ex præteritis discant agere in futuro. Nisi enim herbam utilem esse, postquam gustarunt, memoria retinerent, illam non repeterent. Ex præteritis autem nosse futura, est syllogismus: quoniam in simili, simile discunt. Ergo impertire Aristoteles animalibus dat prudentiam, quibus negat rationem.

XIV. Præterea, ratiocinari nil aliud est, quam sentire aliquid, non in se, sed in suo simili: in se enim est sapere; in simili scire: omnis autem scientia discursiva ex præcedenti cognitione fit: quæcunque ergo in præcedenti cognitione, alia rursus cognoscunt, discursiva sunt. Eodem modo fit Reminiscentia & Imaginatio similis, per aliud simile, & totius per partem. Ergo omnes hæ functiones sunt ejusdem animæ, nec negandæ sunt animalibus; licet in nobis sint perfectiores, tum ob spiritum perfectiores, melioresque cellas, tum ob mentis a Deo immissæ adsistentiam informantem. Canis cum videt baculum, timet verbera, quia syllogizat se posse verberari hodie, sicut heri aut nudius tertius.

XV. Præterea persequens leporem ex odore, dicit hac non transivit, ergo per illam: aut si videt illum fugientem, ait, hæc via est longa, & transit ad breviorem, & intersecat leporis cursum: aut, quod ipse met vidi ac notavi, dum alii canes leporem insequuntur, is leporem præveniens præoccupat stationem, & viam, per quam prævidet leporem evasurum in sylvam. Cancer pernosceus conchilii testaceis operculis suos teneri pedes, si quando ejus carnibus vesci aggreditur, immittit calculum inter opercula, ne possit concludi. Syllogismos apum & formicarum, & aranearum dum telas texunt, & armant, & muscas venantur, non nisi protervi negabunt. Nonne persentiscunt pluvias plurimas ex aëris immutatione, & bella & tempestates?

XVI. Dicunt, hoc fieri instinctu: sed temere, cum videamus non instinctu, sed passione præcedenti argumentari ea de consequentibus, & in cæteris syllogismo uti. Quapropter Porphyr. Lactantius, Firmianus, Osius Card. Plinius, Valla, Plutarchus, Virgilius, Ovidius & meliores Philosophi brutis rationem concedunt. Quorum opinionem longe sibi probabiliorem videri candide fatetur Autor Phil. Regiæ Burgundiæ tom. 2. p. 398. quam Cartesii. Nos autem inferimus, illis oportere alterum genus animæ tribuere supra sensitivum, vel transmigrationem animarum ex hominibus in bruta: vel sensui syllogismum suum

 testi-

restituere, non modo ex particularibus, ut Thomistæ volunt & Averroistæ, sed etiam ex oniversalibus, id est, ex prædicatis confusis. Omnem enim avenam scit equus sibi esse bonam, nedum hanc avenam: alioquin non nisi hac vesceretur, & memoria nulli esset usui. Hinc recte ait S. Thomas, sensitivum esse participio rationale; mens autem per essentiam. Etenim in confesso est apud omnes Philosophos, sensum datum esse, atque sensoria propter conservationem esse: ut scilicet proficua & noxia percipiant, & hæc declinent, illa sequantur. Et quia non modo præsentia sed absentia, mala & bona, indigent scire: datum est eis memorari, & juxta præteritas passiones illatas, de futuris judicare, cavere & sectari, & a similibus similia quoque dignoscere & syllogizare; unde & æstimativo discursu indiguerunt, qui est sensus in simili; & intellectu, qui est sensus absentis, & occulti, & communitatis: servantur ergo bruta per sensum & cognitionem. Et cum ipsa perdunt totaliter, perdunt totaliter & esse animal, sicut cum perdunt potentiam essendi. Generant quoque per exquisitissimum Veneris sensum: & quæ carent hoc sensu, non generant, nec proinde in suo simili servantur: generandi quoque ratio videtur esse sapientia, qua vel occulta persentiscunt propriam mortalitatem in se, unde generant similia sibi, in quibus vivant.

XVII. Probatur ulterius conclusio nostra. Quoniam quæcunque ab eadem causa emanant, similitudinem illius gerunt: ipsa quoque diversa entia ab uno quovis producta, quatenus ab illo sunt uno, inter se quoque similitudinem, prolem unitatis illius, habent. Propterea igitur cum omnia entia sint a Deo uno, similia sunt saltem in communibus in eo quod entia: nam in particularitatibus contracta sunt ad suas differentias. At in quantum Entia, constituuntur Potestate, Sapientia & Amore. Ergo in his similia sunt, & differunt gradibus. Cum ergo animalia non modo conveniant cum hominibus in eo quod Entia, sed etiam in genere animalis contrahente Ens: consequens est, ut in Potestate, Sapientia & appetitu sint similiora. Idcirco nos rite speculantes cum Th. Campanella, invenimus in brutis sermonem, quo mutuis officiis colligantur: & rationem sensitivam, qua de ignotis judicant per nota, & similitudinis notione, quæ est intellectio herbæ in communi, & mali, & amicitiæ: & artem fabricandi cellas, & retia, & venandi. Et hæc adeo vera sunt, ut Lactantius Firmianus, & Osius Cardinalis religione sola, nos vero etiam libertate, hominem a brutis separaverint.

XVIII. Nec tamen propterea dicemus bestias rationales, neque intellectivas, licet similes sint ex parte nobis in his, quoniam vocabula respiciunt id, ad quod sunt imposita, non unde sunt imposita, & ad quod essentialiter & perfectissime est tale, non quod ex participio imperfecteque. Hinc quamvis tota rerum physicarum natura prædita sit corporeitate, & qualitatibus activis & passivis: tamen genera & species earum gradibus idealibus distinguuntur: & una est in aliis omnibus aliquo modo. Sic quamvis omnia entia, ut entia, essentientur primalitatibus, tamen gradibus specialibus distinguuntur, ut unum est in altero quovis, sed non illorum gradu essentiali. Exemplum accipe de Sapientia, quæ est naturalis in Elementis & lapidibus exiliter, lapis autem in metallis eminentius; metallum in lapide vilius, in planta eminentius, vegetant enim sicut planta participio seu participative; planta vero per essentiam. Planta participat sensitivum gradum; animal habet illum per se. Sensitivum est rationale participio, homo vero per essentiam. Homo est intellectualis participio, Angelus essentialiter, qui participio est Deus & sapiens divina. Deus per essentiam & eminenter omnia, id est unitius, universalius & plenius. Ideo confunduntur nomina essentialia, ut ex Dionysio & D. Thoma patet. Deus quoque propter hoc vocatur Spiritus, similiter Angelus & Anima: sed ventus prius dictus est Spiritus, ut ex quo. Similiter Salomon vocat sensum ipsum animam a Deo infusam. *Terrena inhabitatio* (ait Sap. 9. 15.) *deprimit sensum multa cogitantem.* & Iob. 38. 36. *Quis dedit Gallo intelligentiam?* Quam David negat equo & mulo: & divus Thomas cogitativam vocat intellectum, rationemque in 2. 2. & prudentiam tribuit brutis.

XIX. At differentiam inter nos, & illa Aristotelem non novisse contendimus. Operationes enim, quas immortali tribuit animæ, brutis conveniunt magis, quibus, qui eas negant, ut hominis immortalitatem tueantur, veritatem suspectam reddunt, & Theologiam convellunt: quæ non ex universalis perpatetici notitia, sed ex divinorum sapore, hominem a brutis distinguit, quemadmodum apud Lactantium Lib. 3. & D. Bernardum in Lib. de considerat. Justinum, Basilium & Ambrosium, manifestum est. Aristoteles autem hunc saporem Dei, negat in anima: negatque inter hominem & Deum amicitiam; idcirco nil concludit. Brutis ergo spontaneitatem, non libertatem: Rationem & intellectum sensualem, (non mentalem) qui nec nomen intellectus, sed æstimativæ tantum mereatur, nos agnoscimus, uti & Philosophus Christianus distinguit.

XX. Declaratur amplius. Quando nos agimus sine prævio consilio, dicimur agere & operari naturaliter, ex decreto perenni, non tamen cogi ab influxu cœlorum, aut ab objectis propositis: si vero facto consilio, dicimur ex libertate operari; cum enim ad summum bonum, vel proprium naturaliter inclinetur omne ens, quidquid offertur bonum, statim appetit; & quidquid malum, statim fugit. Et hoc animalibus, & plantis & cunctis inest rebus ex decreto perenni, quo ad suum bonum res inclinavit. Et quidem hojusmodi actiones fiunt certo consilio altissimoque Autoris Naturæ. At ut velit animal hoc, vel illa, otitur consilio novo, quoniam experimento didicit bona non esse pura, neque mala, sed mista. Qua propter licet cœlum, aut alia objecta proponant bonum aut malum, si subito animus sectatur, aut aversatur, nulla facta consideratione, dicitur naturalis motus, quia sequitur decretum naturale de boni adeptione, & fuga mali; unde ægrotus contra Medicum, dolorem pharmaco afferentem, invehitur, & puer præceptorem verberantem odit: & homo quamcunque pulchram videt mulierem statim amat, & in his quidem culpa non intervenit, quia naturæ decretum verum sectamur. Sed facto consilio, quod non nisi aliqua in mora fit, æger amat Medicum, & puer præceptorem, & homo aversatur pulchritudinem, in qua quid noxium latet. Ergo licet in primis actibus & objectis sit quædam coactio spontanea tantum, id est servilitas: tamen in libertate nostra est

deinde

deinde retinere vel abjicere amorem, & odium objectorum propositorum. Hoc autem consilium brutis non videtur datum, nisi obscurum & exile, quale est in pueris: determinantur enim ab objectis & passionibus: nec syllogismo consultativo mutant actum appetendi & cognoscendi & operandi, sed alia a passione vel objecto affecta: unde non dicuntur rationalia sicut homo, qui contra passionem, & contra objectorum notionem sese determinat ad alios actus: licet neque ipsa bruta, neque plantæ, neque aliud quidpiam absque naturali decreto, seu instinctu rationalissimo operantur, ubi nec violentari videmus res naturales ad volendum. Non enim lapis unquam volet ire sursum, nisi dissolvatur in levem vaporem: sic nec ullum entium potest cogi contra inclinationem agere, sed pati tantum.

XXI. Quamobrem stultissime Calviniani libertatem homini tollunt ex eo, quod per modum naturæ operetur. Deus enim ipse liber non esset, quoniam ita operatur, ut aliter non contingat ipsum operari. Nec quia specificatur ab objectis, violentatur animus; sed in objectum invitatur ad munus suum exercendum: sicut neque ædificator cogitur a lapidibus, calce & aqua ad ædificandum, sed invitatur ad opus. Plura vide in Tract. L. de libero arbitrio.

XXII. Nec mireris, nos supra cognitionem quoque universalem brutis concessisse, cum & Arist. in 2. poster. doceat sensum nosse universale, & universalia principia fieri a sensu cognoscente hominem, & Calliam hominem, & illum, & cæteros singulos. Item 1. phys. testatur sensum cognoscere universale, quoniam prius a longe hominem conspicio quam Petrum: & pueri appellant omnes homines Tatta seu Patrem, antequam sciant distinguere: & D. Thomas vocat hanc cognitionem confusam, quæ est magis universalis: distinctam vero, quæ est minus universalis. Confusum autem imperfectum est: & quoniam exiens de potentia ad actum, prius (ait) pervenit ad actum imperfectum, quam ad perfectum: idcirco priora sunt communia & universalia, tam sensui, quam intellectui: particularia vero posteriora, ut probat P. 1. q. 5. Ergo tam sensus, quam intellectus apprehendunt universale, & hæc notitia est confusa, ergo perperam significatur intellectus supra sensum per hoc, quod est confusorum notitia: & deprimitur sensus, quia est distinctorum, cujus contrarium significat D. Thomas in Deo.

XXIII. Confirmatur 1. Nam sensus lusorias aleas desoris aspiciens, videt Vniversale, quia scilicet est alea; intus vero singulare: quia est hæc alea singularizata tot vel tot punctis, ergo universale est similitudo rerum nota sensui: singulare vero dissimilitudo similiter nota: & illa confundit, & est causa ignorantiæ, ut inquit Augustinus; ista distinguit & facit scire rem intimo modo. Cognoscit ergo sensus utrumque: & similitudo servit discursui ad aliud: dissimilitudo & proprietas ad sapientiam de eo, in quo ipsa est. Nec Peripatetici huic exemplo respondebunt, licet Cajetanus dicat, quod sensus cognoscit hunc hominem, hoc animal a longe, sed profecto non docte. Si enim hunc nosset hominem, nosset ejus singularitates, quibus est hic, & sciret esse Petrum, dum a longe aspicit. Ergo hunc locum, & hoc tempus & hoc animal &c.

XXIV. Dicunt Peripatetici, quod intellectus non intelligit singularia, quia sunt materialia: ex quo sequitur quod sensus non sentit universalia, quia immaterialia. Contra est, quod sensus pecudis sentit amicitiam; leo & elephas honorem & despicientiam, ut fatentur Thomistæ, & elephas canisque sensum vocis, ut experientia & historiæ testantur, & Lactantius convincit optimis argumentis, a brutis hæc cognosci, & alia multa immaterialia.

Concedunt Averroes, Avicenna & D. Thomas quod sensus percipit ejusmodi immaterialitates, sed interior, qui est cogitativa, vel æstimativa. Cur ergo ponunt adhuc frustra intellectum alium a sensu interiori, cum ratio distinctionis data nulla sit inter intellectum sensumque interiorem.

Confirm. 2. Vbicunque est memoria, est & notitia universalis: non enim equus hanc avenam, quam hodie manducat, novit, sed per hanc omnem avenam, cui hæc similis est: neque ovis hunc lupum, sed omnem lupum noscit & fugit.

Confirm. 3. Syllogismus expositorius, quem interiori sensui conceduni, non modo particulares fumit propositiones, sed etiam universales, dicit enim, *hic est mihi inimicus, & hic est lupus, ergo est mihi fugiendus.* Qui sane syllogismus propterea valet, quoniam sensus omne noxium fugiendum novit, omneque id a quo læditur, alioqui non fugeret ovis, nisi illum tantum a quo passa est. Ipse quoque canis contra omnem latrat hominem, etiam suum herum in nocte: quo agnito ex voce, non amplius latrat, sed blanditur: ubi sane intervenit syllogismus ex voce immateriali recognita ad quiditatem personalem. Et iterum universalis inimici persecutio ex olfactu quoque syllogizat transisse feram, & non hanc, sed quamcunque. Differt ergo intellectus Aristotelicus, ut intus & extra solummodo, non essentialiter.

Diximus 2. Bruta per sermonem sibi peculiarem communicare, quod & Lactantius aliique Theologi, nedum Porphyrius & Avicennas affirmant: variant enim voces, & mutua dant responsa, uti nos. Nec quia nos non intelligimus eorum loquelas, non loquuntur: nam nec Turcarum sermo nobis Germanis ac Gallis percipitur. Quid quod & linguas humanas discunt, & intelligunt exacte quid res significare velimus per hanc illamve vocem. Non pronunciant autem sermonem nostrum canes, sicut psittaci, quia aptis ad id carent organis. Ratio nostri dogmatis est, quia Autor naturæ defectum in necessariis non admittit, hinc brutis concessit arma quibus se defendant: videtur autem ad politiam brutorum gregalium, saltem quorundam necessaria communicatio prædicta, ut cernimus in gruibus &c.

SECTIO IV.

Declaratur quid sit Memoria, & qui differat à Reminiscentia.

XXV. Cum spiritus (anima sensitiva) sentit objecta, patitur in potestativo, & simul judicat in cognoscitivo. Passio, (quæ est impressio facta ab objecto) remanet, abeunte activo, sed languida. Hæc autem remansio est Memoria. Ergo idem spiritus sentiens est, qui memoratur, non aliqua res distincta. Oblivisci quoque contingit, quoniam advenientibus novis passionibus priores cessant, & obliterantur: sicut in aqua per novam motionem prior motio deletur:

 sed

sed tamen remanet facilitas ad illam præhabitam motionem, quasi cicatrix: ideoque facile pati potest, quod prius passus est. Ex. gr. qui passus est nauseam & vomitum in mari, cum meminit, iterum nausea afficitur: & qui vulnus accepit, quoniam meminit, horrescit; & quidem insuper occisus coram occisore. Ergo idem sensus patitur, & recordatur, quod est repati & resentire, & renovatio passionis. Magis autem repatitur, si simile offertur objectum: sic fratris memini, dum video alterum fratri similem; vel locum, in quo reliqui fratrem, vel tempus. Vnde quotannis eodem die memoriam facimus earundem rerum & solennitatum & passionum, ac quoties consimile offertur.

Memoria ergo est repati, & in hoc differt a Reminiscentia: quoniam quando a simili repatimur, videtur fieri sine discursu. Quando vero ab adjunctis simili, dicitur Reminiscentia: velut cum ex tempore recordor loci, in quo fui tali in tempore, & locatarum & contemporanearum simul rerum: & utraque est in nobis, & in brutis. Vnde asinus non vult per viam transire, in qua cecidit, neque per consimilem illi, juxta tritum: Asinus ad lapidem bis non offendit eundem. Sic singulis annis mutant hirundines regionem, & equi pascua, in Italia, ab armentario nec incitati. Fuit autem Memoria animantibus necessaria, cunctis, ut ex præteritis discant cavere vel sequi futura objecta, noxia vel utilia.

Ergo falso Aristoteles separat memoriam a sensu, & imprimit eam sensorio, sed & sensus & memoria a sensorio separanda sunt. Quando autem docet muscas non memorari, ergo esse aliud a sentire: nil forsan dixit, nam & ipsæ muscæ memoriam habent eorum, quæ manducaruot, & revertuntur ad pastum. Non tamen disciplinam suscipiunt nostram, sicut simii & asini, quoniam proportionatæ ob suam parvitatem nostræ disciplinæ non sunt; sicut nec apes, quas memorari non audet negare Aristoteles, sed tamen privat auditu, quod & falsum est, audiunt enim tinnitum æris, & proprios susurros, & excubantium, & vacantium ad opera, ut manifestum est. Nec ipsi Peripatetici credunt in hoc Aristoteli. Exilitas tamen earum spiritus nostro est improportionata, ideo non eo utuntur disciplina, nisi forsan cibo illectæ.

Sed argues cum Galeno, perdi memoriam, servato sensu. E. Respond. non propterea memoriam non esse in virtute sentiente, sed quando nimis tenuis est spiritus a nimio calore attenuatus, pars ejus exhalat, antequam alter spiritus aggeneretur, & afficiatur ejus motionibus notionibusque, idcirco tunc contingit oblivio. Multi quoque propter infirmitatem, omnem perdiderunt memoriam & scientiam, quod sane indicat eam servari in spiritu & non in intellectu Aristotelico, ac posse perdi, quoniam vehementi ægritudine passionis obrutus, dum continuo exhalat, non communicat nascenti spiritui ex sanguine, passiones scientiæ: sed illam grandem modo passionem, quæ est ab infirmitate. Quapropter sanatus est prorsus alius: sed aliqui, quorum ægritudo non tanta fuit, similis Atticæ pestis, ut omnino deleret prævias notiones, facile deinde reminiscuntur, inspecto codice, & objectis Scientiæ, iterum moventibus cicatrices obductas sopitasque.

Hinc facile conjectabimus, quare temperatura calida prædíti, tenuissimoque spiritu, facile vel minutissima sentiant: sint tamen obliviosi. Econtra crassi spiritu, difficile: nec nisi grandia sentiunt eorumque memoria pollent, sed difficile reminiscuntur discurruntque: mediocres autem, mediocriter sentiunt, & memorantur & melius discurrunt. Quapropter falsum est, quod sicci cerebro sint tenacioris memoriæ, humidi vero hebetioris: illi enim calore nimio exsiccati spiritus habent tenuissimos, sagacissimos, ideoque minus retinent: isti crassos, minusque recipiunt, magisque tenent. Cerebri autem temperies commoditatem ipsum præstat, & incommoditatem. Ratio sensus & memoriæ, & reminiscentiæ est in tenuitate & puritate, crassitie & impuritate Spiritus.

SECTIO V.

Proponitur sententia Peripateticorum de Sapientia, Scientia, Intellectu & Opinione, & de sensibus exterioribus, & interioribus, de intellectu activo & passivo: item de partibus Animæ, & subjecto, secundum Peripateticos & Platonicos, & Galenistas, cum eorum fundamentis.

XXVIII. Quo melius veritas elucescat, & status quæstionis, juvat nosse diversa Philosophorum principia circa potentias animæ; ex quibus patebit in quo ab illis dissentiamus. Profitentur itaque Peripatetici Scientiam non esse Sensus, sed Intellectus, quem faciunt alterum genus animæ; alii mortale, alii immortale; alii actum corporis; alii assistentem substantiam: & ab eo regulari putant sensum, cum erraverit; & scientiam non esse singularium, sed universalium, æternorumque. Et sic satisfieri posse iis, qui tollunt scire propter sensus deceptionem & sensilium varietatem: semper enim homo est animal rationale, sed non hic. Putant autem sensum singularia solum percipere, cum præsentia materiæ, ut hunc hominem, non autem hominem. (a) Sensitivam animam primo partiuntur in exteriorem, quam juxta quinque Sensoria faciunt quintuplicem, tanquam totidem formas: & in interiorem, quam Aristoteles in Phantasiam, Memoriam & Sensum communem dividit. Averroes vero addit Cogitativam. Avicenna *æstimativam*. Officium *Sensus communis* esse volunt, ut singulorum sensuum objecta conferat, puta albedinem per visum acceptam, & saporem pomi per gustum, & odorem per nasum &c. Alioquin nisi conferantur & uniantur, essent potentiæ sicut ego & tu, diversa sentientes, & scientiam ejusdem objecti totalis non adunantes. Item ut cognoscat sensationem. Visus enim non videt se videre. Scimus autem nos videre, ergo per sensum, non particularem, ergo communem. Hunc Sensum communem ponit Alexander Aphodys. in corde; Avicenna in cella cerebri, quæ est in fronte unica, eique Averroes & Latini adhærent. Assignant insuper (3) Communi sensui *sensilia communia*. Nempe motum, quietem, numerum, figuram, magnitudinem, intercapedinem seu distantiam, quæ non coloribus modo, sed sonis & tangibilibus conjunguntur: & quia sunt 5 sensoria, non sunt nisi 5 sensus, & non plures exteriores. Mox (4) Phantasiam esse motum, per quem simulachra quædam gignuntur in anima. Hunc autem esse alium a sensu probant, quoniam sensus fit sensibilibus tantum præsentibus & in vigilia, & non est nostræ spontis sentire, si absit objectum, & semper verax

rax

rax est de proprio objecto; imaginatio vero est de absentibus & in somno, & cum volumus, & sæpe fallax est. Præterea ut arguit Plato in Theætheto, sensus omnibus inest animalibus, non autem imaginatrix: vermes enim & ostrea carent. Data autem videtur homini, ut eum regat in somno, ait Aristoteles. Sed Avicenna, Averroes & Latini, ut sit thesaurus specierum a sensu communi acceptarum, quas non potest iste servare, quoniam in parte capitis anteriori humida est; ideoque commendat eas Phantasiæ, quæ residet in parte sicciori, id est in secunda cella, quam ponunt in medio capitis, sed Arist. in corde, lib. de somno. Quod autem non sit idem phantasia cum intellectu, & scientia, probat Arist. ex ratione Platonis, quoniam intellectus & scientia nunquam falluntur, & sunt solum in rationalibus animabus. Phantasia vero fallitur, & est in irrationalibus quoque: neque est opinio, quoniam hæc est assensus cum ratione.

Mox (5) hanc animæ partem (Phantasiam) in duas secat Avicenna, in eam sc. quæ speciem conservat, quam proprie Phantasiam vocat; & in eam, quæ de speciebus negotiatur, copulans & dividens, quæ *Imaginatrix* dicitur. Addit (6) Averroes, *vim cog tativam*, quam in capite post hanc locat, cujus munus est ex speciebus sensatis elicere non sensatas, v. gr. cum ex verbo irascentis apprehendimus inimicitiam; & ex actibus, vitia & virtutes, quæ sensibus exterioribus non sentiuntur. Hanc vocant in nobis *cogitativam* & rationem particularem, quia fit cum discursu singulari: in brutis vero, quia per instinctum, sine discursu, vocant *æstimativam:* huic subnectunt cellam in occipite in qua locant *Memoriam* (7) cujus est servare species has insensibiles, quoniam bene sicca est illa capitis pars, beneque retinet: & hæc solo instinctu (inquiunt) expergefit in brutis: in homine vero etiam cum discursu, & vocatur *Reminiscentia.* Differt Memoria ab Imaginativa, ut probatur ex præfatis functionibus, & quia insuper muscæ carent memoria, nam disciplinabiles non sunt; non tamen imaginatione, qua moventur. Adjiciunt his vim motivam in corde, & appetitivam, de quibus alibi. Addit (8) partem animæ rationalem, quam separant a sensuali, quoniam illa est in homine, & non in brutis. Et Alexander vult eam advenire post sensilium adeptionem, quia confert ad bene esse, non ad esse. Postea (9) addunt *intellectum passivum*, qui possit omnis fieri, & universalia intelligere, & scientiam facere, in qua non sit error: & quia ubi est patiens, datur & agens; adjiciunt (10) *Intellectum activum*, cujus munus est phantasmata defæcare materialitatibus, & facere universalia, hoc est intelligibilia, qualis ipse est: sicut lux colores potentia visiles, facit actu visiles, ait Aristot. 2. de an. c. 19. vel, sicut Alexander dicit: Quemadmodum ignis maxime activus vocatur, quia omnem materiam, quam occupat, consumit, sibique pro alimento præbet, cum taman patiatur, quatenus nutritur: eodem modo intellectus activus existimandus est, a quo potius denominatur anima agere, dum intelligit, quam pati a passione, quoniam a nobiliori fit denominatio.

Verum de intellectu passivo digladiantur. Alexander enim ipsum ex temperie Elementorum optima nasci putat, ut eorum perfectionem: activum vero esse substantiam gubernatricem, hominum in cunctis eundem unicamque. Averroes vero utrumque abstractum ponit & immortalem, & unicum in cunctis hominibus. Latini utramque potentiam animæ immortalis faciunt, quæ plurificatur cum individuis. Animam vero esse formam corporis, non autem ipsas potentias: sed conveniunt omnes, quod Scientia est sempiternorum, universalium defæcatorum ab intellectu agente. Opinionem vero esse rerum contingentium, etiam in intellectu quatenus reflexe singularia intelligit, & ita fieri practicum volunt; & distingui in speculativum & practicum; hujusque habitus esse Prudentiam & Artem; illius vero Sapientiam, quæ est causa altissimarum; & Scientiam, quæ est conclusionum universalium; & Intellectum, qui est principium demonstrationis, nempe quod omne totum est majus sua parte &c. & in his non esse errorem, sicut in sensu: ideoque antiquiores errasse, quia hanc Scientiæ artem non invenerunt.

Probat autem sensum esse aliud ab intellectu, quoniam sensus est alligatus organo corporali, & cognoscit alteratione corporali, & a vehementi sensibili offenditur, & cognoscit singularia tantum hic & nunc. At intellectus non est alligatus organo; intelligit universalia sine alteratione corporali, & a vehementi intelligibili confortatur, ita ut magis postea intelligat minus intellectilia. Item sensus cognoscit hoc esse: intellectus vero quiditatem formalem, convenientem huic & aliis.

Denique (11) aliud animæ genus faciunt nutritivam, quæ alit, auget, & generat: & has omnes ponit in corde Arist.

XXIX. Disputant Peripatetici, utrum sint plures animæ vel una? Scotus cum Græcis & Arabibus eas substantialiter plurificat: D. Thomas solum potentias. Galenus, sequens Platonem, ponit Rationem & Motivam in capite, Irascibilem in corde, Vegetativam in jecore, quoniam est dissidium inter illas: sæpe enim ita repugnat rationi & appetitui, & hic illis; sed differt a Platone, quoniam temperiem cerebri facit animam, solamque sensu donat. Plato autem dat sensum etiam cæteris; At in cerebro ponit animam immortalem, non ex temperamento, neque formam. Deinde Galenus dividit sentientem cerebri temperiem in discursivam, imaginativam, & memorativam. Quoniam agnovit per ægritudines posse unamquamque deperdi servatis aliis duabus. Plato autem in cerebro sensum communem, & phantasiam, & rationem, & mentem ponit. Ita Peripatetici.

XXX. Nos autem divinæ literæ admonent, sapientiam Dei super omnem carnem, & super omnia opera Dei, effusam esse, ita ut in aliis participata sit naturalis sensus; in aliis animalis; in aliis vero rationalis, concludere liceat; & alibi eædem SS. literæ omnia naturæ Elementa & elementata vivere ac Deo obedire necessario asserunt. Eccl. 42. v. 24. Omnia hæc vivunt, & manent in sæculum, & in omni necessitate omnia obaudiunt ei. Primum ergo genus animæ, quod vegetativum vocant & concupiscibile, in plantis repertum, sensitivum aliquo modo imperfecto prorsus est, non tamen quantum in animalibus, in quibus etiam alius est sensus spiritus, alius carnis, alius ossis & dentis & nervi: obtusior scilicet clariorque. Neque ex eo quod planta materialiter suscipit nutrimentum, non sentit, veluti arguebat Aristoteles. Nam & tactus noster, & gustatio fit sensu materiali, & tactus Veneris similiter, quem huic tribuunt animæ, quam secant in nutritivam, augmentativam & generativam. Ne-

quę enim planta nutrimentum bonum a noxio diſtingueret ſine ſenſu, ſed omnem & ex quacunque terra ſugeret: neque exhilararetur pluvia erectis viridantibus foliis: nec mœreret dimiſſis ſqualentique vultu in magno æſtu comis: neque ſciret partes cibi diſtribuere: nec partes ſine ſenſu attraherent; nec appeterent; appetitur enim nihil, niſi prænoſcatur: neque ſpinas contra feras parare; folia contra frigus & æſtum; ſemen contra mortalitatem; & licet a cauſis inſtigentur melioribus, haud tamen inſtigari queunt citra violentiam, niſi ſentiant. Non enim lapis obedit, ſed fera,& ſi,ut S. Hieron. ait in c. 8. Matth. omnia ſentiunt Creatorem, cur non & cibum? & proficua & noxia, quanquam non ſunt animalia? Præterea enim non quemcunque cibum appetitiva captat, ſed proficuum; & coquit multum calore multo, paucum pauco, uti peritus coquus; & fœminas concupiſcit, non quaſcunque, ſed blanda temperie pulchraque donatas, in quibus ſemen fructificet melius, & procurant generationem, quod eſt rationis vel participatæ opus, vel obedientis non erranti intelligentiæ. Unde D. Thomas facit vegetativam participio ſenſitivam, & ſenſitivam participio rationalem, & rationalem participio intellectualem ſeu Angelicam ex Dionyſio. Similiter & Iraſcibilis, cui Galenus dat tractare arma, & imperia facinoraque glorioſa, quæ non modo ſenſum, ſed rationem ſummam requirunt. Propterea non iraſcimur, ſi quis nos lædit caſu, vel noſtri boni gratia, uti præceptor & Medicus, ſed ſi propter deſpicientiam, quam noſſe eſt opus rationis & imaginantis animæ. Sentit ergo & imaginatur ipſa Iraſcibilis, participatque rationem; neque enim obediret rationi, ſi ejus non ſentiret præcepta & perſuaſiones, proptereaque Ariſtoteles in Ethicis rationis participium illis adſcribit. Si enim contra quem iraſcitur, audit eum peccaſſe non ſponte, ſtatim vindictam paratam omittit. At quomodo id novit, aut perſuaſa fuit tam cito, niſi ſentiat diſcurratque? Temperies autem cordis & jecoris ſtupidas, inſenſataſque & materiales, deſpectum & perſuaſionem, & præceptum imaginari obaudireque poſſe, nil credendum: ſed ſapientiorem vim a craſſo corpore minus dependentem, qualis eſt ſpiritus. Senſum autem diſcurrere & memorari, & imaginari concedit Galenus, quamvis immotam ſtupidamque temperiem hiſce operationibus ruditer præficiat. Nec ejus ratiunculæ id evincunt, quæ, teſte D. Auguſt. ſunt eædem cum rationibus Manichæorum.

Non enim quia contra Iram inſurgit Ratio,& contra noxiam cibi concupiſcentiam, ira & ratio & concupiſcentia ſunt tres animæ ſubjecto diſtinctæ. Nam & rationalis, dum ſecum diſputat, contra ſe argumentatur, donec veritatem inveniat: nec propter hoc duplex anima, ſed in objecto obſcuritas & incertitudo. Aliquando enim id accidit, ex corporearum partium diverſa temperie, quibus alia proſunt & nocent: igitur quia placet linguæ frigida, & nocet ſtomacho, & pugnæ febricitantis, dum utrique parti ſatisfacere vult ſpiritus, ſecum pugnat. Similiter dum præceptis ſimul Patris & Matris contrariis cupimus obedire, fit repugnantia in anima diſſidiumque. Eſt ergo diverſitas in objecto & fine, & temperie gubernati corporis, diverſas apparentias & argumenta, in anima cognoſcente, facientibus, non autem in ipſa cognoſcente.

Nihilominus tamen (quod bene notandum) ex eo, quod contra corpus & Spiritum (animam ſenſitivam) Mens divina appetit; & a corporis gubernatu alienatur, ejusque omittit curam omnino in extaſien rapta: Spiritus vero corporeus e contra divina averſatur, & inferiora concupiſcit usque ad delictum & inſaniam, divinæque vitæ prorſus repugnat; legi Dei non ſubjectus; ex his merito licet concludere mentem humanam (animam rationalem) & ſpiritum animalem (animam ſenſitivam) duas eſſe ſubſtantias, alteram divinam, alteram mortalem, fines oppoſitos habentes. Quod argumentum ex Apoſtolo, non ex Galeno, ſumimus, qui animam mortalem modo triplicem facit, iiſdem argumentis adductus, quæ & in brutis conſpiciuntur. Hanc tamen mortalem triplicem in facultatibus, non in ſubſtantia, facimus, vid. ſentientem, imaginantem & ratiocinantem per participationem, ſicut & S. Thomæ videtur.

Mentem vero per eſſentiam, quoniam ex Primalitatibus conſtat, & non ex corpulentia primalitatum participe, quemadmodum animalis ſpiritus in cunctis organis idem. Quomodo autem mens ſit forma, diximus ſupra Tract. VIII. de anima rationali.

SECTIO VI.

Unica eſt ſubſtantia, unusque realiter ſenſus in omnibus organis, nec datur ſenſus communis à particularibus diſtinctus.

IX. Verior eſt ſententia, quinque ſenſus exteriores ſecundum ſubſtantiam ſentientem idem eſſe: ſecundum organa vero, & ſecundum objecta, quæ pluribus organis hauriuntur, plures ſunt, hoc eſt extrinſece quoad connotata: nam & organa artis ad res diverſas tractandas diverſa ſunt. Plura autem organa plures operandi ſentiendique modos requirunt; plures autem modi, plures requirunt facultates, quæ in ſubſtantia animæ unum ſunt: in relatione vero ad res objectas, plura. Præterea manifeſtum eſt quinque ſenſibus externis vulgaribus, ſuperaddi debere ſenſum Veneris in genitalibus, actu & inſtrumento & objecto differentem ab aliis, & ſenſum famis in ventriculo ſimiliter, quibus adjungit ſitim Bontekoe Oeconom. animal. pag. 47. Non enim idem eſt cum eo; ille enim non dolet nec fameſcit, ut iſte. Sunt ergo ſenſus vel modi ſentiendi tot, quot ſunt partes in homine. Aliter enim ſentit dens, & caro & ſpiritus, & omnia organa Poteſtativi & Appetitivi ſenſum habent materialiter, licet formaliter & principaliter non ſentiendi, ſed potendi & appetendi organa ſunt. Ad diverſos ergo uſus ſenſilium, quibus ſervamur & deſtruimur, diverſa facta ſunt organa. Prout eadem vel plura diverſis modis nobis communicari poſſunt. Tot autem ſenſus animali inſunt, quot opus ſunt ad ejus conſervationem. Quapropter ea cum non omnia entia ſint ejus conſervationi neceſſaria, non omnia ſentire opus habet: ſed quæ ſunt ſui ordinis proficua & noxia. Sic Angelus non ſentit, neque tenuiſſimum aërem, neque vires rerum languentes, quoniam ab his lædi vel juvari nihil vel parum poteſt. Homo, quia præter corporea, cœleſtium quoque indiget cognitione, altioris ordinis ſpiritu debuit inſtrui, vid. Mente. Mens autem, quidquid operatur ſentiens anima, & ipſa operetur cum ea: ſentit enim, memoratur, reminiſcitur, imaginatur, ratiocinatur circa naturalia, & inſuper

per operationem habet propriam erga transnaturalia per se, ad quam etiam rapit Spiritum sensitivum. Patet in extasi ad superiora: sicut Spiritus rapit Mentem ad inferiora, ut patet in ira & libidine, propter consortium.

Vnus ergo idemque Spiritus sentiens in animali nunc videt in oculis, nunc imaginatur in capite, dormientibus externis partibus. Idem colligitur ex eo, quod cum attente quid inspicimus, ægre audimus, quoniam totus fere spiritus confluit in oculos: at quoniam corporeus est, potest simul in diversis organis partiri functiones; sed cum una necessario offertur, major pars illo confluit, & ad alias ægre sufficit.

X. Propterea excluditur positio *Sensus communis:* cum enim idem Spiritus in cunctis operetur sensoriis, ipsemet objecta eorum confert & distinguit, & non altere pars animæ, aut potestas in altero posite organo: si enim alia esset, non posset illa simul nosse: siquidem si tu saporem sentis, & Petrus albedinem, non possum ego illum saporem & albedinem distinguere & conferre, neque tu. In eo quoque falluntur Peripatetici, quod putent sensum esse organi formam, & non spiritum, qoi per organa sentit. Sed neque unquam declaravit Aristot. quomodo idem sensus communia indivisibilis possit diversis objectis simul informari & judicare, nam confert & dividit?

Respondet quidem responso sumpto ex Platonis Theætheto, vid. quod unum indivisibile sicut centrum, quod quidem est multa, relatum ad lineas protensas ad peripheriam. Sed contra, multiplicitas relationis esse quidem ita potest in uno indivisibili, non autem passionis: sensus enim patitur a sensibili. Ideo quæro quomodo potest contrariis & diversis objectis simul moveri, & pati & informari?

Quod anxie Aphrodisæus disquirit, & cum dubitasset, utrum sint in sensu communi, sicut albedo & dulcedo in uno pomo? & nequaquam approbandum videretur, quoniam si contraria sensus judicat contraria esse, necessario afficitur ab eis contrario modo: neque quia recipiuntur immaterialiter, non sunt contraria album & nigrum, ut postea dixit. Nam probavimus realiter pati sensum & judicare; propterea quod patitur contraria e contrariis contrarietatem, alioquin nunquam talia judicabit, qualia sunt. Tandem videtur eidem Alexandro posse sensum contraris percipere, quia in diversis suis partibus, quarum quasi linearum est ipse terminus, diversa objecta patitur. Sed hoc fieri non potest, non enim centrum afficitur, dum lineæ afficiuntur, ergo oportet ad ipsum centrum pervenire contraria. Cum entem pervenerint, oportet centrum, si indivisibile est, totum illis affici, ergo contrariæ passiones simul erunt. Quapropter nequaquam Peripatetici satisfaciunt, neque spiritum sentientem & corporeum agnoscant in diversis sui partibus patientem simul diversa, & judicantem diversa propter sui continuitatem, & is est, qui sensilie communia, una cum particularibus internoscit, & sentit se sentire in singulis sensibus; nam & migrat in alterum oculorum totus, cum qoid acuratius spectandum est. Et ipse Aphrod. & Arist. docent, in 2. nat. q. c. 7. "non „ modo sensum communem, sed particularem sensum „ sentire propriam sensationem: nam, ajunt, sensibilis „ rei actus & sensus unus est fieri; autem sensibile, est „ sentire sensibile, ergo qui sentit sensibile, sentit se fieri „ sensibile, quod est sentire: alioquin pati se non „ perciperet, & quidem in oculo remanet albedo ab„ eunte vehementi albo indicans hoc. Visus autem „ non videt oculum, quoniam in eo videt, & non sibi „ objicitur: sed neque sensus communis videt ocu„ lum, neque se, se videt se videre, quod videt." Quomodo omne cognoscens extranea, illa fit, & alienatur a se, ac videtur sese non cognoscere cum cognoscit.

Quapropter Aristotelici imperite sensum communem ponunt, & rationes eorum sunt inanes, secumque pugnantes. Plato autem rectius ponit sensum communem, quia non ponit sensus plures ut formas organorum, sed organa tanquam fenestras ad unum sensum non alligatum organis sensoriis, cui copulat mox phantasiam, & huic rationem, & huic mentem.

XI. Porro quoniam quæcunque sentit Spiritus, retinet, non sicut species in tabula, sed sicut motiones in aëre, ex quibus judicat de moventibus. Hinc Phantasiam ad conservandas motiones frustra ponunt in sicco. Idem enim spiritus sentiens eas conservat. Neque ad copulandas & dividendas species: non enim quasi manu tractantur & copulantur, & distinguuntur sicut corpora ab artifice: sed ipsa sentiens anima servat, quas sentit species, qnie fit ipsæ species Aristotelicis: nobis vero qnia mota est, potest moveri. Ergo non alia virtus accedit faciens hæc, sed ipsamet habens motiones potest copulare motionem v. g. auri & montis, & sic fingere montem aureum: & hominem sine capite imaginari, motionem hominis non totam recolendo, vel quia vidit in rebus divisiones rerum & copulationes & relationes, & harum motiones in spiritu quoque servantur: propterea potest anima applicare motum divisionis, motui hominis, & efficere divisum hominem, & hæc potestas est in eo, ob conservatas species, ut posit, quæ non videt sensibus, ex ipsis imaginari. Quemadmodum mihi imaginor, cujusmodi sit Anglia, ex eo quod vidi Siciliam: & formo angulos majores, quoniam & horum motus in spiritu servantur. Et sic de cæteris. Ubi palam est, hanc imaginativam esse aliquando applicationem rerum sensatarum ad non sensatas, & imaginatarum ad faciendas. Sicuti Inventor molendini imaginati, fecit molendinum reale: & avis ex imaginato nido, facit realem. Ergo est discursiva, ut etiam vult Plato, & syllogistica, ut sic: ut ex speciebus alias species facit: & memorativa, ut species retinet. Ergo idem sensus est Phantasia; & non fit per species, sed per motiones. Quod ipsum docet nomen *Phantasia*, & Aphrodis. *Quæ species*, ait, *est albedinis, aut soni typus?*

Hæc facultas spiritus melius est in Mente: fingit fabulas, Briareos, Chymeras, Poëmata, Scripturas, & Ideas faciendorum opificiorum, ergo valde rationalis est. Sed fallitur, quando res imaginatur aliter quam in se sunt: veluti si Constantinopolim putarem esse prorsus similem Neapoli. Siquidem dum applicas similitudines incertas, contingit falli, dum certas, minime: & hujusmodi est Syllogismus alius e simili accidentali & remoto, alius a simili essentiali & propinquo. In somno potest imaginatio, quoniem reliquiæ diurnarum motionum expergiscuntur, quiescente spiritu a motionibus aliis, & repræsentant visa in die, tanquam præsentia, vel copulantur motiones & distinguuntur, & apparent monstra. Spiritus autem, quoniam afficitur sicut in die, putat simulacra esse nuntie veri præsentis, qnia non sunt sensoria aperta, ut videat,

an ita sit in re: & dum vacat nutritioni, est insufficiens discretioni.

XII. Hic notandum, quod in somno & in delirio putant Epicurei perdi animum, alii Mentem; in ægritudinibus vero animam, unde distinguunt realiter animum ab anima. Quod si contingeret tantum in homine, putaret quispiam eos vera prædicare, cum nec verum videri debeat assertum. Cur enim somnium & delirium perdant potius Mentem: ægritudo vero potius animam, gratis assentur. Nos autem putamus, in ægritudinibus prave affici dispositiones corpusculumque spiritus (Sensitivæ). In deliriis vero Primalitates & motiones ejusdem Spiritus. Siquidem & a fuligine infestatus videt umbras & serpentes, & a vapore cui supernatat, videtur sibi volare: & non modo noctu, sed etiam in die ista contingunt; quando nimirum spiritus attenuatus est, & a quacunque re parva afficitur multum. Sic videns lineamenta in pariete, videtur sibi animal videre, quoniam species animalis in phantasia sopita resurgit ex modica illa similitudine. Et quia insuper debilis est, cum non possit discurrere ad notitiam, & venari, quod hæc apparitio sit falsa, decipitur & assentitur sicut in somnis. Et si credit omnino ita esse, jam delirat, se ipsum corrigere non valens: si vero sic apparere sibi videtur opinando, non autem vere existere quod apparet, ægrotat spiritus, sed nondum insanit.

XIII. Præterea experimur, quod cum quis nimio alicujus afficitur timore, amore vel odio, quidquid videt, putat esse aliquid illius, quoniam spiritus vehementer imaginatur rem amatam, aut formidatam: & dum in ea passione existit, objecta illius passionis quasi sub veste repræsentantur. Possunt & passiones illatæ hanc nutrire affectionem. Unde a cane rabido commorsus, vel tarantula, ita afficitur paulatim, immutaturque in affectus caninos, ut imaginetur se esse canem, & latret: quia spiritus affectus est caninus a veneno canino crescente in illo: unde nutrimentum canino ritu coquit & afficit, animatque semen canino quasi spiritu. Hinc palam fit, scire esse quoddam fieri, vel sequi ad fieri; & totale fieri perfici, mutato ipso scire in rem scitam, & ab ipso nasci appetitum & impulsionem. Quapropter palam sensus exterius imaginatur, sed non semper sicut interius: quoniam ille ab objectis extrinsecus corrigitur & emendatur: iste vero minime, ubi solum absentia sentit: licet somnians aliquando syllogizet se somniare, si spiritus liber est. Hinc solvitur Platonis dubitatio in Theæteto, quomodo dum aliquid cogitamus, multæ species rerum aliarum, quasi columbæ volantes in animo nostro expergiscuntur: quoniam scilicet omnes motiones similes sese mutuo excitant cujuscunque Prædicamenti similitudine, essentiali vel existentiali, & cum spiritus sit aëreus, multis simul agitatur.

XIV. Rationes Peripateticorum, quibus conantur evincere Imaginativam distingui a sensu, vanæ sunt. Prima enim petit principium: id enim quærimus, num idem sensus percipiat præsentia & absentia? Ipsi vero separant per hoc, quod præsentia & absentia non sint ejusdem virtutis cognoscitivæ: in quo convincuntur experimento, cum palam sit, ea quæ sensus percipit, remanere in eo; & per illa de aliis imaginari posse. In vigilia quoque fieri imaginationem dictum est, & in somno sensum: non enim imaginamur, nisi videre, audire & pati, quæ a sensibus accepimus, vel eisdem consimilia, quoniam motus absentis, & qui relictus est a præsentibus, debilior est. Item planum est, quod idcirco possimus imaginari, quod objectum jam est in sensu, non autem sentire exterius, quoniam non adest. Sed neque est alia Ars, quæ potest & cogitat ædificare, ab ea, quæ ædificat; sed differt objecto præsenti & absenti.

Ad aliud: fallitur imaginatio, quoniam objectum est absens: species vero ejus non ita fortis est eo absente, ut præsente: itaque aliter quam sit, potest offerri, dum ejus motio recolitur, & ab aliis intercipitur, vel alia similis pro illa excitatur. Sed & sensum falli subinde circa objectum & sensile proprium videmus, dum remus in aqua curvus apparet, qui rectus in aëre &c. sed præsertim fallitur in syllogismo, ut etiam sensus, nam putat aliquando lapidem ponderare sestertia quinque, qui tria ponderat: & reputatio illa est ab alterius lapidis consimili magnitudine, & aggreditur utrumque pari conatu, & fallitur: sicut in phantasia omnia objecta sensuum percipiente.

Ad alteram rationem Resp. cunctis animalibus inesse phantasiam, quoniam in omnibus perseverat illata passio ab objectis, & secundum illam sectantur, aut fugiunt. Ostreæ vero, licet non gradiantur, tamen dilatantur & constringuntur. Non syllogizant autem ipsa, neque plantæ, quia non habent spiritum foetem in spatiosis cavitatibus libere se movere potentem: sed nec indigent, cum cibo adnato vescantur. Non datur autem ulli non necessarius. Sed neque quia talpæ non vident, visus non pertinet ad sensum, quia idem spiritus juxta organorum diversitatem diversas elicit operationes.

Similiter petunt principium dum sensum ab intellectu (Aristotelico) secernunt. Hoc enim in quæstione est, num eadem vis aliquando attingat verum, aliquando secus, veluti sensu exteriori accidit? Ipsi autem econtra partiuntur attingentem a non attingenti, & quidem puerili ratione, uti supra jam ostensum.

ANACEPHALÆOSIS HUJUS TRACTATUS, & quid SS. Thomas & Augustinus hac de re senserint.

XV. Maneat igitur inconcussum, Bruta non esse mera automata ex stupidis & inertibus moleculis compacta, sed pollere sensu, cognitione, phantasia, memoria & ratione. Non tamen ideo conferenda homini, quia ratiocinantur & syllogizant, & universalia intelligunt: Hæc enim non habent essentialiter, sed ex participio, quatenus spiritus eorum corporeus participat Primalitates, & non est ipsæ Primalitates incorporeæ, puræque; ergo nec purum ratiocinium, puramque ex se habent intellectionem. Ratiocinantur enim, prout ab objectis & passionibus sensus imaginationisque feruntur ex una notitia in alteram: non tamen eliciunt ratiocinium sponte libereque sicut homo, qui mentis vi innumerabilia excogitat, etiam cum ab objectis non movetur.

Præterea ex humanis, & naturalibus ad divinorum cognitionem discurrit, & cultum benefactoris & creatoris sui exinde cognoscit. Propterea Theologi doctissimi, divinorum sapientia & religione erga Deum, & arbitrii libertate, distinguunt hominem a brutis;

divi-

diviniorem que animam, supra sentientem in eo agnoscunt. Unde argumentum Arist. Quod si anima humana habet propriam operationem, in qua non communicat cum corpore, & alioorem sensitiva; contingit ipsam separari tanquam alterum genus animæ: non est vanum; sed in minore propositione errant, dum optimam, quæ est intelligere, dicunt esse Phantasiam, vel non sine phantasia. Nam & datur sine phantasia, etiam in multis se notitia innata cognoscentibus: & cum phantasia potest esse, & non incipiendo a phantasia, ut notitia divinorum: vel si ex phantasia, tamen ultra quod potest dare sensitiva phantasia in infinitum extensio.

Sic etiam intellectio brutorum non est similis humanæ, de qua Theologi loquuntur, sed similis Aristotelicæ, quæ cognitionem universalis causati ab Ideatis, quæ etiam brutis maxime inest, tanquam optimum donum hominibus præbet. Humana enim intellectio est universalis Ideæ insuper causantis ideata, ipsarumque idearum divinarum, ad quas bruta non eriguntur. Recte quoque ait Arist. 3. polit. Servus non habet liberum arbitrium: mulier habet, sed debile: puer vero imperfectum. At profecto infans & canis liberum arbitrium non habent: non enim potest eis persuaderi, vel per religionem, vel per medicinam, ne appetant, aut non accipiant cibum suavem, sicut persuadetur vir per rationem, sed tantum per baculum & coacte: moventur enim a passionibus & objectis, non per rationem ab eis expressam, sicut horologium & planta, quæ rationabiliter operantur, impressa tamen ratione ab autore naturæ vel artis, & non expressa ab eis per syllogismum. Et quamvis canis ad multas operationes videatur se movere, & non ad unam tantum, non propterea liber est, etiamsi ab inceptis sponte desistat; hoc enim facit non syllogismo elicito, ut notat Ambrosius, sed illato ab objectis & passionibus: desistit enim ab insectanda vulpe invitatus ab altera via breviori, vel a timore Leonis, vel ab alia passione nova, quam non potest declinare. Homo autem multis passionibus moventibus, multisque objectis, libere arbitratur & deliberat quid faciendum sit, etiamsi Deus jusserit contrarium: ut intelligas, quod si a Deo jubente & præmovente non cogitur ad servitium, ergo multo minus a creatura.

XVI. Aberrat ergo P. Kimmet a Vera Philosophia (sic suam inscribere placuit) & omnes Cartesiani cum illo, qui brutis sensum negant: sane mirum, quod canibus suis imponant nomina, quibus eos compellant, uti Philosophus illa servos suos, cum æquiparent illos idolis, quæ oculos habent, & non vident, aures, & non audiunt, nec ipsi audiendi. Dumque negant bruta cogitare: aut altercantur de nomine, aut petunt principium. Quid enim aliud est cogitare & cognoscere, nisi rem cognitam seu objectum cognitum sibi exhibere aut repræsentare? Dum ergo quærimus an bruta cogitent, & adversarii dicunt cogitationem spectare ad Mentem, quæ brutis deest, dant pro ratione, quod erat probandum. Audire juvat, qui hac super se duo Ecclesiæ Doctores, Aquinas & Hipponensis sentiant.

XVII. S. Thomas in 3. dist. 23. q. 2. art. 2. ait: “Cum cogitatio discursum rationis importet; intelligens habet assensum sine cogitatione, scil. circa prima principia, quæ quisq; statim audita probat, juxta Boëtium in L. de hebdomad. sciens autem & assensum, & cogitationem habet, sed non cogitationem cum assensu, imo cogitationem ante assensum, quia ratio ad intellectum resolvendo perducit. Credens habet assensum simul, & cogitationem, quia intellectus ad principia per se nota non perducitur; unde quantum est de se, adhuc habet motum ad diversa, sed extrinsece determinatur ad unum, scilicet ex voluntate. Opinans autem habet cogitationem sine assensu perfecto, sed habet aliquid assensus, scilicet imperfectionem, in quantum adhæret uni magis, quam alteri, ad differentiam dubitantis, qui nihil de assensu habet.”

Ostensum autem est bruta pollere ratione, saltem imperfecta, umbratili & ex participio, juxta eundem S. Doctorem, qui & prudentiam illis concedit, consequenter & cogitandi vim. Et cum insistat vestigiis S. Augustini in plerisque, adjungemus & hujus verba formalia.

XVIII. S. Augustinus L. de quantitate animæ, fuse explicat quid nobis cum animantibus commune sit, ubi ait: “Primo corpus hoc terrenum atque mortale præsentia sua vivificat (Anima) colligit in unum, atque in uno tenet; diffluere atque contabescere non sinit; alimenta per membra æqualiter suis cuique redditis, distribui facit; congruentiam ejus modumque conservat, non tantum in pulchritudine, sed etiam in crescendo atque gignendo. Sed hæc etiam homini cum arbustis communia videri queunt; hæc enim etiam dicimus vivere; in suo vero quodque illorum genere custodiri, ali, crescere, gignere videmus, atque fatemur.” Tum de anima sentiente acturus. “Nunc, inquit, quod institueram, intende quæ sit vis animæ in sensibus, atque in ipso motu manifestioris animantis, quorum nobis cum iis, in quæ radicibus fixa sunt, nulla potest esse communio. Intendit se anima in tactum, & eo calida, frigida, aspera, lenia, dura, mollia, lævia, gravia sentit atque discernit: deinde innumerabiles saporum, odorum, sonorum, formarum, gustando, olfaciendo, audiendo, videndoque dijudicat. Atque in iis omnibus, ea quæ secundum naturam sui corporis sunt, adsciscit, atque appetit; rejicit fugitque contraria.” Tum reliquas animæ sentientis functiones prosequitur, & concludit. “Sed hæc rursus omnia posse animam etiam in bestiis nemo negat.” Tum hæc subdit de tertio animæ gradu.

“Ergo attollere in tertium gradum, qui jam est homini proprius, & cogita memoriam non consuetudine inolitarum, sed animadversione, atque signis commendatarum, ac retentarum innumerabilium, tot artes opificum, agrorum cultus, exstructiones urbium, variorum ædificiorum ac moliminum multimoda miracula, inventiones tot signorum in literis, in verbis, in gestu, in cujuscemodi sono, in picturis, atque figmentis; tot gentium linguas, tot instituta, tot nova, tot instaurata, tantum librorum numerum, & cujuscemodi monumentorum ad custodiendam memoriam, tantamque curam posteritatis, officiorum, potestatum, honorum dignitatumque ordines, sive in familiis, sive domi militiæque in Republica, sive in profanis sive in sacris apparatibus; vim ratiocinandi & excogitandi; fluvios eloquentiæ, carminum varietates, ludendi atque jocandi causa mille formis simulationes, modulandi peritiam, dimetiendi subtilitatem, numerandi disciplinam, præteritorum ac futurorum ex præsentibus conjecturam. Magna hæc & omnino humana.

XIX. Ex quibus omnibus efficitur, non quidem bestias esse simulachra tantum vitae, nec omni destitui cognitione, cogitatione, ratione; sed longe inferiori gradu; hominemque palmam [illegible] differentiis & prærogativis illa excedere, uti non identidem inculcavimus, & per decursum hujus tractatus & ubi de anima rationali egimus, professi sumus.

TRACTATUS XV.

DE CAUSIS.

QVia Corpus naturale non modo a Principiis, & Primalitatibus ortum habet, sed etiam a causis dependet, a quarum ignoratione admiratio existit: unde philosophandi studium sumpsit exordium, & tunc absoluta censetur Philosophia, cum deposita admiratione perfectam causarum acquisivit notitiam; juxta illud Hesiodi, in Lib. qui inscribitur Opera & Dies. Felix qui rerum potuit cognoscere causas. Est autem hic Tractatus, cum omnibus disciplinis, tum Philosophiæ naturali, in qua non aliud, quam rerum naturalium causæ & proprietates inquiruntur, maximè necessarius & utilis. Cum tamen Causæ ratio latius pateat, quam naturalis scientia; eaque rebus corporeis & incorporeis communis sit, palam est illius contemplationem magis ad Metaphysicam, quam ad Physicam pertinere.

Itaque hoc loco discutiendum nobis est 1. Quid sit Causa. 2. Quotuplex. 3. De causa Efficiente & Finali fusius. De Materia & Forma seorsim agemus. Quod attinet causalitatem, seu Actionem, vide Tract. II. supra.

SECTIO I.

Quid sit Causa & quotuplex.

I. Principium & Causa confundi non debent, latius enim patet nomen Principii, quam Causæ. Nam ad rationem Causæ duo requiruntur: 1. quod sit realis & positiva: sic privatio causæ rationem non habet, licet vulgo habeatur pro Principio generationis: nec nisi late sumendo Causam, vocatur talis ab Arist. Lib. 12. Mataph. cap. 2. textu 12. Deinde omnis effectus naturam a causa saltem numero distinctam habere necesse est. Hinc a Theologis latinis Pater æternus dicitur & est Principium Filii, non causa: est enim eadem natura in Patre & Filio. Altera ratio est, quod Latini nomine effectus intelligant esse defectibile seu determinabile ad existendum: hinc in symbolo ponitur: genitum non factum. Græci autem Patres non ita stricte usurpant nomen Causæ, & sine errore Patrem æternum filii causam compellant. Sed de hoc viderint Theologi.

II. Quare omnis Causa est Principium, sed non vicissim: ac principium (ex radice hebraica 9. *unicipium*) satis apte definitur: *unde vel a quo aliquid est.* Sed quid sit Causa, non ita est explicatu facile. Et quidem nusquam definitur ab Arist. cum quæ sunt manifesta per se, & notissima, definitionibus magis obscurari soleant, quam explicari. Cumque Philosophi veteres principium cum causa confunderent, utriusque discrimen nullum attulerunt. Causæ nomine vulgo intelligimus rationem cur res sit. Sic & pueri aliquid asseveranti, aut præcipienti mox tritum illud CVR? quare? reponunt.

Thomas Campanella subtiliter, more suo, Lib. 2. Met. c. 2. art. 1. sic discutrit: *Primalitas* est, unde ens primitus essentiatur. *Principium* est, unde aliquid primitus est. *Causa* est, unde aliquid fit. *Elementum* est, ex quo aliquid primitus componitur. *Semen* est compendium causarum, & principiorum, & elementorum, & primalitatum, in effectus substantiam veniens. *Conditio* est accommodatio causæ ad causandum, ut combustionis stupæ est ignis ad stupam approximatus. Propterea omnis causa operatur & causat ex occasione aliqua, quoniam non est Prima: & ex conditione, nisi enim applicetur, non causat. Prima vero causa (Deus) non eget occasione aliqua, quoniam dat; nec applicatione, quoniam est ubique, & prævia & intima cunctis, & a se. Effectus autem dicitur, quasi extra causas factum aliquid, in quantum aliquid, id est aliud quid a causis. Causæ enim licet sint in effectu participative, non tamen ut causæ, sed ut causatum. Multiplicantur enim ut partiuntur in aliud numero ens constituendum.

III. Primalitates (posse, nosse, velle) essentiantes essentiam, omnia præcedunt; ex Primalitatibus extantibus, seu extra respicientibus oriuntur Principia vocata Facultates a Philosophis, egressiones & viæ SS. literis. Quæ extensa ad objecta exteriora, pariunt passiones, notiones, & affectiones. Extensiones autem istæ, quæ in nobis sunt reales, in Deo vero respectus tantum, producunt principiationem & rerum universitatem. Ex principiationibus Causæ: ex causis vero unitis, semina; & ex concursu rerum occasiones, quæ per Necessitatem, Fatum, & Harmoniam reguntur a primalitatibus influxum habentes. Conditio causam ad causandum accommodat; si enim agens patienti non approximetur, vel hoc ad aliud non ordinetur, actio non fit: sicuti, si non veneris (conditio est) non dabo tibi librum. Sic occasio specificat causationem: potest enim causare causa, sed non causat sic, nisi occasio ferat, ut raptus Helenæ occasio est Trojani belli. Est etiam aliqua occasio data, ut qui ponit offendiculum viatori: alia accepta, ut qui ex offendiculo didicit. Potest aliquid fieri absque occasione, sed non absque causa, & conditione causandi, & hoc, cum causa seipsam ex se determinat, ut Deus, & libertas.

IV. Eminenter dicitur aliquid esse in aliquo, quia unitius, universalius & plenius. Participative vero, dispersius, particularius & diminutius, ut calor solis in plantis, & lapidibus &c.

Sicut in semine sunt omnes causæ, in substantiam causati simul deductæ: nihil enim est causatum, nisi causarum participatio, vel in ens aliud numero contractio: sic in causa est omne principium, sive principiorum participatio: in principiis vero sunt primalitates, ita ut in primalitatibus insit principium, & causa & semen eminenter. In principiis, causa & semen eminenter, sic in causis semen. Item omne semen est causa; sed non econtra: & omnis causa principium,

pium, & non econtra: omne principium primalitas, & non econtra, ita ut inferiora in superioribus eminenter, superiora in inferioribus participative contineantur.

V. Quapropter quoniam tres sunt Primalitates; tria etiam sunt principia, extantia erga principiata: videlicet potestativum, cognoscitivum & volitivum: hoc dico in genere. Nam cum extra respiciunt, multiplicantur. Vnde in unico viscere animalis datur potentia attractiva, retentiva, digestiva, immutativa, expulsiva, calefactiva. Et similiter in cæteris rebus. Cognoscitivum quoque secatur in sensitivum, intellectivum, imaginativum, memorativum, discursivum, declarativum &c. Deinde etiam subdividitur, ut patet in sensoriis, ad objecta varia variis, prout alibi fusius declarabimus, ubi de principiis agemus.

Ex his deducitur, tria esse quoque causarum genera. Agens enim & Materia sunt potestativi: quia potentia activa, & receptiva ejus sunt; illa intus a primalitate: hæc extra ad primalitatem. Idea & forma, sunt cognoscitivi: illa intus ex sapientia primalitate; hæc extra ad ejus exemplar. Ergo & amoris duplex esto causa finalis, licet nomina duo nondum habeat. Sed de his recurret sermo, cum de finali mox agemus.

VI. Causa igitur est unde aliquid fit, & qua posita, ponitur effectus, & qua dempta, non ponitur in actu. Igitur causa efficiens est, *a qua* aliquid fit, dico *fit*, non *est*: quia quatenus *est*, a principio est; & quatenus essentiatur, a primalitatibus est; quatenus fit, a causa fit. Idealis causa est, instar cujus fit. Formalis, quo fit. Finalis, propter quod fit. Perfectionalis, secundum quod per fit, seu perficitur.

λη unde essentiatur, continet eminenter & unite λη unde est; sicut λη ens, λη aliquid. Et λη unde est, λη unde fit. Et in causis λη unde fit, distribuitur in *a quo; de quo; instar cujus; quo; propter quod*, & *secundum quod*: sicut λη *essentiatur* in principiis trahitur ad λη *est* & *existit*, & *extat &c.* & in causis ad *fit*, & *efficitur*: & propterea λη *essentiatur*, continet eminenter λη *est*, & *fit*; sicuti primalitas, & principia & causas.

Diximus ab Amoris primalitate duplicem oriri causam finalem. Alia videlicet est finis interior primalitati, *propter quem*, vocatus. Omne enim agens propter se operatur ultima finalitate. Alia est finalis *quo*, ut finis navis est navigatio, *quo* est perfecta forma navis, ut sit apta ad *propter quem*. *Propter quem* enim lucrum est, & conservatio ejus, qui principaliter facit navem, ut alibi declarabimus.

VII. Igitur cum sit sextuplex nominata causa, nimirum activa, idealis, formalis, materialis, formalis, finalis & perfectionalis: erit quidem semen causa: non autem omnis causa semen (nisi proxima; non autem propinqua, neque remota, neque remotissima) sed compendium omnium causarum, decisum ad constituendum aliud numero ens.

Arist. negat causam idealem, quia putat sufficere agens sine idea ad causandum, & quia idea est in agente, & idem cum eo. Perficientem vero nec agnovit. At sic neque finis esset causa, nec forma; sunt enim effectus agentis & materiæ.

VIII. Propterea Seneca contendit duas tantummodo esse causas, agentem & materiam: quoniam vere causant & præcedunt causatum: cætera concausant aut succedunt. Quas si conferas (ait) confer & motum, quoniam necessario concausat, similiter & disponens.

Resp. nisi determinetur agens a fine, non agit: & cum fuerit determinatum, nisi dirigatur a norma & idea mediorum, non agit, neque potest causare. Non enim carens idea scribendi, scribet, sed maculabit chartam: neque ignorans A. facit magis A. quam B. aut aliud fortuito. Finis quoque est causa in intentione, ad ipsum enim dirigitur actio, & propter ipsum; sed ipse finis ad agentem, qui sui causa vult finem, & potest se determinare: alioquin erit alterius, non sui gratia, ab idea vero ut ab ipso. Forma est causa in facto esse, ut ideæ vicaria, & materiam determinans ad certum esse; & perficiens ad finem dat ornamentum & commoditatem, ut finem consequatur externum, & *quo*, propter internum, & *gratia cujus*. Motus non est causa, sed causationis actus: dispositio est principium effectus. Primalitates edicunt causas 6. Quod si sola potestas dignificetur, quoniam emanationes sapientiæ, & amoris sunt ab ipsa, erunt tantum duo genera causarum, ut Seneca vult, agens scilicet & materia. Sed æqualitas primalitatum, etiam in Deo, non admittit Senecæ positionem, nisi strictissime contendatur.

Omnis autem causa est in quadruplici gradu ad effectus postremos v. gr. plantæ, alia causa remotissima, ut Deus; alia remota, ut Sol; alia propinqua, ut calor in terra receptus; & in planta genitrice; alia proxima, ut calor seminalis, qui in plantæ substantiam abit.

IX. Similiter Materia remotissima, est corpus informe: remota est Elementum ex corpore & virtute activa compositum: (quam aliqui Spiritum seu animam mundi vocant) Propinqua, ut terra lenta blando calore præparata: proxima, ut illa terræ particula & caloris seminalis, de qua hæc planta oritur.

X. Idealis remotissima est in prima opificis mente Exemplar plantæ hujus: Remota, est in Cœli vultibus, & in Angelorum ideantium (Mundo huic præpositis) intellectu: Propinqua est in arbore generante: Proxima est in semine, vel in eo, quod semini proportionatur.

XI. Forma remotissima in Mundi Archetypo: remota in Elementis: propinqua in generante: proxima in planta hac genita.

Finis ultimus, propter quem omnia, est Deus: remotus est hominum usus: propinquus est genita planta: proximus est ejus existentia.

XII. Semen ergo est omnes istæ causæ in unum redactæ, seu causarum omnium simul in unum participatio, non remotissime, nec remote, nec propinque, sed proxime. Cum quo tamen stat, quod proxima, est participatio propinquæ: propinqua remotæ, & remota remotissimæ, quæ in omnibus plus est ipsa, quam ipsæ.

XIII. Vnius effectus numero est causa totalis & principalis numero: neque enim duo Scriptores scripturam hanc possunt facere simul: possunt seorsum, non tamen hanc simul ipsam numero, duæ autem pennæ possunt, hac enim aut illa possum eadem scribere. Sed Causæ partiales possunt esse plures; duo enim trahunt una tractione navim, ut *in hoc*, non ut *ab hoc*. Item consilians, adjuvans & occasionans possunt esse plures, quoniam unum faciunt omnes isti simul.

XIV. Causa universalis prius & posterius agit effectum, quam particularis; & simul coagit immediate secundum esse: mediate vero secundum hoc & sic esse, in quo particularis est immediatior: & ideo effectus est similior particulari. Sol & homo generant hominem, quo tamen Soli similior in communibus; homini in particularibus. Idem dicendum in omni genere causarum.

XV. Definiri alias solet causa, *principium per se influens in aliud*, vel ut definit S. Thomas, *ex cujus esse sequitur aliud*. Quæ definitiones fere eodem recidunt. *Principium*, ponitur loco generis: additur, *per se influens*, ut causa per accidens, quæque proprie non est causa, nisi nomine tenus, occasio quoque, & conditio, sine qua non fit effectus, excludantur. Quod enim Musicus ædificet, est per accidens. Sic conditio est quid prærequisitum ut causa agat, sed non est causa ipsa. Sic remotio obicis est conditio sine qua non fieret effectus. Simili ratione occasio utcumque ad agendum inducit, cum nisi oblata esset, effectus non fuisset consecutus: ut servus aurum non sustulisset, si arcam reclusam non invenisset. Hæc inquam omnia per se non influunt in effectum, nec veram habent causæ rationem. Quod tamen in definitione hæc verba adjiciuntur, *in aliud*, rationem jam attulimus: quod omnis causa proprie dicta influat in effectum a se diversum, seu alterius naturæ. Nam Pater æternus est quidem Principium Filii, non causa. Filius enim est quidem alia persona, non tamen alterius naturæ. Pater est alius a Filio, non aliud, ut loquuntur, substantive. Non enim alia est substantia vel essentia in Patre & Filio; sed una Divinitas; ac si proprie loqui volumus, Pater æternus influit in alium adjective, non in aliud, estque originis principium, non causa.

Cum autem hoc uni causæ effectrici proprium esse videatur, ut physicum & realem habeat influxum, hæc licet usitata in scholis definitio a RR. non immerito rejicitur.

XVI. Vnde sunt, qui Causam ita definiant, *id a quo aliud pendet*: sed difficilius intelligitur quid sit ab alio pendere, quam quid causæ vel effectus habeat rationem. Nam si dependentia in hoc posita sit, quod causa effectum producat, Pater æternus erit causa Verbi, cum Verbum a Patre producatur genereturque. Item si *dependet* est indifferens & commune ad dependere dependentia necessariæ conjunctionis, ita ut unum non possit esse sine altero, quæ etiam reperitur in Divinis (ut docet post Ruiz Alaicon Tract. 5. de Trinit. Disp. 3. cap. 2. apud Franc. Bonæ Spei in Disp. de Causis.) & ad dependere dependentia involvente imperfectionem. Item si effectus a causa pendeat, quia effectus sine causa esse nequit: eadem ratione causa in actu secundo, ut ajunt, sine effectu intelligi non potest.

Quare melius P. Oviedo causam dixit esse Principium communicans alteri esse ex se defectibile, quæ definitio omni & soli causæ creatæ, & Deo respectu operationum ad extra convenit: hac tamen limitatione quod principaliter conveniat Causæ finali efficienti; Materiæ autem & Formæ minus proprie, cum toti non communicent esse distinctum adæquate, sed semetipsas.

XVII. Ab hac definitione non discrepat ista: Causa est principium ex intrinseca virtute determinans aliquid de se sufficiens ad existendum. Essentia ergo Causæ in hoc consistit, ut det aliquo modo esse rei, quæ ex se non habet esse, & sic ex intrinsecis prædicatis est defectibilis, id est non existens necessario sed contingenter, ac indifferens ad existendum. Atque indifferentia proprie dicitur tolli per determinationem: hæc autem in rigore loquendo provenit a causa efficiente ac finali. Ex hac definitione eruitur unica fere regula dijudicandi in dubio, an res prærequisita ad productionem alterius, sit Causa vel pura conditio, si nempe ex intrinseca virtute effectum determinet. Id quod præcipue in moralibus, & contractibus locum habet, ad discernendum quid rationem Causæ finalis obtineat.

SECTIO II.

De prioritate Causæ respectu Effectus.

XVIII. Proprius character causæ in eo est constitutus, ut sit prior natura suo effectu. Hinc Arist. cum explicat modos prioris & posterioris, inquit: *quod est causa, quovis modo, ut alterum sit, prius natura non incongrue dici potest.* In quo autem consistat hæc *prioritas naturæ*, ut clarius appareat,

XIX. Observandum ex P. Sylvestro Mauro, Prioritatem & Posterioritatem in genere recte describi: Est habitudo plurium, secundum quam quibusdam alia adduntur. Illa, quibus alia adduntur, per hoc ipsum constituuntur priora; & quæ aliis adduntur, posteriora. Id quod nulli additur, sed ipsi adduntur cætera, constituitur per hoc & est primum in tali ordine. Id quod alicui additur, sed nullum aliud ipsi additur, est ultimum in tali ordine. Id denique quod alicui additur, & ipsi aliud superadditur, est posterius uno, & prius altero.

Jam pro diversa ratione, secundum quam unum alteri additur, diversi modi prioris & posterioris exsurgunt, quos recenset Arist. in prædic. cap. de priori & 5. Metaph. c. 11. Nam si unum alteri quoad tempus, sive in tempore jam existenti, additur, est *prioritas temporis*: si in ordine ad locum fit ista additio, est *prioritas loci*: si quoad numerum ut cum binario additur unitas, est *prioritas ordinis seu numeri*: si quoad officium, nobilitatem &c. est *prioritas dignitatis*. Si quoad modum cognoscendi, unum sequitur post aliud sive ex alio, quo modo ex essentia, sequitur & cognoscitur proprietas, est *prioritas rationis*: si unum ex alio legitime infertur, non tamen vicissim, est *prioritas a subsistendi consequentia*: sic unum prius est binario, nam ubi duo sunt, etiam unum est, non tamen vicissim. Denique si unum alteri quoad esse additur, inde *prioritas Originis*, aut *Naturæ* exurgit: illam prioritatem *a quo*: hanc, prioritatem *in quo* vocare solent.

Prioritas originis potest sic describi. Illud est prius origine, quo mediante ut existente aliquid accipit suum esse distinctum. Sic in Divinis Pater est prior origine Filio. Non autem causæ finalis, quia non ut existens dat esse: neque causæ intrinsecæ (materia, forma) quia non dant esse distinctum Toti seu Composito, uti contendunt Scotici. Reliquæ autem causæ a fortiori sunt priores origine, cum sint etiam priores natura, quæ dicit aliquid amplius. Dixi, *ut aliunde existens*, sensus est, quod illud, quod est prius altero, cui dat esse, non debeat per hanc actionem, per quam dat alteri esse, primum acquirere esse, sed debeat aliunde habere, alias non esset natura prius, sed simul. Accedit quod implicet, ut aliqua res det alteri esse, quin habeat esse. Dixi 2. *determinat aliquid ad existendum*, quia prio-

prioritas naturæ non est qualiscunque prioritas, sed talis, per quam aliquid secundum naturam, sive secundum esse & existere, ab altero, a quo illud esse suum recipit, dependet desectibiliter: quod clarius exprimunt sequentes particulæ, *de se insufficiens:* quia quod est sibi sufficiens ad esse v. g. filius divinus, sicut suum esse sen essentiam & naturam ab alio non accipit, cum alias eo ipso non esset sibi sufficiens ad existendum: ita nec posterius natura, & consequenter nec alterum prius natura dici potest: ob quam rationem dicitur in Symbolo Athanasii: In Trinitate nihil esse prius & posterius, nempe prioritate aut posteritate naturæ. Idcirco prioritas naturæ in hoc consistit, quod effectus pendeat a causa jam existente, sed non vicissim: ac proprie illud est natura prius, quod esse potest sine illo, quod ab eo est.

SECTIO III.

De Causarum affectionibus.

Quæ hoc loco dicturi sumus, ea sunt a recentiore & acutissimo Philosopho Honorato Fabri fusius explicata, sed in compendium relata insertaque Philosophiæ Reg. Burgund. tom. 2. tract. 2. quæst. 3.

XX. Causæ, ut a Metaphysico spectari debent, non ut eas Aristot. considerat, quatenus eæ duntaxat ad generationem corporis naturalis conspirant, aut sunt metaphysicæ, aut morales, aut physicæ, aut mere objectivæ. Primi generis eæ sunt, quæ in ordine ad scientias humanas perinde se habent, ac si veræ essent causæ. Sic anima dicitur causa intellectus & voluntatis, & forma earum proprietatum, quæ ab ea cogitatione tantum differunt. Sic Geometria & Arithmetica demonstrant affectiones figurarum aut numerorum, & earum causas afferunt, quasi essent a figuris & numeris distinctæ. Cum enim ratio cognitionis nostræ, aut humanæ scientiæ habetur, parum refert, an illæ proprietates a forma sint re, vel cogitatione tantum distinctæ. Sic ubi ex alicujus rei applicatione aliquis sequitur effectus, qui nunquam alias subsequitur, rem illam ut causam effectus in ordine ad humanas scientias merito habemus. Gravis est v. gr. & nescio an unquam solvenda difficultas, an corpus in aliud impactum, huic suum motum communicet, an motus ille aliunde adveniat: & tamen si ratio habeatur, aut physicæ, aut mechanices, ita id explicari debet, quasi motus a globo in globum obvium transferatur. Imo si nostros sensus consulimus, motum a globo impacto proficisci statim decernimus.

Infinita pene occurrunt, in quibus logicas seu metaphysicas causas, quæ tamen non re, sed cogitatione ab effectis differunt, non physicas & reales adducimus. Hujus generis sunt effectus omnes, qui ex certo partium situ & positione dimanant: ut in physicis densitas, raritas, opacitas, perspicuitas &c. Sic relatio ex termino; privatio, ut mors, ex vulnere; cæcitas ex ictu fieri concipitur: neque enim hæc produci possunt per veram actionem. In eodem genere sunt denominationes extrinsecæ, quæ nihil fere sunt præter relationes.

XXI. Moralis causa, non physice quidem influit in effectum, sed in ordine ad rectam hominum existimationem perinde se habet, ac si vere influeret; unde moralis causa in effectricem, materialem & formalem dividi potest. Qui imperat v. g. homicidium, sic punitur, quasi homicidium perpetrasset: qui ignem admovet, causa est moralis & effectrix ipsius conflagrationis. Atque ejusmodi causæ in physicam actionem terminantur; sive causam subjecto applicent, sive obices removeant. Sæpe evenit ut causa moralis circa physicam actionem non versetur, & tamen effectricis habeat rationem, ut qui contrahit, causa est juris acquisiti, aut perditi. Non dissimili modo actio physica est plerumque materia, ex qua fit opus morale, vel honestum, vel turpe.

XXII. Sequitur causa mere objectiva, quæ determinat potentiam ad agendum. Sic affectio quædam impressa sensus organo, quæque species vocitatur, sensum immediate, imo & per sensum intermedium, intellectum ipsum determinat. Non enim ejusmodi affectiones mens excipit: sed cum ea omnes facultates ditigat, earum affectiones percipit, & ab iis quodammodo determinatur ad agendum, idque objective. Quamobrem cum visus v. gr. sit indifferens ut album vel nigrum colorem percipiat, hunc determinat species seu affectio ab objecto profecta: quæ ubi ad sensus interioria organum transmittitur (ut cum vulgo loquamur) sensum quoque interiorem seu vim imaginatricem determinat: cumque eadem affectio, seu idem vestigium diutius remanet, ubi denuo aliqua occasione excitatur, phantasiam ad actum repetitum, imo & intellectum ipsum, sed mediate duntaxat & objective determinat, seu modificat. Sic voluntas ad actus necessarios ab objecto cognito quasi impellitur, ad liberos objectum quidem eam movet, sed libere: hæc vero se ipsam movet & applicat.

XXIII. Non dissimili quidem ratione præmissarum cognitio est causa itidem objectiva conclusionis. Non enim præmissæ formales, ut sunt actus mentis, si proprie loqui volumus, sunt causa conclusionis: cum sæpe non fit amplius formalis cognitio præmissarum, cum eruitur conclusio. Nam illi actus sese mutuo excipiunt, neque unus est effectrix causa alterius. Sed præmissæ cognitæ sunt causa cur consequens cognoscatur: idque oritur ex connexione, quæ est inter præmissas & conclusionem: nam ex uno cognito aliud cognoscitur.

XXIV. Ex quibus facile colligitur, præcipuas causarum affectiones causis physicis convenire, non objectivis aut moralibus. Primum enim nihil notius est, quam idem non posse esse sui ipsius causam physicam: cum id existere necesse sit, antequam causæ physicæ habeat rationem: deinde nulla res creata est a seipsa, atque inter causam & effectum est realis distinctio, quæ non est rei ad seipsam.

XXV. Quod autem quidam oppununt idem se ipsum posse reproducere, id omnino negandum. Non enim quidquam pendere potest a seipso: atque ubi est oppositio relativa, ibi est vera distinctio. Quædam autem foret relatio inter reproducens & reproductum, ergo & inter ea esset realis distinctio.

Sed inquiunt Christus seipsum reproducit sub speciebus Eucharisticis. Resp. tum Christum supponere pro verbo, quod est causa hujus reproductionis. Hæc cum vera sint, id tamen negare non possumus quin finis in intentione, seu in statu objectivo, sit causa sui ipsius in executione: sic res confuse cognita in antecedente, seu in præmissis, est causa sui ipsius distincte cognitæ in conclusione. Causæ enim objectivæ possunt esse sibi mutuo causæ: unde ex causa effe-

effectus, ex effectu itidem causa, imo & termini reciproci & correlativi per se invicem cognoscuntur.

Transeamus nunc ad penitiorem cognitionem Causarum sigillatim, & primo causam effectricem consideremus.

SECTIO IV.

De Causa Efficiente.

XXVI. Omnis vis, seu facultas, seu principium radicaliter sunt Primalitates, & idem cum essentiata re, ex August. ut indutæ respectum ad extra, quoniam accidens est respectus, distinguuntur extrinsece per connotata. Ex primalitate enim prima respiciente ad extra, oriebatur Principium, id est facultas potestativa, a qua aliquid est: quæ dum extendebatur (sive cum sui mutatione, sive absque) in extremo extensionis causam efficientem & operantem conferebat.

Actio enim non fit, nisi præcesserit posse, & spes, aut præsumptio, aut ira, aut timor, aut audacia aut quæcunque alia extensio potestativi formaliter. Cum qua tamen realiter associatur semper volitivi affectus, id est amor aut odium & istorum asseclæ: ac cognoscitivi, id est sensus, aut phantasia, aut cogitatio & cætera hujusmodi: opera enim Primalitatum ad extra sunt indivisa. In fine autem extensionis videlicet spei audaciæve oritur actio, qua constituitur aut potius declaratur causa agens, quæ edit opus extra, vel imperando vel exequendo: quod facit vel principaliter vel instrumentaliter ex potestativo. Cum enim agit ex volitivo, aut ex cognoscitivo, non dicitur causa effectiva, sed concausa: cum videlicet ex hoc, quod nos volumus, alii occasionem accipiunt, ut velint & agant. Sciens enim amicus amici voluntatem, etiam injussus operatur aliquid secundum illam voluntatem: similiter causa consilians, aut docens, non est causa sed concausa: & vocatur a modernis Theologis non inepte causa moralis ad distinctionem Physicæ; vocant autem physicam, quæ in causatum vere influit, producitque effectum ex potestativo. Cæteræ causæ adjuvantes potius Instrumentales sunt, si ex potestativo sunt: ut qui scribit, me dictante, hunc librum, adjuvat me ad libri effectionem. Similiter ille qui præparat, ut lignaria est quasi Instrumentum navifactivæ. Cum ergo Avicenna distinguit effectivam causam in perficientem, qualis est inducens formam gladii: præparantem, ut qui ex ferro chalybem facit aptum gladio: & adjuvantem, ut discipulus ferrarii gladium facientis; & in consiliantem, ut qui ita faciendum, vel fieri oportere gladium, suadet consulitque, locutus videtur absque perfecto judicio. Consilians enim causa & consentiens pertinent utraque ad primalitates æque primas, & ideo potius concausæ dicuntur, occasionemque potius causandi præstant, quam effectum. Præparans autem & adjuvans non spectant ad alias Primalitates æque primas, sed ad eandem, id est ad potestativam: & ideo dicuntur causæ subservientes; sicut Paulus Apostolus vocat Doctores Coadjutores Dei. Deus autem dicitur adjuvare & coadjuvare interdum, non quia subservit, sed quia naturali agenti addit suam vim. Auxiliari enim, teste Chrysost. est augere vim causandi per additionem concausantis, sive melioris, sive ignobilioris, per easdem tamen primalitates: auxilium enim divinum afficit volitivum, illuminat cognoscitivum, & roborat augetque potestativum ad posse, & ad agere. Est tamen ubi non nisi unam primalitatem meliorat, dividens prout vult: agit physice & moraliter in causa & cum causa in bonis actibus: cum causa, solum in malis, physice tantum. Ergo unius effectus unica est proxima causa totalis: adjuvantes, consiliantes aliæve instrumentales, vel alterius ordinis, remotæque possunt esse plures.

XXVII. Ex his ergo agnoscimus, quod actio procedit ab actu, id est exterior ab interiori: & ideo Efficientem causam dicimus, *a qua, non ut componente, editur actio seu effectus.* Prius autem diximus esse *id, a quo aliquid fit.* Cum autem facere & efficere sint operationes extenti potestativi; manifestum est quod causæ consiliantes & consentientes, id est convolentes, non sint causæ nisi partiales, quatenus per potestativam simul agunt: consulens enim nisi imprimat aliquid in animo ejus, qui consulit, quod vi potestativa facit, non est causa. Dicimus *fit*, quoniam nisi *fiat* quid, non est causa id, unde ortum habet effectus: nec enim fons est causa rivi, non enim ab eo fit rivus, licet *ab eo* sit rivus: unde dicebamus *principium esse id, unde aliquid est*, quod rationem causæ non subit, nisi etiam faciat, potius autem si etiam transmutet. Unde Deum Mundi principium potius, quam Causam dicimus, quia non de aliquo fecit Mundum, neque de sui substantia, sed imperio virtuoso, præcedente idea, & volitione faciendorum.

XXVIII. Continet tamen Principium eminenter Causam. Porro Efficiens non est pars rei factæ, sicut Materialis & Formalis causa: neque est Idea, neque Finis. Propterea dictum est, *a quo, non ut componente, effectus editur*; per λη enim *non componente*, distinguitur a materiali & formali; & per λη *editur* ab ideali & finali; quarum neutra edit effectum, sed illa dirigis agens ut sic, & non aliter in incertum agat; nisi enim factor gladii ideam gladii habeat, non magis gladium, quam ligonem faciet. Ista vero, id est finis dat occasionem ut agat sic: nisi enim præconcipiatur utilitas navigationis, & belli necessitas, agens non faciet navim nec gladium; neque ad ideam navis & gladii respiceret; neque materiam eliget aptam fini, sed quamcunque. Et profecto cum dicimus *a quo*, per λη *a quo* statim fit distinctio Efficientis a quacunque. Materia enim est *de quo*; Forma *quo*; Idea, *instar cujus*; Finis *propter quod*; Agens autem *a quo*. Sed quoniam & Principium est id, *a quo aliquid est*, additur *fit*. Facere enim contrahit ipsum principium ad hunc modum causandi. Vide Tract. XXIII. De Principiis & principiatione. Cum autem causam proximam alibi dixerimus esse partem effectus, causam vero remotissimam, ut Deus, & remotam, ut Sol, & propinquam ut calor solis in terram effusos, non esse partem plantæ: at calorem illum, qui architectatur plantam in suo semine, & qui hominem in semine humano, & Spiritum ipsum decisum cum semine, transire in substantiam effectus: quanquam timeat Arist. ne agens sit simul effectus & ædificans ædificatum, haud quidem contra hanc sententiam loquimur: non enim spiritus qui est in semine ædificat seipsum, sed corpulentiam seminis organizat ædificando organa: nec cum generat ex sanguine Spiritum; non enim seipsum eundem numero, sed alium numero facit, sicut ignis cum facit ignem, quanquam seipsum effundat per accidens, tamen dum afficit corpulentiam & movet, simul movet se afficitque ob unionem. Sic &

calor,

calor, dum sursum movet ignis corporeitatem, movet quoque seipsum per accidens: cum tamen motus sui a se non sit actio, sed actus operatioque. Actum enim ab actione & operatione externa jam distinximus Tract. 2. *Est enim operatio habitus seu actus innatus essentiæ rei perennis, conservans illam in suo esse*; & propterea non tendit ad finem, quia simul & essentia finiretur, sicut motus Solis & quies Terræ. *Actio autem est effusio similitudinis, seu essentialis, seu mentalis in aliud, quatenus aliud*: qua similitudine impressa cessat actio. Vt cum conceptus meos impressero in hac charta, cessat scriptio: & cum ignis lignum in ignem sibi simillimum converterit, non amplius illud ignit, & quo virtuosior fuerit agens causa, eo citius actionem absolvit.

XXIX. Propterea Deus agit in instanti; lux etiam aërem in momento illuminat minus subitaneo: actio enim duratio sive mora fit vel ex impotentia agentis, vel ex resistentia patientis, vel ex utriusque simul: quibus cessantibus, mox perficitur: si una cessat, aliquantulum tardatur, si duæ, minus; si omnes, minimum.

Videtur & aliquid medium esse inter operationem & actionem. Cum enim intellectus aliquid extra intelligit, tardat intellectionem & tandem finit. Actus autem nunquam finitur, nisi cum morte operantis; & tamen nullum effectum extra se producit intellectus dum intelligit. Quapropter Peripatetici, qui causam agentem a patiente ubilibet separatam esse oportere docent cum Arist. 5. Metaph. deinde actionem hanc immanentem in agente, & effectum simul in agente ponunt contra proprium dogma: & quamvis dividant intellectum agentem a passivo; nihilominus passivum intelligere post acceptam speciem active scribunt: similiter voluntas, cui non dant activam & passivam partem, agere, dum vult, immanenti illis videtur actione. Nos autem recipi objectum a potestativo, judicari a cognoscitivo, volumus; remanereque effectum judicii transeunte judicio dicimus: nec tamen admittimus actionem, sed dicimus operationem esse, id est actum: siquidem intelligit anima seipsam semper actu vitali, non actione: cum autem res objectas intelligit, non res illas intelligit, sed seipsam ab illis mutatam in illas. Vt cum sentio calorem, sentio meipsum calefactum primo, deinde discurro ad notitiam calefacientis: remanetque illa notitia tanquam effectus in spiritu animali, cujus efficiens est intellectus primalitasque: sed in intellectu non est actio, sed actus, qui ab objecto solum specificatur, non fit; neque ab intellectu fit, sed operatur: finitur autem modus & specificatio. Cum enim intellectus cessabit intelligere, cessabit esse: sed cum cessat intelligere hoc, desinit esse hoc: sed non desinit esse. Sic Spiritus movet corpus active dum operative movet seipsum: & cum cessat movere corpus sic, non tamen cessat movere, alioquin extingueretur, prout demonstrat Campanella in 4. Lib. Medicinæ. Sic neque ignis desinit esse calidus, & se formaliter calefacere seu calere; licet desinat active calefacere hoc, vel illud: posse enim, & noscere & appetere, perennes sunt actus. Et hæc juxta genuinam veramque Philosophiam.

XXX. Porro notandum, quod detur in spiritu mistio actus & actionis; quatenus enim calidus, movet, quatenus corporeus, movetur. Item mistio ex actu, actione & passione. Cum enim spiritus movet corpus de domo in plateam, corpus patitur; spiritus autem agit in corpus, in se vero operatur: ac simul, quatenus inclusus est corpori, patitur illam actionem, quam in corpus edit: quid mirum quando & in artibus hoc verum? Idem enim homo vertit se, & vertitur: haud tamen faciet se, ut de non esse ad esse se producat: hoc enim solum impossibile.

Hinc Telesius, Seneca & Scotus redarguunt Aristotelem reputantem, propterea grave non movere seipsum deorsum; quod idem esset ædificans & ædificatum: non enim habent pro inconvenienti in naturalibus, ubi natura est principium intrinsecum, quod idem sit agens & patiens: secus est in artificialibus & in violenter motis, in quibus aliud separatumque est movens a motu, ædificans & ædificatum. Nec inepte loquuntur, quatenus ex materia & agente fit unum. Sed quia semper verum est, hoc esse agens, & hoc materiam; idcirco idem compositum, non idem simplex dici potest agens esse & patiens.

XXXI. Notandum. 2. Quod nulla causa aget per suam formam, uti opinantur Peripatetici: sed per suam vim activam, nisi ubi etiam forma sit activa. Ignis enim non agit igneitate; sed calore, non quatenus calor est forma, sed quatenus activus: si enim forma quævis esset activa, omne habens formam ageret: cum tamen palam sit multas formas non esse activas, ut forma gladii & lapidis. Præstant tamen commoditatem agenti: acumen enim formæ gladii ad perforandum agenti utile est, non autem obtusum ferrum, aut lima. Modificat etiam forma activam vim: siquidem ligonis forma vim activam Rustici ad fodiendum determinat, non autem ad metendum. Sic & sigilli forma, ut talis fiat impressio, & non aliter a gravante.

SECTIO V.

Quotuplex sit Causa Efficiens.

XXXII. Effectivarum causarum alia est universalissima, quæ totum producit effectum, non indigens priore agente; ut DEVS, qui materiam facit & formam ex nihilo præsupposito. Ideoque, ut diximus, principii potius rationem habet, quam causæ. Et cum causant aliæ causæ, non possunt causare, nec conservare causatum, nisi ipsa etiam causet.

Alia universalis, ut Cœlum & terra, quæ entia multigenia sibi non formaliter consimilia, ex materia, viribusque a Deo sibi prius datis efficiunt; puta plantas, animalia & cætera entia secunda.

Alia particularis, ut cum ignis generat ignem unigenium sibi, & homo hominem. Sed ex præsupposita materia, a Deo creata, cui solum dant formam alterando. Alia proxima, quæ in substantiam effectus abit, ut semen & calor effusus.

Detur tandem & causa artificialis, quæ non modo materiam, sed & compositum ens præsupponit, ex quo ipsa suos format effectus, ut ex ligno mensam, ex ferro gladium. Quippe plus præsupponit ars, quia naturæ & Dei præsupponit actionem: natura minus, quia Dei solum actionem materiamque. Nihil Deus, quia primus rerum est effector: efficit esse simpliciter, & non hoc vel illud ens, vel modificationes entis. Ergo necesse est cognoscere creatricem causam totius entis: & ideas rerum, ab ipsa in naturam, & a natura ad artem defluentes, & ab artifice principali iterum in artificem instrumentalem, & exinde in materiam receptivam existentiæ rerum.

XXXIII. Datur iterum efficiens totale: ut qui solus trahit navem, & ignis generans ignem. Et efficiens partiale, qui cum alio trahit; ut pater qui non nisi cum matre generat.

Porro datur & causa agens principalis, quæ ex se ipsa operatur, & cui effectus oritur persimilis. Datur & instrumentalis, quæ non movet, nisi mota; per se vero inanimis est, ut penna scribit a me mota; a se autem minime: nec sibi assimilat passum in essentia, sed tantum in existentia & extrinsece. Sicut scriptura hæc similis est menti meæ in sensu & forma characteris: in grossitie vero aut gracilitate est similis pennæ; & mundus est similis Deo idealiter: calori vero & frigori tantum extrinsece & instrumentaliter.

Duplex enim est assimilatio; altera mentalis, ut scriptura scribenti homini: altera naturalis, ut geniti genitori. Quare servus, in quantum intelligit, quod facit, habetque ideam effectus, dicitur causa adjuvans herum: in quantum vero ab eo movetur ad faciendum, est instrumentum heri: itaque medium quid est inter instrumentum & agentem causam.

Theologi etiam omnes causas agere tanquam instrumentum Dei hac ratione dicunt. Habent enim vim activam propriam, qua agunt: quod tamen non possunt, nec agunt, nisi potente, agente & movente Deo, cujus participant esse & operari. Impulsus quoque divinus non est in nobis sicut in sagitta, sed sicut est in servo, aut filio. Alia enim serviliter, alia filialiter, alia necessario, alia contingenter a Deo, naturas non violante, sed servante moventur, ut declarabimus in Tract. L. de libertate.

XXXIV. Præterea dantur instrumenta magis & minus principalia, ut arcus & lyra: & conjuncta & disjuncta, ut manus & calamus: & multa & pauca pro dignitate & necessitate operis. Veruntamen quemadmodum causa activa est simul loco & tempore cum passiva in productione effectus: multo magis cum suis instrumentis conjunctam esse oportet, intrinsecus vel extrinsecus, substantialiter vel accidentaliter, sicut anima cum corpore vel cum gladio.

Præterea, aliquando causa per se, & propter se causat, ut calor cum calefacit; aliquando propter se, sed non per se, ut calor cum attenuat materiam, ut possit ipsam movere ad sui salutem: aliquando nec per se, nec propter se, sed per accidens, ut calor cum indurat materiam & nigrefacit, dum attenuare & albefacere intendit. Et hi quidem effectus, quando sunt præter potestatem agentis causæ, dicuntur contingentes & a sorte fieri: quando vero præter intentionem & cognitionem agentis, dicuntur casuales & a casu fieri. Quando vero præter voluntatem agentis, dicuntur fortuiti & a fortuna vel infortunio accidere. Attamen quæcunque sorte, casu & fortuna eveniunt, respectu secundarum causarum & proximorum agentium sic eveniunt, in quibus modificatur effectio primæ causæ; non autem respectu primæ causæ, cujus potestatem, & sapientiam & voluntatem effugit enanullum: quæ nim. necessitate, fato, & harmonia effectus omnes causasque modificat, ut sic agant, & non aliter uti contra Epicureos suo loco declarabitur.

Similitudo autem effectus fortuiti, in causa non fortuita præexistit, sicut & Moyses dicit, quod in manus occidentis casu fortunaque hominem, tradidit illum Dominus providenter. Effectus assimilatur causæ principali, non instrumentali; proximæ, non remotissimæ. Filius enim Petri est filius & Dei: attamen Petro, non Deo similis est. Ergo immediatius agit Petrus immediatione attingentiæ & præsentiæ: Deus vero immediatione virtutis, ut S. Thom. 2. contra gent. c. 70. sicut principium immediatum syllogismi.

Modificationes effectus causæ universalis a particularibus non pertinent ad esse, sed ad non esse, per quod est sic & nunc, & non aliter & alibi & alias. At ideo error & culpa est particularis causæ, quoniam in modificatione erratur, non in effectione universali, qua Deus ad bonum omnia agit & movet.

XXXV. Sed dicet aliquis, si intelligere & amare actiones non sunt, ut docuimus sect. præced. quia non habent patiens, nisi secundum vocem, non secundum rem: cum etiam constet non esse operationes, quoniam perennes non sunt ad conservationem subjecti, quæritur, quid sunt? Resp. Intelligere & amare seipsum, in omni re, esse actum seu operationem primordialem, & nunquam deficere hunc actum, nisi cum extinctione ejus cujus est actus; & cum deficit ex parte, deficere & operantem vim ex parte. Quapropter cum objectum movet animam movendo spiritum corporeum, cui mens per symbolum primalitatum unitur, modificatur mentis operatio, & sicuti sentiebat & amabat se essentialiter, ita nunc sentit & amat se accidentaliter. Propterea enim sentit & amat calorem, quod seipsum sentit spiritus calefactum blande & conservative: sentit autem & odit, si se immutat, um sentit destructive. Quapropter sicut coquus non dat igni calefactionem, sed hujusmodi calefactionem, modificationem videlicet sic nec objectum dat animæ intelligere & amare, sed ita, & huc.

Est autem ubi occasionem suscipit propter vim multiplicativam sui actus plus atque plus amandi, & considerandi aliquid: ex quo sequitur passio in toto composito mortifera, & in spiritu alienativa a suo esse. Sic qui occasionem suscipit timendi a larva per ludum præsentata, adeo fortiter imaginatur periculum ut cadat, & ægrotet, & deliret & moriatur. Constat autem, larvam nec posse ita facere, neque velle, neque scire: sed spiritus ipse auget in se periculum, ita quod actio ab ipso est, ut primalitatibus prædito; & passio fit in corpore ex ipso: quapropter quia in alienum mutatur ens, dum illud sentit, & amat, aut odit, per multiplicationem imaginantis animæ, perditur ex parte, vel ex toto. Anima ergo seipsam, & alia movet principaliter & causaliter. Objecta vero instrumentaliter, & occasionaliter animæ, licet in corpus etiam causaliter. Immutatur enim mens per accidens ab objectis, non auferentibus operationem, sed modificantibus illam nova illa passione; ex qua rursus judicat vis cognoscitiva objectum, intelligens ipsum non quatenus intelligit objectum ipsum, sed quatenus intelligit se mutatam per vim imaginantem ex passione illata modica multiplicantem, in objectum. Semper ergo intelligit se, sed non semper intelligit se sic immutatam. Ergo in Deo, qui a nullo objecto exteriori immutatur occasionaliter, nec causaliter, nec proinde trahitur a sui in alienam similitudinem: ipse enim omnium similitudines habet, & præhabet ideantes non ideatas, & non recipit, quoniam ab ipso sunt: non fit pausa intellectionis, visionis & amoris sui, ideo semper actu intelligit seipsum, & per seipsum alia. Nos autem, etsi semper intelligimus actu nosmetipsos, tamen immutamur ab objectis, quorum similitudines non habemus, quandoquidem nostram

strata solummodo habemus: idcirco videmur desistere ab intelligere nostri, & rapimur in alienum. Quod quia desinit movere succedentibus motibus aliis aliorum moventium objectorum per novas occasiones, definit & intellectio eorum. Propterea que intellectio videtur actio temporanea, & non perennis, sicuti est. At nihil vetat operationis modum variari, incipere & desinere; operationem vero permanere; sicut & calefactio ignis est perennis, semper enim in se calet, non autem assatio; & pulsus perennis est, non autem hic & ille pulsandi modus.

SECTIO VI.

Quot modis, quibus in agentibus, quæ similitudines effectus praexistant, communicenturque, vel totaliter, vel partialiter, vel æquivoce, vel analogice: plurimaque quæstiones de his, quomodo solvantur.

XXXVI. Qualiter actio analogice sumatur, diximus Tract. II. Nunc ad illam dilucidandam pertinet quæstio illa, quomodo videl. omne agens similitudinem propriam facit, cum videamus vivum dare mortem; calorem, tenuitatem & motum; & hominem, qui non est scriptura, facere scripturam & scamnum; & Deum facere mundum, qui non est mundus: & accidens videtur facere substantiam, si calor est accidens, qui facit ignem in nube; & motus calorem, & Sol arborem, ipse non arbor; & terra ranam & lapidem, quæ non sunt ipsa.

XXXVII. Dicimus ergo, quod vivus homo dat mortem, quam ipse non habet formaliter, sed idealiter, & cum facit hoc ex intentione, non per se mortem intendit alienam, sed vitam propriam, quam per inimici mortem tutatur, & amplificat; uti & lupus occidit pecudem, ut propriam vitam servet, & pastorem, ut tueatur: sic frigus occidit calorem, non ut occidat, sed ut se amplificet: ad cujus amplificationem, sequitur per accidens caloris mors. Nec requiritur similitudo in effectibus per accidens; sed in per se, & quidem vel essentialis, vel idealis. Quin etiamsi non intendat occidere, sed casu percutiat non visum, vel ipse cadens de turre aut quercu, suo pondere opprimat amicum occidatque, illa mors per accidens essentialiter & idealiter est respectu secundarum causarum: nec potest reduci nisi ad intellectivam causam ideantem per se omnia, & concursus causarum moderantem. Itaque idea istius mortis præerat in mente opificis rerum, qui utitur causis secundis tanquam suis instrumentis, vel discipulis. Instrumentis quidem, quando agunt, quod non intendunt, nec sciunt: discipulis vero, ubi quod intendunt, sic miles occidit. Primo autem modo cadens de quercu amicum, ut testatur Moyses, cum non casui occisionem hanc involuntariam tribuit, sed Domino, qui tradidit illum in manus occisoris per seriem causarum. Exodi 21. 13.

XXXVIII. Sic etiam solvitur quæstio de sponte nascentibus, quoniam illorum idea est in mente primæ causæ, & in executoribus suæ providentiæ Angelis, tanquam discipulis, & in cœlo tanquam in sigillo, & in elementis tanquam instrumentis, quibus planta sponte nascens assimilatur in calore, & materia, & dispositionibus; ideatoribus vero in forma & ideatione: imo etiam cum homo generat hominem, probatur non esse primo principale agens, sed secundarium. Non enim scit ipse hominem formare, & formationis modum, & partes singulorum membrorum. Similiter nec cum ignis generat ignem, præhabet omnem modum generandi ignem: nec artifex cum artefactum facit. Vnde Trismegistus ait: Neque lignarius fecit nodum in tabula, neque ferrarius rubiginem in ferro, nec coquus combustionem in carne assata.

XXXIX. Igitur sicut Deus, influendo necessitatem, fatum & harmoniam, per multas causas, & concausas & occasiones, modificat vires spermatis & uteri ad formandum fœtum; ita in sponte nascentibus putrescentem materiam & calorem modificat in cadavere ad vermes producendos, quorum similitudo instrumentalis & essentialis secundum partes præest in homine, & in cœlo & in terra, quoniam præest materia & calor & spiritus, & dispositione primarum causationum, & concausationum & occasionum: sed non ita concinnati, ut faciant animal hoc. Concinnatio autem formatioque est a Deo per naturam, quæ participata potestas, sapientia & amor a Deo rebus inditus est; concinnatus fato, necessitate & harmonia sub assistentia intelligentiarum ad opera specialia constituenda.

XL. Quæ nimirum natura facit quædam propter se, & per se ut calor calefacit, & homo facit hominem: quædam propter se, sed non per se, ut calor attenuat materiam ut moveat, vivatque motu in illa: quædam vero nec per se, nec propter se, sed per accidens & præter intentionem, ut cum indurat. Quædam præter intentionem, sed per se, ut cum adulter per se generat hominem, cum nollet suscipere prolem, sed solam explere libidinem. Attamen natura communis propter se omnia hæc ordinat, fierique jubet, & facit, etiamsi homo faciat monstrum, & occidat quem nollet. Hic tamen de actione imperata, & vetita distinguendum.

XLI. Aristotelici tamen docent in aliquibus præesse formam totam, unde similis effectus prorsus fiat, sicut cum ignis ignem, & ædificator ædificium præconceptum faciunt, & in his non contingere casu quidpiam fieri. In aliquibus vero præesse partem formæ, cum asinus generat mulum, & mas fœminam, & medicina calida facit sanitatem, similem modo calori medicinæ, non autem medicina prorsus. Et his contingit fieri casu, quæ fiunt ab arte & natura: ut cum sola commotione æger incalescit sanaturque, nullo adhibito calore per medici artem, sed casu quodam: & in his (ajunt) præcedit pars similis rei genitæ, non actu, sed virtute; quoniam caloris virtus est in motu, & non res. Aliquando præcedit tota forma solummodo in virtute, sicuti cum fiunt sponte nascentia, quorum forma præcedit in corpore cœlesti sua virtute continente omnium vires formarum: & cum torpedo torpefacit manum piscatoris, cujus stupor totus præcedit in torpedine, non formaliter, sed virtualiter: & cum generatur substantia ignis a calore, qui est accidens: verum quia agit virtute substantialis formæ ignis (ajunt) potest efficere persimilem ignem; & cum substantia producit accidens, & quantitatem & qualitatem quas præhabet in virtute tantummodo, & potestate. Hæc illi.

XLII. Nos autem dicimus, quod præesse aliquid factum in sua causa efficiente, intelligitur multipliciter. Aut enim est idem numero, quod datur, & quod accipitur, sicuti cum dat pater pecuniam filio,

& tunc non est actio producens effectum per se, substantialiter, nec existentiam effectus, sed solum modum quendam existentiæ rei substantialiter existentis. Aut est idem specie essentiali, sed non numero, ut calor effundit calorem, non seipsum idem numero generando, sed specie substantiali: & hic calor dicitur esse in virtute illius caloris generantis actualiter, quoniam virtus activa est ipse calor calefactivus, & dicitur esse essentialiter specifica essentialitate genitus in generante hujusmodi: sed tamen est solum virtualiter si numeralem consideres modo essentialitatem, quoniam essentia habet virtutem seipsam multiplicandi. Et hoc esse virtuale, aut est univocum, sicut cum calor generat calorem: aut analogum, sicut cum Deus generat mundum: aut æquivocum, sicut cum motus facit calorem, qui tamen motus non est calor, aut calidus; nec analogice, nec univoce, sed nec æquivoce, non enim vocatur motus calor nec calidus. Omne autem æquivocum communicat saltem in voce cum suo æquivocato: sed tamen in hac voce causa effectiva convenit motus cum calore: uterque enim vocatur effectiva causa caloris, sed non est nisi secundum vocem motus caloris causa, quoniam non facit calorem, sed excitat latentem, dum aperit laxatque molem, qua calor premebatur. Et quidem in motu non est virtus calefaciendi, nisi æquivoce, sed tantum movendi, ut palam est, & per accidens potest dici causa: accidit enim motui flabelli frigefacere, motui vero rotæ calefacere, quoniam calor excitatur & amplificatur hac via: sicuti per flabellum adducitur novus aer frigidior illo, qui nos tangendo calefaciebat.

Quapropter palam est, quod effectus non est in agente virtualiter & potentialiter per se, nisi sit specificæ ejusdem essentiæ, vel analogicæ, quæ eminenter etiam dicitur continere virtutem & rem effectus.

XLIII. Distinguendum est insuper de causa totali, & partiali, & principali, & instrumentali, & mista: ut scias an actio ferat similitudinem totalem an partialem, an principalem, an instrumentalem; & quomodo aliqua instrumenta productioni existentiæ tantum valent, ut malleus ad gladii factionem: aliqua ad productionem insuper partis essentiæ, ut calor in hominis productione, cujus vita etiam calore constat.

XLIV. Quapropter arbitramur, quidquid actione editur, præesse in agente semper, pro rata actionis, licet non eodem modo, quo in effectu: esse etiam in materiali principio, sed non ita qualificatum: qualificatur autem ideatione, quæ est ab Angelis ut in discipulis, quæ est a Deo principaliter ut in opifice, & in cœlo sicut in sigillo & formatorio; & in fato, harmonia & necessitate sicut in delatoribus formationis.

Quamobrem si Peripatetici intelligunt formas in virtute agentis & in cœlo præesse, quatenus λη *virtus* excludit omnem actum existentiæ effectus in causa vera, sive ejusdem numero, sive specie univoce & analogice, falluntur. Virtus enim rei fundatur in essentia rei, seipsam per suam virtutem multiplicante & communicante numero vel specie eandem. Nam & homo seipsum dat, nedum pomum. Sic enim esse virtualiter sine actu, est esse in potentia, non quidem donativa; non enim potest aliqua causa dare id, quod non habet; sed receptiva, uti materia est in potentia ad formas, & tellus ad philosophandum, quoniam potest recipere in vite formam vini, & vinum deinde formam spiritus animalis, qui spiritus in homine est minister mentis, ac discipulus ad philosophandum.

Igitur ex eo, quod non est in activa virtute, ac multiplicativa agentis causæ, nullus effectus potest oriri vere, sed dicitur tantum oriri per æquivocationem, sicuti ex motu calor & sanitas per accidens. Qui sane motus nulla ratione virtuali potest calorem numero aut specie eundem sibi producere, licet sic videatur non intelligentibus, quomodo præstet commoditatem tantum, non ipse, sed mobile, non per se, sed per accidens, ut calor appareat, non ut fiat.

XLV. Dico equidem, neque Deum posse aliquid facere ex eo, quod nullo pacto est, nec in activa nec in passiva natura. Etenim & mundum fecit ex nihilo materiali, non autem ex nihilo activo & ideali. Quod enim factum est, in ipso Deo vita erat, teste Evangelio. Non tamen ejusdem essentiæ numero, sed specifice, non specie univoca, sed analoga. Potuit ergo creare Deus, quoniam præhabet, quidquid facit, eminenter, & ejus actio est vera communicatio suæ bonitatis in totum, non in partem effectus, ut docet Dionysius. Unde & Scholastici ex hoc, quod nihil potest educi de potentia ad actum, nisi ab eo, qui est actus & præhabet actum, concludunt, quod Deus est purus actus, nulla potentia receptiva admistus, sed solum donativa quæ vere est actus. Multo ergo minus secundæ causæ possunt dare id, quod non habent actu, sed sola potentia, hoc est, quia possunt habere. Unde mirum quod potentiam calefaciendi dant motui, cum nec calorem habeat, nec possit habere, cum sit propemodum nihil, nullius qualitatis activæ subjectum, & calore posterior tempore, natura, dignitate.

At neque sol non calidus, neque lucidus, calorem & lucem faciet Aristotelicis, aërem conterendo: cum lux ejus recipiatur in luna & planetis antequam fieret in aëre, redeatque in lunam. Neque sol conterat aerem, a quo per innumera distat milliaria. Neque si conterat, eliciet calorem, cum fugax aër ictus non sustineat, ut lapis: neque calorem & sulphur & cinerem, qui est in lapide a sua origine, eliciturque percussione, contineat aër: imo potius frigus ex ejusmodi commotione orietur, ut ventilatio & omnis magna aëris commotio comprobant. Quando autem sol dicitur generare animal, dat calorem quem habet: qui calor in tenuissima materia spiritus fit intra crassam: quam mox organizat sub aliis influxibus coactus & adjutus sub ducatu intelligentiarum: sine quibus utrisque nullum calor animal scit aggrediturve producere, & hoc Peripatetici non consideraverunt.

XLVI. Cum autem dicunt, accidens producere substantiam, & e converso, falluntur. Nam materia prima juxta ipsos est ingenerabilis; substantia autem secunda seu composita, ut ignis; & decomposita, ut animal, generatur generatione formæ & compositionis, ac corrumpuntur, sed non ab accidentibus, sed a viribus essentialibus, quæ sunt calor & frigus reputatæ apud Telesium, Aphodis. Olimpiodorum, Philoponum, Hippocratem & Galenum substantiæ. Licet melius substantiales virtutes, aut qualitates vocari deberent judicio Campanellæ, vel differentiæ substantiales, ut dixit Arist. in primo de Gen. & corrupt. Qui etiam in 7. Metaph. text. 32. concedit accidens a substantia generari, continente ipsum in potentia; sed substantiam non posse, nisi ex substantiis actu fieri, tam

activis,

activis, quam passivis: id quod etiam de formis asserit ibidem ipse sæpe, & Aphodis. in 2. de anima, concedit, corpus ex non corpore fieri, haud tamen substantiam ex non substantia.

XLVII. Quid autem propriè & in se sit calor, examinabimus in Tract. 39. de qualitatibus. Ex dictis interim patet, non subsistere definitionem caloris a P. Kimmet datam, in Anno suo frugifero, die 23. Febr. pag. 314. *Calor est velocissimus & perturbatus tremor insensibilium partium corporis*; quod calidum est, *prout aptum est, similem tremorem propagare ad corpus animalis tangentis illud*; ut patet in ferra diu reciprocata, & incude percussa. Sane hæc definitio naturam caloris non declarat, sed obscurat. Thomas Campanella Lib. 1. Met. cap. 8. pag. 62. ait: Quid est calor? quod calefacit. Sicut enim partitur sensus ita judicat, & quia calefacit omnia, & attenuat & movet, & albefacit, & illustrat: dico esse potentiam, vel principium calefactivum, illustrativum, attenuativum, motivum: & ex multis actionibus agnosco esse principium naturæ activum. Verum ipsam caloris entitatem, prout a Deo fit, nunquam intelligo; sed quid facit in nobis, & ejus usum in mundo. Cum enim ex quo calefacit, potestatem calefaciendi ipsum invenero, nihil amplius investigare ultra possum, nisi quod potest hoc. Vtrum a Deo habeat ut possit hoc, vel ex sui natura, & quid est natura, & quæ potentia Dei in illo, scire non datur. Neque cur duo & 3. faciunt quinque intelligo, sed faciant accipio ut notum. Sic ille. Nempe a supremo opifice, primo materiæ, & animarum conditore qualitates caloris & frigoris creatas esse, vique sese generandi multiplicandique donatas esse oportet, ait idem Doctor, L. 2. cap. 5. pag. 160. Et paulo post, eodem cap. art. 7. ait: Quapropter dicimus calorem & frigus non esse passiones materiæ, ut dictum est a veteribus, sed activas virtutes genitas ab activissimo rerum conditore, incorporeas, suique diffusivas & multiplicativas ad rerum generationes, & formationes tanquam organa opificis fervientes, sui vero gratia solum suam similitudinem efficientes: Necessitate autem, fato & harmonia cogi, ut quæ non intelligunt, secunda entia affabre elaborata efficiant: dum ille molem occupatam attenuare, & movere, suique regnum facere; istud vero suum constringendo, immobilitandoque. Omnes autem activas rerum vires, quæ a primalitatibus solis non sunt, horum esse participium, asserimus: has autem primas. Denique Lib. 6. c. 11. art. 3. falsitatem axiomatis illius peripatetici, *quod uni est substantia, alteri non est accidens*, ex eo convincit, quod calor sibi sit substantia & igni; lapidi vero accidens: item calor nativus est animalis substantia, extrinsecus vero accidens: vestis mihi accidit sibi vero subsistit. Sed hæc incidenter dicta sunto.

XLVIII. Quapropter cum videamus, calorem absque forma ignis, a quo sumit virtutem peripateticis, generare ignem in speculis combustoriis, & in nubibus & in rotis incalescentibus, & intra terram, ubi nullus est Aristoteli ignis: frigusque econtra in aëre, frigida multa facere: consequens est, ut substantiæ sint, seu substantiales activæ formæ, quæ meliori jure vires dici deberent, nullius formæ instrumenta, sed per se ubique agentes, & propterea cum producunt calorem & frigus, per se agunt & principaliter: cum vero producunt animal, & nubem & glaciem, instrumenta sunt naturæ, quæ est ars Dei: sicuti lancea quatenus forat lanceato vulnere per se agit, & quasi princeps causa; qua vero inducit mortem, agit per accidens, & quasi alterius intelligentis causæ instrumentum: similiter calor & frigus, cum faciunt, tenuitatem, crassitiem, motum & quietem, non per se, nec gratia suæ entitatis, videlicet effectus agunt, sicut cum calefaciunt aut infrigidant. Quies enim non est quietis gratia, nec subtilitas subtilitatis, sicut est calefactionis calor gratia caloris: & genitum frigus gratia generantis univoce frigoris: sed fit quies tanquam frigoris actus, & motus tanquam actus caloris, ad quem requiritur tenuitas ut possit moveri. Fiunt ergo propter se, sed non per se tenuitas & crassities, & sunt calidæ aut frigidæ, non autem sunt calor & frigus, sicuti est quod fit calefactione & frigefactione. Lux & tenebræ, motus & quies an fiant, vel sint solum rei genitæ apparentia, vel affectæ rei factæ, alibi disquiremus.

Quidquid ergo fit *per se, & propter se*, habet similitudinem naturalem, & idealem in agente causa: quidquid fit *per accidens, & propter aliud*, non habet similitudinem nisi in causa prima, cujus virtute & gratia agunt causæ agentes omnes. Quidquid fit *propter se, & non per se*, habet similitudinem solum idealem in causa activa sui; ut homo producens motum non est motus, & solum idealem habet in homine concipiente similitudinem; habet etiam naturalem, quia homo non potest movere nisi in eo, quo est ipse mobilis, id est spiritu: veluti neque homo scribit, nisi quo est scriptor, quo enim homo, aut ædificator, scribit per accidens.

Igitur cum calor producit tenuitatem, præhabet illam actu, non primario, sed consecutivo, & quasi idealiter. Quia enim novit in sui idea vel divina per instinctum; aut quia prænotum est in divina omnium causa, non vivere calorem nisi in materia tenui: idcirco dum calefacit, & se in regno novo amplificat, simul attenuat: alioquin non posset molem occupatam sequestrare ab hostili, & sursum ad cognata rapere entia: unde videtur hæc actio opus intelligentiæ dirigentis cunctæ in suos fines: Omnis ergo agentis virtus præhabet ideam formæ materialis, & accidentium requisitorum ad usum formæ in materia generandæ.

XLIX. Quod si peripatetici intelligant, in agentium virtute præexistere, quæ fiunt illis similia, quæ tamen virtus non excludat ita actum, ut dicat solum potentiam, quam ostendimus nihil esse absque actu potente: excludat tamen modum rei faciendæ, utique & nos concedimus, solem & terram generare animalia, quæ habent in se non formaliter, sed virtualiter, & idealiter quoad modum: sed essentialiter quoad entitatem. Est enim materia animalis in terra, at non modus & organizatio, qualis in animali. Est in sole calor, sed non modificatus in tenui materia factusque spiritus crassæ terrenæ molis organizatæ habitatore. Attamen verum est, nihil habere animal, quod non præsit in cœlo & in terra, præter modum & exemplar: quod licet sit in illis, & tamen sicut in servo, non in Domino. Virtutes enim seminales primitus sunt in Dei verbo: in elementis vero per modum fluentis nun stantis: in elementatis per modum recipientis; & in seminibus per modum conservantis, ut sapienter S. Augustinus admonuit.

Quia igitur omnis efformatio materialis est propter aliud & non per se fit & gratia sui, idcirco ejus

non præest essentia, sed idea. Et licet formatio animalis præsit in generante animali, non tamen est in semine, nec in putri materia: imo præest in generante animali potius materialiter, quam active, ferme ut in fiscella forma casei, & in igne forma assationis, quæ absque coquo non perficitur. Adho enim ejus materialiter assat, non formaliter, cum assatio sit ejus modificatio per coquum facta: potius autem est sicuti forma domus in altera domo, unde exemplar sumit domificator, vel quam exemplavit domificator idem. Non enim est necesse præesse extrinsecum exemplar in artifice, sed potest ab ipso excogitari. Ita nec in natura ad exemplandum, sed solum ad commoditatem vasorum & dispositionum. Fit enim campana, & sine forma adjacente, & cum forma, sed commodius in forma habente ideam, sicut habet natura.

L. Cæterum cur aliqua non possint sponte fieri, sed ab alio, ut elephas & homo, alibi dicetur. Non enim fit ob vim formantem idealem præviam in homine, sed in natura, arte Dei, quodlibet ens & homo. Prærequiritur autem ob ministerialem & dispositivam commoditatem homo, non ut faciat, quod ignorat, namque & ubi tanta dispositio non est necessaria, fiunt & in utero, & in terra formationes a Naturæ arte divina, ut mures & culices & ranæ testantur, & plantæ & metalla.

SECTIO VI.

Expediuntur quædam alia circa Causam Efficientem.

LI. Quær. 1. Vtrum agens & patiens oporteat esse simul loco & tempore, seque mutuo tangere? In idem recidit celebris illa quæstio, an detur actio in distans? quam quidem probare conantur per actiones sympathicas. Ante resolutionem

LII. Observa, prout in Tract. II. Triplicem dari causationem Effectivæ causæ. Alteram materialem, alteram activam, tertiam Methaphysicalem: quam Hippocrates vocat divinam. Prima, videlicet Materialis, fit mistione, seu intrusione, & impulsione, & plerumque cum diminutione agentis. Quemadmodum cum humidum agit in siccum, & econtra, & grave gravat deorsum. Quod non faciunt effundendo extra se propriam similitudinem, commonicandoque illam passo, per sui amplificationem: sed cum miscentur seipsis, tegunt passi formam, & teguntur, nihil commutando per conversionem alterius in se, nisi per vim activam, si quando habent illam sibi unitam. Sic aqua mista terræ, terram humectat mollificatque, non convertendo terram in aquam, sed compenetrando terram, & terræ siccitatem abscondendo sub sua humiditate. Prout econtra, terræ ariditas aquæ humiditatem temperat, tegitque ex parte: sicque fit mistio neutro alterum in sui naturam convertente: & hac ratione agit omne siccum communicando idem, non amplificando alterum numero. Similiter & humidum, & omnis passio materialis declaranda. Spina quoque & lancea pungit non agendo, sed se intrudendo, aliena, non propria vi. Similiter sigillum dum ceram signat. Grave etiam dum deorsum vadit, si quid impediat, aggravat illud, non faciendo illud grave, sed sua mistione quorsum ipsum vadit, deprimendo non ex intentione. At, nec qui removet prohibens, dat gravi gravitatem, sed tollit incommoditatem, & pertinet ad conditionem causandi, non ad causationem.

Causatio vero activa est, cum agens effundit propriam similitudinem in passum, aliudque numero Ens facit, transmutando passum. Sic ignis generat ignem, & calor calorem, & frigus frigora, sese in alienum effundendo subjectum, ac multiplicando. Hæc enim est causæ agentis varæ virtus, seipsam videlicet amplificare, multiplicare augereque numero. Et hoc proprium activarum causarum quæ sunt calor & frigus. Materialia enim & quanta, additione crescunt, & subtractione minuuntur. Activa vero intensione ac multiplicatione sui augentur, & remissione minuuntur.

LIII. Datur & actio ex his mista: qualem faciunt pulveres & liquores in pharmacorum mistione, & in corpore nostro applicata. Namq; ex materia vi obstruunt, solidant, exsiccant, humectant; ex vi caloris alterant, calefaciunt & confortant. Est etiam ubi infrigidant per accidens: quod faciunt, vel aperiendo viam calori inflammanti ut exhalet, vel expandendo calorem unitum in membro inflammato in sui ipsorum admistam materiam minus calidam; ac proinde minuendo, ut Cicorea, cum jecur dicitur refrigerare, vel quia minus calidum apparet robustiori calido frigidum, sicuti manus Medici ægroto febricitanti: quod ratione expansionis etiam fit.

LIV. Causatio Metaphysica est, quando aliquid agit, non quatenus Elementum aut Elementatum physicum, sed vi primalitatum, id quod Medicis occultum fuit. Adhuc enim quæritur, quomodo venenum & pestis occidat. Non enim quia calidum, quandoquidem piper calidius non occidat: neque quia frigidum, cum nix frigidior non noceat: nec quia siccum, cum pumex lapis siccior non occidat: neque quia humidum, cum aqua & aër humidiores, & oleum humidius non occidant. Similiter qua ratione magnes trahit ferrum, cum ex nulla qualitate physica id efficiat? Aliquando respondet Hippocrates, in his esse causam divinam, id est occultam: quam alii à cœlo, alii ex temperamento accersunt. Sed profecto rabidi canis spuma vim habet vertendi hominem in caninum, & non a cœlo, sed a vehementia morbi: & cancer totum consumit solidum, non ex qualitate elementari, nec cœlesti. Rex quoque imperat omnibus, non ex physicis viribus, sed diviniori ex ratione. Item chalybs & magnes attrahunt ferrum (imo & aurum attrahi a Magnete demonstravit Kircherus, sponsione inita cum Nobili, qui rem incredibilem æstimabat, prout narrat idem P. Athan. in suo Mundo subterraneo) Rhabarbarum choleram; caput viperæ vulneri inflicto a vipera appositum, attrahit ad se venenum. Quod quidem a sui natura habet, ut tantillum tumefaciat, occidatque hominem tam magnum & tam cito. Lapis autem Bezoar contra omnia venena valet, nullis qualitatibus elementaribus fretus; aliique lapilli divinas vires ostendunt; aguntque multi nec tangendo; alii vero dum gestantur: sicuti Alectorius victoriam in hostes, peonia contra epilepsiam, olee contra cucurbitas &c. de quibus plura vide in Tract. 37. de Naturæ mirabilibus.

LV. Quid dicemus ad hæc? Profecto fatendum, primalitates, & vires rerum activas, & corpulentiam simul mistas esse in rerum corporearum naturis: atque actiones ab omnibus his provenire, in unam rem actis. Verum quæ a materia magis, materiales dici, ut quæ siccum & humidum, & grave & acutum permista

sta subsequuntur, & non multiplicantur de se. Quæ vero a viribus activis, eas diffusione dicimus ac multiplicatione celebrari. Quæ vero a primalitatibus magis, eas diviniore modo edi: propterea enim canis rabidi, non autem sani, spuma augetur & multiplicatur in vulnere hominis usque ad conversionem spiritus humani in caninum, quod potestativum eique vehementia affectum, & a corpulentia jam pene spoliatum, aptum est sese multiplicare: quod non fecit spuma sani canis in vehementiam non sublimata. Similiter auri spiritus corpulentia spoliatus, vim accipit vertendi hydrargirum in aurum. Et quidquid antipathia & sympathia efficitur, virtute primalitatum fieri putandum. Caput viperæ venenum sibi persimile, suumque allicit; rhabarbarum amarum croceumque, choleram amaram croceamque: Sena bilem atram, cui est similis, trahit in ventriculum, quam spiritus irritatus pellat deorsum.

Non autem agunt in similia, nisi attractione: non enim vipera occidit veneno viperam, sed attrahit ad se venenum. In opposita autem agunt pulsione & afflictione. Sic cæpa fugat rosam, & oleum cucurbitas & lupinum vitem.

Manifestum enim est, quod vires activæ & corpulentia indices sunt conformitatis primalitatum in sua consimilitudine: unde plantæ & fructus humani corporis membris aut visceribus similes, conferunt illi membro, aut visceri: dissimiles vero nocent, etiam divina actione, nedum physica.

Primalitas longius extendit vires, quam activitas; & longius activitas, quam materialitas; imo nec materia agit, nisi impellente aut cogente activitate: nec vis activa nisi primalitate præstante ac movente. Proptereaque Primalitas vires suas exerit vehementiores, & procul magis a corpulentia spoliatur: inde est, quod transpicui lapilli virtuosiores sint opacis, quoniam in illis materia magis est devicta, & spiritus, & subtilitates, (quintæ essentiæ vocatæ) quo magis secernuntur a materia, agunt magis. Certius tamen ac vehementius in rem aptam pati, quemadmodum flores in apem, magnes in ferrum, venenum in hominem non plantam. Nulla autem esset effusio contraria primalitatum, nisi modificatio corpulentiæ & activitatis, gradus oppositos per accidens in primalitatibus faceret. Clavi ferrei super suberibus natantes, cum se volvunt, quisque ad positionem & situm suæ originis, indicant, primalitates ex dictis causis sortiri oppositionem.

LVI. Quid ergo dicemus ad Magnetismum Vitrioli, quem exhibet Pulvis sympathicus & Unguentum armarium, de quibus mentionem fecimus alibi?

De hac curandi ratione, quam Sympathicam vocant, plures sunt opiniones: quæ tamen ad 3 Classes reduci videntur. Nam alii quidem ejusmodi actionem, quam absens in absente causare valeat, dari negant: alii admittunt. Et hi rursum bifariam divisi; nam alii effectum esse naturalem; alii pactum dæmonis intervenire opinantur. Primam opinionem sequuntur omnes, qui negant absolute dari actionem in distans; ac proinde sympathiam, eo modo quo illam explicant, a medio tollunt.

Nos, non sola auctoritate, nec levibus & incertis indiciis, more mulierculorum permoti, sed experientia & evidentia rei convicti profitemur. Curas ejusmodi sympathias viribus naturalibus Victrioli fieri, citra ullam superstitionem; non quidem per ἀπόῤῥοιαν, neque per species propagatas per medium loci intervallum, quod est inter vitriolum & vulnus; neque per effluviorum corpuscula, ut contendit Digbrous, sed per alium modum, supra Tract. IX. de Archivo insinuatum. Cui placet hoc loco aliquid lucis addere. Non enim minus difficile cognitu modernis videtur aliquid agere, ubi non est, quam antiquis visum, ex nihilo aliquid fieri. Et sane omnimoda absentia agentis a passo videtur implicare. Quod enim agit hic, est agens: hic non ergo potest tum abesse ut agens, licet forte alia ratione absit. Intelligentias quidem, neque in loco esse, neque motui subjacere, & neque ullis intervallis corporis a se distare, neque contiguas esse (quod idem de anima rationali sentiendum) multi docent. Unde dicunt, licet homo ex loco uno in alium moveatur, anima tamen immota manet, idem Ubi in quo creata fuit, retinens: mutatio enim loci, ad solam unionem, quam in corpore habet, pertinet. Et sicut intelligentia quævis, ita etiam anima hominis immediate se unire potest cuicunque rei, sive ut objecto, sive ut subjecto suæ operationis propterea quod nullum inter hoc & illam sit intervallum. At vero ut corpori unita, ratione hujus unionis, sicuti extensionem habet a quantitate, ita quoque ab eadem limitatur, ut hic & non alibi esse dicatur, huic & non aliis corporibus co existat, neque nisi successive iisdem se unire valeat. Unde omnes actiones, quæ fiunt dependenter a quantitate, non possunt alici ab anima, nisi illius corpus eidem rei in quam agere debet, sit præsens. Est enim actio non quævis & indefinita, sed hujus in hoc. At vero essentia est prior accidentibus, quo ab illa fluunt ceu radii a sole: igitur ut sic, neque magnitudinem habet, neque partes; & neque est in aliquo loco, nec ullam distantiam habet ab alia essentia: quia tamen suum esse non a se ipsa, sed ab alio habet; ea quidem ratione limitatur per voluntatem Creatoris, ut & sit & operari valeat tam in se ipsa, quam extra se. Et quantumvis spatio immenso abesse videatur, ex se tamen sufficienter est applicata, ut in singulis agere vel operari valeat: limitatio enim ad hoc vel illud est quantitate posterior, per quam essentiæ hujusmodi intervalla & distantiam consequuntur. At vero sympathia non fit per ideas materiales, sed immanentes, quæ in ipsa anima recipiuntur.

LVII. Objicies, calorem, frigus & reliqua accidentia, quæ vi pulveris sympathici in ipso vulnere fiunt, esse mutationes materiales, & in subjecto corporeo recipi, igitur mediante quantitate, ac proinde leges corporeas sequi debere, neque nisi per contactum agentis & pasi.

Respondeo, sympathiam non nisi inter duo esse posse: nam prorsus idem non potest dici sibi ipsi συμπαθεῖν: non tamen est necesse in illis duobus nihil esse commune, prout in Angelis aut animabus separatis. Nam oculus hic ab illo differt, & tamen anima eadem utrique inest. Illam vero differentiam inducit materia per suam hæcceitatem. Et quidem in homine est sympathia ad omnia reliqua, propterea quod anima sensitiva in omnibus est una: licet enim actiones dicantur suppositorum: sola tamen anima est principium & subjectum actionis vitalis, quæ tamen eidem inest non nisi in corpore existenti. Itaque oculus dicitur videre, & non audire, auris audire & non videre: homo vero utrumque, quia nimirum ejusmodi actiones includunt

non solum illud quod animæ est vitale, sed etiam ea quæ determinationem in materia eidem afferunt; quæ longe alia est in aure quam in oculo; igitur dolor ob læsionem in oculo proveniens, quoad perceptionem illam vitalem, in est animæ; non solum in oculo, sed etiam in aure existenti, quæ cum prorsus eadem sit; non potest dici in aure existens sibi ipsi compati in oculo existenti. At vero quia quandoque uno oculo affecto; alterum quoque affici contingit, & rene uno obstructo, etiam alterum prohiberi ab excretione urinæ; tametsi neque hic in illum aliquid mali influit, neque ren obstructus quidquam per se facit ad retentionem urinæ in altero rene: cum quidem ren reni, atq; oculus oculo compati dicitur, & per sympathiam idem affectus resultare; quod non fieret nisi idem principium utrique adesset utriusque notitiam habens, & in cujus potestate, seu proxime, seu mediate, sit ille effectus. Quod principium est ipsa anima ex se indifferens ad omnia, determinationem vero ad singula habens ab idea, prout latius explicabimus Tract. XXXI. de Ideis. Et quidem dolorem in oculo per se affecto determinat species dolorifica eidem impressa; cui vitalis imago assimilatur, quam anima elicit in se ipsa, estque hoc actualis notitia ipsius mali: quam sequitur abhorrescentia & saluti fuga quodam in appetitu. Sicuti vero idea subjecto impressa est exemplar hujus, ita hæc vicissim animam determinat ad illam: Suntque sibi ipsis mutuo causæ: anima vero efficiens utriusque. Et idea quidem expressa, quia indivisibiliter recipitur, nullibi abesse potest: Species autem impressa, non nisi in parte illa subjecti, in qua est similitudo & analogia ad speciem expressam, qualis nimirum est inter oculum hunc & illum, non vero inter oculum & aurem. Vnde conceptus Mentis a tristi sensatione seu specie dolorifica inductus, mox imaginem sui pingit non solum in memoria, in qua æquali jure omnes recipiuntur, sed etiam in oculo sano illi similem, quæ oculo inest affecto: a qua etiam, si excedat, mox qualitates corporeæ sequuntur. Ita in dolore dentium, quia excessivus, neque illa differentia, in hujus conceptu, quæ in conceptu oculi adest; omnes ad tactum dolere videntur.

LVIII. Hoc in gratiam Confraternitatis Podagricæ DD. Arthriticorum illustrabo Exemplo Viri Expertissimi Med. Doct. Joan. Marci Marci, cui tanquam Experto de semet ipso narranti tuto credi potest, ut sequitur: Arthritici raro suam calamitatem absolvunt in una aliqua parte corporis, quantumvis a causa externa, ut ictu seu compressione, ortum habeat; verum sensim fit progressus ad reliquas articulationes. Ita quidem evenit mihi ante annos 23 (Liburni tunc eram in Italia) cœpit primum in pollice pedis hic dolor: nulla vero suspicio mihi tum de podagra, utpote parentibus meis & avis ignota: neque ejusmodi excessus, a quibus nasci vulgo creditur, a me commissi. Et licet difficulter ambularem, non tamen abstinui curiositate dolorem illum superante: qui Genuam usque mihi adhæsit. Post unum atque alterum annum malum rediit, & quid de illo sentire deberem, satis patuit. Ordinarie autem a causa externa incipere videbatur: potissimum a compressione calcei, aut casu cum metu aliquo ob periculum pedi imminens. Contigit ergo quadam vice, ut paroxismus rediret, qui hactenus non ultra illum pedem fuit progressus, omnesque digitos simul occuparet nullo vel levissimo indicio, ex quo alteri pedi simile quid imminere suspicari liceret. Ego quidem ita male affectum cum tristi quodam sensu intuebar: & ecce repente alterum quoque pedem affectum, & similem priori effectum aspicio. Vnde cœpi illam opinionem, quam de ortu & causis arthritidis eo usque cum aliis communem habui, mox aversari; utpote in meipso hujus falsitatem expertus. Adverti autem in me & aliis ex metu recidivæ pronius redire, magisque infestare: præsertim si ira & indignatio accedat. Securitatem vero præstare mentem ab ejusmodi passionibus liberam, & fiduciam habentem in quopiam remedio non prorsus vano. Qua quidem ratione jam a biennio me immunem ab arthritide servavi. Et cum aliquoties dolor jam cœpisset, fiducia spiritus mei antipodagrici (quem suo loco describam) itineri etiam longiori me dedi, ab ulteriori invasione liber. Nequa dubitandum plures alios morbos per fortem imaginationem induci, atque rursum aboleri posse. Hæc Marcus Marci.

Nunc prosequamur curam sympathicam, cujus rationem Animæ Mundi & Archæo tribuendam diximus.

LIX. At, inquies, licet vis imaginativa plurimum possit non solum intra hominem, sed etiam extra; prout fascinationes docent: longe tamen alia est ratio in parte abscissa & rejecta ad reliquas: ut unius guttæ sanguinis ad reliquum sanguinem: quacunque enim ratione dicatur conservari illa gutta per unguentum armarium, seu pulverem sympathicum, illam vim ex se habere debet atque influere posse, non vero a pulvere desumere.

Resp. Archæum absolute unum dici quousque eadem actio vitalis in eo formaliter perstat, ut visio in anima: est enim hæc & subjectum & principium ejusdem, non solum prout est in oculo, sed & in aliis partibus quamdiu manent unitæ: & idem dicendum de quavis alia actione immanente seu passione: quæ toti erat communis. Quod si separatio fiat, & in partibus illis separatis eadem maneat; utrique vere & vitaliter inesse dicetur: neque enim ratio est cur anima (maxime si statuatur indivisibilis, prout S. Augustinus & Thomas volunt esse animas brutorum perfectorum) principium & subjectum illius sit hic & non etiam ibi. Vnde Archæus in vulnere, & gutta sanguinis inde avulsa idem censeri debet, quousque eadem passio in illa gutta manet, quæ quia principium ex se non habet novæ imaginationis aut passionis, manet quousque a corruptione servari potest. At vermis bifariam sectus in utraque parte suam imaginationem retinet: unde facile priorem exuit, novamque passionem assumit. Et licet ejusmodi passio in altera parte, ob identitatem animæ, tum resultaret, non tamen vitaliter inesse diceretur, propterea quod ejusdem principium vitale non est; cum jam diversa sint individua, & actio vitalis a subjecto determinetur: unde Archæus hic, non ille, vim habet determinandi seipsum alibi existentem. Quod vero attinet qualitates materiales, quoniam illarum quoque ideas senso naturali percipit Archæus; hinc est quod ob illum nexum etiam ibi resultent, & ad qualitates materiales determinent.

Verum licet in tanta rei obscuritate non in omnes illius aditus penetrare liceat, neque rationem reddere, cur non semper eodem modo res habeat, sed evariet quandoque, an propterea veritas jam nota talis non erit? non omnes matres suos in utero fœtus mutare, notisque rei desideratæ insignire solent: & sæpe ima-

imaginatio, quantumvis intenſa, abſque ullo effectu manet: quandoque etiam notæ inſculpuntur & monſtra fiunt citra cooperationem matris. Siciti ergo ab omnibus rideretur, qui ob ſimiles rationes hanc vim imaginationi maternæ negaret: ita minus recte facere videntur, qui curam ſympathicam, pro qua plures experientiæ habentur, e medio tollunt.

LX. Quær. 2. Quid ſit illud *fieri*; ſive quid proprie *factio?* an per cauſas ſecundas ens novum ſimpliciter fiat, vel modus tantum? Reſp. Ens ſimpliciter & abſolute non videtur fieri a cauſa ſecunda efficiente, ſed duntaxat hoc aut illud. Factio ergo eſt limitatio entis, & non productio totalis. Si enim totaliter & omnino ens fieret, nullo pacto prius eſſet, nec in ſe nec in alio, ſed eſſet ipſum putum nihil. Patet autem, quod dum fit planta, eſt quidem terra & calor ſolis, qui modificatus in terra modificata, nimirum partim redacta in ſpiritum tenuem, partim in ſuccum, partim in craſſitiem extendibilem cooperientem ſuccum, & ſpiritum proprio modo & idea redactis in unum calore & terra modificatis, concreſcunt in plantam. Et ita de cæteris inſpiciendo licet ſentire. Quapropter omne quod fit, ens erat, ſed non erat hoc ens, id eſt tali modo. Similiter quando factus eſt mundus, ſed non hoc modo viſibili, quo nunc eſt, ſed erat ens in Deo ente primo. Dum ergo res fiunt, limitatur eſſe, & hoc eſt *fieri*, videlicet limitari & modificari. Quod ergo non fit unquam, illimitatum eſt. Ideo ait S. Ambroſ. L. 1. de ſpir. ſancto c. 7. *Omnis creatura certis ſuæ naturæ* (id eſt nativitatis, originis & factionis) *circumſcripta eſt limitibus.*

LXI. Quoniam autem fieri eſt limitari, nobilius eſt non fieri; ergo quæ non fiunt, majoris ſunt entitatis, quia non limitata, ergo res in ſuis cauſis melius & magis ſunt, quam in proprio eſſe. Verum non videtur ita eſſe, ut res ſit magis ens in ſua cauſa, quam in ſe. Alexander enim eſt melior Philippo Genitore ſuo: & homo & planta, & omnia fere entia ſecunda, poſſunt oriri ex cauſis ignobilioribus ſe, ergo habent in ſe melius & magis eſſe quam in cauſis.

Propter hoc dicendum eſt, quod melius & amplius eſſe habent res in cauſis principalibus & prioribus; non in inſtrumentalibus & poſterioribus, quæ ſunt cauſæ, non eſſendi, ſed modificandi eſſe ipſum; ſicut fiſcella modificat lac concretum ad eſſe caſeum: & quia cauſæ, quas Peripatetici vocant univocas, ſunt hujusmodi: ideo in eis poteſt & melius & pejus eſſe præhaberi. In æquivocis vero principalibusque, nequaquam. Iſtæ enim magis ad eſſe, quam ad modificationem conferunt. Modificatio enim venit a proximis cauſis, quatenus modificatæ ſunt ab ipſo nonente ad non habendum eſſe amplum cauſarum primariarum.

LXII. Sapientiſſime igitur S. Thomas putat nullam cauſam ſecundariam producere eſſe, ſed hoc eſſe, hoc eſt quiditatem & formam particularem, ut homo hominem: & generationem non terminari ad eſſe primo, ſed ad hoc eſſe. Cauſam vero primam, quæ eſt Deus, primo producere eſſe, & ſecundario hoc vel illud. Sed tamen quia ipſa creatio non producit eſſe rerum abſque modis rerum, reſpondentibus ideis creatoris, ideo dicimus creare eſſe producere eſſe ex nihilo; quoniam Deus utitur nihilo, ad modificandum eſſe. Et quidem patet, plus dare ſolem eſſe plantæ, quam mater ſua: quoniam hæc ad hoc eſſe modificat tantum virtutem ſolis amplam: ſed quia nos modificati corpore & mente, ea tantum eſſe putamus, quæ ſunt limitata & extra cauſas, perire putamus, quæ in Deo celantur, & quæ inviſibilia ſunt, non eſſe: cum tamen verum ſit, quod melius ſint. Vnde Apoſtolus ad Philip. nos mori in hoc modificato eſſe cupit, ut vivamus in Deo, in quo abſconditur vita noſtra tanquam in ſua cauſa altiſſima. Et in ea conſummantur in unum, ut orat JEſus, & magis ſumus, quam in nobis, & omnia in Deo vivunt: & quod factum eſt, in ipſo vita erat: in ſeipſis autem res ſunt quaſi mors. Mori enim eſt modificari ad pejus eſſe, non autem eſt non eſſe ſimpliciter, ſed ſecundum quid. Nullum enim ens poteſt annihilari de ſe, ſed mutari. Nos autem decipimur, limitationem pro eſſe vero accipientes.

LXIII. Rurſus, quoniam de qualibet re dicitur ens: motus enim eſt ens, & imaginatio, & actio, & paſſio, & figura, & calor ſunt entia; manifeſtum eſt quod movere, & moveri, & albeſcere, & figurari, & loqui & tacere, eſt aliquod eſſe vel eſſendi modus. Item modi eſſendi ſunt plurimi, quoniam Petro eſſe hominem, aliud eſt quam eſſe in loco, & eſſe ſcriptorem, & eſſe album, & eſſe longum, & eſſe mutatum. Agere igitur eſt eſſe in alio in quo agimus. Vt calefacere ipſi calori eſt eſſe in alio, videlicet in calefacto: pati vero eſt fieri aliud, calefieri enim eſt calorem fieri. Sed quia, quod calefit, non ceſſit eſſe quod erat, non dicitur fieri & eſſe calorem, ſed calidum: materia enim remanet. Et quia nulla res prorſus deſinit eſſe tranſeundo ad alienum eſſe: ideo dicitur res omnis transmutari, dum alienum eſſe participat. Habere autem figuram, & calorem, & motum, eſt eſſe his modis ſcilicet figuratum, coloratum, motum, locatum, temporale.

LXIV. Rurſus λη eſſe, dicit compoſitionem duorum entium ſecundum rem, quando quod habet eſſe, eſt alterius generis ab habito. Vt cum dico, homo eſt albus, vel in loco, vel in platea, vel in cœlo, vel agens, vel patiens aliquid. Quando vero λη eſſe, copulat ea, quæ ſunt ejuſdem generis & unius definitionis, non dicit compoſitionem ſecundum rem, ſed ſecundum vocem, id eſt compoſitionem notionum ejuſdem rei, ut cum dico, homo eſt homo, vel homo eſt animal rationale; quoniam hæc homo eſt per ſe, & in hoc conſiſtit eſſe hominem. Et coacti a noſtro more intelligendi, per copulam identitatem ſignificamus. Illa vero, quæ non ſunt ſecundum eſſe hominis ſed poſſunt adeſſe & abeſſe, & conveniunt exiſtentiæ hominis limitatæ, & abſolutæ, dicuntur de eo per accidens, ſed non de limitato homine, ſi accidunt ex vi limitationis interioris, ut Cæſari eſſe magnanimum, vel ita affectum & operantem: at ſi accedunt ei, quatenus eſt pars univerſi, & pertinent ad limitationem, & hæcceitatem externam, dicitur eſſe illa, aut in illis per accidens. Non enim Cæſareitas per bibiſſe in flumine conſtituitur, nec per calefactum eſſe a ſole in Africa. At ſi reſpicias univerſitatem rerum, & conſideres a principio longe potentiſſimo, longe ſapientiſſimo longeque optimo illam emanantem, ac gubernatam, utique cum nihil ejus ſapientiam effugiat; accidentale nihil eſt in toto. Cœlum enim eſt accidens terræ, ſed non mundo: frigus non eſt de eſſentia Petri, ſed mundi. Plura de his, ubi de ente & monſtris.

SECTIO

SECTIO VII.

De Modo agendi veterum Philosophorum, & Aristotelis.

LXV. Revera difficilis ioventu est ratio agendi. Quidquid enim dixere veteres, mancum est, non enim videntur respexisse nisi ad unum ex prædictis agendi modis Sect. præced.

Democritus quidem sustulit Causam agentem metaphysicam, & formalem: admisitque tantummodo materialem. Cumque non posset rationem reddere contrarietatis & actionis, recurrit ad figuras varias, & ad vacuum & plenum: posuitque corpuscula atoma omnia deorsum ferri: quædam vero minus gravia sursum extrudi. Igitur mutuo se collidunt, & quasi violenter agunt, casuque fit, ut nunc hoc, nunc illud ens constituant.

At cum videamus, mirifico artificio sapienter, & non temerario casu res fieri propter fines certos, & certa lege, certisque ex seminibus, & non ex quibuslibet casualiter, remanet opinio ejus indigna, cui credatur. Cumque nos agamus propter finem, qood non faciunt atoma, ex quibus animam nostram componet? Vtique aliud divioius supra corpora, & activum supra passibilitatem materiæ, Democrito agnoscendum erat.

Et quamvis plurimi ex modernis Staticis conentur evincere, omnia corpora tendere deorsum: nec dari simpliciter leve, qnod ex natura soa sursum tendat, sed tantum a gravioribus trudi sursum: id tamen nobis non videtur verum: sed quatenus corpora unius systematis uniri omnia ad conservationem illius erga centrum, & eatenus majora minorum facere extrusiooem: imo videmus ignem in cuniculis bellicis accensum non modo sursum non extrudi a gravioribus, sed ut ipse tendat sursum, omnia gravantia & impedientia subvertere, nimirum arces & montes, & quidquid obsistit. Hoc autem Democrito suisque Epicureis magis convenit dicere, quibus spatium universale videtur infinitum, nullumque centrum aut peripheriam secundum naturam habere, sed prout casu Mundi hic vel ibi nascuntur, sua sortiri centra atque periphærias. Ergo in spatio illo non magis huc quam illuc ponderabunt atoma.

Quod autem ajunt, dum hæc atoma in istarum concretionum atoma intrant, facere actionem & passionem, & falsum & insufficiens est. Intrando enim atoma replent tantum, non convertunt corpora in aliud corpus, nisi habeant vim sui multiplicativam, amplificativam & generativam. Nihil ergo faceret ignis in ligno, nisi repletionem vacuitatum ligni, non autem couversionem ligni in ignem: maxime autem cum una favilla sylvas ingentes innumerasque devorat, & in ignis immutat naturam; quod multa aqua penetrans multo tempore lignum non convertit in aquam, ergo quia caret vi activa, quæ inest igni.

Nec quia magis in porosum, quam in solidiusculum, fit actio, propterea nihil erit actio nisi introitus & impulsus hujus in hoc. Pori enim præstant commoditatem agendi tantum, interiusque & facilius immutandi; non autem vim transmutandi, agendique, ut patet in ligoo sicco poroso, & viridi pleno. Absentia quoque ac distantissima in cogitantem agunt animam Epicureis, nihil tangendo, nec simulacra hominis in America habitantis, animam meam somniantem, & cogitantem illius movent, cum nec venire ad nos, præsertim noctu per immensa itinera antequam dissolvatur ens in aliud queant.

LXVI. Empedocles etiam, qui actionem celebrat elementorum per intrusionem hujus in *hoc*, eisdem premitur incommodis, excepto eo, quod qualitates activas elementis 4. dat; nec ex commistura vel figuris atomorum eas nasci opinatur.

Verumtamen cum intransmutabilia velit in invicem elementa, nec ex terra aquam, aut ignem generet, omniaque faciat sola mistione, incidit in Democriti sententiam: non enim reddit causam, cur scintilla ignis totam sylvam in ignem convertat, sui profecto (ut video) amplificatione, non segregatione: quomodo enim poterat tantus ignis non transmutatus intra sylvam latere, nec manifestari sylvamque incendere, sed indiguit scintilla una, quæ liberet ipsum manifestetque, tantumque tantilla de commistionis vinculis exsolvat?

Frustra præterea in invincem agerent elementa duce natura sapientissima, si nulla spes esset convertendi vincendique in invicem, suumque regnum amplificandi. Quod si adiguntur ab exterioribus causis, quemadmodum duo gladii duorum bellantium, oportet Deos elementis cuique suum assignare, qui litem & amicitiam inter eos moveant faciantque. Ergo nec casu, & necessitate materiæ res evenirent ut Empedocles docet, sed deorum industria.

LXVII. P. Honoratus abri Facutissimus nostri ævi Philosophus Lib. 2. phys. de Elemento ignis respondet argumento huic prop. 39. Quod alius est ignis actu, alius ignis potentia. Ille est, qui sensibilis est, talis est in flamma, in carbone accenso, in ferro candente. Ignis vero potentia est, cujus particulæ ita sunt exiguæ, & cum aliis Elementis commixtæ, ut non faciant esse physicum, vel esse sensibile ignis; sed vel ligni, vel chartæ &c. Itaque in hoc ligno (in hac sylva) ignis est potentia, non actu; quia scilicet ex ligno potest fieri ignis, id est insensibiles quædam particulæ, quæ cum aliis elementis conjunctæ non faciunt esse sensibile ignis, sed ligni, possunt colligi ac congregari, ac proinde facere esse sensibile ignis, id est calefactivum & lucidum. Observari jubet insuper, quatuor esse conjugationes; nam vel illæ ignis particulæ sunt seorsim ab aliis, & conjunctim inter se; hoc est cum aliis commixtæ non sunt, sed inter se conjunctæ: hæc combinatio facit igoem purum actu. Vel sunt seorsim a se, & cum aliis conjunctæ, ut in hoc ligno, hæc combinatio facit ignem potentia. Vel sunt conjunctim tum inter se, tum cum aliis, hoc est ita sunt inter se conjunctæ, ut vim sensibilem habeant, licet adhuc cum aliis commixtæ sint, ut in flamma; hæc combinatio facit ignem actu, sed impurum. Vel demum illæ particulæ sunt seorsim, tum a se, tum ab aliis: sic essent particulæ illæ in vacuo, modo singulæ seorsim essent: talis combinatio non datur, nec faceret ignem actu; nec etiam potentia, scilicet proxima, nec enim accendi posset, eo scilicet modo, quo alius ignis modo accenditur; videlicet per collectionem suarum partium: nam accendi ignem, idem est ac fieri ignem actu; fieri actu idem est ac poni in eo statu, in quo lux & calor in summo sentiantur; & hæc sentire idem est, ac vim illam esse adeo vegetam, ut sensum tali modo afficere possit. Porro vis illa crescit, non intensive, sed extensive, id est quia fit major ignis, id est quia novæ partes accedunt, igitur

per

per collectionem partium, & non alio modo ignem generari dicendum. Ridicule enim diceretur forma ignis generari. Sed plura de hoc in Tract. XXIII. De Elemento ignis.

LXVIII. Aristoteles cum aliorum sententias detestatus esset, nihil melius ipse adduxit ad faciendum agere & pati, sic enim ait: Entium aliud esse in actu, aliud vero potentia: & illud agere, quia potentia activum, hoc pati quia potentia passivum. Indivisibile autem, & non tangibile pati non esse aptum. Supponit enim actionem & passionem non fieri, nisi tangentibus se invicem agente & passo. L. 1. de gen. & corr. tex. 44.

Amplius ait text. 77. Quia idem fit humidum & congelatum, nulla facta compositione alterius rei, & intrusione, ut putat Empedocles, neque transpositione, neque augmento aut diminutione, quod fieri oportebat, si Democriti ratio de actione esset vera: imo absque ulla mutatione, solum quia hoc pati, illud agere aptum est, consequens est ut actio passioque fiat, quia hoc actu, hoc potentia.

Mox non contentus generare & corrumpere omnia per actionem & passionem Arist. tex. 82. tracta de mistione, sicque omnia mistione putat cum Empedocle, quæ non est corruptio elementorum omnium, nec aliquorum, alioquin esset generatio non mistio: nec invisilia in frustula minutissima disgregatio, alioquin esset mistio nobis, sed non lynceo; nec coacervatio, oportet enim homoimerum esse mistum, ita ut sicut omnis pars aquæ est aqua; ita omnis misti pars mista. Quapropter concludit esse elementa in misto potentia non actu, & mistionem esse elementorum alteratorum unionem.

LXIX. Enim vero ridiculum est dicere, actionem & passionem fieri, quia hoc actu, illud potentia. Nihil enim aliud declarat, nisi quod hoc potest agere, illud pati: quod est petitio principii. Debebat enim nos docere, quare hoc possit agere, illud vero pati, & quomodo agat, qua via & ratione. Democritus & Empedocles aliquid saltem dicunt, Arist. autem nihil, nisi quia sic potest esse, illudens nobis quasi pueris, ait Thomas noster Campanella. Ratio etiam ejus de liquido cum gelatur, & de gelato cum liquescit, absque partium intrusione, aut transpositione aut mutatione, nulla est. Mutantur enim partes dum frigore coguntur, & calore disgregantur. Manifestum est enim, quod si plusculum immoretur agens calor, non solum disgregat humorem gelatum, sed etiam in fumum agit perficiendo disgregationem. Ergo non quia hic actu, ille potentia: Sed quia frigus omnia immobilitat, quæ ad sui trahit naturam: calor vero movet; utque sic eveniat, illud cogit, iste solvit particulas, quia vim sui diffusivam habet amplificativamque. Fieri gelu & solvi Democritus diceret intrusione frigoris (aut Mercurii) & caloris corporeorum: omnia enim corporea sunt Democraticis.

Modus ergo agendi Primalitatum adhuc occultus est, an fiat mistione sui, ut materialitas, an multiplicatione, ut virtus activorum, an meliori ratione quod credimus cum Campanella.

SECTIO VIII.

De Causa Finali.

LXX. Finalem Causam Physici parum attingunt, quoniam formas & materias tantum considerant, sensibilesque activas causas, ut plurimum. Finalis autem ad Metaphysicum spectat magis. At finis ultimus ad Theologos. Si enim percontens Physicum, quare nunc hic homo scribit? Respondebit quia habet paginam, & pennam, & atramentum, quod deducit super chartam ex voluntate, scientiaque scribendi, quæ sunt in mente scribentis. Et cur pluit? quia vapores sunt in aere levati a sole, mox a frigore, vel loci angustia condensati, gravesque facti, ita ut necesse habeant cadere deorsum. Si vero Methaphysicum interroges, ultra jam dicta respondebit, pluviam fieri ut tellus irrigetur, ut pariat herbas animalibus necessarias; & me scribere, ad manifestandam doctrinam hominibus utilem ad vitam, ac me vicissim conservandum in eorum memoria. Theologus vero, ut Dei providentia sequatur in conservatione bestiarum ad hominis utilitatem & exercitium, qui Dei conservantis imago est, donec ad Deum iterum revocetur: me autem scribere, ut ideas divinas aliquo pacto declararem, & gloriam ejus in me manifestem; atque generi humano utilitatem afferrem ex his, quæ hinc addiscit: & tamen nemo perfecte Deum finem intelliget ex his, sed omnes balbutiunt bene vel maliuscule. Hoc autem verificatur magis in physicis, quæ finis expertia videntur. Si enim quæras cur natum est Monstrum? Respondet Physicus, quia natura defecit in aliquo principio præter intentionem. Astrologus dicet ob Planetarum maleficorum in monstrosis horoscopantibus signis constellationem. Dicunt hi modum, sed non finem. Metaphysicus vero ait, ad commovendos homines ad investiganda judicia Dei in Primalitatum cooperatione. Theologus tandem, ut peccatores corrigantur, & de futuris malis præmoneantur, ergo non est Physici proprie finalis causa. At quia multa in Physica sunt absque fine, quæ in superiore scientia habent finem, optimi ergo ac sapientissimi hominum, qui supremum in cunctis respiciunt finem, omniaque sua ad ipsum dirigunt. Constat ergo Metaphysicos ut plurimum in hoc genere causæ versari. Nam & Physici, qui finalem neglexerunt, ut Epicurus, Democritus & Empedocles, Metaphysicam non docuerunt.

Nobis propositum est hoc loco explicare quid Finis nomine hic intelligatur, 2. quotuplex sit, 3. quomodo omnia agant propter finem, 4. an sit vera causa, & quis sit illius influxus, quaque ratione moveat efficientem causam, postremo qui sint illius effectus. Sit itaque

SVBSECTIO I.

Quid sit Finis, & quotuplex.

LXXI. Dum inquirimus essentiam causæ finalis, non sumimus Finem pro Finitudine. Nam Finitudo est id, quod proprie, principaliter & maxime finit unamquamque rem, secundum se, non secundum aliud. Quo in sensu finis dicitur quadrupliciter. Finis dicitur terminus viæ, vel agri, vel panni, quin includit proprium & excludit alienum. Dicitur secundo finis existentiæ, qui est mors, cum enim definit existere, ad suum non esse definit. Dicitur 3. finis perfectivus, quando non definit ad suum non esse, sed ad suum melius & verius esse, sicut homo in beatitudine: & infirmus in sanitate. Primitus autem finis essentiæ est limes secundum naturam ad quod imponitur.

LXXII. Distinguendum quoque inter Finem, &

Finalitatem. Cum enim unicuique enti optimum sit bonum proprium: cætera omnia amat, quatenus sibi conducunt. Bonum autem maximum est proprii esse conservatio, seu permanentis sui esse. Propterea dicimus hunc esse verum finem, ac proprio principio præinesse; illud vero ad quod terminatur actio agentis, & causarum causatio, non recte dicitur finis, sed potius finalitas aut perfectio; correspondetque fini intrinseco amantis in volitivo, sicut forma ideæ in cognoscitivo, & patiens agenti in potestativo. Causam finalem omnes dicunt esse aliquod ultimum, propter quod omnes cæteræ causæ laborant simul. Scimus enim bona esse duplicis ordinis. Aliud namque est simpliciter bonum, cujus gratia omnia dicuntur bona, & fiunt bona, & operantur ut illud adipiscantur; erga quod ferimur natura, non electione. Aliud vero bonum, quod ad illud nos deducit, vel sicut medium, vel sicut dispositio, vel sicut signum, vel sicut instrumentum, erga quæ ferimur electione. Cum ergo omnia operentur ut vivant, & nihil non agant propter vitam. Nam cibus, & vestimentum, & coitus, & bellum, & codices & Respublica sunt propter vitam in individuo, vel specie, vel in fama: & quia omnes istæ vitæ deficiunt, invenère sapientes homines a Deo tantum dari vitam æternam in Deo æternante: diffidentia enim de propria vita, in vitæ autorem eos adduxit. Vnde Religio, Sacerdotium & contemplationes, sunt bona, quatenus ad Deum nos elevant. Virtus vero bona, quatenus medium est ad consequendum boοum vitæ in nobis, & in filiis, & in fama, & in Deo. Honos vero boοum, quia est testimonium signumque virtutis; Studium, quia via ad virtutem; Pulchritudo bona, quia signum innatæ virtutis & opificis boni. Codices, artes, arma, servi, divitiæ, quia sunt instrumenta consequendi sapientiam & conservationem in nobis, & in specie nostra. Nam sicut protegit sapientia a malis destructivis, & adducit bona conservativa; ita protegit & pecunia, & vires, & amicitia &c. quæ bona dicuntur per analogiam ad summum bonum, quod quidem est commune DEVS, & proprium cuique particulare participium Deitatis, hoc est, esse proprium, ejusque conservatio, quam procurant ita, ut omnia velint esse semper, & ubique, sicuti Deus est semper & ubique: unde amant æternitatem intensive & extensive: ergo Deitatem, quoniam cujusque bonum est illius summi particula, & propter hanc ad illud nutrimur, regimur, domificamus, laboramus, fugimus mortifera, sectamur vitalia, servos, bonores, filios quæritamus per Venerem: ubi decepti non sumus, ut contraria diligamus illato amore, non autem innato, qui falli non potest, cum sit sigillum summi boni, ut amantis. Planta quoque fructus facit, ut vivat in filiis nascituris ex semine suo, in fructibus clauso: folia emittit, ut se, & illos ab æstu & gelu tueatur. Et spinas contra bestias, omnia ergo propter sui esse conservationem: ob idem calor & frigus, cœlum & terra operantur. Conservatio autem est esse; esse habens a primo ente. Igitur propter primum ens omnia operantur, dum propter seipsa operantur, namque similitudinem illius in se servare intendunt. Et ideo esse infinita & æterna cuncta vellent entia. Et tranquilla & tuta semper, sicuti Deus est infinitus, æternus, tranquillus, securus semper.

LXXIII. Igitur finis gratia cujus operantur cuncta, & formationum & formarum, non est operatio & usus, sed proprium cujusque bonum de primo bono, & in primo bono, propter quod fit omnis operatio. Non ergo esse substantiale nostræ mentis est propter intelligere abstractorum entium, uti putat Aristot. sed ipsum intelligere est propter esse substantiale sub primo beatificabile per tranquillam conservationem. Sicut nec optimus finis, supremusque navis est navigatio, sed vita & conservatio navigantium. Navis enim est propter navigare, navigare propter lucrum, lucrum propter regnum, & servos aliasque commoditates vitæ. Imo, inquam, neque qui secat ligna habet pro fine supremo dolatorem; nec dolator navifactorem: nec Medicus sanitatem ægroti: sed habent pro fine proprium lucrum ad propriam conservationem. Vel si mancipia sunt, laborant pro vita, ne ab hero perdatur verberibus. Hæc autem media sunt. Ergo unius cujusque finis supremus est ipsemet servandus, propria nimirum conservatio, vitaque æterna. Finalitas autem, seu perfectio est cujusque rei finalis Entelechia, ut finalitas navifactoris est formatio navis; navis navigatio: finis vero est sua conservatio, id est vitæ continuatio per hæc media, quæ primus conservator, ac essendi largitor adjecit Deus.

Probatur tandem hæc doctrina, quoniam Deus omnia facit propter seipsum: nec finis ultimus creaturarum est usus & operatio earum Deo non indigo, ergo & omnia propter seipsa agunt, Deum imitando: ergo finis in se, finalitas in alio. Finis ergo actio est forma rei actæ vel usus, sed non finis agentis, qui nimirum est proprii esse conservatio.

LXXIV. Porro sciendum, quod quæcunque sunt propter finem, & non propter se, illa durant: sed acquisito fine cessant, & demoliuntur; veluti scena, quæ fit propter comœdiam repræsentandam, acta comœdia destruitur; & cum cessaverint bella, conflabimus gladios in vomeres, & lanceas in falces, testante Propheta. Vnde in his, quæ sunt propter aliud, dicet quispiam non inesse finem intrinsecum, propriam nempe conservationem. Quæret etiam, an homo sit propter finem a se alienum, ita ut habito illo desinat esse penitus: quemadmodum videmus, corpora humana destrui & in terram verti: & quoniam si terra parturit elementata, sunt mox elementata propter terram, in quam convertuntur. Et quidem

Respondeo, omne ens, etiam alterius gratia factum, appetere tanquam proprium finem sui conservationem: & quia suum esse non est propter se, sed propter aliud amat id se, quod est propter aliud: sicut manus amat se esse manum, & ungula ungulam, ut usui proprio valeat. Videmus enim clavum etiam positionem, quam sortitur dum fabricatur, amare, & ad ipsum reverti similiter, ut magnetem; ergo amat essentiam & existentiam propriam, ut finem, quanquam est ad alium insuper finem. Sic panis vult esse panis, ut manducetur. Plantæ quoque, cum sint propter animalia, & animalia propter hominem, quanquam pro se operantur: tamen & illæ propter hæc, & hæc propter hominem laborant. Non enim propriæ tantum immortalitati utiles fructus pariunt, sed etiam animalium conservationi. Et sic non vobis mellificatis apes, & fertis aratra boves, & vellera fertis oves.

Hoc tamen verum, quod quæ ad mortalem finem

sunt,

sunt, ut scena, mortalia sunt; quæ vero ad æternum immediate, æterna: ut homo, & angelus. Tellus quidem est propter elementata corruptibilia, sed ad ipsam revertuntur, ut alia renascantur, donec evacuetur Scena universalis Comœdiæ omnium rerum.

LXXV. Finalitas ergo & finis duæ sunt causæ: altera spectat ad finem generationis, & vocatur *perfectio* seu *finalitas*: altera ad finem rei genitæ, & vocatur *consummatio*, *conservatio & fruitio*. Fructus enim in societate summitatis, summique entis, quod omnibus præstat esse, servatque omnia, quæ ad se convertit, celebratur. Habent quidem quæcunque non sunt propter se post finem perfectionis, finem destructionis, ut scena, peracta comœdia, & epulum, perfecta coctura. Finis essentiæ competit omni creaturæ, quæ ita est hoc, quod non aliud: & terminus ejus est, non esse alia concludens esse sui. Ut homo est ita homo, quod non lapis, non cœlum, non &c. Finis quidem destructionis terminatur ad non esse, & est similis terminationis lineæ, post quem non habet esse amplius linea. At quæ non sunt propter aliud, præsertim corruptibile ens, sed propter se, & propter incorruptibile, illa profecto finem habent etiam consummationis, non autem consumptionis; ut homo & angelus, & mundi machina, cujus consummationem exspectamus, non annihilationem, qualis est ambulationis meæ in platea cum pervenero in nihilum abeuntis.

Porro alius est finis rerum, quod omnes appetunt a seipsis: alius est ad quem ordinantur ab altera causa: Et iterum alium finem præscribit causa causarum suprema Deus; & alius est ad quem ordinantur a secundis causis. Est itaque duplex finis, alius scilicet intellectus a causis secundis, alius a prima causa utente eis: sicut finis aquæ ascendentis per spongiosam terram super montes, est sui dilatatio & amplificatio: sed tamen Dei est irrigatio plantarum & terræ instauratio, & fluxus per campos ad vitam plantarum & brutorum. Sic solaris caloris finis est ejus amplificatio ad frigoris destructionem: sed Dei, est generatio plantarum, aquarum, metallorum, & animalium, in quibus calor retinetur postea volitione addita. Et quia appetitus omnis oritur a notitia, notitia autem alia est innata, alia illata; hinc reperiuntur appetitus subinde repugnantes in rebus. Calor enim animalis appetitu innato semper ad solem tendit: appetitu vero illato vult esse animalis pars. Unde spiritus calidus (anima brutorum) nunquam vellet egredi de corpore, & edit, & bibit & operatur opera animalis secundum notitiam & appetitum superadditos, sed tamen semper attenuat se, & tendit sursum in Cœlum, notitia & appetitu inditis. Et sicut nosse & appetere se, est causa noscendi & appetendi alia, in quantum noscit se factum alia: ita etiam operari propter se, est causa operandi propter alia. Dum enim attenuat & liquefacit, ut possit sursum evolare convertit simul cibum in fluorem ad nutrimentum corporis, & vaporem ad sui nutrimentum, & retentionem in corpore, & per consequens ad animationem & vitam totius. Hinc relucet sapientia conditoris.

LXXVI. Omnes quidem res, ut diximus, appetunt tanquam finem propriam felicitatem, quam consequuntur in sui esse conservatione quoad licet, & quidquid ipsæ appetunt appetitu innato, est id, ad quod Deus ipsas ordinavit, qui fecit alias res propter alias: omnem autem propter se. Finis vero, quam secundæ causæ præscribunt rebus sibi subjectis, est proprium bonum utile: quod aut ad voluptatem, aut ad honestatem, aut ad Deum dirigunt. Siquidem optat servus tanquam finem suum heri felicitatem, & ad hanc ordinavit ipsum Deus, ad simul ad aliorum: omnia enim omnibus utilia esse voluit coexistentibus, etiam quæ nobis videntur inutilia noxiaque. Dominus autem præscribit servo tanquam finem, non servi sed sui ipsius utilitatem ad propria bona consequendum, qui aliquando discors est rei qua utitur.

Siquidem felicitas cujusque rei est finis ultimus juxta ipsarum capacitatem secundum naturam: felicitatem autem nulla res habet in seipsa, quæ aliarum est indigens rerum. Solus ergo Deus beatus, quoniam omnibus dat, & nullius indiget, ergo semper est, ac virtute infinitus. Cætera vero entia, quibus esse non est beatum esse, beantur in Deo a quo habent esse. Sicut omnia calescunt ab igne, quæ secundum naturam calida non sunt, cujus esse est calidum esse: id autem, quod omnia summe appetunt, videtur esse perennis vita, quam participant, sed non habent per se; sed summopere desiderant, & hæc est felicitas omnium finis formaliter. Id autem a quo ipsam habent, est summum bonum, atque felicitas adjective & active. Sed quo summum bonum assequuntur, & possident, est operatio trina Primalitatum; quæ consistit in comprehensione, intuitiva cognitione, & fruitione: qui actus sunt Potestativi, Cognoscitivi & Volitivi. Neque enim frui possumus, quod intrinseca cognitione non sapimus: neque cognoscere possumus, quod non comprehendimus. Nam & quæ in conspectu sunt, prius Potestativo attingimus: deinde cognoscimus: deinde amamus: & quæ distantissima sunt adeo ut nequeamus attingere, profecto nec cognoscere nec amare possumus. Est ergo Comprehensio actus potestativi in objectum potentis: intuitus vero comprehensæ rei per cognoscitivum, sapor ac judicium: fruitio est comprehensæ rei, intrinsecusque notæ per amorem & voluntatem complacentia. Aliud enim vocabulum non habemus. Placent autem ea, quæ conservant: quorum adhæsu voluptas subsequitur, affectio nimirum sequens sensum boni conservantis: quemadmodum dolor est affectio sequens sensum mali destruentis.

Illa ergo bona, quæ in nostram convertuntur naturam, & in seipsis consumuntur, ut poculenta & esculenta, nequaquam beare possunt, sed tantum utilia sunt modicum ad beatitatem. Neque illa quæ in nostro non consumuntur usu, sed postea: ut filii, uxor, servi, Civitas: tum quia deficientia sunt: beatitudo vero e contra indeficiens: tum quia quæ beata non sunt, beare non possunt. Solus ergo Deus est a quo, in quo, & ad quem cuncta beantur, quæ autem oriuntur, & pereunt, non sunt propter se sed propter aliud, & beantur suo modulo ab alio, cujus gratia sunt, ut canis & asinus ab homine. Beari enim est in tranquillitate conservari in suo esse juxta mensuram capacitatis: quod si est propter se, conservabitur sibi: si propter aliud, alii. Verbo, cuncta beantur in illo esse, quod participiant a primo Ente, relatum ad id, propter quod facta sunt. Et hæc de Fine.

LXXVII. Secunda Causa extrinsecus ad Volitivi causam interiorem relata dicebatur *Finalitas*, sive *Perfectio*.

ctio. *Perfectum* vero dicitur, cui nulla pars, aut magnitudo aut qualitas, sibi conveniens ad completum suæ ideæ participium, deest. Vt, perfectus homo, cui nulla pars corporis, nullaque animi qualitas intra gradum sui esse deficit. Sicut etiam perfectus dies, qui jam completus est, cum sol est in puncto occidentali: ante vero hoc tempus imperfectus dicitur: sicut homo truncus manibus, aut pygmæus, aut stultus, aut vitiosus. Similiter enim *perfectum* dicimus, cui omnis virtus, sibi natura vel arte conveniens, inest: ut perfectum aurum, cui color, pondus, puritas, similaritas & existentia insunt, naturalis. Perfectus vero Medicus, cui nihil ad Medicinam spectans desideratur; & perfectus Cytharœdus, qui omnibus modis cytharizat. Perfectio ergo videtur rei bonitas: quarum alia est simpliciter simplex, quæ nimirum in unaquaque re melior est ipsa, quam non ipsa, ut dicebat Anselmus: quæ videtur esse Primalitatum complementum. Perfectio vero non simpliciter summa, est cujusque in genere suo complementum, ut humanitas in homine, asinitas in asino, quibus si quid ultra datur melius se, facit perfectionem supra creaturam illam, ut si vino addatur piper, & corpori corruptibili immortalitas. Si autem addatur aliquid deteriorans, facit impuritatem ac simul imperfectionem, quatenus impedit innatam virtutem, ut aqua in vino, rubigo in ferro. Similiter etiam datur perfectum simpliciter, & omnino, cui nihil ullarum deest perfectionum, ut DEVS. Datur & perfectum in genere, ut sol lucidissimus & calidissimus, & Grammaticus perfectus in Grammatica, non autem in omni sapientia. Datur & perfecta quantitas, perfecta similitudo, perfecta actio.

Dicitur perfectum analogice, sicut & bonum, ut homo sanus perfectæ sanitatis: aliud quia causa est ejus, ut medicina perfecta: aliud quia signum, ut perfecta urina. Dicitur etiam perfectio in malis & vitiositate: ut bonus & perfectus fur dici solet, cui propriæ inest malitiæ complementum: & perfecte corruptum, cui nihil deest quod corrumpatur: sicut perfecte genitum, quod formam ultimam sibi convenientem acquisivit, sive cujus idea plene est evoluta: omnis autem forma est propter usum. Igitur Perfectum dicitur, quod usui, ad quem naturaliter vel ab arte destinatur, prorsus idoneum est. Vnde multa sunt perfecta in se, ut equus indomitus, quæ non nobis, quibus perfectus domitus, sessori commodissimus.

LXXVIII. Cæterum notandum, quod Perfectio est finis generationis: idcirco quod non efficitur, non perficitur. Ergo si respicias vim vocabuli, unde imponitur, Deus non est perfectus, quia non est factus. Si autem ad quod imponitur, Deus solus est perfectus quoniam omnibus rebus est bonus, ut sint & beentur: nec est ulla bonitas illi deficiens, & quæ non ab illo.

Dicitur quidem Causa Perfectio, quoniam omnia agentia, præsertim secunda, agunt propter ipsam: est enim quo operationem assequuntur, per quam conservantur: imo neque virtutes insunt subjecto, nisi perfecto; ita quod neque sibi, neque aliis bonum est sufficienter ad sui, & aliorum finem, nisi perfectum sit ornatumq; ad opus. Perfectio ergo materiæ est forma: formæ vero virtus: virtutis operatio: operationis expeditio actus & exquisitio operis, & assecutio optimi, & rei operanti, & simpliciter quanta est mensura utilitatis, ad finem & capacitas.

Perfectiones omnes cognoscimus: sed ultimum verum finem, ad quem res perfecta perficitur, non omnes illata notitia, sed innata tantum. Nam neque immortalitatem sui omnis generans attendit, novitque, dum generationis perfectum actum procurat, sed sui delectationem, qua trahitur ad hoc opus; sua tamen natura, & communis insuper illam prænovit & procurat.

Nunc divisiones varias Finis in Scholis usitatas, recensebimus.

LXXIX. I. Prima & maxime usitata ea est, in finem *cujus gratia*, & finem *cui*: Ille etiam finis *qui* solet vocitari: est enim id, quod per se expetitur, ut sanitas est finis *qui* Medicinæ. Finis *cui* est persona ipsa in cujus commodum cedit id quod quæritur: ipsum vero commodum, quod nobis vel aliis volumus, est finis *cujus gratia*.

II. Finis alius est *objectivus*, alius *formalis*. Ille nihil est aliud, nisi res ipsa quam volumus consequi, ut pecunia est finis objectivus avari. Illius rei fruitio est finis formalis, ut possessio pecuniæ: hunc finem *quo* vulgo appellant: est quippe actio ipsa, qua fine expetito fruimur. Sed hæc divisio antiquorum curta est: nam finis est aliquod ultimum (uti ipsimet fatentur) qui omnes causas movet, & propter omnes simul laborant, quod est proprium esse, & conservatio sive permanentia in suo esse. Nam ex ista doctrina erronea emanavit, quod Epicurei dixerint voluptatem esse finem beantem hominis: alii lucrum & divitias, ut Bias: alii virtutem ut Stoici; Aristoteles intelligere; nullus veritatem attigit, nam Mens humana omnibus his nobilior est.

III. Finis alius dicitur operis seu Physicus; alius operantis seu Moralis; aut quod eodem recidit, finis vel est artis, vel artificis. Ille est, in quem actio ipsa aut opus, aut habitus naturæ suæ vi nititur: sic ædificium ædificatricis, sanitas Medicinæ est finis proprius & intrinsecus. Sed finis quem ex arbitrio suo homo vel artifex sibi proponit, ut lucrum, aut hominum æstimatio, aut aliud quiddam simile, est finis hominis vel artificis, qui externus quoque dici potest. Vterque rursum in varias species diduci potest, ut in primarium, quem per se & primo nobis proponimus; & secundarium, quem secundo velut loco spectamus. Verum his & aliis, quæ cunctis sunt obvia, prætermissis.

IV. Finis præcipua divisio est in ultimum & interjectum. Ille est, ad quem aliqua sic ordinantur, ut ipse ulterius non referatur; quippe vel est ultimus simpliciter, ut felicitas quæ est omnium finium finis: vel ultimus secundum quid, is nempe qui in suo genere est ultimus: ut sanitas medicinæ est finis ultimus: tametsi in alio genere ulterius referri possit.

Finis intermedius ita per se expetitur, ut ad alium finem referatur: unde cum mediis comparatus finis dicitur: sed cum nobiliore fine comparatus, boni tantum utilis, aut medii interjecti habet rationem. Sic sanitas, honor, virtus ipsa bona quidem sunt, sed ea tamen ad felicitatem tendunt.

SVBSECTIO II.

Qua ratione finis sit Causa.

LXXX. Dicendum quod finis sit vera causa, non physica, non moralis, sed objectiva. Tres sunt hujus conclusionis partes, seorsim probandæ & explicandæ. Ac prima quidem pars facile probatur: cum finis

nis sit prima causarum, quæ effectricem ad agendum movet, allicit & determinat, & qua sublata cessant omnia. Tolle enim finem, causa efficiens nihil molietur, nec materia formam excipiet. Est igitur finis causarum princeps, quæ reliquas vi sua continet, per eas quodammodo se diffundit, & movet immota. Est denique id unde aliquid est, tanquam a priori; & distinguitur a reliquis in eo, ut diximus, quod sit id, *propter quod* aliquid fit. Ergo est vera causa, ex definitione causæ quam attulimus.

Secunda pars probatur. Nam causa physica existit per se, vel per aliquam virtutem superstitem: cujusmodi est vis illa, quæ in glande remanet, etiam cum quercus combusta est. Sed finis non existit nisi in mente nostra, seu objective, ergo non est causa physica quæ per suam entitatem influit in effectum, nisi quatenus reducitur ad efficientem, qua cum materialiter identificatur.

Tertia pars patet. Neque enim finis, si proprie loqui volumus, est causa moralis, sed tantum objectiva. Nam Causa moralis movet, aut suadendo, aut jubendo, aut impellendo, & in aliud semper nititur: contra finis ad seipsum trahit & illicit. Moralis antecedit executionem rei: ut cum herus servo imperat. Finalis causa est in executione postrema, & semper rationem habet boni, sive id verum sit, sive apparens: non item causa moralis, quæ sæpe mala est, & ita videtur. Cum effectus producitur, jam non est causa moralis, sed fuit, ut cum orator aliquid faciendum persuasit. At finis nondum existit, cum fit effectus, sed erit: ut sanitate nondum fruor, cum medicamentum sumo. Ergo finis non est causa moralis, nisi eo nomine omnem causam intelligas, quæ physice non influit in effectum: sed est causa objectiva, quæ scilicet objectivum habet influxum, quæque per cognitionem applicatur.

Hinc potest oriri altercatio de nomine, quæ sublata homonymia diluitur. Nam si causæ physicæ nomine intelligas eam, quæ procreat verum & realem effectum, fatendum est finem esse causam physicam. Contra si ea non sit dicenda causa physica, quæ physice & realiter non influit in effectum, sed objective tantum aut moraliter: tum enim causa finalis inter physicas numerari non debet.

LXXXI. Objiciunt Epicurei nullam esse aut dari causam finalem, ex eo, quod causa præcedat effectum, finis autem subsequitur, ergo finis non potest esse causa. Resp. Finem causare, non quatenus est in executione, sed quatenus est in intentione agentis Principalis: ut sic autem præcedit, non subsequitur. Imo omne agens est finis sui finis: navigatio enim quæ finis est navis, est propter navifactoris bonum, & sanitas finis Medicinæ, est ad bonum Medici. Finis ergo antequam sit causare non potest, nisi qua est agentis determinatio ad exteriorem actionem: sicut idea est directio. Quapropter nihil fit propter finem, nisi a percipiente finem. Unde considerare debuissent Epicurei rerum naturalium causam divinam bene cognoscentem, esse ex seipsa potentem excogitare finem ut magistra, & non ex præteritis tantum eventibus, sicut discipula facit Ars. Igitur oculum v. gr. excogitavit propter videre, & spinas propter defensionem, & plantas propter animalia, & animalia propter hominem, & hominem propter Angelos, & omnia tandem propter Deum, in quo quasi in optimo fine quiescunt, atque simul tanquam in principio. Sicut superius diximus, finis rerum supremus est in ipsa causa prima ac principali. Finis vero *quo*, quod est medium principale, est in perfectione effectus, & iste dici potest finis generationis, ille vero rei genitæ.

LXXXII. Dicendum 2. Peripateticorum assertio, qua statuunt omnia operari propter finem, & illum finem dicunt esse bonum: & bonum non esse in appetente sicut verum est in intelligente, non subsistit. Ostenditur hæc veritas, si enim omnia agunt propter finem, ut mox dicemus, & finis omnis rei est proprium esse, ut constat ex præcedentibus, ergo bonum quod est objectum appetitus, est in appetente, & non in alio, & forte magis quam verum. Medicus quidem operatur omnia gratia inducendæ sanitatis: & hæc est finis Medicinæ, sed non finis Medici, sed est medium ad finem Medici. Medicus enim proprium lucrum, sui esse conservativum, habet pro fine, vel honorem, qui est luxurians conservatio, vel amici salutem, quo & ipse servatur. Et finis navifactoris non est navigatio, sed conservatio nostra per eas, quæ ex navigatione proveniunt, utilitates. Finis quoque militis non est pugnare, neque victoria, sed conservatio reipublicæ atque sua ex victoria. Conservatio autem est continuatio ipsius esse cujusque rei. Ergo male putant, quod appetibile sit aliquid exterius per se. Patet enim, quod omnia appetibilia, si nostro esse cœperint adversari, desinunt esse appetibilia. Si amicus erit insidiator, aut raptor nostrarum rerum, desinimus illum amare: si studium literarum obest sanitati, dimittimus: si honor pœnam mortis habet, non amatur, nisi quatenus vitam in fama vel in Deo conservare nobis putatur: si vita, aliena a nostra, est vivenda nobis, & ipsam cum Catone abjicimus. Nec hoc indicat, voluptatem esse prius appetendam quam vitam: non enim dolor modo ejus abjectionem suadet, sed dedecus, servitus & perditio rei familiaris, & Amasiæ, sine quibus vivere, quod eramus, esse non confidimus. Ergo voluptas est affectio sequens sensum conservationis, ideoque & in labore glorioso adest. Bonum ergo ultimum est in appetente. Nam & Deus ipse, pro quo omnia spernimus, in nobis est, nec reputatur extraneus, ut cætera objecta: sed quasi nostrum totum, quod amant omnia entia magis quam seipsa, partes nempe boni, ut S. Thomas probavit.

Quapropter causa finalis externa non movet appetitum, sed seipsum movet appetitus, quia propterea appetit, quoniam aliquid sui in externo objecto prævidet. Nec, ut putat Aristoteles, cessant actus adepto fine exteriore: sed in interiore ratio cessandi est, internante sibi rem exteriorem, qua servari putat agens: objectum ergo movet ut specificans modum consequendi finem, & non ut ultimus finis.

LXXXIII. Quamobrem cessant quæstiones Peripateticorum, an finis moveat ut in re, an ut in intentione: movet enim ut in re semper: quoniam intentio intendentis proprium esse habet pro fine; sed pro medio ipsum objectum, in quo relucet aliquid proficuum sibi. Non enim potest movere, quod nondum est, nisi per id quod est. Et quamvis multa desit uant esse nostrum, propter quod appetuntur, tamen vel putantur servare, vel vere servant aut in nobis, aut in fama, aut in filiis, aut in Deo.

Omne ergo ens est appetibile ab eo cujus est esse

per

per se, ab aliis vero per accidens; excepto Divino esse, quod non potest per accidens optari optione naturali, sed accidentali & reflexa. De ratione Boni non modo est esse Finis, sed esse principium: idem enim est principium & finis suarum actionum. Bonum quoque est ipsum esse amatum, quod cum seipso intellecto, & possibili constituunt unum esse simpliciter in Metaphysica compositione, prout magis declarabitur in Tract. 23. De Primalitat.

Causatio itaque finalis est quædam determinatio, specificatioque agentis, & non extranea ab eo: idcirco Dionys. dicit: Boni rationem esse, ut sit sui diffusivum: se enim diffundere est suum esse amplificare, propter quod agit agens omne.

SVBSECTIO III.

Vtrum, & quomodo omnia agant propter finem?

LXXXIV. Res omnes in triplici sunt genere constitutæ; quædam omnis sensus & cognitionis censentur expertes, ut lapides & metalla, elementa, cœlum & stellæ Planetæque: aliæ sensu quidem donantur, non ratione, ut bruta: aliæ sensu & ratione, ut homines: & hæc in vulgari quidem Philosophia tradi solent. Quæ si vera essent, palam est solum hominem acturum propter finem. Sed aliter rem se habere constat ex hactenus dictis: prius tamen audiendus est Doctor Angelicus. 1. 2. quæst. 1. art. 2. inquit: "Sunt enim propter "aliquid, & quæcunque ab intellectu utique aguntur, "& quæcunque ab intellectu utique aguntur, & quæ"cunque a natura. Causarum enim ad invicem ordi"natarum si prima subtrahatur, necesse est alias subtra"hi. Prima autem inter omnes causas, est Causa fina"lis: cujus ratio est, quia materia non sequitur formam, "nisi secundum quod movetur ab agente, nihil enim "reducit de potentia in actum; agens autem non mo"vet, nisi ex intentione finis „ Omnia ergo, quæcunque sunt, propter finem agunt, si non eodem, saltem diverso modo. "Vno quidem, subjungit ibid. S. Tho"mas, seipsum movens ad finem, ut homo. Alio "modo, sicut ab alio motum ad finem. Sicut sa"gitta tendit ad determinatum finem ex hoc, quod "movetur a sagittante, qui suam actionem dirigit in "finem. Illa ergo, quæ rationem habent, seipsa mo"vent in finem, quia habent dominium suorum actu"um per liberum arbitrium, quod est facultas volun"tatis & rationis. Illa vero, quæ ratione carent, "tendunt in finem propter naturalem inclinationem, "quasi ab alio mota, non autem a seipsis, cum non co"gnoscant rationem finis, & ideo nihil in finem ordi"nare possunt, sed solum in finem ab alio ordinan"tur. „ Ita S. Thom.

LXXXV. Præcipue dubitatur, an bestiæ agant propter finem, & quomodo? an cognoscant finem, ut finem, quod est agere propter finem formaliter? an vero nullam prorsus habeant cognitionem finis, ut finis est, sed rem duntaxat, quæ finis est, utcunque percipiant?

Dicendum, bestias agere propter finem etiam formaliter, sed imperfecte admodum, nempe pro ratu suæ rationis. Probatur, bestiæ nituntur in finem, ut sibi bonum, & per se expetibilem, & media quæ perducunt ad finem, ut consecutioni finis (qui esse conservatio sui esse) utilia assumunt: atque hoc est agere propter finem formaliter. Cum tamen imperfecte admodum cognoscant proportionem, quæ est inter media & finem, neque sese libere; licet sponte, ad agendum determinent; sed quodam naturæ impetu, ex passionibus & objecto, ferantur: non nisi imperfecte propter finem formaliter operantur.

Confirmatio. Canis leporem insequitur, ut præda sua fruatur: nec probabile est in ipso cursu de lepore eum non cogitare, aut vi propositi finis non moveri. Sic hirundo paleas & lutum colligit, ut nidum extruat. Ergo bestiæ in finem feruntur; sub ratione finis, quatenus per se est expetibilis, & media usurpant, ut conducunt ad finem, & aliquo modo bona sunt, hoc est ut sunt media formaliter. Hæc quidem non libere agunt, sed ea tamen sumunt ex finis intentione. Hirundo v. gr. cognoscit utilitatem aquæ, aut luti ad nidum conficiendum; sed aquam tamen aut lutum tam operose non colligit, nisi ut nidum constituat.

Iterum. Illud negare non possumus, quin omnium animantium generi, ut ait Tullius, a natura tributum sit, ut se, vitam corpusque tueatur; declinetque ea, quæ nocitura videantur, omniaque quæ sint ad vivendum necessaria, inquirat, & paret, ut pastum, latibula & alia ejusdem generis. Cum igitur hic finis sit ab autore naturæ, & certa providentiæ lege omni animanti constitutus, ut sui conservationi, & propagationi generis omnino incumbat, quæ ad eum finem ducunt, cognoscat necesse est. Hinc ingenita est bestiis omnibus eorum, quæ vitæ tuendæ sunt necessaria, cognitio; utilia a noxiis apte distinguunt; hæc fugiunt, illa prosequuntur. Quæ quidem vix intelligi possunt, nisi finem, ut finem, & media in ratione mediorum utcunque cognoscant. Hæc autem a principio ipsos intrinseco provenire itentidem monuimus: nempe a primalitatibus & anima sensitiva.

LXXXVI. Dices: Hoc argumento probari, non solum bestias, sed res quascunque etiam inanimatas, agere propter finem: diximus enim jam sæpius, cucurbitam fugere oleum, calorem esse inimicum frigori &c. verbo, appetitum inesse cunctis innatum sese conservandi: atqui ubi appetitus, ibi cognitio: sed ejusmodi voces, quantum fieri potest, e philosophia sunt pellendæ, nisi forte metaphorice velis appetitionem quandam naturalem, aut inclinationem rebus tribuere, ad vulgi captum accommodatam, cum in se nihil sint plerumque præter ignorantiæ asyla & perfugia: totum enim negotium perficitur instinctu naturali.

Resp. Vulgares Philosophos ita loqui, sed dubito num ipsi ignorantiæ suæ perfugium non quærant magis in vocabulo instinctus, quem a nullo satis explicatum invenio. Hinc pro radicali notitia hujus communissimi vocabuli

LXXXVII. Observandum, quod *instinctus* nil aliud sit, quam causæ cognoscentis impulsus quidam, sive ad finem, sive ad media: unde differt a ratione, quæ seipsam movet ex facto argumento: quando enim non facto a se argumento, res aliqua incitatur ad effectum aliquem, dicitur *instigari*. Et propterea *quatruplex* est. Alius enim est instinctus ad bona supernaturalia, & hic instinctus principaliter est a solo Deo, qui movet creaturam rationalem ad sui adeptionem, quatenus est beatificum supernaturaliter objectum; ab Angelo autem potest esse ministerialiter. Naturali-

raliter vero Deus instigat omnia entia ad amorem sui ex parte fruendi; & ista motio non est gratia informans, sed solum movens & excitans vel naturaliter vel supernaturaliter. Deus enim autor naturæ & gratiæ est. Alius est instinctus violentus, quo sagitta a sagittatore impellitur ad scopum, ut docet D. Thomas, de verit. 22. art. 1. Alius est instinctus regitivus, quo officialis instigatur a Rege, & servus a Domino ad aliquid agendum. Alius naturalis (quo de hic sermo) quo a sui natura intrinseco motus principio res aguntur ad finem sponte, ut gravia deorsum, & canis ad coitum. Quæ instigantur violenter non cognoscunt finem, nec rationem finis, nec mediorum ad finem, ut trochus; sed extra notitia est in movente per se. Quæ moventur naturaliter, cognoscunt finem, & delectantur illo, ut dicit ex Dionys. S. Thomas. Appetitus enim omnis sequitur prænotionem rei appetitæ, sed non cognoscunt rationem finis: ut canis cognoscit coitum, sed non rationem ejus, id est quod ad immortalitatem fiat caninæ speciei: ducuntur autem naturali voluptate. Creatura autem rationalis cognoscit finem, & rationem finis & mediorum ad finem: scit enim coitum esse propter immortalitatem speciei, qui est finis; & medium esse generationem. Quæ autem supernaturaliter instigantur, finem præsciunt & media. Instigator enim confortat potestativum spe, illuminat cognoscitivum fide, & afficit volitivum charitate sui. Ubi autem movet ut autor naturæ, quia dedit formam & facultates & motum ad operandum juxta eas, dicitur instigare ad finem præcognitum per certa media.

Violenter autem movens imprimis vim instar formæ, quam natura impressit, & dat potentiam motivam durantem, quousque obstacula, & naturæ adversa inclinatio, non prævalent, & simul motum; ut qui trochum gyrant & lanceam jaculantur. Quæ moventur regitive, juxta novam notitiam præcepti operantur, sponte quidem, sed vel serviliter vel filialiter.

Quæ autem naturaliter operantur, a forma impressa ab initio habent, ut operentur. Quæ rationaliter, præter hoc habent formas plures cognoscibilium objectorum, & connexiones eorum inter se, secum & cum utilitatibus moventis seipsum, ita quod plura media capessunt ad finem, & uno deficiente, vel minus bono asserente, convertantur in aliud & aliud, & inde relucet maxime libertas.

LXXXVIII. Præterea res naturales habent duplicem finem, alium per se & propter se: & ad hoc non indigent impulsore, quoniam in se habent formam sui esse, potentia, sensu & appetitu innatis essentiativis constantem, impulsivam ad opus. In his autem quæ faciunt propter aliud, indigent Instigatore.

Calor enim ut calefaciat & amplificet se, sufficit nec indiget duci de activa potentia ad actum (sicut de passiva) causative, sed occasionaliter tantum. Calor enim nisi habeat objectum calefactibile, non calefacit: objectum autem occasionem dat tantum, non virtutem calefaciendi. At ut calor faciat animal, & organizet corpus, quod ex suo ingenio primordialiter non intendit, sed addita ex ratione Gubernantis, indiget & occasione & impulsu. Unde omnes confitentur dirigi ab Intelligentia non errante. Sed Intelligentia prima Deus influit Necessitatem, qua adiguntur; Fatum, quo ordinantur: Harmoniam, qua delectantur facere quod volunt, non quod vellent.

Cum autem dicunt Doctores, quod omnes res naturales moventur a Deo præcognoscente finem earum, intellige de motione communi universali, & immediata immediatione principalitatis causæ, & virtutis, & voluntatis, cujus objectum est sola bonitas sui sparsa per omnia, sicuti & veritas & vitalitas, unde omnia esse possunt, sentiunt & amant: non autem immediatione attingentiæ, modificativa formaliter: hoc enim a non ente habet, & a particulari causa ut particeps nihili est, sed modificativa ordinabiliter. Intelligentiæ autem secundæ ordinant sub magnis influxibus ad finem a Deo præscriptum dirigendo: unde floritio arboris, ut floritio, sic est ab arbore: ut artificiosa, est ab intelligentia; ut propter finem immortalitatis saltem successive, est a Deo principaliter; ab Angelos directive, ab arbore executive; ut Necessitate, Fato & Harmonia adigitur. Instigant ergo Deus, Angelus, objecta agentia & occasionantia & conditionantia, passiones, violentia & innata vis, ut calor calefacit vi sua.

Qualiter autem instigetur Mens humana ad quærendum Deum & adipiscendum, ut beatificativum fontem omnium bonorum dicemus alibi. Nequaquam ergo putandum res creatas a Deo impelli ad suas operationes naturales veluti sagittæ a sagittante, ita ut de suo proprio nihil contribuant: multo minus operationes sensuum instinctui naturali tribuendæ. Si enim dicamus impulsum sive instinctum hujusmodi fieri a Deo, rebus ipsis non consentientibus ut sagitta, incidimus in opinionem Saracenorum Theologorum, a D. Thoma & ab omnibus reprobata, quod videlicet res naturales nullam edant propriam operationem, sed Deus operetur in illis. Falsissimum enim est Arist. principium, nihil moveri a seipso, sed quidquid movetur ab alio moveri: præterquam enim quod Mens seipsam moveat & determinet ad actus suos liberos, animæ sensitivæ eandem vim a Deo donatam ratio persuadet. Tolleretur insuper omnis actio formarum propriarum, & ipsæ formæ: si enim Deus dedit rebus proprias formas, & virtutes, utique & operationes, ut edant proprias concessit. Ut quid enim dedit operandi vim & non operationem? Vide quæ diximus Tract. IX. Sect 7.

LXXXIX. Pro coronide hujus Tractatus subnecto sententiam doctissimi Boyle, qui exercit. 2. pag. 33. ait: Instinctus naturæ impressio congenita & seminalis est. Et exercit. 4. pag. 61. Concipio, inquit, Deum ante creationem, mundum talem, qualis noster est, creaturum, divisisse consilio suo (saltem omnia non sine cohærentia creavit) materiam rerum provisam, in multitudinem innumeram corpusculorum varie figuratorum, & particulas hasce in texturis seu corporibus particularibus conjunxisse simul, ac tali situ disposuisse, *cumque ipsis motum implantasse*, ut assistente concursu ejus ordinariæ rerum conservationi destinato, phænomena, quæ in universo hoc apparere voluit, non minus rite produci, & per corpora *necessario ad impressiones seu leges hasce actiones suas*, licet eas non intelligant, quam convenientissime conformantia exhiberi debuerint, quam si quælibet harum creaturarum sui ipsius conservationis modum & facultatem cognitione & industria perfecta exequi sciret, aut, quasi universum hoc amplissimum *ens esset intelligens*, studiose bonum publicum promovens & sollicitum administrationis sapientissimæ omnium rerum, quo singulæ partium particularium usibus accommodentur, quantum quidem specialis hæc rerum

uti-

utilitas cum commodis universi subsistere, & præservationi legum primitivarum & catholicarum per causam supremam stabilitarum concurrere potest. Quod ipsum per Machinam Horologii Argentinensis artificialem conatur declarare. Verum si motus iste impressus omnia causat, continuus fit necesse: ubi ergo quies? nunquid & natura quietem non curat? motus ergo & quies æque naturales & proprii, unde ... Fatetur tamen rotunde hic Author: Nemo hominum, quantum scio, inquit, quomodo materia seipsam movere possit, sufficienter determinavit. Corpus quippe qua tale, ex se indifferens est ad motum & quietem,

TRACTATUS XVI

DE

CAUSA PRIMA.

QUoniam Efficiens causa nobilissima causarum est: licet Deus omne genus, Principii & Causæ contineat: verius tamen efficiens videri consuevit. Nec quia Finalis causa movet agentem, causa causarum nobilissima existimanda est Aristoteli: ipsa enim eatenus est causa, quatenus est ipsa efficiens. Propter seipsum namque omne ens agere in superioribus docuimus. Nam vel, ut amplicent proprium esse, vel, ut acquirant ea, quibus proprium esse conferatur, agunt omnia: quin & effectus ipse dicitur causa finalis, quatenus movet agentem. At non movet nisi quatenus præest in agente ejus similitudo, & essentia: & quia actio est effusio propriæ similitudinis: utique propter se agat omne agens, præcipue tamen principale, asserendum est. Nam & similitudo, quam communicat, est ipsummet agens aliquo pacto, ut probat D. Thomas subtilissime quidem: quoniam simile in quantum simile simili est unum. Ergo seipsum agens agat, & multiplicat, dum simile amat & facit: ergo finalis causa reducitur ad agentem, finis ultimus est Causa prima. Agemus autem hic de Deo ut Creatore & Conservatore, dein de illius concursu & præmotione causarum secundarum maxime liberarum.

SECTIO I.

De Creatione & Conservatione.

I. Creatio definiri solet *productio rei ex nihilo*, vel ut loqui solent, *productio ex nihilo sui, & ex nihilo subjecti.* Sic anima rationalis creatur, quia fit a Deo independenter a subjecto. Alias nec Deus potest aliquid facere ex eo, quod nullo pacto est, nec in passiva natura. Et enim & Mundum fecit, ex nihilo materiali, non autem ex nihilo activo & ideali. Quod enim factum est, in ipso Deo vita erat. Quidquid ergo Deus creat, præhabet in se idealiter & in sua omnipotentia eminenter.

Diximus omnia causarum genera, reduci in causam primam effectivam: de finali clare ostendimus. Causa quoque formalis est similitudo formæ agentis, & convenit cum ea specie. Sic ignis generat ignem sibi similem, ergo sibi unum in quantum similem, licet materia divisa causet divisionem numeralem, non tamen ipsum agens. Igitur non est quærenda alia prima causa formalis, quæ non sit agens. Agunt enim omnia per activam formam. Primum ergo agens est omnium forma, non formata, ut dicebat S. August. Ex quo statim patet causam quoque idealem reduci ad efficientem præsertim primam. Inventor enim artificiatorum non ab alio exemplari ideam recipit, sed a seipso excogitat. Qui enim invenit bombardas a seipso excogitavit ideam: dein alii artifices ab ideata bombarda. At licet in natura tonitru sit exemplar: in arte tamen non præcessit: sic & in natura exemplata sunt multa primo: sed præcedunt in primo opifice, sicut artificialia in arte intrinseca, quæ est natura. Perfecto etiam effectus est in agente præconcipiente usum effectus & ordinante ad usum. Quapropter nulla difficultas est inveniendi causam primam in se habentem eminenter omne causæ genus, seu efficientem, formalem, finalem, & idealem & perfectionalem: concurrunt enim simul.

II. Cæterum de Materiali non est levis difficultas, quia nullo pacto videtur posse identificari cum agente, unde Plato arbitratur materiam coæternam Deo: & Anaxagoras chaos præsupponit æternum: Democritus corpuscula. Empedocles elementa, Arist. mundum æternat, & primam causam, non vere causam ponit, sed quasi unum ex entibus, & veluti animam unius partis universi: & omnes physiologi materiam supponunt æternam, quoniam, ajunt, *ex nihilo nihil fit*. Sed facilis est solutio hujus dubii, si distinguamus agens universale, a particulari; & actionem totalem, a transmutativa. Verum est quod ab agente particulari ex nihilo nihil fiat, hoc enim non agit nisi per transmutationem. Ars enim præsupponit compositum, & natura materiam. At ab agente universali, quod non transmutat id, quod jam est, in aliud quod non est, sed producit simpliciter, quod non erat, & per se facit ens, falsum est axioma Physiologorum. Homo namque aut planta non facit ens per se, sed per accidens, dum facit hominem, & per hunc, ens: aut plantam, quæ est, & præsupponit ens; & facit partem, id est formam, & non totum, id est materiam & formam. Agens autem universale facit totum, alioquin universalis non esset, quoniam aliquid non faceret, sed præsupponeret, & aliena non sua curaret; vel indigentia compulsus, conductusque ad alienorum curam vel violenter operoso negotio alligatus, quod est impossibile. Ideo oportet ut nullam partem præsupponat, sed ex nihilo agat: & hanc factionem totius ignorarunt physici, intuentes tantum agentium, indigentium & imbecillium partiales factiones, quæ præsupponunt totalem omnipotentis causæ.

III. At inextricabilior restat dubitatio, qui fieri potuerit, ut materia ab agente causa ex nihilo produceretur? Ratio dubitandi est, quod peripatetici cum Arist. suo denegent materiæ omnem actum, asserantque esse puram potentiam receptivam formarum: ergo dicendum erit, quod quia materia non agit, sed patitur & recipit: & in eo quo patitur non est ens, sed fit ens: pati enim est recipere alienam similitudinem, ergo non habet quod recipit. Passio ergo consistit in non habere, ergo quatenus passivum principium dicitur, non est a Deo activissimo, sed quatenus habet actum entitativum, ut bene dicit Scotus. Sic quan-

quando materia calefit, aut frigefit, aut fit sphærica, rara, densa, triangularis, recipit actus, quos non habet, & quos ipsa non est (nota hanc phrasin). Non est autem actus, quem recipit, non quia Deus ei dedit non esse actum, sed quia permisit non esse, quod jam ipsa per se non erat. Quatenus autem materia ens est, facta est a primo ente, & non ab anima primi orbis, ut putat Avic. Etenim unit sit, potest esse, sapit esse, & cupit esse. Neque immerito dixit Plato, cui subscribit Arist. *materiam appetere formam, sicut femina masculum.* Nec solum per id, quod habet de motu ad formam, ut dicit Averr. sed quia ad hoc creata est, ut suscipiat formas: unumquodque autem appetit proprium finem, ad quem dirigitur a prima causa. Exinde deduci potest, quod potentia passiva non constituat primario materiam in esse materiali, sed secundario. Primo enim constituitur a potentia essendi, a sensu essendi, & ab amore essendi: sed quia non completur entitas sua, nisi ab agentibus formalibusque causis, ad quas est: ideo appetitum, & sensum, & potentiam ad illas habet. Hæc vero in ejus corporeitate fundatur, vel corporeitatem fundant: si enim incorporea esset, formas non reciperet, nec in diversas partiretur, nec distinctioni rerum subesset.

IV. Cum autem quæritur, quomodo Deus incorporeus facit corpora? Respondeo, quatenus ens primum præhabens in se omnium entitates. Et hoc forte voluit Trismegistus, cum dixit, utriusque sexus fœcunditate plenissimum esse Deum: quoniam activa & passiva entia producere potuit, quatenus entia. Sed quid si corporeitas seu materialitas sit imperfectio, & negativum quid? quid si habeat se τὸ corporeum respectu spiritualis, ut irrationale respectu rationalis? Audi S. Justinum L. 9. ad Ortod. "Divinitatem dicimus "incorpoream, non quia sit incorporea: est enim Deus "substantia sua, ut ultra corpus, ita ultra incorporeum: "utpote utriusque horum opifex. Nec enim fecit Deus "id, quod ipse est: sed vocamus incorporeum, ut "distinguamus eum a corporibus; quibus non existentibus non diceretur Deus incorporeus: sicut dicitur "increatus, ut distinguatur a creatis, quibus non existentibus, neque creatus neque increatus diceretur: "sic ergo neque corporeus neque incorporeus est." Quamvis enim Deus sit incorporeus & immaterialis, tamen præhabet in se quid eminentius correspondens analogice corporeitati & materialitati, ut dicebat Trismegistus de fœcunditate omnis sexus. Quin & Apostolus ad Ephes. 3. idem sonat, dum rogat, ut Christus sapientia Dei habitet in nobis ad hoc, *ut possimus comprehendere cum cæteris sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum:* hæc autem in Deo esse in quo beatificamur comprehendentes, subintelligitur in contextu Apostolico, ut & S. Dionys. declaravit, sed analogice. Neque enim Deus creat, quod ipse est: esset enim ipsius essentia etiam creata, ut Justinus arguit; nec quod non est, alioqui non posset dare: ergo eminenter est omnia, non formaliter.

V. Quod autem aliqui Theologi dicunt; ideo materiam potuisse creari materiam a Deo, quia non per se, sed simul cum forma creata est a Deo prima forma omnium: & quod sicut passio fit ab actione, ita principium passivum ab activo, nihil fere declarant. Tum quia non omnes Theologi concedunt simul cum forma creatam esse, sed præcessisse informitatem materiæ, ut Chrysost. Basilius, Eusebius, Gregorius & alii: quidam vero saltem a Deo sine forma posse conservari concedunt non inepte, ut Scotus & Scholastici multi: tum quia non respondent ad robur argumenti. Esto enim quod cum forma creata sit; quæritur tamen unde & quomodo habeat a Deo incorporeo & immateriali, & impassibili activissimoque, esse potentiam passivam & corpoream? Nunquid forma creata dat Creatori Deo, ut possit materiam concreare, & ipse Deus per se impotens est? Nec enim quærimus, num materia possit esse sine forma? Detur enim hoc illis: sed quomodo a principio immateriali activoque similes sibi effectus producente, potuit emanare talis entitas potentialis, & corporeitas, sive seorsim, sive conjunctim?

Alterum quoque dictum eorum non subsistit: etsi enim passio sit actionis effectus, quatenus est idem actus agentis & patientis, ut calefactio passiva activæ calefactionis effectus est: hoc tamen est per accidens, & quatenus passio est receptio, & acquisitio alienæ similitudinis, & non quatenus passio est vere passio, hoc est deperditio propriæ similitudinis. Non enim calefactio expulsionis frigoris (quæ est vere passio) causa est assimilans sibi effectum: sed sic est causa caloris recepti in frigido, & non expulsio frigoris, nisi per accidens: & ut sic est causa dissimilitudinis: quapropter fallacia est, a per accidens ad per se ita arguere. Passivum enim principium non est simile activo, sed contrarium: alias non pateretur ab eo, nec ejus similitudinem reciperet: nec perderet propriam, quia jam haberet illam, ergo agens non facit passum, ut sit, sed ut patiatur. Patitur autem, in quantum non est ipsius agentis naturam habens; ergo non fit patiens ab agente, sed destruitur id, quod erat patiens, & fit ipsum agens quod non erat: nec passio fit ab actione, nisi per accidens, quoniam agens actum edit, & non passionem, nisi quatenus ad actus insertationem sequitur: ergo modus quærendus est, quo ens primum producat materiam tantopere sibi dissimilem. Et quidem nulla responsio satisfacit, nisi quam diximus, videlicet utriusque sexus fœcunditatem præexistere in Deo, hoc sensu quod præhabet in se horum virtutes omnes, & longitudinem, & latitudinem & profunditatem & altitudinem in analogica eminentia.

Qualem autem relationem fundet creatio Dei ergà creaturas, alibi trademus.

VI. Conservatio non est aliud quam continuata, & non interrupta creatio; nec minus res creatæ continuo Dei indigent auxilio ut conserventur, quam ab eo pendent, ut fiant: quemadmodum lux a sole non solum quoad fieri, sed etiam quoad esse dependet. Sic creaturæ a Deo jugiter influente, & existentiam iis largiente pendent; ut sexcentis ex locis tum scripturæ, tum SS. PP. probari posset. In ipso, inquit Apost. vivimus, movemur & sumus; & alibi loquens de filio Dei, portans, inquit, omnia verbo virtutis suæ. Verum difficultas, si quæ sit, in eo est posita, an conservatio directa, ut vocant, qua Deus non solum indirecte & per accidens causas nostræ destructionis inhibet, sed propria, qua res jugi & continuata productione conservat, ratione naturali probari queat?

VII. Dicendum conservationem rerum omnium naturali ratione demonstrari. Quod enim essentialiter pendet ab aliquo, ab eodem directe & per se con-

 ser-

ſervatur: ut actus vitalis a principio vitali; imago quæ in ſpeculo reſulget, ab objecto pendet eſſentialiter: ſed creaturas pendere a Deo lumine naturali conſtat: cum ſint entia per participationem, quæ ut incipiunt eſſe, ita & poſſunt deſinere: nec major concipi poteſt dependentia quam creatura a ſuo creatore, ergo jugi influxu creaturas ab eo conſervari naturali lumine convincimur.

Confirm. Quod nunc exiſtam, non idcirco jus habeo aut vim, qua poſſim poſt horam exiſtere, niſi actualem exiſtentiam ab eo ipſo, quod eſt per eſſentiam, accipiam. Neque enim exiſtentia, qua nunc fruor, minus eſt dependens & quaſi precaria, quam ea, quæ fuit in quolibet inſtanti præterito, aut quæ vel primo inſtanti creationis mihi fuit conceſſa; neque illa poteſt ſufficere ut nunc & deinceps exiſtam, niſi eadem cauſa hanc indeſinenter mihi largiatur: adeo ut non ſolum quantum ad fieri, ſed etiam quantum ad eſſe a prima cauſa effectrice dependeam. Quæ quidem cauſa poſtquam dedit eſſe, feriari non poteſt, ſed jugi influxu, quod primum dedit, conſervat, teſtante Chriſto: Pater meus usque modo operatur, & ego operor.

VIII. Oppon. 1. Opus artefactum ſine artifice permanet, ergo & opus naturale ſtare poteſt citra influxum ſui Autoris: quod ſi enim id ſuo operi conferre poteſt artifex, ut permaneat, multo id magis ſummus rerum opifex poteſt efficere, quanto ipſius opera ſunt magis abſoluta & firma, quam quæ ab artifice proficiſcuntur. Reſp. Neg. conſ. longe enim diſpar eſt ratio in hoc, quod operis artificialis v. gr. domus, partes jam habeant eſſe ſimpliciter, antequam in formam domus compingantur. Vnde non mirum eſt, ſi ubi in hanc formam coaluere, in eo ſtatu citra artificem permaneant. Sed res omnes a Deo eſſe ſimpliciter, non tale eſſe acceperunt, & ab eo eſſentialiter pendent: unde jugi Dei influxu egent, quod non modo quantum ad fieri, ut domus ab artifice, ſed etiam quantum ad eſſe, a ſuo conditore pendeant.

IX. Contra, inquiunt, multæ ſunt res, quæ a cauſis ſecundis, quantum ad eſſe dependent, ut motus, lumen, ſpecies quæ dici ſolent intentionales, actus vitales, & ſi quæ aliæ ſint hujusmodi; ergo ex ſaltem non a Deo, ſed a cauſis ſecundis conſervantur.

Reſp. Res hujus generis, ſi ſint res proprie dictæ, non modi quidam, aut ad ſummum accidentia, ſic a cauſis ſecundis conſervari, ut a primo quoque eſſentialiter pendeant. Quod enim ſol illuminet, quod corpus aliud loco moveat, quod viventia actus vitales exerant, hoc habent a Deo, qui cum iis cauſis aut concurrit, aut eas promovet. Ac neſcio an ulla res dari poſſit, quæ a cauſa ſecunda conſervetur. Non enim idem calor aut eadem lux a ſole proficiſcitur, non magis utique quam eadem aqua ex fonte dimanet.

Oppon. 2. Sunt quædam res natura ſua incorruptibiles, ut Angelus & anima rationalis, ergo eæ non indigent jugi Dei influxu ut permaneant. Reſp. diſt. ant. ſunt eæ res incorruptibiles aut indiſſolubiles intrinſece. C. quia in ſe non habent principium diſſolutionis, cum ſint ſimpliciſſimæ; ſunt incorruptibiles extrinſece, hoc eſt non egent jugi Dei influxu, N. Hoc enim influxu ſublato in nihilum abirent, cum a ſuo autore eſſentialiter pendeant. Quod ipſum eleganter Plato in Timæo exprimit, ubi Deus cœleſtes Deos, ſeu ſidera ſic alloquitur; "Dii orti ex Diis, quorum opifex ego, & Pater ſum, hæc attendite. „Quæ a me facta ſunt, me ita volente indiſſolubilia „ſunt, omne ſiquidem quod vinctum eſt, ſolvi poteſt; „ſed mali eſt, quod pulchre compoſitum eſt, ſeque „habet bene, velle diſſipare. Quapropter quia ge„nerati eſtis, immortales quidem & indiſſolubiles „non eſtis; nec tamen unquam diſſolvemini, nec mor„tis fatum ſubibitis. Nam voluntas mea majus præ„ſtantiusque eſt vinculum ad vitæ cuſtodiam, quam „nexus illi, quibus eſtis tum cum gignebamini, col„ligati. „

X. Oppon. 3. Vel conſervatio eſt eadem actio cum creatione, vel diſtincta: hoc utique dici non poteſt, cum eadem ſit cauſa idemque effectus, nec actio ſit ab utroque ſejuncta: ſed neque eadem eſſe poteſt cum creatione, cum creatio ſit ex nihilo, conſervatio rem jam eſſe ſupponat: creatio ſit momentanea, conſervatio diu perſeveret. Reſp. eandem eſſe actionem re, ſed virtute & cogitatione multiplicem; diverſa enim utriusque eſt definitio, & diverſæ connotationes. Nam creatio rem ante non fuiſſe, conſervatio rem eſſe jam productam indicat; ſed idem eſt utriusque terminus, idem principium, quod interdum in prima productione alias cauſas non excludit, tumque magis generantis quam creantis habet rationem: cum enim ex nihilo Deus rem procreat, tum ſolus operatur. Eſt igitur conſervatio continuata & non interrupta rei creatio, quæ una eſt non multiplex actio; neque id concedimus omnem actionem eſſe inſtantaneam.

SECTIO II.

Quomodo cauſa prima cum ſecundis neceſſario concurrat.

Hæc quæſtio eſt una ex præcipuis inter Philoſophos maxime controverſis, quam radicitus enucleare conabimur: primitus autem quid certum ſit, & omnibus fere conceſſum, præmittemus.

XI. 1. Certum eſt rebus naturalibus inditam eſſe a Deo virtutem cuique propriam operativam, ſicuti formas ipſis, quæ ſunt principium intrinſecum operationum: ſic calor virtutem habet calefaciendi, qua caret frigus: & ex ſemine humano non generatur niſi homo. Nec ſufficit dicere, calorem calefacere, quia Deus ita vult, & non aliter: nam in eum finem indidit formam hanc & non aliam. Et hoc eſt Deum cuncta operari immediate immediatione ſuppoſiti, & non principii tantum; quod reprobat S. Thom. 3. contra Gent. 70. Quapropter lapis, calor, frigus, magnes & omnia entia juxta proprias vires operantur: & cum ſenſus indicium promant, ſentiant eſt opus. Vnde idem Doct. Angelicus de verit. q. 22. art. 1. ait: quod ſi naturalia non a ſe, ſed ab alio ducerentur ad finem, ſicut ſagitta: tunc non appeterent finem, ſed dirigi aut impelli dicerentur &c. probarat autem quod omnia naturaliter appetant finem ergó ſentiant, dare oportet. Quid enim eſt appetitus? Iuxta S. Thom. 1. p. q. 80. in c. Eſt inclinatio naturalis ſequens formam naturalem cujusque rei. Et ibid. q. 78. art. 1. ad 3. Appetitus naturalis eſt inclinatio cujuslibet rei in aliquid ex natura ſua. Vnde naturali appetitu quælibet potentia deſiderat ſibi conveniens.

2. Oſtendimus alibi actionem creaturæ non eſſe quandam entitatem ab ipſo effectu diſtinctam, ſed eſſe effectus dependentiam a cauſa. Quilibet vero effectus per ſe, & immediate, non per aliquid a ſe diſtin-

ſtinctum a cauſa dependet. Quare actio creaturæ propie non producitur, neque adeo illa ratione ſui indiget concurſu divino ut fiat, ſed ut ipſe producatur effectus. Idque præſertim verum eſt, cum divinus concurſus actionem creaturæ comitatur, aut ſequitur. Cum autem actio Dei prior eſt, & facit ut faciamus: puta in iis, quæ vires naturæ ſuperant, tum actiones voluntatis, ut credere, ſperare, diligere Deum, ſunt effectus divinæ motionis, cujus impreſſionem conſequuntur. Verum nunc de iis tantum agimus, quas Dei actio aut comitatur aut ſequitur, ac merito contendimus cum communi, creaturam egere Dei concurſu, non ut actionem ipſam, ſed ut effectum procreet: quod actio ratione ſui non ſit ens phyſicum a cauſa & effectu diſtinctum. Sic niſus arcus intenti exigit Dei concurſum, ut effectus integer, ſeu reſtitutio arcus fiat: ſed niſus ille prior eſt quodammodo actuali concurſu, & ex utroque ſimul conjuncto fit velut actus ſecundus integer & completus. Et ſane gratis fingi ab Add. entitatulam illam actionis intermediam, vel ex eo patet, quod creationi minime aptari poſſit: quomodo enim actio creativa ſit accidens diſtinctum a creante, & a re creata, cum ejus ſubjectum aſſignari nequeat? Non creator, cui nihil novi accidit; non creatura ipſa: cum creatio ſit ratione prior quam res creata, neque adeo poſſit ea entitas, ſi quæ ſit, creaturæ adhærere; atque ut id fieri poſſet, omnino tamen ſuperflua foret & inutilis.

XII. Præterea adnotandum, omnem actionem eſſe aut corpoream aut ſpiritualem. De utraque non aliter ac de relatione, poſſumus & debemus philoſophari: cum actio nihil ſit niſi quædam relatio. Ad relationem autem juxta actionem non datur motus, cum non ſit ens, ſed entitas ſeu modalitas reſultans, quid ergo quæritur de influxu in actionem? Influit ergo cauſa prima in effectum non in actionem cauſæ ſecundæ proprie loquendo: nec Deus cuncta immediate, ut ajunt, ſuppoſiti immediatione agit, ſed tantum immediatione principii, ut docte probat S. Thom. 3. contra gentes, c. 70. Alioquin homo naſceretur ſimilis Deo in ſpecie, & non patri ſuo, & nullus error in natura, nec in arte proveniret. Potentiſſimus enim eſt, ſapientiſſimus & optimus. Non ergo peccabit impotentia, nec inſcitia, nec negligentia aut malitia. At unde monſtra & peccata naturæ & artis? Profecto, inquit Campanella, ſi hæc opinio placeat quipiam, beſtia ſit ille oportet & deterior Calvino: ſic enim ſequeretur, nos agi ad peccandum a Deo, & plantas fructus non producere elegantes, & flores deficere, quia Deus non potuit illos producere, nec retinere: & vidi ipſe cervum ſubagitare aſellum in ano; ergo Deus tunc ſubagitabat? abſit. Et cum calor non poteſt calefacere, ergo illa impotentia eſt Dei? abſit, & quidem neceſſe foret hæc abſurdiſſima concedere, ſi quis a rebus proprias auferat actiones.

3. Certum eſt juxta omnes quod cauſa prima Deus ad omnes effectus cauſæ ſecundæ mediate ſaltem concurrat, conſervando ſcilicet cauſam ejusque virtutem operativam quæ tales effectus producit. Diximus autem ſupra nullam creaturam producere Ens ſimpliciter, ſed ſolum tale ens, hoc eſt ens jam exiſtens modificare. Quæritur ergo impræſentiarum, an cauſa prima etiam immediate & proxime per ſe ipſam cum cauſa ſecunda ad omnes ejus effectus de facto concurrat?

XIII. Negativam tenuit Origenes, cui teſte D. Hieron. apud Bellarm. adſtipulati ſunt Pelagiani, quibus acceſſit Durandus, Aureolus, Altiſiodoren. & Gregor. Miminenſis. Iacuit ſemiſopita ab aliquot ſæculis hæc ſententia: ſed ab annis aliquibus cœpit diligentius proponi & agitari. Noviſſime autem eam propugnavit Ludovicus a Dola Capuccinus. Eandem ut probabilem ſuſtinet Iohannes Lalemandetius Diſp. 4. Phyſ. partit. 4. in ejus favorem argumenta 24. reſolvere conatur. Quam ſententiam tametſi Bellarm. dicat eſſe Scripturæ & SS. PP. contrariam & a D. Thom. in 2. diſt. 37. q. 2. art. 2. proxima duobus erroribus, ſcilicet Manichæorum, quod ſint plura principia prima, unum bonorum, alterum malorum: & Deum non eſſe cauſam univerſalem & primam omnium entium, niſi ad omnes & ſingulas actiones immediate concurreret. Hinc a P. Suare Diſp. 22. Metaph. Sect. 1. n. 7. appellatur erronea in fide; a Molina, parum tuta in fide. Et pro contraria communiter in Scholis recepta (quod nempe Deus ad omnes effectus cauſarum ſecundarum, in quantum actus ſunt, cocurrat immediate: ſed in quantum deformitatem habent, eatenus vel ab homine aut Diabolo aut alia cauſa deficiente, proveniant) Theophilus Raynaudus 30. fere Theologos Scholaſticos, tam ſui, quam aliorum Ordinum affert. Qui tamen omnes demonſtrationem pro ſe habent nullam.

P. Hurtadus enim de Mendoza Diſp. 10. phyſ. ſect. 1. ſubſect. 1. ſolvit omnes rationes, quæ adverſus Durandum adducuntur, & ſubſequenti ſubſectione aſſerit poſſibilem eſſe creaturam operativam ſine immediato concurſu Dei. Sed nec hactenus ab ullo pontifice aut Concilio damnatam legi, unde exercitationis gratia problematice ſuſtineri poſſe exiſtimo.

Iuvat breviter audire quid pro & contra afferri ſoleat. Durandiſtæ quidem pro ſua parte

XIV. Arguunt 1. dicuntque ſubſtantias fieri a Deo primas immediate: actus vero & ſecundas res mediantibus cauſis ſecundis, alioquin non poſſent reluctari Deo: cujus contrarium habetur in Scriptura, & apud omnes nationes, qui peccatum eſſe contra Deum, & non a Deo volunt. Idem docere videtur Auguſtinus, qui ſcribens de gratia & lib. arb. c. 16. ait: *Deus facit ut faciamus prabendo vires voluntati efficaciſſimas*, non autem dicit faciendo quod facimus, ſed ut poſſimus, dando vires. Idem D. Thom. 1. a. q. 11. a. 3. Deus movet omnes motus humanos, ſed determinatio ad malum eſt a nobis. Idem q. 10. 4. de Malo. q. 3. At quidem S. Thom. vult, quod Deus influat in effectum, quoniam facit cauſas & dat vires, & conſervat, & applicat ad agendum: ſed ipſa applicatio eſt per modum univerſaliter agendi: alioquin eſſet contra eundem dicentem, quod Deus ad peccatum non applicat, ſed ad actum ut peccato adverſum. Sic ait Rom. 9. lect. Deus excitat Pharaonem ad regni ſui cuſtodiam: ipſe autem torquet excitationes ad vexandum Iudæos inſontes. Propterea in L. de potent. q. 1. art. 3. ad 5. ait influentiam Primæ cauſæ per cauſas proximas determinari & ſpecificari. Idem 3. contra Gent. c. 66. imo opuſculo 9. q. 38. "Deus non movet voluntatem per novum„ influxum, ſed inclinando liberum arbitrium„ Et 2. Diſt. 37. "Quidquid eſt in peccato de ratione actus„ entis, & boni, hoc totum fit a Deo mediante noſtra„ voluntate: ſed defectus, qui eſt in actu, ita eſt a vo-„

 lun-

"luntate, quod non a Deo. „ Iterum S. August. epist. 146. Sic, ait, naturas quas condidit, administrat, ut eas sinat agere motus suos.

Ex his patet, puod Deus non facit actus malos ullo pacto; bonos vero facit mediante voluntate bona, non autem immediate, nisi immediatione primitatis, non immediationa attingentiæ, ut docet D. Thom. in 3. contra gent. 70. quod Deus & homo immediata est causa: sed Deus instar principii immediati in demonstratione, quod non probatur per superius medium; homo vero, quia non mediat alia causa inter ipsum & effectum. Quapropter in doctrina S. Thomæ, nec ut decernens, nec ut agens immediate tollit libertatem: quoniam præscit absque decreto, & operatur per causas, ut primum agens, & per modificatam actionem a secundis causis, vel mediantibus causis, quibus dedit esse & vires: non autem actus, nisi ob hoc, quia dedit esse & vires & inclinationes ad bonum atque conservat. Alibi etiam docet, quod ad bonum in universali proprieque ad fines ultimos homo a Deo prædeterminatur, sed in mediis a se ipso postea, dum sub nomine boni ea capessit. Sed de hoc plura sect. seq.

Formatur ergo hoc argum. Deus non concurrit ad peccatum: sed si concurreret ad omnes actiones, etiam ad peccaminosam concurrere deberet, & sic peccaret, qood probatur: dum aliqua sic se habent ut unum sit privatio in alio inseparabilis ab illo, tunc agens in uno, necessario agit in aliud: sed ita se habet deformitas peccati & actus peocaminosus v. gr. homicidium, adulterium &c. ergo si Deus concurrit ad substractum, concurrit quoque ad peccatum. Maj. patet a simili, qui enim producit nigredinem, necessario etiam producit negationem albedinis illi infallibiliter annexam.

XV. Huic argumento respondet nonnemo in hunc modum: Si Deus immediate concurrit ad actionem peccaminosam, sequitur Deum esse causam peccati moralem, directe vel indirecte influantem in peccatum. N. sequitur Deum esse causam physicam, subdistinguo: per se positive, & cum inclinatione innata vel elicita influentem in peccatum. N. sequitur Deum esse causam physicam per accidens, hoc est mere permissive, & cum aversione ad peccatum, cum inclinatione vero ad actum bonom oppositum, quem homo, si vellet, cum eodem Dei concursu eliecre posset. Conc. min. & negat consequentiam.

XVI. In qua quidem responsione duo mihi displicent: 1. quod admittat Deum esse causam physicam peccati per accidens; cum tamen nullus effectus per accidens eveniat respectu causæ primæ: sed solum respectu causæ secundæ. Omnia enim quæcunque eveniunt, non carent causa per se, procedunt quippe ex certa concatenatione quasi causarum, quæ quidem intellectui nostro sæpe ignota est, ac consequenter non volitus effectus ex inde secutus, ideoque casualis dicitur respectu nostri: at cum respectu Dei omnia creata ordinantis juxta infinitam sapientiam suam, qoique est intellectus primus, quem nihil latere potest, consequenter nullus effectus per accidens Deo tribui potest. Hinc ait Boëtius L. 5. de consol. prosa 1. Concurrere vero atque confluere causas facit ordo ille inevitabili connexione procedens, qui de providentiæ fonte descendens cuncta suis locis temporibusque disponit.

XVII. Hanc veritatem pulchre demonstrat doctissimus Episc. Abulensis Alph. Tostatus in cap. 21. Exodi quæst. 15. Ex quo observandum, frequentissime accidere ejusmodi effectus per accidens, maxime in moralibus, v. gr. homicidium aliud est per se, & intentum; aliud casuale, seu per accidens. Cum autem dicitur, Musicus ædificat, vel ædificator cantat, sunt per accidens; quia sunt a causa per accidens: non est intelligendum, quod habitus Musicus sit causa per accidens ædificationis, vel habitus ædificativus sit causa per accidens ædificandi. Ulterius cum dicimus homicidium tale contingit per accidens, non est intelligendum quod sit totaliter per accidens. Nam impossibile est aliquid esse totaliter per accidens, sed semper est ab aliqua causa per se. V. gr. Alicubi explodutur bombardæ ad metam excercidi causa Contingit quemquam illac transire, da quo non constat jaculanti, & globo trajicitur. Vocatur hoc homicidium casuale, sive per accidens, & tamen omnes causæ dependentes sunt hic per se. Et patet, quia explodens bombardam intendebat globum trajicere in metam, aut signum affixum: & quia non poterat hoc fieri, nisi transeundo per medium, etiam hoc iotendebat: qui autem intervenire supponitur & occisus est, inteodebat transire per illud medium per quod trajiciebatur globus: sequebatur ipsum transeuntem impeti, quia penetratio naturaliter non datur: s tanta autem percussione necessario secuta est mors. Ergo occisio ejus, qui transiit per dictum locum, fuit per se & non casualiter. Vocatur tamen casoalis, quia causæ, quæ est principalis in homine, sc. intellectui & voluntati, accidit talis coordinatio causarum. Nam nec ipse occidens cognovit aut voluit illas causas sic ordinatas esse, nec occisus ipse, qui ignorans quid ibi ageretur transiit, quæ tamen inter se ordinatissime fuerunt intellectui divino, humano vero accidit talem occisionem fieri, cum illi non sit volita nec cognita: sicut homini musico accidit ædificare, licet ædificare secundum se ab aliqua causa intendente per se sit, nempe ab habitu ædificativo. Dicitur ergo per accidens aliquis effectus fieri, non quod careat causa intendente eum, sed quia contiogit, quod in illa quæ est suppositum agens talem actum sunt plura principia activa, quorum uni competit ille actus per se, alteri vero accidit. Qualiter vero Deus permissive se habeat in commissione peccati, dicemus infra Tract. L. de Volun. & Lib.

XVIII. Displicet primo quod *τὸ per accidens* confundat cum *τῷ permissive,* cum hoc sonet negationem potius concursus: qui enim permissive se habet, nihil coagit: & hoc intendit dicere Durandus, quod circa actus peccaminosos Deus se habeat permissive, hoc est negative. Et videtur ei favere Card. Bellarm. Tom. 3. Controv. general. 1. Lib. 1. c. 16. ubi probat ex versu 5. Ps. 5. Deum erga peccata oon habere positive velle, aut nolle, sed negative non velle. "Non habet Deus, inquit, positive velle peccata, quia bonus & justus est: nec esset bonus & justus, si peccata, id est, mala, & ioiquitates vellet: Non habet etiam positive nolle, quia omnipotens est: neque esset omnipotens, si aliquid fieret ipso invito. Fieret autem aliquid ipso invito, si fieret aliquid, quod ipse fieri nollet. Non igitur habet velle aut nolle, sed non velle, juxta illud Ps. 5. Non Deus volens iniquitatem tu es. „

Melior responsio fieret dist. min. si concurrat ad actum peccaminosum concursu universali & ut auctor

natu-

naturæ, peccaret. N. si concursu speciali. C. Nam ut auctor naturæ non tenetur impedire cursum ordinarium, sed accommodat se causis secundis, quamvis absolute posset impedire: dum autem cum homine concurrit ad entitatem physicam actus peccaminosi, accommodat se libertati humanæ talem actum eligenti.

XIX. Secundo arguit Aureolus. Si Deus concurreret cum voluntate ad actum pravum, aut determinaretur ab ea, aut ipse eam determinaret? neutrum dici potest, E. Maj. patet. min. prob. non primo modo, quia tunc Deus voluntarie non concurreret ad peccatum, imo plane non concurreret, quia in illa determinatione non cogeretur, esset enim prior concursu Dei, ergo saltem ad aliquem actum positivum, qualis esset illa determinatio, non concurret immediate. Nec secundum dici potest, alioquin determinaret Deus voluntatem ad peccatum, quod absit.

Econtra Theoph. Raynaudus hanc Aureoli & Durandi sententiam plurimis SS. Script. & SS. PP. testimoniis, quibus 15 paginas implet, impugnat, præcipue autem S. Hieron. agentem contra Pelagium adducit his verbis: "Audite, quæso, audite Sacrilegum! Si, "inquit Pelagius, voluero curvare digitum, movere "manum, sedere, stare, ambulare, discurrere, sputa ja"cere, duobus digitis narium purgamenta decutere, "relevare alvum, urinam egerere, semper mihi auxilium "Dei necessarium erit? Ad quæ dicta Pelagii sic Ioftat "S. Hieron. Audi ingrate, audi sacrilege Apostolum "prædicantem: Sive manducatis, sive bibitis, sive a"liud quid agitis, omnia in nomine Domini agite. "1. Cor. 10. 31.

Huic argumento responderi potest, plerosque SS. PP. loqui de adjutorio Dei ad actus supernaturales: aut loqui de adjutorio Dei præsuppositivo, aut mediato, aut jure creationis, id est, quod ideo actio, quam elicio, dependeat a Deo, non quasi Deus immediate in eam influat, sed quia mihi dedit facultatem & vim eam eliciendi: aut dicitur dependere a Deo, quia entitas potentiæ, saltem primordialiter, non modo est a Deo, sed etiam semper conservatur a Deo: sicut omnes actiones strenui militis ad bellum a Rege missi, quique stipendio Regis conservatur & militat, dicuntur dependere a Rege, licet Rex non influat immediate in illos. Ad locum autem S. Hieron. respondetur, ea per exaggerationem esse dicta, quod subinde SS. PP. contingit dum ferventius disputabant cum Hæreticis: quos inter Pelagius negavit adjutorium Dei, non modo ad actiones supernaturales sed etiam ad naturales: at in Conciliis damnatus tantum fuit, quantum ad negationem auxilii in actionibus supernaturalibus. Ergo evidens est, quod abnegare immediatum concursum ad actiones naturales non sapiat Pelagianismum, quatenus ab Ecclesia reprobatum.

XX. Oppon. secundo, Rationem petitam ex D. Bonavent. in 2. dist. 37. art. 4. quæst. 2. Potentia, quæ de se non est pure activa, debet adjuvari ab ea, quæ est actus purus: sed hujusmodi est omnis causa creata. E. prob. min. potentia defectiva non est pure activa, sed omnis potentia creata quantum est de se, est defectiva, ergo debet adjuvari a concursu Dei. Resp. Dist. maj. Potentia, quæ non est pure activa, nec quoad virtutem agendi, nec quoad applicationem virtutis, quales sunt causæ creatæ respectu actionum supernaturalium, debent adjuvari &c. Conc. maj. potentia, quæ non est pure activa tantum quoad applicationem virtutis. N. maj. Ad min. dico quod potentia creata, licet de se non sit pure activa, quia illam virtutem non habet a se, sed dependet in conservari a Deo, & quoad hoc non sit pure activa: attamen quoad applicationem virtutis non est impotens, dummodo sit ad objectum sibi proportionatum ordinisque naturalis, nec quoad hoc debet censeri defectiva, quia natura providit perfecte quoad omnia eique necessaria.

XXI. Oppon. tertio: Nisi Deus concurreret cum causis secundis, non posset earum actiones impedire, sed hoc est falsum, E. prob. sequela maj. Deus tantum potest uno ex his 3 modis impedire aliquam actionem: aut destruendo causam, aut immittendo motum contrarium, aut per substractionem concausæ alicujus necessariæ. Primus modus non videtur esse conveniens Deo, nec illum adhibuit, dum ignem fornacis babylonicæ vetuit comburere 3 pueros. Secundus non est aptus, quia multæ formæ non habent contrarium; ergo tantummodo restat tertius. Resp. Deum de potentia ordinaria non posse prohibere ne ignis comburat: secundum tamen absolutam potentiam posse suspendere actum secundum & effectum ignis, idque per suam voluntatem impediendo causam ne agat.

Sic licet peccatum formaliter a nobis solis, nulloque modo a Deo sit, potest tamen Deus impedire ne eliciatur a voluntate, etiamsi voluntas eliciat actum, qui alioquin substratus foret peccato, nisi Deus per suam potentiam impediret, ne deformitas illa sequatur v. gr. distrahendo voluntatem, ut sine debita & necessario requisita advertentia eliciat actum: nam sicut Deus conservat virtutem causarum secundarum, ita impedire potest ne transeant in actum, etiam absque immissione novæ formæ, ac sine destructione causæ, aut substractione influxus.

XXII. Cum igitur videamus circa divinum concursum tam graves esse difficultates, ante omnia dispiciendum est, in quo maxima positus sit concursus seu influxus divinus, videntur enim hi termini valde metaphorici. Quapropter cum alibi docuerimus actionem non esse entitatem distinctam ab agente & effectu, sed esse dependentiam effectus a causa per communicationem similitudinis: quando effectus aliquis procedit a Deo & a causa secunda simul, est idem influxus seu actio moraliter una, licet physice diversa propter diversitatem causarum: idem dicendum de concausis partialibus v. gr. duobus equis trahentibus eundem currum.

XXIII. Quod jam attinet causam primam, dici potest, quod actio causæ primæ diversa ratione spectata, actionem causæ secundæ antecedat, comitetur, & subsequatur. Explico. Omnis actio corporea, aut motu locali continetur, aut cum eo ita conjuncta est, ut citra motum localem vix explicari possit. Cum itaque Deus per motum cuncta efficiat, quatenus causas secundas movet, iisque simul & effectibus esse simpliciter largitur: eatenus præit causis secundis, easque præmovet. Quatenus vero simul agit cum causa secunda, tum concurrit, sed ut præcise agit, & juxta causæ secundæ exigentiam, eatenus actio causæ primæ quodammodo subsequitur causam secundam, eique sese accommodat, dum ab ea determinatur. Vt actio

primæ causæ actionem causæ secundæ antevertit, ea universalis & indefinita concipitur: sed determinatur a causa secunda, quatenus prima causa ejus nisui se accommodat, & in consortium ejusdem effectus juxta causæ secundæ exigentiam venit, tumque ex universali & indifferenti fit actio determinata.

XXIV. Quo autem hæc res uberius explicetur, quid sit rem a Deo moveri, paulo diligentius intueamur cum Auctore Phil. Burgund. tom. 2. Tract. 3. quæst. 2. Deus movet corpus, aut per se solum, aut una cum causa secunda. Cum per se movet corpus, id utique in pluribus locis continuata & minime interrupta successione conservat, & indesinenter creat: cum enim Deus rem aliquam producit aut tuetur, in aliquo loco eam creat. Non minus quippe absurdum est rem creari, & nullo in loco, seu nullibi, quam eandem creari, & nullo in tempore; neque adeo hæc duo physice & reipsa, sed metaphysice tantum seu formaliter sunt distincta, rem nimirum produci simpliciter, & alicubi creari. Cum itaque res in pluribus locis creatur successive, aut conservatur, hoc solo res eadem a Deo moveri censenda. Nam rationes illæ locorum nihil sunt ab ipsa conservatione diversi, neque novas actiones exigunt.

Quod si itaque idem est, rem aliquam creare & in loco, seu alicubi creare: neque hæc separari ullo modo possint, ac locorum numerus nullam entitatem, nihil novi rei addat, sed connotationem tantum, ut loquuntur, aut denominationem extrinsecam: quod aliquid in pluribus locis successive conservetur, id nullam entitatem ipsi creationi aut conservationi adjicit, sed formalitatem duntaxat, aut diversum concipiendi modum. Ergo Deus hoc ipso movet creaturam, quod eam in variis locis successive creat, aut tuetur.

Non igitur aliud est rem movere, quam ei varia loca tribuere, idque continuata quadam & non interrupta successione, seu eam transferre de loco in locum. Fingamus enim animo Deum nihil aliud velle quam rem aliquam creare. Certe vi hujus actionis, res ipsa erit alicubi. Iam si Deus non aliud velit, quam rem ita conservare in pluribus locis, ut nusquam quiescat, hoc ipso solo res eadem movebitur, nec multitudo locorum aliam specie distinctam a conservatione actionem exiget. Ergo una eademque actione res fit, & movetur a Deo. Quod enim res moveatur, præter actionem ipsam qua creatur, hanc negationem tantum addere videtur, quod scilicet nullibi quiescat. Vnde non est necessaria actio physica distincta a creatione, qua res aliqua a Deo moveatur.

Quæ si bene intelligamus, non erit difficile animo consequi, quomodo Deus cum causa naturali concurrat. Cum enim Deus agat liberrime, non modo operari potest cum vult, sed etiam cum aliæ causæ id exigunt, ex certis nempe legibus ab ipso ut autore naturæ constitutis. Tum igitur Deus rem conservabit in tali loco & tempore juxta causæ secundæ exigentiam, idque erit concurrere cum creatura. Actio illa qua Deus creat, & conservat creaturam, universalis est, motio prævia & indeterminata, ut jam diximus: illam vero determinat exigentia creaturæ, quæ per se nec subsistere potest, nec agere. Quod autem Deus ex beneplacito suo, & quasi per se solum, aut ex ipsius creaturæ indigentia, hic vel alibi, in uno aut in pluribus locis rem conservet; hoc, inquam, nihil addere videtur ipsi conservationi nisi relationem quandam. Est enim idem Deus qui agit, eadem est res creata, eadem sunt loca: nihil ergo novi esse potest, nisi formalitas quædam metaphysica, aut relatio, quæ ex indigentia creaturæ repetitur, quæque Deo est velut agendi occasio.

Qua quidem ratione arbitratur iste Auctor, Durandum in gratiam facile redire posse cum reliquis Philosophis & Theologis. Cum enim negat opus esse immediato & positivo Dei concursu, non aliud forte intelligit, quam Dei concursum non esse actionem ab ipsa creatione & jugi rei conservatione distinctam. Actio quippe causæ secundæ quatenus seipsam movet, aut seipsam movendo rem aliam loco pellit; actio, inquam, illa non aliud est quam exigentia, seu nisus ipsius causæ secundæ, quatenus Dei actionem sibi adjunctam, & veluti sibi accommodatam habere postulat.

Hinc colligitur eandem esse actionem, qua Deus ex indigentia creaturæ agit, quæque concursus appellatur, cum actione, qua Deus per se solum, & nutu suo ageret. Ac proinde creatura Dei concursum exigit, non ut fiat ens aliquod absolute, sed ut fiat tale ens, seu in tali loco, aut statu, aut modo; aut tale compositum ex ente & forma aliqua: adeo ut concursus simplici creationi addat tantummodo novam modificationem aut connotationem. Sed eadem numero est physice actio, qua Deus concurrit ad aliquid faciendum, cum ea qua solus Deus idem effecisset.

SECTIO III.

Quomodo Deus concurrat cum Causis liberis: ubi de Prædeterminatione.

Quæ præced. sect. diximus de concursu divino cum causis necessariis, quæque non tam agunt quam aguntur a Deo, magnam possunt afferre lucem iis, quæ de concursu divino mox dicturi sumus. Vt autem celeberrimam hanc inter PP. maxime Societ. contra Thomistas pro dignitate tractemus, claritatis gratia subdividemus hanc sectionem in seqq. membra. Proponemus primo difficultatem & statum quæstionis. Deinde fundamenta seu hypotheses Thomistarum. Tum principia contrariæ sententiæ, quibus quid nobis videatur verosimilius subjungemus cum solutionibus adversæ partis argumentorum. Sit itaque

SVBSECTIO I.

Proponitur difficultas & status controversiæ.

XXV. Quoniam quæcunque fiunt in Mundo, a Deo præcogitata, ac volita & decreta fuisse oportet: neque enim in effectibus esse potest, quod non fuit in causis, nisi modificatio & non esse illorum: quæritur quomodo Deus ista omnia decrevit, optimus, & tamen multa mala fiunt in Mundo, a Deo in sui similitudinem facto, ut monstra corruptionesque & pugnæ in natura: in moribus vero & arte, quam multa contra rationem artis & artificis Dei, ut cædes hominum, furta, blasphemiæ, idololatria & sermones contra Deum: si enim finis omnium est Deus, quomodo contra hunc finem tanta fiunt? Præterea, si sunt decreta a Deo æternaliter omnia, & temporaliter nil fit, nisi faciente Deo nobiscum, non enim est entitas nisi a Deo primo ente, ergo vel quæ putamus mala, non sunt mala, quando Deus facit illa, & facit ut faciamus; vel Deus non facit nobiscum omnia; vel in eo deest infinitas,

nitas, aut potentiæ, aut sapientiæ, aut bonæ voluntatis, ergo constabit ex Eote & nihilo, vel quæ videntur mala nobis, non sunt mala, ut dicunt Libertini.

Stoici ad hæc dicuot, omnia fieri Decreto Dei & Provideotia, exceptis actibus liberis humanis: alioquin tollitur lex, & preces & exhortatio. At posse hominem operari prout vult, Deo non operante in ipsum.

Sed contra, si actus est ens; & nulla entitas nisi a Deo, ergo Deus facit nobiscum actus nostros, & quidem omnes.

S. August. in lib. de perfect. Justitiæ, & alibi dicit, omnes naturas esse bonas, & factas a Deo; non autem actus, quoniam sunt & a nobis operantibus, & a Diabolo iostigante. Et in 5. de Civit. Dei. c. 9. omnes naturæ & omoes potestates sunt a Deo, non autem omnes voluntates. Idem Lib. de lit. & spiritu c. 31. Hugo Victorinus io c. 11. Rom. omnia naturalia sunt a Deo, non autem omnes volitiooes, & omoia moralia.

XXVI. Sed adhuc stat prima difficultas, nisi probetur actus omnes esse nihil, vel non fieri a Deo, oisi ut dante esse & posse. Alii dicunt reputantes se stare a D. Thoma, omnia esse decreta a Deo, & fieri sic efficaciter, ut reluctari non possimua; neque enim quæ non decrevit Deus fieri, fient unquam. Idem docent Mahometus & Calvinus & Lutherus, propria & per se a Deo fieri actus nostros bonos & malos.

At omnes Theologi antiqui contrarium docent, & Concil. Trid. non fieri a Deo malos proprie & per se, sed taotum permissive. Thomistæ autem Prædeterminantes, eo quod sunt decreta a Deo, etiam fieri a Deo volunt, in nobis & nobiscum agente, quoniam causa secunda non potest facere nisi faciente prima, cui subordioatur subordinatione essentiali, sicut non potest arbos facere fructus sine Sole.

Sed quoniam hoc modo, si videlicet Deus prædecernit omnia, & prædeterminat voluntates, facitque, quando nos facimus; & similiter cum omni causa se habet, videntur tolli Cootingentia & Libertas: dicunt Religiosi quidam, omnia quidem Decreto non antecedente provisionem voluntatis liberæ, sed decreto concurrendi cum voluntate libera ad illum effectum, ad quem inclinari ipsam, vel virtualiter, etsi non actualiter, videt. De Contingentibus tacent. Verum quoniam & ipsa inclinatio est a Deo, adhuc etiam sequitur lædi libertatem: quoniam per seriem rerum, vel per se Deus eas inclinat, ergo decretum præcedit ad sic inclinandum, ut deinde Deus prosequatur.

Præterea si non potest homo facere, nisi Deo faciente eodem actu indistincto & immediato, sequitur quod tollitur libertas in exequendo, cum enim actus peccaminosus inceperit, non potest homo recedere. At S. Thomas recte docuit, propterea hominem peccare, quia potest recedere ab actu, & tamen prosequitur actum malum.

XXVII. Præterea Decretum ponendi Petrum in tali serie, unde inclinetur ad talem actum, & non alium, etiam tollit libertatem deliberandi, nedum prosequendi. Si autem potest homo in alium, ergo Deus non est certus de inclinatione ad hunc actum. Et propter hoc D. Thomas ad salvandam libertatem & contingentiam putat Deum non cognoscere pro certo actus contingentes & liberos in causis, quoniam sunt indeterminatæ: neque in Decreto, quoniam non essent liberæ, sed serviliter a Decreto actæ ac prædeterminatæ: sed in coëxistentia causarum & effectuum simul cum æternitate: id quod efficacissimis rationibus & locis D. Thomæ ostendit acutissimus Th. Campanella in Opusculo de Prædestin. edito Parisiis An. M. DC. XXXVI. cum Privilegio Regis, & Approbatione Romana & Sorbonica; quodque mireris, ab ipso Vicario Gen. Congreg. Gallicæ Paris. Ordinis Prædicatorum Fr. Juliano Joubert Doct. in Facultate Parisiensi, cum tamen in illo Opusculo Prædeterminatores non Thomistas, sed Per-Thomistas & Pseudo-Thomistas passim compellat, ejusdem ipse Ordinis. Eodem stylo loquitur Lib. X. suæ Metaph. pag. 284. At Pseudo-Thomistæ, inquit, dicunt non posse existere, nisi decernat Deus ut sint, & concurrat ipse faciendo, ergo ex coëxistentia & decreto ut sint; & prædeterminandi causas & concurrendum ad faciendum. Et quidem Scotus, & Durandus & plures Scholastici fere Decretum præmittunt, alii postmittunt, alioquin non fierent. Addunt non posse coëxistere res temporales æternis, neque fieri, ut coëxistant, nisi Decretum voluntatis Dei præcedat, ut dicitur Apoc. 3. & Paulus ait, quod Deus omnia facit consilio voluntatis suæ, ergo non ex coëxistentia, sed ex Decreto suo, præscit futura Deus: coëxistunt enim quia decreta: quæ autem decernuntur, sciuntur, si Deus ipse decernens facturus est ea, sine quo factum est nihil.

Aureolus tamen Cardin. & Durandus Episc. docent, substantias fieri a Deo primas immediate: actus vero & secundas res mediaotibus causis secundis, uti supra diximus. Quapropter S. Thom. de Potentia q. 1. art. 3. ad 5. Influentiam primæ causæ per causas proximas determinari, & specificari docet. Idem 3. contra Gent. 66. Ex quibus patet quod Deus non facit actus malos ullo pacto, bonos vero facit mediante voluntate bona, non autem immediate, nisi immediatione primitatis, non immediatione attingentiæ. Hinc ex doctrina S. Thomæ, Deus nec ut decernens, nec ut agens immediate tollit libertatem; quoniam præscit absque decreto, & operatur per causas ut primum agens, & per modificatam actionem a secundis causis, vel mediantibus causis, quibus dedit esse & vires & inclinationes ad bonum atque conservat. Alibi quoque 1. 2. q. 9. & 10. docet, quod ad bonum in universali proprieque ad fines ultimos homo a Deo prædeterminatur; sed in mediis a seipso postea, dum sub nomine boni ea capescit. Audivimus punctum difficultatis, a qua facile se expediont, qui negant Deum immediate concurrere ad actus liberos hominis, & aliarum causarum non libere agentiom: Sed supposito quod cum singulis causis secundis, ad omnes actiones & effectus (bonos, malos) immediate concurrat & influat (quem vocant influxum seu concursum simultaneum) inquiritur, utrum necesse sit, quod positis omnibus ad agendum requisitis in actu primo proximo, adhuc aliquam applicationem fieri a Deo in causa secunda, per quam ex actu primo proximo reducatur in actum secundum: & [si causa sit libera] ad alterutram contradictionis partem, aut contrarietatis determinetur prævie [non quidem tempore, sed natura] ita quidem ut determinatio propria causæ secundæ liberæ, etiam causetur a Deo?

XXVIII. Aliter expono eundem statum quæstionis. An præter concursum, de quo præcedenti sectione egimus, habeat Deus alium, quo influat in prædi-

prædictam causam & moveat eam ad agendum: ac proinde realis concursus non solùm sit motio sed præmotio, seu prævium quid ad agendum? Si quidem talis motio (sive fiat per qualitatem permanentem, sive per transeuntem, sive intrinsecam, sive per Decretum extrinsecum) hoc ipso quod datur causæ secundæ ad agendum, debeat necessario præcedere actionem illius, & consequenter non solum erit motio, sed præmotio & influxus prævius: imo necessario erit prædeterminatio physica, quia ex qua parte non datur ad agendum vel non agendum, sed ad hoc, ut determinate hoc agat, est determinatio causæ, & ex qua parte est influxus physicus, erit determinatio realis & physica: & tandem ex quo capite vel quatenus præcedit determinationem causæ secundæ, eamque causat, debet esse non solum determinatio, sed prædeterminatio illius. Et hic est status controversiæ, quantum sapio, inter PP. Dominicanos & eorum asseclas ex una, & PP. Societates eorumque consortes ex altera parte. Nos utriusque sententiæ fundamenta fideliter referemus, quæ ponderanda relinquimus Lectori, ut eligat quæ sibi videbitur verosimilior, Eclecticum enim ago, & quid sentiam libere profero, permittoque quemcunque in suo sensu abundare citra alterationem. Sit itaque

SVBSECTIO II.

Prædeterminantium fundamenta & hypotheses proponuntur.

XXIX. Supponunt 1. Essentiam libertatis in sola spontaneitate, hoc est immunitate a coactione, non salvari, sed ad illam requiri indifferentiam activam, seu potentiam ad oppositum. Et hoc ita certum est, ut D. Thomas cum universa Theologia orthodoxorum, contrarium tanquam hæreticum, & totius moralis philosophiæ principia evertens proscribat.

2. Duplicem in voluntate creata concipi posse indifferentiam circa agenda. Vna versatilis vagans, & effrænis est, quæ dicit potentiam eligendi, & se determinandi, independenter a divina motione, & applicatione, componendi dissensionem vel recusationem aut negationem actus, cum prærequisitis ad agendum, sive ut alii ajunt, potentiam dissentiendi *in sensu composito*. Altera vero, inquiunt, non est ita vaga & effrænis, sed temperata, subjectione & subordinatione ad Deum, ut primum liberum primumque determinans; & consequenter, divinæ motionis & applicationis necessitatem non excludit, nec importat potentiam dissentiendi in sensu composito, sed tantum in sensu diviso, hoc est quod sub efficaci Dei motione voluntas retineat potentiam ad dissentiendum, quamvis non possit actualem dissensum cum illa præmotione componere vel conjungere. Primam indifferentiam volunt esse de ratione libertatis RR. Thomistæ vero, & gratiæ efficacis defensores, illam repudiant, & alteram solum ad essentiam libertatis pertinere & sufficere contendunt.

3. Duplicem in nobis dari libertatem. Vna est *potentialis*, & in actu primo, quæ consistit in potentia seu facultate, qua voluntas potest velle, aut nolle, eligere vel non eligere, se determinare ad amandum hoc vel illud objectum. Altera *actualis & exercita*, quæ est ipsamet actualis electio, & determinatio voluntatis, quæ vocari potest *libertatis potentialis seu habitualis exercitium*: & de hac potissimum controvertitur, an cum prædeterminatione physica & efficaci motione stare possit?

4. Duplicem distinguunt prædeterminationem. Vnam æternam & in Deo manentem: alteram temporalem & in creatura receptam. Prior dicitur Decretum prædeterminans, seu divina prædefinitio. Altera appellatur præmotio, seu prædeterminatio physica [Theologis Gratia efficax in actibus supernaturalibus] estque nihil aliud, quam executio Decreti divini, ejusque exercitium, reducens causam ex actu primo in secundum. In quo autem hæc applicatio formaliter consistat, non convenit inter ipsosmet Thomistas: Aliis in qualitate impressa, aliis in motione transeunte, aliis sine immutatione intrinseca cum illustrissimo D. Augustino Reding. eam constituentibus.

5. Divina motio in causa secunda recepta vocatur à Thomistis *physica*, non quod forma naturalis sit, seu per modum naturæ ad unum determinans, absit! sed quia ex sua essentia seu ab intrinseco est efficax, independenter a quocunque creato consensu, infallibiliter connexa cum tali effectu, quod est esse physicum Theologice, non philosophice. Exemplum hujus dant, dum docent gratiam physice expellere peccatum: non quod exerceat oppositionem formæ naturalis seu physicæ: sed quia oppositionem habet cum illo ex sua propria essentia & ab intrinseco, independenter a quacunque lege extrinseca.

6. Ajunt, in his vocabulis, *Decretum prædeterminans*, prædeterminatio physica &c. particulam *præ*, non designare prioritatem temporis seu durationis; sed naturæ duntaxat, seu causalitatis & dependentiæ, quam explicat Arist. in postprædicam. c. de priore & simul, ubi ait: quod illud est prius a quo aliud pendet tanquam a causa, & nihilominus convertitur subsistendi consequentia, ita ut si verum sit unum, verum etiam sit esse alterum: quo modo causa etiam in actu est prior sua operatione & effectu; quia licet non possit concipi causa in actu, nisi concipiatur ejus operatio & effectus ab illa procedens: nihilominus quia operatio & effectus ab illa procedens dependent a causa in actu: ideo causa in actu est prior illis prioritate dependentiæ & causalitatis, quam vocant aliqui *prioritatem instantis in quo*. Et hujusmodi prioritate volunt prædeterminationem divinam antecedere ipsam determinationem voluntatis nostræ. Quod bene notandum contra aliquos RR. qui affingunt Thomistis, quasi poterent prædeterminationem tenentem se ex parte actus primi, adeoque duratione & prioritate temporis antecedentem voluntatis nostræ liberæ determinationem.

Septimo, & principaliter. Quando urgentur Thomistæ, an stante præmotione seu prædeterminatione physica [ut vocant] v. gr. ad actum amoris, possit voluntas non amare, aut actum odii elicere? Respondent cum dist. In sensu composito, negant; In sensu diviso, concedunt. Multum refert sensum hujus distinctionis recte intelligere, & sensum genuinum Thomistarum penetrare: id quod hisce fideliter trado.

XXX. Dupliciter intelligi potest sensus compositus & divisus. Primus sensus, qui videtur apertior, est hæreticorum Lutheri, Calvini &c. Eundem tenuerunt Suarez, Molina, Vasq. Lessius, Conink, Martinius, & passim PP. Societ. quibuscum hallucinatur

cinatur Fr. Petrus a S. Ioseph Fulienſ. qui auditoribus ſuis Scholaribus inculcant, ſenſum compoſitum eſſe & intelligi a Thomiſtis, quando motio divina, & gratia efficax cum ipſa voluntate conjungitur & componitur: qua conjunctione & compoſitione ſtante, voluntas non poſſit operari oppoſitum effectus, ad quem ſupponitur determinata, v. gr. ſi prædeterminata ſit ad amorem, non poterit odiſſe aut ab amore abſtinere. Diviſus vero ſenſus ſit, quando a potentia activa creata dividitur & ſeparatur prædeterminatio. Sed hæc explicatio eſt ſpuria, illegitima & erronea, quam abhorrent omnes Thomiſtæ: militaret enim e diametro contra deciſionem Conc. Trid. ſeſſ. 6. de Iuſtif. can. 4. "Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium "a Deo motum & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quoad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat ac præparet, neque NB. poſſe diſſentire, ſi velit, ſed velut inanime quoddam, nihil omnino agere, mereque paſſive ſe habere, anathema ſit." Vbi utique Concilium loquitur de motione Gratiæ & auxilii efficacis, cui voluntatem motam, eique actualiter ſubſtantem, poſſe diſſentire, ſi velit, affirmat. Ergo potentiam diſſentiendi cum ipſa præmotione componit. Vide Bannez 1. p. q. 14. art. 13. Alvarez Diſp. 25. de auxiliis. n. 14. & Lib. 2. reſponſionum art. 1. n. 34. Gonzales 1. p. q. 19. art. 8. Diſp. 57. n. 48. Idque fatetur P. Annatus S. I. in libro de libertate incoacta contra Apologiſtam Ianſenii c. 2. §. 4. ubi ait: Nunquam Thomiſtam ita ſenſum compoſitum & diviſum explicuiſſe. Et hoc omnes ingenui fateri debent.

XXXI. Altera explicatio & ſenſus diſtinctionis prædictæ eſt iſta: Senſus compoſitus vocatur ex eo, quod conjungat actualem diſſenſum cum præmotione, & conſequenter cum aſſenſu, qui eam infallibiliter conſequitur, quod manifeſtam contradictionem involvit. Senſus diviſus dicitur ex eo, quod a præmotione dividat actualem diſſenſum, & ſolam potentiam reſiſtendi ac diſſentiendi relinquat, in quo nulla eſt implicantia. Nam ut ait Doct. Angelicus q. 23. de veritate art. 5. ad 3. "Quamvis non eſſe effectus "divinæ voluntatis non poſſit ſimul ſtare cum divina "voluntate; potentia tamen deficiendi effectum ſimul ſtat cum divina voluntate: non enim ſunt iſta "incompoſſibilia, Deus vult iſtum ſalvari, &, iſte potеſt damnari: ſed iſta ſunt incompoſſibilia: Deus "vult iſtum ſalvari, &, iſte damnatur." Quod ſub aliis terminis ingenioſe explicat Capreolus dicens: quod voluntas [ſtans ſub præmotione] habet ſimultatem potentiæ, hoc eſt ſimul & ſemel habet potentiam ad oppoſita; non tamen potentiam ſimultatis, id eſt, non habet potentiam ad oppoſita ſimul ponenda & verificanda, ita ut tota ſimultas ſe teneat ex parte potentiæ, non autem ex parte actuum oppoſitorum, ad quos potentia ſe non extendit.

XXXII. Auctoritates S. Auguſt. & D. Thomæ, quibus nituntur Thomiſtæ, ſupervacaneum cenſui hic allegare: Rationes tamen, quibus ſe muniunt, ad certa capita referri poſſunt; quid autem iis reſponderi poſſit, infra videbimus.

Eo autem tendunt omnia pene Thomiſtarum argumenta, ut neceſſitatem concurſus prævii, non tantum ſimultanei probent: ac quidem 1. Ex conditione cauſæ ſecundæ, quæ primæ ſubjici debet, ut inſtrumentum cauſæ principi. 2. Ex ſummo Dei in creaturas dominio. 3. Ex natura cujusque entis participati, quod ab ente per eſſentiam proficiſcitur: adeo ut non effectus modo, ſed etiam actio ipſa cauſæ ſecundæ a prima oriatur. Argumenta vero ex his fontibus ducta adeo dilatant, variis locis & auctoritatibus, cum ſacris, tum prophanis muniunt, ut difficillimum videatur in re tam recondita, non modo iis, qui ita ſentiunt, ſed etiam nobis ipſis ſatisfacere.

Quid vero hac in re ſenſerint SS. Auguſtinus & Thomas, & utra pars illorum mentem aſſecuta ſit, quis divinabit? Nos ea cura ſuperſedemus Eclectici ſumus & in nullius verba juravimus, infra tamen diverſa Doctorum judicia proferre non pigebit. Modo proponemus fundamenta oppoſita ſententiæ hodie in Scholis magis receptæ.

SUBSECTIO III.

Exponitur modus quo Deus concurrat cum causis liberis.

XXXIII. Ex iis quæ diſtincte novimus, cujusmodi ſunt corpora & eorum motus, per ſimilitudinem quandam, vel analogiam, quæ ſenſus fugiunt, aut per alienas ſpecies intuemur, utcunque perſpicimus, dummodo certo ordine ac ratione progrediamur.

Itaque licet nobis actiones voluntatis noſtræ cum motionibus corporum conferre, & ex utrarumque analogia, quomodo Deus cum voluntate noſtra concurrat, utcumque colligere. Has ſimilitudines fuſe vir acutiſſimus P. Magnnus proſequitur, quæ huc fere redeunt: 1. Bonum idem pene eſſe cum voluntate comparatum, quod locus eſt in corporibus. Sic igitur voluntas fere quieſcit in bono poſſeſſo, ut corpus in loco: quies vero illa non otioſa eſt, ſed actuoſa: atque ut corpora in ſuis locis gravitant, ſie voluntas cum ſuo bono fruitur, id recte complectitur, eique amore inhæret. Quod etiam motus eſt corpori, hoc voluntati eſt proſecutio aut fuga: unum deſerit voluntas, ut aliud acquirat; varia media tanquam ſpatia percurrit, ut in ſuo fine quieſcat. Atque ut corpus noſtrum dum progreditur, alternis quieſcit & movetur: ſic voluntas per media ad finem ſuum ita contendit, ut mediis ipſis interdum per affectus ſuos aliquantulum inhæreat: adeo ut motus voluntatis in finem ſit velut alterna quietis mutatio. Sive enim voluntas objecto ſuo fruatur, ſive ex uno in aliud excurrat, ſive rem deſiderio proſequatur, & in finem aliquem per certa media nitatur, ſive eligat, & unum alteri præferat, ubique erit quietis mutatio, aut quies ipſa non otioſa, ſed vitalis & actuoſa. Vix tamen hic occurrit entitas aliqua nova & phyſica, a voluntate & objecto diſtincta; uti cum incedimus, & pedem unum certo loco infigimus, dum alter attollitur, nullum ens phyſicum occurrit præter pedem, & locum quem occupat aut mutat.

2. Hoc utique eſt voluntati proprium, ut ſeipſam determinet: quod non habet cum corporibus commune. Nam ubi potentia ſeu actus primus integer eſt & complectus, tum corpus neceſſario movetur, & primæ cauſæ concurſum exigit: non item voluntas, quæ poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis, adhuc manet indifferens. Sed illa determinatio neque in corporibus, neque in ipſa voluntate ut nova entitas ei ſuccreſcens concipi debet, uti ſupponere videntur Thomiſtæ. Tum enim voluntas ſeſe determinat,

cum bono proposito quasi se permittit, & ab eo illecta ultro se dedit. Cum autem illud bonum minus videtur, aut non satis cognoscitur ut bonum, tum voluntas in id ferri non potest. Cum bonum ex omni parte conveniens, sine ulla mali admixtione ponitur, tum voluntas in id necessario ruit, nec seipsam determinat: nam ab ipsius objecti bonitate abripitur. Itaque ut seipsam voluntas determinet, nec objectum ut ingratum & insufficiens; neque ut undequaque bonum proponi, sed medio quodam loco esse debet, quo voluntas seipsam illi libere permittat. Quamvis enim sit majoris boni capax, suam tamen vim quasi contrahit, quo se se bono allicienti accommodet; eaque sibi ipsi quasi terminos imponiat, nec majus quiddam expetit. Quod utique fieri potest, licet nulla entitas nova voluntati supperveniat: non enim illa determinatio est quid distinctum a voluntate & bono illiciente: maxime si concursum Dei exigat & antecedat. Quod si enim esset quædam entitas, hæc sine concursu divino foret producta, cum supponatur Dei concursum exigere.

Hinc Deus voluntati exigenti concursum suum potest denegare: sed cum non exigit voluntas, nisi cum est determinata. Neque enim causa libera instar causæ necessariæ concursum Dei postulat cum est in actu primo completa: nam positis omnibus ad agendum prærequisitis potest adhuc non agere. Quare necesse est ut jam sit determinata cum concursum divinum exigit. Ergo determinatio ipsa voluntatis divinum concursum antevertit: neque adeo est entitas quædam physica voluntati superveniens, quæ citra Dei concursum esse non posset. Est igitur velut actus secundi initium, cujus complementum ex Dei concursu accedit.

3. Cum bonum propositum omnem voluntatis capacitatem, omne desiderium explet, objectum ipsum citra novam entitatem eam determinat. Sic ubi minus est bonum, quam ut necessario ad se rapiat voluntatem: sed eo tamen contenta est, & se ei bono quodammodo exæquat, ac sibi terminos præfigit, nihil quoque necesse est novam entitatem comminisci, ut voluntas se aptet minori bono, aut seipsam determinet. Formalis enim determinatio in hoc posita erit, ut affectet hujus boni conjunctionem, ut Dei concursum exigat, quo res amata cum voluntate conjungatur, & ei sive per speciem aut imaginem, sive reipsa & possidendo adhæreat. Nisus vero ille, aut exigentia a reipsa quæ nititur, & conjunctio a rebus conjunctis formaliter tantum differt: nec concursus ad ipsam determinationem voluntatis requiritur: cum prior sit determinatio, quam concursus: voluntas vero concursum postulat, ut id obtineat, ad quod se determinavit.

4. Illud meminisse oportet, neque determinationem, neque actionem ullam per se fieri: cum non sit entitas nova, sed ratio qua aliquid fit. Itaque præcise ut actio est, Dei concursum non exigit, nisi forte quatenus effectus sine actione esse non potest. In effectu porro, aut formam solam spectare possumus, aut concretum ipsum. Forma abstracta, ut ambulatio, proprie non fit, sed homo ambulans. Sic ubi argentum inauratur, aut paries dealbatur, inauratio aut dealbatio, ut loquuntur, proprie non efficitur: sed aurum argento, calx parieti inducitur, & ex utroque fit concretum quoddam inauratum, dealbatum. Non dissimili ratione non fit motus, aut deambulatio, sed ens tale, ut homo deambulans, homo appetens: nam eadem est ratio motuum, qui dicuntur intentionales, & eorum qui sunt naturales. Ac nescio an aliquid in abstracto efficiatur: sed fit concretum, cum res quæ ante erant & distinctæ, una conjunguntur; ut cum corpus diversis locis applicatur, fit homo ambulans; aut volens, ubi Deus cum voluntate concurrit, quæ exigit cum suo bono conjunctionem.

XXXIV. His bene intellectis omnes pene difficultates, quæ circa motionem divinam excitari solent, eliduntur. Sic enim planum fit, Deum in actibus, qui non sunt supra naturæ vires, voluntatem non antevertere; ejus determinationem sequi potius, quam præire: adeo ut verum sit Deum concurrere cum creatura. Deus quippe concurrere censetur cum homine, qui ad currendum seu ad agendum jam est determinatus. Cum enim voluntas sit actuum suorum domina, non est alia causa quæ eam determinet, præsertim cum ejus natura in eo posita sit, ut seipsam determinet, ut eligat. Voluntas enim nil aliud est quam propensio necessaria sponte naturæ in bonum & in finem, qui est felicitas. Atque in hoc a causa necessaria discernitur, quod sit sui juris, neque a causa extrinseca determinetur. Unde homo concursu eget suæ naturæ accommodato, qui sit indifferens, & quem voluntas huc illuc inflectat, non viceversa: quamvis in Deo nulla sit necessitas concurrendi.

Sic Deus ad actus malos, etiam materialiter sumptos, voluntatem non determinat, nec movet: cum determinatio ipsa sit a voluntate. Quomodo autem differat voluntas a libero arbitrio, & voluntarium a libero: item quotuplex sit libertas, quidque obstet libertati, dicemus in Tract.

XXXV. Itaque si quæras utrum voluntas humana moveatur a cœlo, aut a Deo, aut a semetipsa? Respondeo, quod omnia creata sunt ad suos actus determinata a Deo, vel determinabilia. Quædam quidem ad unum: quoniam illis dat formam unam, ut principium actus: sic grave a Deo determinatum nascitur ad motum deorsum tantum: & calor ad calefaciendum. Quæ autem cognitionem habent, & per plura media, & per plures actus ad suos fines ferri opus habent, non nascuntur determinata ad unum, sed determinabilia; ut animal, homo, sunt enim determinata solum ad proprium summum bonum in communi, id est ad felicitatem sui scilicet conservationem tranquillam, quam non possunt non appetere: ad media vero sunt determinabilia: sed bruta determinantur a passionibus & oblatis objectis, ita ut non possint juxta ipsas non operari, nisi aliæ passiones novæ a prioribus retrahant ipsa; ut canis non potest non latrare contra vulpem, nisi verbere vel cibo oblato. Homo vero determinat etiam seipsum contra passiones, quoniam pluribus speciebus operatur & ratiocinio: & cum accipit potionem amaram a consilio Medici, quod puer & canis non faceret. Item contra objecta: oblatam enim virginem aversatur, & nive pudenda castigat Franciscus. Item contra Deum, quem homo pravus & Diabolus oderunt, & blasphemant, ergo non determinatur a passione, nec ab objectis, nec a Deo, nisi universaliter ad bonum: & non specialiter, hic & nunc & sic, nisi ipse velit. Voluntas ergo rationalis ex quo creata est, semper illud vult esse cujus est voluntas: nec a Deo movetur, nisi

sicut

ſicut cætera omnia entia influxu generali, & ad bonum: nec a cœlo, niſi ſicut ab offerente objecta, quæ ſpecificant ipſum velle, ſed non faciunt. Quia etiam in organis imprimit calorem, ſiccitatem, humiditatem & frigus per ſe, vel per accidens ipſum cœlum movet corpus, & indirecte & diſpoſitive voluntatem: ſpiritus enim corporeus eſt, & patitur a cunctis rebus; anima in ſpiritu primo inſidet, & ejus afficitur paſſionibus: unde acto in furorem ſpiritu ſive Archeo, & ipſa alienatur; unde vult furioſa irrationaliaque voluntate. Tamen dum ſanus eſt ſpiritus, ipſa indirecte movetur a cœlo, & ab omnibus objectis externis, a terra, ab aëre, ab hominibus. Nullus tamen iſtorum motuum ipſam violentant, niſi aliquando per accidens immutato ſpiritu in furorem, & tunc non adeſt culpa, niſi fuerit mens volens furoris cauſa. Aliarum vero rerum vires cœlum immutat, ſolum tamen corporatas, ut & ſpiritus noſtri, ſic & naturas & cupiditates: omnis enim natura potentia, ſapientia & appetitu conſtituitur, puris, vel corporatis.

XXXVI. Ad argumenta Thomiſtarum ſupra circa finem ſubſ. præced. ſummarie adducta Reſpondetur 1. fateri nos cauſam ſecundam primæ omnino ſubjici, & ab ea pendere tum ut ſit, tum ut operetur: ſed negamus hinc ſequi cauſam ſecundam a prima applicari & determinari ad agendum: ſi enim ſunt neceſſariæ, ex natura ſua & a paſſionibus aut objectis determinantur: ſi liberæ, ex ſemetipſis privilegio ſibi a Conditore conceſſo, quo meritum aut pœnam ſibi queant comparare hac tamen differentia, quod ad actus ſupernaturales adjutorio gratiæ indigeant, ſecus in iis quæ vires naturæ non excedunt: ſecus cauſa prima ſola ageret, reliquæ ceſſarent: nec cauſæ univerſalis ſed particularis munus obiret. 2. Id etiam concedimus non effectum modo cauſæ ſecundæ, ſed actionem ipſam a Deo pendere. Nam ea non eſſet niſi Deus concurreret: ſed hinc non ſequitur actionem creaturæ a Deo fieri, cum ea non ſit ens abſolutum, quod creationem terminare poſſit, quam patrum mea ſeſſio; per actionem formaliter aliquid ſit, ipſa non ſit. 3. Alia eſt ratio actionum naturalium, alia ſupernaturalium: in illis concurſus Dei ſimultaneus ſufficit, quatenus Deus & creatura ſimul eundem effectum procreant, modo & ſenſu ſuperius inſinuato: In actibus autem qui ſunt ſupernaturales, Deus prævenit, præmovet & quodammodo prædeterminat, fortiter & ſuaviter, alliciendo trahendoque in bonum: qualem efficaciam & impulſum ad actus pravos & peccaminoſos Deo tribuere horret animus, faceret enim Deum authorem peccati, ut Calvinus blaſphemat. In actibus autem virtuoſis Deus primos & indeliberatos voluntatis motus efficit, tum actus liberos voluntatis adjuvat, regit; corroborat eoſque ad ſtatum ſupernaturalem evehit: per actus indeliberatos in voluntatem ipſam agit, impreſſionem illam fovet cum voluntas cooperatur; itaque ut operatio voluntatis eſt ſupernaturalis tota eſt a Deo; quamvis ut libera eſt & vitalis, non ſit a Deo determinata nec ab ulla cauſa extrinſeca.

Itaque in actionibus liberis & naturalibus Deus proprie dicitur concurrere: exſpectat enim voluntatis determinationem: adeo ut concurſus & ſimultaneus & conſequens dici poſſit, quod voluntatis determinationem ſubſequatur. Sed in actibus qui vires naturæ ſuperant, Deus in ipſam voluntatem influit & operatur, eam prævenit, & facit ut operetur, ac voluntas magis cooperari cum Deo, & concurrere dicenda eſt, quam Deus cum voluntate. Motio illa & moralis & phyſica dici poteſt: quamvis non ſit prædeterminatio phyſica, ut Thomiſtæ eam intelligunt, quam cum libertate difficulter conciliare poſſumus, ut patebit ex dicendis.

SVBSECTIO IV.

Qua nitatur auctoritate Sententia Prædeterminantium, & qui loci potiſſimum ex Doct. Angelico pro ea allegari ſoleant.

XXXVII. Hanc ſententiam tenuiſſe S. Thomam, non ſolum maxima PP. Dominicanorum familiæ pars unanimiter & conſtanter tenet, ſed & plurimi aliorum Ordinum: quin & nonnulli ex Societate Jeſu; de quibus tamen facete P. Sebaſtianus Rhoer Ottopuranus, quondam Profeſſor Salisburgen. in ſuo Fato libero edito ibid. An. 1632. cap. 3. §. 7. dum quærunt, inquit, hac in parte de mente D. Angelici, non magis inter ſe, quam Horologia conveniunt. Quod ita oſtendit:

Lud. Molina in Concordia Diſp. 26. ſic ſcribit: D. Thomas 1. p. q. 105. art. 5. docet, "Deum duplici ratione dici operari cum cauſis ſecundis. Inprimis quia virtutes illis tribuit ad operandum, eaſque actu conſervat, ut dicebat Durandus. Deinde, quia ita eas ad agendum movet, ut quodammodo formas earum & virtutes earum applicet ad operationem, non ſecus atque artifex ſecurim applicat ad ſcindendum." Et mox infra. Ingenue fateor, mihi valde difficilem eſſe ad intelligendam motionem & applicationem hanc, quam D. Thomas in cauſis ſecundis exigit. Quamvis igitur poſtea ſic ſubjungat: Quidquid autem ſit de loco illo paulo ante citato, forte neque D. Thomas a nobis diſſentit. Cajetanus namque, qui modum loquendi D. Thomæ ſervat, ita ad hunc artic. 13. ſuam ac D. Thomæ ſententiam interpretatur, ut prorſus nobiſcum conſentiat.

Adamus Tannerus tom. 1. Diſp. 2. q. 11. dub. 1. n. 35. ad objectas pro prædeterminationibus e S. Thoma auctoritates: Reſpondetur, ait, nullum locum ex citatis habere difficultatem, præter illum qui refutatus eſt ex q. 3. de potentia, art. 7. ubi quidem concedimus S. Thomam videri poſſe eam tradidiſſe ſententiam (prædeterminationes affirmantem) ſed quem tamen merito exiſtimamus ab eo fuiſſe tacite ſaltem & implicite retractatam. 1. p. q. 105. art. 5.

XXXVIII. D. Thomam tenuiſſe prædeterminationes abſolute fatetur Card. Bellarm. Lib. 4. de lib. arbit. Collegium Conimbricenſe 2. phyſ. cap. 7. q. 13. art. 1. Pererius Lib. 8. de Cauſis, c. 8. Azorius Lib. 1. Inſtit. Moral. c. 21. q. 8. ubi hæc habet: "Octavo quæritur, an Deus, quando cum cauſa vel voluntate operatur, ipſam moveat & applicet ad agendum? S. Thomas aperte ſic ait: Deus non ſolum dat formas rebus, ſed etiam conſervat eas & applicat ad agendum, & eſt finis omnium actionum." Ibid. etiam 1. p. q. 105. art. 5. ad 3. "Deus, inquit S. Thom. non ſolum movet, & applicat formas rerum ad agendum, ut artifex, ſed etiam dat & conſervat." Et paulo infra, poſtquam retuliſſet Gabrielem, Ariminenſ. & Scotum negantes ejuſmodi influxum intermedium ſic ait: "Cæterum, mihi videtur veriſſima S. Thomæ ſententia; eam enim plane videtur S. Auguſt. tradere L. 3. de Trinit. cap. 3. 4. 5. & 6." Et aliquibus interjectis: "Ideo

"enim dici videtur causa secunda, quia movetur a pri-"ma, alioquin enim solum esset causa cum prima, sicut "cum simul duo trabem portant, ubi quia unus ad por-"tandum non movetur & applicatur ab altero, dici "non potest causa secunda alteri comparata, sed est si-"mul cum altero causa."

At vero Deus non sic agit cum causa secunda v. g. Deus & ignis lignum exurunt, non præcise tanquam duo navem trahentes, quod ex multis perspici potest &c. Idem Author Lib. 4. c. 22. q. 2. postquam retulisset sententiam illorum, qui negant Deum prædefinire opera etiam bona, subjungit: Pauci Juniores Theologi, fortassis ut voluntatem nostram liberam faciant, faciunt sacrilegam, dum negant Deum opera nostra bona præfinire.

Eodem fere modo loquitur Henriquez Lib. de fine hominis cap. 6. ubi inter alia ait: Non tam difficile est intelligere, ut quidam putant, quod salvo usu nostræ liberæ cooperationis, Deus temperans vim sui concursus efficaci auxilio moveat, tum physice ex parte potentiæ, tum moraliter ex parte objecti. Et cap. 24. ostendit sententiam Molinæ & Lessii, doctrinæ D. Augustini & S. Thomæ penitus repugnare.

Tametsi P. Petrus a S. Josepho Fulien. contestetur se summa cum diligentia & attentione evolvisse omnia D. Thomæ opera, dum edidit Libellum pro defensione S. Thomæ a physica prædeterminatione eum excusando: P. tamen Nicolai L. 2. q. 109. in Scholiis art. 1. cordate asseverat contrarium, ibi: Quam sponte cæcos esse oportet, qui physicam præmotionem S. Thomam non vident agnovisse!

XXXIX. Enim vero, ni fallor, in hoc tota consistit difficultas, & quod intellectum nostrum inquietat, quod non penetremus, nec ita modum illum divinum causandi actualem nostram libertatem explicare possimus, ut intellectui undequaque satisfiat. Sed quid mirum, cum multa quotidie cernamus oculis, quorum tamen rationem convincentem dare non valemus. v. gr. quomodo lux sit in aëre, non tamen ut in subjecto inhæsionis aut eductionis, nec tamen propterea negamus lucem, licet nesciamus accidens an substantia, corporea an incorporea?

Equidem litem hanc non fecerim meam: senserit S. Thomas quidquid voluerit, in ejus verba non juravi: quid mihi verosimilius in re ipsa videatur, inferius, salvo cujusque aliter sentientis judicio, aperiam. Claudo hanc subsectionem historiola curiosa, quam refert Illustrissimus D. Caramuel in Theol. fundam. thesi 5. notab. 4. In Universitate Viennensi Austriæ An. 1654. P. Herwart S. J. magni ingenii Doctor defendit iterum iterumque, *Esse possibilem qualitatem, quæ ex essentia sua physica & reali infallibilitatem, illæsa libertate induceret.* Fuit, inquit, Disputatio celebris, & quia jussus fui argumentari primo loco, unam aut alteram consequentiam subjiciam, sic dixi: Possibilis est qualitas, quæ ex essentia sua reali & physica infallibilitatem inducat, & humanam libertatem non lædat: ergo possibile est non dari Scientiam Mediam in Deo, ergo de facto non datur Scientia Media, ergo de facto dantur prædeterminationes physicæ, si non necessitantes in sensu composito, saltem infallibilitantes. Et denique sic concludit: quo attentius illam thesin considero, videtur mihi clarius subscribere sententiæ Thomistarum. Hæc Caramuel.

SUBSECTIO V.

Distinctio sensus Compositi & divisi RR. Thomistarum examinatur.

XL. Duplicem hujus distinctionis sensum exposui supra Subs. 2. num. ubi prædeterminationem suam referunt ad actum secundum, seu actuale exercitium libertatis, cum tamen actio ipsa denominetur libera, quatenus procedit a causa libera, qualis dicitur, quæ omnibus ad agendum requisitis instructa, omnibus impedimentis remotis in eo est indifferentiæ statu posita, ut semetipsam determinare possit ad alterutram partem; quare ista explicatio sensus compositi & actualis libertatis videtur noviter adinventa, & merum subterfugium difficultatis, dum premuntur quomodo præmotioni actualiter datæ voluntas queat resistere, dum confugiunt ad sensum divisum, hoc est ad potentiam resistendi, quæ nunquam est deducta nec in æternum deducenda in actum. Et sane non capio, quomodo Conc. Trid. sess. 6. pro se allegare audeant, cum PP. & Scriptura contestentur, liberum arbitrium motum efficaci motioni non solum posse resistere, si velit, sed etiam sæpissime restitisse, juxta illud, non dictum illusorie, sed vere, Isai. 65. 2. Tota die expandi manum meam ad populum non credentem, sed contradicentem mihi. Et Actor. 7. 51. Vos semper Spiritui Sancto resistitis. Et alibi in utroque Testamento sæpissime. Sed de hoc fusius infra.

Impræsentiarum tantummodo discutere animus est, num sensus modernorum Thomistarum distinctionis datæ congruat doctrinæ S. Thomæ.

XLI. Dicunt itaque: Potest voluntas a Deo mota, aliter operari in sensu diviso, non autem in sensu composito: si enim Deus movet voluntatem efficaciter, stante illa motione, non potest non velle. Attamen remanet illi possibilitas ad oppositum actum: sed quia duo actus oppositi, non possunt esse simul: idcirco non potest componi actus volendi bonum, quem Deus facit in nobis, cum actu volendi malum, quem Deus non facit, vel nolendi. Stat quidem posse contrarie, cum actu contrario, sed non actus contrarius cum actu contrario, nec posse cum non posse utriusque actus ejusdem.

Quod conantur declarare exemplo: Hæc propositio, homo præmotus ad amorem (adeoque actu amans) potest dissentire (non amare, aut odisse) debet explicari eodem modo, quo ista: Homo justus potest peccare, quæ in sensu composito est falsa, & in sensu diviso vera. Sensus autem compositus in hoc consistit, quod homo justus manens justus non potest peccare, id est non potest conjungere peccatum cum sua justitia. In quo etiam sensu intelligi debet illud 1. Joan. 3. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. Sensus vero divisus, quod homo habens gratiam, simul cum illa habet revera potentiam ad peccandum, quod peccatum si poneretur, destrueret gratiam, licet nunquam possit ponere simul hæc duo, nempe peccatum cum gratia conjungere. Idem cum proportione de efficaci Dei motione dicendum volunt: illa enim posita in voluntate, liberum arbitrium potest dissentire in sensu diviso, quia etiam prout stat sub tali motione, semper retinet potentiam proximam & expeditam ad dissen-

dissentiendum: sicut homo sub gratia constitutus, potentiam proximam habet ad peccandum: non tamen potest dissentire in sensu composito, quia cum talis motio & prædeterminatio inferat infallibiliter consensum (quem non præcedit tempore sed solum natura) nunquam potest componi præmotio cum dissensu, quam parum assensus cum dissensu, sicut nec gratia sanctificans cum peccato mortali. Ita RR. Thomistæ. Sed

XLII. Contra. Notandum quod nulla causa operatur, nisi adsit occasio, quæ motivum causæ ad causandum; & conditio, quæ est applicatio causæ ad causandum; & ideo sive a se determinentur, sive ab alio, habent occasionem & conditionem ab influentiis magnis, scilicet necessitate, fato & harmonia, per quæ Deus applicat causas: non enim calefacit calor, nisi applicetur calefactibili, vel calefactibile sibi, a rerum serie: unde non indocte Jesuitæ, ex hac exspectant multa Decreta Dei. Errant fortasse, quia per hoc non evadunt Decretum præcedens, neque necessitudinem actus ad quem concurrit Deus identice & immediate, non autem quia Deum subjiciunt secundis causis: quas enim Deus liberas fecit, propterea liberas dicimus, quia Deus voluit, ut sese ipsæ determinent ad actum, sive unum sive plures, & ut possint ab actu desistere, etiam in sensu composito: alioquin esset libertas nomine, non re: quidditas enim libertatis [ut ex professo trademus Tract. L. de Voluntario & libero] violatur a Decreto in causam, & a Decreto cum causa, cujus actus sit simultaneus cum actu prioris causæ, sine qua fieri nequeat.

Propterea nullus Philosophorum dixit, Deum prædeterminare causas liberas, quarum est facere quod in se est, sed quod est in alio; ut docte probat Alexand. in Opusc. de eo quod in nobis est. & S. Thom. 2. sent. Dist. 5. q. 1. quod implicat contradictionem, dicere, quod homo liber facit quod in se est, motus a Deo immediate efficaciter, vel naturaliter, vel per gratiam; naturaliter enim operatur absque novo influxu, ut dicit Opusc. 9. q. 38. supernaturaliter per novum influxum, sed cui potest resistere, etiam in sensu composito. Regula enim de possibili in sensu diviso & in sensu composito, valet in naturalibus tantum, non in arbitrariis, ut probat idem S. Thom. 2. dist. 23. Nam homo compositus cum habitu gratiæ potest prorumpere in actum malum, ut baptizatus post baptismum: non quia deseritur a Deo, qui non deserit, nisi desertus, ut August. & Conc. Trid. docent: at Chrysost. ait: Deus neque desertus (semper) deserit, sed sicut amatos deperiens amasiam currit post nos dicens: Revertere prævaricatrix meretrix, & ego recipiam te. Idem S. Thom. 3. contra Gent. 159. sed quia liber est, quando gratus est; & non sicut paries, quando niger est, non potest albus esse. Camp. P. II. p. 286.

XLIII. Ad demonstrandum itaque, quod voluntas mota a Deo ad actum bonum, seu ad malum, potest simul nolle illum actum quoad substantiam vel quoad modum, etiam dum actualiter movetur: Et quod illa potentia ad oppositum sit vana, & nunquam reperibilis secundum dogma ipsorum, oportet prius ex dictis S. Thomæ ostendere, quod homo existens in peccato potest vitare alia peccata de facto: & existens in gratia habitali efficaci de facto, potest deserere gratiam & peccare, ut post baptismum in baptizato, & in Adam, & Angelis, cum essent in gratia efficaci, mox peccantibus, palam fit in doctrina S. Thomæ. Ac ergo multo magis dum movetur per gratiam operantem, potest illam respicere, & de facto resistere: ergo non tenet se ex parte actus secundi, sed primi & potentiæ proximæ ad operandum.

Manifestum est quidem apud S. Thomam, quod gratia est quædam participatio divinitatis, qualificans intrinsecus essentiam animæ, quæ roborat potestativas vires, illuminat cognoscitivas & afficit volitivas erga bonum. Ex p. 2. q. 110. & 4. sent. Dist. 18. q. 1. Imo est quædam inchoatio gloriæ, ut dicit 2. 2. q. 24. art. 3. Ex quo infertur, quod si homo existens in gratia habituali, quæ est amicitia Dei & copula illius, & inchoatio gloriæ potest de facto peccare, & facere actum gratiæ contrarium, & gratiam in sua anima regnantem abjicere: igitur multo magis, quando illi offertur gratia habitualis per auxilium existens, quod est etiam gratia nondum radicata & informans, sed solum movens, potest resistere gratiæ, ne radicetur in se, & peccare de facto, & actum gratiæ contrarium facere. Philosophorum enim dogma est & D. Thomæ, quod forma facilius ejicitur de subjecto, quando incipit imprimi, quam quando jam impressa est. Hoc considerans S. Thom. docet quod non valet regula de sensu composito & diviso in voluntariis, sed solum in naturalibus. Calidus enim paries non potest esse frigidus, seu frigefacere: sed homo virtuosus potest vitiose operari: & econtra. Quapropter in 2. dist. 29. q. 1. a. 2. docet, quod in sensu composito liberum arbitrium potest facere actum contrarium habitui. Ergo multo magis dispositioni. Gratia enim habitualis dicitur, quæ inhæret & cooperatur: dispositiva, quæ excitat, movet, & operatur. Et hoc non implicat contradictionem, ut putant Prædeterminatores. Nam actus ut egreditur a sola voluntate, non est idem cum actu, ut egreditur simul a gratia movente. Potest enim gratia trahere sursum, & voluntas deorsum simul, ut patet in tentationibus. Propterea cum formasset S. Thom. argumentum 4. sic: "Gratia, quantum in se est, promovet hominem ad Deum. Cum igitur in homine ante statum peccati nihil esset trahens ipsum inferius, videtur quod si gratiam habuisset Adam, quod nunquam peccavisset. Peccavit autem. Igitur gratiam non habuit. Deinde respondent ad 4. sic: Dicendum quod in illis quæ agunt necessitate naturæ, oportet quod agens de necessitate agat secundum exigentiam formæ, quæ in ipso est, ut per caliditatem calefaciat. Hoc autem in voluntariis non tenet: unde etiamsi homo gratiam habuerit, nihilominus potest in contrarium actum transire." In quibus verbis fortissime ostendit, quod etiam in natura integra, nedum in corrupta, qualis nunc est homo gratia informatus, potest etiam de facto facere opus ingratum, ut fecit Adam & Angelus, qui in fine primi instantis, quando gratia plenus erat, relicta gratia ac præmio merito ex primo actu bono, peccavit, ut docet D. Thom. 1. p. q. 63. Sensus compositus autem erat in Adam & in Lucifero, sicut compositus paries cum albedine e contrario non potest nigrescere, aut lignum calidum frigefacere.

Quapropter mirum, quomodo audeant Thomistæ contra D. Thomam, & contra Conc. Trident. dicere, quod non potest homo excitatus a gratia dissentire, cum etiam informatus gratia gratiæ dissentiat apud D. Thomam. Et qui trahitur sursum ab alio, sicut ho-

mo a gratia, potest deorsum simul sese impellere absque violatione regulæ contradictoriorum, quæ est affirmatio & negatio ejusdem de eodem secundum idem, & in eodem. Cum autem moventi gratiæ ad bonum, voluntas resistit per motum alium ad malum; palam est quod actus contrarii, videlicet ad bonum & ad malum, non sunt ejusdem voluntatis elective, neque secundum idem, id est eandem formam aut partem: Nam & febricitans simul vult frigidam ad extinguendum febrilem ardorem; & simul non vult ne nativus calor extinguatur. Et adulter vult adulterium propter voluptatem, & non vult propter peccatum annexum. Deus vero movet voluntates, se illis attemperando, non autem illas prorsus mutando regulariter, ne temeraret libertatem, sicut ait Chrysostomus & Ambrosius, nec determinando ad unum solum actum, ita ut tunc non possit in alium a seipsis ferri, sicut determinantur a fine unico, quem simul non possunt nolle.

XLIV. Præterea idem S. Thomas in 2. dist. 28. q. 1. art. 2. hoc format argumentum 4. "Homo habens "pedem claudum non potest ambulare, nisi claudi- "cando: sed peccatum est sicut quædam curvitas vo- "luntatis: ergo homo in statu peccati existens non "potest non peccare.„ Hoc argumentum esset insolubile, si valeret regula de sensu composito in voluntariis, sicut in naturalibus, ut patet in exemplo claudi & calidi &c. Sed D. Thomas respondet: "Ad 4. di- "cendum, quod ratio illa tenet in iis, quæ agunt per "necessitatem naturæ, in quibus de necessitate sequi- "tur operatio secundum exigentiam perfectionis, & "defectum operantis: non autem tenet in volunta- "riis. Quia homo habens virtutem, potest non uti "virtute, sed in contrarium usum exire: & similiter "habens habitum vitiosum, potest non uti habitu "illo.„ Doctissime quidem, & ex naturæ decretis & experimentis ostendit S. Thomas regulam non tenere in voluntariis, sed solum in naturalibus; videlicet, nec vitio moventi ad peccandum, nec virtuti aut gratiæ ad benefaciendum in sensu composito, ita inhærere voluntatem, quod repugnare non possit de facto, sicut vitio naturali cogitur claudicare, & tibia non vitiata recte incedere, nisi voluntarie claudicet joculando, ut ibi addit.

XLV. "Præterea toto jam citato articulo probat, "quod homo in peccato existens potest non peccare, "& resurgere a peccato, propter libertatem arbitrii, si "faciat quod in se est, vel non præstet novum impe- "dimentum gratiæ, ut docet 3. contra Gent. 159. "Nam etsi non est in suo potestate habere gratiam, "quoniam supra naturam est: tamen est in sua pote- "state, quod naturale est, impedimentum ponere, & "non ponere. Gratia enim omnibus datur ab eo, "qui vult omnes salvos facere, & illuminare omnem "hominem venientem in hunc mundum.„ Et quidem in hoc loco S. Thom. loquitur de auxilio actu movente, cui plurimi resistunt. Porro gratia existens seo operans non distinguitur a cooperante & inhærente ex p. 2. q. III. art. 2. ad 4. & 2. dist. 26. q. 1. art. 5. ad 4.

XLVI. Iterum in 1. sent. dist. 47. q. 1. art. 2. ad 4 docet, quod Deus non movet ita efficaciter unquam, ut homo non possit resistere in sensu composito; ait enim: "Deus non debet ligare homines ne peccent, "sed salva libertate prohibet peccata.„ Ergo, inquam, non movet ad actus pios ita efficaciter; & multo minus ad impios, quos vere non operatur, ut dicit in corp. art. nisi quando vult mutare voluntatem, & tunc non est meritum &c.

Et hæc doctrina conformis est S. Scripturæ. Dicitur enim Act. 7. Vos semper Spiritui sancto restitistis. & Matth. 3. Quoties volui congregare filios &c. & noluistis? Nunquid iis verbis Deus nos deludit, ita ut possimus dicere, tu es in culpa, quoniam non congregas efficaciter, sed solum sufficienter, ut non veniamus ad te; sed solum possimus: & tamen dicis te dare affluenter; improperasque quod non facis. Ista ne dicenda sufficientia, quæ nullum unquam movit ad bonum? Apage medicinam, quæ nulli unquam profuit ad sanitatem. Tenendum omnino cum S. Thom. omnem gratiam ex parte Dei efficacem esse ad id, propter quod datur: sed ex parte hominis dissentientis, aut non cooperantis fieri inefficacem, & eandem esse sufficientem & efficacem entitative. Si enim sola gratia salvaret, omnes salvarentur, quia omnibus datur efficax: sed non omnes salvantur, ergo requiritur nostra libertas, per quam sortitur gratia effectum vel non, ait S. Chrysost. videatur Th. Campanella opusc. de prædest. cap. 7. art. 5. sed hæc relinquimus Theologis.

XLVII. Præterea in Conc. Trid. sess. 6. determinatur contra Lutherum, qui dicebat nos moveri efficaciter a Deo, ita ut dissentire in sensu composito non possimus (quem sensum recte ad mentem Tridentini ceperunt Suarez. Vasq. Lessius & alii Doctores sup. cit. quod videlicet potest homo dissentire auxilio moventi, si velit. Quod si tu negas in sensu composito nos posse dissentire, imo sæpius de facto dissentire, ergo inquam nihil determinatum est contra Lutherum. Quippe Lutherus non fuit tam bardus, ut contenderet actum amoris stare posse cum odio, aut contradictoria simul verificari; aut negarit simultatem potentiæ ad utrumque eo sensu, quo tu sumis sensum compositum, sed in sensu composito, cum scilicet Deus movet, non in diviso, cum non movet, asserebat: quod Deus movet hominis voluntatem efficaciter ad omnem actum, sive pium sive impium, ita ut stante motione ineluctabiliter homo determinetur ad illum unicum actum, ad quem impellitur, id quod hæreticum declarant PP. Quapropter juxta tuam explicationem non datur differentia per te inter Trident. sic intellectum, & inter Lutherum. Nam cum tu negas per hanc motionem in sensu composito tolli libertatem, & Lutherus affirmat, nihil ad disputationem & dogma. Tu enim vocas liberum, quod ille servum: utrique tamen dicitis, quod semper efficaciter a Deo impellitur homo ad quoslibet actus & singulos. Ergo verum est, quod non potest ad actum contrarium homo se determinare: quoniam nunquam potest determinari, nisi a Deo efficaciter movente, sicut neque instrumentum inanime, actum alium ab eo, ad quem movetur ab agente, potest active, sed passive tantum: quoniam non potest se movere, sed moveri: vel nisi moveatur efficaciter a Deo, & ita ad singulos alios, ad quos de se nullo pacto potest, ergo semper & ubique a Deo efficaciter movemur. Vnde ergo scis te esse liberum? Non quia potes te movere, cum nunquam te moveris, nisi moturus sis temetipsum, nisi motus a Deo efficaciter, ita ut resistere revera non possis, sicut moventur bruta, illa

etiam

etiam possunt in sensu diviso id quod tu. Verbo, non tangis statum quæstionis inter Lutherum & Trident. qui versabatur de libertate in actu primo proximo causæ secundæ ut jam substante motioni divinæ, an pro tunc possit exire in actum secundum libere, hoc est ad alterutrum quem vellet, an vero ineluctabiliter ad illum solum, adquem supponitur præmota? Non autem quærebatur an de facto v. gr. amans retineat potentiam ad non amandum, aut ad odium, quæ potentia nunquam ullo in casu redigibilis esset in actum: non secus ac vinculis constrictus habet potentiam ambulandi in sensu diviso, sed vanam & vocetenus solummodo. Verum de hoc argumento redibit sermo inferius.

XLVIII. Nec juvat dicere quod volens movearis a Deo, ideoque sis liber. Nam & canis movetur volens, & tamen non est liber; & homo movetur a fine etiam volens, & maxime, nec ad hoc est liber ut docet sapienter D. Thomas in 2. Dist. 25. q. 1. a. 2. Nam compellitur ait a fine, nedum impellitur ad volendum se. Nec omne voluntarium stricte loquendo liberum est, ut demonstrabimus suo loco.

Cum autem ait Apost. ad Rom. 9. voluntati ejus quis resistit? & Hester & alibi &c. intelligitur da voluntate executiva aut permissiva, non de impulsiva ad volendum, ut recte docet S. Thom. I. dist. 47. q. 1. a. 1. & 2. & 3. Nam ut ait in 2. ad 4 Deus non debet ligare homines ne peccent, sed salva libertate. Attamen si Deus vult facere aliquid, nemo potest impedire: sed si vult voluntatem movere libere, utique potest resistere, ut sæpe sacra scriptura docet: vel si mutat voluntatem (prout prædeterminatio Thomistica facit) non erit actus liber, nec meritorius.

Denique frustra opponunt Elogia Gratiæ efficacis a S. Augustino illi tributa, dum eam vocat *omnipotentissimam*, *invictissimam*, *indeclinabilem* &c. Ipsemet enim verborum suorum interpres optimus disertis verbis mentem suam explicuit, quamplurimis testimoniis apud Emin. Card. Sfondrati in Nodo Prædest. Parte 1. §. 4. pag. 205. Dum vocat eam *omnipotentem*, non eo sensu, quem Gonet aliique obtendunt; sed quia omnia potest: *invincibilem*, quia omnia vincit; *indeclinabilem*, quia omnia superat: *triumphatricem*, quia omnia expugnat.

Multis autem modis Voluntatem citra physicam prædeterminationem reddi physice potentem, ostendemus in Tract. L. de Voluntario & libero.

Probatum ergo sufficienter manet in doctrina S. Thomæ quod in voluntariis non valet distinctio de sensu diviso & composito. Et quod si valeret, non prodesset in præsenti controversia: quoniam nunquam est reperibilis voluntas vella divisim seorsumve a movente efficaciter ad velle. Restat ut nostram opinionem promamus.

SUBSECTIO VI.

Nostra sententia statuitur.

XLIX. Assertum primum. Si Deus prædeterminaret in particulari omnes actus & effectus omnium causarum, periret libertas, & contingentia, & error. Item si ageret in causas & cum causis immediate immediatione suppositi, nedum virtutis & efficaciter, ut ajunt, tunc multo magis periret contingentia & libertas, & error omnis: quoniam effectus omnis esset bonus similis Deo causæ bonæ efficaciter volenti & operanti bonum. Sed nos experimur in nobis nimiam libertatem & contingentiam in naturalibus & in moralibus, & errores cum fiunt Monstra, cadunt flores, cervus abutitur asino, homo cadit ab equo, delirat, blasphemat, se facit Deum & idololatram, ergo nec Deus prædeterminat actus in particulari, ut sic, nunc, & propter hoc fiant, sed in universali, ut fiant bene. Nec concurrit efficaciter & immediate, ita ut particularizet & modificet causas & effectus, sed in universali, ita ut ejus actio modificetur a causis particularibus, quibus assimilantur potius quam Deo, ut optime concludit S. Thomas: & propterea defectus & error est a causis secundis immadiate attingentibus, non a prima immediate causante, nec ab assistente mundi anima, vel ab intelligentiis executoribus, licet minus belle agant quam Deus: sed a proximarum causarum activarum, & passivarum excessu, vel defectu vel depravatione.

L. Prædeterminationem ante exploratam voluntatem tollere libertatem omnino, Anselmus & D. Thomas & omnes PP. docuere, nedum Arist. & Plato & Alex. & Stoicorum schola: cum autem Thomistæ dicunt, non tolli libertatem, quoniam Deus movet attemperando se causis secundis, ita ut libere cum liberis causis, & contingenter cum contingentibus, necessario cum necessariis agat, dicente D. Thoma, quod tanta est efficacia divinæ voluntatis, ut res succedant libere, & contingenter & necessario, sicut ipse prædeterminavit, quamvis ab ipso moveantur, ita ut non posit aliter evenire atque ipse præscripsit æternaliter & præmovet temporaliter. Attamen hoc contra veritatem dicitur, quod enim non potest non evenire, necesse est evenire: igitur si omnia eveniunt ex decreto Dei ante, impossibile est aliter evenire. Vnde S. Thom. alibi docet, quod Deus non præscit, nec prævidet, nec præmovet, quoniam futura illi sunt præsentia, sed scit, providet & movet. Quid enim est præscientia, nisi scientia futurorum? quid autem futurum est Deo, qui omnia supergreditur tempora. S. August. L. 2. ad Simplician. q. 2. Idem dicit S. Anselm. L. de casu Diaboli c. 21. Deo non competit proprie præscientia, cui enim omnia semper sunt præsentia, non habet futurorum præscientiam, sed præsentiam. Item si Deus præmoveret, inevitabiliter res evenirent, ergo necessario, nec enim Deus vitare posset. Quando autem dicit S. Thom. quod eveniunt non ex natura causarum liberarum & contingentium & necessariarum, sed ex voluntate Dei efficaci, ut sint sic, & fiant sic, tollit causalitates ut independentes a Deo, non autem per se immediate operantes influxu Dei moventis ad bonum, & decernentis diversos causarum modos: Nam Deus dedit causas, necessarias, liberas & contingentes: non autem sunt aut fuerunt per se tales; & Decretum efficax Dei est non super effectum, alioquin omnes essent necessario & boni, sed super causas, ut videlicet istæ agant necessario, illæ contingenter, hoc est impedibiliter, illæ libere, quæ a se se determinant; aliæ serviliter, quia determinantur ab aliis. Hinc est quod multa eveniunt præter voluntatem Dei antecedentem & consequentem, ut peccata: multa vero præter antecedentem tantum, ut pœnæ. Item etsi non præcedat Decretum, cum Deus agat in causas, & cum causis eodem actu, non essent liberæ dum agunt, sed antea dum deliberant.

LI. Iesuitæ

LI. Iesuitæ tamen, ut servent libertatem, docent Deum ponere voluntates in certa rerum serie: unde explorat per Scientiam, ut vocant, Mediam ad quid se inclinabunt, & inde decernit concurrere ad illarum actus, non prædeterminando eos, sed præposterminando. Sed per hoc salvant omnino libertatem, tum quia nec Decretum antecedens emovent (cur enim Deus ponit magis in hoc ordine & rerum serie Petrum, in quo scis consensurum vel dissensurum, non potest aliunde esse, nisi quia sic decrevit?) tum quia nec præconsequens, dum enim concurrit cum Petro Deus ad actum, non potest Petrus desistere ab actu, nisi prius Deus desistat, si idem actus eademque causatio est utriusque. Negat autem hoc D. Thomas & ratio: alioquin non peccaret homo, cum Deus secundum hominis malam voluntatem ita coagit ut non possit homo non agere. Præterea, illa volitio prævisa est actus, ergo a Deo immediate coagendo. Si dicis, est inclinatio: ergo, inquam, a Deo inclinante. Si dicis Deum non inclinare, tunc nunquam voluntas a serie determinabilis erit. Si dicis, Deum indifferenti Decreto velle, ut si homo se inclinabit ad actum pium, vel ad ipsum, ipse concurrit, non poterit Deus certus esse quod in tali serie positus pie vel impie aget, ergo incerta erit dispositio suæ providentiæ; nam series non determinat necessario, ergo nec pro certo ad hunc actum: sin vero dicis, determinat. Ergo homo a Fato, non a se determinatur, ergo non est liber. Addunt Prædestinantes non esse possibile, quod voluntas Dei ad decernendum moveatur a rebus, sese absque Deo moventibus & inclinantibus, sed in omnibus præcedat ea prior ante quam non est alia, cujus voluntas non est ab objectis externis, sed a se sola moveri potest.

LII. Sed revera isti non concludunt. Nam ipsimet ajunt, quod si homo non peccaret, non damnaretur a Deo, ergo Deus movetur ad damnandum ex aliqua occasione externa scilicet peccati. Imo si Adam non peccasset, Deus incarnatus non fuisset, juxta D. Thomæ, S. Gregorii & August. & istorum sententiam, ergo datur aliquod motivum occasionale, non causale, extrinsecum divinæ voluntatis: nisi cum Calvino sentiamus Deum decrevisse peccatum & poenam, non habito respectu ad motiva exteriora, sed quia ita sibi placuit: At si hoc verum est, perit libertas & contingentia, & lex & conditiones rerum: non enim potes dicere, si hodie pluit, terra madescet: nam decretum tollit omnem conditionem secundum se, licet nobis operantibus conditionaliter secus appareat. Hoc sic esse omnes Legislatores conveniunt & Philosophi, tota natura & Politica omnis: imo si non sic esset res, omnis consequeretur suum finem, quem appetit, non enim decerneret Deus ut appetat, nisi explere etiam vellet appetitum. Sic etiam dixit Chrysost. Si sola Dei gratia & voluntate salvamur, ergo omnes salvamur, quia Deus vult omnes salvos fieri. Et in lib. de Fato ait, non diceret recte per Isaiam Deus: si audieritis me, bona terræ comedetis: si non audieritis, gladius devorabit vos, sed sic: sive audieritis, sive non audieritis, gladius devorabit vos, vel, bona terræ comedetis. Frustra quoque diceret Deus, Convertimini ad me, si ipse inevitabiliter nos convertit: & frustra diceret, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur: &, si ingemuerit peccator, si ipse non decreverat illos convertere decreto conditionato, sed absoluto.

Quapropter cum dicit S. Thomas quod non datur divinæ voluntatis motivum, intelligendum est de motivo causali & voluntatis antecedentis necessariam volitionem, non autem de occasionali & subsequentis. Item dicimus quod Deus vult primos effectus absque motivo exteriori, ut idem D. Thom. docet 1. p. q. 14. 5. sed faciendi secundos etiam ex causarum secundarum causatione, occasionem accipit. Occasiones autem suos etiam a voluntate antecedenti permittente ut agant, sicut volunt.

LIII. Notandum quod nulla causa operatur, nisi adsit occasio, quæ motivum causæ ad causandum, & conditio, quæ est applicatio causæ ad causandum: & ideo, sive a se determinentur, sive ab alio, habent occasionem & conditionem ab Influentiis magnis, scilicet Necessitate, Fato & Harmonia, per quæ Deus applicat causas: non enim calefacit calor, nisi applicetur calefactibili, vel calefactibile sibi, a rerum serie. Vnde non indocte, ut supra diximus, Subsect. 5. Jesuitæ ex hac expectant multa Decreta Dei. vide ibi.

In quo autem Deus videat futura contingentia & libera, dispiciemus in Tract. de propositionibus &c. & in Tract. XXV. de Fato.

Si credimus Campanellæ P. SS. Metap. p. 286. nullus Philosophus dixit, quod actio secundæ causæ sit simul actio primæ, nisi qui faciunt Deum animam Mundi, & partium omnium, & hominis simul, sicut veluti manus mea est ab anima mea & corpore simul, sic omnis actus sit a Deo & a creatura, quod fortasse Varro dixit; sed nec iste ausus est dicere actum peccaminosum fieri a Deo & a nobis simul immediate; nec enim vermis in ventre hominis natus operatur ex homine, sed propria anima. Solus Mahomet & Calvinus faciunt Deum Causam immediatam actus pii & impii ex Decreto æterno. D. Thomas autem non decernit æternaliter actus peccaminosos, neque novo decreto concursus Dei immediate, nec cooperatione immediata, nisi prout τὸ *immediate* sumitur pro *immediatione principiationis*, quoniam non habet causam priorem moventem ipsum ad causandum: sicut nec syllogismis principium immediatum: non autem pro *immediatione attingentiæ*, ut expresse monet in 3. contra gent. 70. & alibi probat, quod ad actus genere suo malos Deus non potest concurrere, ut quando homo odit Deum, vel blasphemat, quidquid sit de actu, qui potest esse bonus & malus, ut acceptio rei alienæ invito Domino.

Cum autem dicunt, Deum concurrere ad actum etiam immediatione attingentiæ, non autem ad deformitatem ex se, falluntur: actus enim malus inseparabilis a deformitate fieret magis a Deo, qui est causa principalis, quam ab homine. Item cum sit aversio a Deo, ipse Deus averteret se a se, ut arguit August. & Thomas. Præterea nec homo habet pro objecto deformitatem, sed bonum utile vel delectabile cum actu peccaminoso, ergo nec homo peccaret. Peccat autem quoniam facit id, quod non potest esse sine culpa, ergo magis peccat Deus qui plus facit quam homo: imo facit ut faciat homo, id quod non potest esse sine culpa: & quia homo non vult actum ut peccaminosum, sed ut bonum, Deus autem vult ut malum, quo possit ostendere iram suam, ut quidam dicunt male interpretando Apostolum: sequitur quod in actu peccaminoso Deus sit causa volens mali, homo vero boni. Vide impietatem! [illegible]

LIV. Præ-

LIV. Præterea ait Campan. Vidi cervum abuti asello contra naturam: quis autem diceret a Deo impulsum, & eandem actionem facientem? Item facile innotescit ex ratione causationis universalis & particularis. Nom enim cum floret herba, dicimus sol floret, sed dat herbæ vires ut floreat, id est calorem trahentem, spiritum & veporem, & succum plantæ ad fastigia plantæ ubi vertitur in florem: sic etiam ait Augustinus, quod homo facit aliquid, quia Deus dat illi vires efficaces, ut faciat: non quia facit ipse formaliter, non enim Deus calefacit, sed ignis; neque Deus manducat, sed homo, neque generat hominem neque florem, neque quidpiam facit particulariter, & tamen plus influit quam causa secunda. Vnde S. Thom. ait quod effectus plus conformatur Deo quoad virtutem; & plus particulari agenti quam Deo, quoad formam & naturam, & utraque causa est immediata, ut dicebat 3. contra Gent. illa principiatione, ista attingentia: dicitur tamen Deus operari, quatenus dat & conservat formas, & applicat ad opus, quæ formæ sunt intimæ rebus, ideo dicitur Deus intime operari, ut docet S. Thom. 1. p. q. 105. art. 5. & quia intimius & prius, & universalius est esse, quod dat Deus, quam hoc esse, id est quam esse calidum, & esse hominem: propterea dicitur Deus intime opetari, & magis, non modo cum in fieri est, sed in facto esse: sicut sol generat plantam, & generatam conservat, mortua planta generatrice.

LV. Cum autem ajunt, quod modificatio est entitas, ergo a Deo. Respondetur quod est entitatis restrictio ad hoc ipsa modificatio, & quia restrictio entis est per nihilitatis participium: propterea non debet tribui Deo, cui nulla entitas deest, & nulla nihilitas inest, nisi in quantum Deus utitur nihilo tanquam ente ad distinguendum & modificandum: sed est proprie & formaliter eb hoc ente, id est a causa secunda ut finita. Deus autem infinitus non potest dare finitudines, nisi utendo nihilitate.

Item cum arguitur, quod causa secunda de se est indeterminata, ideo indiget determinatore. Resp. quod causa secunda determinatur a Deo, ut fine, & bono, cujus gratia omnia agunt: non autem ut hoc bono. Et propterea ait Mirificus Thomas, quod circa finem determinatur a Deo, id est universaliter in bonum, circa medie vero a seipsa determinatur voluntas eligendo hoc vel illud, sic vel aliter; & ideo erga finem non datur liberum arbitrium, sed tantum erga media. At quoniam qui eligit hoc bonum, eligit simul bonum, ut qui videt Petrum hominem, videt hominem: propterea dicitur Deus determinare ad media, ut bona, non ut hæc a divino Doctore.

LVI. Assertum 2. Deus voluntatem liberam nullo modo prædeterminat nisi ed volendum bonum in communi, non eutem ad malum. Si vero ed actus pios certos & singulares aliquando inclinat, illa inclinatio moralis est, non autem causativa, nisi finali & objectiva causetione, non vero active; hæc enim tollit libertatem, nisi simul possit dissentire voluntas. Ad malas autem seu peccaminosas operationes censemus non moveri voluntatem impellendo, id est egendo in causas, sed solum eum causis. Vnde S. Thom. in 2. dist. 25. q. 1. a. 1. ad 3. dixit: "Deus agit in natura- "libus, sicut ministrans virtutem agendi, & sicut de- "terminans naturam ad talem actionem: in libero autem arbitrio hoc modo agit, ut virtutem agendi sibi ministret, & ipso operante liberum arbitrium agat. Sed tamen determinatio actionis, & finis in potestate liberi arbitrii constituitur; unde remanet sibi dominium sui actus, non autem sicut primo agenti." Quibus verbis videtur etiam ad actus pios negare impulsum particularem, licet non universalem, ut melius declarat 1. p. q. 105. ubi ad actum peccaminosum negat prædeterminationem & impulsum. Præterea in eod. art. 1. & q. 1. in 2. sent. dist. 25. per totum probat, quod causæ quarum actus prædeterminantur a prioribus causis, non possunt esse liberæ, cum vadunt ad finem, etiamsi sponte; sed aliunde impulsæ, ut lapides & bruta, quia non cognoscunt finem, nec ordinem mediorum ad finem sicut homo, ut etiam docet p. 2. q. 1. ideo nec a seipsis ducuntur, nec a seipsis determinantur. Quapropter miror eos, qui ad actum peccaminosum Deum agere cum causa & in causam volunt. Esto enim quod in actum, qui potest esse bonus & malus (quale est homicidium, furtum & coitus) juxta intentionem occidentis ex odio, vel ex justitia, Deus præcauset, sicut cum excitat Pharaonem; in actum tamen qui non potest esse nisi malus, non videtur Deus agere præcausando, qualis est blasphemia, odium Dei & mentiri qua mendacium est, & edulterari qua adulterium est, sicut nec vis motiva claudicat, qua motus est cleudicatio.

Probatur autem, quod Deus non agit in causam peccantem. 1. Ex Eccl. 15. *Non dicas, per Deum abest*, scilicet quominus benefaciamus, ergo non ex defectu auxilii, ut quidam dicunt. *Nec dicas, ille me implanavit*, ergo, inquam Deus in actum peccaminosum non concurrit agendo in ceusam, hoc enim est impellere & implanare. Iterum Iacobi 1. *Nemo cum tentatur dicat, quoniam a Deo tentatur; Deus enim intentator malorum est. Tentatur enim a sua concupiscentia abstractus & illectus*, quoniam concupiscentia abstrehit a vero bono, & illicit ad apparens bonum. *Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum. Peccatum autem ubi consummatum fuerit, generat mortem.* Ex quibus verbis perfecte probatur hominem instigari ad actum, ut actus est, a concupiscentia. Non enim concupiscens intendit peccatum, sed voluptatem. Item non instigari a Deo ad actum malum peccaminosumque, qui est intentator malorum. Est enim peccaminosus post concipientis & prægnantis voluntatis partum; sed juxta sententiam Iacobi Apost nec ipsa tentatio, quæ est impulsus ad malum, nec conceptio ex illo impulsu; ergo nec prægnatio a Deo. Verbo, Deus nec per se, nec per eccidens vult malum, nec ut ordinatur ad bonum: si autem Deus ageret in causam peccantem, tunc ipse vere tentaret & implanaret, saltem per accidens: non solum tentatione experimentativa, ut fecit in Abraham, sed provocativa ad malum, qualis fuit tentatio Diaboli in Evam.

LVII. Fit enim multipliciter tentatio (ut ipse docet 1. p. q. 114. 2. & 2. 2. q. 71. art. 1. & 2. sent. d. 21. q. 1. verbis, factis, eperte, occulte, expresse & interpretative. Tentatio quidem ad provocandum ad culpam, semper est peccatum in tentante, non eutem similiter in tentato, ut docet 1. p. q. 18. 5. ad 3. & 2. ad 21. q. 1. ad 2. Sed Deus egens in causam peccantem, implanat ad peccetum consimiliter: imo magis quam Diabolus, aut caro eut mundus, quos ponit

S.Thomas tentatores. Isti enim tentant suggerendo & inclinando; Deus autem etiam agendo efficaciter, ut volunt prædeterminatores: imo ab æterno decreto prædeterminante ante prævisionem meritorum, ut possit punire & ostendere suam terribilem potentiam, ut ajunt.

Sed respondent, quod Deus tentat implanatque ad actum ut actus est, non autem ut peccaminosus est & culpabilis. Sed contradicunt sibi ipsis, nam ut docent, primo Deus ab æterno decrevit, Petrum hodie, postquam baptizatus Dei amicus factus est instar Davidis, nullius culpæ particeps redditus, unde a Deo deseri mereatur, derelinqui, sive negative sive privative, quia sic a Deo æternaliter decretum est, quod decretum nec Deus ipse vitare potest postquam factum est. Ac præterea positum in tentatione libidinosa ac pugnantem contra suggestionem, Deus nun modo deserit, sed etiam objectum movens ei præbet efficaciter: non enim appeteret caro, nisi ad appetendum a Deo efficaciter applicaretur: ac simul Deus movet Diabolum ad volendum tentare, & juvat efficaciter actiones Diaboli suggestivas culpæ, quas non potest Diabolus facere, nisi a Deo motus efficaciter: simul quoque movet voluntatem Petri efficaciter ad hanc volitionem adulterii prædestinatam æternaliter, & in tempore efficaciter, non modo suggestam, sed factam ab ipso Deo. Tunc quæro, si acceptat homo adulterium in ratione actus, sive in ratione adulterii: nonne etiam ista acceptatio est a Deo, qui per te hanc acceptationem prædeterminat, & facit efficaciter sub ratione adulterii & quæcunque ratione ab homine acceptatur & fit? Ergo Deus longe magis ac verius peccat, quam homo; vel si non peccat ipse, nec homo, cum malum non modo præter intentionem ejus, sed etiam præter viam, ut ait Dion. cit. a S. Thoma de Malo q. 1. art. 3. ad 14. Ergo peccatum non constat re, sed opinione ut dicunt Libertini per rectam consequentiam, si taliter est a Deo.

Quod si dicas, hominem sua libertate acceptare peccatum: sequitur quod non prædeterminatur a Deo in causam agente ut velit & acceptet. Ergo si ad actum acceptationis non movetur a Deo efficaciter voluntas, ergo neque indiget ad alios liberos actus præfata motione efficaci. Et profecto nec homo ad peccatum ut peccatum est se confert, sed ut actus bonus est aliqua bonitate. Et qui tentat, ad bonum implanat, non enim ad malum ut malum suaderi quis potest: nec tentans concupiscentia suadet malum, sed voluptatem. Et homo & Deus sic substantiam actus ut bonam curant, ergo multo meliori ratione non peccat homo quam Deus. Et si peccat, plus peccat Deus movendo efficaciter ad actum non separabilem a peccato.

LVIII. Propterea notandum, quod quamvis D. Thomas opinetur aliquando Deum esse causam actus peccaminosi quoad substantiam, non quoad deformitatem. Attamen ut pluries docet præsertim in 1. sent. dist. 47. q. 1. art. 4. ad illum actum a quo non potest separari malitia, nec est ordinabilis in finem, ut odium Dei & blasphemia, non præmovet, sed dat solum esse & potentiam agendi physice ut docet de Malo q. 3. a. 2. ad 2. peccata quidem in moralitate, non in naturalitate consistunt. Acceptio rei alienæ quæ est furtum, potest esse moraliter bona & mala; At blasphemia & Dei odium, non nisi mala moraliter. Et propterea ad blasphemiam non determinari a Deo hominis voluntatem, nec implanari, nec tentari putandum est. Vnde in 2. dist. 37. q. 2. a. 2. docet, Deum nec operari, nec cooperari ad actum malum, sed cooperari tantum ad actum, quatenus dat illi substantiam, non prædeterminando, ut in d. 25. q. 1. quam hic allegat, declaraverat. Dat ergo velle, sed non velle hoc malum, Deo vel proximo: sicut vis motiva dat gressum tibiæ, sed non hunc gressum claudicantem, qui prædeterminatur a fractura tibiæ, non a vi motiva, quæ non movet ad hunc actum vitiosum & claudicosum sed rectum.

Imo adeo falsa est prædeterminatio, quæ prærequirit actionem in causam, ut etiam in bonum negetur a D. Thoma p. 2. q. 9. art. 1. ad 3. ubi ait, quod Deus movet ad bonum, sed non ad hoc bonum; multo minus ergo prædeterminat hoc malum; & ad hoc quod malum, quod solum permittit, non ut malum, sed ut liberum arbitrium agat secundum sui naturam, sicuti & res alias, unde malum physicum & morale subsequi solent.

Nec quia Deus est causa totalis, ideo etiam determinat malum sic, ut liberum arbitrium determinet. Nam Deus divisus non est, ut simul faciat, & vetet idem: & a se repellat per aversionem, quos ad se vocat per conversionem ac proinde ipse a se avertatur dum determinat aversionem voluntatum a se. Imo (& hoc nulli non suadeat) quod sicuti Deus non potest manducare, neque mingere, quoniam isti actus dicunt determinatas particularitates actionum mixtas cum imperfectionibus, sed tamen dat facultatem & instrumenta ad manducandum & mingendum, ut docet D. Thom. de Potent. q. 1. art. 6. Ita nec potest volitionem mali infundere, neque actum ut malitiam habet & imperfectionem, sed dat tantum volendi facultatem & actum in communi absque modificativa determinatione ad hunc modum volendi male rem hanc.

Propterea etiamsi S. Thomas diceret, quod Deus concurrit ad substantiam actus cum causa & in causam (id quod nunquam dixit) intelligendum est quoad actum executivum peccati, qualis est occisio hominis, & rapina; non autem ad actum volitionis (quod est implanare) unde resultat actus executionis. Quapropter non sine impietate maxima potest affirmari, quod Deus voluntati indat eam volitionem, quæ est odium Dei: & intellectui illam intellectionem, quæ est hæretica, prave judicans de Deo, licet dedent virtutem judicandi & volendi. Vnde August. ait: "Omnis potestas est a Deo, sed non omnis voluntas." Et Chrysost. nescit justitia Dei patrocinium dare criminibus: at quod majus, inquit, patrocinium, quam ad substantiam actus criminosi impellere, & facere efficaciter, sine quo crimen non potest esse? ergo non justitia Dei, sed injustitia patrocinaretur."

LIX. Denique valde notandum, quod Deus secundum S.Thomam dicitur esse intimus, & intime operari, quia dat formam, quæ est rei essentia, & quia dat esse, quod est maxime universale, & maxime intrinsecum; non autem quia sic operari, & sic esse modificatum, præsertim ad malum. Vt patet in excitatione Pharaonis ad bonum sui regni, non ad hoc bonum quod ipse putat ex persecutione Israel. Quapropter impia plane videtur assertio, nec sustinenda, quod Deus agat in causam determinando omnes actus, & quod

quod permittat peccatum ut peccatum est, non solum ut actus est, sicut dicit Alvarez, cum deberet dicere, quod permissio cadit super volitionem, non super peccatum; & ut volitio actus est, & non ut hic actus est.

LX. Insuper notandum, quod applicare causas ad causandum, non est agere prædeterminando actum causæ in liberis instrumentis, sed tantum in necessariis, ut movetur penna ad scribendum. Cum enim Rex applicat Doctorem ad legendum & judicandum, communiter applicat, non prædeterminatione ad unum sic, & nunc, & non aliter &c. Et D. Thomas dat exemplum de coquo applicante ignem ad operandum id, quod coquus non operatur: non enim coquus calefacit.

LXI. Quæres quid sit agere immediate immediatione virtutis, & immediate immediatione suppositi? Resp. hujus distinctionis sensum esse: quemadmodum in quolibet agente duo cernuntur, nimirum virtus, per quam operatur, ut in igne calor: & res sive suppositum, quod principaliter denominatur agere, ut ignis; ita bifariam dicitur agens agere immediate. Vno modo, immediate virtutis; altero immediatione suppositi, id enim est quod principaliter & ut quod operari dicitur. Illud agit immediate immediatione virtutis, quod agit per virtutem non aliunde sibi communicatam, sive patiens immediatum sit agenti, sive ab eo distet. Exemplum prioris immediationis virtutis cernere est in igne, cum per ingenitum sibi propriumque calorem aquam attiguam calefacit: posterioris in sole cum lumine per intermedia corpora trajecto terram illuminat.

E contra agens mediate mediatione virtutis, est per virtutem sibi commodatam operari, sive item patiens distet ab agente, ut cum orbis lunæ lumen sibi a sole immissum in aërem jaculatur; sive non distet, ut cum idem globus lunaris prædictum jubar in athmosphæram suam dispergit.

Quod ad rationem suppositi attinet, id agit immediate immediatione suppositi, inter quod & ipsum effectum, sive rem patientem, nullum aliud suppositum, hoc est singulare per se subsistens, interjectum est, quo pacto aqua manum abluit & refrigerat. Id autem agit mediate mediatione suppositi, inter quod & effectum, sive rem quæ patitur, aliud cadit suppositum, ut inter statuam & fabrum securis.

LXII. Assertum 3. Distinctio sensus compositi & divisi: item gratiæ in efficacem & sufficientem, prout intelligi volunt & explicant Thomistæ prædeterminantes, vana est & inanis. Docent autem Deum efficaciter movere omnem creaturam ad proprias volitiones, appetitiones & operationes, & ad actus ipsos peccaminosos, quoad substantiam tamen, non quoad deformitatem: ita tamen quod non possunt in sensu composito aliter vel aliud velle & operari. Possunt autem, quæ liberum arbitrium habent aliter moveri & velle in sensu diviso. Sicut blasphemus in sensu composito motus efficaciter blasphemat & Judas tradit: posset autem absque motione illa aliter velle ac facere; & qui volunt malum, velle bonum: prout autem subsunt motioni v. gr. ad blasphemiam actualiterque blasphemant, ab illa desistere non possunt, quam parum continere se & cursum sistere nequit per præceps & declive montis impulsus. Et propterea dicunt, duplex esse auxilium divini concursus, alterum *sufficiens*, quo potest omnis homo benefacere & salvari. Alterum *efficax*, quo de facto salvatur. Illud omnibus dari, hoc vero solum prædestinatis. Et propterea homini imputari blasphemiæ actum ad culpam, quoniam non solum concurrit homo ad actum, ut Deus, sed etiam ad deformitatem, ad quam non concurrit Deus, nec præmovet, ut homo. Iterum quoniam potest in sensu diviso per sufficiens auxilium non concurrere homo ad deformitatem.

LXIII. Assertio hæc tertia est Thomæ Camp. in opusc. de prædest. electione, reprobatione & auxiliis divinæ gratiæ, quod inscripsit Centonem Thomisticum, qui liber non solum Parisiis A. 1636. cum privilegio Regis impressus, verum etiam sub approbatione Romana trium Doctorum, quos inter Johannes de Lugo Card. S. J. & quod magis mireris ipsusmet Vicarius General. Congregationis Gallicæ, Ord. Prædicatorum Julianus Joubert Doctor Sorbonicus approbavit: & quia teste Illustr. D. Caramuele Theol. fundam. pag. 28. col. 2. P. Lemos Dominicanus docuit Romæ prædeterminationes physicas esse contra S. Thomam, aliique insignes viri idem censuerunt: nimia censura est P. Nicolai supra relata, tales in luce meridiana cæcutire.

Contra mox dicta horum Thomistarum ostendit doctissimus Campanella. Primo ex D. Thoma non distingui auxilium seu gratiam in sufficientem & efficacem per λη *operari bene de possibili, & de facto*. Et illam distinctionem non fuisse agnitam majoribus nostris, sed inventam a Calvino. Et in sensu quo expenditur, non consonare PP. & Conciliis. Ostendit secundo distinctionem de sensu diviso, & composito esse vanissimam ex eodem D. Thoma circa hanc materiam de actibus voluntatis; vide hunc Autorem opusc. cit. cap. 7. art. 1. 2. & 3. Sane dum naturam gratiæ sufficientis & efficacis, quæ in prædeterminatione physica consistit, penitius perpendo juxta doctrinam Illustr. D. Augustini Reding Abbatis ad S. Gallum (qui in eo solum differt a vulgo Thomistarum, quod prædeterminationem executivam non ponat in qualitate intrinseca, sed in executione divini efficacis decreti extrinsece voluntatem applicante) ea mihi se offerunt argumenta, quorum ex Thomistarum scriptis congruam non reperio solutionem.

Sic inquam: Gratia seu auxilium sufficiens vocant illud, quod tenet se ex parte actus primi, quo instructa causa secunda dicitur habere omnia ad agendum prærequisita, & esse in potentia proxima ad agendum & non agendum, aut etiam oppositum (loquor de causa libera). Cum hoc tamen auxilio & gratia, ne una quidem ex omnibus causis secundis unquam prodiit, nec prodibit in actum secundum, ut fatentur omnes, quos quidem legi, Thomistæ. Vires enim confert, inquiunt, ad agendum sufficientes, sed eam actus subsequitur nunquam. Datur ergo gratia vocationis conferens vires sufficientes ad fidei aliosque supernaturales actus, quin tamen ex vi talis vocationis sequatur in vocatis operatio & consensus. Reding tract. 4. in sess. 6. Trident. sect. 2. q. 2. cap. 1. argut. 4. §. 2. Et hæc est gratia *sine qua non*, non autem *cum qua*. Quia nempe ut volutas exeat in actum secundum insuper necessario requiritur aliud auxilium prævium ad concursum simultaneum, videlicet gratia efficax, seu præmotio physica, quæ conferat

 ipsum

ipſum velle, & reducendo cauſam liberam ex actus primi indifferentia paſſiva, in actum ſecundum eam applicet ad agendum, quam dicunt cauſare ipſam actualem libertatem: & hæc gratia tenet ſe ex parte actus ſecundi, eſtque inſeparabiliter conjuncta ipſimet operationi, quam prioritate ſolum naturæ & cauſalitatis antecedit: hæc autem non eſt in poteſtate hominis originative, ſed datur a Deo ſolo operante. Huic auxilio nemo ex omnibus unquam reſtitit, licet non adimat homini libero potentiam diſſentiendi: hæc autem potentia tam parum redigitur in actum, quam prior illa, quam componunt cum auxilio ſufficienti ad agendum. Verbo, potentia libera inſtructa auxilio tantum ſufficienti ad amandum v. gr. habent potentiam ad amandum proximam, ſed nunquam amat, nec amavit, nec amabit. Præmotus econtra ad amorem habet potentiam ad non amandum; nunquam tamen non amat, nec non amavit, nec non amabit: neutra nempe redigibilis eſt in actum in ſenſo compoſito, hoc eſt ſtante auxilio ſufficienti, aut efficaci in potentia libera. Et hoc auxilium efficax vocant adjutorium *cum quo* ex S. Anguſt.

LXIV. Verum enim vero hoc valde notandum, quod nunquam S. Thomas, aut alius claſſicus Doctor poſuit gratiam ad poſſe ſalvari, ſed ad ſalvari actualiter, non ſolùm potentialiter. Vnde 2. ad Theſſal. 2. lect. 3. *Exhortatio* ait S. Thomas, *per gratiam facit ut velimus; confirmatio, ut efficaciter velimus.* Vbi vtriusque gratiæ opus ponitur actuale, non potentiale, ut ſi exterius auxilium ſit gratia, quæ longe minor eſt, quam interior gratia, vocata illis ſufficiens. Neſcio igitur, inquit Campan. unde commenti ſunt gratiam ad poſſe, & non ad poſſe eſſe & operari.

Ex quo conficitur gratiam ejuſmodi, quæ non eſt reducibilis ad actum, eſſe ingratiſſimam: nec dicas, eſt reducibilis, ſed nunquam reducta eſt, nec reducetur; videris mihi illuſor, ſicut herus diabolicus, qui dat ſuo ſervo ut poſſit eſurire, & nunquam comedere. Axioma Philoſophorum eſt, quod potentia quæ nunquam reducitur in actom, eſt fruſtra; & fruſtra daretur a Deo: imo & a natura talis potentia ad ſalutem & juſtificationem. Vnde S. Thomas ait, quod deſiderium naturale videndi Deum, non poteſt eſſe fruſtra.

Sed dicent. Homo vere habet potentiam ad ſe præcipitandum: nunquam tamen ſe præcipitabit: & poteſt facere in domo ſua mille feneſtras, ſeu mille portas, quas nunquam faciet. At falluntur, & contra S. Thomam loquuntur qui Pnt. 1. art. 2. ad 1. docet potentiam ad finem datum eſſe fruſtra, ſi non attingit finem ſuum. Et art. 5. ad 7. quod potentia, ſi non reducitur in actum, in quo res habet ſuum complementum, eſt fruſtra. Idem docet de omnibus potentiis ordinatis ad actum ubique. Ergo falluntur, nec inſtantia data facit ad rem, hæc enim poteſtas ſe præcipitandi, & faciendi mille portas, non datur in ordine ad actum, ſed ut ſolum ſit poteſtas: At cum opus eſt, homo fugitivus aut in periculo mortis ſe præcipitat, quoniam illa poteſtas tunc requirit actum, & qui faceret domum ampliſſimam quanta eſt civitas, ut Nero fecit; & palatium Conſtantinop. dictum Seraglio; faceret etiam mille feneſtras, quoniam tunc ordo ad actum adeſt. Jam autem gratia datur homini, & ordinatur ad ſalutem: alioquin non eſſet gratia ut probat S. Thom. 1. p. q. 109. & 111. & ſeq. & ubique, & cum gratia ſit auxilium ad opus bonum, & deificatio, & amicitia Dei, non poteſt conjici quod a Deo non ſit ordinata ad actum. Vnde ipſe ait: Accedite ad Deum & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur. Et: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Et paſſim in ſacra Scriptura promittitur, & datur gratia ad ſalutem. Quod ſi non ad ſalutem, ſequitur quod datur proditorie in ruinam, ut poſſit excuſari Deus de hoc, quod deſtinat homines ad gehennam, & dat illis gratiam ſufficientem, ut poſſit rejicere culpam in hominem, quia non utitur illa gratia, quam tamen non poteſt exercere ſine alia efficaci, quam quia Deus non dat, homo non ſalvatur, & per conſequens damnatur.

Ergo illa gratia ſufficians dat poſſe operari de facto. Si ais, non poteſt de facto niſi per efficacem: ergo nunquam, ſaltem bonus uſus ſufficiens acquirit efficacem ex parte liberi arbitrii meritorie ex parte Dei efficienter addendam. At cum ais tu, oportere efficacem gratiam ſuperaddi ut liberum arbitrium bene utatur ſufficienti: non enim meremur efficacem per illam ſufficientem. Tunc, inquam, falſam fuiſſe illam potentiam gratiæ ſufficientis, & inanem, & potius disgratiam, ut juſtitia apparenti ſaltem damnemur, non ut ſalvemur.

Hujus argumenti vim una vel altera parabola confirmabimus.

LXV. Primo Ludovicus Rex Galliæ potentiſſimus duos alit Exercitus alterum ad Rhenum ſuperiorem in Germania, cui præficit Ducem ſupremum en Chef de Villars: alterum in Flandria cui præficit de Vaudemont. Supponimus utrumque omnibus ad expeditionem neceſſariis inſtrui: ex requiſitis ad confligendum cum hoſte, pro opportunitate loci, temporis &c. nihil deſit. Verbo, ſint in actu primo proximo veluti Regis Plenipotentiari conſtituti. Pone parallelum auxilium gratiæ ſufficientis. At Rex adjiciat, ne abſque novo expreſſo Mandato gladium ſtringant manusve conſerant cum hoſte. En Thomiſticum auxilium efficax! Sine novo ſuperveniente Mandato Regis, Duces illi ex actu primo proximo nunquam confligent, poſſunt tamen: ea potentia qua tu cum tua gratia ſufficiente elicere actum bonum, ſed nunquam eliciendum. Offert ſe ex una parte ad Rhenum occaſio delendi hoſtem ad internecionem; at deficit Regis Mandatum confligendi: perit tranſitque occaſio: hoſtis aggreditur, quid agent Galli? Si religioſe Regis ordinationem ſervare velint, veluti Machabæi primi Sabbatum, conficientur omnes una die. Cedit interim hoſti victoria. Econtra Duci Flandrenſi, mittitur mature & opportune Regis prædeterminativum & efficax Mandatum: confligit cum hoſte, vincit, triumphat. Quæro num juſta Regi competet cauſa culpandi Ducem de Villars de non proſtrato hoſte? num ſocordia ejus arguenda venit?

II. Homo quidam peregre proficiſcens committit ſervis ſuis Oeconomiam adminiſtrandam, & uni quidem 5 talenta, alteri 2 conſignat, ut redeunti cum fœnore reſtituant. En actum primum, & *auxilium ſufficiens ſine quo non:* ſed huic neuter unquam cooperabitur, niſi novum ſupervenerit Domini mandatum, vi cujus actualiter pecunia impendatur, ſecus otioſa remanſura. Interim fertilitas annorum vili pretio comparabile offert frumentum, paulo poſt velut tempore Joſephi ægyptiaci cariſſime vendendum. Expectant diſpenſatores auxilium efficax mandati novi de appli-

applicandis nummis: prior obtinet, non alter. Ille decem talenta numerat reduci Domino: hic duo talenta sua in sudario reposita, sine fœnore. Quæro num jure exprobraret hoc casu Dominus socordiam & ignaviam huic Oeconomo? an non conquerentis: Quid ultra debui facere tibi, & non feci; reponeret eum Duce belli superius tua culpa, o Rex, hæc acciderunt, non mea; si nobis ultra potentiam sine qua non, ultra sufficiens auxilium, dedisses Mandatum efficax, auxilium *cum quo*, in cujus defectu & subtractione sciebas nos nunquam operaturos, præstitissemus idem, & forte plus quam nostri commilitones & Collegæ. Dic sodes, quid tibi videtur? Quam parum autem Mandatum novum Regis & Patris familias est in potestate Ducum & servorum ut illud habeat pro suo libero arbitrio, tam parum est in potestate nostræ voluntatis habere Prædeterminativum Thomisticum auxilium efficax.

In nostra vero sententia culparet & puniret merito Rex & Paterfamilias illos, qui spei non responderant, si hisce vel similibus terminis eos instruxissent, ecce ad prælium, ad fœnus, omnia vobis submi oistro requisita: potestatem vobis confero, ut primum sese obtulerit occasio opportuna irruendi in hostem, acquirendi emolumentum, non est necesse novo Mandato, novo auxilio, nova potestate, utimini vestro judicio & determinate vosmetipsos: determinationi vestræ non deerit meus concursus & auxilium simultaneum, quod offero ex nunc pro tunc paratissimum: penes vos erit auxilio sufficienti, & ex parte mea serio & afficaci cooperari, & ex parte quoque vestra reddere efficax fideliter adlaborando: quod si facere neglexeritis, perditio erit ex vobis, ex me defectus nullus.

LXVI. Hoc ipsum dicere voluit Doct. Ang. in 3. dist. 39. q. 1. art. 1. o. ubi ait: "Voluntas secundum "se indifferens est ad plura, sed quod determinate exe- "at ad hunc vel illum actum, non est ab alio determi- "nante, sed ab ipsa voluntate: sed in naturalibus a- "ctus egreditur ab agente, sed determinatio non est ab "agente, sed ab eo qui agenti talem naturam dedit, per "quam ad hunc actum determinatur: & ideo pro- "priissime actus voluntatis a voluntate dicitur. Et "ideo si quis defectus in actu ejus sit, ipsi voluntati in "culpam & peccatum imputatur. Et in art. 2. o. Ra- "tio, ait, culpæ est in hominem secundum illam po- "tentiam, quæ ad plura se habet: nec ad aliquid eo- "rum determinatur, nisi a se ipsa, quod tantum volun- "tati convenit &c.,,

Hic clare tollit prædeterminationem in voluntariis: sed in naturalibus, ponit, sed a Deo ut condirore formarum ad certos fines. Et quia voluntas propriissime se determinat a se, & actus ejus, est ejus propriissime, quod in naturalibus non item: peccat aut meretur, alioquio non peccaret &c. similiter habet dominium sui actus, alias serva esset, uti & Arist. docuit.

Contra genuinam hanc S. Thomæ doctrinam, opponunt Adversarii, & addoeunt S. Doct. docentem in 1. 2. q. 109. Res omnes positas in sua perfectione, ut producant actum, adhuc moveri a Deo. Quoniam velut omnes motus corporales reducuntur in corpus cœleste, primum mobile movens, etiam calefactio ignis, ita omnes motus, tam corporales quam spirituales reducuntur ad primum movens immotum. Item Potent. q. 3. a. 7. o. inquit: Deus operatur in natura & voluntate operantibus, & hoc multipliciter. Primo quia dedit rebus naturalibus virtutes, per quas agere possunt. Secundo in quantum conservat virtutem naturalem in esse. Tertio in quantum movet ad agendum &c. quia natura inferior non agit nisi mota &c. Ad 7. accipit a primo agente esse intentionale, sicut serra intentionem artis. Et in Catech. Rom. p. 1. dicitur Deus intime operari, & ad motus, & ad actionem impellere.

Resp. quod hæc & alia loca S. Thomæ intelligenda sunt sicut in 1. p. q. 105. art. 4 & 5. exponuntur, quod Deus movet omnia ut objectum & finis, & ut agens universale, non prædeterminans particulariter. Exemplum de serra non convenit creaturæ rationali, ut sup. ex pr. sent. dist. 39. audivimus.

Ad secundam authoritatem ipsemet S. Thom. respondet in eadem Pot. 2. q. 3. a. 7. ubi cum probasset contra Mauros, formas & virtutes rerum agere, & non solum Deum, tum ex utilitate earum non otiosa, tum ex eo quod effectus assimilantur causis proximis, proximitate suppositi, quia ipsæ proximiores: non virtutis, qua proximior est Deus: concludit quod causis proximis competit actio. Et quod ignis vere calefacit, non autem Deus; & homo manducat, non autem Deus: sed movet Deus ignem ad calefaciendum, & hominem ad manducandum, quippe quibus dedit formas & virtutes ad operandum, applicatque. Et hoc quidem non est dubium intuentibus rerum seriem, in qua res nulla operatur, nisi applicata ab alia causa, & occasione objecti, & modificatione concausarum certo tempore & loco, & modo, acta in virtute agentis, & ordinantis omnia Principis. Propterea concludit dicens; "Deus ergo, sicut cœlum in cor-,, poralibus est causa actionis cujuslibet, in quantum,, dat &c. & applicat actioni. Et in quantum ejus,, virtute omnis virtus agit. Et cum Deus sit sua vir-,, tus, & sit intra rem quamlibet, non sicut pars essen-,, tiæ, sed sicut tenens rem in esse: sequitur quod in,, quolibet operanse immediate operetur, non exclusa,, operatione voluntatis & naturæ.,,

Ex quibus verbis manifestum est, quod non fit a Deo prædefinitio, cum movet voluntatem. Et hoc in resp. ad 13. enucleat magis dicens. "Voluntas,, dicitur habere dominium sui actus, non per exclusi-,, onem causæ primæ: sed quia causa prima non ita a-,, git in voluntate, ut eam de necessitate determinet ad,, unum, sicut determinat naturam, & ideo determina-,, tio actus relinquitur in potestate voluntatis & ratio-,, nis.,, Eodem modo loquitur 2. dist. 25. q. 2. a. 2. ad 3. Et de Verit. q. 22. art. 1. & 4. & 1. p. q. 41. art. 2. & de Potent. q. 3. a. 13.

LXVII. Quod autem Add. dicunt Deum quidem non determinare voluntatem de necessitate ad unum, sicut determinat naturam: determinare tamen per modum liberi, ipsam dando actualem libertatem, gratis dicitur petuntque principium, putamus enim hoc implicare in terminis. Nihil ergo probant ex locis allatis quod Deus agat in causas, bene tamen in causis. Nam determinari ab alio Agente in causam, tollit libertatem, si ei non potest resisti de facto, ita ut voluntas remaneat domina ejusdem sui actus & inclinationis, prosequendæ & non prosequendæ, sic, & non sic. Cum enim voluntas determinat seipsam ad unum quod semper facit, neque enim ad plura simul potest, tunc vere libera est ut docet S. Thom. de Malo q. 3. a. 3. ad 5. At cum alio determinatur sive ad

unum, sive ad plura, si non potest resistere de facto; tunc non est libera, sicut nec respectu finis, quem non potest non velle, & tamen sponte vult. Ergo indifferentia constituit libertatem. Omnis autem efficax & infallibilis inclinatio tollit indifferentiam, E. & libertatem.

Præterea Conc. Senon. c. 25. de Decreto fidei definit: Gratia non præjudicat libertati, sed satis est, ut ei excitanti ipsa libertas possit ei resistere. Consentit Trident. cit. sess. 6. c. 5. de justif. ibi: qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad se convertendum, eidem gratiæ libere assentiendo & cooperando disponuntur. Et Can. 4. Si quis dixerit liberum arbitrium non posse dissentire, si velit, anathema sit. Vtique Concilia loquuntur de gratia efficaci, quam volunt add. in physica prædeterminatione consistere, cui nullus unquam hominum restitit secundum ipsos, nec magis resistere potest homo, quam bos volare, aut vinctus catenis deambulare. Calvinus autem & Lutherus negantes voluntatem posse excitanti gratia resistere, loquebantur de potentia redigibili ad actum, non autem de sensu composito Thomistarum, contra quos definierunt PP. Vnde sic fortissime impugnabis prædeterminationes istas exterminandas: quia evacuat gratiam sufficientem: & ex voluntate Dei antecedente, qua voluit omnes homines salvos fieri, illusoriam faciunt, dum in meram velleitatem convertunt, E. ant. ostend. Voluntas instructa gratia mere sufficienti non est potens velle, nec unquam ullus per illam voluit, ut fatentur add. nam insuper ad volitionem actualem requiritur efficax auxilium: ad hoc autem impetrandum homo non est capax, quia sufficienti auxilio cooperari non potest; aliunde etiam in potestate hominis non est acquirere gratiam efficacem, ergo inane est auxilium ejusmodi sufficiens, prout in superioribus Parabolis ostendimus, cum Dwattio. Ex quo sequitur falsum esse vulgatum illud axioma: Facienti quod in se est, Deus non deerit. Vide plura in Tract. L. de volunt. & libero.

LXVIII. Denique illud fateantur omnes necesse, concordiam prædestinationis divinæ ac libertatis humanæ, difficillimam esse, & paucis intelligibilem: ut loquitur S. August. epist. 46. Ex suggestu autem hac de re ad populum dicere, non expedit prædeterminantium dogma deducere, plus enim desperationis quam consolationis auditoribus præco talis ingeneraret. Trigosus 1. p. q. 15. a. 2. dub. 5. Hoc quæstio (quomodo prædeterminatio cum effectuum contingentia cohæreat) est gravissima, quæ ab humano ingenio comprehendi non potest. Et revera absconditum est mysterium ab oculis hominum. S. Thomas infallibilitatem præscitorum desumendam vult ab objecti præsentia actuali in æternitate, in qua præteritum & futurum non datur, sed omnia existentia sunt Deo præsentia. Via hæc mihi videretur expedita, minimeque præjudicans libertati: at Deus non solum quæ nobis & per totam æternitatem futura sunt, hoc est aliquando extra causas ponenda, præscit, sed etiam absolute non futura, seu nunquam futura nisi conditionate, conditione nunquam implenda; ubi ergo talium præsentia æternitati cöexistens? nisi ad Decretum quoddam conditionatum recurratur.

LXIX. Tota Nominalium Schola cum Occhamo, Gabr. Gregor. Marsilio negat modum in hac vita explicari aut excogitari posse, quo difficultas hæc exhauriatur. Nominales sequitur acutissimus Cajetanus 1. p. q. 22. a. 4. Cajetanum Ruardus Taper qui a. 7. de lib. arb. fol. 300. scribit, providentiæ concordia cum libero arbitrio superat omnem intellectum ut docet Card. Cajet. ita ut magis fide credatur, quam plene intelligi possit. Quantumlibet enim, inquit Taper, Magister Driedo de cap. & red. tract. 6. c. 1. parte 2. fol. 146. fueris conatus penetrare sempiternæ & immutabilis prædestinationis & reprobationis divinæ abyssum, stare cum mutabilium rerum contingentia, & potestate humanarum voluntatum ad opposita, nec comprehendes, nec prorsus quiescet investigatio mentis tuæ, nisi in obsequium fidei tuum captivaveris intellectum.

Cæterum refert Bernard. Morisanus disp. 3. phys. q. 11. art. 1. Quod Nuntius Apostolicus A. 1588 & iterum A. 1591. auctoritate apostolica, sub excommonicatione latæ sententiæ prohibuit, ne quis vel sententiam Thomistarum (quos tamen Th. Camp. semper Pseudothomistas & Perthomistas appellat) prædeterminationes physicas sustinentem, vel contrariam sententiam *hæreticam*, *suspectam* aut periculosam dicere ausit. Qua enim spongia de Ruiz maculam suæ sententiæ impactam ex eo, quod Semipelagianis agnita & admissa *Scientia Media* faveat, delere conatur disp. 66. sect. 9. n. 18. mutato vocabulo uti licet Thomistis, prout fecit Sebastianus Rhoer Professor Salisburgen. in thesibus sup. cit. hoc modo: "Respondetur hoc vitium non per se, & ex quidditate hujus præscientiæ (prædeterminationis) sed per accidens ex ignorantia & superbia Hæreticorum contingit: ideoque non probat negandam esse talem præscientiam (prædeterminationem) nisi forte contendat aliquis, omnes vites & omnes oleas, cæterasque arbores fructiferas esse extirpandas, quoniam illis adnascuntur cochleæ, peculiaria ficorum vitia, quæ prædictas arbores statuunt pro fundamento ad suas domunculas statuendas."

LXX. Ergo a cavillis abstinendum, rationes ponderandæ. Amo & libenter intersum Disputationibus, & privatis discursibus, ubi inter doctos de veritate fit modesta sine sarcasmis mordacibus inquisitio: solet autem evenire plerumque, uti conqueritur R. P. Aloysius Kimmet in præfatione, ut veritatis amatores, qui cum gaudio & præavidi sciendi accurrerant, cum tædio discedant. Nempe altercatur, non disputatur. Sed de his satis.

TRA-

TRACTATVS XVII
DE
COELIS, SIDERVMQVE INFLVXIBVS.

I. IN principio creavit Deus Cœlum & Terram referente Moyse, hoc est totum Vniversum; ita quidem ut ab ipso lumine ceperit initium; nec ullum opus aggressus est, nisi quod inceperat absoluto; ab iis quæ sunt imperfectiora sensim progrediendo, rem nullam nisi certò fini destinatam creavit: tandem hominem ut opus absolutissimum extremo loco effecit. Atque ejus formationem ita describit Moyses, ut palam faciat mentem humanam non ex materia, ut reliquorum animalium animas erui, sed a Deo ipso infundi & creari, eamqoe esse ab omni materiæ contagio liberam. Quin & ad imaginem Dei formatum hominem docet, non solum propter animam rationalem, quæ est quasi radius immortalis divini luminis: sed maxime, quod quemadmodum Deus rerum omnium perfectiones in se complectitur, sic homo est totius naturæ quasi compendium, divina cum humanis conciliat, tempus cum æternitate connectit: unde a Christo Domino omnis creatura appellatur: Prædicate, inquit, Evangelium omni creaturæ. Hanc totam tantamque Vniversi machinam Deus hominum disputationi exposuit tradiditque Eccl. 3. 11. non solum ut attoniti velut vitulus cernens novam portam, aspiciendo Cœlum, Solem stellasque admirentur, sed ut Authoris omnipotentiam, sapientiam & bonitatem disputando eruant, revereantur adorentque. Intempestive itaque ascetici quidam studium Astronomicum ut vanum & curiosum magis quam utile saluti contemnunt, nisi forte intelligant illos qui notitia ejusmodi abutuntur & superstitionibus maculant, quod in omni scientia accidere potest soletque. Quod in Scientiarum detrimentum cedere non debet, sed solus damnandus abusus.

Nos hoc loco duas tantum quæstiones ventilabimus, nempe de cœlorum substantia, solida sit an liquida? & quid de siderum influxibus in sublunaria statuendum. De stellarum fixarum, nec non de Planetarum motibus, item de systematibus Tychoniano & Copernicano Mathematicis relinquemus. Sit itaque

SECTIO I.

Sintne Cœli fluidi an solidi?

II. Tenendum omnino contra Aristot. & Peripateticos Cœlos esse liquidos, nec Astra illis instar nodorum affixa esse, quin etiam saltem secundum quid esse corruptibilia. De hac veritate sic scribit Mathematicorum Phoenix P. Athan. Kircherus prælus. paranet. Itinerarii Ectatici Parte 1. pag. 41. n. 3. Certe Aristotelem primum inter omnes præteritorum seculorum Philosophos fuisse, qui cœli soliditatem adstruxerit, mundum intricatis orbium involucris confuderit, quintam essentiam nullo intellectu conceptibilem introduxerit, Scheinerus, Mersennus aliique fuse probant: cui proinde Ethnico Sophistæ plus credere, ejus auctoritatem pluris æstimare, quam SS. PP. (quorum aliquos mox adducemus) si non iniquum, saltem temerarium esse putant. Idem ibid. num. 6. Ocularem sensatam experientiam proprio judicio suo negare, non est Philosophi. Et num. 8. Minus probandi sunt nonnulli hujus temporis Philosophi, qui ab experimentis & observationibus non solum abstinere, sed ea plurimum abhorrere solent, ne ab antiquis Peripat. opinionibus tantillum discedere sensu & ratione ducti, aut præscriptis suis sententiis aliquid adjungere, aut in iis quidquam immutare cogantur.

Nunc unum vel alterum ex SS. Ecclesiæ PP. audiamus: nam PP. & Autorum nominibus, qui cœlos esse solidos negant, multas paginas facile impleri posse testatur P. Honoratus Fabri Tract. 8. phys. lib. 2.

S. Ambrosius. 1. Hexam. c. 6. irridet esse qui dicunt cum Arist. Cœlum esse quintam essentiam, non de numero Elementorum. S. August. L. 3. de Genesi ad lit. c. 6. Firmamentum in quo luminaria sunt, partim aëre superiori, partim igne æthereo continetur, quæ fusius exponit c. 7. 9. & 10. ubi nihil aliud agit quam ut rigidam firmamenti duritiem dissuadeat. Sanctus vero Basilius, alterum Ecclesiæ lumen, cum innumeris aliis PP. quos dicti AA. citant, soliditatem cœlorum omnino ridet, & veluti commentum puerile aperte fatetur: hoc enim pacto differit homil. 1. Nec tamen ipsum firmamentum, cum juxta communem & vulgatam acceptionem ex aqua ortum suum habuisse videatur, aut aquæ in glaciem concretæ, aut materiæ cuiquam tali, quæ sui principium ortus ex humore percolato sumit, simile censendum est esse, qualem Chrystalli lapidis naturam esse constat. Et paulo post: Ex his itaque nulli simile esse firmamentum censemus, est enim pueriles simplicisque profecto mentis, tales de corporibus cœlestibus opiniones habere: neque tamen, quoniam omnia in omnibus insunt; ignis in aëre, aër in aqua cæterorumque aliud est in alio, & nullum omnino eorum, quæ sub sensum cadunt elementum sincerum est, mistioneque caret, ut non sit aut medii, aut oppositi particeps: firmamentum ob id ipsum, aut ex uno Elementorum aut ex omnibus mixtum esse asserere nobis placuit, qui jam ita e divina scriptura instituti sumus &c. Quæ cum ita sint, infatuata illa sapientia (Philosophorum) aquas supercœlestes, & ab ignis cœlestis ardore absumi solitas negantium & deridentium a te excussa, suscipe nobiscum veritatis doctrinam, imperitam illam quidem sermone; at stabilem firmamque cognitione, quid in Scriptura significati habeat firmamenti nomen, nimirum naturam insinuat neutiquam reluctantem aut solidam, quæque suo pondere gravis sit aut renitens: non ejusmodi dicit esse firmamentum; alioquin si sic gravem mole ejus intelligi oportuerat, proprius aut justius hanc sibi vindicasset terra nomenclaturam firmamenti: sed quod natura rerum notis supereminentium ac sublimium tenuis admodum sit & rara, nec ullo sensu percipi possit, hoc appellavit Moyses firmamentum, corporum comparatione, quæ tenuissima sunt, & quæ sensu facile non comprehenduntur. Et paulo post: Quidam has opinione (quod Cœlum ex 4. Elementis constet) veluti non probabili posthabita repulsaque, quintam essentiam corporis ad cœlum constituendum suopte ingenio atque seipsis commentitiam, & pro tempore excogitatam introduxerunt: ob has itaque rationum necessitates, majorum

ſuorum rationibus rejectis, illis opus fuit, ut opinionem ſuam privata quadam & peculiari ſuppoſitione ſuffulcirent, qui quintam quandam corporis eſſentiam ad cœli ſiderumque conſtituendam generationem ſuppoſuerunt. Et paulo poſt: Hiſce de rebus nunc ſi aggredimur dicere, in nugas perinde ac ipſi incidemus: quare illis omiſſis, ſeque ut mutuis elidant controverſiarum digladiationibus, ſermone itidem de quinta eſſentia poſthabito, Moyſi fidem habeamus. Hæc S. Baſil. apud Kirch. l. cit.

His accedat Illuſtr. D. Caramuel, qui opinionem adſtruentem cœli ſoliditatem annumerat erroribus communibus Peripateticorum. Nomine autem cœli intelligimus immenſum illud expanſum, quod incolunt beati, diciturque Empyreum, item ſtellarum fixarum regiones usque ad planetarium ſpatium, & aëris regiones & terraquei athmoſphæram. Sicut enim Oceanus, mare unum diverſa ſortitur nomina ſecundum diverſas mundi plagas conſideratus: ita cœlum pro diverſitate ſiderum & planetarum ab Aſtronomis diverſis omnibus compellari conſuevit. S. Chryſoſt. cœlum immotum, aſtra tantummodo nullo modo fixa moveri, homil. 12. ad pop. antioch. docet his verbis: Non enim tantum fecit mundum, ſed etiam ut factus operaretur, effecit: ſed neque totum immobilem dimittens, neque totum jubens moveri: ſed cœlum quidem immotum permanſit, ſol vero cum reliquis ſideribus quotidie circumvolvitur.

Huic adſtipulatur Euſebius Emiſſenus dicens cœlum firmum atque immobile eſſe; Solem vero, lunam & ſtellas in cœlo moveri, ac curſum ſuum peragere. Nam, ait, cum a Joſue dictum eſt: Sol & luna ſtet, non ait Cœlum movens Solem & lunam ſtet. Item cum ab Ezechia dictum eſt: Sol retrocedat, non ait, Cœlum movens Solem retrocedat. Cæcus eſt, qui ex his aſtra in liquido moveri non videat.

Claudat agmen S. Greg. Nyſſenus in Hexam. qui non tantum omnia Mundi corpora elementis conſtare, ſed & ſingula qualitatibus Elementis propriis inſtructa fuiſſe, his verbis aſſerit: Non opinor veſtram opinionem ab eo, quod probabile atque conſentaneum eſt, aberraturam eſſe, ſi hoc Moyſen intellexiſſe exiſtimamus, quod ab initio quidem omnium illuminatrix vis apud ſeipſam coacervata atque collecta facta ſit lux: ſed quoniam magna quædam in illa ſubtili & agili ratione majoris & minoris differentia in univerſa rerum natura eſſe cernebatur, triduum temporis ſpatium ſatis fuit, ut horum unumquodque perſpiceretur diſcerneretúrque: ut id quidem, quod ex ignea natura ſubtile & leve in ſummo loco ſub ſenſum cadentis naturæ verſaretur: quidquid autem & tardum & ignavum eſſet, intra complexum tenuis illius & levis circa ſeſe coiret: atque hoc rurſus pro differentia inſitæ ſibi proprietatis in ſeptem partes ſecaretur omnibus particulis lucis, quæ & æquales & ejusdem naturæ eſſent, pro cognatione inter ſe coaleſcentibus, & ab iis, quæ alterius generis eſſent, ſeparatis atque diremptis. Sic igitur quidquid ſolaris naturæ illuminatricis inſperſum erat, cum omnes hæ particulæ aliæ ad alias concurriſſent, unum magnum lumen factum eſt; itidem etiam in Luna, & in unaquaque cæterarum, tum errantium, tum inerrantium & fixarum ſtellarum uniuscujusque particularum ad ſui generis ejus concurſus, unum quoddam ex iis, quæ in cœlo apparent, efficit, atque ita univerſa facta ſunt. Hoc ſane magni Doctoris teſtimonium tantum eſt inquit Kircherus, ut eorum quæ in Itinerario noſtro vulgo paradoxa recenſuimus, quædam velut Anacephalæoſis eſſe queat. Et hæc quidem de auctoritate SS. PP.

III. Porro Mathemathicos Inſignes magno numero affert pag. 473. Itiner. qui expreſſis verbis hypotheſin noſtram explanant. Ex omnibus ſufficiat unus P. Ludovicus la Cerda S. I. qui in adverſariis ſuis hæc habet: Cœlos eſſe corruptibiles plurimi ex SS. PP. nituntur probare ex Scriptura, non ex Platonis ſententia. Altera tenet Cœlos eſſe incorruptibiles. "Quid ego dicam in tanta varietate? Exiſtimo ſane" priorem ſententiam eſſe veriſſimam, & omnes Cœ-" los eſſe corruptibiles. Cur opera tanta inſtiterint" Philoſophi in probanda incorruptibilitate Cœli, diu" hæſi, & quidem diſpicere in quantum poſſim, nulla" alia eos res movet, quam ut ſalvum & integrum Ari-" ſtotelem præbeant. Egregia quidem laus, illum an-" teponere tot cœleſtibus viris. Ego nil ambigo, eum" erraſſe, & quotquot ejus ſententiam defendunt."

Conſentit P. Kircherus circa finem Itiner. Quorundam, ajens, ſimplicitatem approbare non poſſum, qui quod a puero docti ſunt, aut, Ariſtoteles ipſis præſcripſit, adeo ſacroſancte tenent creduntque, ut nihil admittendum, quam quod αὐτὸς ἔφα putent.

Quæ omnia ſuppradicta hujus temporis Mathematici, minime ſcholaſticis iſtis concertationibus contenti per ocularem ſenſatamque experientiam, oculi cœleſtis ſubſidio, ita confirmarunt, ſic litem pendentem diremerunt, ut Philoſophus ſana ratione utens, antiqua præteritorum temporum de cœleſti doctrina dogmata, niſi protervire velit, defendere amplius non poſſit: præſertim cum non unus tantum ea obſervarit Aſtronomus, ſed innumeri in hunc usque diem iſtiusmodi novis phænomenis intenti, quanto plura vident, tanto majora & rariora tuborum artificio creſcente detegunt. Quis autem dum Venerem & Mercurium circa Solem verſari videt, ſolidum credat cœlum? Quis Martem ſolaris ſphæræ incolam cum cœli ſoliditate conſiſtere poſſe exiſtimabit? Quis comites Jovis, uti & Saturni tam anomalo & inæquali motu circa hoc & illud corpus ſine mutua corporum penetratione ſuas periodos peragere poſſe ſibi perſuadeat? Ut nihil dicam de Cometarum motu, & novarum ſtellarum geneſi, de quibus vide D. Caſſinum in Phil. Reg. Burgund. tom. 5. quæ omnia duritiem cœlorum fictam convinciunt. Qui enim fieri poteſt ut Cometæ huc illuc per immenſa cœli ſpatia transverſim tranſcurrant ultra omnes Lunæ Solisque vias longe evehantur, niſi cœlos ad inſtar limpidiſſimi aëris ſive æthera fluere neceſſario aſſeramus? quem Cometarum elongationem tanquam certiſſimam & irrefragabilem unanimis Aſtronomorum conſenſus recipit.

Concludamus itaque præſentem quæſtionem cum S. Ambroſio Lib. 1. Hexam. c. 6. "Satis eſt, inquit," ad præſentem aſſertionem, quod a principio Cœlum" fecerit, unde generationis cauſa; & terram, in qua" generationis eſſet ſubſtantia. In his enim elementa" creata ſunt, ex quibus generentur omnia iſta, quæ" Mundi ſunt. Elementa autem 4. Aer, Ignis, Aqua" Terra, quæ in omnibus ſibi invicem mixta ſunt.

IV. Ex quibus luculenter patet, in omnibus Mundi Globis, uti ſpecie a materia elementari non differunt, ita generationis & corruptionis legibus pariter eſſe ſubjectas, ubi in ſingulis gravia ad uniuscujusque

centrum;

centrum; a centro vero levia per resolutionem humidi a calido exspirata, effluvium illud, quod Astronomi athmosphæram dicunt, efficiunt. Cum enim sensata experientia omnia Mundi corpora opaca repererit, certum est solarium corporum radios in ea, quæ inæqualitate partium mirifica exasperantur, impactos, calorem non secus ac in terrena solis reflexione contingit, summa intendere: ex intensione vero caloris, humidi intra terrestrem substantiam existentis fit resolutio, ex resolutiona rarefactio, ex rarefactione in remotiore athmosphæra termino ob frigidi ætheris vicini auram iterum condensatio, ex condensatione tandem in id, quod erat, fit reditus. Si enim solus ignis in cœlestibus hujusmodi corporibus constitutus fuisset, is utique otiosus foret, cum non haberat in quod ageret: neque humidum esse solum debuit, cum non haberet, sui subjiceretur, aut a quo pateretur. Si vero corpora cœlestia a sublunaribus differentes naturas a Deo consecuta fuissent, illæ haud dubie in inferiora elementa, a quibus assentialiter differrent, agera non potuissent, neque ullo modo per sympathicas antipathicasque operationes ad invicem comparatas ollum influxibus suis effectum proportionatum, neque in inferioribus, neque in circumfitis corporibus præstare potuissent: atque adeo omnis unio, concordia & harmonia Mundi periisset, quæ in eo potissimum consistit, quod unum Mundi corpus alterum naturali appetitu fovere, & connaturalibus facultatibus movere ac promoveré, & promotum conservare inclinet: quod minima fieret, si cœlestis materia aut quinta quædam essentia, aut cœlestia a sublunaribus essentialiter differre cogitemus. Atque hæc oniea fuir ratio, quam & S. Basilius innoit, eui SS. PP. Mundum, & omnia quæ in Mundo sunt [quæ utique ex 4. Elementis composita fuerunt, & communes omnibus corruptionis leges sequuntur] minima incorruptibilem quoad naturam sed corruptibilem ex SS. literis copiose demonstrarunt.

V. Quæri hic commode potest, quænam sit corruptionis rerum causa? Hesiodus quidem ad Dei gratiam hoc refert. Nam quæ [inquit] gustaverunt Nectar, incorruptibilia remanserunt, ut Angeli & Cœlum: quæ non gustaverunt, corruptibilia. Idem docent Theologi antiquiores, ut S. Irenæus, Justinus, Clemens, Dionysius & alii, quod videlicet divinitatis participatio, quæ per nectar daclaratur poëtica, auxiliumque ex voluntate Dei, quæ est summus amor & dulcedo nectarea, in causa sunt, ut anima humana sit immortalis, & angeli &c. Nam cum ex nihilo cuncta nata sint, ut dicebat etiam Hesiodus, necessario corruptibilia sunt. Et in hoc vim facit Arist. dicens in primo de Cœlo, quod quæ potuerunt aliquando non esse, potuerunt & non esse. Non ergo aliquid factum immortale est. Idem in 3. Metaph. hanc theologicam responsionem deridet, & dicit fabulosam. Et in 12. Metaph. dicit non posse reddere causam, quare ali qua sunt corruptibilia, alia vero incorruptibilia. At quidam TT. recte dicunt, ad Dei voluntatem ascendentes, sed qui Deum naturaliter operari, aut æternum mundum opinatur, non acquiescit. Item restat adhuc physica, & metaphysica ratio, quam tacuerunt.

VI. Empedocles putat se satisfecisse dicendo, omnia esse corruptibilia, quoniam ex odio componuntur & amore: quæ enim a solo sunt amore, immortalia sunt. Hanc sententiam pariter deridet Arist. tanquam arbitrariam. Sed nec ipse meliorem affert rationem, imo nullam. Dicit enim alia corruptibilium esse principia intrinseca; alia incorruptibilium, sed tamen eadem proportione. Communissimum vero principium unum immortale ponit; sed vere nihil principiare, sed tantummodo movere primum orbem, & ab eo alios orbes imitatione, vel violentia circumferri; & sic in inferioribus fieri transmutationem: quam motus, diarius æternat, obliquus vero in vices distribuit. Et cum cogitur dicere causam intrinsecam, adducit materiam, quæ est in potentia ad omnes formas, & quia sic se habet, transmutationem fieri & generationem, & corruptionem: & quod in potentia est, necessario reduci ad actum: idcirco non posse entia hæc inferiora non corrumpi, quia constat radice corruptibilitatis Materia.

VII. At quidem impia indoctaque est hæc ratio Arist. quoniam nec Deum rerum facit causam, sed transmutationum: & quidem non per se, sed veluti per accidens. Nam vilesceret illi, si hæc agnosceret. Item nec materia incorruptibilis, ast causa corruptionis: ipsa enim potest recipere, si quis det, non autem dare formas: & ipse Arist. fatetur in 9. Metaph. non dari potentiam passivam, nisi quia habet activam: non enim potest pati, nisi quia aliud potest agere. Quapropter non videtur ad materiæ potentiam reduci corruptibilitas, sed ad causas agentes, generantes & corrumpentes. Elementa quoque habent materiam secundum totum, & tamen non corrumpuntur nisi secundum partes, ubi scilicet a contrario oppugnantur. Contrarium autem agit ax odio. Ergo recte dixit Empedocles, odium esse causam corruptionis. Sed quia odium nascitur ex amora conservationis, & ex participio nihili: idcirco amor causa primaria sit generationis per se, & entitatis, corruptionis vero per accidens, & non entitatis; quoniam finitæ a nihilo virtutis est.

Adde, quod nec Materia appetat formam, quam non habet, nisi per id quod de seipsa habet: sed cum a forma potentissima informatur occupaturque, tota penetratur & fit unum cum illa: nec motum, nec quietem, nec actionem; nec ergo appetitum habet diversum ab eo, quem a forma habet. Non quidem ignis materia aliud nisi actiones caloris, & opus & appetitum habet, dum valide regnat calor. At si a frigore oppugnetur & occupetur, illa frigoris portio in materia suscepta amplius appetit frigus, ut roboretur & regnet.

Melius sentit Telesius, ea entia solum corrumpi posse, quæ habent contrarium robustius & prrpotentius. Vnde Sol licet sit igneus at terræ frigidissimæ contrarius, non tamen corrumpitur, quoniam terra non ast robustior, nec illi propinqua ut possit illum extinguere.

VIII. Ergo animas & angelos asseremus immortales non propter hoc quia carent materia licet vere careant, sed quia carent cootrario corrumpente potentiori: contrarietas enim Diaboli non est physica ita ut substantia substantiæ contrarietur, sed moralis & politica, ita ut voluntates, & intellectiones & exercitia contrarientur. A corporibus vero ab igne corrumpi non posse, quoniam non communicant in materia & susceptione contrarietatis; sicut linea non patitur a calore. Vnde recte S. August. nobilius, quando

alterius

alterius est ordinis, non posse ab ignobiliori pati docet. Sed hæc quidem in physicis ita se habent.

At supergredientes ad nobiliores scientias invenimus contrarietatem ideo esse in rebus, quod a nihilo originem habent. Calor enim frigori contrariatur quia ipse non est frigus: sed neque hoc videtur sufficere, nam materia nec est calor, neque frigus, neutri tamen contrariatur, ergo non a non-esse tantum nascitur contrarietas, sed a quapiam radice adhuc inquirenda: quam ostendimus esse odium ex Empedocle, odium autem conservationis amore. Verum cum non possimus negare non-entis ingressum, utique ad mistam causam accedamus oportet. Calor quidem potest, scit & amat secum esse, & vult illud æternare & amplificare in infinitum: & quia per se non potest esse, nisi in materia; illud studet occupare totam: Frigus vero idem optat, oterque enim est ab infinito Deo creatus, & uterque Dei infinitatem æmulatur. Quoniam vero Materia non sufficit utrisque, nascitur contentio, odium & bellum, ergo & corruptio & generatio, ergo causa corruptibilitatis est Contractus, ut dicit Telesius, & potestas in contrariis: causa vero contrarietatis est odium, ut Empedocles monet: causa vero odii est amor suæ conservationis & amplificationis ut dicit S. Augustinus. At quoniam amor amoris est author, non odii, nisi per accidens: quærenda est causa per se, & hoc est non-ens, non modo illa non-entitas, qua calor non est frigus, sed illa, qua materia non est sufficiens calori & frigori, & deficit ei tanta entitas, quantam uterque caperet: & quia cupiunt infinitam, quia sunt proles infinitæ potentiæ & amoris Dei: idcirco hæc non entitas infinitatis materialis est causa zeli & odii & belli, sicut in Rivalibus palam est. Quapropter corruptibilitas & incorruptibilitas non indicant diversa principia prima, sed contrarietatem in rebus, quæ radicem habent a non-ente, & ente.

IX. Quod si ulterius inquiras cur Deus hanc rem habere contrariam & corruptivam fecit, illam vero minime? Rationem aliam dare nequimus, quam nectar divinæ voluntatis, ut TT. Gentiles & nostrates pariter docent, Arist. vero irrisor illorum, irridetur a seipso. Quod enim dicit in X. Metap. quod corruptibile & incorruptibile sunt contraria & privative opposita sicut molle & durum, falsum est. Nam vel sunt ejusdem speciei, sicut terra in superficie, juxta ipsum Arist. est corruptibilis, & in centro incorruptibilis: vel sunt diversi generis, ut Angelus & planta, ubi patet nequaquam ita opponi ut ipse putat.

Et quod Averroes reputat falsum, quod Theologi credunt, eundem hominem esse corruptibilem, & a Deo fieri incorruptibilem, quia Aristoteles hoc impossibile opinatur, ignorantiæ plenum est. Stulte quoque Platonem incusant, qui ideas incorruptibiles corruptibilium caosas ponit. Nam & Christiani idem docent, & ratione summa. Quis enim non videt lucem in sole incorruptam, & in terra receptam fœdari, & corrumpi ejus lucem & calorem? Item scientia in anima humana est incorrupta, & tamen illa voce prolata, & in scriptura corrumpitur. Idcirco palam, quod idea in mente divina sit incorruptibilis, prolata vero in materia inter contrarietates corrumpi habet, quoniam non est illa, sed defluxus illius. Non ergo diversitatem principiorum dat nobis corruptibile, & incorruptibile, sed entis & non-entis principiationem ostendit.

SECTIO II.

Qua ratione Coelum influat in hæc inferiora.

X. Suppono I. Ex diversis aspectibus ejusdem planetæ, aut eodem aspectu diversorum planetarum mutari vires & actiones eorundem: aliam siquidem vim Luna trahit a Jove, quam Saturno aut Marte: & rursum ab hoc aliter in conjunctione & oppositione, aliter in trigono & hexagono radio immutatur. Est hoc Astrologiæ fundamentum.

II. Eam esse Planetarum, quoad qualitates inter se differentiam, ut Sol potenter calefacere, mediocriter siccare: Mars exsiccare arefaciendo, & urere calefaciendo; Jupiter & Venus mediocriter calefacere, atque hæc multum, ille parum humectare; Saturnus valde frigefacere, parum siccare dicantur. Quod tamen non ita intelligendum est, quasi immediate ab his fluerent ejusmodi qualitates; verum quod ex illa radice, quam Planetæ induerunt, non aliter quam ex seminio tales complexiones sequantur, ex quibus ceu notioribus effectus cœlestes declaramus. Exemplo sint passiones hystericæ, quibus mulieres correptæ sine sensu & motu sunt; totumque corpus friget, non admistione substantiæ frigidæ, sed quia Sol Microcosmi & interna vis caloris vivifici a vi narcotica, non aliter quam in Ecclypsi Sol, quo minus suos radios effundat, tum detinetur. Rursum vero ubi hæc vis absumpta fuit, nullius accessione sibi restituuntur, erumpente per corpus universim igneo torrente. Hac ergo ratione Venus calidum, Saturnus frigidum temperamentum dicitur ingenerare, vitali ratione eo modo affecta, ut ejusmodi temperies frigida aut calida inde proveniat; nequaquam vero immediate frigiditate in corporibus producta.

III. Eam influxus diversitatem non provenire a sola luce; tum quia Probabile omnes Planetas a Sole lucem participare; tum quia lux, si proprie loqui velimus, neque caloris neque frigiditatis est causa: verum ab eodem principio tam lux quam calor procedit, quod plerumque ignis naturam habet, utrumque tamen affectum separari contingit, ut & lux sine calore, & hic sine luce esse possit.

Nec dicas vires in stellis latentes & veluti sopitas per lumen evocari, esse illarum vehiculum & subjectum per quod in Mundum sublunarem devehantur; sequeretur enim Influxus cœlestes nullibi esse posse sine luce: at vero constat cœlestium corporum vim etiam terræ penetralia subire, unde omnis lux exulat.

Neque Magnetismi, quos ad se dicuntur habere Planetæ, dum fibrarum situ varie permutato, modo trahunt ad se, modo repellunt, sufficere videntur ad tot tantasque mutationes in mundo sublunari causandas.

Tametsi enim plantæ habeant ejusmodi magnetismum, ut situ permutato arescant, aut steriles fiant; secus tamen est de animalibus dicendum, quæ nulli certo loco affixa, neque pejus habent sive ortum sive occasum respiciant. Quare

XI. Dicendum cum Joanne Marco Marci, quod mutatio, quam ex se & a stellis habent Planetæ, est idealis, hoc est idearum in Planetis latentium per lumen varie illapsum evocatio & determinatio; neque enim videtur

videtur alius modus superesse, quo ejusmodi mutationes fieri asserantur. Quæ quidem opinio, licet raræ scientiæ, his tamen fundatur motivis. 1. Melioris notæ Philosophi docent, hæc inferiora a superioribus non solum dependere, regi & gubernari, sed etiam in iisdem contineri. *Quidquid in omnibus simul est Mundus*, inquit Kircherus in Obelisco Pamphilio fol. 344. *id singulis inest particulatim: nec est aliquis unus ex eis, in quo non omnia sint, quæ sunt in singulis.* At vero certum est hæc inferiora non eo modo, quo hic sunt, inesse cœlo; nempe secundum illas figuras & moles corporeas; verum idealiter & actu potentiali: prout in imaginatione sunt species rerum ministerio sensuum acquisitæ. Vt enim hæ subjectum, in quo recipiuntur & evolvuntur, non mutant realiter, quamvis in utero materno illarum vi impressiones fiant: Ita quoque in stellis sunt rerum sublunarium ideæ, non tanquam in semine, ex quo aliquid generetur, sed tanquam in imaginatione cœlesti: licet species imaginativæ cum ideis seminalibus ejusdem sint naturæ, ut ostendemus in Tract. de Ideis.

Sicut ergo semen plantæ, seu animalis per ideas seminales est jam idealiter planta aut animal: ita stellæ per sui generis ideas, res illas, quarum ideæ insunt, idealiter continent. Non minorem ergo vim habent stellæ ad impressiones sublunares, quam imaginatio materna ad impressiones uterinas, cum etiam hæc sublunaria illarum respectu sint velut uteri quidam.

Secundo. *Quæ in Mundo sunt inferiori*, ait idem Kirch. l. c. *in superioribus sunt*, sed nota meliori. Et in Lib. Lucis & umbræ fol. 533. Inferiora in superioribus sunt, non tamen ut in se, sed secundum naturam & modum superiorem. Sicuti vero in semine sunt ideæ confusæ & involutæ, quæ non nisi beneficio caloris promoventur; ita in stellis ideæ latentes per lumen solis varie illapsum evocantur, & pro hujus ratione suos internos motus & ideales revolutiones absolvunt, absque quo omnis plantarum vis torpet, nullusque in hæc inferiora influxus esse potest. Vnde etiam factum videtur quod tam Jupiter quam Saturnus suas lunulas sui satellites habeant, quæ lumen a Sole haustum in partes aversas & tenebricosas refundant.

Qua ratione vero Plantæ per lumen Solis ad idealem progressum excitentur, si forta obscurum videatur, exemplo sint objecta sensibilia, a quibus sensus ad suas functiones promoventur. Neque enim aliter lux colorata in tunica retina per humorem chrystallinum illapsa, quam per lentem vitream in camera obscura in papyro pingit sui simulacrum: & tamen non hæc, quin neque ulla pars oculi illa pictura affecti, sed retina duntaxat determinationem affert animæ, ut ipsa in se concipiat vitale simulachrum longe a priori diversum, in quo ratio formalis visionis consistit. Simul vero ad præsentiam & exemplar hujus aliud cudit & in peno memoriæ recondit idolum, cujus recursu & evolutione, ad actiones similes, etiam objecto absente, anima determinatur. Ita ergo lumen Solis se habet ad certas partes Planetæ sensui analogas; non quidem ut ipsum lumen anima sentiat eo modo quo animalia, cum planetæ ejusmodi sensibus sint destituti, sed ut per ipsum actuentur, eoque veluti stimulo ad ideas analogas promoveantur: indeterminatum enim ex se, si plures actus in ejusdem potestate contineantur, prinsquam determinetur, in actum prodire nequit, cum non sit ratio cur hoc potius quam illud agat. Sicuti ergo species visibilis, non in aure aut naribus, sed in oculo visionem perficit: ita partes diversæ Planetarum se habent, ut ab eodem lumine Solis inæqualiter afficiatur, neque eadem pars ob lumen varie affectum easdem habet motiones.

Manifestum vero alias partes Planetarum in conjunctione, alias in oppositione, alias demum in quadratura radiis solaribus obverti. Sicuti vero objectum sensui conveniens ac Symmetrum voluptate illum afficit, ad actiones que movet ordinatas, & contrario modo habens dolorem affert, ejusdemque actiones offendit: ita lumen solis a diversis corporibus reflexum, non jam purum & sincerum, sed varie tinctum & infectum Planetas lædit: unde motus interni imaginationi similes depravantur, passionesque in sublunaribus, cum quibus analogiam habent, perniciosæ suscitantur. Quod si enim ira tauri cornua, aut apri dentes inficit, ut ictus morsusque magis fiant perniciosi: quidni idem in astris contingat, ut ab his simili modo affectis influxus lethales proveniant.

XII. Dices. Si Appetitus, hujusque perturbationes insunt stellis, inerit quoque notitia rerum a quibus molestia afficiuntur. Et si ita, animalia erunt stellæ, non minus quam Zoophyta, licet pluribus sensibus destituta.

Resp. Cum anima insit Stellis, quæ absque vita non est; actiones quoque vitales inesse, & sicut sensus quidam, & qui hunc sequitur appetitus in omnibus fuit admissus; ita neque a stellis debet exulare, quin tanto perfectius inesse, quanto corpora sunt nobiliora: neque tamen animalia dici, cum in ratione sensus non nisi analogice conveniant. Tametsi enim omnia Entia sentiant (inquit Campan. P. II. Metaph. L. 6. c. 7. art. 3.) non tamen omnia sunt animalia. Animal enim est spiritus intra crassam molem, & humidas & viscosas partes genitus inclususque: ex quibus egredi non potens & ad cognatum cœlum evolare, crassitie retentus, & timore frigoris externi ac caloris magni, qui mensuram sui subjecti perdit, vivere ibi statuit, efformatque sibi Fato, Necessitate & Harmonia cooperantibus, organa vitæ: quorum alis pertinent ad Potestativum, alia ad Cognoscitivum, alia ad appetitivum, alia ad operativum & motivum principium commonia vitæ causam. Quapropter non est necesse, omne sensitivum corpus esse animal. Neque enim plantam animal esse dixeris, nisi inversum imperfectumque: caret enim acumine & copia spirituum, similiter & organis motus; quoniam potest ex terrestri succo nutriri ob suam crassitiem, nec facile læditur ab externis rebus ob idem.

Ideoque non indiguit organis motus, neque sensoriis, quibus a longe bona malave persentiscat. Habet tamen organa appetitivi & potestativi proportionalia nostris, non autem sensus egressionis: si enim non potest ad illa vel ab illis conferri, neque sentiendi portas & foramina necesse habet; multo autem minus ipsi lapides & metalla. Aer autem & Cœlum non sunt crassa in mole conclusi, ideo sensoriis & pedibus, cæterisque motus organis opus non habent: subito enim sentiunt subitoque moventur, quo necesse est; non ergo dici debent animalia: sed neque animæ, quoniam anima est quæ animat, movetque corpus ab extrinseco sibi coaptatum: Cœlum autem, ut Salomon quoque innuit, spiritus est tenuis, calidusque sentiensque, corpore

crasso non vestitum, nec proinde anima dici potest, licet substantia sit animæ. Planetæ autem a lumine Solis non aliter quam oculus a specie visibili moventur: neque passiones, quæ hunc sensum metaphoricum sequuntur, ejusdem sunt rationis cum passionibus, quæ ortum habent a sensibus proprie dictis, ut ira, metu, tristitia &c. sed metaphorice ita dicuntur. Quia nimirum uti animalia ob ejusmodi passiones agunt perturbate, atque illorum corpus ab anima varie mutatur: ita quoque stellæ in suis functionibus aberrant; non quia actiones similes animalium actionibus inde proveniant, cum organis sint destitutæ, sed quia in ideali & interno motu similiter afficiuntur.

Neque necesse omnes animi passiones a nobis reflexe cognosci, sed illas tantum, quæ notitiam proprie dictam, & a sensu animali ortam sequuntur: passiones vero quas determinat sensus naturalis, licet una cum stellis sæpius animum turbari contingat, a nobis ignorantur, & non nisi per impressiones in corpore factas quandoque innotescunt. Vt vero ejusmodi passiones Stellis tribuamus, ratio evincit. Neque enim per ideam subjecto materiali impressam communio esse potest Stellis cum sublunaribus, quæ neque ex una parte subjecti in aliam transferri: neque actiones diversas potest determinare, necesse ergo ut determinatio utrobique sit una, ideam vitalem proprie dictam intervenire.

Manifestum vero ex his plures mutationes, quæ a causa cœlesti pendent, hic fieri absque eo, quod alius in medio sit motus. Quia nimirum non hoc, verum certa corpora analogiam habent cum utero, in quo cœleste seminium concipiatur, vel ab eisdem stellis mutetur.

Itaque in aëre quantumvis temperato, ad quem nulli radii stellarum pertingunt, earundem vires experimur: ubi seu Mars igneus, seu frigida stella Saturni cognatam ideam in nobis suscitavit; tum enim igne martiali, etiam rigente cœlo, corpus peruri; aut hujus frigiditate ipse in venis sanguis coire, & velut conglaciari videtur. Quæ quidem idea morbifica in radice Saturnina ab ipso ortu contracta, non aliter quam in cœna & aqua palustri ranarum aliorumque insectorum opifex idea delitescit; & sicut hæc vere novo Solis tepore, ita illa certis annorum periodis, ex occursu radii Saturnini imaginationem huic symbolam stimulantis suscitatur: quam determinationem novam Archeo afferente, harmoniam principiorum dissolvi, actionesque ab his provenientes lædi est necesse.

Hac quidem ratione cœlestes influxus recipiuntur, non actione reali hucc continuata, sed sola sympathia per quam determinatio fit in uno loco & subjecto, ut actio symbola resultet in alio. Exemplum hujus actionis sympatheticæ affert P. Athan. Kircher in suo Magnete Parte 5. cap. 4. inter Lunam & lapidem selenitem. Lapis, inquit, ex accurata observatione Mizaldi, forma & magnitudine cæpam, nigredine & livore picem referebat. Incrementa decrementaque corporis & luminis lunaris certo puncto & signo sive macula candida, quæ crescente Luna crescendo augmentabatur: decrescente proportionaliter diminuebatur; idque singulis diebus usque dum Luna suam periodum complevisset. Cujus phases, ut & aliarum gemmarum miracula ipse ad dispositiones materiales & excessus Elementorum ingeniose refert. Maculam, inquiens, illam candidam lunæ crescentis & decrescentis æmulam esse humorem quendam, qui ad lunæ incrementum & decrementum, non secus ac alii certi humores in oculis felium, ac ostreaceis, per fibras lapidis vi lunæ dilatativa diffusus proportionaliter crescat & decrescat. Neque necesse hic ad occultas causas, & nescio quas sympathias confugere, qui enim pupillas felium cum luna crescentes & decrescentes observat, facile perspiciet, qua ratione ejusmodi umbratiles lunæ ac soles in gemmis contingant.

XIII. Verum ingeniosæ huic opinioni obstare videtur, quod licet daremus ejusmodi fibras in lapide, non tamen humor in iis constrictus illas phases lunares tam regulariter exhibere valeret, propterea, quod influxus & impressio, & qualitates elementares, sit valde inæqualis, ratione que loci, regionis & temporis varie mutari contingat: unde fiet ut horum interventu illius phases a lunaribus aberrent, fiatque novilunium in gemma, dum hæc pleno refulget orbe; & econtra: quin eodem die sæpius mutabitur, si mutatio fiat in calore humorem gemmæ evocante. Exemplum argenti vivi quod affert, pro nobis facit: omni enim tempore ubi ignem sentit, in annulis vitreis inclusum movetur. Neque huc facit similitudo a pupillis felium desumpta, quæ phases lunares diversis temporibus referunt; siquidem ea mutatio pupillæ provenit a dilatatione & constrictione uveæ tunicæ: quæ in humore aqueo natans motum recipit a processu ciliari pro ingressu lucis moderando. Idcirco videmus quandoque feles, eodem tempore pupillam, modo dilatare, modo coarctare: quod etiam oculis humanis usu venit, qui lucem nimiam aversati pupillam minuunt: eandem in luce dubia adaugent.

Quod vero in felibus pupilla mutetur a figura circulari in lunarem & falcatam, ex ipsa structura uveæ provenit, ex duobus segmentis circuli coalita: unde persistente eadem chorda suo accessu & recessu ingressum minuunt aut dilatant: ejusmodi membrana est in oculis anatum, quæ ex cantho majori incipiens nictu momentaneo oculos claudit reseratque. Quod in pleniluniis felium pupillæ magis dilatentur, ratio esse potest, quod oculi non aliter ac cerebrum & medulla, magis tum implentur turgentque: majorisque lucis appulsu, ac proinde majori uveæ apertione opus habent, cujusmodi mutationes materiales in gemmis minime cernuntur. Et licet hoc peculiare haberent gemmæ certæ, ut fiat illa humoris crescentis & decrescentis vicissitudo: non tamen illa fibrarum constitutio miranda in selenite, in quibus humor crescens & decrescens phases lunares exacte æmuletur, temere & a casu esse potuit: non minus sane quam in plantarum foliis fibræ varie intertextæ: verum ex præscripto ideæ, quæ sicuti ad fabricam corporis, & singularum partium constitutionem, ita quoque ad illarum usum determinationem affert. Vnde magis verosimile ejusmodi phases lunares in selenite ad motus ideales referri, quæ ob consensum ad ideas lunares suscitantur. Nam cur alias lapis lunaris diceretur, si nullum inter hunc & lunam est symbolum; Quod etiam innuere videtur ipse Kircherus dum inquit, *non dubito quin multa alia ex herbarum familia sint, quæ uti dotes, ita & motum Saturni, Jovis, Martis, Veneris & Mercurii æmulantur.* Cum igitur hi motus uniformes a principio fiant interno, necesse determinationem advenire per jam dictas ideas, quas suscitat imagina-

imaginatio lunaris, non aliter atque in fœtu imaginatio matris.

XIV. Objicies. Licet luna ejusmodi phases nobis exhibeat, non tamen ea lucis incrementa inesse, verum continuo soli obversam ultra medietatem sui globi ejusdem radiis perfundi: ipsa vero non secundum illud quod nobis apparet, sed quod revera inest operatur. Resp. Cum Luna habeat partes a se differentes, non minus quam ipsa terra; analogiam esse inter dictam gemmam, & aliquas partes lunares, quas dum lux solaris tangit, in partibus gemmæ analogis resultare ea lucis simulachra.

Illud notabile, quod ait Marsil. Ficinus: "Anima "mundi totidem saltem rationes rerum seminales ha-"bet, quot ideæ sunt in mente divina; quibus ipsa ra-"tionibus totidem faciat species in materia: unde "unaquæque species per propriam rationem semina-"lem propriæ respondet ideæ. Res itaque subluna-"tes omnes in locis, in quibus nascuntur, suas ideas "& rationes seminales sortiuntur, per quas anima "mundi, quæ tota est ubique, fabricat species rerum.„ Homo igitur (eadem ratio est in reliquis animalibus & plantis, & quæ in terræ visceribus continentur) vim sibi inditam habet, qua simile producat; quæ similitudo esse non potest sine figura: hinc tanta in figura humana inest varietas ut non inveniantur vel duo per omnia similes. Quæ quidem rationes seminales ex se videntur immutabiles, cum sint imitationes idearum, quæ modo immutabili procedunt ab ideis divinis: rationes vero seminales in eodem subjecto figuræ corporeæ sequuntur. Mutatio ergo in his fit, vel ex parte subjecti in quo figuræ degenerant a symmetria; vel ex parte idearum, quæ ab aliis ideis transplantantur; prout contingit in fœtu per imaginationes maternas. Ratione autem subjecti, quia vel ipsa idea in eo recipitur perturbate, unde figuram detorqueri ac depravari est necesse: vel materia est inepta recipere ejusmodi figurationem ex præscripto ideæ seminalis.

SECTIO III.

Expediuntur nonnullæ qq. circa Stellarum fixarum numerum, distantiam a Terra &c.

XV. Quær. 1. Quid censendum de numero stellarum fixarum, infra Empyreum, media cœli regione, supra aëreum, collocatarum? Respondeo cum P. Gaspare Schott, Arrogantiæ intolerabilis notam non effugere illum, qui quocunque tandem telescopio instructus, omnes firmamenti stellas se perlustrare posse credat: stultitiæ vero certis numeris & nominibus constringere velle. Dei hoc opus est, qui solus numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat. Ps. 146. Certe cœli stellas innumerabiles esse facer Text. Gen. 12. luculenter innuit, ubi Deus Abrahamo: suspice cœlum & numera stellas si potes. Et cap. 22. Benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli; & velut arenam quæ est in litore maris. Et Jerem. c. 33. dicitur: sicut numerari non possunt stellæ cœli, & metiri arena maris, sic multiplicabo semen David servi mei. Unde fide digna sunt, quæ P. Rheita in Epist. ad Johan. Caramuelem data Coloniæ 24. April. A. 1643. Scribit se deprehendisse per tubum suum binoculum, quem Astrorum proditorem vocat, quique unico obtutu ultra 50. stellas oculo exhibet, se in sola Orionis constellatione duplo quasi plures stellas sæpius numerasse, quam veteres in universo firmamento scilicet quasi 2000. Nec veritatis limites excessit Galilæus, qui non dubitavit stellas esse ultra 1000. nec Ricciolius, qui L. 6. Almagesti cap. 6. n. 5. putat, nihil incredibile asserere putat illum qui numerum 2000000. excedere diceret.

XVI. Quær. 2. Quid de distantia stellarum a terraqueo? Resp. Non minus incerta & humano ingenio imperscrutabilis est stellarum fixarum a terra distantia, quam numerus: ideo ut hic solum Deum agnoscere Arithmeticum, eundem Astrometram venerari conveniat. Altitudinem cœli & latitudinem terræ, & profundum abyssi qui dimensus est? quærit Ecclesiast. c. 7. Ferdinandus Magellanus, navi dicta Victoria, circumnavigato totius terraquei ambitu, ad portum Hispalensem, unde solverat A. 1520. 20. Aug. post triennium & dies 28. videlicet A. 1522. 7. Septemb. cum viris 18. confectis leucis 14460. reversus est. Franciscus Dracus Anglus Eques Ao. 1577. solvit ex Anglia 13. Novemb. & circumnavigato Oceano rediit eodem 3. Novemb. Ao. 1580. Sed distantiam Cœli siderei a Terraqueo præter Luciferum ejusque asseclas dimensus est nemo. Prudenter igitur veteris astronomiæ principes, Hipparchus & Ptolomæus hanc quæstionem de stellarum fixarum distantia, tanquam nimis abstrusam, & mortalibus oculis imperviam reliquerunt. Neque enim ait Nic. Cansinus L. 2 de domo Dei cap. 24. satis verecundum illis videbatur, nec tanta nominis claritate dignum ea tentare, quæ supra humani ingenii vim essent; ea asseverare, quæ dubiis omnino rationibus & levi conjectura niterentur.

Nihilominus in quantum astronomorum solertia pertingere potuit, pro certo tenetur 1. aliquas stellas fixas esse altiores Saturno, & probabile omnes esse eodem altiores. Nam ut optime notat Ricciolius L. 6. Almagesti cap. 7. num. 2. certum videtur, stellas illas, quæ nobis occultantur a quibusdam Planetis, cujusmodi sunt omnes fere, quæ sunt intra Zodiacum, altiores esse Planetis illis, saltem tunc quando ab iis occultantur. Cum igitur multæ ex iis fuerint a Saturno occultatæ, certum est illas esse Saturno altiores: & cum omnes non solum intra, sed etiam extra Zodiacum servent eandem semper inter se distantiam, eandemque in motu æquabilitatem, probabile est omnes esse Saturno altiores.

2. Incertum est, an aliquæ, aut omnes stellæ fixæ sint statim & immediate supra Cœlum seu Regionem Saturni (in qua videlicet Saturnus Apogæus motum suum peragit) an vero intervallum aliquod, & quantum intercedat inter Saturnum & fixas? Qui enim Terram in medio Universi immobilem collocant, fixas immediate supra Saturnum statuunt: qui vero Solem in Mundi medium cum Card. Cusano & Copernico detrudunt, Terram vero per magnum orbem annuum contorquent, ingens inter Saturnum & fixas intervallum, interjiciunt, non tamen omnes ejusdem mensuræ.

3. Probabile est, non omnes fixas æqualiter distare a centro Terræ, hoc est non omnes esse in eadem superficie sphærica ex centro Mundi descripta; sed alias esse aliis altiores, profundiusque intra cœli liquidi crassitiem immersas.

4. Meris conjecturis atque arbitrio hypothesium intra probabilitatis terminos nituntur, quotquot

 fixa-

fixarum altitudinem determinant. Hinc tanta AA. discrepantia. Minimæ earum distantiæ tribuit Rheita semidiametros Terræ 2000000. (una semidiameter continet 860. milliar. germ. circ.)

XVII. Quær. 3. Quid de stellarum motu ejusque velocitate certi habetur? Resp. Omnes Astronomi ac Philosophi, qui Terram in Mundo medio immobilem collocant, tribuunt stellis fixis motum circa Terram spatio 24 horarum, oculorum experimento, Scripturæ sacræ authoritate, & ratione ipsa id exigente, ita tamen ut hypothesis contraria Copernicana non sit contra fidem. Quem quidem motum adeo velocem esse oportet, ut humano ingenio comprehendi vix possit. Quæ etiam causa est cur Copernicus cum sequacibus præstantissimis Astronomis cum neget, ac potius Terræ motum, Astris quietem assignet. Quantus autem sit ille motus, certo statui non potest, nisi stellarum distantia a centro Mundi certo determinetur. Æque igitur ac ipsa distantia, incertus est motus, aut potius ejus velocitas; & quidquid statuatur, probabilitatis limites non excedit.

Sic autem colligitur, assumpta probabiliter quacunque distantia earum a centro Vniversi. Distantia stellarum fixarum a Terra duplicatur, & fit diameter circuli maximi, quem illæ spatio 24 horarum percurrunt. Hæc diameter vel ducitur in 22. & summa dividitur per 7. vel in 314. & summa per 100. dividitur; & habetur circumferentia dicti circuli maximi in semidiametris Terræ, quas fixæ uno die motu diurno percurrunt. Hic numerus dividitur per 24. & habetur numerus semidiametrorum terrestrium, quas fixæ una hora percurrunt. Hic rursus dividitur per 60. & habetur numerus semidiametrorum, quas uno minuto absolvunt. Hic demum dividitur per 60. & habetur semidiametrorum Terræ numerus, quas absolvunt fixæ uno secundo horario.

Juxta has Regulas Jo. Bapt Ricciolius confecit sequentem Tabellam ex mente appositorum Auctorum.

XVIII. *Velocitas Stellarum fixarum in motu diurno ab Oriente in Occidentem, expressa in semidiametris terra, quas qualibet in Æquatore posita percurrit.*

Auctores.	Hora I.	Minuto I.	Secundo I.
	Semidiam. Terræ.	Semidiam. Ter.	Semidiam. Ter.
Tycho Brahe.	3663.	87 $\frac{1}{2}$	1 $\frac{27}{60}$
Albaetegnius.	4972.	82 $\frac{5}{6}$	1 $\frac{23}{60}$
Maurolycus.	5240.	87 $\frac{1}{3}$	1 $\frac{27}{60}$
Barocius.	10582.	176 $\frac{1}{3}$	2 $\frac{56}{60}$
Ptolomaeus.	11834.	197 $\frac{1}{4}$	3 $\frac{17}{60}$
Ricciolius.	549500.	9158 $\frac{1}{3}$	132 $\frac{2}{3}$

Has mensuras si velis in Milliar. Italicis, multiplica numeros prædictos per 3440. Ex distantia & magnitudine apparente fixarum deducitur magnitudo vera, de qua Astronomi.

TRACTATVS XVIII
DE
COLORE ET LVCE.

I. Tanta est connexio inter colorem & lumen, lucem & calorem, lumen & lucem, ut unum sine altero concipi & explicari nequeat. De colore quod sit, cæco tantum dubium esse potest. Quid quod & cæcos de calore judicantes vidimus, idque per tactum. Refert nobiliss. Boyle, fuisse quendam prope Trajectum ad Mosam in Belgio, nomine Johannes Vermaasen, qui jejunus judicabat juxta gradus asperitatis; hoc fere ordine, ut 1. nigro 2. albo (quos tamen colores difficillime a se dignosci fatebatur) 3. viridi 4. cæsio. 5. flavo. 6. rubro & 7. cæruleo tribueret, qui tamen duo postremi æque difficulter inter se, ac albus a nigro discerni a se possent, prout etiam circa hos coram D. J. Finch anatomico, qui ex curiositate Cæci hujus de calore crisin experiri voluit. Vtut sit, sane prudentius judicium tulisse mihi videtur Cæcus iste Vermaasen circa Colores, quam Medicus ille in suo opusc. " de Motu, edito "Lugd. Batav. Ao. 1688. negans ullum esse in Sole "ignem, imo nec esse posse, imo inquit ne quidem Sol "lucet, & perinde oportet lumen ab igne distinguere, quam idem a Sole depellere: hoc magis, quod nec, lumen, nec calor in Sole, aëre, igne unquam sint; sed lumen in visu, calor in tactu, id est ambo in mente: quia sine mente, quæ videt & sentit, nec lumen, nec calor esse potest, cum sentire & ea quæ sentiunt, correlata sint, quorum alterum sine altero esse nequit. Igitur ut dolor, qui a cultro excitatur in ipso sentiente, sic lumen in vidente, calor in tangente, esse debet, atque ita clarum esse debet, tum nos lumen, recipere, vel calorem sentire, quando corporum particulæ, quæ putantur lumen aut calorem in se habere, certo quodam modo visus aut tactus organum, afficiunt unde oportet ignem ad certum aliquem motum referre, neque in eo quid ultra requirere, " Bonitekoë.

Videtur mihi hic Autor prodiisse ex Nosocomio Philandri Van Sittenwald: miror summopere hujusmodi deliria viri alias docti cerebrum occupare potuisse. Num si omnes homines claudant oculos in meridie, aër non erit illuminatus? quid est dicere lumen & calorem sine mente esse non posse? quod nomine

mine mentis intelligi vis? Ego animam rationalem, Angelum vel Deum hoc nomine concipio. Visionem, cæterasque sensationes in & ab anima sensitiva perfici existimo, & quidem perfectissime in brutis, a quibus mens omnis abest. Et nonne Deus condidit lucem prius, quam hominem? quid exoptavit magis cæcus ille Evangelicus Marc. 10. 52. quam ut videret? quid? lucem aut lumen in suo oculo, in sua mente? apage has nugas! oculis carere meretur, qui mundum a sole lucido illuminari diffitetur.

II. At propter quid sit color, quis mortalium scit, ait Honor. Fabri Phys. Tract. 3. L. 1. v. gr. quænam sit candoris & albedinis ratio; unde sit purpuræ fulgor, nigredinis horror; viriditatis voluptas; cærulei gratia; flavi pretium & decus. Sitne accidens, an substantia? corporeum quid an incorporeum? Eædem qq. de luce moveri possunt; doctissimus Scaliger exercit. 325. §. 4. ait: Lucis natura, sicut & aliarum rerum species, latet in profundissima caligine inscitiæ humanæ. Quod si in ipsius lucis essentia cognoscenda caligemus, quid de reliquis creaturis dicemus? quantulacunque tandem erit scientia humana dicenda? Hinc Socrates post omnium rerum perscrutationem dixit: *Unum scio, quod nihil scio.* Et D. Hieron. post totius scripturæ sanctæ interpretationem propriam, & aliorum Græcorum, Latinorum & Hebræorum, variasque eventilationes verbi divini dixit: *Hoc de his scio, quod nihil scio.* Idcirco admonet nos Magister Gentium 1. Cor. 8. 2. *Qui putat se aliquid scire, is nondum novit quomodo oporteat eum scire.* Sæpe laudatus e modernis eruditis D. Rob. Boyle de vulgari philosophandi Peripateticorum methudo hanc ferre censuram non veretur: "Quamvis "eruditi multi (quos solidiora principia latebant) in-"genia sua in asserendis Peripateticis satis ostentarint: "Vereor tamen, ne lectoribus suis minimo usui fue-"rint, dum non tam naturæ, quam ingenii sui subti-"litatem spectandam protulerint. Particularia enim "phœnomena, quæ vel videntur, vel sunt difficilia, "substantialibus formis, & nescio quibus vix nomi-"ne tenus cognitis qualitatibus adscribere, est expe-"dita quædam, at tam generalis difficultates omnes "superandi methodus, ut istiusmodi naturæ urinato-"res, incuriosos ignavosque vel faciat, vel saltem esse "permittat: adeo ut a bis mille abhinc, plus minus, "annis, nempe ab Aristotele retro Philosophi (qui "natus olymp. 99. ante Christ. Ao. 384. obiit olymp. "114. 3. ætatis 63. ante Christum Ao. 322.) qui in "illius physica jurarunt, propter pecularia saltem "ipsius principia, *velitationibus nugatoriis* tantum-"modo litigarint, *nullo adhuc usque naturæ principio* "*enucleato,* nullo etiam experimento, quod juvet, de-"prompto."

Hippias econtra, & non pauci ex neotericis sciolis, modice in Grammatica & Dialectica versatus putavit se omnia scire; aliique rudiores ex hoc quod sciunt verba Magistri, putant se omnia scire. Ad quos ait Apost. qui vult scire, is stultus fiat, ut incipiat scire, id est, prius intelligat se nihil vere scire (nempe adæquate & exacte) perfecteque. Sed de hoc plura in Tract. XLI. de Scientia.

Disquiremus itaque hic naturam lucis, luminis, coloris, & verisimiliora eligemus.

SECTIO I.

Quid Color, quotuplex, & Lux?

III. Nihil augustius datum esse homini a Deo experimur, supra oculorum dignitatem: quibus, non modo quæ ad salutem & destructionem corporis idonea sunt, a longe agnoscimus, ut sequamur aut declinemus, cujus gratia & cæteris animantibus data sunt: sed ut contemplemur sidera, & luminaria & cœlum, & aëras impressiones, igneas aqueasque, & ordinem cœlestium, & rerum superiorum cum inferioribus communicationem, & temporum vices, & annos, & menses & dies ac noctes, & moventis Dei cuncta, & ordinantis operationes, quas imitemur, & tanquam in codice divino omnia ejus judicia perlegamus, ad quod bruta non assurgunt, licet habeant oculos: quoniam sentientem Spiritum, non autem & Mentem habent in oculis. Nec Platonem id latuit, neque Anaxagoram; & prior David de Cœlis enarrantibus gloriam Dei, & de Sole in eis hospitato, exultante ad concurrentes vias ad rerum nostrarum salutem, & quomodo videri utilissimum est cœlos Dei opera digitorum suorum, lunam & stellas quas ipse ædificavit, ut elegantissime cecinerat.

Hæc autem omnia nobis primo declarat quasi magistra lux, per se visibilis, omniumque coloribus tingibilis, quod ad nos ex illis resiliens intra oculum ad videntem defert: & quia quantificatis tingitur coloribus & figuratis, affert simul notitiam figurarum & quantorum: & quia corporum sunt figuræ; animatorum & insensatorum eorundem conciliat notitiam. Et quia motorum & quiescentium, ergo & motus & quietes, & operationes, & distantias, aliaque innumera, & congressus & situs & configurationes coloratorum entium. Ex lucis enim intuitu physice, ad divinæ lucis assurgimus cognitionem per analogiam: quidquid enim manifestativum est, lux est & vocatur, & merito.

IV. Color *est apparentia rerum*, vel sicut dicit Pythagoras, epiphania: Ergo quoniam oculis apparentia solum convenit per se, ac proprie; aliis autem sensibus, & viribus animæ, & angelorum per similitudinem & analogiam: ideo quidquid per se oculis offertur, color est. Et quia non modo corporea, sed & incorporea lux, & calor & forte frigus: idcirco dixi *rerum* & non *corporum.*

Iterum quoniam ea modo sensibus apparent, quæ vim movendi habent & agendi: sensatio enim est passionis illatæ perceptio, & mensuratio virium agentis illam passionem; propterea juxta virtutem agentium, earum apparentiæ discernendæ sunt.

Sunt autem quædam entia viva sui diffusiva & multiplicativa; ideoque activa; quædam vero sunt non viva, sed quasi demortua & elementata elementorum castigatione nata. Ita similiter dicimus, alios colores esse vivos, & per se apparentes, ut lux: alios demortuos, & alterius manifestatione se manifestantes, quorum sunt cognati, ut pallor, rubor, viriditas, & cæteri id genus.

V. Lux ergo *caloris est facies*, color, vultus, apparentia, epiphania activissima: sicuti calor a materiæ non possessa vi. At quomodo caloris, si est incorporeus, lux facies erit? incorporeum ens subjectum fieri coloris non potest. Multa etiam, lucida magis, caloris minus habent, ut nix, & fatui vocati ignes; & quæcun-

cunque noctu lucent non calida itidem tantundem, nec tuminum. Vnde Patritius 4 faciens rerum principia, lucem a calore secrevit.

Sed profecto cum lux activa sit: nec duo activa ejusdem ordinis sint, sed contrarii ut calor & frigus, lux & tenebræ, neque lux a calore tanquam principium distinctum statuendum erat, eum segregari ab invicem sola ratione possint. Calor ergo qua tangitur sensu crassiori, vocatur calor; qua graciliori, lux. Quæcunque enim lucent, calefaciunt, disgregant visum, & materias obsistentes, cœcant oculos, si nimis lucent; delectant, si blande; quod etiam calor in tactu robuste aut blande agens.

VI. Sol quoque lucidissimus, ut ignis, calidissimus esse probatur: & quæcunqoe vincit calor, illuminat, ubi unitus est lumine nobis manifesto: ubi autem non adeo vincit, vel non unitus est, illuminat quidem lumine nobis occulto. Cœlum ergo caloris ratefacientis opus lucidum videri debet. At quia rarum est, & unitum calorem non habet, nec per consequens robustum, qui seipsum spiritui nostro intra crassas tunicas & humores retento, queat manifestare, idcirco ejus calor non apparet: veluti & flammæ docent, quæ dum unitæ sunt prope lucernam collustrant omnia, & sursum elatæ invisibiles fiunt, quia in tenuitatem disgregatus calor non continet tantas vires, quæ nobis possint esse manifestæ & apparere. Apparent tamen animalibus, quæ tenuiori & minus lucido spiritu, quam noster est, donata sunt, ut vespertiliones, noctuæ, pulices, lepores & blattæ, quæ noctu vident, & longa conficiunt itinera, aeris luce, non stellarum aut Solis: sic antipheronti, cui laxæ etant oculorum tunicæ, exilisque spiritus, propria imago ex aëre circumfuso resiliens semper videbatur. Aer ipse & aqua lucida sunt, ut transpicuitas eorum indicat: & cum densantur in candidas bullas aut spumam lucent; inque illis, tanquam in cognatis insuper lux exhilaratur, & augetur. Caloris autem opus esse transpicuitatem, opacissimæ res terræque declarant, quæ a calore solutæ fiunt transpicuæ, & in cineres, & calces redactæ, ac deinde fusæ in vitrum diafanum convertuntur. Quod propterea admittit augetque lucem, caloris faciem, quia diaphaneitas est opus caloris, lucique cognatum perviumque. Non quidem ob pororum rectitudinem, sicut vulgo putant cum Epicureis & Arist. in problem. & in 4. Metaph. quacunque enim via, posituque lucem excipiat vitrum quantumvis crassum, aut crystallus, penetratur & lucem auget. Vt autem quaqua versum pori illi recti obvertantur incidenti luci vitrum meris constare poris necesse, quod incredibile. Similiter aquæ omnes perviæ luci sunt, & globus vitreus aqua repletus, luce & calore sic penetratur, ut ignem, non minus ac speculum causticum, generent radii in foco collecti: undique & cum stant, & cum agitantur ad quemcunque situm: pori autem ad quæcunque non respiciunt, nisi velis aquam totam esse ens vacuum incorporeum. Bullosa tamen aqua illustrior a loce fit, sed non transmittit ad nos, propter multarum pyramidum ad situs alios lucem torquentium.

VII. Præterea solà opacitas vel gracillimæ laminæ aureæ nedum chartaceæ lucis penetrationem impedit, quam crassissimum Chrystallum ac mare admittit undequaque. Ergo cognatio transspicuitatis cum luce est in causa, non autem pori aut dispositio quæpiam. Lux autem unita in transpicuis urit ignitque, ut nulli dubium sit ipsam esse calorem apparentem; qui nimirum sparsus, ut in aëre, vix sentitur: unitus autem intra nubes & specularia entia, roboratur & ignit.

VIII. Peripatetici autem, Naturæ concordiam non intuentes, putant aliud esse lucem, & colorem, & transpicuitatem & calorem: propterea quod in glacie & roborari lucem, & transpicuitatem vident; & in aquis frigidis, & in cœlo, quod reputant alienæ naturæ ab inferioribus: unde non magis a calore, quam a frigore, & quam a neutro corpore esse habere autumant. Imperite quidem, ut ait Campanella L. 2. Met. p. 167. Si enim Cœli naturam & Solis lucidissimi calidissimique propria luce & calore, & non alienia, factis in aëre ab nihilitatis plena percussione, inspexissent in ipsis sideribus, & cœlis, & non in libris Aristotelis: item aquæ exortum ex vaporibus a sole genitis, etiam ubi non adest frigus in aquam spissatis, considerassent, etiam in glacie opus caloris perspicuitatem agnovissent, & frigidam ipsam externo frigore, & non nativo intellexissent, donec transpicuitatem perdant prorsus, & albedinem; sicut & glaciatum vinum, & oleum, & mare glaciatum, nativo calore non carent, ligato tamen ab externo frigore in viribus, non in facie: quandoquidem adhuc nix disgregat visum, cæcatque oculos instar lucis flammantis. Igitur & chrystallinus humor, & aqueus, in quibus fit visio, albi sunt simplicissimo albore, qui est transpicuitatis comes, aptissimique tingi omnibus coloribus a luce delatis: quæ etiam simplicissima cum sit, omni colore tingitur, ideoque sic facere visionem.

IX. Proptereaque aër invisibilis est nobis, quoniam colorem in transpicuo rarefacto, non in unito habet, qualiter aquæ & vino inest, nostri Spiritus colori persimilem, ut etiam Tertullianus cognoscit: simile autem a simili non patitur. Si autem quis ipsum exiliorem haberet, aërem inferiorem in dispositione & luce, is utique & aëris lucem videret, & transpicuitatem.

Hoc idem accidit in omni sensu: neque enim calorem in manu Medici sentit febricitans calidior; neque saporem lingua obtusa, vel calidior admissis saporibus, nec sonum auris, innato sono suo minorem, nec nasus odores spiritum quoquo pacto non vincentes.

At quidem aqua marina intra cubiculum clausum noctu, si exagites manu, lucere statim apparet: lucent & squamæ piscium, & putrida ligna a calore diu confecta, & catorum oculi, & cicindelæ de nocte: quoniam calorem, qui vicit faciem materiei, habent talem qui possit se effundere usque ad videntem animam in nocte. In die autem non potest, quoniam luci majori solis miscetur, & non discernitur. Sicuti nec color auri in albo lapide, sed in nigro affrictus conspicitur: in albo vero ejus opacitas conspicitur, a quo non occupatur, ut a nigriore opacitate adamussi: Sic neque stellæ in die videntur. Eadem ratione putandum, in aëre, ut aqua dulce, minorem quam in salsa esse colorem, quia minorem etiam obtinent calorem, propterea que non lucere nobis in nocte, sicuti marina & squamæ piscium: lucere autem catis & vespertilionibus, & noctambulis animalibus.

Argumentum ergo quo colligunt lucem a calore in his segregandam esse, nullum est. Calor enim ille cicindelarum & marinæ aquæ non est tantus, qui crassum nostrum tactum immutare queat, sed tantummodo gracillimi transpicuique Spiritum gracillimum tenu-

tenuissimumque absque valido sensu caloris. Etenim & lux candelæ calida est, & solis hyberni, quæ tamen caloris sensum non facit, nisi propinquissimis: nam a longe stantes in domo, non magis lucernæ calorem sentiunt, quam stellarum.

Dices: Cicindelæ & fatui ignes, qui tacti non urunt, a longe tamen lucent. Resp. Quorum materiæ facies devicta est a caloris facie, modicus calor sufficit, ut in illis luceat, qui nostro tactui insensibilis est, non autem oculis: comparavimus autem lucem in aëre effusam a candela, cum luce fatuorum ignium. Sulphur quoque per se accensum, absque materia aliena, ignem emittit non urentem. Vstio enim nec in eo est, cum materia facili negotio convertatur in ignem tenuem, resistentiam non invenientem. Quæ autem a calore occupantur, non autem in facie etiam vincuntur, & calida esse valde possunt, non tamen lucere, ut patet in carbone.

X. Cæterum loquendo de colorum natura & distinctione, hæc nobis videntur certiora, licet nondum ab omnibus recepta. I. Vna videtur nobis & eadem colorum natura, sive ii sint fixi & permanentes, sive fugaciores & pene momentanei: cum utrique visum eodem modo afficiant, proinde inutilis prorsus est vulgata illa colorum distinctio in *reales* & *apparentes*: nam coloris natura in eo posita est, ut videatur aut saltem videri possit, neque ullum visus objectum figmentum esse potest. Huc adde colores iridis, aut trigoni vitrei, qui apparentes vocitantur, ab omnibus sine discrimine cerni, eos a speculo ut reales reflecti; ac simul temperatos, aut cum realibus permistos easdem colorum differentias procreare, quas cernibus in coloribus fixis, dum una miscentur. Colores autem simplices, e quorum mixtione innumeros conficere norunt pictores, sunt 5. Albus & Niger, Ruber, Cæruleus, Flavus. Ex nigro & albo cæsiorum plurimi fiunt. Cæruleus & flavus maximam viridium pariunt varietatem. Ruber & flavus dant aurantium fuscum. Ruber cum pauculo albo dat gilvum. Ruber cum tantillo cæruleo exhibet purpureum. Et hæc composita pariunt infinita de composita. Cyani succus recenter expressus, saturi amœnique coloris est. Si parum spiritus salis admisceas, rubrum efficies: si vero paululum fortis solutionis salis alcalizati, gradum viride emerget. Probabilissimum enim est colorum diversitatem provenire a salium mixtura, ut cum Paracelso tenet Leo a Stipite, salem ut causa potissima.

II. Color consideratur vel ut qualitas residens in corpore colorato, lucemque hoc vel illo modo modificans (qui dici potest color in actu primo) vel ut lumen ipsum, quod sic modificatum, tinctum & reflexum ferit organum visus, adeoque sensationem istam, quam colorem in actu secundo, & genuinum, vocamus, contra usitatiorem loquendi modum, apto tamen conciliandis sententiis. Certum enim est lucem per se sumptam esse homogeneam, & diversimode ab objectis modificatam & tinctam repræsentare varietatem colorum. Quod autem supra de Cæco discernente colores ex tactu, per lævitatem & asperitatem corporum retulimus, sciendum experimentum illud factum in diversi coloribus tæniis (des rubans): vix enim crediderim in marmore albo, nigro aut porphyrite æqualiter lævigaris & politis discretionem colorum a cæco quocunque repertum iri.

III. Colores alios dici vivos, alios mortuos. Ex vivis coloribus primis in rerum natura fiunt dies & nox: dies enim lux est, a sole utpote luminoso corpore tanquam fonte effusa. Nox tenebræ, a tellure, opaco nimirum corpore, similiter effusæ. Ex die autem & nocte, e luce nimirum & tenebris, omnes demortui constituuntur colores, qui seipsos effundere nequeunt. Lux quidem paululum debilitata, ac fœdata tenebris, fit alba. Albedo enim lux mortua est, materiæ opacitate confusa, ut in hac charta: quæ combusta, abeunte calore cum tenuitate cujus facies est albedo, materici facies nigredo detegitur, non quidem frigoris. Vnde duplices statuere licet tenebras, alias activas, quæ sunt facies frigoris, quæ forsan ad nos non effunduntur, quia frigus non adeo potens est, ut suam contra solem & aerem effundere valeat faciem, nisi forte in centro inferno tellurisque. Ratio tamen convincit frigoris esse nigrefacere, sicut caloris albefacere per se: licet aliquando faciem materiæ detegendo videatur nigrefacere per accidens: uti & frigus albefacere, cum calorem album intra nives ligat, unitque: hyeme tamen vigente nigrescunt omnia, & ipsæ nostræ manus in nigredinem declinant, frigore nimio correptæ.

Alias Tenebras passivas materiei ei faciem ponit Camp. cum Telesio, propterea quod in combustis carbonibus sine frigore reperitur. Facies autem materiæ activa non est, cui nimirum repugnet habere activam qualitatem, non autem passivam. Nescimus enim an frigus materiæ contentum facie, luci opposita, opaca entia non permeantis, nullam habeat præter hanc.

XI. Colores igitur constitui arbitrantur ex caloris facie (luce) & materiei (tenebra) commistis. Itaque primo tincta lux, est alba: magis autem fœdata fit pallida; magis, crocea; magis, viridis; magis, purpurea; deinde cærulea, deinde cianea, deinde fusca, tandem nigra. Similiter & nigredo, si illi admisceas nigredinem in liquore, vel actione caloris, fit fusca, dein ciana, dein cærulea, donec albescat. Hi autem gradus non similiter ubique fiunt: sed coquendo vinum album, primo fit pallidum, quando parva tenuitas alba in fumum evanescit, remanetque materiæ facies paulo detectior: mox fit croceum, mox rubrum, mox fuscum, mox nigrum. Similiter si in vino nigro aquam infundas, videbis ipsum per varios continuos colores ad alborem venire. Manifeste ergo ex albo nigroque fiunt colores, & ex terra & sole originem habent. Ex eorum ergo differentiis licebit de materiæ crassitie, & inopia, & de robore caloris & copia, argumentari. Robustior enim est in materia densa; copiosior in laxa, quia devicit. Languidior in tenui, quia nec unitus ut robur ostendat, nec multum, ut copiam augeat. Cognoscitur autem facile materiæ copia & inopia ab ipsis coloribus. Qui enim suscipit tincturam alterius, vicinior est luci: qui vero non suscipit, vicinior est tenebris. Propterea que transpicua sunt albissima; & cum rubescunt, aut virescunt ut pyropus & smaragdus, altero dum solvuntur, infuso liquore crassiori, fœdantur. Cœlum quoque albissimum transpicuumque, cæruleum apparet, propterea quod aliena lux stellarum, non propria ipsa cœlestis tenuitatis nobis apparet: quæ stellarum lux in immensam cœli sparsa molem, debilitatur extenuatione sua, & a materiæ facie, quamvis de-

victa. Igitur a proprio vigore alienatur, ergo & ab apparentia: velut enim viget, ita sensum movere potest, hoc est apparere. Igitur non fusca, aut nigra, quasi in fine debilitatis suæ cernitur. Similiter mare ubi a supposito solo colorem non mutuatur lux, cæruleum apparet: ubi autem profundissimum, nigricat: fœdata nempe luce ultra terminum cæruleitatis: nihilominus aqua maris in vase, aut glaciata, aut in solem versa, alborem aquæ ostentat.

XII. Quod autem tenebras non esse meram privationem lucis diximus, tametsi exoticum tibi videatur, non tamen fabulosum videri debet, cum ea opinio gravibus nitatur rationibus mox allegandis. Manifeste, inquit Campan. L. 2. Met. cap. v. pag. 169. Tenebra ens est: defluxus quidam ex opaco corpore, sic lux ex luminoso, aut lumen ex corpore lucido. Quod & nigredo admonet, remanent in præsentia quoque lucis, ubi a materiæ crassitie possidetur. Suadetur autem 1. Si alterum contrariorum est ens, & alterum sit, oportet; prout Arist. in 2. de Cœlo. T. 17. fortiter contendit. Hoc autem maxime de contrariis activis verificatur. At lux activa res est, ut ipsimet fatentur, & oculis luce cæcatis testantibus. E. & ejus contrarium ens est. Item opacitas in tenui charta obsistit luci, ne transiliat, quæ tamen crassissima vitra penetrat, ergo luci est contraria: nihilum enim non resistit. 2. Sicut sol expandit lucem, sic tellus tenebras. Non-ens autem non expanditur. Ponere in tenebris entibus, privationem lucis non ens aliquod, rationale est. At illas nihil facere, irrationale. Frigus quidem caloris privatio vocatur ab Arist. in 1. de gener. T. 18. & 11. Metap. & sæpe: non tamen frigus est non-ens, licet caloris privationem contineat, sed (ut Aphrodys. & alii admonent) contrarium vilius semper dicitur privatio & non-ens. Vnde in 1. de Gen. Arist. inquit, generari simpliciter ens & habitum, ut ignis & calor: secundum quid, non-ens & privationem, ut tellus & frigus. Et hoc ex Parmenidis sententia manavit dogma loquendi. 3. Nigredo color est, etiam Aristoteli, quæ tamen ipsa tenebra demortua est, & visum congregat, velut albedo debilis est lux, disgregatque. Congregare autem & disgregare, opera sunt frigoris & caloris, vel consimilium activorum. Verum & caloris abscessu compingitur vitrum, nedum frigoris ope, ut nescias an nigredo materialis sit facies, (uti Telesius æstimat) an frigoris, ut ratio aliqua probat. Sed Peripatetici quomodo effugient negantes tenebras esse ens? Vnde enim ater color harum literarum effunditur, utrumque habet, & realitatem? nisi aliquod ens reale nigrum sit, ac proinde nigredo ens sit? Item quomodo Arist. ex privatione & qualitate medios miscebat colores, ex ente & non ente, qui medios participatione facit: non-entis autem participatio non est, nec totum, nec pars. Tandem nedum natura sed & naturæ author in sacris eloquiis tenebras ens esse docet Gen. 1. dum dividit lucem a tenebris: ridiculum enim est dividere aliquid a non-aliquo. Item vocat tenebras noctem. Nox autem ens est. Et Isaiæ 45. *Ego*, ait Dominus, *& non est alter, formans lucem & creans tenebras:* quod dicit contra eos, qui alterum Deum introducunt terræ & tenebrarum, & malorum causam, ut Simon Magus & Manes a quo Secta Manichæorum: alterum lucis & cœli & bonorum causam. Constat autem liquido creationis effectum non esse nihilum, sed ex nihilo; alias idem esset terminus a quo, & ad quem; & frustra Deus gloriaretur, se fecisse etiam tenebras, si nihilum sunt, & nihili authorem se jactaret.

Quid autem sit negatio, & quid entis? an sit merissimum nihil ex omni parte? an vero ens negativum semper supponat simul positivum, ut contendit P. Kimmet pag. 71. alibi ex professo discutiemus.

IV. Album & nigrum multum dependent a positu & textura minutarum partium; ut patet in exemplo distillati cornu cervi in Retorta vitrea, & capite mortuo in vasis patulis calcinato &c. Boyle de coloribus p. 53. Experim. 3. Sic vini albi tartarum crematum absque vera calcinatione Caput mortuum (sic Chymici vocant partem fixiorem) nigrum est: at si calcinationi instes, donec penitus incineraveris Tartarum, satisque diu in forti igne retinueris, residua calx alba erit. Sic ligna alba, ut Corylus, atrum carbonem, postea vero cineres albicantes suppeditant. Carbones ex ligno Oxycedri albos esse testatur Bellonius apud eundem Boyle l. cit. 55.

V. Colorum mutationes salinis liquoribus magna ex parte sunt tribuendæ, dum partium texturam & ordinem perturbant, & luminis refractionem mutant. Sic cupri limatura spiritu urinæ soluta, & cæruleo colore tincta olei vitrioli affusione omnem colorem exuit. Contra liquores salini & sulphurei, dum partes ante disjectas in unum cogunt, novos colores præbent: quod & præcipitationes omnes & mille experimenta demonstrant. Videre juvabit illustrissimus D. Boyle in eleganti de Coloribus libro, & Philosoph. Reg. Burgund. tom. 6. P. III. Phys. cap. ult.

SECTIO II.

De Lucis incorporeitate, & hujus propria ratione.

XIII. Quæritur quodnam sit objectum visus? Resp. Lux. Ratio est, quia objectum dicimus, quod per se cognoscibile est, & causa est ut cætera cognoscantur, ergo visus objectum lux est, quoniam alio non indiget visibili ipsam manifestante, sed per se ubicunque se se conspiciendam præbet: alii vero colores nonnisi ipsa manifestantur, & per ipsam videntur: noctu enim invisibiles sunt, ubi nihil lucet. Lux autem quia simplicissima est, nata est omnium rerum faciebus tingi & colorari, & ideo quoniam sui multiplicativa est, undecunque & in oculos intrat, & vultus rerum quibus est tincta afficiendo spiritum seipsa & illis simul patefacit. Vnde sapientissime dixit Apost. ad Ephes. 5. Omnia a lumine manifestantur (& quare?) quia omne quod manifestatur lumen est. Recte quidem, non enim video Petrum, lapidem & parietem, sed lucem sive lumen tinctum vultu Petri, lapidis, parietis & cæterarum rerum visibilium per lucem. Lux autem per se manifestatur, & per ipsam alii colores, & per consequens figura, & quantitas, & superficies, & corpus subjectum coloribus, delatos a luce in oculos. Quæ autem illuminari non possunt, nec videri possunt, ut motus, & sonus & syllogismus & cætera: Lux autem a sole est. Ipse sole autem a Patre luminum teste S. August. in L. de cognitione veræ vitæ. Insipienter ergo peripatetici arbitrantur lucem non esse objectum visus, quia non est color, sed actus diaphani interminati. Color enim ut diximus apparentia est: nihil autem luce apparentius invenitur. Color ergo ipsa est, sed vivus. Color autem lux est

mortua

mortua fœdataque. Causa ergo ut sit, & ut manifestetur color, lux est: ipsa ergo objectum visus est, ut & D. Anselmus monet in L. de Gratia.

At licet lux & tenebræ colores sint, ut dies & nox: non tamen visus objectu sunt tenebræ, sed sola lux: spiritus enim noster lucidus, tenuis & perspicuus est, mobilisque, gaudet ergo ipsa luce tanquam cognata re: & tunc modo contristatur, cùm lux intensa nimis oculos humores liquefacit, & fabricam evertit vigore suo combustivo. Spiritus autem extra corpus igne gaudet, vivus vivo; cum tenebris autem societatem nullam habet: ideoque ipsæ invisibiles sunt. Nam ita clausis oculis atque apertis, nocturnas tenebras intra cubicula, ubi nulla lux vel particula adsit, non comprehendimus, & a lucis absentia eas judicamus.

Nigra vero entia in die videmus, quoniam lux ab eis tincta oculos subit, & defert ad sentientem spiritum.

XIV. Quær. 2. Quid sentiendum de definitione lucis in Peripato celebrata, dum dicunt *lucem esse actum diaphani, in eo quod diaphanum, ac interminatum est.* Resp. esse inanem. Non enim modo declarandum erat in quo subjecto lux sit, ac recipiatur, sed quid sit. Sed mos est Peripateticorum, nullas essentias attingere, sed per subjecta, & extranea & communia logice, & sophistice omnia definire. Quid est anima? Est actus corporis organici. Quid motus? actus mobilis. Quid qualitas? a qua dicimur quales. Quid actio? a qua dicimur agere &c. & similiter ubique inaniter dogmatizant. Cum enim essentiam, & causas, & elementa & vim & actiones declarare debuissent: & in quo corpore primo sit, & propter quid, & unde, posthabita philosophandi ratione, ad modum discendi & loquendi logicum fugiunt, ne propriam ignorantiam fateantur, sed verborum versutia tegunt. Quis enim ignorat lucem recipi in diaphano, & ejus actum fieri? & motum in mobile? sed hujusmodi vulgaris declaratio notissimæ rei est magis obscuratio, quoniam nihil docet; insuper futilis & fallax est. Nam & opaca entia lux occupat, & ferrum ignitum, & ipsum undique penetrat. Item non interminati modo transpicui, sed & terminati actus videri debet. Etenim Chrystallus, & glacies & adamas, & multa dura entia, termino proprio non carentia a luce actuantur similiter, ut carentia.

Ne dicant Perspicuum coloris expers esse, ut possit lucem & colores suscipere. Sic enim terra magis colorem & lucem susciperet, ipsa enim juxta dogmata peripatetica distantissima a Cœlo est, continens omnis coloris & lucis privationem. Ergo ipsa maxime colores admitteret, & lucem, sed falluntur. Quoniam Transpicuum non sucipit lucem, quod abs color natura sit, sed quia luci est cognatum, & a colore vincente genitum, itaque & propria dispositione ita donatum, ut vultui caloris, luci nimirum non repugnet, sed maxime ipsam admittat. Ideoque ipsa in transpicuis exhilaratur, amplificatur, augetur, quasi in proprio regno usquequaque permeando. Et sicut candor omnibus inficitur coloribus, quia luci proximus, ita & magis transpicuitas, quæ simplicior est in priori gradu ante candorem. Nec frigus glaciei ipsam impedit, quia dispositione, facie & viribus, repellere potentibus, caret.

XV. Nec assentior P. Honorato Fabri canitiem pilorum adscribenti humoris defectui, quasi nigredinem causaret humiditas. Neque enim ligna & tellus humore nigra sunt, sed crassitie multa: a calore autem passa albescunt; sicut & cera flava soli exposita & sæpius irrigata candescit, non quia siccescunt, sed quia calorem participant. Nam a multo calore correpta ligna in flammas albas, & tenuitatem, & in cinerem & vitrum vertuntur: potius quidem siccitati ater color, quem terræ dant peripatetici, tribuendus erat: quandoquidem adusta corpora melancholica, & exsiccata nigrescunt: phlegmatica vero & puerilia humidissima flava albaque nascuntur. Mox a calore solidata nigrescunt magis minusque, in senectute vero albescunt, cum calor albus ex capillis exhalare nequit. Atrabiliosos tamen infantes capillis nigros nasci, non humiditas sed caliditas facit, & menstrui impuritas: siquidem calor materiam fuliginosam, ex qua oriuntur capilli, urit, & tenuitatem albam educit, manifestatque materiæ faciem corpulentam nigramque.

Itaque calor per se albefacit, omniaque Entia in alborem & transpicuitatem tandem convertit, si magnus est, multoque agit in tempore: per accidens vero nigrefacit & condensat, non omnes, sed dissimilares materias, in quas non multo egit tempore, partesque tenues albasque sibi minus resistentes educit; & crassas nigrasque sub albore & tenuitate latentes detegit. Frigus vero contrarium facit. Nec verum est quod Honorat. Faber scribit capillos & pilos in senibus ex defectu humoris albescere, hinc in partibus corporis humidis id non accidere, cum sub axillis aliisque locis maxime humidis & sudantibus æque canescant ac in mento & capite.

XVI. Non satis mirari queo, inquit Campan. Lib. 2. Met. cap. 5. pag. 171. recentiores Philosophos, qui maculas Lunæ [obscuriores ejus partes] aquarum congeries com Plutarcho esse putent. Quæ nimirum ex adverso Sole, ut faciunt omnia transpicua amica lucis, splendorem maximum referre deberent. Nam nec ob aliud humoribus & tunicis transpicuis instruxit oculos, nisi ut in eis tanquam in cognatis rebus lux ex rerum faciebus reflexa, coloribusque earum tincta, viam habere & multiplicari, & spiritui similiter transpicuo, lucidoque communicare, quas defert rerum facies, commodius possit. Fatetur tamen, quod lux ex scabrosis corporibus sex asperis resiliens, quoniam ex omni particula reflectitur ad vicinam, plus lucere & amplius soleat: ex lævibus vero aqueisque non undique ad nos flectitur, sed unam certam viam luminosam ostendit visui, & moto visu illa movetur, quoniam aliunde resilit; attamen ex immensis aquis lunaribus saltem unam orbitam magnam reflecti, non videtur posse negari. Hæc ille.

Econtra P. Athan. Kircherus in Itin. Extatico de Globo Lunari sic inquit: "Illud notandum quod, jam dudum asseruerunt Astronomi, id quod in Luna, fuscum spectatur & maculosum, Maria esse; quod, vero lucidum, partes esse Continentis Lunaris, quæ, fere tota velut ex candenti saxo constituta est; in, quam radii solares incidentes reflectuntur mirumque causant splendorem. Causa vero cur partes maris, videantur minus lucidæ, quam continentis, est fundus Oceani lunaris, qui cum ut plurimum fuscus sit, &, aqua multo tenuior ac terrena: mirum non est, sub-, obscurius reddi lumen maris ad nos transmissum, cum radii solares non nisi in fundo ejus reflexi ad, nos deferantur."

XVII. Convenit autem inter Opticos, quod lux incidens in superficiem asperatam, cavernosam & male tersam, plurima parte reflectatur ipsum intra corpus; incidens autem io superficiem tersam, reflectatur potissimum extra corpus opacum. Hinc speculum reflectit lumen directum solis valde intensum & continuum in unam partem, sicut intensum & continuum accipit a Sole: Contra vero lumen ab opaco corpore exceptum, sicut modificatum & non ita continuum excepit, ita modificatum & minus continuum reflectit ad oculum nostrum. Jam vero sunt quædam corpora opaca, quorum partes contiouæ minimæ sunt sphærulæ ad instar speculorum convexorum, inter se arcte connexorum: consequenter horum superficies projiciunt lumen foras, extra corpus, & valde continue; ita ut inter radios reflexos raræ umbræ interponantur: Econtra alia suot corpora composita ex minimis non sphæricis, sed inæqualibus, asperis, angulatis, foraminosis, quorum superficieculæ propterea sint diversarum figurarum & situum; & ideo superficies hujusmodi corporum totalis fit in situ figuraque difformis, varia, multiplex, sinuosa, cavernosa: hæc necessario multum luminis introrsum, & rarum extrorsum projiciunt, valde disgregatum & discontinuum; ita ut inter radios foras prodeuntes multæ umbellæ interjaceant.

Quo magis ergo corpus opacum reflectit radios continue, & paucioribus umbellis interjacentibus, eo magis tale corpus est *candidum*; econtra quo minus radios continuatos reflectit, & plures umbellas inter illos mediare facit, eo magis corpus est nigrum. Colores inter album & nigrum extremos medii sunt, quibus magis vel minus radii cum umbellis miscentur, & sic colores in infinitum multiplicari possunt.

XVIII. Rem autem ita se habere per quasdam experientias ostendere conatur Eximius P. Aloys. Kimmet in suo Anno frugif. Mense Martio. Nam alba, inquit, est *nix*: quia est congeries innumerabilium vaporis congelati guttularum, cohærens filamentorum strictura & plexu: guttulæ autem sunt sphærulæ. Vnde nix compressa, vel aqua perfusa nigricat: quia pressio frangit sphærulas, aqua imposita superficiem asperat. *Spuma* etiam cerevisiæ, sanguinis & atramenti, albescit; sicut & *sputum, pus saliva*, quia bullulis constant. *Semina* sunt alba, uti *medulla junci, pomorum, sambuci, pennarum*, quia sunt quædam spuma ex bullulis coagulata. *Nuclei nucum, farina* &c. sunt alba; quia sunt quædam medulla deficcata: panis tamen ex farina confectus nigrescit, propter caussam dictam de nive, quia aqua inter sphærulas stagnat. *Albumen ovi* prius perspicuum, postea albescit; quia sphærulæ spumæ seminalis, exhalato humore, cui prius innatabant, remanent solæ. *Cibus in ventriculo* mutatur in succum albescentem; quia in minimas sphærulas, partim solidas ac terrestres, partim spumosas & inflatas resolvitur: idem succus sive chylus concisus deinde in varias sphærularum partes rubescit in sanguinem: sanguis rursum in spumosa mammillarum substantia percolatus, versus in substantiam spumosam fit *lac*.

Marmora nigra composita quidem sunt ex minimis sphæricis, sed multis aliis partibus interjacentibus: sed & ipsæ sphærulæ sunt majores, quam ut inter dolandum integræ manere possint, & superficiem bene tersam efficere. Contrarium est in *marmore albo*, quod constat minoribus sphærulis, non ita interruptis per alias partes, nec frangi solitis inter dolandum, unde & tactui mollior sentitur, & minus incalescit a sole, quam nigrum: sicut nix propterea non incalescit, quod omne lumen foras a se repellat. {Quod tamen absolute verum non est, liquescit enim & resolvitur a calore solis, & asperitate superficiali non caret.} Attamen marmora etiam nigra, sicut & arena, & similia, in minimos pulveres contusa, candescunt, quod sphærula remaneant: quod etiam in cineribus patet.

Desiccata, ut palea, terra, lanum, stramen, charta, albescunt; quia humore exhalato, prominent magis partes sphæricæ. [Sed quid tum? an omnes partes sphæricæ albæ? & unde?] Quam ob caussam etiam *pannus insolatur & cera flava* ad candorem; quia partes sordidæ, quæ sphæricas involvebant, avolant cum humore exhalante. Pili denique canescunt, quando humore exhalato, in eis sphærulæ prominent. Hucusque P. Kimmet.

XIX. Hæc tamen non satisfaciunt usquequaque meo criterio: nec enim in asperitate aut lævitate superficiei extimæ; nec in configuratione partium, & situ texturæ intrinsecæ corporis colorati color consistere videtur; tum quia corpus nigrum, sive politum sive impolitum, asperum & cavernosum aut lævigatum, semper est & apparet nigrum; tum quia chrystallus & marmor album possunt teste P. Kirchero per tincturam colore flavo, rubro aliove ita colorari, ut non solùm superficietenus talia appareant, sed totaliter penetrentur, adeo ut imago ipsi marmori hac arte impressa appareat in quacunque marmoris fissi superficie; quæ hic configurationis & texturæ partium marmoris immutatio? nonne semper manet esse marmoris?

XX. Nunc ad Lucem redeamus, & in memoriam revocanda sont, quæ diximus in Tract. VIII. de anima, quam luminosam diximus substantiam, id quod non obscure indicat ipsum Lumen solare, quatenus ab hujus luminis fulgore servatur caput hominis. Adhæc & animales facultates longè felicius intenduntur, quasi accensa face ad actium & motum faciendum intus omnia incitentur, quæ sub ejusdem obscuratione tanquam in latibulo delitescere coguntur. Sic plures actiones intermittuntur, si cerebrum ab aëre crasso obscuratur, tanquam *internum lumen* per gradus deficiat, si *lumen externum* eidem subtractum sit. Nec putandum omne lumen provenire ab igne. Dari enim lumen sine igne manifestum est in quibusdam gemmis, ligno putrido, cicindelis. Item sub mortem hominis oculi membrana destituitur manifesta luce planè visibili. Item fortis oculorum compressio scintillas inde excutit: intorsio etiam levis oculi in angulo, repræsentat internam organi constructionem ad instar caudæ pavonis. Sic somnians mediante interno lumine videt innumeras rerum species olim impressas memoriæ.

Conficitur quoque massa ex materia excrementosa per ignis torturam (qvam Phosphorum vocant communiter) hæc in obscuro clarum lumen de se spargit, omnia quæ inunguntur ea adeo reddendo lucida, ac si igne accensa forent. Hic tamen Phosphorus si per affrictionem concipiat ignem vix est delebilis.

Id ipsum palam fit ex Adamante rudi, non terso, qui nunc est penes magnæ Britanniæ Regem, de quo tractatum scripsit D. Boyle. Is enim astrictus, non electricam modo, ut cæteri ferè Adamantes; sed quod paucis contingit, radios luminis instar lampadis evibrat,

brat, imò vel digito pressus scintillas emittit. Sed longe majorem lucem spargit, cum duro corpori affrictus fuerit, eamque paulo diutius retinet etiam aquæ immersus.

Quod diximus de Phosphoro confirmat Phil. Burg. Reg. tom.6. p.173. his verbis. Paucis abhinc annis e Germania phosphori, ut vocant, tum sicci, tum liquidi allati sunt, quos Nobilis Saxo Academiæ videndos exhibuit. Qui siccus est, in pixide vitro suo operta aptatur. Hic de die aëri paululum expositus, etiam cum cœlum nubibus obducitur, vim illuminantem haurit, quam in loco obscuro, per 8. & amplius horæ minuta sæpè retinet. Phosphorus liquidus in phiala concluditur, si vel digitum intingas, hic in tenebris lucem non mediocrem vibrabit. Unde concludit Author lumen esse qualitatem positam in motu substantiæ ætthereæ. Vide Supplem. IV. cum num. XXI.

XXII. Quær. 3. An lux consistat in effluvio corporali? Juxta Peripateticos lux sive lumen est qualitas accidentalis, non tamen educitur è potentia subjecti v. gr. Cœlorum, proprie eductione physica, sed metaphysica. Ita S. Thom. q. 67. p. p. art 3. apud Piccinard. L. 4. q. 7. a. t. ad 3. Quando autem dicimus, quod radii habeant proprietates corporis sc. rarefieri, condensari, progredi, retrocedere, impingi, refringi &c. Resp. S. Thomas, quod omnia illa attribuuntur lumini metaphorice, sic ut etiam ponat attribui calori, eo quod motus localis est primus omnium motuum naturaliter, ideo utimur nominibus pertinentibus ad motum localem, etiam in alteratione & in omnibus motibus; sicut etiam nomen distantiæ detortum est a loco ad omnia contraria &c.

Respondeo, Lucem incorpoream esse, quod ejus vis diffusiva suique multiplicativa declarat. Lumen, ait Marsilius Ficinus L. de lumine c. 11. non tam inest quam adest illuminato. Nam est actus illuminantis, non qualitas illuminati. Nec est quid corporeum, ut docet ibid. cap. 12. Corpora enim entia sunt inertia, non activa, nec diffusiva multiplicativaque, sed diffusibilia passiva, & non nisi per additionem alterius corporis multiplicata magnificataque. Penetrat enim lux omne corpus transpicuum, non per poros, sed per vim incorpoream, cui nihil obstat nisi opacitas incorporea, non corpulentia. E incorporea est. Intersectio quoque luminum ex fenestris & lucernarum multarum idem indicant. Item si opponas lucernæ opacum, lux, quæ per aulam diffusa erat, statim perit: si autem corporea res erat, perduraret. Item ventis aërem agitantibus, & aquas per quas Solis radius transfertur, nihil lux motatur situ. Ergo non est, corpus, sed qualitas à luminoso effluens, veluti & umbra ex opaco, cui idem evenit, ut agitato aëre & aqua, quas umbra pertransit, nihil agitetur umbra. Incredibile satis videtur lumen constare ex atomis corporeis, quæ vitrum non penetrent nisi per poros ejus transeundo: cum tamen Cartesiani vacuum dari probent in recipiente vitreo: quod si porosum sit vitrum utique aër aut æther subtilissimus intrabit non minus ac lumen, & sic globus ille non carebit omni corpore, consequenter nec vacuus dici poterit, quod & Piccinardus advertit loc. cit.

Democratici autem, & Platonici ex parte, corpoream esse lucem contendunt, à calore & humore genitam, tenuissimam, sese que diffundentem, non multiplicantem. Non enim seipsam servat, nisi nutriatur ignis, Unde etiam putant Solem nutriri vaporibus, quos circa ipsum rotare per telescopium Galilæus deprehendit, quod & Poetæ, & Plinius & Philosophi veteres opinati sunt.

XXIII. Quær. 4. Quomodo lux seipsam multiplicat, ex suine substantia? an ex alia re? an ex nihilo: Non hoc, quia solius Dei: non ex alia re, quia idem accidit corporeis: ergo ex sui substantia, ergo migrat de se in aliud? Præterea lux effunditur, reflectitur in angulos, unitur in vitro & pyramidem transvecta facit sui ipsius. Hæc autem corporum sunt passiones. Incorporea enim moris omnia pertransit. Respondeo triplex Ens incorporeum à Philosophis statui. I. Dimensionatum, & corporis receptivum, quod vocant spatium, non activum, primitus a Deo creatum, in quo collocaret Universum velut in basi, quale propugnat Thom. Campanella, de quo agemus in Tract. de loco. II. Nec dimensionatum, nec receptivum, nec proprie activum, sed operativum, agentia movens dirigensque, ut Essentiata ex Primalitatibus Mens, & Angelus & Deus. III. Intermediat, quod neque dimensiones habet, nec per se subsistere potest, sed corporibus inhæret vel quasi, activa velut forma, suique multiplicativa propter usum generationis rerum. Talia sunt calor & frigus, lux, umbra, tenebræ, quibus corpora resistunt ob oppositas qualitates, non ob corpulentiam. Quapropter lux non reflectitur ex transpicuo corpore, sicut ex opaco, sed transilit & permeat. Mens autem & opaca & luminosa transitit & pervadit. Nec illæ reflexiones lucis corpulentiam declarant, sed ejus cum corporibus cognationem, sine quibus regnare nequit. Similiter enim & calor & frigus à densis corporibus impediuntur, quæ tamen paulatim penetrant vincuntque. Et quoniam calor corpora in se convertit, id est in illam substantiam, in qua ipse regnare ac vigere potest, qualis est cœlestis: propterea vere multiplicatur in subjecto, quod vincit, ubi & lux ejus facies multiplicatur & alitur, continuoque ad cœlestia attollitur, sicuti res corpulentæ in terram coeunt. Idcirco lux & calor semper novus fiat oportet. At in loco suo, id est in Sole nullo indiget alimento, quoniam non exhalat sursum, nec quo vadat, melius habet. Quam autem Sol diffundit lucem, non de sui substantia, sed de sua multiplicativa vi effundit, nec propterea minuitur. Non enim lux candelæ, cum mille alias accendit minuitur, sed augetur; nec effusio lucis in aulam facit jacturam lucis in lucerna, sed augmentum. Jactura autem fit olei in vaporem igneum versi, qui ignis non permanet, sed sursum victor evolat. Si enim permaneret, oleo lucerna non indigeret. Et qui retinere ignem & lucem norunt, hi perennem faciunt ignem, nutrimentô novo non egentem.

XXIV. Joan. Marcus Marci, de Arcu Cœlesti pag. 39. errare putat eos, qui opinantur ignem perennem oleo foveri, quod Philosophi habent pro tinctura. Cujusmodi oleo refertam lucernam in Agro Patavino repertam ferunt a multis sæculis ardentem. Neque enim dubitant illum liquorem pretiosam tincturam fuisse. At vero si ab hujusmodi liquore flamma suscitari potest, quantumvis lente uratur: quia tamen sensim facta conversione in flammam aliquid deperit, cum flamma principaliter ex igne resoluto fiat, necesse demum longo temporis tractu absumi. Si autem fixissima sit natura; nihil exhalare & in flammam mutari potest. Neque flamma per se conservatur, sed ab igneа

ignea radice, continua novæ flammæ aceessione augetur. Alii ergo ejusmodi ignes perennes non ex tinctura physica, sed ex sanguine humano in oleum resoluto & asbesto concinnant, ut tradit Albertus in lib. de mirab. Mundi. Verum aandem difficultatem pati videtur, atque eo magis, quod oleum ex sanguine humano summe sit volatile, adeo ut etiam ad radii solis contactum dispareat. Dici posset nequaquam suscitari ignem a tinctura illa physica; sed ex se ipsa lucentem, lumen igneum ejaculari, prout insecta resque aliæ lucent absque ustione; hæc enim non tam ex igne, quam proprietate natura lucem ingenitam habent.

Solem autem nutrimento indigere fabulosum est, nec maculæ illæ, quæ subinda extra Solem observari notantur, argumenro sunt, quippe non nisi exhalationes sunt intra certos tropicos disci solaris, quæ attenuatæ in aerem tenuissimum avanescunt.

XXV. Si quæras unde habeant vim sui diffusivam lux, & alia entia, de quibus supra meminimus? Respondeo ex potestata prima summi entis, a cujus sapientia etiam habent omnia coguoscitivam virtutem, & a cujus amore volitivam: ac simul conservationem harum virtutum, & operationum insuper, si quis recte philosophetur.

Quær. denique, quid sentiendum de opinione Aristotelis in 2. de Cœlo Tex. 41. & p. Meteor. 3. & 4. asserentis, in sole & in stellis non essa lucam, neque calorem, sed fieri ab his attrito aëre, sicut in sagittis & lapidibus, & lignis, quæ contrita & collisa colorem concipiunt. Maxime autem a sole id fieri: quia licet luna sit vieinissima, non tamen ita solida est, ut conterat tantundem. Respondet Campan. Lib. II. Met. eap. 3. art. 4. stulte ab Arist. suaderi, solem non lucidum, nee calidum, calefacere & lucera: nec tantum oracula divina, & Sanctorum & Physiologorum auctoritas, sed ratio & experientia & sensus reclamant. Et primum, stultum esse auferre lumen sideribus, & in aëra attrito fieri, declarat Moyses qui Deum fecisse luminaria, & stellas, ut lucereut die ac nocte docet: huncque sensum habent omnes Sancti, omnesque Nationes. Item Luna prout Soli sibi superiori objicitur, qua respicit ad nos, excipit plus minusve lucis. Si autem lux fieret in aëra per attritionem atomotum, semper illuminata esset tota, qua nos respicit, siquidem intermediat aër, & maxime in interlunio luceret, quando simul cunt sole maxime verberant aërem. Et tunc plus caloris facerent, cujus utriusque contrarium experimur. Vnda Peripatenci ingeniosiores nou audent in boc defendere Aristot. Nam teste Averroe in L. de substantia orbis, restituerunt omnes lucem Soli [præter Heteroclitum Bontekoa Med.] dictis Aristotelis non acquiescentes: ita ut aliqui proterviter negent Arist. abstulisse Soli lucem & sideribus. Sed Alex. Aphrodisæus testatur contrarium, & similiter Simplicius in 2. de Cœlo Tex. 41. ait quod si non negavit Soli lucem Astristot. argo neque negavit calorem: nam respondendo argumento antiquorum [quod propterea igneum oporteret esse Solem quia lucet & calefacit] respondet sic: *lux & calor generantur ab astris, attrito aere &c.* Et exampla ejus idem declarant. Nam lignum non lucet, nequa calefacit. Et in 1. Meteor. 3. ostendit, solam lationam cœli aërem ignire. Sed piget his ulterius immorari. Authoritas SS. PP. & Doctorum, & experientia Mathematicorum indubitatum facit Solem esse substantiam vere & formaliter igneam: quod anim apparet ut ignis, & habet omnes effectus ipsius, cur ignem esse negemus? atqui per tubum opiticum [qua in arte deprædicatur Eustachius da divinis, de Raita, alii] aut libero etiam oculo intuentibus Sol apparet ut ignis, & habet omnes effectus ipsius: lucet enim, calefacit, exficcat & accendit, ut apparer, dum sæpe materiæ aridæ solaribus radiis accenduntur, aut quando pet specula caustica ignis producitur.

Cum igitur de luce hactenus egerimus, juvat de ipso fonte lucis, mundanorum corporum & planetarum præstantissimo, siderumque Coriphæo, mundi oculo, Cœli gratia & decore, corde naturæ, lucisque æternæ Dai pulcherrimo simulacro, specialia quædam annotare. Tantæ enim sunt Solis aacellentiæ, tanta in mole magnitudo, in motu velocitas, in lumine claritas, in calore energia, in cæteris perfectionibus præstantia, ut nemo aum dicere, nemo eum tacere permittatur.

SECTIO III.

De Sole.

XXVI. De virtute admirabilis hujus Planetæ sequentia pauca hic proferenda duxi, Lectori curioso non ingrata. Ac inprimis ne putes velim virtutem, qua in inferiora influit, unam semper & eandem asse. O quam nonnulli Philosophi aberrant, ait Eximius & sæauli nostri Phœnix P. Athan. Kircherus, qui solam Solis lucem caloremque inferiorem Mundum agentem omnium causam esse volunt! quæ nescio an digna sit Philosophi sententia: nimis enim submisse, ne dicam contemptim da summa Naturæ majestate, ejusque inexhaustis divitiarum thesauris sentire videntur. Siquidem putare nulla alia virtute, proprietate qualitateque præter lucem & calorem, cœlestia corpora donata asse, parum prudantem persuasionem esse existimo. Hoc tibi certo persuasum habeas, totam Solaris globi molem, non una tantum saeultate, sad panspermatica quadam virtute imburam esse, qua quidem pro diversa diversarum partium solarium natura, intra abdita Solaris Mundi viscera divitias suas abseondente, humor igneus diversimode tinctus, par radiosam virtute varia & multiplici imbutam divisionem inferiora attingit, & pro subjecti cujusvis natura divarsos effectus producit. Vnde ne mireris, si in diversis Mundi climatibus alios & alios effectus produci videris: solius enim id Solis diversa proprietata imbuti naturæ, ac terrenæ portioni, quam percutit, diversa pariter virtute imbutæ, aeceptum feras: atque adeo Sol per modum principii activi, tellus vero per modum principii passivi suas ad generationes rerum innumerabilium promovandas virtutes congruas utrimque confert. Atque hinc admirabili naturæ consilio factum est, ut Sol nullibi stabilis, perpetua quadam agitatione [saltem circa suum centrum in hypoth. Copernicana] tum ob motum suum diurnum annuumque tum ob aum, quo 30. fere diarum spatio circa proprium centrum axemque movetur, fluctuet: sane non alia de causa, nisi ut diversos virtutum effluxus circumsitis globis diversa vultus constitutione commodius distribuat.

Porro illam, quam Soli inesse diximus, Panspermiam, non eo sensu accipias velim, quod terrenarum rerum semina in se contineat actu & realiter; sed vir-

tute

tute quadam eminentiali. Rem familiari cape experimento. Si io crucibulo quodam varias metallorum virtute discrepantium species liquefeceris; certum est metallicas species liquefactaa unum oumero liquorem exhibere, tametsi omnibua metallorum confusia facultatibus plurimum discrepet, ut ex diversia colorum geoeribus liquido patet: cujus quidem vapor pro diversa natura metallorum, nunc salutiferas, nunc noxias qualitates diffundit.

Pari modo & analogia in globo Solari existimare debes. Sunt in Solari globo, non omnes partes, ut Peripatetici putant, ejusdem facultatis seu naturæ homogeneæ, sed variis virtutibus, prout divina Sapientia per Artem suam Naturam in suos eas fines disposuit, dotatæ. Cum itaque corpus solare profundissimum sit, ejusque semidiameter, qua centrum contingit, ad decem millia horariarum Leucarum excurrat: interjorem totius compagis structuram aliis & aliis qualitatibus imbutam este necesse est; quas quidem impossibile est ut exerat, nisi per undantis liquoris contiouum quendam per interiora Solis viscera agitatum pericycloseos motum. Hinc enim liquor ille cœlestibus partium latentium, quibus tingitur, qualitatibus imbutus, virtutem imbibitam ad exteriorem promovet superficiem, ut inde per insitam sibi radiorum nova & nova virtute tinctorum facultatem, eam summo subsolaris œconomiæ emolumento diffundere posit. Et si juxta perfectas Analogiæ ieges rem penitius examines, idem in globo Terraqueo, suo modô, & io singulis aliis mundanis globis fieri deprehendes. Ad quid eoim Oceanus tanta tumultuantis aquæ agitatione concitatur, nisi ut in perpetuo quodam vigore terram conservet, & per communicatam virtutem subterrestrium partium naturam foveat: terrestres verò partes diversissimis qualitatibus imbutæ, ipsumquoque aqueum Elementum virtute sua imbuendo officii reciproci muous obeant? Hinc Oceanus per subterraneos meatua canalesque absorptus, hic per fontes, ibi per flumina, alibi per lacus & stagna & paludes eructatus, diversisque coloris, saporis odorisque proprietatibus juxta naturam terrestrium partium, quaa pertraosit, imbutus, taodem suo restituitur principio. Haud secus in Sole fieri existimabis.

Quæ itaque in Terreno globo inveniuntur conditione terrena; illa in Sole conditione solari; in Luna lunari; in Veoere venerea, & sic de cæteria ea conditione inesse putandum, quæ talem & talem Naturam cumprimis decet.

XXVII. Phœnomeoa Solis præcipua sunt. 1. motu diurno circulum æqoatori parallelum sic describit, ut nunquam ab Æquatore ipso plusquam 23. gradibus cum 30. minutis discedat. Hinc io eodem Horizontis puncto craa non orietur, in quo hodie ortus fuit: sed quamdiu est in sex Sigois Borealibus, is ad Septentrionem magis ac magis deflectit, donec ad Tropicum Capricorni accesserit.

2. Hinc accidit ut Sol tardiua quam stellæ fixæ motu diurno feratur: adeo ut si hodie cum stella aliqua sit in circulo meridiano; mense exacto stella citius duabus horis ad eundem circulum meridianum perveniat.

3. Sol io sex signis Zodiaci quæ Borealia dicuntur, 4. ferme diebus diutius commoratur, quam io Australibus. Quin eoam is Terræ proprior est, & illius diameter major apparet media hyeme, cum signum Copricornu occupat, quam in summa æstate, ubi longissime a nobis distat. Apogæum enim Solis gradum septimum Canceri, ut Perigæum septimum Capricorni occupat. Apogæum vocant maximam astri a Terra distantiam, perigæum minimam.

4. Quod dissolveodus sit hic Mundus olim per ignem, non modo fides omnium testatur Natiooum, sed & ipsarum rerum primarum mutata cootinuo facies: & exorbitantiæ cœlestes fixarum & Planetarum solstitiorum & æquinoctiorum translatio: & telluria immutatio, & divinus ordo. Hoc habemus ex observatis a Timochari per Hipparchum, qui centum viginti annis ante Messiam scribebat: & per Menelaum, qui 99. post Messiam; & per Ptolomæum, qui 138. post Messiam; & per Albategoium, qui 880. & per Alzachelem, qui post 1100. & per Peubarchium, qui post 1464. & Regiomontanum & Coperoicum, qui post Messiam 1525. sidera observarunt. Additis Plinii & Columellæ, & Alphonsi Regis, & aliorum Arabum & Hebræorum & Latinorum concordantiis. Ex quibus elicitur æquinoctia & solstitia auncipari: & Plaoetas Terræ cononuo appropinquare, & figoras Cœli situm mutare ita ut stellæ, quæ erant io ariete, nunc sint io Tauro; & quæ in Tauro, in situ Geminorum &c. Et quæ erant Australes, factæ sint Boreales ab æquatore: & quæ Boreales, Australes. Fusius & distinctius hæc designata leges apud Campan. L. II. Met. c. 3. art. 2. & c. 17. art. 1. ubi Tempora exorbitantiarum novarum enarrat. Descensus & propinquatio omnium Planetarum ad Terram, præcipue Veneris & Martis, maxime vero Solis ad exustionem terræ valde clara est, inquit, qui desceodisse ex excentricitatis diminutiooe, quasi centum & decem millia milliariorum postquam Anó-Christus dixit *Virtutes cælorum movebuntur, & stellæ de cælo cadent*, deprehenditur. Sub Hipparcho enim excentrotetes erat 417. partium, qualium quæ a ceotro terræ usque ad circumferentiam est 10000. Sub Ptolomæo vero invenitur 414. sub Arzachele 346. sub Copernico 323. nostro autem tempore [sæculo 16. & 17.] 322. 15. Has autem exorbitantias noo vitio instrumenti, vel observationis apparere jam patefactum est; sed Mundi machinam nutare. Chaldæi omnes Cœli mutationes observarunt, etiam miraculosas factas sub Josue & Ezechia; ad quem Baladanus Rex Assyriorum Chaldæurum misit legationem, interrogans de portentoso regressu Solis decem lineis; non ergo negligentiæ incusandi sunt. At etsi negligentissimi, non poterant tamen æquinoctium & principium dodecatomeriæ celebrare in ariete, ut contendit Picus. Inventores enim sive ipsi sive prædecessores, a Tauro vel Geminis vel cancro auspicati fuissent æquinoctium. Si calculum LXX. Interpret. sequamur, erat nascente mundo æquinoctium in 1. Caocri. Patres autem ab initio, & Japhet, & Abraham & Moses imbutus scientia Ægyptiorum & Dei, exorsi sunt anoum, & nomenclaturam dodecatomeriæ a 1. Arietis: Ergo exorbitantiæ istæ inceperunt a Christi præconio paulo ante illius nativitatem, & jam videmus verum esse quod prædixit de signis in Sole, Luna & stellis Terræ immutatio idem docet. Nam Palmæ in Cypro non maturabant Dactylos tempore Plinii, nunc maturant: nec in Italia producebant, nunc producunt. Io Gallia sub Julio Cæsare oon crescebant vites, nec vinum, nunc generosum. In Germania non erat

erat cultus Terræ, neque ingeniorum, sed vivebant bestiarum more in sylvis, ut modo Tartari ex venatione, & raptu: nunc autem cultus terra, & politis & artium inventiones mirifica in Germania vigent: ratio est, quoniam Sol descendens purgavit solum & temperiem humanam.

Vmbræ quoque diameter in lunaribus Eclypsibus abbreviata idem ostendit: & gnomonum umbræ, ut non sit amplius dubitandum de Cœli totius mutatione & mundi: & hæc esse signa quæ dixit Messias futura in Sole & Luna & stellis, quæ ab aëris immutatione proxima esse S. Gregorius, qui vixit sæculo VI. doctissime collegit, quoniam tunc fuit velocitas descensus solaris, & subita mutatio terræ ingentes peperit terræ motus, & pestilentias rerum & morum. Non tamen propterea scimus, quando erit conflagratio: quia neque in quo puncto appropinquationis Sol possit terram comburere, scimus: neque si sciremus punctum, sciremus tempus.

Theologi Christiani plerique opinantur post 6000. annos figuram Mundi hujus corruere: quod conjiciunt ex eo, quia Deus in 6. diebus condidit Mundum, teste Moyse: in septimo autem requievit ab omni opere quod patrarat: indicans in septimo millenario fore quietem Mundo inferiori a pugna Elementorum, generatione & corruptione: quod suadetur ex eo, quod David dixit, mille annos ante oculos Dei esse quasi unum diem. Quam sententiam tuetur S. Hieron. super Ps. 81. ad Cyprianum. S. Justinus q. 71. adversus gentes, S. Hilarius con. 17. in Matthæ. S. Irenæus L. 5. adversus Hæreses, & Lactantius Firmanus Instit. 7. qui etiam idem probat auctoritate Philosophorum sc. Hidaspis, Trismegisti & Sybillarum. Quam quoque sententiam putant S Augustinus probabilem. Interim incertum adhuc est quot annos steterit Mundus, ob diversitatem Hebraico textui & LXX. Interpr. prout passim videre est apud Chronologos & Commentatores in Genesin. Thomas Campanella, dum circa ann. Christi 1638. scripsit Metaph. L. II. c. 17. art. 2. alt: Nunc sumus in 5570. ab Orbe condito juxta exactiorem supputationem: sed juxta nostram & Riccioli currebat tunc annus Orb. Cond. 5822. Addo juxta Prophetiam S. Malachiæ arch. ep. de SS. Pontificibus diem novissimum ultra 200. annos non differendum.

4. Annua Solis conversio 365. diebus, horis 5. 48. minutis. 37 secundis absolvitur. desunt enim 49. minutis 23 minuta secunda ex Cassino: adeo ut unoquoque die Sol 59. minuta unius gradus, 8 secunda conficiat.

Cum itaque annus Civilis seu Julianus sit 365. dierum & 6. horarum: quæ quidem horæ quarto quoque anno simul addito integrum diem efficiunt: is annus civilis major est Tropico, & vero 11. unius horæ minutis, & 23. secundis. Hæc utique minuta cum illis neglecta fuissent, post 1300. fere annos in decem dies excreverunt. Cum enim tempore Concilii Niceni, anno sc. a Christo nato 325. æquinoctium vernum die 21. Martii contingeret: anno 1582. jam decem saltem diebus antevertebat. Hinc Gregorius XIII. summus Pontifex annum 1582. decem diebus mulctavit, jussitque ut dies quintus Octobris illius anni decimus quintus haberetur: sicque æquinoctia & solstitia suis locis sunt restituta; ac festum Paschatis præstituto tempore deinceps celebrarum. Atque ut imposterum quatuor cardines, seu duo æquinoctia, & duo solstitia in suis quæque locis permaneant, jussit idem Pontifex ut centesimo quoque anno unus dies bissextilis expungatur, cumque non centum, sed 130 annis Julianus annus Tropicum superet, statuit etiam ut quadringentesimo quoque anno dies bissextilis non prætereatur: cum tamen annis 380. Julianus annus Tropico sit major tribus diebus.

XXVIII. Hic nota 1. In assignandis diebus, horis, minutis annuæ Solaris periodi Astronomos non convenire. Cassinus enim eam absolvit diebus 365. diebus, horis 5. 48. 37. Dionys. Petavius Ration. Temp. P. II. L. 1. pag. 3. ait annus Tropicus Solaris constat diebus 365. horis 5. 48. 42. 7.

Nota 2. Reformationem Kalendarii a Greg. XIII. factam esse juxta observationem Nicolai Copernici, cujus Præceptor fuit Dominicus Ferrariensis, propter hoc accersitus fuit ad Concilium Lateranense sub Julio II. & Leone X. tanquam peritissimus Mathematicus ad concordandum annum civilem cum Astronomico propter correctionem Kalendarii, Copernicum systema, quod videlicet circa Solem immobilem convertatur Terra una cum cæteris Planetis, in Sacro Indice conceditur conditionaliter quasi, non quod verum sit, sed quod si esset verum, ex hypothesi sequuntur phænomena, & computus, & ratio Calendarii & emendatio anni civilis per annum astronomicum, & motus Astrorum hac ratione &c.

Nota 3. Heterodoxos contra agnitam veritatem non acceptasse Emendationem Gregorianam, usque ad annum 1700. Quo plerique decem dies ex Februario abjecerunt, juxta Chronograph. TeMpora CooCordant; unde distinctio styl. V. & styli N. ex Novellis & Historicis ab eo tempore & anno sublata est. Deus aperiat oculos Mentis, ut agnito & objecto pariter schismatis errore redeant ad Matrem Ecclesiam Romanam, unde temere exierunt!

Pro coronide hujus Tract. de Luce &c. observa dubitasse S. August. num ante lucem Solarem visibilem, ex qua species rerum, detur etiam & Lux sensitiva ex qua fiant animæ brutorum, si non sunt ex Elementorum qualitatibus? Item quærit de Luce Mentali, ex qua Angeli & Mentes humanæ creantur? Supra quas est Lux divina & Pater Luminum, qui lucem habitat inaccessibilem. Diximus nos quod lux corporalis est facies caloris: Lux sensitiva est participium secundæ primalitatis, quo constat omnis natura, nedum animalis & lux ipsa ignis. Lux Mentalis non est in Elementis, & in natura, sed a patre luminum datur, hoc est cum creat Angelos & animas. Camp. L. 8. cap. 1. art. 1. p. 153.

TRA-

TRACTATUS XIX
DE
NATURA CORPORIS ET CONTINUI.

NOn sine stupore lego nonnullos, inquit Ioan. Bapt. Ptolomæus in sua Philosophia Mentis & sensuum edita An. 1698 Disp. 1. Physico-metaph. qui statim in limine Physicæ acerrime & obscurissime disputant de Principiis (ut vocant) corporis naturalis, nec tamen explicant aut statuunt, quid sit hoc ipsum, quod dicunt *Corpus naturale*. Nos in præsenti tractatu examinabimus 1. Quæ sit notio, quæ natura corporis. 2. In quo posita sit essentia quanti. 3. Ex quibus Continuum constet partibus, an sint in infinitum divisibiles, an potius in puncta & atomos resolvantur.

SECTIO I.

De notione & natura Corporis.

I. Nota 1. Terminum *Corpus* subesse æquivocationi, nisi distinctionis gratia addas physicum aut mathematicum. Apud Mathematicos enim *corpus* idem sonat, ab objectum mensurabile per trinam dimensionem, videlicet in longum, latum & profundum, quod etiam apud illos dicitur absolute *solidum*. Nihil enim Mathematicus ad essentiam seu conceptum formalem sui corporis requirit, quam capacitatem trinæ dimensionis, seu trinam passivam mensurabilitatem; sive illud corpus seu solidum sit substantia, vel accidens, sit ens vel non ens, sit denique spiritus aut corpus physicum, non curat Mathematicus, quam parum, an triangulus sit aureus vel ligneus. Et quia Cartesius hanc definitionem adhibet corpori physico, ideo absolute rejicienda est. Illud vero Cartesium forte in errorem induxit, quod extensionem, motum & alias corporum affectiones ut Geometra expenderit, hoc est ut a materia cogitatione ipsa separantur. Atque idem fere, quod plerique Peripatetici, videtur peccasse: ille enim Geometriæ assuetus Mathematicas, hi vero Metaphysicam ad naturæ explicationem transferant. Ille ad mechanicas & geometricas leges rerum omnium naturas & motus revocat, ut plerique Peripatetici ad suas notiones & conceptus quosdam generales, quos ut libitum est, dividere solent aut confundere, omnia revocant. Hinc secant res omnino indivisibiles, entia citra ullam necessitatem multiplicant, & quæ sola differunt cogitatione, diversa putant. Utrique sane, non tam res ut sunt in seipsis, cernunt, quam ut a nobis concipiuntur, & quodam modo sunt abstractæ.

II. Quod autem corporis essentia in triplici dimensione vel locali extensione nequaquam posita sit, ostenditur 1. In eo non consistit natura corporis, quod esse & concipi potest sine corpore: sed trina dimensio recte concipitur in spatio quod omni corpore vacuum est, E. Confirmatur. Potest Deus omnem aëra in hac aula contentum, imo & corpus omne destruere quod continetur intra regionem concavam Lunæ, & impedire ne alius subinde aër, vel æther subeat in locum Terraquei & aëris annihilati: quo casu trina dimensio in tali vacuo futura est, etsi nullum corpus illud spatium impleat.

Respondent tum fore ut parietes hujus aulæ sese mutuo contingant. Ea quippe se tangunt, quæ nullo corpore interjecto disjunguntur. Ita quidem olim visum est excellenti Theologo Guillelmo Parisiensi; eaque responsione libentes utuntur, qui Cartesii philosophiam sequuntur, quod inquiunt, locus ille vacuus esset omni corpore ex hypothesi; plenus itidem esset: ratio quippe corporis, ut sibi persuaserunt, in trina dimensione consistit. Quæ ratio probaret nec divinitus possibile fore vacuum ob manifestam contradictionem.

Contra est, quod id sumunt loco principii, quod ipsis probandum est, nempe essentiam corporis in extensione positam esse. Deinde corporis mathematici notione, tanquam physici abutuntur, & accidens loco substantiæ obtrudunt, corpus enim substantiam importat, extensio vero modum, est enim extensi affectio, prout dicemus mox de quantitate. Quid vero requiratur ad essentiam corporis physici, seu substantiæ corporeæ, in quantum condistinguitur a Spiritu, mox trademus.

III. Nota 2. Corpus & corporeum, spiritus & spirituale differre plus quam substantia & substantiale. Substantiale enim dicitur, quod constituit intrinsece substantiam: sed corporeum dicitur, quod vel corpus constituit, vel exigit esse physice cum corpore unitum, ita ut citra miraculum sine eo existere non possit; inde accidentia alia dicuntur corporea, alia spiritualia: hoc sensu calor, frigus, lux &c. corporea dici possunt, quamvis ratione penetrabilitatis incorporea sint, ut supra diximus. Spirituale vero dicitur, quod exigit esse unitam physice spiritui; unde spiritualia dicuntur cognitiones, volitiones, species intellectuales &c. Hinc juxta D. August. & D. Thomam animæ brutorum perfectorum tametsi materiales, sunt tamen indivisibiles & penetrabiles, & sic spiritus analogice dici possunt prout Spiritus dicitur anima Mundi. Hinc substantiam generalissime acceptam velut in classes & arborem per te dividere poteris, ac primo in substantiam corpoream & incorpoream: illa in incompletam & completam: latius enim patet corpus ut sic, quam corpus physicum prout objectum physicæ est. Iterum aliud est corpus simplex, aliud mixtum. Primum est quod non componitur ex aliorum corporum mixtura, & sobdividitur in incorruptibile, qualia sunt corpora cœlestia [juxta multorum sententiam] quæ corpora subdividuntur in lucida, ut sidera & Sole in illuminata ut Luna & Planetæ: & in diaphana ut æther & cœlum ipsum. Corpus simplex corruptibile in 4. Elementa dividitur. Corpus mixtum ex Elementis componitur: & dividitur in mixtum imperfectum ex duobus v. gr. Elementis male commixtis, ut pluviæ, nubes, halitus terræ &c. & in mixtum perfectum quod ex omnibus perfecte inter se commixtis. Hoc ipsum in inanimatum, & vivens. Substantia incorporea seu spiritualis, aut verius Spiritus dividitur analogice in Angelicum, Mentem seu animam rationalem, & Spiritum Mundi sive Archæum. Angelus est substantia spiritualis seu Spiritus essentialiter intellectivus, eminenter discursivus. Mens est spiritus essentialiter discursivus, participative intellectivus. Anima

Mundi est Spiritus essentialiter sensitivus, participative rationalis seu discursivus. His præmissis

IV. Dico 1. Corporis natura est, ut sit divisibilis per numeros, & unibilis per unitatem: inter unitatem autem & numerum mediant passiones utriusque extremi naturam participantes, lentor scilicet, mollities, viscositas, lubricositas, fluor, liquor, vapor, tenuitas, quæ ad secunda corpora constituenda sigillationes sunt.

V. Dico 2. Talis corporea moles *(Camp. P. I. 176. & seqq.)* est materia prima, ex se divisibilis & unibilis, ut possit omnes suscipere formas. Res non activa sed passiva. Moles inquam corporea, informis, iners passivaque, apta suscipere omnes formas, artes & actiones: ergo a causis activis formari ornarique debet, extrinsecis sibi: & quia non agit, insensibilis per se est: ea enim sentiuntur, quæ in sensum agunt, ergo invisibilis, sicut dixit sapientia, c. 11. Creavit Deus Mundum ex materia invisa. Materia igitur est per creationem ens: nunc autem ingenerabilis & incorruptibilis: si enim generatur, ex non materia generatur, vel ex materia. Si ex materia, ergo est, non generatur, sed formatur. Si ex non materia, ergo ex nihilo fui, ergo creatur. Si corrumpitur, aut in materiam, aut in non materiam. Si primum, ergo non corrumpitur: si secundum, ergo annihilatur. Diversi enim in diversum non est transmutatio: imo nec contrarii in contrarium, nisi ratione subjecti: materiæ autem subjectum nullum est: ergo non augetur nec minuitur materia, nisi per subtractionem propriarum partium aut additionem earundem: calor enim & frigus aliæque formæ non augent materiam, sed expandunt condensantque modo eandem earundem partium.

Est quidem materia informis, non ita quod carere possit omni forma, sed quia non sic habet hanc formam, quin possit suscipere alias formas, si quis det: & quidem potest esse absque omni forma *activa*, id est absque calore & frigore, cæterisque hujus generis: non tamen absque forma passiva, nisi infinita sit, hoc est in infinitum extensa. Si enim terminos habet suæ existentiæ, utique & formam habet, ad quam terminatur, sive divisa sive unita sit. Imo & sui natura tenebricosa est. Neque repugnat causæ passivæ, qualitates habere passivas; secus activas, quas non nisi ab agentibus suscipit, quibuscum fit unum: hujus respectu unionis etiam materia fit coagens, non autem agens: & forma agens fit compatiens seu consuscipiens, non autem suscipiens patiensque. Vide Tract. 23. de Materia.

Hinc infertur quod corporeitas non sit forma, sed ipsissima materieitas, alioquin posset materia nunc corporeitatem, nunc incorporeitatem suscipere, sicut nunc calorem, nunc frigus. At cum manifestum sit materiam non suscipere formas incorporeas, nisi quia prius ipsa est corporea basis earum; utique planum simul est, materiam esse corpus de genere substantiæ: in omni enim generatione præsupponitur corpus, quod materiat & generationem & genitum, ergo nulla res alia materians innotescit, neque est. Nec Peripatetici, qui a formis omnia recipere, quæ habet, materiam docent, posuerunt a formis corporeitatem, aut quantitatem derivare in rebus corporeis, sed ab ipsa materia, quam nullam demonstrant, nisi substantiale corpus substans formis: & non accidens materiæ coævum, ut fingit Averroes, negando certam materiæ essentiam, fingendoque incertam incertissimis naturæque repugnantibus rationibus. Si enim auferas corpus [quod putant esse accidens] a Mundo vel a materia, statim annihilatur Mundus & materia. Accidens enim est, quod præter essentiam, aut intentionem rei advenit enti. Corpus autem est de essentia Mundi, & de intentione & voluntate opificis ejus. Sancti etiam Chrysostomus, Basilius, Origenes, Justinus, & ipsa Ecclesia, corpus indistinctum & chaos tetrum fuisse materiam ab initio declarant: & incorpoream Aristotelis materiam derident, abominanturque. Et. D. Thom. opusc. 42. cap. 6. idem probat. Quomodo enim ex uno fecit Deus omnia chao, nisi illud corpus fuisset aptum dividi in elementa, & elementata formari? S. Ambrosius in epist. 31. dum ex materia sive unita in chaos, sive divisa in atoma Democratica Mundum fecisse disjunctive docet. Sed profecto quoniam unitas præcedit numerum, verius videtur ex uno confuso corpore id factum, sicut alii PP. docuerunt: quod natura, non tempore, præcesserit cœlum & terram. Falluntur itaque omnes quotquot suspicantur corporeitatem esse accidens materiæ, cum sit ipsa materialitas, nec differat a materia, nisi in modo significandi, sicut albedo & album. Unde D. Thom. in L. de natura generis docet materiam esse corpus de genere substantiæ.

VI. Dico 3. Corpus naturale sive physicum esse ac dici, cui insunt naturæ, puta principia & causæ motuum, hoc est generationis, augmentationis, alterationis, locomotionis: eaque partim esse passiva, partim activa, partim determinativa, partim specificativa: cujusmodi sunt causæ efficientes, materiales, formales, finales &c. Constat item per eadem principia oriri effectum qui sit sensibilis, hoc est qui sit ad usum, utilitatem & conservationem Mundi corporei ac partium ejus. Et hoc vocant corpus completum.

Clarius. Proprietas metaphysica, omni, soli & semper corpori physico competens est exigentia necessaria connaturalis, directa & primaria impenetrabilitatis localis, si de puncto corporeo loquamur vel extensionis impenetrabilis si de corpore ex punctis composito sermo sit. Cæterum exigentia impenetrabilitatis, radicalis seu aptitudinalis impenetrabilitas idem significant, sed prior terminus est aptior, significat autem id, ratione cujus aliquid extendibile petit, exigit & requirit vi suæ naturæ extensionem impenetrabilem.

Hujusmodi exigentiam divide in quatruplicem. Prima exigentia necessaria, connaturalis, immediata & directa impenetrabilitatis; & hæc est propria 4to modo corpori physico. Secunda exigentia non necessaria ejusdem impenetrabilitatis, qualis ex. gr. potest esse actus voluntatis Angelicus, quo ille se velit reddere impenetrabilem, vel cum corpore alieno, vel cum alio Angelo. Tertia exigentia non connaturalis, qualem dicunt esse in speciebus Eucharisticis, quæ ex vi Decreti institutivi Sacramenti exigunt esse extensæ impenetrabiliter, sed hoc ipsum miraculose: accidentia enim quæ sunt in corporibus ut in subjecto penetrantur cum illis naturaliter. Quarta exigentia indirecta & mediata ejusdem impenetrabilitatis, qualis est in omni corporeo, ut in forma, in accidentibus, quæ exigunt necessario quidem vel constituere corpus (compositum physicum) vel inhærere corpori naturali

rali & impenetrabili, & propterea etiam ipsa indirecte & mediate id ipsum, quod immediate corpus naturale, exigunt, hoc est extendi impenetrabiliter, exceptis excipiendis nempe qualitibus activis,ut alibi monuimus.

Jam probatur assertio. Quia per inductionem universalissimam nullum, quod vere sit corpus reperire est, cui proprietas illa non competat, & per illam sufficienter discernitur corpus ab Angelico Spiritu, & Mente humana. Nam τὸ Spiritus est terminus analogus, imo æquivocus, cum ventus quoque dicatur Spiritus: nec legi ab ullo definitionem Spiritus accuratam & univocam, sicut nec incorporei. Quidni dari possit substantia simpliciter corporea & secundum quid materialis seu corporea ? vel simpliciter materialis & secundum quid incorporea & penetrabilis ? Exemplo sit Spiritus seu Anima Mundi: item animæ brutorum perfectorum juxta Thomistas.

Hujusmodi exigentia necessaria, connaturalis &c. remanet etiam in corpore seu materia, quando miraculose penetratur: miracula enim non tollunt exigentias naturales, sed tantummodo terminos actu complentes illas exigentias, ut partes in Eucharistia, ubi corpus Domini penetratur secum ipso, partes ejus videlicet cum aliis partibus (est enim totum in qualibet minima sensibili parte hostiæ) & cum accidentibus Eucharisticis existentibus in statu corporis, quibus unitur sacramentaliter (de quo forte ex professo alibi agemus) attamen vere prædictam exigentiam retinet.

VII. Dico 4. Corporis physici essentia metaphysica & differentia logica non est prædicta exigentia, sed illa est principium sensibile per accidens, hoc est radix tum activa, tum passiva connaturalis & primaria affectionum & accidentium sensibilium & sensibus humanis perceptibilium. Ita Eximius P. Joan. Bapt. Ptolomæus Differt. 1. Physico-Metaph. sect. 2. Concl. 3. Probatur. Omne corpus & substantia corporea completa est essentialiter principium plurimorum motuum & quietum sensibilium, a quibus redditur sensibile per accidens quodlibet corpus; ergo in hoc prædicato, hoc est esse principium hujusmodi, consistit differentia logica corporis naturalis, ant. patet, quia omnis substantia (completa) est operativa, & non est ad hunc finem solum in natura, ut otiose sit in aliquo loco, & ibi quasi dormiens collocetur, adeoque etiam substantia corporea est operativa [non quatenus talis, sed vi primalitatum, aut facultatum activarum] tum ad utilitatem, tum ad doctrinam hominis, & bonum universi.

Dices. Corpus posse explicari per molem quantitativam. Resp. quod conceptus rei debet esse clarior re ipsa & explicatior; sed per molem quantitativam nihil aliud intelligi potest, nisi moles corporea: at dicere corpus esse molem corpoream satis ridiculum est. Occasione hujus fit

SECTIO II.

De quantitate, seu affectione materiali.

VIII. Quantum & Tantum; Quale & Tale, terminos esse correlativos manifestum est, & latissime vagantur. Nos hic solum agemus breviter de Quantitate corporea, hæc autem duplex esse vulgo dicitur, *interna* scilicet & *externa*. Illa est proxima radix externæ; id est qua aliquid exigit externam. Externa vero est ipsa extensio impenetrabilis; extensio inquam corporea, id est cum corpore necessario conjuncta scilicet citra miraculum. De utraque acriter disputatur an sit accidens physicum, absolutum an modale?

Prima Materiæ passio seu affectio est Quantitas, ex qua Prædicamentum unum fecere Peripatetici: & quidem ut ab exterioribus accidit causis, hoc est a spatio & causis agentibus & formis in ea satis, accidens dici potest: ut autem ab materia res coëxistentes respiciente, sine quibus ipsa non est, habetur ut potestas susceptiva seu principativa & materiativa: quemadmodum ex primalitatibus ad extra respicientibus, suboriuntur facultates. Et sic non est accidens, sed complementum materiæ ut causantis & materiantis. Si vero sumatur quantitas pro corpulentia de genere substantiæ, tunc non est accidens, sed ipsamet materia radicaliter. Et sic concordabimus Patres cum Scholasticis, quorum aliis est accidens, aliis substantia. Id quod aliis verbis dici posset, dicendo Quantitatem internam identificari cum materia; externam vero utpote separabilem, esse accidens, & probabilius modale.

IX. Clarum enim est, quod corpus de genere substantiæ, substantia est etiam Peripateticis; quanquam nec recte id declaraverint: ipsa enim materia quæ dimensionibus substat & constat & radix est quantitatis, substantia est: ac interdum vocatur moles corporea & quantitas, quod tamen non est nisi quatenus respicit tantitatem: est enim sic mensura substantiæ, quam mensuram determinat sibi forma, non secus ac talitatem. Tanta enim ac talis sit subjecta materia, quantam ac qualem oportet esse ad formæ susceptionem & conservationem: & hæc quidem determinata mensura & terminus materiæ, est accidens: non enim semper eosdem terminos materia habet, sicut eandem essentiam & molem habet. Haud enim dimensiones tres, longitudo & profundum sunt ipsa materia, sed ipsarum plenitudo materia est, etiam in non materia etiam esse possunt puta in vacuo & spatio locali.

X. Esse quoque unum & plura, magnum & parvum accidit materiæ ab exterioribus rebus secundum essentiam, id est ab agentibus causis, quæ ipsam dividunt, uniunt, condensant, rarefaciunt, abbreviant, producunt, augent, minuunt, terminant & figurant. Igitur Materia ut plenitudo dimensionum radicaliter est corpus & quantitas: sed quantitas proprie est ipsa mensura materiæ interminatæ, ut respicit ad terminos: sicut facultas est primalitas radicaliter, ut respicit ad terminos est facultas: ut vero extenditur ad objecta, dicitur passio & affectio. Sic quantitas, ut ad objecta materiæ extenditur, id est ad formas, ad quas respicit materia, dicitur accidens extrinsecus illatum, super intrinseca potentia & facultate materiæ fundatum, & a nonnullis propter hoc vocatur extensio substantiæ quantitas. Quæ tamen substantia non extenditur, nisi quia radicaliter ipsam habet, & quemadmodum albedo sine subjecto, ut docet S. Thom. esset indivisibilis (negative saltem) potius autem dicam sine subjecto spatio, in quo ipsa fundatur; & sicut non habet materia certos terminos absque forma, sic nec spatium absque mole non est longum, latum & profundum, nisi indeterminate & radicaliter. Habet ergo materia a formis active quantificationem, a spatio vero passive & substantive, a seipsa radicaliter.

XI. Cum autem Mathematici dicunt, lineam fieri ex fluxu punctorum, & superficies ex fluxu linearum, & pro-

& profunditates ex fluxu superficierum, sive ut Pythagorici docent, ex compositione, ita ut numeri punctos, puncti lineas, lineæ superficies, superficies profunditatem componant per appositionem: corpora autem ex his constare: & terminos linearum, esse puncta: planorum lineas: altitudinis & soliditatis superficies: profecto doctrinaliter loquuntur, ut intelligamus ordinem naturæ in his, non quod ita fiant. Sed Pythagorici naturalius loquuntur; & quidem de corpore mathemathico potius quam physico. Mathematicus enim mensuras modo considerat, respectu notitiæ nostræ, qui etiam quantum quanto metimur; torque modis peragitur: & ponunt mensuram quantitati, cum ipsa quantitas secundum naturam potius mensura sit & terminus materiæ. Terminorum autem qualitas est figura, de qua agemus in Tract. XXVI. De Formis.

XII. Terminus quidem intrinsecus est quantitati: quod enim ab extra terminat, non terminus, sed conterminus est. Nam Theologia etiam docet in transsubstantiatione Eucharistica remanere quantitatem, id est superficiem, rotunditatem, & pondus & accidentia hisce inhærentia; corpus vero de genere substantiæ transubstantiari in corpus Christi.

Materiæ autem seu corporis ut diximus natura est, nec unitam, nec divisam esse, nec longam, nec brevem: sed unibilitas, divisibilitas, impenetrabilitas radicalis, longabilitas, breviabilitas, terminabilitas &c. quæ de ipsa dicuntur secundum potentiam, & de corpore formato secundum actum. Præterea cum quantitas sit plenitudo materiæ unitæ vel divisæ, vanum est quærere utrum possit dari quantum infinitum? sicut quærere an detur calor frigidus, & dulcedo amara.

XIII. Qui autem opinionem Cartesii sequuntur, putantque ibi esse corpus, ubi est trina dimensio, nullus corporibus fines possunt præscribere. Nam quæ concipimus spatia extra universum (vulgo dicta Imaginaria) hoc ipso forent corpora, quod trinas habeant dimensiones: & cum corpora dicantur esse & contineri in spatio tanquam loco intrinseco, erit corpus in corpore, adeoque dabitur naturaliter penetratio corporum, quod nemo admittit. Vnde & Cartesius hoc universum non infinitum quidem, sed indefinitum esse decernit (idem de suo spatio incorporeo creato forte dicet Campanella) quod nulli illius fines aut præscribi aut concipi possint. Quo quidem nihil videtur absurdius: nam vel suis finibus continetur, tumque finitum est: vel nullum habet finem aut terminum, tumque plane infinitum, non indefinitum dicendum est. Quantitas enim interminata a parte rei non datur.

XIV. Quantitas igitur externa determinatio est materiæ. Determinatio autem fit per unionem, & divisionem & positum. Ad unionem sequitur continuitas, contiguitas, densitas, siccitas, durities, gravitas. Ad divisionem perfectam pluralitas & numerus. Ad imperfectam lentor, mollities, viscositas, lubricitas, fluor, liquor, vapor & tenuitas & simul humiditas. Hic additur levitas. Ex unione multitudinis fit magnum; ex ejusdem detractione, vel ex pauci unione, parvum; sicut ex magni divisione multitudo; ex parvi divisione paucitas, quæ etiam ex multi detractione fit. Ex positione autem quantarum particularum oritur *corpulentia pondus*, quod distinguitur in grave & leve, de quibus suo loco. Disputabimus quoque utrum pondus pendeat ab amore & odio, an a mensura, an a numero; an e converso: hæc enim omnia Philosophum oportet inspicere; quoniam res cunctæ corporales per has constituuntur differentias & distinguuntur. Incorporeæ vero harum similitudine analogica considerantur. Est enim in Diis & in abstractis mentibus quantitas virtutis: in materialibus quantitas molis; in accidentibus horum quantitas per accidens. Oritur enim pluralitas motuum & albedinum; & extensio, & unitio & divisio, ad extensionem, unitionem & divisionem subjectæ molis, ut in angelis subjectæ virtutis. In Deo autem nulla quantitas, quia nullus terminus: dicitur tamen magnus sine quantitate & sapiens sine numero juxta modum nostrum balbutiendi.

XV. Quantitatem internam non esse accidens a substantia corporea distinctum, sequitur ex dictis, & ratio suadet: 1. quia non habemus aliam corporeæ substantiæ ideam, quam rei quæ extensionem impenetrabilem exigit: sed eadem est quantitatis intima ratio, ergo unus idemque est substantiæ corporeæ seu materialis & quantitatis internæ conceptus: ergo in vanum fingitur accidens quod det materiæ partes, maxime cum nec ratio nec experientia, nec revelatio, nec demum ulla necessitas nos cogat ad id afferendum: cumque corpus ipsum tam immediate possit dimensiones exigere, quam quantitas superveniens ab eo distincta. In quocunque enim statu corporis posueris, necessario extensionem eamque impenetrabilem exiget: adeo ut ea exigentia a corpore separari nequeat.

Observes autem velim nos hic non agere de Corporeitate animalium sive de Corpore organico, illud enim plus importat quam solam materiam, nempe formas partiales, ut vocant, quæ simul sumptæ formam Corporeitatis constant, ut suo loco contra Thomistas ostendemus.

2. Ideo impetus ut qualitas impressa corpori superveniens admitti solet, quia corpus ex se indifferens est ad motum, aut ad quietem: unde ut corpus determinetur ad motum, qualitatem ab eo distinctam, quæ impetus dicitur, procreari volunt, bene an male, alibi videbimus. Sed corpus non est indifferens ut exigat extensionem impenetrabilem, ergo per se ipsum & non per aliud a se distinctum illam exigit. Secus quod quantitatem vocas, quæque est radix extensionis impenetrabilis, id ipsum corpus esse merito contendimus. Sic res exigit durare ac conservari per se ipsam, non per accidens distinctum.

SECTIO III.

De Compositione Continui.

XVI. Nunc adeunda nobis est celebris illa de continui compositione quæstio, quæ cum sit varia & multiplex, in plures partes eam distribuemus. Primum itaque de continui natura & compositione dicemus, tum involutas de Punctis, & mathematicis & physicis controversias ventilabimus. Vnum est multiplex in Physica: aut enim continuatione, aut contiguitate, aut colligatione, aut compenetratione, aut condensatione aut pluribus horum modorum.

Definiunt Peripatetici *Vnum Continuum, quod indivisum est in se, divisibile tamen est in infinitum.* Sed male, stat enim omnis divisio in atomis; alioquin tota rerum substantia interitura esset, ut Lucretius arguebat:

bat: & ex infinitis particulis æque milium componeretur ac Elephantus, & totus insuper Mundus. Nec rationes Arist. ullo modo id evincunt, vanas enim esse mox demonstrabimus.

XVII. Dico itaque 1. Nullum Continuum est divisibile physice in infinitum, nec id ulla demonstratio mathematica evincit. Probatur 1. Partes omnes sunt actu in Continuo: ergo si Continuum est divisibile in infinitum, erunt in Continuo partes actu infinitæ. Neque enim finitæ esse possunt; cum non detur nec dari possit, ut iis placet, qui contra sentiunt, pars ultima. Nec usitata iis perfugia prodesse possunt, partes esse infinitas potentia, non actu.

Contra enim. Jam demonstratum est partes omnes in continuo existere actu, quomodo alias id componerent? easque inter se distinctas, non quidem numerice sed entitative [divisio enim dat numerum, non entitatem & essentiam] continuum actu esse divisibile in partes ex quibus constat; ergo si est divisibile in infinitum, constabit ex infinitis actu. Sunt enim in Continuo infinitæ entitates seu partes, non potentia tantum, sed actu insunt. Nam existunt realiter, extra causas, atque adeo actu, non potentia: & quocunque se vertant, infinitum actu coguntur admittere, quod in rebus creatis nec esse nec concipi potest.

Nec juvat dicere illas partes esse inæquales, & proportionales, minores & minores in infinitum. Concipe enim crumenam continentem monetas inæquales, semper minores & minores ita tamen ut inde sumendo in omnem æternitatem nunquam sit exhauribilis nec ad minimam deveniri possit, quis neget in tali crumena actu existere nummos infinitos?

Miserum est, inquam, hoc diverticulum, & præter verba nil continet, dum inquiunt, infinitæ sunt partes in Continuo non aliquotæ, seu certæ & definitæ mensuræ: nam quantulæcunque essent, rem infinite extensam efficerent: ut si ex infinitis digitis corpus constaret. Sed partes illæ sunt proportionales, hoc est ad certam proportionem continue & indefinite decrescunt. Sic in pede sunt duæ medietates, & utraque medietas iterum in duas subdividi potest, & sic in infinitum, nec unquam exhaurietur divisio. Sic, inquiunt, in continuo sunt infinitæ partes syncategorematice (barbaro satis vocabulo) seu potentia & indeterminatæ, non categorematice & actu & determinatæ. Sed

Contra. In pede sunt actu duæ medietates, quarum unaquæque est semipedis: sic illa medietas ex duobus dimidiis actu constat, & ita in infinitum: ergo sunt infinitæ medietates actu, non potentia tantum. Deinde si Deus ab æterno hunc pedem cœpisset dividere, profecto jam adessent partes actu infinitæ, quæ tamen inerant continuo. Nam res quæque dividuntur in ea quæ actu insunt.

Probatur 2. Deus potest omnes continui partes, quæ sunt ab invicem distinctæ, quæque a se mutuo non pendent, separare: sed tum daretur pars ultima, & divisibilitas Continui omnino exhauriretur, ergo continuum non ita est in infinitum sectile, quin illius divisibilitas tandem exhauriri queat, ac partes illius ultimæ dari possint, non secus ac in numeris devenitur ad unitatem.

Respondent, partem quamlibet continui separari posse ab omni alia distributive hoc est, ab illa vel illa parte; sed non ab omnibus collective sumptis: cum sit essentia Continui ut sit divisibile. Sic infiniti homines sunt possibiles, nec tamen simul & collective esse possunt.

Contra. A sensu distributivo ad collectivum consecutio est optima in iis quæ sunt actu, non potentia tantum. Nam si una pars continui potest esse sine omni alia distributive sumpta, recte colligimus eam esse posse sine omnibus aliis etiam collective sumptis. Ut si quis dixerit, nihil mihi est neque auri neque argenti &c. recte colligimus eum hominem esse rerum omnium inopem. Deinde pars quælibet continui realiter distinguitur ab omnibus aliis etiam collective sumptis, ergo ab iis separari potest, & sic dabitur pars ultima. Quod autem pro ratione dant, id esse de ratione Continui quod sit divisibile in partes, adeo ut pars ultima dari non possit, hoc ipsum principii loco absumunt & supponunt, quod est in controversia. Id enim quæritur in quo posita sit ratio continui, an in hoc quod sit in infinitum divisibile? ea vero est manifesta petitio principii, id tanquam manifestum supponere, de quo quæstio ipsa vertitur. Addo propositionem istam, de ratione Continui est ut sit divisibile, distingui posse: Est de ratione Continui divisibilitas, quamdiu manet Continuum. Conc. si desinat esse Continuum. N. desinit autem ratio Continui dum redigitur ad minima physica, Punctum enim non est corpus physicum continuum, cum careat partibus.

Subtilius respondere solent alii, Continuum non constare partibus actu distinctis, sed potentia, hoc est distinguibilibus: sicut non sunt separatæ sed separabiles. Et hæc sententia illorum, qui quidem ponunt primas & ultimas partes esse impossibiles, & omnes vere & proprie esse divisibiles in infinitum: ne tamen cogantur admittere infinitum actu; ajunt in Toto corporeo partes illas non esse actu distinctas & realiter, sed mere distinguibiles realiter & divisibiles in infinitum modo quodam ineffabili, quem declarare conantur sequenti discursu.

XVIII. Totum integrale aliud est homogeneum, quod ex partibus similaribus seu similibus, saltem juxta considerationem physicam: aliud heterogeneum quod ex partibus saltem aliquibus dissimilibus constat. Utrumque hoc dividitur in Continuum & Discretum. Cave æquivocationem primi termini: in hac enim divisione significat Totum, cujus partes non sunt interruptæ aliqua re de tale totum non pertinente. Discretum vero Totum, cujus partes sunt interruptæ, & quasi intertextæ rebus aliis non pertinentibus ad illud Totum, nec significatis in recto a proprio termino illius totius. Totum illud Continuum, hoc est non discretum dividitur in *Continuum* & *Contiguum*. En alius sensus primi termini ut contradistincti a Contiguo.

Aristoteles varie illud explicat, alibi enim ait, *Continuum esse id, cujus motus est unus indivisibilis.* Sed non recte, nam mare continuum est, nec tamen ejus motus unus, sed plures simul. Quod si dicant mare jam divisum esse in atoma & congeriem esse atomorum, ut Galilæus scripsit: confutabitur Aristot. per rotam currus, cujus partes sunt contiguæ clavis compactæ, non continuæ, & tamen omnium motus est unus: similiter & paginarum hujus libri. In prædicam. autem dicit, *Continuum est, cujus partes copulantur ad unum terminum communem*; sed nec hoc recte satis declaratur, termini enim lineæ sunt duo puncta,

super-

ſuperficierum lineæ, corporumque ſuperficies, ut ipſe docet, & has vocat ſpecies continuæ quantitatis: conſtat autem non ad unum, ſed ad duo puncta terminari lineas rectas: circulares vero ad nullum. Similiter nec ſolidatum ſphærarum ſuperficies ad ullas lineas terminantur. Corpus quidem ſolum ad ſuperficies terminatur, ſed non tanquam ad terminum indiviſibilem ſed diviſibilem: velut lineæ in circulo terminantur ad circumferentiam. At ſi ad centrum terminari quis dicat, ipſum quoque infinitum ſic terminabitur, quod de ſe caret terminis, in cujus ubique poteſt aſſignari centrum. Quod ſi ad eum terminum communem partes copulari intelligant, ut ajunt, qui poteſt ſignari in quavis parte: veluti partes animalis ad cor, vel umbelicum, tunc utique ſecundum rationem terminus erit; non enim punctum in medio lineæ ſignatum eſt terminus, nec in medio temporis, extra quod nihil ſed ſecundum noſtrum intellectum ſit terminus & non ſecundum rem.

Agnovit hoc acutiſſimus P. Joan. Bapt. Ptolomæus, Diſp. 8. Phyſ. Met. ubi ſect. 1. n. 2. ait: Difficilis expoſitio (nempe datæ ultimæ definitionis Ariſtot.) niſi ſumatur ſenſibiliter & in conſideratione phyſica, ut ſumi debet: eſt enim Continuum, cujus partes non ſolum viciniſſimæ ſunt, & immediatæ, ſed ita compactæ & commiſſæ a parte rei, ut in conſideratione phyſica videantur perinde ac ſi partes non eſſent, ſed continuum eſſet unum quid ſine veris partibus, ex quo poſſent tamen fieri & reſecari partes, ſed nondum de facto & actu eſſent factæ partes. Quod nil veri ſignificare poteſt, quam hoc quod eſt, nondum ſunt ſeparatæ invicem, nec dum ſingulæ ſunt ſuis particularibus terminis & limitibus circumſcriptæ, hoc eſt peculiaribus lineis & ſuperficiebus, quæ ſunt corporum & corpuſculorum termini & limites apud Geometras; ſed communibus tantum illius totius terminis circumſcribuntur & clauduntur, veluti parva vaſa in majoribus incluſa. Ex. gr. ſit lignum tripalmare integrum & nondum ſectum, communiter dici ſolet & poteſt: *fac ex iſto ligno 3. partes, aut decem, aut etiam centum*, pro libito jubentis. Sed quid eſt illud *fac*, nunquid non erant? Non exiſtebant illæ partes? Num antecedenter erat totum illud ſine partibus? nimirum in conſideratione phyſica & ſenſibiliter perinde illud totum Continuum erat, & dicebatur, ut videretur & cenſeretur illas partes non habere, ſed eſſe quid indiſtinctum, ut erat inſectum, & hoc dicitur totum Continuum. Quod ita explicatum, nec adhibita cautela mox ſubjungenda inexſpectatæ Philoſophiæ viam ſtravit in re præſenti.

XIX. Cautela vero bene notanda hæc eſt. Quando agitur de quantitate, de tempore &c. male confundi conſiderationem phyſicam horum objectorum cum Metaphyſica. Tempus enim v. gr. ut ſenſibiliter & ſenſu phyſico conſideratum longe diverſas denominationes & proprietates habet, ac tempus ſenſu Metaphyſico acceptum, prout oſtendemus in Tract. de Duratione. Sic homo puer eſt idem ac ſenex ſenſu phyſico & ſenſibiliter: at ſenſu Metaphyſico non eſt idem: peto enim in quantas anguſtias ſe conjiceret, qui ex identitate in prima conſideratione conceſſe tueri vellet eandem in ſecundo ſenſu? Quantum torquere vocabula deberet ne videretur errare, erraret tamen.

Sit pro exemplo linea, quam in triplici ſenſu conſideramus. Primo in ſenſu phyſico & ſenſibili. Secundo in ſenſu Mathematico. Tertio in ſenſu metaphyſico. Conſiderata in ordine ad ſcientiam ſenſibilem, quæ fundatur in ſtatu phyſico & ſenſibili omnibus facillimo & per communiſſimas inductiones notiſſimo eſt linea in ſenſu phyſico. Secundo conſiderata in ordine ad Scientiam Mathematicam, quæ in linea præciſe conſiderat hanc formalitatem *menſurabilis tali menſurabilitate*, perinde ac ſi nullam aliam formalitatem haberet realitas lineæ præter illam, eſt linea in ſenſu Mathematico. Tertio eadem conſiderata in ordine ad Scientiam Metaphyſicam, quæ per omnes poſſibiles & minutiſſimas inductiones ac rationes indagat & exquirit, quid quid cognoſcibilitatis & realitatis & proprietatis realis habeat in ſe illud objectum, ut inde concludat ſine abſurdo ullo, & nullum violando principium lumine naturæ cognitum, vel univerſaliſſime verum: quæ ſit vera & realis eſſentia illius objecti, ut eſt in ſe, quæque ſint illius proprietates: dicitur linea in ſenſu metaphyſico.

Probatur 3. noſtra concluſio ex variis abſurdis, quæ ſententiam Peripat. admittentem in omni vel minimo toto corporeo dari de facto & ineſſe infinitas partes actu diſtinctas realiter, ſed non actu diviſas ſeu quæ explicat partes diviſibiles diviſibiliter, quam primo loco inter 5. falſa ſyſtemata refert & refutat laudatus P. Ptolomæus. Primo enim evidenter ſibi contradicit, dum primas & ultimas partes quas negat, adſtruit, & quantitatem ex indiviſibilibus punctis componit: nam partes infinitæ actu realiter condiſtinctæ hujusmodi ſunt. Secunda quis credat pedem acari (gallice un cyron) vel minutiſſimæ arenulæ granum ſic per totam æternitatem ſecari poſſe, ut partes illæ nunquam exhauriantur? ſed plures ex continua diviſione prodeant, quam ſint arenæ grana in toto Oceano: imo plus quam totum univerſum capere poſſit? ſic una ala muſcæ, vel teſſera qua ſolent ludere in tot foliola ſeu partes quadratas ſecari poterit, quod terrarum globo, imo Empyreo cœlo tegendo ſufficiant. Deinde mirum etiam id videtur, infinitas actu partes in continuo exiſtere, quarum ſingulæ ſuas habent dimenſiones (nec enim ſunt invicem penetratæ) & tamen rem infinitam extenſam non efficere.

XX. Hos utique multa reſpondent non Peripatetici modo, ſed etiam qui recentiorem philoſophandi rationem colunt; ea nimirum ut abſurda haberi non oportere, quæ imaginatio noſtra conſequi non poteſt. Ac præter cæteros Vir pereruditus & Carteſio maxime addictus exemplum affert auri, quod ita diduci poteſt, ut fidem pene omnem ſuperet. Sic uncia auri in folia tenuiſſima & quadrata, plus quam ducenties mille ab artificibus contunditur. Idque multo eſt illuſtrius in maſſa argenti cum foliis auri contuſa, & diducti in tenuiſſima fila ubique deaurata: adeo ut ſi rem ad calculum revoces, cubus auri quinque lineas altus, in ſexcenties mille & amplius partes æquales & ſenſibiles dividatur. Quod cum homines, qui inſtrumenta adeo rudia adhibent, efficere poſſint, an dubitamus, quin naturæ ſubtilitas ultra omnem imaginationis vim excurrat. Scribit Bontekoe pag. 64. Oeconom. animal. Moſci granum dimidium poſſe aliquot hominum millia inficere, ſic ut alia millia his obviam facta dignoſcant moſci odorem & rurſum inficiantur &c. Idque multo luculentius fiet, ſi naturæ minutiſſima opera paulo acriori animo contemplemur. Ac miſſis innumeris aliis, conjiciamus oculos in ea animalcula,

quos

quos termites vocamus, & in caseo deprehendimus, quam apte partes omnes habent conformatas; crurum juncturas & articulationes, imo & pilos persæpe intueri licet. Jam in iis quantulæ sunt partes, quæ vitam & motum tribuunt. Nam & humore sanguini analogo, & vitali spiritu perfunduntur. In eorum ovis, quæ microscopio plerumque cernuntur, ut in aliis omnibus, est illa cicatricula, quæ animalculi est primordium, ubi scilicet est punctum saliens. Quantula sit ea pars quæ in ovis gallinaceis vix sub oculos cadit, quis animo consequi possit: adeo ut divisioni materiæ frustra quis terminos præscripserit, & perperam id absurdum judicemos, quod vim intellectus nostri, nedum imaginationis excedit.

XXI. Præterea quousque pateat materiæ divisibilitas ex pigmentis ipsis, quorum partes sensu minimæ, tantam aquæ copiam tingunt, facile conjicere possumus. Vnum cupri granum, ut Clarissimus Boylius peculiari tractatu de Effluviis docet, spiritu salis armoniaci dissolve, fiet liquor cæruleus: huic aquæ puræ, imo distillatæ [nam ea est huic rei magis idonea] affunde tantam aquæ copiam, quam voles & eodem colore tinget, ut plus ducenties mille aquæ partes mole æquales huic cupri grano, sensibili colore tingat: adeo dissoluti cupri partes comminuuntur, & per aquam diffusæ sensu ipso se produnt. Iam si solutionem hujus grani lampadi, cujus ellychnium non consumitur, quodque ex plumoso alumine conficitur, affuderis, sæpe per integram semihoram flamma, quæ semper recens producitur, cæruleo colore tincta apparebit: ita ut mirari satis non possimus, qua ratione pars illa cupri tam minutim concidi potuerit, ut novum semper colorem, hoc est novas semper partes suppeditet. Ac flamma ipsa, odores, vires medicaminum tot videntur argumenta, quibus materiæ in infinitum divisibilitas demonstretur. Hinc enim pendet Philosophia illa mechanica & corpuscularis, quæ scilicet subtilissimis corporum effluviis omnes pene naturæ effectus refert acceptos, qui vulgo qualitatibus tribuuntur.

Resp. Nos non ita sensibus indulgere, ut naturæ subtilitati aut materiæ divisioni terminos facile præscribamus; sed negamus eam infinitum quid moliri. Non enim in cæteris naturæ operibus progressum in infinitum usquam animadvertimus. Nec demum verisimile est in sola continui divisione infinitum a natura ipsa affectari. Imo id pertendimus vulgarem illam ab Aristotele inductam continui in infinitum divisionem non aliunde ortam esse, quam ex falsis sensuum præjudiciis. Cum enim in materiæ divisione sensus nusquam terminos invenirent, facile sibi persuaserunt Philosophi materiam in infinitum secari posse.

XXII. Huic errori vires & pondus addiderunt Mathematici, qui extensionem ipsam non rem extensam considerant, ut jam sæpius inculcatum est. Sic Geometra punctum concipit in medio circuli, a quo lineæ rectæ ad omnia puncta circumferentiæ ducuntur; neque illi curæ est, an tot lineæ in unum punctum confluere possint: nam lineas & puncta ut sunt ab omni materia abstracta contemplantur.

Quocirca non satis consulto Physici demonstrationes Mathematicas adhibent, quasi in rerum natura aut lineæ essent aut superficies aut puncta ut a Geometris supponuntur. Hoc enim est proprie transire a genere in genus, ab iis quæ sunt tantum in ideis nostris, ad rerum naturam. Atque ea ratione demonstrationes Geometricæ, quas perperam adhibent Philosophi, & Mathematici Cartesiani rem se confecisse jactitant, ut continuum in infinitum sectile demonstrent, hoc vitio laborant, quod ex abstracta demonstrationum veritate physicam & veram punctorum vel linearum existentiam male colligant.

Hinc sequentes propositiones loquendo de quanto physico, simpliciter negantur. A quovis puncto duci possunt infinitæ lineæ. Omnis linea est divisibilis in partes æquales. Punctum additum puncto non facit majus. Et his similes,

XXIII. Supersunt adhuc plura systemata circa compositionem continui, ex quibus olim placuit in ordine quartum apud Ptolomæum, quod nempe ponit primas & ultimas partes de facto dari & esse puncta indivisibilia & finita, sed esse virtualiter sive æquivalenter divisibilia hoc est, modo occupare majus, modo minus spatium juxta exigentiam naturæ, & unum tale punctum physicum realiter & formaliter indivisibile æquipollere in ordine ad occupandum spatium pluribus punctis Zenonisticis; uti docuerunt Joan. Johanniz Episc. Calagurritanus, P. Matthias Rham S. J. Professor Ingolstald. P. Honoratus Fabri &c. hæc puncta vocant add. per sarcasmum inflata; Ptolomæus Spiritellos & parvulos Angelos.

SECTIO IV.

De Punctis mathematicis & physicis.

XXIV. Duas movimus quæstiones in præcedenti sect. una de differentia Continui a Contiguo: altera de compositione Continui an componatur ex partibus in infinitum divisibilibus, an vero ex indivisibilibus finitis sive ex punctis. Neutra fuit adæquate decisa. Quare ne suspensum dimittam Lectorem, resumo utramque prius quam de natura atomorum seu punctorum agam.

Vnum per Continuitatem recte dicitur, cujus partes habent communem terminum hoc est quod partes continui quæcunque terminum undecunque finientem habent communem. Palam est enim quod quæ discontinuantur, eundem terminum nullibi habent: extremum enim hujus paginæ supremum, totius & omnium partium simul extremitas est: at si scindatur per medium, scissuræ fragmen inferius non habebit pro extremo hunc supernum terminum, sed illud in quo scissio intercidit: ita ut continuum sit, cujus partes habent terminum, quod tamen affirmari non potest de Continuo infinito.

Verum hæ rationes Continui sunt a proprietate, non a causis; meliores essent si a forma sola peterentur; ut si dicas, Continuum est, cujus partes sunt maxime unitæ: vel cujus partes minimum divisionis admittunt. Vnde magis unum est lapis, quam lignum, & magis lignum quam mel; & magis mel quam aqua, & magis aqua quam balsamum Chymicorum. Loquor autem de materiali, non de formali unitione ac discretione. Qua ratione quidquid habet eandem molem in loco angustiori, dicitur magis unum, ut densitas lentore; lentor mollitie, mollities viscositate: viscositas lubricitate; lubricitas fluore, fluor vapore, vapor tenuitate. Haud tamen magis est unum uncia auri, quam libra ejusdem auri, propterea quod habeat partes pauciores, cum non habeat unitiores: alioqum punctum solum esse vere unum in physicis, & in metaphysicis magis unum esset Angelus quam Deus.

Ratio-

Rationem unitatis Continuorum non docuerunt Peripatetici ex causis, sed nec priores Philosophi. Jo. Bapt. Prolomæus hanc difficultatem silentio præterit, Honoratus Fabri econtra multus est in hoc negotio. Continua, inquit, dicuntur esse, quorum extrema sunt unum, id est indivisibilem faciunt commissuram, non tamen extremitatem; nam ejusdem continui v. gr. lineæ sunt tantum duo extrema, nec punctum medium est terminans sed copulans.

Porro quando commissura est sensibilis, videntur extrema, igitur non sunt unum punctum copulans sed duo terminantia; igitur illa duo segmenta sic ferruminata, non sunt inter se continua sed contigua, in quo non est difficultas. Sunt enim contigua duplicis generis; alia per merum osculum sunt contigua, ut dextera juncta sinistræ; alia per agglutinationem, vel quamlibet ferruminationem. Similiter continua sunt duplicis generis. Primum est eorum, quæ partibus homogeneis constant, saltem sensibiliter, ut lignum, aqua, vinum; Secundum vero eorum est, quæ constant partibus etiam physice & sensibiliter heterogeneis, ut marmor variegatum, os continuum cum ligamine & cartilagine, virgula vel ramus cujus extremum segmentum siccum est & exsuccum, altera vero portio adhuc vegetans & viridis, sicut & brachium arefactum in homine. Præterea, inquit, duplex est adhuc ratio continui. Alterum est cujus partes ita uniuntur, & implicantur, insensibili scilicet commissura, ut ex motu unius sequatur motus alterius, ut accidit in continuo quod dictum est; alterum vero est liquidum, vel spirabile, ut aqua, aër &c. Ubi recte subjungit motum illum unius partem ad aliam motam etiam aliunde oriri posse, prout in contiguis rota, colligatis, annulis &c. videre est.

Tandem concludit rationem physici continui quanti in eo potissimum positam esse, quod ex pluribus quantis fiat unum totum, nulla sensibili commissura inter partes remanente, licet revera uniantur: hinc divisa, contigua, ferruminata, adglutinata, annulis & fibulis juncta &c. rationem continui minime participant. Si agamus de solidis, hæc utcunque transire possunt, quanquam & per artem corpora sic compingi possint, ut commissura sensibilis non notetur. Sed quid dicemus de liquidis?

Respondet hic Autor, unio continuativa liquidorum, si pura sunt & homogenea v. gr. pura aqua, purus aër &c. in contactu immediato posita est; neque in his continuitas a contiguitate ullatenus differt; nempe nulla est partium conglutinatio, implicatio, nullus amplexus; sed merus contactus, merum osculum, ex quo corpus illud dicitur unum vel continuum. Quid porro dicat illa contiguitas, perspicuum est; cum dicat tantum talem partium positionem, vel locationem per ubicationes immediatas, inter quas aliquid intercipi non potest: hinc nullus est alius modus unionis continuativæ in liquidis puris: quia posita prædicta illa partium contiguitate, partes illæ faciunt unum quantum, & omni alio sublato, igitur omnis alius modus frustra est. Hæc ille.

XXV. Verumtamen melius sentire videntur, qui negant contactum facere continuitatem in liquidis, nec confundi debere contiguitatam cum continuitate; sed quod materiæ coextensio, & conformitas & gluten faciant continuitatem. Si quidem materia non est atomorum congeries, ut suo loco ostendemus; neque ejus est unitam esse neque divisam, sed utrumque poti. Quando ergo patitur partium unionem actu omnino indivisam, divisibilem vero solum potentia per aliud intermedium, tunc continua est, & hoc non potest absque qualitate naturali & primalitatibus fieri. Nulla enim ars potest facere rarum & densum absque illis: sed tantum divisum & unitum. Cum vero partes divisæ sunt sese tamen contingunt, sive partes sint, sive res, quæ non pertinent ad idem totum, tunc contiguitas fit ex illa unione extremorum: quæ tamen perfecta est, cum absque medio etiam insensili sese tangunt; imperfecta vero quando intermediat insensibiliter quippiam, non tamen per totum. Quapropter haud arbitramur aquam esse congeriem atomorum, ut ajunt Democratici, nec aërem & ea quæ cedunt tactui, sed extensionem materiæ absque divisione intermedia. Ita Campan. Lib. 2. Met. pag. 205.

Qui autem ex meris omnia constant atomis, nullam continuitatis unitatem docent. Omnis enim talium corpusculorum unitio congeries erit minutiarum, non continuatio rerum; sicut mons farinæ & minutissimarum arenularum, quas quantumvis contundas & complices, non commassantur, nisi glutine addito, vel aqua viscositatis non expers. Quam si deinde per furni calorem exprimas, ut in pane bis & ter cocto: tunc cohærentia dissolvetur paulatim ita ut tandem in farinas abeat: omniaque corpora hujusmodi friabilia erunt, nullaque reperientur trahibilia & commassabilia & viscosa tenaciaque. At si aqua compingendi vim habet, profecto non quia ex hamatis constat atomis hoc habet, sed quia viscositatis particeps. Viscositas autem est materialis expansionis gradus quasi medius a calore genitus. Manifestum est enim quod etiam ex atomis fit viscositas per materiæ expansionem, non per minutionem & frustulationem. Etenim cineres atomis constant particulis, quæ nunquam commassantur absque activitate nova ignea eas transmutante: ab aqua enim glutinatæ, statim postea dissolvuntur. Ignis autem eas agglutinat, non quatenus ex aculeis constat, uti videtur recentioribus Democraticis, sic enim non nisi dissociationem & repletionem præstaret vacuitatibus invisibilibus, ut ostendemus in Tract. XXVIII. de Rarefact.

Ergo ignis agglutinat quatenus transmutans cinerem, non quatenus addens aculeos atomasque partes tenaciores aqueis. Liquefacit ergo cineres vi activa, non passiva corporeitate acuminata: liquor autem cinereus, abeunte caloris robore & copia in vitrum concrescit durum, frangibileque, quoniam a telluris consistentia magis recessit. Vitrum deinde per vim ignis reverberati in fornacibus soluto glutino per liquefactionem priorem facto, in sal convertitur, sicut lapis in calcem, & lignum in cinerem, sed longe distantius a telluris crassitie & salibus, & cineribus & calcibus. Factum enim est hoc sal ex valde transmutata mole terrea. Sol autem hoc iterum vehementiore igne correptum solvitur in oleum intra Alembicum adeo tenue & subtile, ut vitrea vasa pertranseat destilletque foras, tantæ siquidem tenuitatis est ut subito evanescat. Nec Chymici sciunt quid de illo fiat. Dicunt enim omne principium redactum ad sui puritatem, tam Sal, Sulphur & Mercurium post multas extractiones alterorum ex altero, esse desinere: sed verius in ignem purum abeunt. Sed de hoc satis.

Quoad alteram quæstionem an continuum sit divisibile

visibile in infinitum, cujus negativam tenemus, hæc addo contra illos, qui dicunt continuum non componi ex partibus actu, sed potentia solum; sierique partes actu, ipsa divisione reali, aut designatione saltem mentali, miror, inquam eos æquivocationem non cernere qua laborant. Nam eatenus quidpiam fit actu, quatenus est in potentia ad actum: Partes autem continuatæ sunt quidem in potentia ad separationem, sive reipsa sive designatione faciendam: non autem sunt in potentia ad essendum vel existendum; sunt itaq; designabiles, sed non tunc modo creabiles & factibiles: & quis neget animam & corpus esse partes actu componentes hominem, etsi non sint separatæ nec divisæ? quid porro designas nisi quod est? Quare amphoram vini potes separare in duas dimidias? nisi quia duas dimidias continet? Sed sicut se habet tota ad duas dimidias, ita dimidia rursus ad suam dimidiam; ita quarta ad suam, & sic in infinitum.

XXVI. Quæso te, quid est continuum, nisi totum, cujus partes communi termino copulantur? si ergo continuum actu non habet partes, actu non est totum. Ergo nec actu continuum. Totum quidquid est, habet partes; & quatenus vel una deest, non est totum. Nimirum totum est omne, solum & semper quod componitur ex partibus; pars omnis & sola est, quæ componit totum: aut da exceptionem. Ergo sicut omne, solum & semper est homo, quod est animal rationale: ita omne, solum & semper est totum, quod constat partibus, ergo si quid non constat partibus nisi potentia, illud non est totum actu sed potentia. Ergo qui habet in scypho mensuram vini, cui vel gutta desit, non habet tamen mensuram actu totam, sed solum potentia. Quid est continuum, nisi quod continuatur: per partes utique? quid continuans, nisi quod continuat alterum?

Quamobrem cum nequeat concipi continuum quod non sit totum (esset enim Continuum & non esset) necessario dicendum est, Continuum constare ex partibus componentibus finitis, quæ denique in plures alias componentes realiter dividi nequeant. Nunc transeamus ad Puncta.

XXVII. Cum igitur demonstratum sit Continuum non esse in infinitum divisibile, & Illustrissimus D. Caramuel contrariam sententiam inter errores communes Vulgaris Philosophiæ numeret: id omnino relinquitur ut in partes minimas tandem resolvi divinitus possit, quocumque nomine eæ partes appellentur; aut minima physica, quæ plerique Peripatetici ultro admittunt, aut atomi; aut puncta physica, aut forte Mathematica & Zenonica. Hinc enim magnæ difficultates emergunt ex eo potissimum quod res mathematicæ ad physicas perparum transferri soleant. Hinc enim magna in animis nostris fit confusio: quæ ut penitus auferatur, quædam ex insigni Mathematico P. de Chales in hunc locum afferemus.

Primum itaque id prudenter observat puncta Mathematica cum Zenonicis male confundi. Zenonis puncta sunt partes quantitatis omnium minimæ, quæque indivisibile spatium occupant, adeo ut ne per mentem quidem dividi possint. Punctum vero mathematicum illud est, cujus pars nulla concipitur, vide in Tract. XIII. sect. 1.

Puncta nostra sunt partes continui, non ipsum Continuum. Punctum est principium corporis, non ipsum corpus; physicum saltem, etsi corpus metaphysicum (secundum se, vel substantiam corpoream, cujus consideratio ad Metaphysicam spectat) dici nil vetet. Eo ipso vero, quod corpus est, extensum est occupatque spatium, rarefieri & condensari potest. Hinc Punctum physice indivisibile additum puncto facit majus, sicut & facit numerum discretum seorsumque: etsi enim punctum non habet partem, adeoque secundum se totum (ut ita dicam, non enim est proprie totum) punctum videatur tangere: tamen illa duo tota indivisibilia faciunt unum totum divisibile in illa duo, alioquin non fuissent duo. Insuper Punctum habet situm & relationem ad ortum & occasum & ad alias Mundi plagas innumerabiles, unde licet ducere lineas innumerabiles; videtur ergo appositio Puncti ex quacunque aliquid aggregare. Hinc etsi punctum physicum in plura physica puncta non possit dividi: ipsa tamen ejus extensio per se ipsam quodammodo extenditur in puncta mathematica; hoc est, talis est forma & modalitas, cujus initium & finis semper est indivisibilis, & est ipsa procursio ab indivisibili ad indivisibile. Nec putandum quod punctum additum puncto illud penetret, ita ut respondeant eidem spatii seu loci intrinseci puncto: distinguo enim ant. sunt simul in eodem loco, hoc est sunt juxta se invicem posita, & nihil inter ea intercipitur. Conc. sunt in eodem puncto loci. N. Quod autem supponunt ea sese mutuo & secundum se tota contingere, id intelligendum est negative. Non enim proprie totum dici potest quod caret partibus. Sic anima dicitur tota esse in oculo, quod pars illius non sit in pede, aut in manu. Sic nihil est in uno puncto quod aliud non tangat: sed tamen unum est extra aliud, nec sese penetrant, nec quidquam aliud tangit, nisi ei sit extrinsecum.

XXVIII. Quæres: Utrum Continuum aliquid difforme esse queat, & aliquid magis minusque continuum? Ratio dubitandi est, si quidem cum aqua misceatur vino, nun videntur continuari, cum separabilia sint: id quod docet lutum, ex aqua & terra compositum; & pasta ex farina & aqua, ubi sane nec aqua terræ, nec terra aquæ continuatur, sed contanguntur mutuo & compenetrantur; similiter quidem atque spongia, quæ aquis repletur, nec tamen continuatur spongia aquæ: sed potest aqua ex parte continuari secum, & ex parte discontinuari: nulla enim pars aquæ non continuatur alicui parti aquæ, nec ulla terræ non alicui terræ: & simul aliqua aqua ab alia per intermediam terram discontinuatur, sicut & in spongia. In luto ergo & aqua vino mista continuitate & discontuitate constat, similiterque vinum. Ergo datur aliquid ex parte Continuum, ex parte Contiguum secundum naturam, licet non item secundum sensum nostrum. Datur etiam aliquid Continuum & contiguum simul secundum naturam atque nos, ut ossa animalis ratione sui contigua sunt: ratione vero nervorum superextensorum & tendonum & carnis continuati videntur.

Præterea aqua est corpus continuum, sicut lapis: veruntamen magis continuum dicitur lapis, quoniam partes hujus compactæ sunt unitione majore: non autem quia aqua intercipit vacuitates plures, ut quidam existimant. Sunt etiam magis continua, quæ non constant ex solido & liquido & spiritu, seu ut Paracelsistæ loquuntur, ex Sale, Mercurio & sulphure. Differentia enim latens continuitatem adulterat.

Inter Contigua illud magis est unum, quod magis ad continuitatem accedit; ut partes magis quam materia, quia calx trahit ibi magis ad continuitatem; sed quæ pice uniuntur, & fluoribus induratis postmodum, faciunt unitatem majorem.

SECTIO V.

Democriti sententia a Cartesianis resuscitata refertur & refellitur.

XXIX. Democritus & asseclæ Epicurei negant & recte Materiam esse puram potentiam, sed esse quid & quale & quantum in actu: attamen actu passivo materialique: imo nec dant causam ullam agentem, sed materiam agere. Moderni, quos inter R. P. Aloys. Kimmet S. J. Materiæ nomine intelligunt substantiam illam primigeniam seminalem totius Mundi, quam Deus creavit a principio, quamque editio vulgata vocat inanem & vacuam, Hebræa tohu & vohu, inanitatem, ac deformitatem; Græca invisibilem & incompositam, quia ante creatam lucem tenebris erat involuta. Materiam istam (ait pag. 131. num. 222.) Arist. vocat ætherem, Plato subtilem ignem, alii Archæum, alii animam vel Spiritum Mundi. Et pag. 145. num. 246. prosequitur, quod propter summam subtilitatem, tenuitatem, fluiditatemque suam Moyses aquæ & abyssi nomine illam expresserit: quæ *admodum nihil est*, potentia omnia continet. Non habet per se ullum actum, præter existentiam: non enim est loco mobilis, neque secundum totam sui massam, quia non habet locum extra se; neque secundum partes sui, quia non habet gravitatem ad libramentum; nec est corpus impellens aut premens aut aliter movens &c. Non potest etiam movere ullum sensum hominis, nec sub experientiam usumque ullum cadere; tum propter summam subtilitatem, tum propter actualem immobilitatem; etsi sit potentia maxime mobilis & omnis motus principium. Vnde sit licet aliqua substantia, ad Metaphysicam pertinens, cum immediate actionem creativam terminet, tamen non est corpus physicum, quia caret forma substantiali, qualis sub experientiam cadat, & aliquem actualem sui usum exhibeat, tanquam principium aliquod motuum. Vnde tale corpus nec est corpus physicum & prædicamentale; nec est *quantum*, hoc est, quidpiam augmentatum, vel ad aliquam speciem quantitatis aut molis redactum, neque aliquid eorum quibus ens determinatur, & consequenter est ipsissima prima Mundi materia, ex qua omnia corpora fiunt, ita ut in eis ipsa non per accidens insit, qualiter corpora artificialia insunt rebus, ex illis fabrefactis. Ita P. Kimmet.

XXX. Multa sunt in his lineis paucis quæ non assequor. Materiam, *qua admodum nihil est*, quamque explosere SS. PP. ut alibi ostendimus, vocat Archæum, & Spiritum Mundi, nempe substantiam activissimam, quæ velut forma universalis animat omnia, quæ vegetat plantas, repit in limace, volat in corvo, ratiocinatur in cane, Elephanto &c. cum materia sit ens iners, ignavum & mera potentia passiva. Deinde fatetur esse substantiam, eo quod terminet immediate actionem creativam, ergo vel corpus, vel Spiritus, sic enim infert ipsemet pag. 278. his verbis: Quare autem forma substantialis non potest esse ac dici substantia? Ideo sane: quia si esset substantia, esset corpus, sicut enim ex linea prædicamentali, substantia spiritualis est Spiritus, ita substantia materialis est corpus. confer quæ habet pag. 293. die 28. Ianuar. Nec legi adhuc authorem, qui æthera admiserit, & tamen illum esse corpus negaverit: esse enim mensurabilem in longum, latum & profundum, palam est, quod Cartesiani vocant corpus: item esse substantiam impenetrabilem fatetur Kimmetius, alias frustra poros in vitro & recipiente ordinaret per quos illaberetur ad impediendum vacuum. Ridiculum quoque videtur, quod addit num. 248. hora altera primi diei ferebatur Spiritus Domini super aquas, hoc est: "omnipotens Dei manus, cum alia causa deesset, operabatur circa eandem illam materiam, *tornando* eam, secundum dimidiam fere ejus partem, *in minimas sphærulas* & *globulos*, qui essent apti quidem transire per poros corporum diaphanorum, sed non per opacorum &c." Si enim materia habuit partes, quarum dimidium vel mediatarum tornavit in puncta globosa, ergo corporea substantia, ergo corpus actu extensum, & quantum, & quidem terminatum. Quæro insuper an illi globuli præextiterint in subjecto tornatili, vel fuerint geniti ex illa, vel creati; non enim capio quomodo ex *admodum* nihilo tornari queant corpuscula illa rotunda.

Melius & ad captum magis Democriti dicunt Materiam in minutissima corpora esse naturaliter & ex se partitam, quorum quodlibet indivisibile; omnis enim resolutio ad indivisibilia terminatur: alioquin ex æque infinitis partibus constaret milium atque elephas & Mundus, si in infinitum abit divisio. Corpus autem componi ex his, in quæ resolvitur, consentaneum est. Si autem non esset finis resolutionis, sed divisio in infinitum abiret, tunc oportuit aliquando fuisse divisa in immensitate sæculorum omnino. Ergo in nihilum acta. Ergo si ex eis res factæ sunt penitus divisis, ex nihilo omnio factæ sunt. Quidquid enim totaliter omnino, & undique divisum est, illud nihil est: divisio enim annihilat; unio entificat res. Nunc autem neque ex nihilo, neque in nihilum res mutari videmus, sed certis e rebus atomis, quas in radio solis domum penetrante contuemur, & in apicibus spinarum & acuum, in quos indivisos, si desinit figura, facile credendum est in tales atomos resolvi, nec amplius ultra. Natura enim semper stat ex corruptis reparans entia: corrumpi autem penitus non possunt, alioquin nihil posset ex eis ad nihilum actis fieri; nec ex non corporibus corpora.

XXXI. Insuper ajebant oportere reperiri inane, alioqui non daretur motus nec mutatio rerum: si enim non esset vacuum, compacta essent omnia corpora in unum, nec quo ferrentur haberent: nec ergo fieret disgregatio nec congregatio, quæ localis motus species sunt, & generationem & corruptionem & alterationem constituunt ex concursu vario & ordine & positione minimorum. Hoc autem faciunt ictibus: ictus ex ponderibus & agitatione in vacuo. Ergo, inquiunt, nulla requiritur causa, cum omnis actio sit localis motionis species; localis autem motio ex atomorum pondere satis est ut fiat intra vacuum, præbens commoditatem.

Quoniam vero intelligebant Democratici, non posse fieri rerum agglutinationem compositionemque, si atoma sint nullius figuræ, multigenas eis dederunt figuras, & angulos & uncinos, quibus complicentur in unum: dissolvuntur autem ab ictibus ab ex-

tra

tra illatis, & quoniam se invicem penetrasse concretiones atomorum invicem agentium; propterea alias res ex atomis acutis, ut calorem & ignem; alias ex obtusis ut frigus & terram; alias exhamatis ut lapides & omnia dura, alias ex rotundioribus, ut liquores mollioresque res: mare autem qua fluidum ex levibus, qua amarum ex asperis atomis conflatum statuere.

Sed nec carent suo pondere atomi; hinc quod forte mirum cuipiam videbitur, ait Honoratus Fabri L. 4. de mixt. imperf. pag. 463. Propos. 28. nulla est tam exigua in medio aëre fluctuans atomus, quæ suum pondus non habeat, & vim suæ gravitationis non exerat; quod tamen Democritici forte riderent. Quod tamen puncta physica non sint ejusdem extensionis, idem Autor L. 3. de raro & denso. pag. 193. ponit pro axiomate. De qua agemus in Tract. XXVIII. de rarefact.

XXXII. Dicendum tamen, materiam non esse magis Democriti atoma dispersa quam Chaos Anaxagoræ unitum; ut etiam S. Ambros. epist. 31. innuit: atquoniam unio præcedit divisionem, a principio unam fuisse oportet. Nec putandum, omne dissolubile propterea dissolvi posse, quod ex dissolutis concrevit atomis, aut quia vacuitatibus insuper constat: continuitas enim maæ vacuitatem non admittit, nec forte contiguitas: sufficitque si dicamus, materiam esse unibilem & separabilem ad certos usque terminos quousque sufficit rerum mutationibus celebrandis. Similiter dicendum videtur materiam esse condensabilem & rarefactibilem usque ad certos terminos, quos agentia naturalia non possunt transgredi: unde inferro ex nullo Recipiente aërem omnem quacunque vi adhibita extrahi posse; nec opus est confugere ad æthera subingredientia ad impediendum vacuum, eo quod lux transpareat & tintinnabulum intus appensum adhuc sonum edat, quæ sine subjecto vel quasi, naturaliter non dantur.

Ista tamen minima physica non sunt materia rerum: de ratione enim materiæ est, non minus esse divisam ac unitam: cum enim sit ut rerum formas suscipiat plurimas, oportet illam divisibilem esse, unibilem, extendibilem, condensabilem, omnisque patibilem passionis usque ad certos terminos. Quemadmodum enim adeo unitur in adamante, vel in aliis rebus ut non possit amplius uniri: sic etiam extenditur in aëre purissimo, vel æthere aut igne (si tamen diversa sint) ut non possit amplius extendi absque vacui, propriæque idcirco nihilitatis, interceptione. Undique & usquequa, totaliter & omnino secari non posse existimo absque adnihilatione. Quod dicunt omnem actionem fieri ex ictu, ictus autem ex ponderibus, falsum est: multa enim deliberatione propria sese movent absque ictu, & ab intrinseco. Ad quid enim definimus naturam quod sit principium motus ejus in quo est &c. Præterea multæ fiunt actiones absque locali motu, sed sola effusione multiplicativa rei agentis, uti cum frigus infrigidat, & calor calefacit. Non enim movet se intra lapidem frigus cum frigefacit lapidem, sed multiplicat se in ipsum: non enim idem numero frigus in glacie supposita lapidi & in lapide: nec idem calor est candelæ, & stuppæ ex ea accensæ. Nec tamen ex stuppa educitur calor per transformationem, ut putat Lucretius, sed in ea novus generatur. Si enim tantus latuisset, de se ignea fuisset. Similiter videmus totam candelam in ignem converti & lucem incessantem, quæ per aulam multiplicatur, & operatur & calefacit: in candela autem tantam lucem & calorem præfuisse irrationabiliter dicitur, alioquin eundem effectum fecisset, & candelam consumpsisset, si activa res est: si non activa, profecto nec nunc faceret, quod facit. Atoma enim, mutato ordine & positura, configurationem mutant, non autem figuram, neque naturam. At quocunque modo lucem & calorem tangas, eandem habent activitatem, excepto quod si desuper tangas, ureris magis, quoniam sursum flamma natura sua elevatur ad solem & cœlum cum quibus cognationem habet. Dicere autem quod extruditur sursum per violentiam crassiorum corporum, puta aëris circumstantis, vanum est judicium, licet passim cum aliis erroribus invaluerit: quandoquidem ignis non modo non extruditur, sed ipse extrudit sursum evertitque omnia in cuniculis accensus, ut possit sursum pergere, nec ullis cohibetur machinis, quominus id perficiat. Hoc autem non eveniret, si appetitus omnium corporum esset ferri deorsum. Nemo negat lignum injectum aquæ & fundotenus intrusum, extrudi sursum, & semper graviores liquores, minus graves sursum pellere: at generalem inde regulam formare de omnibus corporibus, æque frivolum est ac dicere, omnia gravia tendere deorsum duntaxat. Nonne ignis candelam vorans, deorsum vorat? faciendo crassiores partes tenuiores. Si autem ejus esset extrudi a crassioribus, eas non attenuaret, neque ad eas descenderet extrusus ab eis, nec consumeretur candela. Quæ similiter quacunque via contacta non urit, nec lucet, nisi ab ipso igne igniatur, ac proinde transmutetur.

XXXIII. Cum autem ad indivisibilia perducunt materiam contra Arist. & Peripateticos nobiscum sentiunt Democritici & Epicurei; nihilominus errant; dum non secundum quantitatem faciunt indivisibilia, sed secundum robur. Planum est enim, quod angulatum atomum potest amputari & circumcidi ut obtusum rotundumque fiat. At ipsi ut natura rerum stare possit, in hac indivisibilitate sistunt rationem: & qui casu cuncta faciunt, tunc propria ratione res condunt. Quis enim Autor providit ne dividantur atoma hæc propter naturæ permanentiam? Et si casu sunt, & fiunt res, cur non etiam eodem casu dividuntur, ita ut etiam annihilentur? Et si Epicurus tantam providentiam, ne funditus res pereant, in natura ponit agnoscitque, cur non causas etiam providentes confitetur?

Esse autem multa corpora, quæ sursum appetant, clarum videtur. Nec enim naturalis ordo est modo motus deorsum, sed etiam sursum, & ad latera; sicuti motus ignis, ventorum, plantarumque cibus ad varios ramos delatus manifestum faciunt. Dic soles quis extrudit vinum ex scypho, cum per laciniam illi ex una extremitate immersa, altera dependente extra vitrum, ascendit per illam & effluit? Quid carnem cutemque elevat & intumescere facit sub cucurbitulis calefactis? ut omittam plures similes motus, quos non fieri per extrusionem, sed secundum naturam sponteque, & impetus ignis spontaneus, & nutritio animalis in homine & plantis brutisque & sympathia & antipathia rerum quorsumlibet trahens, pellensque demonstrant.

XXXIV. Calumniam sibi inferri queruntur Neoterici, dum iis objicitur, quod Dogma Democraticum

 post

post sæcula obsoletum reducant de *atomorum concursu*, & generationem substantialem excludant, eo quod nullam formam fieri asserant, sed resultare utpote modales & respectivas. Quibus respondet P. Kimmet, male audire Democritum & asseclas ejus, quatenus concursum fortuitum & mere casualem docere dicebatur, absque providentia Dei, & actione tum causarum naturalium, tum Creatoris: atque ita Mundum negabat a Deo gubernari & creatum fuisse, sed ex atomis ab æterno existentibus casu coaluisse; quod nos, inquit, non docemus. Porro non habet oculos qui particularum variarum continuam in Mundo mixtionem non videt. Quamvis verum non est, solo hujusmodi concursu fieri corpora nova & vetera destrui: cum hæc innumeris actionibus contingat, puta rarefactione, condensatione, extensione, compressione, coctione, liquatione, distillatione, resolutione, sublimatione, & innumeris, quas præclare Chymici imitantur & monstrant. Atque ita formæ haud dubie *substantiales* (quæ tamen non sunt substantiæ seu entia absoluta) aliæ de novo resultant, aliæ veteres desinunt, per quas generatio corporum & corruptio substantialis contingit; etsi formæ absolutæ non sint, quæ possint seipsis subsistere, ut substantiæ sint. Hæc bonus iste Pater piiss. mem.

XXXV. Nihilominus non omnino exculpandi sunt ex eo, quod sicut Democratici & Epicurei hallucinati sunt, quod negaverint causas cognoscentes & Ideantes ordinantesque, nec animæ rationalis in homine vim agnoverint: ita hi Autores brutorum animas pernegent & meris comparant automatis, sine cognitione, sine sensu, sine appetitu, gaudio, tristitia nisi metaphoricis & impropriis, prout in Tract. XIV. de Brutis fuse ostendimus.

Sic inquam: Sicut Epicurei negantes dari causas cognoscentes, ordinantes & Ideantes, suo ipsi argumento convincuntur. Cum enim ratione probent hæc ita se habere: esse in rerum natura artem & rationem concedant oportet, a qua ipsorum ratio habet ortum; aut sine ratione se loqui fateantur. Vnde enim tanta vis animæ, ut ex characteribus his tot ponat significationes? & cœlos metiatur, & cogitet infinitos mundos, & res distantissimas, ad quas atoma corpuscula rotunda, ex quibus facit animum Lucretius, nullo pacto sese extendere, corpore clausa, valent? Quid de miris opificiis dicendum? Nonne hæc exclamant, non esse aliquam compositionis relationem animum hominis, sed aliquid divinum corporibus præcellens, quæ tractat ordinatque? Sapientiam majorem in naturalium structuram invenimus. Quapropter non solis corpusculis rerum fabrica & gubernatus committendus erat.

Subsumo, quotidiana nos docet experientia quantum accedat ad humanam prudentiam & solertiam brutorum quorundam indoles, qua docilitate polleant ex natura, ut accedente instructione Magistri artes imitentur humanas, quæ meris atomis inertibus non cognoscitivis, mere materialibus & materiæ partibus adscribi nequeunt. Quid, quod non semel audiverim ab hujus sententiæ asseclis, se magis ex fide, quam rationis ductu persuasos de existentia animæ rationalis, quæ vox indigna Philosopho mihi videtur.

XXXVI. Non rejicimus atoma, seu puncta, & minima physica, [quæ nobis Synonyma sunt] relinquimus Mathematicis in salvo sua puncta: sed negamus minima physica esse materiam materiæ, quasi ex iis divisis materia seu corpus generatim conflatum fuerit. Negamus præterea corporeitatem esse formam a materia distinctam, aut gradum seu formalitatem corporis profiscisci a formis: lepidum enim est dicere Spiritum (qualis est anima rationalis) tribuere materiæ gradum corporis, quod concedere non verentur qui unicam in homine formam substantialem tuentur. Et in hoc laudamus sæpe cit. P. Kimmet pag. 296. fatentem ultro, quod hæc prædicata, *substantia extensa & impenetrabilis*, in quibus essentiam corporis generatim & prout adhuc a certa specie abstrahis, & competant ratione materiæ, *cum nihil horum forma conferre possit*.

XXXVII. Probabilissimum quoque nobis videtur minima physica physice indivisibilia esse divisibilia virtualiter, hoc est unum punctum physicum idem præstare in ordine ad spatium, ac plura puncta Zenonistica. Pari modo loquendo de Continui discreto puta duratione, instantia durationum v. g. angelica, animæ rationalis, animæ sensitivæ brutorum, &c. pro ratione entium magis minusve perfectorum, esse inæqualia, & unum angelicum instans æquipollere pluribus [quæ nostrum non est determinare] instantibus rerum corporearum &c. sed his alibi.

XXXVIII. Placet hic repræsentare Judicium Eminent. Cardin. de Lugo apud Christophorum Haunold in acroamatibus physicis, editis Ao. 1645. acroamate 6. num. 64. postquam cum multis auctoribus docuisset, Continuum esse infinite divisibile mathematice, sed non physice; hoc est ratione extensionis, quam Mathesis attendit, non ratione partium physice distinctarum; subjungit num. 67. ejusdem Cardinalis judicium, quod tale est, quod videlicet *omnia per hanc doctrinam cohæreant; cessent omnes difficultates; motus optime explicetur, raritas facillime defendatur, & quod caput est*, inquit, *theologicæ conclusiones, quæ sæpe ab hac quæstione dependent, nullam prorsus patiantur difficultatem.*

Superest argumento non levi add. potissimam enim opinionis suæ vim in eo ponunt, ut satisfaciamus. Itaque

XXXIX. Sic arguunt. Non alio magis, quod materiale est, a spiritu distinguitur, quam quod illud sit divisibile in partes, hoc non item. Ergo si punctum physicum est partium expers, non distinguitur a re spirituali; idque maxime si illud punctum plus aut minus extendi possit, ut in rarefactione contingit, ubi eadem puncta plus loci occupant, & quoddammodo inflantur. Hinc illa sententia, quæ puncta inflata excogitavit, pene inter ineptias evanuit, & ab omnibus explosa fuit, quod incredibile prorsus videatur, idem punctum partium omnium expers adeo posse intumescere ut centuplum imo & millecuplum spatium occupet, ut cum aqua in vapores difflatur.

Resp. In hoc materiam distingui a Spiritu, quod illa sit extensa, divisibilis & unibilis impenetrabiliter, hic non item. Deinde puncta physica, licet ex partibus non constent, sunt tamen partes continui, quod naturæ spirituali non convenit. Vtrum autem ea puncta extendi possint, aut minus loci occupare, ut eorum formæ exigunt; an alia sint aliis majora; solida sint, an fluida, non ita liquet cum nullo sensu, nulla experientia, nulla ratione certa & evidenti dijudicari possint. Illud nobis videtur probabilius, ea certam

& de-

& determinatam habere extensionem, ultra quam naturæ viribus dilatari non possint.

Sed, inquiunt, si puncta partes habent virtuales, eædem difficultates recurrent, quas partes in infinitum divisibiles inducunt.

Resp. eas partes in puncto virtuales admitti, quia extensio perfectior, & perfectior iis convenire potest; ac punctis loci minoribus & minoribus compenetrari, ut loquuntur, & respondere. Sed ea quæ diximus est tantum connotatio extrinseca. Neque idcirco puncta partes habent, quam parum forma brutorum perfectorum in sententia S. Thomæ & Augustini, quæ statuit illorum animas corporeas & materiales, & tamen penitus indivisibiles, toti tamen corpori correspondentes. Sic anima rationalis toti corpori quasi coextenditur, licet sit partium expers.

Hoc porro est discriminis inter puncta physica & naturas spiritales, quod innumerabilia pene sint hujus generis puncta in arenæ granulo: unde & eædem fieri demonstrationes possunt, ac si continuum foret in infinitum divisibile, quod habita ratione sensuum nostrorum illud perinde fit, an puncta sint innumera, aut infinitæ partes. Sed spiritus simplici sua entitate constat. Sic anima corpus suum exæquat: unde & motus Angeli multo velocior esse potest motu corporis.

Quod etiam solent opponere tot fore puncta in minore circulo, quot in majore. Nam si duo circuli ab eodem centro describantur, & ab eo lineæ ad singula puncta majoris ducantur, hæ lineæ per minorem circulum transibunt inconfusæ, & singulæ in uno puncto eum secabunt, ergo totidem erunt puncta in minore circulo, quot in magno, quod omnino est absurdum. Resp. Negando hypothesin. Non possunt enim tot lineæ physicæ ab eodem puncto duci. Deinde illæ lineæ secabunt minorem circulum in totidem punctis mathematice. C. physice. N. Confundentur enim in minore circulo & in centro utriusque, saltem inadæquate.

Formidolosum illud argumentum, ejusque solutionem, de motus velocitate & tarditate, quomodo absque morulis interpolatis fieri queat, differemus ad Tract. XXII. de Duratione.

XL. Quæres, an recte assignata sit differentia specifica inter Spiritum & Corpus a P. Aloysio Kimmet, dum pag. 114. num. 198. ait: Prædicata generica, in quibus corpus cum spiritu convenit, esse unitatem, veritatem, bonitatem, potentiam existendi, subsistendi, & si quæ similia sunt. Specificum autem & differentiale prædicatum *Spiritus ut sic*, esse potentiam intelligendi & volendi: proprietatem ejus specialem esse, inextense existendi, & operandi motum; accidentia, esse ipsas actuales operationes; & in creatis, habitus supernaturales & naturales.

Corpori autem specifice convenire, extendi in spatium; proprium ei esse, moveri & movere localiter & per contactum; accidere actuales operationes ejus, passiones, præsentias &c.

Respondeo incipiendo ab ultimo, corporis qua talis operationes dari nullas, materia siquidem est principium pure passivum: dum autem informatur constituitque Compositum, non tam agit quam coagit vi participata per formam. Deinde formæ brutorum perfectorum Thomisticæ ad neutrum membrum referri possunt, divisio itaque hæc substantiæ in Spiritum & Corpus non est adæquata. Item spatium a multis admissum est substantia & quidem prima, sustentativa omnium corporum, nec Spiritus nec corpus est juxta Kimmetianas definitiones. Non corpus, quia penetratur cum corporibus quæ recipit. Non Spiritus, quia 3 dimensiones habet; tum quia non est intellectivum nec volitivum; tum quia bruta juxta S. Thomam utontur ratione participative, adeoque intelligunt, nisi quæstio fiat de nomine quid per τὸ *intelligere* significetur. Sane voces nostras, & nutus percipiunt, & quid velimus aut intendamus exequuntur, & qnid hoc aliud est quam intelligere? Sic enim dicimus aliquem intelligere linguam gallicam v.gr. quando audito quopiam vocabulo aut oratione ducimur in notitiam rei per illa verba significata. Denique præd. definitionem Spiritus rejicient omnes, qui cuivis enti primalitates posse, nosse velle per naturam indita tanquam Proprincipia connata docent, prout declarabitur in Tract. XXIII. de Primalit. Denique transmittamus Spiritum esse substantiam intellectivam & volitivam, quid obstat quo minus dividamus hunc Spiritum in eum qui est intellectivus rerum materialium & spiritualium, naturalium & supernaturalium simul; & in eum qui materiæ magis immersus naturalium tantum intelligendorum capax est: quamvis nomina specialia deficiant quibus has species compellemus. Si horum Spirituum intellectivorum alius libero pollet arbitrio ut Spiritus seu Mens: alius caret ut Spiritus Mundi & brutorum? taceo innumeras differentias alias, quales etiam inter Spiritus angelicos, & nostras animas intercedunt, tametsi utrique sint intellectivi volitivique: sic analogice de tertia Spiritus animalis specie discurrere licebit. Quod tamen non per modum dogmatis, sed propositionis dictum velim.

TRACTATVS XX
DE
DEO VT ENTE NECESSARIO.

VAna est Philosophia sine vera veri Dei cognitione: inutilis cognitio sine cultu latriæ debito; erronea, quæ ad alia principia refert entia Vniversi, quam ad Ens primum simpliciter necessarium, seu ad illud Vnum a quo profluxit omnis multitudo: inanis est omnis scientia & noxia, quæ alium sibi præfigit finem, præter Vltimum, qui est α & ω.

Non intendimus hic agere de Attributis divinis, nec de ejus concursu cum causis secundis, cum in Tractatibus de Causis & de voluntario liberoque id præstiterimus; sed de ejus Existentia, quam rationibus metaphysicis, physicis & moralibus demonstrare conabimur.

SECTIO I.

Rationes efficacissimæ metaphysicales, quod Vnitas sit & ipsa primum sit Ens, prima Potestas, prima Sapientia, primus Amor, prima Existentia, prima Veritas & prima Bonitas & quidem per essentiam, & infinitam, a qua omnia entia habent esse, Potestatem, Sapientiam & Amorem & Existentiam & Bonitatem, &c.

I. Multa quidem videmus esse entia, calorem, frigus, materiam, cœlum, terram, sidera, plantas, feras, lapides, metalla, liquores. Attamen io uno eodem loco coorenta, & inter se quodam ordine colligata: aliud namque ab alio depeodet; in omni vero coordinatione rerum invenimus unum Primum, quod per se primo eum sit tale, ac per esseotiam, causa est quod cætera ejusdem ordinis sint talia, in quodcunque genus causarom intuitum ferimus. In calidorum namque genere ad primum per essentiam devenitur calidum, unde omnia calida sunt videlicet ad Solem, tanquam fontem ignis: non autem ab igne per accidens genito in concavo lunæ fictitio, terram calefieri, & plantas & animalia ac cætera calorem participare [per quod tamen non negamus ignem subterraneum] sed ab ipso Sole, qui per essentiam & quidem formaliter, non eminenter, calidus est, & causa ut cætera participent calorem. Similiter in frigidorum genere devenimus ad Terram primum frigidum, a qua omnia participant. Nec enim putandum Aquæ id competere, nam id quod aquam gelat, & in non aquam videlicet Chrystallum & glaciem & similia dura ac sicca convertit in entia, & perdit liquiditatem, & mollitiem & fluitatem nativam aquæ, proprietas aquæ non est, nec frigus connaturale, sed frigidius aqua sit oportet, quod nonnulli Mercurium vocant. Palam ergo cum fit aquam amplius frigefieri, quam est. Ergo vel non est natura frigida, quooiam nulla natura corrumpit id, cujus est natura: vel non summe ac primo frigida. Ignis enim summe calidus, adhuc calefieri nequit: sed aër & cætera quæ calorem participant. Nec calor natura ignis corrumpit ignem.

II. Similiter autem in corporum genere devenimus ad primum corpus, unde participarunt omnia corpora, Omnia enim corporea entia ex terreno corpore fiunt. Terra autem & Cælum ex prima Materia, quam ostendimus esse corpoream molem: & non per accidens oriri corpus ex materia incorporea, & ex forma incorporea simul junctis, & quasi ex non ente fieri, ut finxere Peripatetici.

III. Idem invenimns in Causis Exemplaribus. Ex primo enim Exemplo Inventoris Molendinorum fiunt omnia molendina: & ex prima Cytharæ idea omnes cytharæ, licet multifariam postmodum variatæ fuerint: attamen ad eundem finem primum exemplar imitantur. Ergo & in naturalibus ex Exemplari, ex qoo primus homo factus est, homines fiunt omnes; & exemplo primæ plantæ, omoes plantæ. Neqoe enim Natura Inventorum habeat insipientiorem artificibus humanis: neque ipsa careat illo, quem dat nobis. Ex his palam fit, quod & in Entium coordinatione deveniendum sit ad Ens primum: quod cum sit per se maximum summumque Ens, causa est ut cætera entia sint. Primum autem in omni hujusmodi serie est Vnum, a cujus accessu & recessu fit numerus. Sic lux est primus color, a cujus participatione Serialis col nnmerus causatur, ut secundus sit albedo, tertius ditas, quartus Croceus &c. Patet enim inter ent se numerum, non solum in Ordinibus particular ergo & unitatem, ergo Prima unitas, quod primu ens quod est ipsum unum, & omnium rerum Cau causa causarum.

IV. Idem ostendit ordinatio potestatum. En quidquid est, idcirco est, quoniam potest esse, modo quo potest esse: quæ enim possunt subsi sunt subsistendo; quæ neque subsistere, sed in existere, ut calor, & figura, sunt inexistendo: substare possunt, sunt substando, ut materia, & tium continens Mundum apud illos, qui tale ad tunt. Vnum quodque autem intigit vel loco, subjecto, vel socio, vel consocio vel consociali ad potentiam essendi. Et quia quædam possunt gis esse, quædam minus: necesse est pervenire a quod maxime potest, ad ipsam nimirum per se pc tiam. Per se autem noo est quæ subsstat, & a sub do habet esse. Neque quæ inexistit; neque qu diget loco aut tempore, in quibus sit, alioquin ris non daret posse existere, cum ipsa indigeat.

Prima ergo potestas est a se subsistens, & primo constituens Ens. Hoc patet in politicis imagi naturæ, ubi eædem potestas Regis, quæ est per e tiam in quantum Politica, dat cunctis potestatibu sub se, ot sint. Etenim Princeps, Dux, Marchio, Consiliarius, Scriba, Judex, tribunus, ædilis, lictor, & quicunque alii sunt potestate constituti, nihil possunt, nisi quatenus participant Regiam potestatem, magis aut minus, & in quo non participant non possunt: ita & in rerum natura ad primam Potestatem devenire necesse est, per se Omnipotentem.

V. Præterea alibi ostendimus omnia entia esse, quia sentiunt esse suum, & alienum, quatenus immutatur suum in illud; alias non fugerent contrarium, neque amicum, neque simile sequerentur; neque invicem agerent, neque generarent, & omnia in Chaos redigerentur. Non autem omnia æque sentiunt, sed alia clarius, ut aër, Spiritus, cœlum, animalia: alia obscurius ut plantæ, dentes, lapides. Idcirco perveniri oportet ad primam sapientiam, unde sensus illis communicatus est. Item quia in cunctis rebus quidam ordo & ratio relucet: ordinare autem Sapientiæ opus est: ad primam Sapientiam devenisse oportet. Plantæ quidem emittunt folia ad tegendos fructus a frigore & æstu: spinas vero contra animalia; fructus ad suam immortalitatem comparandam; & dum sibi prosunt, etiam aliis entibus sunt utiles, ut animalibus. Animalia vero ratione multa gubernantur: nam vilissimæ formicæ congregant in æstate, prævidentes hyemem, vivuntque in quadam Politica.

Apes in Monarchia sequuntur Regem, habentes distributiones operum & laborum, excubias, mellificium, fabricas cellarum, exercitum & militiam ratione ordinatam. Grues similiter videntur participare rationem & politicam. Idem apparet in aranearum operibus, dum intexunt retia ad captandas muscas & culices miro artificio. In piscibus quoque multa relucet sapientia, ita ut disputet Plutarchus, utrum in mari sit sapientia major, quam in terra. At homines manifesta ratione reguntur, ut patet in omni Politica.

VI. Verbo, cuncta videmus ita dirigi, ut ex operationibus naturalibus, dum contraria inter se pugnant, & utrum-

& utrumque conservationi & ampliationi sui studet, oriatur effectus tertius ab illis minime intentus, & hoc modo ad sapientissimi artificis ideam exprimendam aptantur & concinnantur, adeo ut qui primam Sapientiam non agnoscit, stupidissimus sit. Nam si a seipsis ad artificiose agendum cunctæ res moventur, quædam magis, quædam minus industriose: utique necesse est ab aliqua prima arte, primaque sapientia participare: si vero ab alia sapientia extra se aguntur, utique sapientiam in rebus primam oportet agnoscere. At quia cognovimus in rebus, non modo sensum proprium, quo ad suas operationes, propriæ conservationis gratia, moventur, sed & quoad id, quod non intendunt, quadam arte aguntur, videlicet ad constitutionem & conservationem aliarum rerum, & simul colligantur mutuis utilitatibus, nulla confusione, sed convictu miro, ordinataque distinctione. Ergo datur Sapientia ptima, quam participant omnia entia, quam Primalitatem vocamus cum Campanella.

VII. Præter hanc cunctis rebus inest amor conservandi seipsas in proprio suo Esse. Si enim non amarent suum esse, non fugerent inimicum quo destruuntur; nec peterent amicum, quo conservantur; nec agerent, nec generarent, sed omnia in chaos verterentur. Est autem Amor magis minusque in rebus; & quæ sunt maximæ entitatis, maxime amant. Igitur datur primus amor, quem omnia participent; nisi enim ille præesset, ens nullum haberet unde amaret.

Item sicut amor proprius conservat quamlibet universi partem; ita amor totius, conservat totum universum. Neque enim partibus inasse potest, quod a Toto excluditur: & colligatio rerum, & consensus & conspiratio, quæ reperitur in universitate totius, non secus ac in partibus animalis, declarant amorem toti inspersum, quod non nisi a primo Ancore sit oportet, continente omnia sociali connexione, & priora ad inferiorum providentiam movente, inferioraque superioribus firmiter conversione jungente.

VIII. Idem patet ex objectis accidentalibus. Quæcunque enim existunt, finita sunt, & non existunt omnino & simpliciter, sed aliquo modo & secundum quid; ut homo existit existentia hominis, lapis existentia lapidis & sic de cæteris. Sed omnem entitatem res habet nulla. Ergo cum aliqua magis, aliqua minus existant, oportet devenire ad primam existentiam per se, simpliciter & absolute, & omnino existentem: neque enim possemus imaginari aliquid per se calidum, nisi esset; neque aliquid per se Ens, nisi quoniam innotuit in cunctis rebus aliquid omnino primum in genere suo. Ergo datur & omnino existens. Datur & vita prima, cujus participio cuncta vivunt. Illamque oportet esse immortalem, ne ejus morte annihilentur omnia. Ergo Autorem esse sæculorum & vitarum.

IX. Præterea quæcunque sunt (veritate transcendentali & metaphysica). Dicitur autem magis aut minus verum, non per se, sed per accessum & recessum a maximo vero: alias nullum inveniretur magis verum quam alterum: neque aurum impurum & deficiens esset minus aurum, quam purissimum: neque homo ignarus & vilis, esset minus homo, quam sapientissimus & fortissimus: sed juxta accessum ad Idaam hominis, perficitur homo. Igitur & entia sunt vera veritate prima invariabili, non a rebus factis percepta, sed factoris idea rationeque constante: in qua ego & tu cernimus veritates; neque enim ego in te, nec tu in me. Ergo omnes in lumine primo & communi.

X. Denique omnia entia sunt bona, sed quædam magis, quædam minus, in diversis gradibus & generibus, & alia aliis bona sunt, alia vero omnibus vel multis. Proprium esse bonum est unicuique cujus est esse, & est optimum illius, quoniam ipsum, & propter ipsum omnia appetuntur. At dum entia appetunt proprium bonum, & illud cupiunt esse semper & infinitum extensive & intensive, ostendunt esse aliquod Bonum summum & infinitum intensive & extensive quod participant, & in suo esse participato illud agnuscunt. Neque enim amari posset nisi esset, & notum aliquo pacto esse. Quapropter devenienđum est ad ipsam purissimam Bonitatem summam, unde omnia sunt bona, & quod omnibus est bonum. Alia enim nec omnibus bona, nec pure bona sunt, quoniam deficiunt: nec omnino, quoniam aliqua carent bonitate, & finita sunt: nec dare possunt omnibus incessanter bonitatem.

XI. Huc redit vulgatum illud, sed revera invictissimum argumentum ex intima Metaphysica depromptum quo Dei existentia, ut causæ rerum omnium effectricis demonstratur hoc modo: DEI nomine intelligimus Ens absolute necessarium, independens, non factum: atqui hujusmodi Ens si non existeret, nihil omnino esset eorum quæ cernimus, idque probatu facile est. Primum quidem, nulla res esset contingens, si non existeret ens aliquod necessarium & per se: neque enim res quævis sibi causa esse potuit ut existeret, ergo aliunde habet sui originem. Quod etiam de iis causis, unde ortum habet, fatendum est, donec tandem ad aliquam causam perveniatur, quæ nunquam esse cœperit, quæque sit non contingenter sed necessario.

XII. Deinde vel omnia sunt contingentia, vel est aliquid necessarium absolute, quod Dei nomine intelligimus; sed illud dici non potest, omnia omnino entia esse contingentia, posse esse vel non esse. Fingamus enim nihil esse: id utique, ut volunt fieri potest, & posito possibili in actu nihil sequitur absurdi: tam sane omnia erunt possibilia ex hypothesi, sunt enim contingentia; & tamen erunt impossibilia, quia nihil talictum est, quod iis ipsum esse posit tribuere. Non enim sibimet ipsis dare possunt, neque ab alio accipere, ergo necesse est ut omnia entia non sunt contingentia, sed unum ex iis sit absolute necessarium, independens, a seipso, non factum, ex quo reliqua pendeant omnia.

Dices forte quod a partibus ad totum, atque ut ajunt, a sensu distributivo ad collectivum nulla fit consequentia. Vnde licet singulæ creaturæ sigillatim sumptæ sint contingentes, non sequi omnium collectionem esse quid contingens.

Contra. Nullum attributum potest convenire toti collectioni, quod nec singulis, nec ullis hujus totius partibus convenit, nisi forte de ipsa collectione seu totalitate agatur: sed esse absolute necessarium, nulli, ut volunt, rei competit, neque est ipsamet collectio, ergo si omnes creaturæ seorsim sumptæ sunt contingentes, ipsa collectio non erit absolute necessaria, sed contingens.

Replicabis. Non posse nos supponere omnia contingentia non existere: uti supponere non licet omnia possibilia existere. Resp. esse latam disparitatem.

Nam

Nam omnia possibilia sunt infinita potestate: unde omnia simul sumi nequeunt, aut in actum reduci. Sed contingentia licet forte sint infinita, tamen ut sunt actu, accipiuntur. Quare omnia simul sumi possunt, ut simul existunt.

XIII. Ex dictis colligitur existentiam de nullius rei essentia esse, nisi solius Dei: adeoque sicut impossibile est concipere sive formare ideam Trianguli, absque eo quod 3. Angulos concipias; sic impossibile est formare veram ideam Entis primi, nisi existentiam actualem concipias, sicuti enim omniscius, omnipotens, immensus & æternus est, ita necessario existens est: non quidem in eo sensu quo vulgariter dicimus aliquid existere, quod extra suas causas est: Dei enim non datur Causa, sed est a seipso negative, id est non ab alio. Est ergo bona consequentia, Ens necessarium simpliciter, sive necessario existens non implicat, ergo datur.

SECTIO II.

Rationes efficacissimæ ex physicis petitæ, quod detur primum Ens, hoc est ipsa unitas simpliciter, quæ DEUS est.

XIV. I. Vel Mundus est æternus vel factus: si factus, cum a seipso non potuerit fieri, neque ordinem tam mirificum sortiri; quia Elementa, aut sunt insensata aut suam modo intendunt amplificationem, oportet ergo dari Artificem potentissimum, sapientissimum & optimum. Potentia enim ignis validissima nullis cohibenda machinis, non potest artificiose agere nisi sapientia donetur, nec aliena a se entia facere nisi vi & arte alterius regatur, sicut a coquo ad epulas conficiendas: vel proprio amore corrigatur: sicut in formatione plantæ debilis factus, studet eam sibi perficere ut tegumentum, requiritur ergo Potentia, sapientia & amor. Et in primo Ente maxime, unde omnia participiant entia. Si vero Mundus est æternus, ut probat Arist. tunc indiget æterno Motore: quia semper movetur Cœlum, & ille Motor erit immobilis, ac Deus. Sed hæc ratio Arist. vana est, omne quod movetur, ab alio distincto separatoque movetur, alias idem esset movens & motum, in actu & potentia simul: oportet ergo devenire ad primum Movens immobile: si enim illud movetur, ab alio movetur, & illud ab alio, ergo in infinitum, ergo nullus motus, quoniam primum movens non dabitur, a quo secundi motores moventur, per infinitos enim non pervenitur ad primum &c.

At multipliciter peccat hæc ratio. Esto enim quod illa quæ gestantur, aut ab extrinseca vi moventur, ab alio moveantur: non autem quæ natura moventur intrinseco principio motus: & sic idem est agens & patiens, potentia & actus: quoniam operatio non est passio, sed actus entis in actu, & potentia quæ dicit activam vim. Et quidem nec probat ratio dari movens immotum, si enim ipsum non movetur, non movebit, Non enim dat quod non habet; & si movet, ut desideratum, non ipse movet, sed desiderans movet seipsum: at specificat modum motus per apprehensum objectum, non autem habet ab illo vim motivam; ut tam sæpius monuimus. Concludit forte ratio Aristotelis dari primum movens quod seipsum movet per essentiam natura, & hoc erit Cœlum Empyreum id est igneum, cujus calorem constat esse motorem longe verius quam in gravibus & levibus. Scotus, Seneca & Telesius docent esse motum ab intrinseco in gravibus & levibus contra Aristot. Nos vero transcendimus rationes Arist. & aliorum, dicimus enim quod levia & gravia sese movent, & calor cœlum movet, quia amant propriam conservationem in suo esse. Amant autem per motum, quoniam sentiunt per motum ad illam pervenire, vel in illa versari: sciunt autem quoniam possunt, possunt autem quoniam sciunt & volunt. Ergo Amor, Sapientia & Potestas sunt causa motus in Cœlo & in cunctis. Nam & Aristotelis Intelligentia movet quia potest, scit & amat. Ergo ad Primam Potentiam, Sapientiam & Amorem Entis primi deveniendum est; & omnes rerum operationes, & actiones & effectus hunc syllogismum corroborant.

II. Quod non est simpliciter primum, sed tantum in aliquo genere, in illo genere primatum habet; & nomina propria & particularia illius generis sibi conveniunt. Quod vero simpliciter est primum & omnino, id non habet prius in ullo genere causandi aut principiandi. Igitur omnia in illo, & post illud, & omne genus causarum & principiorum consequenter continet. Ergo est ante omnia, & ab ipso, & ex ipso, & per ipsum, & in ipso, & propter ipsum sunt omnia: ut manifestat colligatio, conspiratio & dependentia & nomina communissima, in quo conveniunt omnia, videlicet Verum, Bonum, Unum: In quibus non convenirent omnia, nisi ab uno, & per unum communicatum omnibus. Convenientia enim & similitudo influxus est unitatis.

III. Mirifica secundorum entium constructio & ordinatio sufficienter demonstrat Authorem non stupidum, sed longe potentissimum & sapientissimum extitisse & extare etiamnum qui gubernet. Perpendamus modo construxionem animalis, in quo ossa ad sustentandum quasi basis statuæ vivæ posita sunt, & in partes distincta, ut possit flecti & erigi statua ad opera vitæ. Hos superpositi sunt nervi ad colligandum ossa & deferendum Spiritum motorem ad omnes partes vivificandas & movendas.

His appositæ sunt venæ & arteriæ ad trahendum sanguinem, & instaurandum quod deperditur ex calore continuo exhalante. Deinde superposita est caro ad colligandas omnes partes, & tegendas a frigore & calore, & ab externis injuriis, contusionibus & exsiccationibus, fractionibus &c. cui superposita est cutis seu corium ad continendas & defendendas omnes partes. Item instrumenta nutritionis magnam providentiam ostendunt. Facti sunt enim dentes anteriores acuti ad secandum cibum; interiores plani ad molendum; os ad recipiendum; Oesophagus contextus fibris rectis, obliquis & transversis ad deglutiendum: ventriculus ad coquendum; intestina ad deferendum & sequestrandum sanguinem a fæcibus; anus ad emittendum fæces, & quia putet, longe a sensibus & occlusus musculo & natibus deservientibus ad sessionem & ad alios usus. Item venas mesaraicas ad sugendum partes puras alimenti. Iecur ad sanguificandum alimentum, & calefaciendum ventriculum. Mox factum est cor ad vivificandum & attenuandum sanguinem: cujus pars tenuior in spiritum agatur; crassior vero resudans ex arteriis copuletur sanguini venali & vivificet ipsum reddatque digestibilem ad nutritionem. Cordi appositus est pulmo ad trahendum aërem dum dilatatur ratione ea qua non datur vacuum: unde calorem cordis cohibet, ne exhalet foras ad cognatum cœlum, sed augeatur sicut a follibus ignis intra sanguinem, & ipsum attenuet in spiritum. Unumquodque autem membrum

ea tem-

ea temperie, figura, colligatione, consociatione & loco constitutum est, ut dum sibi prodest, singulis profit membris: omnia autem subserviant capiti, in quo Spirituum universitas tanquam in arce residet. Ideoque interiores partes constant cerebro molli & multo, quasi pulvinaribus ut spiritus non lædatur impingens in ossa, & in partes duras, & insuper distincto in cellas anteriores ubi spargitur: in interiorem, ubi se colligat ad contemplandum: & inferiorem, ubi ad se reficiendum ex sanguine in plexu retiformi contentum agitatumque, a Spiritu, ut in se ipsum attenuetur & augeatur. Post cerebrum adsunt panniculi ad ipsum retinendum, quarum pellicularum interior pia mater, exterior dura appellatur: quibus circumstant ossa in calvariem fabrefacta ad defendendum. Mox cutis sine carne, ne sentientem vim impediat. Deinde capilli tanquam levissimum tegumentum, non gravans, neque impediens sensum, facti ex fuliginibus sanguinis. Item mirificam artem Conditoris ostendunt etiam excrementa & vasa eorum: nam cum deberent tanquam inutilia & inimica foras emitti statim, nec possent absque læsione partium purarum, factum est ut in quibusdam vasis reconderentur, & ad usus mirabiles deservirent: namque spuma sanguinis accensa, bilis vocata, in felleam vesicam reponitur ad stimulandum amaritudine sua spiritum in intestinis contentum, quando abundans eo effunditur, ut dum amaritudinem expellere cupit, simul & excrementa crassa expellat & mundificet intestina. Fex vero sanguinis reponitur in liene, ut cum abundaverit, per quandam venam in ventriculum, quando vacuus est, effundatur, & acetositate sua ipsum constringat, & stimulet ad appetendum cibos qui repleant ventriculum; & dum tali nocumento succurrunt, nutriant ipsum animal. Sputum vero, quod ex vapore ad caput elevato ex cibis concrescente in aquam fit, mox in linguam cadens deservit ad intromittendum cibos ad poros linguæ ad faciendam gustationem: & mox ad transferendum per fauces cibum siccum facile, ne lædantur: similiter dum movetur lingua, ut non exsiccetur, possitque locutionem exercere; Hic obiter observa cum Illustri Medico Bontekoe Oeconom. animal. pag. 42. quod salivæ exspuitio, non est excretio, sed vitium & perversa consuetudo: sed urina, alvi fæces, sudor, lac, semen ad hoc secernuntur, ut excernantur. Cineres vero ad nutriendos renes delati, utiles sunt ad decolandam urinam & ad afficiendam salsedine eandem, ut possit stimulare spiritum ad excretionem; & vasa seminaria afficere & spiritum in eis mordicare, ut stimuletur ad Venerem & generationem. Vide Tract. XXX. De Homine.

In quibus omnibus admiranda Conditoris Ars relucet: neque enim spiritus aut anima quæcunque, si cognovisset propria opera nutritionis, purgationis & generationis exercere, indiguisset sibi stimulos parare ad illa: oportet ergo sapientiorem causam hæc opera providisse, ut partim dolore, partim voluptate ad operationes & actiones necessarias stimularetur. Nos quidem ignoramus qua ratione compactum est corpus nostrum, & vix disquirentes longo tempore in Anatomia partium usus intelligimus, ergo non videtur spiritus noster sua sapientia fabricasse corpus, sed ab alio artifice potentiore ac nobiliore edoctus non verbo, sed facto, & adactus stimulis doloris & voluptatis corpus ita elaborasse. Nec dicant, animam corpus fabricasse, & postea oblitam esse. Nam nec nunc propria opera intelligit: & quomodo corpus ipsa nutrit, segregat fæces, distribuit alimentum, discurritque per curpus, movet & sensificat, non intelligit. Ergo summa aliunde Ratio præest operibus ejus nunc, & eum corpus construxit.

Omitto dicere de constructione sensoriorum, si quidem tot sunt, quot modis res nobis communicari possunt. Si ergo in homine, in formica & musca componendis tanta relucet ars, quanta in Vniversitatis rerum compage esse putandum est, nobisque ignotum, sicut vermibus in ventre nostro genitis ignota est corporis nostri fabrica divinissima, & animæ nostræ sapientia plurima.

SECTIO III.

Afferuntur quædam morales rationes in eund. finem.

XV. Morales hoc loco probationes intelligimus, quæ a doctis juxta ac indoctis percipiuntur, eo quidem validiores, quod in communem sensum magis incurrant, neque ab homine, qui sua utitur ratione, in dubium revocari possint. Quod enim minus acrem postulent attentionem, neque reconditam scientiam exigant, sed omnibus sint obviæ, atque oculis pene subjectæ, non tamen ideo minus certæ aut inconcussæ. Rationes quippe ex factorum evidentia, ex communi hominum sensu, aut moribus, aut experientia ipsa desumptæ non minus sunt firmæ, quam quæ ex intima Philosophia depromuntur. Hæ utique magna ex parte sunt subtiliores, quam ut a vulgo hominum capiantur. In iis vero quæ moralem habent certitudinem, pene tota vita consistit: nec minoris esset dementiæ de his dubitare, quæ falsa esse non possunt, quam si quis Geometricas demonstrationes in dubium revocaret. Hujusmodi itaque rationes minime sunt contemnendæ, cum aut existentia Dei, aut immortalitas animæ aut Christianæ Religionis veritas est demonstranda. Quæ autem adhiberi solent argumenta, non Dei modo existentiam, sed eum esse Mundi Conditorem, atque ejus providenna cuncta gubernari plane conficiunt & evincunt. Verum enim vero talia sunt, quæ ex omni causarum genere desumuntur & a nobis sect. 1. jam ex parte allata sunt, ubi ad altiora proprincipia Metaphysices deduximus; hinc pauca illis hic subnectemus.

Sane nihil stultius fingi potest, quam omnia casu & fortuna, non certa ratione & præmeditato facta esse; aut cœlum, terram, homines concursu atomorum repente prodiisse. Hinc recte M. Tullius Lib. 2. de Nat. Deor. inquit: "Quod si Mundum efficere potest concursus atomorum; cur porticum, cur templum," cur domum, cur urbem non potest, quæ sunt minus," operosa, & multo quidem faciliora?" Hinc quodam velut naturæ instinctu Deum esse colligimus. Nemo enim non statim perspicit, aut se aut alios sui similes, aut quæ sunt in conspectu nostro posita, non id habere a seipsis quod sint, nec sibi sufficere ut existant: ab alio pendere principio tum ut sint, tum ut conserventur: ac quisque statim, & citra longas ratiocinationum ambages colligit illud principium, & numeri & religiose coli oportere. Hinc si se aliquando scelere etiam occulto contaminaverit, hujus sceleris vindicem timet, & conscientiæ stimulis agitatur, quia se supplicio dignum agnoscit: adeo ut velut naturæ voce

DEUM esse & testem & vindicem criminum doceamur.

Propterea & prisci Philosophi passim demonstrant Deos existere ex anticipata illorum notione, quæ omnem rationis usum prævertit, quamque divinitatis contactum ac divinum præsagium vocitant: atque hanc Dei Ideam mentibus nostris infixam esse agnovit Epicurus. "Solus, inquit Vellejus apud Tullium, "vidit primum esse Deos, quod in omnium animis eo-"rum notionem impressisset ipsa natura. Quæ est "enim gens, aut quod genus hominum, quod non "habeat sine doctrina anticipationem quandam Deo-"rum, quam appellat πρόληψιν, id est anteceptam "animo rei quandam informationem, sine qua nec in-"telligi quicquam, nec quæri, nec disputari possit. "Hinc itaque concludit, de quo omnium natura con-"sentit, id verum esse necesse est."

Cum enim omnibus Dei non sola opinio, sed cognitio & idea sit innata, nec ulla, ut ait Seneca, gens unquam sit adeo extra leges moresque projecta, ut non aliquos Deos credat, Deum esse omnino fatendum est.

Memini tamen me legere, PP. Societ. in Brasilia populum reperisse adeo barbarum & rudem, ut nec quid nominis, Deus, intellexerint: prout illi discipuli, de quibus Act. 19. 3. quos reperit Paulus Ephesi, quique rogati si Spiritum S. recepissent credentes? responderunt, sed neque si Spiritus S. est audivimus: sic misera gens hæc crassissima laborasse fertur Dei ignorantia, ita ut prorsus nihil de Deo aut Diis more aliarum gentium cogitarent, sine omni cultu & religione, nec Solis, Lunæ alteriusve creaturæ vix non deteriores bestiis. Et sane qui eo stultitiæ devenerunt, *ut dicant in corde suo, non est Deus*, si attenderent illud non esse hominis prudentis id agere aut omittere, aut cogitare, quod detracta omni spe ullius emolumenti, ingentis incommodi affert periculum; cujusmodi est sacrilega impietas hominis Deum negantis, ut ejus obsequium & cultum abjiciat & innatum sibi lumen agnitionis Numinis ultro supprimere & plane extinguere conetur, illi, inquam, in tam absurdam stoliditatem non incurrerent. Quis enim non videt quantum ei periculum immineat, qui Deum esse negaverit, quam nulla sit emolumenti spes?

Sed magno, inquit Atheus, me errore liberaverim, & onere, cum Deum timere & colere tenerer. Ast qua tandem demonstratione id evinces, omnes pene homines in errore versari? Deinde an forte indecorum tibi esset cum omnibus, quotquot extiterunt, sapientibus errare (siquidem cum errorem putas): cum tamen natura ipsa, & omnium hominum consensus Autorem suum demonstrent. Hinc scite D. August. in Ps. 13. "Nec ipsi sacrilegi & detestandi Philoso-"phi quidam, qui perversa & falsa de Deo sentiunt "ausi sunt dicere; non est Deus. Ideo dixit (impius) "in corde suo, quia hoc nemo audet dicere, etiamsi "ausus fuerit cogitare." Quod autem prætendis te gravi onere premi, eo quod Deum timere & colere tenearis. Hoc scilicet est summa rationum, quibus ut Deum abjicias, adduceris, quo liberius tuis indulgeas libidinibus: quasi non multo gravius sit supplicium sæva conscientia, aut natura ipsa id oneris non imposuerit, quod Deum timenti non grave, non asperum, sed leve & suave futurum est. At de his tantum.

XVI. Quomodo autem Deus a nobis cognoscatur, vulgo quæritur, & quidem

1. An Deum existere sit per se notum? Responderi solet, hanc propositionem, Deus existit, esse per se notam, *quoad se*, non item *quoad nos*. Res enim dicitur per se nota, cujus attributum est de essentia subjecti, quodque a priori demonstrari non potest: sed existentia est de essentia aut conceptu Dei, ut jam ostendimus, est enim Ens necessarium absolute & simpliciter, neque ea per aliquid prius demonstrari potest. Ergo ista propositio, Deus est, per se est nota. Non autem est per se nota quoad nos: tum enim propositio dicitur per se nota, cum terminis intellectis, statim connexio attributi cum subjecto, citra ullum discursum percipitur: sed rem non ita se habere in illius propositionis perceptione manifestum videtur experientia; cum athei terminos intelligant, nec tamen Deum sibi persuadeant existere, quod magis patebit cum eorum argumenta proponemus.

XVII. 2. Quæri solet, an existentia Dei possit demonstrari? Ratio dubitandi est, quia est de fide, & demonstratio parit Scientiam, quæ non stat cum obscuritate fidei. Resp. 1. Nil obstare quo minus fides & Scientia versentur circa idem objectum ex diversis motivis. 2. Quod ei qui vim demonstrationis non capit, est fidei articulus, alteri potest esse demonstrabile. 3. Qui negant cum Thomistis fidei compossibilitatem cum Scientia, dicunt sufficere fidem in præparatione animi, hoc est nisi ratio me convinceret evidenter Deum existere, crederem ob revelationem divinam idipsum. Denique Deum esse ut Autorem gratiæ & gloriæ est articulus fidei, non ut Autorem naturæ.

Dices: Existentia Dei est ejus essentia: sed essentia Dei clare & videnter non cognoscitur a nobis, ergo neque illius existentia. Resp. dist. maj. existentia Dei est ejus essentia realiter. C. formaliter, ut a nobis cognoscitur. N. Existentia vero a nobis clare cognoscitur in actu exercito, cum quæritur an sit Deus; non in actu signato, cum quæritur quid sit.

XVIII, 3. Quæritur quomodo Deus a nobis cognoscatur? Resp. Duæ sunt viæ, quæ nos ad cognitionem Dei ducunt. Negationis una, cum quidquid imperfectionis est in creaturis, a Deo sejungimus. Altera huic opposita ex perfectionibus, quæ rebus ipsis insunt ad supremi opificis notitiam nos perducit. Removemus omnia quæ a Dei puritate sunt aliena, sicque obscuram & involutam sed magis nostræ infirmitati attemperatam divinæ simplicitatis imaginem cogitatione depingimus, quæ nominibus negativis exprimi solet, ut cum dicitur Deus infinitus, immensus, invisibilis. Sed cum ex analogia & similitudine quadam creaturarum dotes Deo tribuimus, tum magis distinctam divinæ Majestatis imaginem formare nobis videmur, ut cum cogitamus quandam substantiam vivam, perpetuam, omnipotentem, ubique præsentem, ubique totam, ut ait August. Hinc Plato Deum Unius, aut Boni nomine (unde germanum vocabulum GOTT oder das höchste Gut derivatum videtur) eleganter exprimit. Unus est, aut verius unitas, cum sit unice omnia (eminenter) cumque sit omnis compositionis ac divisionis expers. Est ipsum Bonum, quatenus prima & universalis Causa suam potentiam, scientiam & amorem liberalissime, pro capacitate, iis communicat. Sic remotionis via Deum

ut unum;

ut unum; per analogiam vero & similitudinem cum creaturis, ut bonum ipsum concipimus: ut unus est, a cunctis secernitur: ut bonus, rei cojusque perfectiones eminenti quadam ratione complectitur.

XIX. 4. Quæritur an Idea quædam distincta & clara Dei ipsius sit mentibus nostris insculpta? Ita enim rem se habere existimat Cartesius, atque hinc novam, ut putat, demonstrationem eruit, qua Dei existentia comprobetur. Quæ in hanc formam redigi potest. Habemus mentibus nostris insculptam & congenitam ideam entis summe perfecti: atque illa idea aliunde proficisci non potest, quam ab ente summe perfecto & infinito: ergo ens illud undequaque perfectum existere necesse est. Resp. omnibus communem esse Dei notionem; idque Patres pene omnes passim admonent, ut videre est apud Ptolomæum in Phil. Mentis & sensus dissert. 2. Theol. nat. sect. 5. Non tamen arbitramur Ideam Dei, seu Entis summe perfecti nobis esse congenitam, aut mentibus nostris insculptam: neque enim idea vel imago, quæ finita est, Deum aut ens infinitum, quod tamen mente attingimus, potest exprimere. Quare Deum ipsum, non in imagine quadam creata, aut specie impressa intuemur, sed quia is ipse menti nostræ intime adest, cum ea conjungitur, hanc illuminat, utcumque eum forte cernimus, & velut in publico lumine, quod illuminat omnem hominem, contuemur, eo quidem perfectius, quo mens nostra a terrenis affectibus magis est expurgata. Ita Autor Phil. Burg. Reg. tom. 2. Tract. 3. Metap. p. 242. Quamobrem Dei cognitio, licet admodum imperfecta, ea tamen clara & distincta dici potest, quia, ut S. August. lib. Retract. axplicat, mentibus nostris præsens est, quantum id capere possunt, lumen rationis æternæ, ubi hæc immutabilia vera conspiciunt. Nec necesse est ad species animis nostris congenitas confugere.

Addimus animum non distractum, sed depuratum a cupiditatibus rerum corporearum obnubilantibus lumen illud, quod signatum est super nos, utpote lumen vultus tui Domine, abripi ex evidentia terminorum ad affirmanda hæc objecta *Ens optimum, perfectissimum, summus spiritus non est impossibilis.* Ens necessarium ex natura sua est possibila, ergo existit. Evidens est consequentia hoc unico in casu, a statu ideali ad statum realem objectivum. Sicut singularis arguendi methodus tenet loquendo de BB. Virg. immaculate concepta: Et decet, & non repugnat, ergo est. Sit itaque

XX. Conclusio. Ex principiis methaphysicis lumine naturæ evidentibus, evidentissimum est Deum existere. Demonstratur. Evidens est primis principiis &c. Deum essa possibilem, ergo existere. Consequentia evidentissima perinde ac mirabilis & digna Deo: ille enim est idem ac infinita & omnis perfectio, sed existentia exercita & absoluta est una ex illis omnibus perfectionibus, ergo Deus ex suo formali conceptu existentiam exercitam & absolutam identificat sibi, & per illam existit. Ant. vero demonstratur: evidens est ex terminis (qui modus semper præfigendus ut demonstretur evidenter Deum existere) Deum esse infinite perfectum, seu ens optimum, seu carens omni defectu, seu quo nil majus esse potest: sed hujusmodi ens est possibile, non est chymæra, non est maxime imperfectum, defectuosum & pessimum seu minus bonum quam ens defectuosum & pessimum. Ergo &c.

Cuncta ista prædicata conglobari, quæ ad syllogismos vocales multiplicandos inserviunt, licet anima sibi per ea Synonyma non loquatur.

Cæterum præmissas constructi syllogismi olim distinguere solebant ita: Est evidens ex terminis quod Deus est infinita perfectio in esse objectivo, conditionato & signate. Conc. in esse reali &c. Nego. mox processum est a nonnullis ut absolute negaretur utraque præmissa, perinde quasi nullo pacto evidens sit ex terminis, imo ex terminis utraque falsa sit, quod certo vehementer crudum est, rediguntur etiam hujusmodi sceptici ad contradictoria simul falsa concedenda, nempe optimum non est impossibile, & optimum est impossibile.

XXI. Quam absurde enim negaretur prima principia metaphysica esse evidenter vera, tam absurdum esse negare hanc propositionem: optimum, sive infinite perfectum ens non est impossibile. Fateor tamen evidentiam quam struimus in præsenti parum deservire ad convertendos Atheos: scimus enim viros sapientissimos cum S. Thoma idem sensisse: videlicet contra Atheos non esse ponendam primo loco hanc demonstrationem, sed præmittendam illam a posteriori, ut adigantur agnoscere unum ens necessarium agnoscere. Usui autem est hæc demonstratio metaphysica Dei ex terminis convertibilibus unicuique ad demonstrandum sibi ipsi Deum existere: inservit etiam ut Atheus ipse se convincat per otium & pacate iste cogitando. Cæterum eum truba phantasmatum & perturbatio passionum mentem exagitat, importuna sunt & inefficacia hujusmodi arcana cogitata uti etiam difficile bonum virtutis dignoscit animus, dum vexatur tempestate illa interna cupiditatum & extraneorum phantasmatum.

Sed neque dignabimur disputare cum Pyrrhonicis & Scepticis, qui non erubescunt negare Solem in meridie lucere, eo quod forte Deus aut per se immediate producat lucem, & quidem non in aëre, sed ita afficiendo potentiam visivam, ut lux esse videatur &c. Possent enim hi Sceptici similiter dubitare an vera vigilent quando talia proferunt? an vero somno placidissimo somnient tota vita? His annumera, qui in aliqua Secta, aut in atheismo obstinati, hi anim meliora quærere sunt inepti. Ast contradictionis nos argues, ex eo quod supra tradidimus, hanc propositionem: Deus existit, non esse per se notam quoad nos, cujus contrarium mox defendimus. Resp. Quoad omnes homines promiscue notam ex terminis per se non esse existentiam Dei: quemadmodum omnibus huminibus evidenter vera per evidentem discursum non est Fides Catholica, quod non obstat quin aliquibus magis perspicacibus, attentis & secum habitantibus utrumque evidentissimum sit; postremum quidem per evidentiam extrinsecam desumptam ex motivis credibilitatis quæ dicitur in attestante. Adde opus non esse, ut statuatur per se nota existentia Dei, sed tueri potes eam inferri ex principiis per se notis, adeoque ex discursu: cum discurrere dicatur quicunque a definitione ad definitum intelligendo progreditur: seu cum inter antecedens & consequans nulla alia intervenit distinctio, nisi ratione ratiocinantis. Sed ultra

XXII. Oppones; 1. Non valet illatio a statu objectivo ad realem: quis enim recte concludat cogito sic esse v. g. in Luna dari animantia & homines, est enim

possibile dari ibidem, ergo sic est. Solus enim Deus potest ita discurrere.

Respondeo: Erras in emphasi quisquis es. Deus enim non discurrit. Sed dist. assumptum. Non valet a statu objectivo evidenti lumine naturæ. N. inevidenti. Conc. Optima est illatio evidenter cognosco rem sic esse, & evidenter insuper cognosco, me evidenter cognoscere, ergo ita res est.

Contra 1. Evidentia de statu objectivo est de objecto præcisive & conditionate sumpto, non absolute & ut est in se ergo &c. Resp. dist. evidentia metaphysica, & ex lumine naturæ. N. alia vel moralis aut physica. Omitto.

Contra 2. Status possibilitatis est conditionatus e. gr. *si homo esset, esset homo*, ergo non valet illatio, quia conditionatum nil ponit in esse.

Resp. hoc provenire ex falso præjudicio: nempe quando iisdem omnino Regulis philosophicis philosophari volumus de Deo & ente infinito, quibus de creatura & ente finito speculamur. Non enim substat iisdem summulisticis statutis notitia Dei: sed D. Dionysium potius quam Logicos attendere debemus, qui optimam rationem meditandi de Deo & divinis esse pronuntiat progredi per dissimilitudinem a creaturis: cum evidentissime constet Deum inter & creaturam dissimilitudinem infinitam interesse, similitudinem autem analogam finitam.

Equidem puto, cum verum vero non contradicat, omnia illa axiomata peripateticorum, quæ divinis applicari nequeunt, qualis est: Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, tanquam spuria prorsus esse eliminanda.

Maneat ergo optimum esse argumentum, *Deus est possibilis, ergo existit.* Similiter quoque si pro Regula assumas *non valere illationem a statu objectivo ad realem*, illam permitto transire quoad objecta creata, sed rejicio cum de Deo philosophamur. Vtque minus mireris quod dico, adverte non minus esse præposterum principia similiæ Philosophica applicare objecto divino, quam de possibilitate vel impossibilitate Infiniti Categorematici creati dum disputas, inducere terminos & regulas & principia unice pertinentia ad quantitatem finitam & terminatam: ac deinde videri sibi evidentia protulisse. Quemadmodum etiam erratur, si de quantitate continua ejusque compositione differentes, postulata & theoremata mathematica intrudamus, & imprudentes saltemus extra Chorum, ut sup. notavimus.

Contra 3. Hæc Propositio: *Ens necessarium est infinite perfectum*, virtualiter est conditionata, *si existeret, esset*. Quæ conditio solum purificatur a posteriori demonstrando quod existat. Resp. non solum a posteriori & ab effectu demonstrabilem esse existentiam Dei, sed etiam ex ipsis terminis convertibilibus entis necessarii, & perfectissimi &c. qui imbibunt existentiam non minus ac cætera omnia attributa divina.

Contra 4. Licet cum cogitatur *creatura perfectissima* in esse objectivo nulla appareat repugnantia; non tamen inde infertur nullam esse in statu reali, & propterea impossibilis censetur juxta commonem ejusmodi creatura, E. pariter in re præsenti. Resp. N. conseq. quid enim creatura perfectissima cum Ente perfectissimo præter vocabula commune habet? num lumine naturæ evidenti in esse objectivo illa est possibilis? Cum lumine fere omnium intellectuum constet chymæricam esse creaturam illam perinde ac *creaturam omnipotentem*, ac denique hircocervum. Nec putes præsentem quæstionem inniti futili illo asserto: *Nulla est assignabilis repugnantia.* Vix enim ex illo opinative suadetur aliquibus rerum possibilitas, sed evidenter demonstrari ex illo quidquam, sive pro statu objectivo, sive reali, hactenus nemo dixit.

SECTIO IV.

Solvuntur reliqua argumenta contra factas probationes.

XXIII. Contra præpositiones adsumptas in præced. sectionibus multæ aliæ militant dubitationes, tametsi enim verum sit, in omni ordine particulari Entium ad primum ejus ordinis esse deveniendum, non tamen verum videtur in ordine Entium universim. Ens enim non est Communitas univoca, nec Genus; si namque genus esset, cuncta entia essent ejusdem essentiæ: sicut omnia quæ sunt in genere Quantitatis, aut figuræ, aut operationis &c. & prædicarentur mutuo. Quapropter sicut in æquivocis non datur primum, ita nec in Entibus.

Resp. Ens dici de Deo, & de qualibet re univoce, si imperfectionem rei sequestres intellectu. Nam si intellectu a lapide sequestraverimus defectum Entitatis Potentiæ, Sapientiæ & amoris, & objectorum suorum: tunc ipse lapis habebit tantum esse suum & quidem infinitum: si enim finitur non-ente, hoc sequestrato, remanebit Ens infinitum. Sed quia infinitas ejus non est affirmativa, sed quædam non repugnantia essendi infinito modo, non simpliciter sed lapideo: uterque gradus entitatis ejus habebit analogiam cum entitate Dei: sed si intelligas lapidem, seclusa omni imperfectione ejus, & simul non entitate ejus, esse infinitum, quia nullum non-esse habet, ergo omne esse habet, ut quidam inferunt, oportet tunc ipsum Deo univocare: & si hoc intellexisset Scotus, inquit Campan. univocationem penitius & verius in Ente posuisset. Huc respexisse videtur Apost. dicens, non reliquit se Deus absque testimonio, & teste Trismegisto, nulla res tam parva est, quæ Deum non manifestet, quoniam omnes effectus Causæ primæ sunt participes Entitatis, potestatis, sapientiæ, amoris, & objectorum, uti identidem inculcamus.

XXIV. Objic. 2. Adversus Dei existentiam. Si foret quoddam Ens infinitum, omne aliud Ens finitum excluderet. Resp. dist. ant. Si illud ens esset Corpus ex omni parte infinitum. C. si sit Ens intellectuale & immateriale omni genere perfectionis infinitum. N. Nam ut forte habeas longe præstantius ingenium quam quisquis alius, non idcirco cæteri nihil ingenii sunt habituri: atque ut crescat in infinitum vis ingenii tui, non idcirco aliorum quantulacunque perspicuitas minuetur. Sic licet Deus sit infinitus, non ideo cætera excludit, secus nulla esset illius potentia, si nihil posset efficere: imo ex perfectionibus, quæ in creaturis sunt sparsæ, recte colligimus Deum existere: nam si unum est altero melius & perfectius, hoc utique non est nisi per accessum ad unum quoddam optimum & pulcherrimum. *Neque enim*, ut scite M. Tull. *dicit, potest in ulla rerum institutione esse aliquid extremum atque perfectum.*

XXV. Oppon. 3. adversus Dei existentiam & providentiam Epicurei. Deus aut vult tollere malum & non potest: aut potest & non vult. Si primum, imbecillis

becillis est, quod in Deum non cadit. Si potest & non vult, est invidus, quod æque alienum est a Deo. Vnde ergo sunt mala? Resp. Nihil absurdi esse, si Deus res finitas, quæque possunt deficere, condiderit, ac multa in hominis vel Angelorum arbitrio reliquerit. Quid enim cum Deo possumus expostulare, si nos ita creavit ut errare nobis liceret? An potius grati esse debemus, quod tanta munera accepimus, non queri quod plura non dederit? Nec debuit Deus abstinere a condenda creatura, quam proprio vitio, non Creatoris, deformem futuram præsciebat. Nam, ut ait S. August.: "Sicut melior est vel oberrans equus, quam lapis propterea non oberrans, quia proprio motu & sensu caret: ita excellentior est creatura, quæ & voluntate peccat, quam quæ propterea non peccat, quia non habet liberam voluntatem." Et sane si voluntas est actionum suarum domina, cur ea ut proficere, sic deficere non poterit? Sin autem non est sui juris, non magis laudem meretur, quam horologium suis rotis instructum. Hinc pulchre August. eodem in opere concludit: "Deum non esse mali authorem, cum naturæ, quas condidit, sint bonæ, & in tantum fiant vitiosæ, in quantum ab ejus, a quo factæ sunt, arte discedunt; & in tantum recte vituperantur, in quantum earum vituperator artem, qua factæ sunt, videt, & hoc in eis vituperat, quod ibi non videt."

Distinguendum quoque inter mala physica, & moralia seu peccata: illa enim non solum permittit sed & subinde positive infligit, tum ad probandum justos, tum ad puniendos malos; peccatum vero omnimodis prohibet, nec proprie permittit, sed in tantum, quod hominis voluntatem libertate sua uti sinat.

XXVI. Oppon. denique argumentum illud, quo usi sumus ad demonstrandum Deum nempe, nullam assignari posse creaturam, quæ non sit alia: ergo & totam collectionem debere esse ab alio &c. non concludere, eo quod procedat a sensu distributivo ad collectivum. Sicut si diceremus: singuli homines tantum habent duas manus, ergo tota collectio hominum non habet nisi duas manus. Item ex eo quod singulæ partes distinguantur inadæquate a Toto, & non constituant ipsum Totum, non recte infertur omnes simul sumptas distingui inadæquate a Toto. Resp. Dist. ant. a sensu distributivo ad collectivum est mala argumentatio in illis prædicatis, quæ conveniunt singulis præcise, quatenus excludunt consortium aliarum partium totius collectionis. Conc. ant. in aliis prædicatis, quæ singulis distributive sumptis non conveniunt *ideo vel eatenus*, quatenus excludunt consortium aliarum partium totius collectionis, N. ant. Nos autem procedimus a sensu distributivo ad collectivum sub tali prædicato, quod creaturis singulis non convenit præcise *ideo*, quia excludunt consortium aliarum creaturarum, seu non præcise ideo, quia seorsim & sigillatim sumuntur, quale est prædicatum produci vel dependere ab alio, & quidem a causa [ut semper supponimus inadæquata, hoc est non habente plenam ac absolutam sufficientiam ad existendum & producendum, hæc enim soli causæ Primæ competit]. Nam esse productum ideo convenit singulis, quia sunt ens positivum, omne enim ens positivum esse productum thesis est add. cum ergo tota collectio creaturarum, licet infinita, etiam sit ens positivum, erit hoc ipso ens productum, sed a quo? Non ab aliquo extra Collectionem, hoc enim tolleret hypothesin, nam extra omnes, nemo cogitabilis est. Ergo a Non-ente, quod absurdum.

SECTIO V.

De Essentia DEI.

XXVII. Quod sit Deus, evidentissime, ni fallor, ex præmissis constat: Quid sit Deus, ineffabile & propemodum intelligibile, non solum humano, sed ulli creato intellectui instructo duntaxat lumine naturæ: ita omnes sapientissimi antiquitatis Christianæ Doctores. Habemus quidem de hoc Ente innumeras voces quiditativas, non tamen ejus quiditatem totam patefacientes. Theologi veteres dicunt Deum habere naturam, quæ est omnis natura, & nomen quod est omne nomen. Et ipse Author rerum respondit: *Ego sum, qui sum*, & sic seipsum Ens absolute vocavit: sicut est & recte dicitur solus bonus, solus Dominus, sola veritas &c. Imo omnia nomina cunctarum rerum sunt nomen Ens participio. Cœlum enim dicitur quasi Ens celans omnia. Homo ens hoc rationale. Lapis ens hoc terreum, durum, frangibile &c. & sic de cunctis quæ per λη *est* notificantur, ut sicut ab Ente omne ens, ita a nomine Entis omne nomen. Nam in entis nomine includitur hoc quod vocatur lapis, & quod homo & quod Cœlum, ut Rabbini etiam olfecerunt: omne nomen est participans Entis nominis.

Quædam nomina dicuntur de Deo propriissime, ut ipsæ Perfectiones seu Primalitates Primæ, vid. Sapiens, Potens, amans, Bonum, Verum, Unum, quoniam hæc vocabula non important imperfectionem, nisi definiantur Aristotelico modo, quod Sapientia est habitus intellectus; Bonitas objectum appetitus; Unitas indivisibilitas materialis; & sic non proprie dicuntur de Prima Causa, sed cum transcendentaliter considerantur, vid. Sapienta, ut ordinativa, judicativa & gubernativa entitas: Bonitas ut probativa, communicativa & conservativa. Potestas ut fœcundans, & vincens omnia. Unitas ut continens omnia in Primitate sua: Veritas ut existentia certissima sine defectu aut impuritate; & hæc vocabula primo dicuntur de Deo, postea de creaturis, quoniam ab illo omnia habent ut sint, ut possint, ut sapiant, ut ament &c. Quædam vero dicuntur de Deo metaphorice, ut Leo, petra, lapis &c. Quod ut melius declaretur

XXVIII. Dico I. Deum esse omnem naturam (eminenter) & omne nomen; & mox nullam naturam, & nullum nomen. Explico. Quærenti utrum Deus sit substantia vel accidens? Respondemus esse omne ens eminentissime, id est plenissime, universalissime & unitissime, & adhuc infinitam quiditatem super omnia entia. Et si quidem dicimus Deum esse Cœlum, esse terram, esse muscam, esse leonem, esse hominem, esse festucam, & omne ens naturale, & artificiale, mentale & reale; subintellige seclusis imperfectionibus, quas habent ipsæ res. Imperfectiones autem sunt proles non-entis, ut impotentia, dolor, fragilitas, mors, contrarietas, stultitia, insipientia, stupiditas, odium, zelus, libido, paupertas, limitatio, parvitas, avaritia, dolus & alia innumerabilia, quæ reducuntur ad suas Primalitates, quæ sunt *Impotentia*, *insipientia*, & *odium* seu involuntas. Cum ergo a lapide aut a musca hæc omnia abstuleris, remanet potentia, sapientia & amor, justitia, veritas, bonitas existentiæ, sed intra suæ limites naturæ: & quia horum limitatio est a non-ente: auferamus limitationem, & tunc remanet sapientia, potentia

& amor

& amor illimitatus & infinitus, & hic est DEUS, Ens illimitatum seu positive infinitum, æquivalenter seu eminenter omnia. Sic in thesibus Collegii Romani An. 1652. mense Junio propugnatis lego: "Conceptus Dei quidditativus non potest haberi naturaliter: sed inter ænigmaticos nullus magis accedit ad quidditativum, quam esse æquivalenter omnia." Hactenus ostensum quomodo ex singulis rebus etiam minimis per scalam negationis ad Deum accedamus.

XXIX. Sed alium gradum ascendamus, quoniam ablatis imperfectionibus remanserunt perfectiones, quæ nobis sunt ipsæ primalitates, vel objecta aut ipsorum germina. Adhuc illud considerandum est, quod in Deo non sunt, sicut in nobis divisa & dispersa, sed quidquid est unum, est alterum, ut docet S. August. Quapropter sapiens, bonus, potens, volens, verus, justus, aliæque perfectiones sunt unum, ita quod sapiens est idem quod potens, & volens & bonus. Distinguuntur enim in creaturis propter limitationem entitatis eorum. At Deus est extra limitationes; sicut calor solis in sole totus una res, sed in planta dicitur forma vel anima plantæ: in lapide via lapidea vel lapidifica; & in vino sapor vini, ita quod diversæ sunt res in effectibus quæ in causa sunt una.

Scotus distinguit eas ex natura rei; alii per connotata; de quo proximo Tract.

Post hunc gradum ascendere licet superius. Quoniam severius loquendo Deus non tam est sapiens, quam sapientia; qui enim sapiens est, aliquo sapiens est, sicut Sol est calidus calore. Deus autem est, quo omnia sapiunt; ergo Sapientia est, & veritas & potentia & unitas & bonitas: & si quando invenitur dici sapiens, ponitur concretum pro abstracto in sacra Scriptura, ut recte docet S. Bernardus serm. 80. sup. Cant. contra Gilbertum Porretanum, quoniam abstracta dicunt essentiam, concreta participationem. Ergo ex hoc palam est Deum esse Ens, quoniam omnia perfectio, ut potestas, sapientia & amor, & bonitas & veritas & existentia sunt unum in Deo, ergo sunt Ens aut potius essentia: sed quia entitas dignissima est in eo, quod unitas est, dicimus Deum esse unitatem.

XXX. Verum quoniam Deus ineffabilis & inexcogitabilis, removebimus etiam ab eo unitatem & entitatem, prout docet D. Dionys. & tunc intramus in caliginem cum Moyse ad videndum Deum: ex eo enim quod nomen *Entis & unius* ex creaturis est, adhuc negandum est, prout ex his est, & nobis cognoscibile, & remanemus in doctissima ignorantia, in qua incipimus scire; unde apost. ait, *si quis putat se aliquid scire, stultus fiat ut incipiat scire.* 1. Cor. III, 18. O quam vere! exclamat profundissimus Th. Campan. L. 7. Met. cap. 6. art. 1. Nunc enim, pergit, aliquid maximum, & sine fine olfacio, quam cum dicebam, Deum esse omnia, & postea esse perfectiones, & postea abstractiones, & postea entitatem & unitatem. Ipse tamen dixit ad Moysen: *Ego sum qui sum:* & alibi: *Deus tuus unus est*, quoniam sublimiora vocabula super Ens & Unum non habemus: ex his coluerunt Deum sapientissimi Philosophorum; & Deus innotescit nobis prout capere possumus.

Jam ergo vidimus, quod ille, cujus natura erat nobis omnis natura, & cujus nomen erat omne nomen, jam non est ulla natura, nec ullum nomen. Ergo nihil? absit. In eo enim elevamus illum super omnia nomina, quia omnes naturæ & omnia nomina participant ipsum nihil, & finitæ sunt. Nos autem excessimus supra caliginem, quam offundunt oculis nostris entia creata participatione Nihili; & sic in ignorantia vidimus aliquo pacto Deum, qui est intra nos, sed in caligine absconditus. Caligo est non entitas ipsorum, quæ nobis caliginem parit, caligo est lux Dei. Ipse enim simillimus luci est, *& in eo tenebræ non sunt ullæ* ait Joan. apost. *& est pater luminum*, ait Jacobus apost. *& lucem inhabitat inaccessibilem*, teste Paulo 1. Tim. 6. Et quidem sicuti res nostræ a caligine occultantur, ita Deus a nimia luce sua: Solem enim & stellas, quæ cum sole gradiuntur, nos non videmus ob lucem, sicuti hominem noctu non videmus ob tenebras. Deus ergo occultus est, ergo vel luce vel tenebris; sed tenebræ in eo non sunt ullæ, sed in nobis, ergo in luce sua occultatur, ut ait David: *amictus lumine sicut vestimento.* Intimior est nobis Deus, quam ipsi nos nobis, tanquam prior, & primus essentiarum dator & conservator. Duas ergo causas habemus non agnoscendi eum, tenebras nostras & lucem ejus: tam tenebras nostras utcunque excessimus, utendo Dialectica Dionysiana, præponente particulam supra omnibus terminis his Ens, substantia, essentia, proprietates &c. dum loquimur de Ente illimitato & infinito infinities transcendente omnia creata, ut recte observavit subtilis P. Joan. Bapt. Ptolomæus Dissert. 3. Theol. natur. Sed quis roborabit ad lucem ejus? aut quis obumbrabit Solem ejus ut fiat nobis apprehensibilis? sed quid nobis cum umbris?

Dico 2. Deum intueri cognitione propria, & non similitudine sola & ænigmatice per discursum, nemo novit nisi expertus, uti Moyses, Paulus, Bernardus (quem lege serm. 52. super Cant. apud Th. Campanellam simile de seipso quoque attestantem Lib. 7. Metaph. circa finem) Catharina Senensis, Dionys. Carthus. & Extaticus Doctor Joan. Taulerus, ad quod requiritur plena evacuatio mentis ab omni Idea & phantasmate creaturarum, & demissio in fundum & abyssum sui nihili, prout fuse de hoc agit Leo a Stipite in Lib. intitulato Religio mentis. Parte II.

XXXI. Quær. Si Deus est omnia, seclusis non-entitatibus, estne corporeus, corporeitas namque est entitas? Respondeo cum S. Justino Mart. Deum neque esse corporeum, neque incorporeum, nec mobilem, nec immobilem, utrumque tamen præstare. Verba S. Justini adnumero: "Divinitatem dicimus incorpoream, non quia sit incorporea: est enim Deus substantia sua, ut *ultra* corpus, ita ultra incorporeum; utpote utriusq; horum opifex. Nec enim fecit Deus id quod ipse est; sed, vocamus incorporeum, ut distinguamus eum a corporibus, quibus non existentibus non diceretur Deus, incorporeus; sicut dicitur increatus, ut distinguatur a creatis, quibus non existentibus neque creatus, neque increatus diceretur: sic ergo neque corporeus neque incorporeus est." Habet tamen Deus in se eminentius quid, per quod correspondeat analogice corporeitati & materialitati, ut dicebat Trismegistus de fœcunditate omnia sexus. Ratio autem, cur nihil de Deo prædicetur nisi Deus, hæc est, quia non omnis conjunctio facit prædicationem, nisi quando mutua est conjunctorum utilitas & Deus. Constat autem Deum esse quidem in omnibus eminentissimo modo, & res in eo tanquam accipientes esse, & sustentationem & conservationem, nihil autem illi dantes, unde prædicentur de illo. Albedo enim prædicatur de homine, quia dat homini esse album, ani-

mal

mal vero quia dat ſimilitudinem eſſeotialem cum feris. Deo autem nihil poſſe dari, nihil ergo de illo prædicari, niſi ipſummet Deum ſecundum rem. Cum autem dicimus Deum eſſe Creatorem & Dominum, denominatio ſecundum rem eſt in ſua virtute & poteſtate; licet a nobis ſecundum id, unde imponitur nomen, accipiatur.

XXXII. Quær. 2. Si Deus ſit eminenter omne Ens, & nolla negatio ſeu non-ens in eo admittatur, quo ſenſu dicitur infinitus & immortalis? Reſp. Hos terminos ſignificare poſitivum quid, licet ſecundum vocem videantur negativi. Cum ergo dicimus Deum immortalem, non privamos ipſum entitate, neque negamus aliquid de eo. Mors enim nihil eſt; ſed circumſcribimus æternitatem, quia nos mortales magnum quid videmur dicere, cum mortem negamus pro noſtra parvitate. Sic cum dicimus Deum infinitum, negamus illi finem & limitem; finis autem in non-ens abit. Homo enim finitus eſt, quia ita eſt homo, quod noo lapis, nec aliud ens; ſed hoc noo-eſſe non pertinet ad dignitatem, ſed ad parvitatem & defectum, qui proles eſt Nihili. Quapropter vere dicimus infinitum, hoc eſt carentem limite, & ooo compatieotem ſecum aliquod noo-eſſe, ut per hanc negationem intelligamus totum Eſſe, & omnem entitatem in eo eſſe absque limite. Ergo extra Genus. Omne enim genus eſt aliquod ens, & ideo habet differentias & diverſitatem ab aliis entibus. Deus ſolus omnino ens entium omnium entitates continens eminenter, id eſt unitius, plenius & univerſalius absque participio alicujus Nihilitatis. Eſt ergo indiviſibilis, noo quantitive, alias foret Punctum, ſed eſſeotialiter. Nam quo magis una & indiviſibilis eſt eſſentia, eo magis infinita eſt.

Diximus unam ſimpliciſſimam Divinitatis ſubſtantiam omnes perfectiones poſſibiles continere eminenter, adeoque ſub diverſis rationibus & formalitatibus eſſe cognoſcibilem. Eſt autem ſubtilis inter Theologos indagatio in Divini eſſe prima formalitate reperienda, quæ ſit ratio Eſſentiæ divinæ conſtitutiva, quæque ſit prima radix & fundameotum ſeu principium formale metaphyſicum cæterarum omnium formalitatum, attributorum, & proprietatum, quæ realiter identificatæ ſunt cum illa eſſentia? Nota tamen cum eſſentiam Dei metaphyſice conſideratam dicimos, nos neque genus neque differeotiam logicam proprie tribuere Divinæ eſſeotiæ.

XXXIII. Obſerva præterea pro meliore dicendorum intelligentia perfectiones generatim eſſe duplices apud TT. utpote ſimpliciter ſimplices, & non ſimpliciter ſeu ſecundum quid tantum. Perfectio ſimpliciter ſimplex (juxta communem ex S. Anſelmo Monolog. c. 14.) eſt *quæ melior ipſa quam non ipſa*, ſeu (ut ipſe l. c.) *quam in unoquoque melius eſt eſſe quam non eſſe*, id eſt quæ ex ratione ſua formali compoſſibilis eſt in eodem ſuppoſito cum omni perfectiooe ooo includente imperfectionem. Perfectio ſecuodum quid tantum dici poteſt omnis, quæ non eſt talis, ſive deinde imperfectionem aliquam iocludat, ſive non. Cum itaque Deus diverſa prædicata habeat, inquiritur de primo ex quo cætera noſtri concipiendi modo emaneot.

Porro Theologi diſtinguunt Eſſentiam a Natura Divina: ſed nos non mittimus falcem in meſſem alienam, ſed relinquimus id negotii Theologis, ſolum inquirimus hic in quo conſiſtit conceptus Eſſentiæ Dei (abſtrahendo an diſtinguatur vel non a Natura. Nec abſterret oos S. Damaſc. L. 1. c. 2. dicens, quid Dei eſſentia ſit, nec ſcimus, nec ſcire poſſumus. & c. 4. quod Deus ſit liquido conſtat, quid autem ratione Eſſeotiæ naturæque ſit, nullo modo cognoſci poteſt.

XXXIV. Dico 3. cum Ioao. Bapt. Ptolomæo Diſſert. 3. Theol. nat. ſect. 1. Formalitatem Aſeitatis ſeu τὸ *eſſe a ſe*, formaliter præciſum per intellectum ooo eſſe radicale illud principium, a quo cæteræ emanent: ſive, hic præciſe conceptus *ens a ſe*, ſeu *Ens neceſſario exiſtens improductum*, non eſt eſſentia metaphyſica Dei, ſed *Ens illimitatum* ſeu *Ens abſolutum & perfectiſſimum*, ſeu *infinita perfectio*. Probatur & declaratur. Primo, tametſi hoc prædicatum *ens a ſe* ut formaliter diſtinctum ab hoc *ens illimitatum*, ſit illod primum divinum prædicatum, quod per demonſtrationem a poſteriori cognoſci poteſt: inde tameo non recte inferas, illud ipſum eſſe primam radicem & eſſentiam metaphyſicam Dei: ſed alia ratio aſſignari non poteſt E. Majorem fateri debent contra ſenoentes, ſi quidem verum fateri velint, nempe oon aliunde deſumptam eſſe occaſiooem dicendi definitionem logicam & eſſeotiam metaphyſicam Dei eſſe *Ens a ſe*; quam quod illud ſit primum, quod a poſteriori de Deo demonſtratur: ad ſummum autem addentur oonnullæ tricæ ſummuliſticæ de diviſione Enois &c. Itaque

Probatur min. Ideo riſibile non eſt prima radix omnium humanarum perfectiooum, quia formalizari poteſt ulterior ratio, cur homo riſivus ſit; nempe quia rationalis eſt, & abſurde e cooverſo dicitur, ideo eſſe rationalem quia riſibilis: atqui ulterior clara ratio reddi poteſt & formalizari cur Deus ſit Ens a ſe: nempe quia habet infinitas perfectiones, quarum una eſt *Aſeitas*: & e converſo obſcure ſaltem, ſi non abſurde & præpoſtere diceretur: ideo eſſe ens perfectiſſimum, quia eſt Ens a ſe. Ergo ad recte cogitandum de Deo & ordine debito, eſſentia Dei concipienda eſt non ſub hac Idea *Eens a ſe*, verum ſub iſta: *Ens illimitatum* ſeu *infinita perfectio*. Prob. min. Conceſſio eoim legitime ex effectibus contingentibus demonſtrari Ens a ſe neceſſario exiſtens, unde contingentes effectus: non demonſtratur adhuc Deus infinitam perfectionem habens: Eſto enim ſit evidens exiſtere Ens a ſe: hoc ipſum ultro dabant Epicurei, imo infinita Entia a ſe pooebant, ſcilicet atomos increatas; eas tamen infinite perfectas oon ſomniabant. Itaque demonſtrare tibi incumbit unicum ens a ſe eſſe; debes item evidenter oſtendere illud unicum ens a ſe non modo eminenter continere perfectiones omnes effectuum contingentium, & eſſe æquivalenter vel eminenter perfectum tantundem ac omnis collectio effectuum contingentium: hoc inquam ſatis non eſt: non enim adhuc infinitam perfectiooem Dei demonſtraviſſes; ſed oſtendere debes infinities majorem ineſſe illi Enti perfectionem, quam ſit perfectio illa ipſa relucens in collectione omnium omnino rerum contingentium: quod vix meliore methodo præſtabis quam iſta: Sic inquam

Si Ens & ſubſtantia aliqua oullam oegationem entis aut ſubſtantiæ realiter includat, eſt Ens & ſubſtantia illimitata & infinite perfecta, quia jam includit meram & totam rationem entis & ſubſtantiæ, adeoque jam eſt omnis & infinita perfectio: ſed ens & ſubſtantia neceſſario exiſtens & a ſe, nullam negationem entis & ſub-

& substantiæ includit realiter E. prob. min. Si ens necessario existens includeret hujusmodi negationem, illam includeret non quia est ens, sed quia necessario existens, seu non ratione generis sed differentiæ suæ, ut evidens est: sed similiter est evidens quod non includit hujusmodi negationem ratione differentiæ suæ E.

Ex his patet quam difficile sit suasu, saltem primo aspectu ista propositio: *Ens a se est infinite perfectum*, nec aliter demonstrari posse, quam per hanc convertentem, *ens infinite perfectum est ens a se*. Ergo non solum secundum se, sed quoad nos illud prædicatum *ens a se* non recte cogitatur tanquam prima radix & essentia metaphysica Dei.

XXXV. Probatur 2. Essentia methaphysica Dei, ab ipso Deo ita explicata est, ut ponitur in nostra conclusione: ita a SS. Patribus omnibus, quos cave dixeris non loqui in rigore de essentia metaphysica Dei, sed concionatorie & in sensu reali, nec attendisse ad formalitates istas: quisquis ista effutiret, inquit P. Ptolomæus, neque a longe SS. PP. volumina se invisisse indicaret, alioquin apertissime compensset, veram & solidam metaphysicam ætate nostra perfecto non natam illos studiosissime professos, ac potissimum cum ista ad Essentiam Dei spectantia pertractarent. Ex multis, quos dictus Autor in 3. Classes divisit, unicum locum Scripturæ, quem etiam Add. sibi favere putant, in medium profero. Nempe mirabilem illam Definitionem, qua se ipsum Deus voluit definire Exodi 3. *Dixit Dominus ad Moysen Ego sum qui sum: sic dices filiis Israël, qui est, misit me ad vos.* In quæ verba hæc est paraphrasis S. August. in Ps. 101. "Non "est ibi (in Deo videlicet) nisi est: non est ibi fuit, & "erit: quidquid ibi est, non nisi est; merito sic Moy-"sen affatus, ego sum. Tu diceres ego sum, quis? "Cajus; alius, Lucius &c. Deus dicit: Ego sum, quis? "qui sum. Hoc est nomen tuum? Non esset tibi no-"men ipsum Esse, nisi quidquid est aliud, tibi compa-"ratum, inveniretur non esse.„ Adde Nazianzenum Orat. 16. "Hoc modo seipsum nominat cum in mon-"te Moysi oraculum edit: universum enim id quod "est in se complectitur non principium habens neque "finem habiturus velut pelagus quoddam immensum "essentiæ & interminatum.„ Adverte terminos illos: *ipsum Esse* sine addito & limitatione, *essentiam immensam & interminatam:* qui Synonymi sunt nostræ conclusionis.

Mirum itaque est nonnullos in rem suam ita derivare definitionem illam (si tamen hoc vocabulo uti liceat) Dei de Deo, ut interpretentur, quasi Deus præcise dixerit *ego sum qui sum necessario existens & improductum* hoc est juxta sententiam illorum *sum cum addito Aseitatis.* quæ per illos est Modus, & formaliter nonens. Nullus profecto Patrum sic explicuit, sed dixere vel Deum esse *ipsum esse* sine addito, vel ipsum *verum esse* vel *totum esse*, & per abstractas istas phrases eum loquuntur, constat aperte juxta veram Metaphysicam de divina essentia eos cogitasse.

XXXVI. Objic. Intellecto præcise *ente a se*, intelligitur essentia metaphysica Dei E. Resp. dist. intelligitur formaliter. N. non formaliter. C. sicut intellecto risibili non intelligitur formaliter essentia hominis.

Instas. Existentia divina nihil præsupponit, ex quo tanquam radice fluat & ratione cujus competat: sicut risibile præsupponit rationale. Prob. ant. illud quod præsupponeret, vel existeret formaliter vel non: si secundum, non potest esse ratio principiandi existentiam, cum esset nihil & indistinctum a mere possibili: si primum, aut seipsu formaliter existit sine alio distincto superaddito, & habetur intentum, aut per aliquid superadditum, & replicabitur quæstio de hoc sicut de primo, idque in infinitum. Confirmatur. Illa est ratio per se primo constitutiva & distinctiva, sine qua non potest concipi, & cum qua præcise concipitur per se primo distingui ab omni alio, ut notum est: Ab Essentia seu natura divina sine esse actuali seu existentia *a se* non potest, & cum hac necessario concipitur per se primo distingui ab omni alio, ut patet consideranti Ergo.

Resp. Dist. ant. Existentia Dei nil præsupponit ex quo &c. realiter. C. formaliter. N. præsupponit enim ens illimitatum, seu perfectionem infinitam ex qua infertur aseitas, tanquam ex toto pars: recte enim infero Deus est ens illimitatum continens omnem perfectionem, ergo non dependet ab alio; melius quam dicendo, est ens a se ergo infinite perfectum, quam identice sint convertibilia.

Ad Confirm. dico Deum distingui ab ente finito per rationem entis sumptam in tota sua plenitudine: non vero per aseitatem, quæ est formalitas pene modalis, & formaliter indifferens ut sit Deus vel Chymæra. Finge dari numerum infinitum & finitum; quomodo different inter se? nonne per hoc quod infinitus, hoc est continens omnem rationem numeri, differat ex eo quod sit numerus sine limitatione & sine negatione ulterioris numeri: cum econtrario numerus finitus sit numerus cum limitatione & negatione ulterioris numeri. Similiter dicam Ens infinitum & illimitatum differre ab Ente finito per hoc quod sit Ens sine limitatione, absque omni imperfectione, & omnem rationem entis sibi identificet: Omne autem ens finitum constet partim ex non-ente, adeoque necessario imperfectionem habeat annexam.

XXXVII. Objic. 2. Ens abstracte sumptum dividitur immediate in Ens a se & in Ens ab alio, ut in primas differentias, ergo aseitas est prima differentia Dei. Resp. 1. Nego suppositum, quod ens univoce de Deo & Creatura dicatur. Resp. 2. Neg. ant. Cur non dividitur in Ens illimitatum, & limitatum, hoc est in vere esse & vix esse juxta Anselmum?

XXXVIII. Objic. 3. Ab ente a se profluunt formaliter omnes perfectiones divinæ. E.

Resp. N. hoc ipsum, quam patum ab ente immenso vel æterno ut a prima radice dicerentur profluere.

Inst. Perfectiones illæ ut contradistinctæ ab ente, debent esse proprietates alicujus entis, sed non sunt entis ab alio, ergo entis a se. Resp. N. suppositum videlicet quod perfectiones illæ contradistingui possint ab Ente: sunt enim formaliter Ens. 2. N. consequentiam sunt etiam proprietates Entis illimitati formaliter, quod sub hoc conceptu distinguitur ratiocinanter (ut loquuntur) ab illis perfectionibus: sicut bonum ab ente, estque entis proprietas.

Vrgebis: Esse præsupponitur ad perfici, quia prius est esse quam bene esse. Ergo. Resp. falsa omnia ista esse: distinguo tamen, esse limitatum præsupponitur &c. Conc. esse illimitatum præsupponitur. N. suppositum, nam non perficitur a perfectionibus & attributis, sed illas effundit exubertate quadam principii. Nam Ens illimitatum est formaliter infinita perfectio,

unde

onde a perfectionibus & attributis non perficitur, quia in suo conceptu formali omnes illas continet sola relicta distinctione ratiocinante, de qua mox sequenti Tract. pluribus.

SECTIO VI.

An detur Ignorantia invincibilis veri DEI?

XXXIX. Dico breviter cum Io. Poncio in Theol. Disp. 2. a n. 19. non obstantibus hactenus de evidentia morali, physica & metaphysica circa Dei existentiam, nihilominus posse dari de facto ignorantiam inculpabilem, non tantum negativam, sed & positivam unius Dei veri existentis in aliquo homine adulto & rationis compote. Defensa fuit hæc thesis a PP. Franciscanis Salisburgi in impressis Ao. 1668. Prob. Judicium de non existentia Dei ex principiis moraliter insuperabilibus formatum, est ignorantia positiva & inculpabilis illius. At posset quis etiam baptizatus & adultus, aut in rudi aliqua communitate educatus insuperabiliter judicare non esse possibile Ens infinite perfectum, sive ex eo, quod illud videatur incompatibile cum illa vel malitia vel libertate humana, quam satis experitur; sive aliunde, cum hujus non appareat ulla impossibilitas etiam moralis, ut ex solutione objectionum patebit &c. Nam si

XL. Objic. I. Deus ob bonitatem suam infinitam tali deberet præbere auxilium sufficiens ad salutem, adeoque notitiam sui Creatoris. II. Non videtur homo rationis capax posse esse tam rudis, ut non cogitet de Auctore Mundi &c. Resp. ad I. Deum ob bonitatem suam non teneri potius tali homini præbere auxilium proxime sufficiens & efficax ad salutem, quam parvulo in utero materno vel alias sine baptismo decedenti. Ad II. inptimis nullam quoad hoc apparere impossibilitatem etiam moralem, cum de multis, quæ magis objiciuntur sensibus, nil cogitemus: deinde non quemvis conceptum de Auctore Mundi visibilis esse conceptum veri Dei; sed illum duntaxat, qui repræsentat eum ut infinite perfectum, ens illimitatum &c. qualem homo in assertione specificatus ob rationem insinuatam non haberet de tali Autore existente, cum ille adeo sublimis sit, ut multorum ingenia doctissimorum fatigarit. Videatur Ioan. Lalemandet Disp. 5. Met. partit. 2. n. 7.

XLI. Quæres. An talis homo brutalis laborans ignorantia Dei veri invincibili, uti supponimus committat peccatum theologicum: & si non, ob ignoratam legem divinam & Legislatorem: cum non careat lumine naturali, contra quod agens peccat philosophice, an propter tale peccatum fiat reus æternæ damnationis?

Resp. Ab Alexandro Papa VIII. Ao. 1690. fer. 5. die 24. Aug. sequentem thesim seu propositionem declaratam fuisse ut scandalosam, temerariam, piarum aurium offensivam & erroneam, videlicet: "Peccatum Philosophicum seu morale est actus humanus "disconveniens naturæ rationali & rectæ rationi. "Theologicum vero & mortale est transgressio libera "divinæ legis. Philosophicum, quantumvis grave, "in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non "cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa "Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam "Dei, neque æterna pœna dignum. "

Hanc censuram declaraturus Eximius P. Sbogar Tract. 33. Theol. Radicalis sic scribit: Ut discooperiatur falsitas hujus Propositionis damnatæ,

Adverte, quod de facto nemo præditus usu rationis possit ignorantia positiva invincibiliter ignorare Deum sub conceptu particulari: quia ignorare invincibiliter Deum, est carere omni dubio, quod Deus non sit; sed hoc pro hic & nunc carere nemo potest; quia respiciendo ad creaturas, videt quod omnia quæ facta sunt, ab alio facta sint, ergo si non habebit scientiam, saltem habebit dubium, an detur aliquid a quo hæc facta sint, & illud a nullo factum sit. Tum quia Damascenus L. 7. de fide c. 1. ait: Notitia Dei omnibus natura est insita. & Job. c. 36. Omnes homines vident Deum, unusquisque intuetur procul, & sic Deus de facto ignorari non potest. his positis

XLII. Dico contra propos. sup. Peccatum Philosophicum grave est semper offensa Dei, & puniri meretur pœna æterna. Ratio est, quia peccatum quod graviter offendit Deum meretur pœnam æternam, sed tale est peccatum philosophicum, E. Maj patet, min. probatur, quia peccatum quod graviter deturpat rectam rationem & naturam humanam, graviter offendit Deum, ergo meretur pœnam æternam. ant. constat, quia offensio gravis naturæ hominis est offensio Dei ut conditoris naturæ rationalis, cum hæc sit participatio Dei: quid enim aliud est natura, quam Deus & divina ratio toti Mundo, partibusque ejus inserta? ait Seneca Lib. de benefic. & prosequitur, ergo nihil agis, ingratissime mortalium, qui te negas Deo debere, sed naturæ, quia nihil natura sine Deo est, nec Deus sine natura; sed idem est uterque, nec distat officio. Ita Seneca.

Tum quia, pergit Sbogar, recta ratio est opus perfectum Dei: sed opus perfectum Dei graviter inficere independenter ab omni lege est malum, & non solum vergit in detrimentum rectæ rationis, sed etiam in ludibrium artificis talis operis, qui est Deus, ergo per peccatum philosophicum offenditur etiam Deus, quando offenditur recta ratio. Tum quia per peccatum philosophicum violatur lex naturæ, cui nec prorogari aliquid fas est, neque derogari aliquid licet. Ita Lactant. Lib. 6. Instit. ex Cicerone L. 3. de Republ. Ergo &c. Tum quia si peccatum philosophicum non offenderet Deum, Deus sive per possibile, sive per impossibile mentiendo, non esset sibi contrarius intentionaliter: sed hoc dici non potest; quia æternæ veritati contradictorie opponitur mendacium, sicque mentiendo seipsum offenderet, ergo mendacium cum lædat rectam rationem hominis tanquam participativum divinæ naturæ, lædit etiam Deum, igitur peccatum philosophicum intuitu offensæ Dei meretur pœnam æternam. Legatur S. Thom. 1. 2. q. 71. art. 6. ad 5.

XLIII. Verum enim vero, prædictæ rationes (quod pace tanti Viri dixerim) intentum minime evincunt: tum quia Auctoritas Senecæ nil probat, erravit enim confundendo Deum cum Natura: hæc enim non est Deus ipse, sed Ars Dei juxta SS. Patres; tum quia probat idem per idem, nempe quod deturpatio rationis naturalis sit deturpatio Dei, quæ sunt locutiones metaphoricæ; tum quia in omni actione morali humana intentio spectari debet agentis: hinc non apprehendimus injuriam, nisi facta sit animo injuriandi: nec offendimur verbis hominis insani, aut ebrii, sicut alterius deliberate & cum animo nocendi prolatis: sic

Legislator humanus neminem pœna in lege a se statuta afficere solet, si legis notitiam non habuerit, aut pœnam annexam invincibiliter ignoraverit. In nostra autem hypothesi (quam negat hic Autor) transgressor Legis naturalis, nihil scit de Legislatore æterno, nec quidquam somniat de pœna æterna, ergo non est præsumendum de bonitate infinita Dei, quod ejusmodi transgressorem materialem, non formalem, legis naturæ tam gravi supplicio afficere intendat: quod addit de hypothesi [possibili aut impossibili] Deum mentiendo sibi non fore contrarium intentionaliter, plane nil probat, ex uno enim impossibili supposito sequuntur plura impossibilia absurda: probet prius omne mendacium esse contra lumen naturæ, & tunc persuadebit illos SS. Patres qui mendacium officiosum excusarunt a peccato, caruisse lumine rectæ rationis: doceat fornicationem v. gr. lumine naturæ esse prohibitam, adeoque gentilem, cætera inculpate viventem, propter hoc æternaliter damnandum.

Præmiserat autem hic Autor ibid. n. 16. Quod de essentia peccati sit, esse contra legem divinam. Rationem dat, quia peccatum est dictum, factum, aut concupitum contra legem æternam, E. &c. Tum quia de essentia peccati est, esse contra primam Regulam morum: sed voluntas divina est prima regula morum seu lex viva, ergo de essentia peccati est esse contra legem divinam. Mox subdit

Dixi, de essentia peccati est, esse contra legem divinam, per quod nullo modo excludo *peccatum philosophicum*, quod licet non sit contra legem positivam a Deo latam, est tamen contra Regulam rectæ rationis. Pro cujus meliori intelligentia

XLIV. Notate, dari aliquas actiones humanas, ex natura sua moraliter malas, & quidem ante omnem Dei prohibitionem. Vnde si Deus nullam absolute sanxisset legem, nec Decalogi, nec aliam; vel illam, quam de facto tulit, tolleret, adhuc illæ actiones essent pravæ. In hoc supposito mendacium, pollutio voluntaria, ingratitudo & similia peccata, si quis perpetrasset, contra nullam legem Dei peccasset, quia nulla extasset [extitisset] sicque talis nullatenus offenderet Deum, ut legislatorem, nec committeret peccatum theologicum, quod consistit in transgressione legis divinæ: & tamen mentiri nunquam licet, cum intrinsece pugnet contra rectam rationem: neque licet voluntarie pollui, quia offendit puritatem, & vergit in præjudicium conservationis humanæ, quatenus prodigitur semen, quod est unicum principium materiale pro conservatione generis humani: quæ mala, cum non dependenter a lege, sint peccata, igitur ex natura rei sunt talia, quatenus per se & intrinsece repugnant rectæ rationi, independenter ab omni præcepto. Hactenus D. Sbogar.

XLV. Non acquiesco huic discursui. Nam teste Apostolo, ubi non est lex, non est prævaricatio. Quæro an lumen rectæ rationis habeat vim legis, an non? Si habet vim legis utique a Deo. Ergo Deus libere illam tulit: potuit ergo non tulisse, potest latam abrogare, potest in illa dispensare. Esto furari sit ex se malum physice, sicut occidere bovem, comburere lignum &c. at non moraliter, nisi quia prohibitum. Certe Deum in præceptis Decalogi [saltem secundæ tabulæ] dispensasse docet in terminis S. Bern. Lib. de disp. & præcepto cap. 7. Ergo fornicatio, pollutio, furtum, homicidium &c. non sunt intrinsece & ex natura sua mala moraliter, alioquin a Deo non forent dispensabilia, nec possent reddi licita, minus imperari. "Deus tamen horum [sunt formalia Doct. Mel-„ liflui] quod voluit, & quando voluit, solvit, sive,„ cum ab Hebræis (Exodi 3.) Ægyptios spoliari; sive,„ quando Prophetam cum muliere fornicaria (Osee,„ 1.) misceri præcepit: quorum utique alterum quid,„ nisi grave furti facinus (adderem ego & ingratitudo),„ alterum quid nisi flagitii turpitudo reputaretur, si„ non excusasset utrumque factum auctoritas impe-„ rantis?„ Vide Alphons. Tostat. in cap. 19. Matth. q. 46. Quæ doctrina est omnino vera & in terminis defensa Lovanii in Comitiis Provincialibus PP. Franciscanorum Præside Rever. P. Marchantio Ao. 1643. 13. & 14. Iulii.

XLVI. Non impugno propterea decisionem Pontif. absit! sed rationes declaratorias D. Sbogar non assequor, nec rem conficere mihi videntur, imo sibi contradicere, cum sub definitione data peccati ex S. August. quod sit dictum, factum aut concupitum contra legem æternam, comprehendi velit peccatum philosophicum: mox tamen illud committi posse concedit antecedenter & independenter ab omni Lege & præcepto divino tanquam actum intrinsece & ex natura sua malum. Adde si quid daretur ex natura sua malum, id in nullo casu bonum & utile reddi posset, qualia minime sunt ab Autore allegata: ergo aliunde ratio petenda, cur peccatum philosophicum mereatur pœnam æternam.

TRACTATVS XXI
DE
DISTINCTIONIBVS.

QUI bene distinguit, bene docet juxta vulgatam & veram paroemiam, tradendo videlicet scientiam methodice. Verum de Distinctione distincte scribere, difficile est, tum propter argumenti subtilitatem, tum ob confusionem terminorum & æquivocationem, qua nil frequentius quam hic; nam sub iisdem vocibus, significatione toto cœlo discrepant: econtra subinde in re idem sentiunt, sed litigant de nomine. Nos illustrissimi D. Caramuelis insistemus vestigia, qui claritatem novit subtilitati conjungere, quod paucorum est. Disquiremus ergo primo quid distinctio, quid Identitas (hæc enim sibi opponuntur) & quomodo sibi repugnent: deinde quotuplex sit distinctio: tum de singulis distinctionum speciebus.

SECTIO I.

Quid Distinctio & Identitas, & qui opponantur.

I. Vt in fronte aperiam quid sentiam, priusquam cæterorum sententias discutiam, videtur mihi citra inconsequentiam aliter responderi non posse, quam Identitatem & Distinctionem sub prædicamento Relativorum

rum contineri. Prima enim Relationis, aut melius loquendo Relativorum species fundatur in unitate & numero. Quæ autem major unitas quam Identitas? quæ distinctio sive pluralitate aut numero, latius sumendo nomen numeri? Porro omnis relatio superveniens rebus absolutis est extra conceptum essentialem rerum absolutarum seu substantiæ; Identificari autem vel distingui accidunt seu sunt extra conceptum rerum earumque essentias. Recte Caram. Metalogicæ Lib. 3. Disp. 10. art. 1. ait: Res quælibet essentialiter dicit sua prædicata intrinseca, per quæ definitur: quidquid est extra definitionem, accidit (saltem logice) definito. Sic vulgo animalitas definitur vita sensitiva (an recte modo non disputo). Non est de ejus essentia vel definitione, quod sit aliud ab arbore, neque quod sit idem cum rationalitate, ergo nec est illi essentiale quod distinguatur realiter ab arbore, neque quod identificetur realiter cum rationalitate. Patet, quia si hæc identificatio & illa distinctio pertinerent ad animalitatis essentiam, non possent sine illis bene concipi, neque quiditative definiri.

II. Ideæ rerum possibilium secundum se, sunt conceptus essentiales, & nec ordinem aliquem dicunt, neque deordinationem. Homo A possibilis secundum se, nec est major nec minor Petro, nec æqualis: non est Hispanus, nec Romanus, nec conjugatus, nec Cœlebs, nec amicus, nec hostis; non est alienigena nec consanguineus, sed est hoc animal rationale. Hæc omnia, quæ recensui, non sunt de conceptu hujus animalis rationalis, ac propterea illi accidunt. Si enim afficiatur magna mole corporea, erit magnus; parvus, si parve. Si nascatur Madriti, erit Hispanus: Romanus, si Romæ. Si ducat uxorem, erit conjugatus; si non, cœlebs. Si amet nos, erit amicus; si oderit, erit hostis. Si originem trahat ex nostris majoribus, erit consanguineus; alienigena, si ab exteris. Ergo similiter distinguetur realiter, si realem habeat distinctionem: habebit autem quamprimum ponetur terminus ad quem referatur: separabitur si habeat separationem; unietur si accedat unio: identificabitur, si accedat identificatio. Sed

III. Contra Identificatio est carentia distinctionis: atqui asserimus in præsenti nulla secundum se esse distincta ab aliis, ergo omnes essentiæ secundum se erunt identificatæ: atque illa quæ essentiæ competunt secundum se, nunquam possunt deficere, ergo nunc de facto omnes essentiæ sunt identificatæ, quod absurdum est. Resp. Neg. maj. primi Syllog. licet a pluribus concessam, qui identitatem & distinctionem contradictorie volunt opponi. Ratio nostra est, quia sicut albedo non est carentia nigredinis, nec vicissim: & juxta communem, dissimilitudo non est carentia similitudinis, ut vult Gregor. de Valentia: sicut nec calor & frigus opponuntur contradictorie: sic similiter Identitas & Distinctio non opponuntur contradictorie aut privative, sed utraque consistit in positivo, nempe in formalitate relativa; nec obstat quod explicentur per terminos negativos sicut homo & brutum per rationale & irrationale, spiritus per incorporeum & immateriale &c. Et licet Identitatis differentia constitutiva notior sit, cum per nexum intimum & adæquatum valeat declarari; differentia tamen distinctionis defectu termini seu vocabuli, non potest explicari commodius quam per negativum quid, nempe unum non esse aliud; non esse idem cum alio, non identificari alteri &c. Constat autem aliunde nullam differentiam constitutivam consistere in pura negatione, quam parum brutum constituitur per negationem rationalitatis.

Idcirco distinctio non debet definiri esse carentia identificationis, sed Relatio quæ non sit identificatio. Cæterum nihil est, quod ex natura sua distinguatur *formaliter* ab alio (Nota τὸ *formaliter* hic sumi prout opponitur τὸ fundamentaliter). Nihil est quod identificetur alteri ex natura sua formaliter: quia omnia secundum se abstrahuntur ab alio, seu præscindunt & dicunt solum sua quiditativa & absoluta prædicata. Dixi *formaliter*, quia fundamentaliter bene dici possunt distincta, cum relatio distinctionis fundetur, oriatur & resultet ex prædicatis essentialibus cujusque rei.

IV. Dico itaque 1. Identitas positiva est Relatio consistens in unione duorum vel plurium perfectissima, hoc est importante affirmationem vel affirmabilitatem unius de altero in eo genere, in quo sunt unum & idem. Dixi *positiva*. Nam & negativa Identitas datur, qua Petrus dicitur uniri sibimetipsi, non enim dividitur aut separatur positive a seipso. Quo sensu accipiendum est commune illud Ethnicorum effatum: *Proximus egomet mihi*, mihi enim nemo proximior est quam ego. Sed de identitate non est quæstio. Explico definitionem. Per relationem indicatur habitudo ad aliud, quocum si nexus sit quoad entitatem materialem, erit terminus de fundamento, & vicissim, affirmabilis in sensu materiali identico, ut animalitas & rationalitas de se invicem, realiter enim & physice sunt unum idemque, una eademque entitas, quod est identitas physica & materialis. Sed quia non identificantur *formaliter* juxta Scotistas; nec virtualiter, juxta Thomistas; nec extrinsece per Nominales, ideo in illo sensu in quo de se invicem non sunt affirmabiles, non identificantur. Et hæc assertio nostra non est singularis, nam Identitas realis definiri solet a priori & a posteriori.

Et duo quidem prædicata in quæstionem veniunt, utrum illorum melius exprimat identitatem a priori: *summa* scilicet *unitas: an summa communicatio?* P. Martinus d' Esparza L. 1 Cursus Theol. q. 4. art. 2. quem nonnulli alii sequuntur, per prædicatum posterius definitionem identitatis tradit. Per prædicatum vero prius identitatem explicant communius RR. Philosophi post Antonium Perez. Utrique bene.

Qui enim dicunt Identitatem realem a priori bene definiri, quod sit summa unitas fundans consensum in omni prædicato æstimabili, moventur his rationibus: 1. quidem auctoritate Aristot. qui 5. Metaph. c. 9. Identitatem claris terminis per unitatem explicat, dum ait: *quare patet, quod identitas unitas quædam essentiæ est.* 2. ratione, juxta mentem Philosophi l. cit. universali inductione eatenus aliqua sunt & dicuntur inter se esse idem, quatenus sunt unum, & quo magis sunt unum, eo magis dicuntur esse idem. Sic quia unusquisque est maxime unus secum, ideo quoque dicitur maxime idem secum; duo amici propter affectivam unitatem & amicabilem communionem inter se idem esse dicuntur: duo individua ejusdem speciei, v. gr. Petrus & Paulus, quia sunt unum specie, idem specie esse dicuntur; duæ species contentæ sub eodem genere, v. gr. homo & equus, quia sunt unum genere, dicuntur idem genere, ergo unitas est de conceptu identitatis; & consequenter perfecta unitas erit perfecta

identitas;

identitas; hinc quia identitas realis physica minorem dicit unitatem, quam identitas formalis, idcirco etiam est minor quam formalis. Verum de unitate plura in Tract. XXIV. de Ente.

Item non male explicatur identitas a posteriori, quod sit affirmabilitas vera de se mutuo. Ratio est, quia affirmari sequitur infallibiliter ad esse; ergo sicut ex eo, quod unum cum altero summe uniatur, recte colligitur a posteriori talia esse eadem: ita ex eo quod aliquid possit cum veritate in recto affirmari de altero, bene quoque infertur a posteriori, illa esse eandem entitatem aut formalitatem, in illo sensu quo de se invicem affirmari possunt.

V. Dico 2. Distinctio est relatio inter duo extrema fundans negationem unius de altero in eo sensu, in quo distingui dicuntur, puta si distinguantur realiter & physice, unum non erit aliud physice & realiter: si distinguantur formaliter ex natura rei, aut ratione, aut quovis alio distinctionis genere, in eo sensu poterit unum de altero negari. Ratio assertionis est, quia Distinctio in genere sic debet describi ut competat omni contento sub genere: est autem distinctionum familia valde ampla & in plures ramos distributa, ut mox audiemus: sunt etiam quædam sub controversia; nos autem ita putamus distinctionem definivisse, ut omnibus omnino accommodari queat: quod minime fieri posset si constitueremus cum vulgo formaliter in negatione identitatis, quia non competeret distinctioni Scoticæ formali ex natura rei, nec distinctioni virtuali Thomisticæ, quæ cum identitate reali non pugnant.

VI. Objic. 1. Distinctio est formalis multiplicitas: sed formalis multiplicitas habetur per negationem identitatis formaliter quando distinctio consistit formaliter in negatione identitatis. prob. maj. Distinctio est opposita identitati, ergo sicut identitas est formalis immultiplicitas, ita distinctio est formalis multiplicitas. min. autem præced. syllogismi sic probatur. Illud est formalis multiplicitas, quo solo posito, ablatis reliquis omnibus (per possibile vel impossibile) habetur formalis multiplicitas: sed posita sola negatione, & ablatis omnibus aliis, in quibus vos ponitis distinctionem, ponitur multiplicitas, ergo.

Resp. dist. maj. distinctio est formalis multiplicitas transitive, id est causat formalem multiplicitatem. Conc. intransitive seu formaliter loquendo. N. maj. Dist. etiam min. formalis multiplicitas habetur per negationem identitatis consecutive & arguitive. C. formaliter. N. min. Ad probat. maj. Dist. ant. Est opposita privative. N. contrariè. Conc. possunt enim simul abesse, non tamen adesse, ut constat ex dictis. Ad probat. min. Nego suppositum, nempe posse poni duas negationes aut unam negationem sine subjecto positivo. Aut dato quod ponatur, Nego simpliciter fore distinctionem. Nam ut diximus Essentiæ rerum secundum se, nec identitatem, nec negationem identitatis dicunt, sed præscindunt ab utroque.

VII. Objic. 2. Petrum non esse Paulum, est ipsum formaliter distingui a Paulo. sed Petrum non esse Paulum est formalis negatio identitatis, ergo distinctio est negatio identitatis. maj. prob. Petrum esse Petrum nihil aliud est quam Petrum esse secum ipso identificatum, ergo Petrum non esse Paulum est ipsum formaliter distingui a Paulo. Vel aliis terminis: Unam rem distingui ab altera, est unam rem formaliter non esse alteram: sed unam rem non esse alteram, est formalis negatio, ergo. min. constat ex terminis. maj. probatur, unum non distingui ab altero, est unum formaliter esse idem cum altero, ergo a contrario, unum distingui ab altero, est unum non esse alterum.

Resp. 1. Neg. maj. cum Caramuele, qui initio libri de distinct. sic loquitur: "Extra essentialem conceptum rerum est, distingui & identificari. Distinctio & identificatio opponuntur, sed non eodem modo apud omnes. In multorum sententia sunt termini contradictorii, ita ut idem sit distingui, quod non identificari. Alii (quos nos sequimur) aliter philosophantur, apud quos illæ non sunt termini contradictorii; & si abessent a duabus formalitatibus, illæ nec essent una & eadem, nec essent diversæ, aut distinctæ, sed disparatæ. Hæc (NB.) apud ipsos, (& nos) est bona consequentia: *hoc distinguitur ab illo, ergo hoc non est illud.* Mala si inferret contra, prout in objectione fit: Petrus non est Paulus, ergo distinguitur a Paulo."

Resp. 2. Invertendo argumentum. Petrum & hominem esse idem, est Petrum non distingui ab homine: sed Petrum non distingui ab homine est negatio distinctionis; ergo identitas consistit in negatione distinctionis. Imo identitas est unitas, unitas est indivisio in se; indivisio consistit in negativo, ergo & identitas, ergo si distinctio est negatio identitatis, erit negatio negationis, ergo hoc ipso consistet in positivo, cum duæ negationes faciant unam affirmationem.

Et sic ad alteram formam argumenti N. iterum maj. vel ad summum distinguo, si illud formaliter omittatur: Est unam rem non esse alteram consecutive & arguitive. C. formaliter. N.

Nec obstat quod P. Arriaga more suo, hoc est hispanico supercilio Disp. 1. Met. sect. 4. n. 92. dicat, hoc ex ipsis terminis ita notum esse, ut amplius declarari non possit, scilicet ita notum, sicut rusticis hispanis (prout alibi dicit) dari formam substantialem, nempe illam absolutam Peripateticorum. Simile enim omnino & parallelum hoc, isti: animal esse brutum, est animal non esse rationale: sed non esse rationale consistit in negatione rationalitatis, ergo esse brutum consistit in negatione. Quam parum ergo in sana philosophia differentia contractiva animalis, & constitutiva in specie bruti consistit in negativo, tametsi bona sit hæc consequentia: hoc animal non est rationale, ergo est irrationale: tam parum concluditur ex præd. argumento differentiam constitutivam distinctionis consistere in negatione identitatis.

VIII. Dico 3. Fundamentum distinctionis consistit in rei cujusque prædicatis essentialibus intrinsecis, quibus repugnat habere identitatem cum altero. Probatur. In eo consistit distinctio fundamentalis, ad quod consequitur & resultat distinctio formalis: sed positis rerum prædicatis essentialibus mox consequitur relatio dissimilitudinis seu discrepantiæ, quam distinctionem formalem vocamus ergo. Vide Tract. de Relativis.

Objic. In illo priori antequam concipiatur consurgere relatio distinctionis formalis, vel sunt duæ entitates, vel una? si duæ, ergo jam habetur pro illo priori multiplicitas adeoque distinctio: si una, ergo habetur identitas, quæ etiam consistit juxta nos in relatione, ergo non datur status essentiæ præscindens ab utroque.

Resp.

Resp. pro illo priori esse unam, & unam entitatem, sed non alteram, & alteram. Nota bene hunc modum loquendi: aliud enim est una, & una; aliud altera & altera, qui enim alteram dicit, distinctionem edicit. Ergo in illo priori concipientur ut disparatæ, quia concipiuntur absolute; adeoque nec in eandem realitatem coincidunt per identitatem, nec ad diversas pertinent: sunt tamen capaces oppositarum habitudinum: sicut album & album secundum se concepta, nec sunt similia, nec dissimilia formaliter, sed tantum fundamentaliter.

IX. Inferes. Ergo habent se duæ illæ entitates ut indifferentes, cum abstrahant a distinctione & identitate. Item album & album, erunt indifferentia ut reddantur similia aut dissimilia: & illæ entitates erunt indifferentes ut identificentur aut distinguantur, quæ tamen absurda sunt.

Resp. Neg. illatum. Non enim se habent ut animal v. gr. abstractum a differentiis rationali & irrationali, quod ex natura sua neutram postulat, ideoque non est mirum quod concipiatur ut indifferens. Econtra Petrus & Paulus fundamentaliter jam distinguuntur: non autem fundamentaliter identificantur ratione prædicatorum intrinsecorum, nam hæcceitates sunt prædicata physice essentialia & intrinseca individuorum, ex quibus necessario resultat distinctio realis. Album & album fundamentaliter similia sunt, ratione qualitatum, non dissimilia; econtra album & nigrum. Vbi tamen nota, omne simile esse simul dissimile: quæ enim omnino similia sunt & adæquate, hoc enim, quæ in nullo differunt, non sunt similia, sed idem: & quæ omnino dissimilia, hoc est quæ nihil habent commune, non tam dissimilia dici debent, quam diversa. v. gr. hæ syllabæ *per* & *nunc* sunt diversæ; quia nullam literam habent communem. pons & mons, conveniunt in ons, differunt quoad p. & m. per & per, omnino conveniunt.

SECTIO II.

Quotuplex sit Distinctio?

X. Vetus distinctionis & generalis divisio est, ait Fonseca, in *Realem* & *Rationis*; quam Recentiorum plerique inde ortam existimant, quod omnia, quæ quoquo modo sunt, aut sint entia realia, aut rationis.

XI. *Res* autem vocatur, quidquid existit, vel potest existere in rerum natura, proprie loquendo. Porro distinctio realis subdividitur in *Positivam* & *Negativam*. Prima intercedit inter duas res de facto coexistentes: utraque enim distinctione positiva ab alia distinguitur: Secunda intercedit inter rem existentem, & aliam non existentem. Prima dicitur distingui distinctione negativa ab alia, nec aliud significat terminus ille *negativa*, quam non existere rem a qua res existens distinguitur, v. gr. Ego ab Antichristo.

XII. *Ens rationis*, seu res rationis, non significat rem aliquam, quæ vera sit res scilicet existens, vel potens existere in rerum natura & a parte rei, hoc est independenter a reflexionibus & ponderationibus nostri intellectus: sed significat denominationes quasdam consequentes diversos cognoscendi modos seu cogitandi, quæque idem sunt ac objecta secundæ intentionis. ex. gr. cum de Petro cogito, quia hoc ipso Petrus est cogitatus, seu cognitus a me: aut dum video parietem, hoc ipso de pariete verum est dicere, paries visus; activum enim & passivum sunt correlativa, & simul natura. Inde considero velut objectum hoc, quod est Petrus cognitus; paries visus: hoc concretum dicitur *ens rationis*, seu *ens logicum*, quod idem est (juxta P. Ptolomæum, sed perperam, ut suo loco demonstrabimus; proprie enim entia rationis logica sunt: esse prædicatum, subjectum, antecedens, consequens, majorem, minorem, definitum &c.) & communius appellari solet *denominatio extrinseca* (juxta nos *intentio secunda*) seu terminus secundæ intentionis, sic esse generis masculini, aut fœminini, singularis vel pluralis numeri, esse participium, nomen, verbum &c. sunt entia Grammaticalia, seu termini grammaticales secundæ intentionis vel impositionis.

Verum quidquid sit de divisione ipsa distinctionis in realem & rationis, modus tamen & ratio interpretandi eam displicet Fonsecæ, qui commodius cum Scoto & aliis RR. distinctionem in genere (quam non male P. Ptolomæus sic definit: *Est formalitas, ratione cujus res non est id, quod revera non est*) dividi censet immediate in *Realem, Rationis, & ex natura rei.* Quia tamen plerique ab illa Veterum divisione minime recedendum putant, tametsi distinctionem *ex natura rei* non rejiciant, ad alterutrum membrum eam revocare magna contentione nituntur eo fere modo, quo in agrorum divisionem accidere solet, dum alii ad *realem* pertrahere, alii ad *rationis* distinctionem conantur.

XIII. Denique sunt, qui cum S. Thoma in 1. Dist. 2. q. 1. art. 3. & Opusc. 61. c. 3. & in 1. dist. 31. q. 1. art. 2. & dist. 22. art. 3. & de potentia q. 7. art. 6. omnem distinctionem *ex natura rei*, quæ realis non sit, ita comprehendunt sub distinctione rationis, ut non asserant omnia quæ ratione distinguuntur, distingui sola operatione intellectus, sed quædam sola, quædam etiam ipsa rerum conditione ac natura, ex qua eorum distinctio considerationis nascitur. Cum autem dubium esse non debeat, quin hoc pacto usurpata sit ab Arist. & aliis veteribus proposita divisio bimembris, quam ubique sequuntur prisci Scholastici, atque inprimis D. Thomas, præstat eam in hoc sensu retinere & amplecti, præsertim cum ad Scotum usque non alia plane sit audita distinctio. Vnde quia Scotus perspicuitati consulens eam solam distinctionem, quam solus intellectus facit, cœpit appellare rationis, consulto RR. quidam Thomistæ, quasi controversiam hanc composituri sic explicare cœperunt distinctionem *rationis*, ut eam quæ sola operatione intellectus efficitur, *rationis ratiocinantis* vocandam existimarint: eam vero quæ ex ipsa conditione rerum nascitur, *rationis ratiocinatæ*, q. d. naturæ rerum conformatæ: quam ipsam Scotus vocaverat *ex natura rei.* Ita Fons. in L. 5. Met. c. 6. q. 7. sect. 3.

XIV. Meo quidem judicio recte & immediate dividitur Distinctio in eam, quæ reperitur ante operationem & cogitationem intellectus nostri, & eam quæ fit per operationem intellectus. Si qua jam reperitur in objecto independenter a nostra cognitione (sive vocetur ex natura rei, sive virtualis major, sive rationis ratiocinatæ) an realis absolute dicenda sit, an vero subdivisione facta cum limitatione & secundum quid, vocari debeat realis, quæstio est de nomine. De re vero cum quæritur, an cum identitate reali, stare possit distinctio quædam in objecto inter ejus formalitates seu gradus metaphysicos independenter a nostra cogitatione: sive, an sicut in Continuo & quanto physico agnoscimus partes actu distinctas: ita in toto Metaphysico

physico v. gr. homine, sint variæ formalitates & gradus puta substantiæ, corporis, animalitatis, rationalitatis &c. item in anima distinctæ virtutes nutritiva, augmentativa, retentiva, expulsiva &c. item in calore vis calefactiva, rarefactiva, exsiccativa, resolutiva &c. si non realiter (ut Thomistæ volunt intellectivam & volitivam potentias distingui) saltem ex natura rei, aut virtualiter distinctæ prius, quam intellectus noster idem objectum ad diversa connotata comparet, aut diversis conceptibus claris vel minus claris apprehendat? Et hic est status quæstionis celeberrimæ inter Nominales, Scoticos & Thomistas; quorum fundamenta patebunt ex dicendis.

SVBSECTIO I.

De Distinctione reali.

Discutiemus primum prædicta duo membra distinctionis in genere, videlicet quid nomine distinctionis *realis*, & quid per distinctionem *rationis* intelligi debeat, antequam ad reliquas descendamus. Et primo quidem circa distinctionem realem inquiri potest, quænam entia dicantur realiter distingui: dein quænam sint signa infallibilia hujus distinctionis.

XV. Quid nomine Rei intelligendum, non conveniunt inter se Scholæ. Thomistæ enim volunt illud esse *rem* in omni rigore, quod est extra intellectum quomodocunque, a parte rei, seu in rerum natura: omne autem aliud quod non est sic a parte rei, nemine cogitante, esse ens rationis, & consequenter præter distinctionem realem, & rationis admittunt nullam. Econtra P. Aloysius Kimmet S. I. inter Errores Peripateticorum primo loco recenset hanc propositionem: *Omnis distinctio, quæ occurrit in rebus, vel est realis, hoc est ante opus mentis, vel rationis, hoc est, per opus Mentis.* pag. 650. ejus rationes audiemus subsect. sequenti. Neutrales autem, quia Modos extrinsecos rerum non agnoscunt pro *rebus* in rigore, eo quod modi illi non possint seorsim extra subjectum existere, inter præd. distinctiones, nempe simpliciter & stricte realem, & rationis, admittunt tertiam inter utramque mediam, eamque vocant *modalem*, prout Scotistæ suam *formalem*, sumpta denominatione ab extremis.

XVI. Sed quid *Modus*, quid *Res*? Quando duo ita sibi adhærent & unita sunt, ut tamen queant separari, & in statu separationis persistere, saltem miraculose, sunt *Res*. Quod si alterum quidem existere possit seorsim, & non econtra: illud prius erit *Res*, posterius *Modus*. Exemplum primi sit panis & albedo, potest enim non solum panis existere sine albedine, sed etiam albedo sine pane, saltem per miraculum, uti communiter tenetur de albedine & cæteris accidentibus Eucharisticis. Exemplum secundi, sit Petrus & ejus sessio, tametsi enim Petrus possit stare, ablata sessione, non tamen potest concipi sessio existens seorsim sine modificato, ne quidem divinitus. Hæc pauca sufficiant hic & nunc, pro Modorum & Rerum notitia, si dentur crassi illi Modi vulgo in scholis decantati.

Consulto addidi hanc conditionem cum Caramuele, sunt enim multi viri doctissimi, quorum sententia nobis præplacet, qui Modos illos crassos negant apud Suarem Disp. 7. Met. sect. 1. n. 9. Sed ipse Suarez licet plurimos Modos admittat, in exponenda tamen modali distinctione varius est. Et tametsi alibi distinctionem & claritatem amet, hic summo nisu confundere vult modalem cum distinctione ex natura rei, (& forte bene) sed in expositione utriusque exorbitat. Si enim distinctio ex natura rei est, qualis asseritur a Suario, blasphemæ sunt pleræque Scotistarum Theologorum sententiæ in materia Sanctissimæ Trinitatis. Et si caste & sancte dici potest, Relationes a Divinitate distingui formaliter ex natura rei, errat Suarez hanc distinctionem confundens. Dicuntur autem negasse Modos Durandus. in 1. dist. 2. q. 2. Okamus, Hervæus quodlib. 3. Joan. de Gandavo 6. Met. sect. 10. Soncinas 7. Met. q. 36. Cajetanus 1. p. q. 54. art. 2. Scotus q. 3. univers. cap. de Proprio q. 2. Petrus Wadingus de Incarn. Lib. integro, quibus adde Typhanium & plures alios, quibus favet antiquitas, cui aut Modi fuere incogniti, aut omnia accidentia Modi. Sed de hoc alibi.

XVII. Dicuntur autem proprie differre re & realiter, quæ de se invicem quoad entitatem physicam negari possunt, circumscripto omni actu intellectus, quod contingit quatrupliciter. 1. Ea quæ sunt ejusdem speciei, sunt tamen diversa numerice ut Sortes & Plato, aut duo lapides. 2. Ea, quæ sunt diversa numero & specie, licet sint ejusdem generis, ut homo & asinus, & bos, quæ supponimus esse diversas species animalis. 3. Modo dicuntur differre realiter, quæ non solum differunt numero & specie, sed etiam genere, quamvis contineantur sub uno analogo: & hoc modo differunt in communi sententia substantia & quantitas, & qualitas, quæ continentur sub ente. 4. Modo distinguntur realiter, quæ non solum secundum differentiam numeralem, specificam & genericam, sed plus quam secundum genus, uti Deus & creatura. Item quæ toto systemate ut physica, mathematica, moralia &c.

XVIII. Videamus nunc quænam sint signa certa & infallibilia ex quibus argui possit distinctio realis: multa enim passim ut talia vendi solent, sed non omnia sunt universaliter certa. Petrus Fonseca L. 5. Met. c. 6. q. 6. sect. 1. Vnum saltem ex his tribus requiri & sufficere antumat ad dignoscendam duorum inter se realem distinctionem.

Primum est *alietas* (ut verbis ejus utar) Producentis & Producti, nulla enim res seipsam producit. Quæ conditio adeo efficax est ad distinctionem realem constituendam, ut ne maxima quidem unitate essentiæ impediri possit, quo minus illam efficiat, ut patet in personis divinis.

Secundum est alietas causæ & effectus. Nulla enim res potest esse causa sui ipsius proprie loquendo de vera ratione causæ. Hinc viderint AA. illi, qui materiam & formam respectu Compositi in rigore volunt esse causas, & tamen negant Totum realiter distingui a partibus simul sumptis, quam consequenter loquantur.

Tertium est Alietas suppositorum, quæ etiam in iis, in quibus neutra dictarum alietatum reperitur, sufficit, veluti in hoc lapide, & hoc ligno, in hoc Angelo, & hoc homine. Possuntque in hac conditione tres quasi gradus constitui. Primus quidem in ipsis suppositis; hæc enim sunt, quæ omnium minime distinguuntur realiter, quæcunque illa sint. Secundus vero in iis, quæ cum ex natura rei distinguantur, existunt aut saltem existere possunt in distinctis suppositis: quo pacto absoluta accidentia dicuntur realiter distingui a

substan-

substantia & inter se; non item relatio, figura &c. a suis fundamentis & subjectis. Ad hunc quoque modum realis distinctionis pertinet distinctio materiæ & formæ Socratis, tum a se invicem, tum a tota natura Socratis: quia & materia naturali successione reperitur in suppositis a Socrate diversis, & forma etiam, atque adeo tota natura Socratis, possunt esse divina virtute in aliis suppositis.

Tertius denique in iis, quæ existunt vel existere possunt in iis, quæ cum ex natura rei distinguantur, nihil repugnat quo minus in diversis suppositis existant: quo pacto relatio inhærentiæ formæ Socratis in materia Socratis, & relatio subjectionis hujus sub illa, distingui vult realiter Fonseca: quæ tamen distinctio potius ad Modalem, quam realem distinctionem referri debere videtur, cum inhærentia non sit res.

XIX. Hinc colligitur 1. Regulam a Joan. Bapt. Ptolomæo Dissert. 44. Logico-Metaph. Sect. 3. inter reliquas septimam videlicet *Separabilitas est facillimum signum distinctionis realis in rebus*, non esse universaliter veram. Tum quia negatur ab illis, qui partes continui, ante separationem negant esse distinctas, sed sicut separabiles, ita distinguibiles duntaxat dicunt. Tum quia Continuum v. gr. aqua est una tantum aqua prius, quam separetur, post separationem autem, duæ aqoæ sunt, non ex separabilitate, sed ex actuali separatione. Adde quod separabilitas duplex est [ut recte idem Author ibidem monet] vel loci, vel temporis, quarum neutrum signum infallibile distinctionis realis est: cum possit una eademque numero res simul divinitus replicari & existere in diversis locis: item diverso tempore reproduci.

XX. Colliges 2. Neque signum infallibilile distinctionis realis esse mutuam ac veram negabilitatem unius de altero. Nam si per τὸ *veram* intelligas realem qooad entitates, verum quidem dicis: si autem simpliciter per *veram* prout opponitur falso aut ficto, falsum est. Nam in sententia Scotistarum vera est hæc oppositio: *intellectus non est voluntas formaliter ex natura rei.* Vbi vides negari unam formalitatem de altera in recto, absque eo quod distinguantur realiter.

XXI. Colliges 3. Multo minus signum infallibile distinctionis realis desumi ex eo, quod duo ponantur in diversis Prædicamentis. Rationem dat Armandus Tract. 2. cap. 21. cui consendit Chrysost. Javellus, quod quamvis divisio Entis extra animam in 10. Prædicamenta, sit divisio in illa, quorum quodlibet est res vera: non tamen est necesse, quod omnia illa quæ sunt in diversis prædicamentis, vel in diversis speciebus ejusdem generis sint diversa realiter, sed sufficit quod quodlibet divisum sit ens reale. Vnde quando dicitur, quod divisio Entis in 10. Prædicamenta est divisio in 10. realia, sic intelligendum est, quod sit in 10. quorum quodlibet est ens reale: non tamen oportet quod omnium illorum diversitas est realis, imo una & eadem res numero ad prædicamenta diversa pertinet, ut patet de motu, quia actio & passio sunt unus numero motus realiter juxta Arist. 3. phys. c. 10. Hæc Armandus, sed idem pet idem videtur dicere. Vide quæ dicemus in Tract. de Ente, ejusque divisione in 10. Prædicamenta.

SVBSECTIO II.

De Distinctione Rationis.

XXII. Subtilis Caramuel, qui difficultates non superficietenus, sed ex fundamento discutere solebat in Disp. speciali de distinctione rationis ita præfatur: Omnes uno modo loquimur, aut saltem in labio non multum differimus: nam termini communes sunt: at illorum acceptio & suppositio apud singulos videtur omnino diversa. Animal & rationale esse duas formalitates, easque rationis distinctione distingui audivi sæpe: sed rogavi, inquit, Viros etiam eruditos & doctos, quid significent isti termini, hoc est, quid sit distingui distinctione rationis? & nullum potui bonum extorquere responsum.

Vera locutum Caramuelem patebit ex dicendis, dabo tantum unius vel alterius mentem & verba circa Distinctionem Rationis.

XXIII. R. P. Aloysius Kimmet in sua Vera Philosophia (sic intitulata) typis data Ao. 1706. pag. 680. sic discurrit: Cum distinctio adhibeatur ad rem clarius exponendam, juxta illud *qui bene distinguit, bene docet*, quid quæso, obscurius usquam est illa distinctione per intellectum? (sic enim vulgo vocatur Distinctio rationis). Quid significat particula *per*? cur nemo eam explicat, cum tot clamoribus diu noctuque urgeant distinctionem *per intellectum*? Profecto particula *per* aliquid ad rem facit, cum per intellectum fabricetur distinctio; significatque qualemcunque causam & speciem principiandi; quæ est illa?

Non enim est Causa Efficiens, quia hæc non causat nisi per actionem: nec actio est sine passione & termino. Quid igitur & qua actione efficit actus Mentis, dum per eam fit distinctio? Non facit Petrum, nec animal, nec rationale, distinguit tamen Petrum in animal rationale: si cognitio effective causat distinctionem, ostende quid efficiatur in Petro, quod prius non erat. Si nihil efficitur, nihil est etiam quod efficit vel efficientiam exercet. Videsne, quomodocunque causam efficientem definias, actum intellectus causam distinctionis effectivam esse non posse. Quod vel ex eo patet, quod juxta Arist. ad Relationem non datur per se motus, at distinctio est relatio, ergo causam efficientem non habet intellectum. Neque dices, actum intellectus principiare distinctionem per modum causæ materialis aut finalis, quis adeo deliret, ut istud dicat? Neque erit causa formalis ejusdem distinctionis. Nimirum forma ut causet, debet in subjecto: actus autem intellectus, per quem volunt distinctionem fieri in Petro, nequaquam est in Petro, sed tantum circa Petrum, de Petro, ad Petrum; subjective vero solum est intellectu vel intelligente; adeoque solum intelligentem, non Petrum informat.

Dices informare extrinsece, quatenus diversimode exprimit Petrum, aut ad diversa comparat. Sed hæ sunt phrases, quibus tua in via nihil explicas. Si te amas, interroga nos, & dicemus tibi, *cognitionem esse terminum relationis*, & ideo a te debere dici vel conditionem, ad quam relatio, qualis est *relatio cogniti*, consurgat, aut certe esse relationis partem. Neque enim aliud prorsus afferre potes, quid sit tua distinctio per illum, nisi dicas esse relationem objecti ad actum mentis. Sicut enim *esse visum*, *auditum*, *gustatum*, quid est aliud, quam relatio talis objecti ad talem sensationem: ita quid esse cognitum, præcisum &c. quid aliud esse potest, quam relatio Petri ad talem intellectus cognitionem? si ita dicas, saltem intelligi potes: at exinde non eruitur distinctio ulla per intellectum facta.

XXIV. De-

XXIV. Declaratur hoc argumentum amplius. Nil auditur communius in Scholis, quam Genus esse basim & fulcrum essentiæ, habere se per modum materiæ, cui differentia specifica, tanquam forma subjecto insit, & illud determinet. Nam differentia non est pars generis, etsi sit pars speciei; sine qua ipsa quoque subsistere nequit: deinde Genus est prius differentia, & ab hac ceu forma determinabilis. Hic tu dices, ista sic esse secundum conceptum nostrum.

At P. Kimmet non sine stomacho sic arguit. Cum istud dicterium a vulgo philosophico centies in die regeratur, ad omnem æquivocationem semel pro semper tollendam, concedo eam phrasin, si per conceptum intelligas ipsam conceptibilitatem, quæ est veritas objecti transcendentalis & proprietas entis, de quo mox plura: hæc autem conceptibilitas male dicitur conceptus: quia conceptus est actio vel actus intellectus; conceptibilitas autem est ipsa veritas objecti. Concedo proinde, in objecto esse diversas conceptibilitates, sive veritates & perfectiones objectivas, quod ipsum est dogma nostrum. Debetes ergo dicere hæc esse *secundum conceptibilitates objecti*, non autem *secundum conceptus:* quia falsum est, nostros conceptus & actiones mentis, esse talium veritatum principia; sed potius illæ veritates sunt principia conceptuum nostrorum. Ita in terminis doctissime P. Kimmet. In eo solum displicet quod varias & multiplices in objecto conceptibilitates dici velit, cum existimem melius dici objectum in se simplex esse diversimode conceptibile (non pro libitu nostræ phantasiæ, sed) in ordine ad diversa connotata seu effectus & operationes suas, prout melius ex dicendis elucescet. Pergit idem Author num. 97. Soliloqu. Deinde concedo, illas veritates inveniri & detegi tantum, per actus mentis; cum reliqua, quæ distincta sunt realiter, per ipsos sensus discernantur diversa: sicut ipso gustu, visu, tactu, deprehendunt etiam bestiæ quodammodo (imo verissime) aliud esse aquam, aliud vinum, aliud panem esse, aliud lapidem &c. [hoc probavit ille, qui capræ recens natæ diversos apposuit liquores, e quibus capra non nisi lac elegit bibendum:] Hoc igitur modo, sicut dici posset, inter lignum & lapidem esse distinctionem per sensum, ita dici poterit inter animalitatem & rationalitatem esse distinctionem per intellectum: non quod illa distinctio non sit ante operationem revera, sed quod discernatur per operationem sensuum: sicut eodem modo distinctio inter gradus metaphysicos discernitur per conceptus & operationes mentis; etsi revera, ante eas operationes, jam insit rebus.

Et num. 98. Vlterius non negamus, per conceptus actuales accedere [& accidere] objectis novam distinctionem extraneam & respectivam; sed hanc ipsam quod res sit cognita. Sicut enim aliud est, rem esse visam, aliud non visam; gustatam & non gustatam; ita aliud est rem esse cognitam, aliud non esse cognitam. Itaque hoc sensu res cognita, ab eadem non cognita, distinguitur ipsa cognitione, per cognitionem, tanquam per terminum relationis prædicamentalis. Sed hanc distinctionem supponimus, non disputamus. Asserimus autem, præter hanc esse aliquam aliam objectivam, quæ ipsius cognitionis sit fundamentum & principium, sive sit ipsa objecti veritas transcendentalis, quæ actuali cognitione vera vere & recte exprimitur; male autem & falso per cognitionem erroneam.

Prosequitur hanc spartam pag. 652. num. marg. 53. in hunc modum. Quod enim, quæso te, asseris, verene sit distinctio aliqua per actum mentis, sive id, quod dicis fieri per actum mentis, potestne ad aliquod prædicamentum Entis, & qualecunque genus essendi referri, an ad nullum? si posterius, nihil potes ostendere, quod significet tua phrasis, & non est verum quod aliquid fiat. Si referri ad aliquod potest, illud erit relatio, sicut esse visum, auditum &c. est aliquid novi, sed nihil nisi relatio. Ergo illa relatio non est prorsus nihilum, sed aliquid sane. Porro illa Relatio *τὸ esse cognitum*, non fit per alium actum intellectus, ne procedatur in infinitum. Cum igitur eadem relatio sed novum, quod prius non erat, & tamen non sit ipse Petrus, qui erat; necessario sequitur, relationem esse aliquid distinctum ac diversum a Petro, quod tamen non sit mere intellectum: ergo dabitur distinctio quædam non realis, quæ non habetur per intellectum. Quod autem per intellectum seu cognitionem ejus nulla resultet alia distinctio, quam relatio cogniti, quæ ante non erat, patet in iis quæ realiter differunt: ex eo enim quod cognoscatur Petrus & non Paulus, nulla alia relatio sive distinctio resultat, quam quod unus sit cognitus, alter non sit: alia vero distinctio omnis jam erat prius.

Adde num. 14. Sunt igitur per omnes Philosophiæ Theologiæque partes sine numero relationes, qua accidentales qua essentiales, quæ & distinctæ sunt a subjectis ac terminis, & realiter distinctæ non sunt, & tamen aliter distinctæ sunt, quam illa distinctio est, quam significat terminus *esse cognitum* vel *non cognitum.* In Divinis Pater communicat Filio naturam, non paternitatem; distincta igitur a natura: nonne eatenus tantum, quatenus a nobis cognita aut non cognita, aut aliter cognita est? Generat intelligendo, non volendo: alio igitur fœcunditatis modo; hic modus nonne est certa tantum cognitio tua? Spirat Filius cum Patre, ut unus cum eo Spirator, eadem individua voluntate, non generat cum eodem, etsi intellectu cum eo similiter eodem polleat: diversitas ergo est in voluntate & intellectu: nonne solum ex cognitione humana?

XXV. Ecce, mi Lector, audivimus insignem hunc Philosophum eliminantem, Distinctionem Rationis, & propendentem in Sententiam Scoti: subjungo alterum præclariorem, utpote in Collegio Romano per plures annos Philosophiæ Professorem, qui Distinctionem Rationis contendit esse eandem, cum Distinctione reali extrinseca per connotata, de qua infra specialiter agemus. Joan. Bapt. Ptolomæus S. I. celebris inter RR. Differt. decima Log-Met. ad 3. Classes revocat Distinctiones Rationis, prout etiam nomina seu termini vocales. 1. Classis un continet nomina seu terminos synonymos proprie tales, qui licet sint sono diversi, idem tamen & eodem modo significant, ut ensis & gladius: ita etiam cogitationes prædictis terminis correspondentes, quæ proinde pariter synonymæ dici possent vel illæ in aliquo sint dissimiles inter se, ut ista nomina ensis & gladius, vel solo nostro distinguantur. 2. Classis continet terminos (mentales, vocales) quorum unus clarius & explicatius significat id ipsum, quod alter obscurius & confusius significat ex gr. hic terminus complexus *animal rationale*, idem significat ac terminus *homo*, clarius tamen ille, quam iste. 3. Classis continet terminos, quorum unus non solum

solum clarius significat, quod alter obscurius: verum unus quoque terminus plures veritates de una re seu objecto docet, quam alter terminus; ex. gr. *animal rationale* plus dicit & docet de homine, quam τὸ *rationale* solitarie. Iam ulterius omnes cogitationes ad secundam Classem pertinentes nomine reflexo & metaphorico appellat *Distinctiones rationis ratiocinantis, & sine fundamento in re*, hoc est, termini mentales, qui in tantum merentur nomen distinctionis, etiam metaphoricum, in quantum una cognitio clarius idipsum repræsentat quod altera; cæterum quantum una docet de re cognita, tantum docet & altera.

Cogitationes autem, seu termini mentales pertinentes ad Tertiam Classem, nomine reflexo appellat *Distinctiones rationis ratiocinatæ, & cum fundamento in re*, hoc est cogitationes, quarum una plures veritates docet de uno eodemque objecto, quam altera cogitatio: vel saltem diversam veritatem una cogitatio docet, quam altera: ut cognitio, qua cogito *animal*, & cognitio, qua cogito *rationale*.

Nomine veritatum, quas cogitationes præd. manifestant de objecto, intelligit (in eadem dissert. sect. 1. n. 4.) formalitates, puta risibile, mortale, sensitivum, rationale, admirativum &c. cujusmodi etiam in cæteris, quæ sunt in Mundo, reperire est, quæ etiam aliis vocari solent grados metaphysici; & hæ formalitates repræsentantur per distinctiones rationis ratiocinatæ.

XXVI. Præterea, quod bene notandum, addit num. 5. Omnes termini vocales, aut fere omnes, etiamsi simplices sint, licet videantur unam tantummodo rem significare, revera tamen res duas, saltem inter se realiter distinctas, significant: idemque dico de simplici apprehensione seu termino mentali. Ratio est, quia omnes fere termini sunt relativi, non absoluti: terminus autem relativus res duas significat, licet pro una tantum substituatur & supponatur, ex. gr. terminus. *Pater* significat & cogitationem excitat in audiente non solum patris sed & filii: impossibile enim est cogitare de parte, nisi simul cogitetur de filio: quod igitur dicimus de his duobus terminis *Pater & Filius*, dicendum est de omnibus aliis terminis (mentalibus, vocalibus. Sicuti enim omnia verba adjectiva passionem aut actionem significant: ita fere omnia nomina, vel aliquod passivum vel aliquod activum significant, hoc est vel aliquam causam vel aliquem effectum (latissime sumendo hos terminos causæ & effectus). Sic terminus *animal* significat principium, seu potentiam, seu causam sentiendi. terminus *rationale* significat principium discurrendi: unde audito illo termino excitatur duarum rerum cognitio, nempe effectus & causæ, ut dixi de termino, *Pater*, & ita de reliquis terminis. Et ut breviter dicam, vel aliquam virtutem productivam, vel aliquam similitudinem, vel aliquam correspondentiam, vel aliquam comparabilitatem semper deprehendes in quolibet termino significativo, adeoque ille designat aliquam correlationem duarum rerum inter se.

Discrimen autem inter illas duas res, quas significat quilibet terminos, in eo consistit, quod pro una re terminus ille supponatur, & substituatur: aliam vero tantummodo significet. Sic terminus *animal* supponitur & substituitur pro causa & principio sensationis, puta visionis, auditionis &c. sensationem tantummodo significat. Id quod significat tantummodo quilibet terminus appellatur reflexe *obliquum, connotatum, respectus, significativum extrinsecum, & terminus connotatus.* Id pro quo supponitur reflexe appellatur *rectum, id quod venit in recto, principale significatum &c.* Sic hujus termini *Pater*, rectum est ille homo qui est pater: obliquum vero, connotatum &c. est ille homo, qui dicitur filius.

Ex recta intelligentia *recti* & *obliqui* explicantur facillime distinctiones rationes ratiocinatæ, seu cum fundamento in re, de quibus supra, nimirum quando una entitas seu res per plures terminos relativos potest appellari; id, quod venit in obliquo in uno termino relativo, dicitur *fundamentum in re* nimirum ut res, quæ venit in recto, expresse cognoscatur secundum unam formalitatem, quin expresse cognoscatur secundum aliam. Ex. gr. *animal* est terminus relativus; cum igitur cognosco hominem, & hominem nomino per hunc terminum *animal*; in obliquo venit sensatio, quæ est fundamentum in re, unde illa cognitio seu terminus mentalis *animal* dicatur distinctio rationis ratiocinatæ.

Vult ergo iste Autor distinctionem rationis in sensu mox relato, independenter a præcisionibus objectivis, & formali ex natura rei, explicari posse & salvari, quia totum negotium hoc optime explicatur, ait Dissert. 14. Log-Physica sect. 2. dicendo distinctionem rationis consistere in cognitione inadæquata inadæquatione cognitionis, hoc est, quæ diverso modo & expressione totum rectum objecti repræsentet, & in ordine ad diversum connotatum ab eadem cognitione in obliquo repræsentatum.

XXVII. Hæc sententia Ptolomæi quoad explicationem universalium, utcunque plausibilis est: displicet nobis tamen potissimum ex eo, quod denominationes realissimas, ortas ex diversis connotatis, distinctio rationis adscribat: nam ut optime dicebat P. Kimmet, innumeræ dantur relationes & denominabilitates independenter ab omni cogitatione nostra, quæ veluti fundamenta præbent intellectui nostra, denominationes actuales formandi: tum quia hæcceitates & subsistentiam sive personalitatem non video qua ratione per Connotata queant explicari; quod idem notavit Ingeniosissimus D. Caramuel in sua Metalogica.

Ad evitandam Logomachiam & verborum æquivocationem, & genuinam intelligentiam quæstionis status

XXVIII. Sciendum 1. ex Armando Tract. 5. c. 208. quod *Ratio* dicitur 6. modis. Nam 1. est idem *ratio*, quod *causa*, unde usu communi dicimus: hujus *ratio* est, id est *causa* hujus vel, reddit rationem hujus, id est causam dicit. 2. Ratio idem est ac *bona probatio aliqua*, sive sit per causam sive per effectum. Et sic aliquis dicitur sententiam suam multis probare rationibus; & sic videtur usurpari in definitione Argumenti, quando dicitur, quod *argumentum est ratio rei dubiæ fidem faciens.* 3. Idem est quod *Diffinitio*, & sic accipitur in principio Prædicamentorum, ubi dicitur quod æquivoca dicuntur, quorum nomen est commune, & secundum illud nomen *ratio* substantiæ id est *definitio* substantiæ diversa. 4. Ratio idem est quod *cogitatio* seu *conceptus intellectûs* de re quam quis expresse intendit intelligere, quæ etiam *Verbum mentis* dicitur. Et hoc modo ratio rei est ejus conceptio expressa intellectu. 5. Est ratio idem ac illud, quod respondet in re seu objecto cognito conceptioni intellectus de se facta: prior *ratio-formalis*, posterior

objectiva recte dicitur. Hoc autem est illud, quod apprehendit noster intellectus de significatione alicujus nominis: & hoc, in habentibus definitionem, est ipsa res, quæ per definitionem importatur, sive *ratio objectiva* correspondens *rationi formali* intellectus. Et boc modo dicit Phlus io 4. Met. quod ratio, quam signat oomen, est ipsa definitio. Sicut dicimus, quod ratio Iustitiæ est in tenendo medium eorum, quæ sunt ad alterum. In illis autem quæ non habent definitionem, proprie ratio talis rei est illud, ex quo res habet quod sit res. Sic ratio qualitatis est illud, ex quo qualitas habet quod sit qualis. 6. Modo *ratio* idem est quod *intellectiva potentia* animæ rationalis, a qua *ratione* homo dicitur rationalis.

Sciendum 2. Pro intelligentia quæstionis, quomodo *ratio* aliqua sit in re? sciendum, inquam, quod 3. ultimi modi, quibus dicitur *ratio*, faciunt ad propositum: & ideo, dimissis cæteris, dicendum est, quod accipiendo rationem rei pro ipsa conceptione formali intellectus de re, ratio noo est in re extra subjective, ut patet, sed in intellectu formaliter & subjective: accipiendo autem rationem pro eo, quod ex parte rei formaliter respondet tali conceptioni, dicitur *ratio in re, formalitas objectiva, virtualitas &c.*

Sciendum. 3. Si sumatur ratio pro conceptu formali, quod sunt conceptiones differentes inter se, sive in eodem intellectu, sive in diversis, tot procul dubio dici possunt rationes diversæ unius rei: & in hoc sensu non opponitur distinctio rationis distinctioni reali. Secus est si sumatur ratio objective, sic enim eadem res multas continet ratiooes sibi quasi formaliter inhærentes & insitas, vel quasi partes metaphysicas, quæ rationes diversæ dicuntur ab aliquibus DD. *diversæ habilitates*, Scoticis *formalitates, gradus metaphysici &c.* qnia talis res est habilis ex se talibus diversis conceptibus formalibus respondere eosque terminare. ex. gr. *homo* est habilis ut concipiatur *qua rationalis, qua corporeus, qua sensitivus, qua substantia &c.* quæ omnia ex parte rei sunt realiter idem, dicuntur tamen differre *ratione* (termino æquivoco). Et sicur in homine seu anima rationali intellectus & volunta realiter sunt ipsa substantia animæ (quidquid dicant Thomistæ) sic in Deo iotellectus & voluntas, & omnia omnino attributa sunt realiter una simplicissima entitas, differunt tamen inter se *ratione* secundum omnes, quam tamen distinctionem diversimode explicant.

XXIX. Tota difficultas in eo versatur, an sufficiat ad salvanda contradictoria prædicata circa unum idemque realiter objectum, diversitas conceptuum nostrorum formalium, & inde resultans distinctio extrinseca: an vero in ipso objectum admitteoda sit aliqua intrinseca, (virtualis, formalis ex natura rei &c.) in qua fundentur conceptus nostri; nec enim ad libitum fingere licet quoslibet conceptus de quolibet objecto: ita ut distinctio illa *rationis* ab omnibus nominetenus admissa, non tam sit per intellectum nostrum facta, & excogitata, quam inventa in ipsa objecti natura.

Supersedeo hic inserere quæ Thomistæ de primis & secundis intentionibus, nec non de Ente rationis tum logico tum chymærico fuse tractare solent, & pro objecto non solum Logicæ obtrudere solent, quibus id efficiunt ut vere ex Logica anagrammatice reddatur Caligo, sed omnibus Scientiis, etiam Theologiæ ejusmodi inspergunt, de his enim dabitur occasio alibi differendi.

SVBSECTIO III.

De Distinctione actuali extrinseca, seu penes diversa Connotata.

XXX. Hanc distinctionem, etsi ab aliquibus, qui sua tantum æstimant, exploditur, sine ignorantiæ nota, negari non posse affirmat Caramuel, eamque sic definit: Distinctio actualis extrinseca est, quæ idem fundamentum ad diversa Connotata comparat. Clarius: Distinctio extrinsecus actualis est relatio ex una formalitate prout respicit unum terminum ad eandem prout respicit alium. Accinit Hurtado Disp. 6. Met. §. 12. Sic distinguunt Theologi Scientiam Dei, prout respicit possibilia, a semetipsa prout respicit existentia. Vnam vocant Scientiam Simplicis intelligentiæ; alteram Visionis: an Scientia conditionatæ futurorum, sit tertia & quasi Media inter utramque statuenda, acriter disceptatur & adbuc sub judice lis est. Insistendo huic distinctioni actuali extrinsecæ distingui posset Scientia Dei in has tres sortes, citra ullam intrinsecam (virtualem, rationis ratiocinatæ majorem, ut loquuntur, aut formalem ex natura rei); sed penes Connotata actualiter distincta, & quidem quo distinctionis genere connotata inter se differunt, eo sensu dices fundamentum, quod illa respicit, distingui a semetipso extrinsecus. Hoc eodem distinctionis genere Ideas divinas inter se distinguere licebit: Essentia enim Dei est omnes Ideæ, & ibi identificantur, & secundum ipsam omnia sunt unum, ut Parmenides odoratur, inquit Campan. L. 6. Met. c. 18. in fine.

XXXI. Porro hujus distinctionis exempla sunt frequentissima. Sic Augustissimus Iosephus distinguitur a semetipso, si consideretur, ut Imperator Roman. & ut Rex Hungariæ, Bohemiæ, Archidux Austriæ &c. Idem Cubiculum aut Conclave vocatur Refectorium, Oratorium, Musæum, Schola, Parlatorium &c. prout diversæ actiooes in illo peraguntur. Vna eademque pecunia prout ob diversos fines expenditur, vocatur Symbolum, Naulus, Minerval, Stipendium, Honorarium &c. Idem terminus, subjectum, prædicatum, substantivum &c. Eadem propositio major, minor, antecedens, consequens, major, minor &c. Eadem species prædicabilis & subjicibilis. Eadem anima sensitiva respectu materiæ quam afficit, dicitur forma, respectu animæ rationalis, materia vel subjectum. Eadem ætheris regio prout pectitur a Luna, Cœlum Lunare dicitur: prout ab aliis Planetis, Solare, Mercuriale, Venereum &c. Idem Oecanus, Mediterraneus, Balthicum aut Anglicum &c. Eadem anima prout per oculum videt, per aures audit, per linguam gustat &c. dicitur potentia visiva, auditiva &c.

Sic unus idemque calor aut ignis prout calefacit, distinguitur a seipso prout indurat, resolvit aut liquefacit &c. Eadem Voluntas prout cuique tribuit quod suum est, Iustitia; prout miseris favet, Misericordia, nuncupatur. Idem Decretum Divinum, providentia, prædestinatio, omnipotentia, clementia &c. plura sunt nomina, una simplicissima formalitas ad diversos comparata terminos, non secus apud nominales in humanis animalitas & rationalitas.

Ad pleniorem hujus celebris Distinctionis notitiam juvabit Terminorum sequentium explicationem notare,

tare, ex Mlodzianowski Prælect. Met. Disp. 3. num. 62. Tract. 1. Alia nempe sunt

Connotans, seu subjectum & fundamentum cui tribuitur connotatio, estque id quod connotat.

Connotatum est ille terminus & illud objectum connotationis, seo id quod connotatur.

Connotatio est formalitas connotandi, seu ratio quo connotatur.

Connotativum autem est illud quod hæc omnia complectitur: nec enim stare potest Connotativum sine connotante aut connotato aut ratione connotandi.

XXXII. Nota 2. Genus ad Connotativum & Relativum videtur esse *Respectivum*. Nam rigorose loquendo, ait cit. Autor *Concretum*, quod dicitur *Relativum*, est ipsum fundamentum in circumstantia termini subque denominatione Termini: hoc autem *Concretum*, quod dicitur *Connotativum*, dicit entitatem subjecti sentientis denominationem novam propter positionem alterius, non sub denominatione termini, sed tanquam circumstantiæ, effectus &c. seu propter positionem Connotati, videturque ratio ReLativi posterior esse ipsomet Connotativo. Nam prior est explicatio v. gr. Omnipotentiæ per connotata, dicendo, quod Omnipotentia sit ipsemet Deus pro ut est principium rerum possibilium; cumque primum intelligitur resultare relatio ad illas, explicante quodammodo connotatione ipsum esse; Relatione autem importante ipsum respectum.

Adde Mastrium, qui Disp. 8. Log. n. 33. sic distinguit: Coonotatio pertinet ad modum significandi; relatio ad rem ipsam: unde etiam Connotatio reperitur in nominibus, quæ ex eorum impositione unum significant, & ex modo significandi principalis significati dant aliud intelligere secundario, ut pateri in hoc nomine *Cana*. Relatio autem pertinet ad res ipsas, ut esse simile, esse hoc nigrum & terminum nigredinis.

XXXIII. Nota 3. Quando est subjectum connotans, & quando est id quod connotatur, tunc solet oriri nova denominatio, quæ antea non fuit, seu novum Connotatum substantive acceptum. Sic quando est comestio cibi, & advenit tempus vespertinum, oritur nova denominatio (aut verius denominabilitas) in illo cibo & novum connotatum, ut comestio illa dicatur *cœna*: & alio tempore facta *prandium*, aut *jentaculum*; prout supra dictum de pecunia. Hæc denominatio, hoc connotativum &c. duo dicit: unum in recto, alterum in obliquo.

XXXIV. Nota 4. ex eodem Authore Gedani edito, Tract. 1. Disp. 3. n. 90. Triplicem conceptum nos posse formare de Connotatis. I. Conceptus est, *secundum quod illa in re sunt*: & sic non aliud in re sunt, nisi duo extrema vel absoluta: sic in re, cœna est sumptio cibi & vespera. Ratio, quia si hoc in re non essent connotata, deberent in re esse unum in recto, & aliud v. gr. in obliquo: jam autem in re, *rectum* & *obliquum* nullum est; ipsumque illud obliquum v. gr. in re spectatum, nihil aliud est, nisi ipsum illud extremum, ipsum illud absolutum &c. II. Conceptus est, *secundum quod Connotatum indiget concipi*, & sic non aliud est, nisi ipsum subjectum, alias & alias denominationes sortiens ortas ab aliquo extrinseco, intrinsece tamen requisito: sic v. gr. denominatio Domini in Petro, dicit pro subjecto ipsum Petrum prout de hac re libere disponere potest. III. Conceptus de Connotatis formari potest, *secundum quod per modum formalitatum concipiuntur*. v. gr. dum consideratur Petrus prout est principium actuum considerandi & raziocinandi, intelligitur pullulare formalitas rationalitatis &c. sed ut mihi videtur, conceptus iste Tertius est fictitius, ne dicam nugatorius. Quamobrem his præmissis in medio relictis

XXXV. Dico 1. Rectum, quod dicitur coonotare, est subjectum illud, quod denominationem novam sortitur. Vocatur autem *Rectum* ex eo, quod quærenti quid sit denominatio nova, seu quid novum illud connotatum, fiat responsio apte per subjectum in recto seu nominativo casu positum. Si enim quæratur, quid est Cœna? Respondeo est sumptio cibi tempore vespertino facta. Vbi sumptio cibi in recto effertur. Obliquum autem vocatur, quod in eadem responsione ponitur in casibus obliquis, videlicet in tempore vespertino.

XXXVI. Dico 2. Illud quod dicit Connotatum in recto, tanquam subjectum habet se per modum cujusdam materialis: & illud quod importat in obliquo, habet se per modum formalis. Patet ex hactenus sæpedictis.

Dico 3. Illud obliquum, quamvis se habeat per modum formalis, non esse quid principale & primarium in Connotato. Ratio, quia illud formale est tanquam quid extrinsecum, quantumvis necessario requisitum: illud vero quod dicitur in recto noo est quid extrinsecum: sic v. gr. intrinsecum est cœnæ sumptio cibi; extrinsecum quid tempus vespertinum. Vnde illa formalia pro principalibus seu primariis se habent, quæ sunt intrinseca: non autem extrinseca.

Observandum quoque illud obliquum in connotatione non semper esse positivum quid reale: sed interdum quid negativum; ut si quærenti, quid sit me hic esse? respondeam qood sim ipse ego cum negatione distantiæ ab hoc spatio, quæ negatio distantiæ importatur in obliquo.

An autem obliquum illud sive terminus, non solum sit quid extrinsecum fundamento seu Recto, sed etiam ipsi Relationi, aut connotationi &c. decidemus in Tract. XL. De Relatione, multi docent terminum esse partem intrinsecam; alii identificantes relationem fundamento adæquate id negant.

SVBSECTIO IV.

De Distinctione Virtuali Thomistarum.

XXXVII. Recte observavit acutissimus Caramuel Virtualitates non nisi per abusum irrepsisse in Scholasticam Scientiam Philosophiæ ac Theologiæ: moralitates enim sunt, & morales hypotheses in rigore loquendo. Quid enim *virtualiter* esse hoc vel illud, quam æquivalenter, & morali hominum judicio tale haberi? at prævaluit usus iste an abusus, multasque causat æquivocationes, & a variis varie torquetur.

Dicemus ergo & referemus primo, quomodo juxta Dialectum Thomisticam explicari & defendi possit distinctio virtualis, dein crisin nostram aut potius Illustrissimi D. Caramuelis de vero conceptu ejus subjungemus, cum Digressione quadam Theologica.

XXXVIII. Floruere semper in alma Vniversitate Salisburgensi, quam moderantur soli Benedictini, Viri sapientiæ sale oppido conditi, e quibus unicum velut nostri ævi Phœnicem profero, is est Eximius P. Paulus

Metzger (qui cum duobus fratribus germanis, singulis SS. Theol. & Jur. DD. comprofessis in inclyto Cœnobio ad D. Petrum Salisburgi) Pro-Cancellarius mihi notissimus dum viveret; hic in Tract. de Deo uno Distinctionem Virtualem ad mentem D. Angelici explicat in hunc modum. Supponit inter Essentiam & attributa Divina necessario admittendam distinctionem quandam, vi cujus elidantur prædicata ista ex se contradictoria, *produci* & *non produci*, *generari* & *non generari*, *communicari* & *non communicari* &c. independenter ab intellectu, quam vocat *Virtualem*, quæ sit fundamentum & radix distinctionis *actualis* in intellectu.

Sed qualis illa? Tam variæ sunt, inquit, apud varios illius acceptiones & appellationes, ut jure merito a Joan. a S. Thoma dicatur *pluribus nominibus opulenta*. Nam & Scotus suam distinctionem virtualem appellat. & Mart. Esparza L. t. a. 4. quem sequitur P. Erhardt in thes. Ingolst. q. 1. §. 3. n. 29. *distinctionem mediatam seu realem in tertio* hoc nomine vestit, definitur apud P. Haunoldum, quod sit unius cum altero realiter distincto secundum formalitates diversas convenientia & discrepantia: apud cit. Esparza, quod sit identitas realis conjuncta cum discrepantia intrinseca identificatorum quoad aliquod prædicatum: apud alios aliter.

Mihi, conformiter ad mentem S. Doct. ejusque sequacium "est intrinseca eminentia divinæ perfectionis per simplicem continentiam omnium perfectionum, æquipollens distinctis perfectionibus creatis, ad diversas lineas pertinentibus; & ex hoc intellectui fundamentum præbens, varias denominationes, etiam oppositas tribuendi." Probat ass. 1. ex SS. PP. qui hujusmodi eminentem æquipollentiam crebro indicant; ut S. Dionys. c. 7. de divin. nom. ibi: "Omnia unitive est secundum unicam unitatis eminentiam, in qua omnia singulariter congregata sunt, & superunita." S. quoque August. L. 6. de Trin. c. 14. *simplicem multiplicitatem*, & *multiplicem simplicitatem* agnoscit in Deo. ac L. 15. c. 17. *nec distent in eis ista*, inquit, *sicut in nobis aliud est memoria, aliud est intelligentia, aliud dilectio sive charitas, sed unum aliquid sit, quod omnia valeat*. 2. ex ratione. Videmus ea, quæ dispersim & cum imperfectione præstantur ab inferioribus, unitim & cum illimitatione quadam præstari a superioribus: ideo anima rationalis unitim & absque distinctione actuali præbet diversas formales & intrinsecas denominationes graduum metaphysicorum, quæ tamen divisim præbentur ab inferioribus. Sol quoque sua luce unitim diversos præstat effectus, qui non nisi per virtutes actu distinctas ab inferioribus producuntur: eaque de causa illa in informando; ista in causando recte dicitur virtute multiplex. Cum igitur variæ denominationes formales sapientiæ, bonitatis &c. fundentur in rebus creatis per formas, quæ propter suam limitationem & imperfectionem accidentaliter admixtam sunt actu distinctæ: easdem denominationes absque ejusmodi actuali distinctione fundare poterunt in actu puro, ubi sunt simplicissime unitæ, ideoque intellectui creato, qui ad divinæ simplicitatis plenitudinem non attingit, fundamentum præbere, ut illas perfectiones inadæquatis conceptibus, quasi anatomice dividat, & actu distinguat, distinctis variis, etiam opposita prædicata tribuat, dummodo ejusmodi prædicata nihil limitationis importent (quam actus purus essentialiter excludit) sed ad formalem cujuslibet perfectionis conceptum & rationem pertineant.

Dixi tamen 1. Hanc distinctionem virtualem *esse intrinsecam eminentiam perfectionis* &c. ut indicarem illam non consistere in pura *æquivalentia* & *perinde se habentia* cum quibusdam distinctis; neque desumendam ex connotatione ad extrinsecos effectus, quo modo tam Philosophi quam Theologi sæpius nomine distinctionis virtutis utuntur aut abutuntur, veluti cum corpus replicatum existens Romæ virtualiter distinguunt a seipso ut existente Viennæ; vel melius, cum corpus Christi existens modo indivisibili in Eucharistia distinguunt a seipso ut modo divisibili existente in cœlo: cum eundem motum ut comparatur ad principium a quo, virtualiter distinguunt a seipso, prout comparatur ad subjectum in quo &c — Non, inquit, hæc est nostra distinctio virtualis, qua de loquimur, nam pluralitas & distinctio attributorum, ut ex S. Doct. supra patet; *est ex proprietate ipsius rei, est ex parte ipsius Dei, in Deo tanquam radice verificante has conceptiones*, imo ut idem S. Doctor in. 1. dist. 22. q. un. art. 3. & dist. 2. q. 1. a. 2. & 3. *nullis etiam creaturis existentibus, imo iis etiam impossibilibus, alia esset in Deo ratio bonitatis, alia Sapientiæ* &c. ergo hæc virtualis distinctio prius est in Deo, quam concipiatur ulla comparatio & connotatio ad effectus creatos; nec proinde est distinctio virtualis seu fundamentalis extrinseca, sed intrinseca.

Clarissime vero S. Thom. loc. cit. ab Attributorum distinctione extrinsecam connotationem removit dicens: "Quidam dicunt, quod ipsa attributa non differunt nisi penes connotata ex creaturis, quod non potest esse &c." Et ad 3. subjungit: "Nomina, quæ proprie dicuntur de Deo, quantum ad significata, sunt per prius in Deo, quam in creaturis; ut bonitas, sapientia, & hujusmodi; & horum diversitas non accipitur per respectum ad creaturas: imo potius e converso &c." Quid expressius contra connotatisticam distinctionem attributorum dici potest?

Dixi 2. *æquipollens distinctis perfectionibus creatis*, hoc est, quod divina illa virtus & eminentia hoc præstet, in præbendo nostro intellectui rationes objectivas a se invicem distinguibiles, diversimode denominabiles, & susceptivas contradictoriarum, quod præstant in rebus creatis distinctæ perfectiones, & quod præstarent in divinis eædem perfectiones & attributa si per impossibile forent inter se actu distinctæ.

Dixi tamen 3. *ad diversas lineas pertinentibus*, nam ut optime Salmanticenses tract. 4. disp. 2. dub. 1. distinctio virtualis dicit æquivalentiam plurium ut plura sunt, non ut unum sunt: alias ex parte rei conceptæ non est fundamentum rem simplicem in plura distinguendi. Sed eminentia divinæ perfectionis prout æquivalet pluribus ad eandem lineam pertinentibus (hoc est, seriem formalitatum ad unam ultimam actualitatem & objectum formale coordinatarum) non æquivalet ipsis ut plura, sed ut unum sunt: qua de causa licet divinus intellectus æquivaleat infinitis intellectibus creatis, non tamen per hoc est a seipso virtualiter distinctus. Ergo eminentia divinæ perfectionis ut æquivalens variis perfectionibus ad eandem lineam pertinentibus, non est distinctio virtualis intrinseca, seu radix unum ab altero distinguendi. Confirmatur. Quæcunque concipiuntur in Deo, debent concipi per modum actus puri & infiniti in illa linea: sed nisi aliqua ratio concipiatur pertingens a prima & infima usque ad ultimam actualitatem lineæ, non concipitur ut infinitus & purus actus in illa linea, ergo.

Notan-

Notandum omnem distinctionem in divinis admitti eo fine, ut salventur prædicata ex sa contradictoria sine contradictione; ea vero sunt quintuplicis generis. I. est, in quo essentia & attributa comparantur cum personalitatibus; e. g. Essentia communicatur Filio, Paternitas non communicatur Filio (ne quidem materialiter); ubi vides λη *communicari*, quod affirmatur de essentia, negari de personalitate. II. est, in quo attributa comparantur cum actibus notionalibus: ut Pater generat per intellectum, non per voluntatem &c. III. In quo attributa comparantur cum essentia, & e converso: ut essentia constituitur per intelligere a se, non per velle. Essentia est radix proprietatum, non attributa &c. IV. In quo attributa comparantur ad se invicem, & effectus suos formales, ut: Deus est in omni loco per immensitatem, non per æternitatem; ratio sapientiæ non est ratio bonitatis &c. Deus intelligit per intellectum, non per voluntatem. V. In quo attributa comparantur ad effectus creatos: ut Deus miseretur per misericordiam, non per justitiam &c. quæ omnia contradictoria primo intentionaliter, absque ulla afflictione secundæ intentionis, dicuntur de divinis, ac proinde pro suo verificativo ex parte conceptus objectivi distinctionem requirunt: cum ex primi illius metaphysici Principii Regula, *impossibile sit idem secundum idem esse & non esse.* Quæ umnia cootradictoria primo intentionaliter verificari debeot.

Ad hæc respondetur 1. De re, tam virtualiter quam formaliter eadem (& ex S. Doct. q. 7. de potent. a. 1. ad 5. *eadem re & ratione*) non possunt verificari contradictoria. Conc. de re quæ sit eadem realiter & formaliter, non autem virtualiter. Neg. Respondetur 2. ante omnem mentis operationem verificaotur in Deo contradictoria fundamentaliter & virtualiter. Conc. formaliter & actualiter. Neg. Respondetur 3. Negando communicari & non communicari, spirare & non spirare &c. esse contradictoria formaliter, quia non comparantur ad idem secuodum idem.

Verum iste modus salvandi contradictoria displicet Weckeno, Esparzæ, Derkenni, P. Erhardt & pluribus aliis, eumque rejiciunt universaliter. P. Rosmer (Professor itidem Salisburgen.) disp. 1. a. 5. admittit solum in quibusdam prædicatis habentibus adæquatam identitatem, & præcipue in iotellectione & volitione, in qoibus independenter a nostris conceptibus verificatur, Filium procedere per intellectum, non per voluntatem, prout habetur in Concil. Toletano II. & SS PP. præsertim S. August. L. 63. qq. ad Oros. q. 7. dicente: *Patrem voluntate non genuisse Filium, quia voluntas praire sapientiam non potest:* cumque sit identitas adæquata inter utrumque prædicatum, distinctio realis in tertio, per quam illa contradictoria, quæ cadunt super prædicata absoluta cum relativis comparata, hodie multi salvare conantur, locum non habet.

Videamus nunc qui satisfaciat hic Author argumentis Add. unde ejus elucescet ingenium. Dum igitur

XXXIX Objicitur 1. Ex illis extremis virtualiter distinctis (sive rationes objectivas, sive objicibilitates, sive conceptibilitates, aut quomodocunque nomines) vel una ratio, ut talis, est eadem cum altera, ante omnem mentis operationem, vel non. Si non, incidis in incommoda Scoticæ distinctionis; cum etiam illa ratio sit quædam realis formalitas, jam ante omnem mentis operationem una non erit altera, ac proinde erunt ex natura rei formaliter distinctæ. Si admittis esse easdem: impingis in illud principium: *Impossibile est, idem secundum idem esse & non esse.* Si distinguis, esse actu easdem, non virtute: petis principium; quid enim est aliud, non esse idem virtute, quam virtualiter distingui? Adde, quod λη *virtuale* hanc distinctionem alienet, & extrahat a ratione veræ & propriæ distinctionis, ac relinquat omnimodam identitatem; nec proinde quidquam faciat ad evitandam difficultatem illius primi principii methaphysici.

Respondet laudatus Autor tertio modo, nempe illas rationes actu esse easdem, sed virtute diversas. Nec ideo peti principium, quando quæretur per idem, respondetur per idem. forte alludere volens ad illud Baldi? stulte quærenti, rustice respondendum est. Quid enim aliud est quærere, sintne aliqua extrema eadem, vel non? quam quærere sintne distiocta vel indistincta? Quemadmodum ergo quærenti, num sint distincta vel indistincta, respondendum est, esse distincta virtualiter; actu iodistincta: ita quærenti num sint eadem, vel non, recte pariter respondetur, esse eadem actu, virtute plura.

Ad Additamentum. Resp. Quamvis λη *virtuale* sit terminus alienans, nihilominus distinctionem virtualem esse convenientissimam ad salvanda contradictoria. Fatetur insuper ingenue in Corollar. 4. cap. 2. §. 2. thesium distinctiooem suam Virtualem extrahi a ratione veræ distinctionis, eique propter inclusam simplicissimam identitatem opponi: Verba ejus sunt hæc: Distinctionem virtualem, quam inter attributa divinamque essentiam statuimus, recte appellari realem intrinsecam, non tamen actualem, vel formalem. Realis intrinseca est, quia ponitur in intima virtute & perfectione objecti, quam consequitur æquipollentia cum pluribus ut plura sunt; non est autem actualis vel formalis, quia τὸ *formale* absolute prolatum formalizat, & τὸ *actuale* actualizat distinctionem, ut advertit Cacheranus c. 3. §. 5. Nostra autem virtualis distioctio, noo significat extrema actu & formaliter distincta, cum per λη *virtuale* ceu terminum alienantem, extrahatur a ratione veræ distinctionis, eique propter inclusam simplicissimam identitatem opponatur. Quod si velis τὸ *actuale* non cadere supra distinctionem, sed supra rem vel existentiam rei virtute distinctæ; uti etiam τὸ *formale* cadere supra formalitates, non supra distinctionem, litem movebis de nomine, & in re quidem nobiscum senties [quis enim dubitat infinitam Dei perfectionem actu & formaliter esse in Deo?] aberrabis autem a communi labio & modo loquendi.

XL. Si Objicias 2. cum Esparza. Si daretur intrinseca talis distinctio virtualis, tunc vi ipsius posset prædicatum reale, quod affirmatur de una perfectione, cum veritate realiter negari de altera e. g. amor, qui in hac propositione, *voluntas amat*, affirmatur de voluntate, posset in veritate negari de intellectu per hanc propositionem *intellectus non amat*, sed hoc dici nequit. Resp. dist. maj. posset prædicatum reale negari secundum identitatem realem actualem. N. secundum realem virtualem. Conc. & hoc modo negatur de intellectu, non secundum identitatem realem actualem, sed secundum identitatem realem virtualem, & est sensus: eandem indivisibilem essentiam, in quantum continet explicitam rationem voluntatis, & æquivalet creatæ voluntati, sic Deum denominare forma-

liter amantem, quod non præstat, in quantum continet explicitam & reduplicatam rationem intellectus, & intellectui creato æquivalet.

Instabis. Distinctio virtualis debet esse verificativum propositionis negativæ, quo modo illam verificaret actualis distinctio extremorum, si daretur, est enim æquivalentia cum distinctione actuali: sed realis actualis distinctio faceret, ut propositio negativa negaret identitatem actualem, ergo etiam distinctio virtualis debet facere, ut propositio neget identitatem realem actualem. Resp. Neg. maj. æquivalentia enim, quam habet distinctio virtualis cum actuali, non in hoc consistit, quod sit omnimoda paritas in modo verificandi propositionem negativam; sed in hoc, quod sicut distinctio actualis præbet plures objectivas rationes correspondentes utrique modo contradictionis, & per consequens ipsam contradictionem tollentes; ita etiam per distinctionem virtualem cuilibet membro contradictionis in una re simplici offeratur sua ratio objectiva non exprimens omnem identitatem, & sic tollens ipsam contradictionem.

XLI. Objic. 3. Ea quæ sunt inter se, sunt idem, eorumque quoque omnia realia prædicata sunt idem; sicuti quia Petrus est secum idem, omnia quoque realia prædicata Petri sunt idem cum Petro: sed quodlibet attributum divinum est adæquate idem cum altero, ergo etiam omnia realia prædicata unius identificantur cum realibus prædicatis alterius, & consequenter reale prædicatum amoris, quod identificatur cum voluntate, etiam identificatur cum intellectu divino. Resp. dist. eorum prædicata sunt idem eo genere identitatis, quo ista sunt idem. C. alio. N. sed quodlibet attributum divinum est idem cum altero in genere identitatis realis actualis. C. virtualis. N. min. & consequentiam.

XLII. Objic. 4. Contradictoria oppositio est major, quam relativa; sed relativa requirit in divinis realem distinctionem, ergo & contradictoria. Resp. maj. esse veram, ubi vera & non solum apparens est contradictio; in Deo autem contradictoria admittere vera, est Deum facere chymæram: apparens autem quævis contradictio tollitur & evanescit per distinctionem virtualem; alias esset distinctio virtualis, utpote æquivalens actuali, & non esset: quia non amplius æquivaleret. Econtra relativa oppositio formaliter manet in divinis manente videlicet relatione mutua, ejusque fundamento, quod est producere & produci.

Instabis. Distinctio virtualis intrinseca potest tollere oppositionem contradictoriam, ergo & relativam: si enim distinctio virtualis intrinseca inter intellectionem & volitionem sufficit ad salvandam & tollendam oppositionem contradictoriam inter hoc duo prædicata, Filius procedit per intellectum, non per voluntatem, cur non per similem virtualem intrinsecam distinctionem inter divinas personas tolli poterit oppositio relativa, inter hæc duo prædicata, esse producentem & esse productum, ut dici possit, Patrem ut intrinsece virtualiter distinctum a filio, sic esse producentem; & eundem ut similiter intrinsece virtualiter distinctum a Patre sic esse productum. Sed hinc everteretur totum Mysterium SS. Trinitatis. Resp. Neg. paritatem. quia formæ, de quibus in divinis prædicantur contradictoria compatiuntur simplicissimam & actualissimam identitatem, quam distinctio virtualis intrinseca essentialiter importat. At vero realis & non tantum virtualis productio (qualem Fide credimus in divinis) tollit realem identitatem, non ponit, eo quod nihil possit realiter producere seipsum (qua de causa Concilia, & SS. PP. realem Personarum distinctionem & processionem refundunt in productionem) & consequenter evertit conceptum distinctionis virtualis. Hucusque Clarissimus P. Paulus Metzger.

XLIII. P. Thomas Mlodzianowski S. I. in Prælect. Metap. Tr. 1. Disp. 3. n. 177. definit Distinctionem Virtualem, esse Æquivalentiam unius ejusdemque indivisæ entitatis ad plura seorsim reperibilia. Estque duplex: una in ordine ad secundas intentiones & prædicata logica. Et hæc datur in creatis. Alia in ordine ad primas intentiones & ad prædicata physica, ut produci & non produci, communicari & non communicari &c. & hæc antonomastice vocatur *distinctio virtualis* in sola SS. Trinitate reperibilis. Nam Paternitas nequidem identice communicatur filio. Suarez. T. 2. Met. Disp. 2. n. 156.

SUBSECTIO IV.

De vero Distinctionis virtualis conceptu.

XLIV. Si meam, ait Profundissimus Caramuel, vis audire sententiam in quæstione de nomine; *Distinctionis Virtualis* nomen a tota Philosophia & Theologia Scholastica expungi velim: est enim *morale* vocabulum, nec aliud præstare poterit a proprio loco extractum & alieno implantatum, quam mentem confundere, & ethica permiscendo physicis scientias speculativas perturbare. Ita sentit Caramuel, quin nil dicit, quod non probet, in Metalog. Lib. 3. de Distinct. Disp. 5. art. 1. in fine.

Itaque *Distinctio virtualis*, sicut & virtualis identitas, moralis quædam res est, non realis. "Porro distinguuntur virtualiter, quæ vere & realiter non distinguuntur: attamen prudentum opinione & Decreto ita se habent, ac si realiter distinguerentur. Identificantur virtualiter, quæ tametsi vere & realiter distinguantur, nihilominus prudentum judicio & decreto ita se habent ac si realiter identificarentur." Exemplo sint: Matrimonium Contractus sacramentalis est, & in probabili multorum sententia, dicit pro materiali utrumque corpus, quod traditur mutuo; & pro formali utriusque contrahentis consensum signis exterioribus indicatum. Et tamen, tam ex parte formæ, quam ex parte materiæ, multa dicit, quæ realiter distincta sunt, & tamen moraliter aut virtualiter identificantur: est enim unicum Sacramentum, & unica forma, unica materia debet confici. Corpus igitur utriusque Conjugum transit moraliter in simplex corpus, eruntque duo in carne una, non quidem realiter sed moraliter seu virtualiter. Et utriusque consensus constituit virtualiter unum consensum, qui est forma hujus Sacramenti.

Vidimus *virtualem Identificationem*: expendamus exemplum distinctionis virtualis. Augustissimus Josephus Romanorum Imp. Rex Hungariæ & Bohemiæ &c. unica persona est realiter, virtualiter triplex, quia idem præstat quod 3 personæ distinctæ, Cæsar, Rex Hungariæ, Rex Bohemiæ singulatim, præstarent. Unicum Ducatum sume, & habebis multiplicem virtualiter, æquivalet enim 3 aut pluribus florenis juxta Decretum Regis. Unus florenus æquivalet 60. cruciger,

cigeris, & sic de cæteris in genere monetarum earumque valore morali.

Totam hanc doctrinam illustrat Catholicum Dogma de Confessionis Sacramento, in quo non semel virtualis identificatio, & non semel virtualis distinctio reperitur. Primo enim Sacerdos, qui auctoritate legitima exponitur, & nomine Dei pœnitentium peccata excipit, virtualiter loquendo est Deus, solius enim Dei est peccata hominum remittere, & tamen Sacerdos ait: Ego te absolvo ab omnibus peccatis tuis. Hinc est quod eo sensu, quo Sacerdos Deus est, illo non est creatura: & hanc ob rem Sacerdos qua Deus, distinguitur a semetipso qua homine; non quidem realiter, sed virtualiter & moraliter.

Vnde nascitur, peccata dicta Confessario qua Deo, non posse revelari ab eo qua homine; quia Petrus qua homo, nullius confessionem excepit, & qua homo, nullius peccata confessa scit: & si diceret se illa audivisse vel scire, mentiretur; illa enim quæ scit, qua Deus, nescit qua homo, & peccaret omnino si participatione idiomatum abuteretur. Nam Christus realiter est Homo-Deus, & tamen licet qua Deus sciret diem Judicii, qua homo tamen ignorare se fatetur Marci 13.32. ibi: de die autem illo vel hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque filius, nisi Pater. Et hanc ob rem Petrus, tametsi peccata sibi concredita novit qua Deus, eadem nescit qua homo, & extra sacramentalis pœnitentiæ tribunal, si agatur de illis, veraciter dicit se nescire, & mendaciter diceret se scire. Eadem enim & scit & nescit, quia a seipso distinguitur virtualiter: & hanc distinctionem sufficere ut duo prædicata contradictoria verificentur, certum est; quia cessat ratio contradictionis, quæ in casu dato non est affirmatio & negatio de eodem subjecto omnino simplici, sed virtualiter duplici.

DIGRESSIO THEOLOGICA.

An in Divinis reperiatur Distinctio virtualis?

In hac quæstione enodanda more suo subtilis est Caramuel, ideoque attentum requirit Lectorem, quo cum

XLV. Præmitto discursum parallelum inter distinctionem rationis ratiocinatæ & ratiocinantis (quæ sunt intellectus) & inter distinctiones Voluntatis illis correspondentes. Virtualis enim distinctio, non est distinctio Rationis, sed distinctio voluntatis. Quamobrem sicut datur distinctio rationis raciocinatæ, & distinctio rationis ratiocinantis, debebit, analogia servata, dari distinctio *Voluntatis volita*, & *voluntatis volentis*. Quod sic intellige:

Distinctio rationis ratiocinatæ est distinctio formalitatum objectivarum. Hanc, stando fundamentis Scoti, mens non facit, sed reperit in objecto, & repertam considerat; & non opponitur reali, nisi dicatur vel subintelligatur, *solius rationis vel pura*: quæ enim realiter distinguuntur, etiam ratione ratiocinata distinguuntur, non tamen sola ratiocinata; & quæ formaliter realiter distinguuntur etiam formaliter ex natura rei distinguuntur, sed non solum, seu non pura formali ex natura rei.

Consulto autem ponitur, *vel subintelligatur*, quia jam usus obtinuit, ut illa ratione ratiocinata (idem est de formali ex natura rei) dicantur absolute distingui, quæ sola ratione (ex natura rei tantum) distinguuntur.

Est igitur *distinctio rationis ratiocinata*, distinctio concepta qua talis: & ut talis sit, debet esse prius distinctio vera (realis, formalis, potentialis, ex natura rei, aut alia similis) & hoc ante omnem mentis operationem.

Nam inter animalitatem & rationalitatem ante mentis operationem datur juxta meum Ioannem Marcum [fuit Medicus insignis Pragæ coætaneus & amicissimus Caramuelis] distinctio realis; juxta Scotum distinctio ex natura rei, juxta D. Thomam fundamentalis &c. quæ sunt distinctiones, rationum ratiocinatarum, hoc est formalitatum objectivarum & cognoscibilium, quæ cognosci possunt & solent ab intellectu, qui formaliter recogitat.

XLVI. *Distinctio rationis ratiocinantis* consistit, non in rationibus ratiocinatis seu formalitatibus objectivis, sed in rationibus ratiocinantibus seu in actibus mentis formalibus, & hanc ob rem dicitur fieri ab ipso intellectu, nimirum clarius aut obscurius cognoscente idem objectum: aut etiam idem objectum cognoscente & non cognoscente: & hoc ipsa reduci potest [ut supra ex Ptolomæo vidimus] ad realem extrinsecam, quæ pendet a diverso respectu ad connotata.

Hinc juxta RR. sententiam, qui dicunt Vniversale esse omnia particularia confuse cognita, *omnes homines singulares, homo universalis* ex parte objecti coincident: uterque enim actus universos homines attinget, & utrumque objectum universos homines complectetur. At differet unum objectum ab altero distinctione rationis ratiocinantis ita, ut tota distinctio se teneat ex parte nostri intellectus; nam iidem homines distincte cogniti sunt multa individua, & iidem confuse cogniti sunt unus homo universalis.

Analogice de Voluntate sic philosophabimur. *Voluntas*, sicut & *Ratio*, jam pro objecto, jam pro actu formali sumitur. Nam cum dicimus in oratione Dominica: *fiat voluntas tua*, non dicimus quod fiat volitio Dei, sed res ipsa a Deo volita. Ergo distinctio *voluntatis volita* erit distinctio objectiva, quæ non fiat a voluntate, sed præexistat, & ab ipsa volita denominetur. At distinctio *voluntatis volentis*, se tenebit tota ex parte voluntatis. Nam quando Ioannes ait: fuerer Amaryllide, si non esset ægrota: non facit distinctionem, sed reperit: quia ante hunc actum voluntatis, aliud est esse Amaryllida, & aliud esse ægrotam, & hæc distinctio est objectiva & *voluntatis volita*. At quando Anselmus ait: volo furari, nimirum primo consensu semipleno, & postea etiam consensu pleno, furtum volitum differt a furto; non objective [suppono enim utrumque actum versari circa idem objectum] sed formaliter hoc est distinctione *voluntatis volentis*. Quid clarius?

XLVII. Iam ulterius. Datur in Mente *præcisiva distinctio*; & huic correspondet præcisiva altera in voluntate. Explico. Tunc mens præscindit quando v. g. affirmat de Petro quod sit probus, an autem doctus sit, nihil affirmat aut negat: nimirum quando Thomista aut Scotista cogitat seu cognuscit animal, & non cognoscit rationale, aut quidquam de illo cogitat: ergo tunc voluntas præscindit, quando vult hoc; illud autem nec vult, nec nonvult. Pono exemplum in Antonio dicente: Da mihi unum equum, modo sit velox: sit niger aut albus aut cujuscunque coloris. Nam Antonius vult equum, vult velocitatem: albedinem nec vult nec nonvult, sed ab illa præscindit.

Defectu hujus doctrinæ misere oberrant illi, quia actum attritionis condemnant. Datur enim attritio

præcisiva,

præcisiva, & negativa, & datur affirmativa. Ex dono Spiritus sancti prima est: secunda ex suggestione dæmonis; tertia est vera Contritio. In exemplo: Dicis, *nolo lascivire, ne ad infernum condemner.* Et inquiro: quid autem faceres, si non esset infernus, & nihilominus esset Decalogus? si diceres: *hanc voluntatem habeo, quia datur infernus: at si ille non daretur, etiam eandem haberem propter amorem Dei:* ostenderes hanc attritionem esse affirmativam, & cum contritione coincidere. Quod si nemo a te peteret, quid faceres si non esset infernus? nec hoc menti occurreret; aut si occurreret, voluntas maneret suspensa: tunc esset *attritio præcisiva*. & ex dono Spiritus sancti, ex se quidem insufficiens ad delenda peccata, & tamen eadem deleret Sacramento Pœnitentiæ conjuncta; hæc enim attritio præcisiva a Dei liberalitate habet, quod tametsi non sit vera contritio, ita tamen se habeat in pœnitentiæ Sacramento, ac si contritio vera esset; ac propterea attritionem præcisivam conjunctam Sacramento Pœnitentiæ esse Contritionem *virtualiter.*

XLVIII. Hinc patet imprudenter Confessarios inquirere a suis Pœnitentibus quid facerent si daretur talis vel talis occasio vel hypothesis: ratio est, quia pœnitentes sæpe habent volitionem præcisivam bonam & sufficientem; exponuntur autem periculo, si proponantur occasiones aut circumstantiæ, vi quarum sint mutaturi voluntatem.

XLIX. Vlterius comparare licet Voluntatem cum Intellectu *improprie cognoscente*, puta cum rem per species alienas sibi repræsentat v. gr. Deum Patrem per modum Senis; Angelos per modum Juvenum formosorum & alatorum &c. quem Lingue imitatur per tropos & metaphoras dum segetes ridere, luxuriari prata, cœlum plorare dicit: hominem leonem, agnum aut columbam pronuntiat. "Cognitio igitur improprie illa est, qua cognoscitur res aliter "quam in se est: nimirum cum non est res, qualis cognoscitur; attamen de illa ita philosuphamur, ac si, qualis cognoscitur, esset." Sic ut Prædestinationis & Providentiæ arcana cognoscamus, cum non possimus Deum intelligere ut est, concipimus illum per modum Principis pientissimi & potentissimi, & de ipso sicut de tali Principe philosophamur.

At *Dictio impropria est aliena & per extrinsecam aliquam similitudinem assumpta*, ut, cum anima dicitur navis, tunc enim metaphora postulat, ut Mundus dicatur Oceanus, Ratio gubernaculum, affectus vela, Spiritus sanctus aura, Cœlum portus &c. Hæc omnia ad Voluntatem transferri possunt solentque; amat enim aliqua homo per species alienas, cum jubet alienigenam ita se habere, ac si esset civis: & tunc dicitur alienigenam donare Civitate: aut extraneum ita se habere ut filius, & tunc dicitur extraneum adoptare. Hæc voluntas improptia est, & a JCtis *Fictio juris* vocatur, & ex ipsa omnes *virtualitates* oriuntur. Hæc autem differentia inter intellectionem impropriam, & volitionem impropriam intercedit, quod illa necessaria sit, hæc libera: illa speculativa, hæc practica. Huic discursui pararello duas subjicit Positiones

L. I. Ideo concipio, & lingua expono fortem hominem, licet leo non sit, leonis specie, quia idem aut similis effectus, qui a leone, etiam ab homine forti provenit.

LI. II. Ideo volo Petrum meum esse filium, tametsi meus filius non sit, [hoc est, ideo eum adopto] quia volo ut iidem omnino effectus, quia a meo filio provenirent, ab eo proveniant. Vt vel ex his cognoscas volitionem impropriam a cognitione impropria differre, ut practicum a speculativo: nam impropria cognitio aut locutio sumitur plerumque ab effectibus; & impropria volitio est, a qua effectus ipsi desumuntur. Hinc ad quæst. propositam [illegible]

LII. Patet 1. Virtualitates posse dari in Deo post libera voluntatis suæ aut humanæ Decreta. Dedicamus Deo templum: dominium hoc speciale quod Deo advenit per dedicationem, moralitas & virtualitas quædam est, orta ex liberalitate & devotione consecrantis: & impotentia quæ est in Deo [sit fas ita loqui] ad destruendum secundo diluvio totum Orbem, non est realis & physica (realiter enim potest) sed est virtualis & a pacto suborta.

Patet 2. Nisi vocibus abuti velimus, non dari in Deo, ante omne voluntatis [divinæ aut humanæ] Decretum, vel minimam virtualitatem.

Patet 3. Male exponi actus liberos Dei per mutationem virtualem, ita ut Deus realiter non mutetur ratione actus liberi, ita tamen se habeat ac si realiter mutaretur. Ratio est, nam essentia actus liberi, quæcunque illa sit, non est virtualis aut moralis & a libero decreto pendens, futura alia, aut forte non futura, si aliud fuisset decretum: sed est res indispensabilis & necessaria, quæ non potest aliter se habere, non enim reales rerum essentiæ pendent a libero arbitrio voluntatis. Vt hoc melius intelligas, produco Petrum dicentem: *Hominem esse virtualiter equum.* Non acquiescis, & audire vis rationem. Petrus hanc affert: quod equus sentit hinnibiliter, & homo, tametsi non hinniat, sentit ac ita se habet ac si hinniret. At tu merito omnia rejicis, & dicis sensibilitatem esse genericum quid respectu hominis & equi, nec in suo conceptu involvere hinnibilitatem aut rationalitatem.

LIII. Hac doctrina instructus audire vis aliquos Thomistas dicentes Deum in actu libero mutari virtualiter. Homo, inquiunt, mutatur realiter cum intelligit, nec aliter intelligere potest quam se mutando. Sed Deus intelligit, nec tamen realiter mutatur, ergo ita se habet ac si realiter mutaretur, ergo mutatur virtualiter. Concedo Deum & hominem intelligere. Hunc intelligendo mutari condono: illum non mutari, fateor; & infero, de intellectionis conceptu, nec mutationem esse, nec non-mutationem, sed intellectionem esse conceptum communiorem & universaliorem, tamque posse dici Deum, licet realiter immutabilis sit, mutari virtualiter cum intelligit, quam hominem, licet de facto mutetur realiter, esse nihilominus virtualiter immutabilem: quia si Deus idem facit sine mutatione, quod homo cum mutatione, & ideo mutatur virtualiter: etiam homo quando cum mutatione idem facit quod Deus, sine mutatione (hoc est intelligit) ideo deberet dici mutari realiter, at esse immutabilem virtualiter: & per consequens homo esset Leo virtualiter, & Leo esset homo virtualiter, nam uterque sentit: Et ut verbo dicam, species omnis de conspecie virtualiter verificaretur; quæ omnia absurda sunt, & tamen inaudice e multis cæcis oculis admissa & propugnata.

Patet 4. *Non bene concedi in Divinis, inter Essentiam & Personalitates aliquam distinctionem virtualem* (dico aliquam, id est, sive majorem sive minorem voces).

Demon-

Demonstraturus hanc veritatem Caramuel argumento duplici, communi & speciali, attentam lectionem exorat. Primo igitur sic inquit: Quidquid est in Trinitatis mysterio, non dependet à libero Decreto Dei aut hominis; at virtualis distinctio dependeret à libera voluntate E. Si neges minorem, abuteris vocibus, aut intelligis aliquam distinctionem ante operationem illius, quam nos formalem aut fundamentalem appellamus.

LIV. Dices. De Petro & Paulo realiter distinctis verificantur aut salvantur duo contradictoria prædicata, ut cum dicimus: Petrus est summus Pontifex: Paulus non est summus Pontifex: atque etiam prædicata contradictoria salvantur de Paternitate & Divinitate: nam Divinitas communicatur, & Paternitas non communicatur, & tamen paternitas & divinitas non distinguuntur realiter, ergo ita se habent ac si distinguerentur realiter, ergo distinguuntur virtualiter.

Resp. Argumentum urgere si *ideo* de Petro & Paulo verificarentur duo prædicata contradictoria, *quia* distinguuntur realiter. (sed hæc causalis negatur). Sicut si ideo equus sentiret, quia est hinnibilis, & tamen homo, quia hinnibilis non est, sentiret; forte posset homo dici habere hinnibilitatem virtualiter: at equus non sentit, quia hinnibilis aut quatenus talis, sed qua animal, ergo nec homo est virtualiter hinnibilis, nec equus est virtualiter rationalis; sed uterque formaliter & vere est animal. Rem tene & ad prædicata contradictoria revertere. Vt contradictoria verificentur (aut melius, ut ostendatur non esse, nisi apparenter contradictoria) non requiritur distinctio virtualis, sed distinctio (& eo sensu quo formaliter distinguuntur, eo sensu subjici possunt prædicatis contradictoriis) ergo si de Petro & Paulo distinctis *realiter*, & de Paternitate & Essentia non-distinctis realiter, verificantur contradictoria; dicendum omnino est esse extra distinctionis conceptum, distinctionem realem, & duabus formalitatibus ex natura rei distinctis posse aliquando accidere quod realiter distinguantur, & realiter non distinguantur. Et in Divinis inter Paternitatem & Essentiam veram distinctionem, dari: physicam & realem non dari: Illam *veram*, non debere vocari *virtualem*, quoniam virtualis non est vera [nam & Legistæ omnes virtualitates, *fictiones jurium* nuncupant; non enim sunt, quales dicuntur, sed tamen a voluntate habent, ut prudentum æstimatione ita se habeant, quoad praxim, ac si essent quales dicuntur & denominantur.] Sed quo nomine insignietur illa vera distinctio? *Formalis* nominari poterit, quia non est rerum, aut realitatum, sed formalitatum; *ex natura rei*, quia se tenet ex parte objecti, nec ab intellectu fingitur aut formatur. Fundamentalis, quia præbet fundamentum ut concipiatur. *Præcisiva* quia una formalitas potest concipi sine altera. *Rat onum*, quia est distinctio inter formalitates, quæ vulgo rationes nominantur. vide quæ supra subsect. 2. de diversa acceptione *Rationis* ex Armando adduximus. num. 28. *Rationis ratiocinata*, quia est rationum non formalium sed objectivarum.

Secundo arguit Caramuel a circulo vitioso, a quo hi Authores se extricare non possunt. Peto enim ab ipsis, quid sit *Distinctio virtualis?* & respondent, esse id ratione cujus salvantur duo contradictoria prædicata. Subpeto, cur in divinis hæc salvantur? & respondent salvari, quia inter Paternitatem & Naturam divinam intervenit virtualis distinctio. Hæc Caramuel.

LV. Prædicata contradictoria circa Mysterium ineffabile SS. Trinitatis verificari, docet Fides: Deum in sua essentia involvere contradictoria qui diceret, non Deum verum, sed Chymæram assereret: ergo ab omnibus concedi debet aliquod medium distinctionis quo illa contradictio elidatur, quomodo nempe prædicata hujusmodi non cadant super idem, sub eadem ratione &c. prout ad vere & proprie dictam contradictionem requiritur juxta principia Dialectices. Excussimus unam & alteram distinctionem, restat ut celeberrimam Scotistarum expendamus.

SVBSECTIO V.

De Distinctione Formali ex natura rei.

LVI. Celeberrima hæc a Scoticis propugnata Distinctio, quo graviores patitur insultus, eo videtur reddi clarior, & sublimius eminere. Et quamvis Doctor subtilis de hac distinctione non sine scrupulo locutus fuerit, ut in 2. Dist. 2. q. 7. §. *sed hic restat:* ubi dicit: "Dico sine assertione & præjudicio sententiæ,, melioris, quod ratio, qua formaliter suppositum est,, incommunicabile, & ratio essentiæ ut essentia, habent aliquam distinctionem præcedentem omnem,, actum intellectus creati & increati.,, Alibi etiam dubie, varia illi nomina imponens, teste Arimin. in 1. dist. 8. q. a. 1. & modo *distinctionem virtualem; aliquando distinctionem secundum quid; quandoque autem non-identitatem formalem appellans:* Verba Scoti sunt hæc: "Potest autem vocari differentia rationis,, non quod ratio sumatur pro differentia formali [seu,, ficta] ab intellectu, sed ut ratio accipitur pro quidi-,, tate [seu conceptu objectivo] secundum quod quidi-,, tas est objectum illius.,, Mediam tamen distinctionem inter Realem stricte, & rationis [sumendo τὸ ratio pro conceptu formali intellectus] quæ actu detur inter duas formalitates (ex parte objecti se tenentes) ante omne opus intellectus (quam hodie vocant distinctionem formalem ex natura rei, & quidem *puram*) clare asserit in 1. dist. 8. q. 3. §. *ad quæstionem*, ubi hæc habet: "Est ergo ibi (in Divinis) distinctio tertia præcedens intellectum omni modo; & est ista:,, quod Sapientia est in re ex natura rei, & bonitas est,, in re ex natura rei: Sapientia autem in re formaliter,, non est bonitas in re.,, Similia habet dist. 2. q. 1. §. *breviter igitur*. Ita Scotus & ejus asseclæ, quos Thomistæ & Nominales acerrime persequuntur, sed verbose magis quam solide, ut ex mox dicendis palam fiet. Nobis, quid verosimilius videatur, ita conabimur tradere, ne subtilitas argumenti pariat obscuritatem; præmittemus ergo certa & quæ in controversiam vix venire possunt; dein radicem ipsam controversiæ enucleabimus, argumenta pro & contra cum subtilibus Scoticorum responsis dabimus.

LVII. Conqueritur juxta Crisin suam Caramuel se nullibi genuinam hujus distinctionis definitionem apud Scotistas reperisse. Apud Thom. Mlodzianowski Prælect. Met. Tr. 1. Disp. 3. q. 6. num. 408. lego istam: *Est alietas duarum rationum & formalitatum objectivarum intra unam eandemque realitatem*. Idem Author ibid. num. 415. & 416. dividit formalitates in *formales seu essentiales, proprias & accidentales*. *Formales* sunt, inquit, Gradus metaphysici, ita dicti, quia sicut per gradus ascenditur & descenditur, ita ab

Nn inferio-

inferioribus prædicatis v. gr. a rationalitate ad sensitivitatem tanquam ad superius prædicatum, & econverso a superioribus ad inferiora transitur. Formalitates autem *propriæ* sunt, proprietates entis metaphysici, ut risibilitas, relationes transcendentales & secundarii conceptus. *Accidentales* autem formalitates sunt accidentia metaphysica ad quintum prædicabile pertinentia. Rursus dividit formalitates in *Negativas* ut Aseitas, & Positivas, ut abaleitas. Dividit item formalitates ad intrinsecum, ut simitas, & ad extrinsecum, ut Coena. Item dividuntur formalitates Scotisticæ in quidditativas & modales. Formalitates quidditativæ sunt rationes tales, quæ extrahunt naturam, cui adveniunt, extra suum gradum; ita rationalitas extrahit gradum animalis ad esse hominis. Formalitates autem modales non extrahunt: & ita Existentia addita Essentiæ non extrahit essentiam ultra gradum essentiæ.

Dividuntur ulterius Formalitates Scoticæ in formalitates extrinsecus advenientes, & intrinsecus advenientes. Extrinsecus advenientes sunt per Scotum 6. posteriora Prædicamenta. Hæc ex P. Mlodianowski.

Sed quid proprie Formalitas? Respondet P. Stümelius ord. S. Franc. reform. p. 113. *Formalitas est denominabilitas objectiva.* Et hæc vel pure intrinseca, vel extrinseca. Intrinseca est rei inadæquate-sumptæ perfectio, incapax secundum se terminandi propriam sui causalitatem physicam, faciens tamen proprium effectum formalem, seu proprie ratione determinans tale esse.

Videtur Stümelius hæc verba ex Mastrio descripsisse, qui Disp. 6. Met. q. 7. art. 2. num. 161. eodem modo tradit: Formalitas autem sive realitas est positiva rei inadæquate sumptæ perfectio, propria ratione determinans ad tale esse, seu faciens proprium effectum formalem, incapax existendi aut subsistendi per propriam existentiam aut subsistentiam, sed existens per existentiam illius rei, cujus est aliquid per identitatem. Aliter, Realitas (formalitas) est, quæ in se præcise considerata non est res, quia non habet talem essentiam, cui propria correspondeat existentia, & ideo neque etiam physicam potest terminare causalitatem, sed est aliquid rei, non quomodocunque ad modum partis, sicut materia & forma sunt aliquid compositi, sed est aliquid rei per identitatem, quatenus est aliquis gradus essentiæ rei, seu perfectio positiva rei inadæquate sumpta. Ita Mastrius l. cit. n. 161.

Itaque nomine Formalitatis intelligunt Scotici omnes gradus metaphysicos, generis & differentiæ; item omnes animæ potentias, rerumque proprietates & passiones, quibus addunt modos rerum intrinsecos, ut sunt existentia, finitas & infinitas rerum, quemadmodum prius sub nomine rei comprehenderunt etiam modus extrinsecos.

LVIII. Ex his deducitur quidnam per distinctionem Formalem stricte loquendo & puram intelligant Scotistæ, nempe illam quæ intercedit inter plures formalitates, quarum una ante omnem negotiationem intellectus, in suo conceptu objectivo, quem habet ipsa a parte rei, non communicat cum altera. Ita in terminis P. Reginaldus Schöttl. Controv. 1. num. 1.

Dixi stricte loquendo, si enim stemus Definitioni Fonsecæ tom. 2. Met. Lib. 5. c. 6. q. 6. sect. 2. *Distinctio ex natura rei est, qua aliquid ab aliquo distinguitur præcisa omni operatione intellectus*, comprehendit etiam distinctionem realem, quod nec diffitetur Fonseca; hinc mox illam dispescit in 3. genera, nempe in *Formalem, modalem & potentialem.* Rursumque formalem, in *formalem essentialem*, & *puram formalem.* Formalem essentialem vocat, qua distinguuntur diversæ essentiæ entitatesve, sive simplices sive compositæ: & ea quæ habent diversas essentias sive entitates, ut ita sunt affectæ inter se, ut aliquid essentiæ entitatisve includatur in uno, quod in altero non includitur. *Formalis* autem *pura* juxta Fonsecam, sive formalis non-essentialis est, qua distinguuntur suis formalibus rationibus objectivis duo quælibet entia non diversæ essentiæ, aut ita affectæ inter se, ut nullam essentiam entitatemve includat unum, quod alterum non includat.

Hinc infert, Divinas personas & relationes personales inter se distingui formaliter pure: nam etsi, ex natura rei, suisque formalibus rationibus objectivis, imo etiam realiter distinguantur ut entia realia relativa: non sunt tamen diversæ essentiæ, nec aliquid essentiæ includit una, quod non includat altera: alioquin non essent ejusdem omnino perfectionis. Non distinguuntur tamen hoc pacto ab essentia divina, sive personæ ipsæ, sive personales relationes; neque item attributa divina inter se, quia sunt ex natura rei distincta entia entitatesve, aut distinctæ entitates, etiamsi nostro intelligendi more sumi possint ut distincta entia entitatesve distinctæ. Ita visum Fonsecæ: Itaque Distinctio formalis, quam Caramuel vocat *umbram* distinctionis realis, eandem sortitur distributionem, quam realis. Formalitates enim (quas & realitates alii vocant, sumpto vocabulo diminute a re, & a forma totius) seu aliquidates dicimus rationes objectivas pertinentes ad eandem entitatem realem. Si sint duæ negativæ, dabitur distinctio inter illas *formalis negativa.* Quoniam ergo in conceptu rationalitatis, nec clauditur primalitas nec Hæcceitas, erunt duæ negationes istarum formalitatum, quas liceat vocare formalitates negativas. Sed de his non fit in Scholis mentio.

LIX. Distinctio formalis positiva, dividetur in eam, quæ est similis Reali, & in eam, quæ est similis Modali. Prior inter duas formalitates independentes erit, quarum alterutra sine altera concipi potest: tales sunt in sententia Thomistarum animalitas & rationalitas; apud Scotistas intellectus & voluntas. Posterior est inter Modos formales, quales sunt passiones Entis in multorum Juniorum opinione, cui stando Veritas & bonitas distinguuntur formaliter, nimirum pure modali distinctione. Et Ens Veritasque (aut Ens Bonitasque) distinctione formali mixta, ut Res a Modo; quia licet ens possit concipi & abstrahi a veritate & bonitate, non autem possunt veritas & bonitas concipi sine ente. Hæc doctrina, inquit Caramuel, vera est, a paucis vero scita; a paucioribus dilucidata. Hos inter paucos est D. Edmundus Schnider Cistercien. in Philosophia Rationali, pag. 74. agens de Categoria ad aliquid, sic inquit: "Relatio prædicamentalis est modus (entitas modalis, respectiva, relativa, modalitas, ens modale, sunt æquipollentes & convertibiles termini. Kimmet pag. 677.) accidentalis realis metaphysicus, cujus totum esse est esse ad aliud," Conformiter Aristoteli, qui cap. 7. de Relatis ait: *Ad aliquid ea dicuntur, quæcunque id quod sunt, aliorum esse dicuntur, vel quocunque alio modo ad aliud referuntur*, hoc est, Relativorum essentia est aliud respicere, quocunque tandem casu ille respectus exponatur.

Sed

Sed cur Modus Metaphysicus dicitur? Quia subjectum sine relatione concipi potest, non econtra relatio sine subjecto, quod refert. Plane sicut de Modo physico quoad separationem realem non mutuam dici solet. Est vero accidentalis modus, quia ad essentiam fundamenti vel ejus complementum non pertinet, sed in esse perfecte constituto, metaphysice accidit: quo differt a Relatione transcendentali, quæ entitatis, quam afficit, est essentialis differentia vel proprietas. Hæc ille.

LX. Ulterius igitur notandum, quod distinctio formalis reali similis iterum est duplex: nam aliæ formalitates sunt substantiales formaliter, & aliæ accidentales. In homine enim animalitas & rationalitas sunt similes materiæ & formæ physicis, & radicalis risibilitas non distinguitur realiter ab essentia, & tamen non cluditur in essentiali conceptu, sed est ejus quoddam formale accidens.

LXI. Iterum Distinctio formalis alias est separativa, alias non separativa. Nam sicut sunt aliqua distincta realiter, quæ tamen non sunt separata, ut anima & corpus in homine vivo: & aliqua sunt realiter distincta, non tamen separabilia, uti personæ divinæ: sic etiam sunt aliqua distincta ratione, quæ non sunt separata ratione. Res dilucidatur exemplis: Quando concipio animal & rationale diversis actibus, illa ratione præscindo, abstraho & separo. Quando considero Petrum qua hominem differentem ab Equo, & qua animal convenientem cum equo, distinguo hominem ab animali, non tamen separo vel abstraho. Et quando in Divinis infinitatem & aseitatem concipio, forte duas formalitates concipio, non tamen duas quæ, possint mente separari vel abstrahi. Quæ bene notanda sunt, sicut & discursus iste parallelus. Distinctio formalis etiam in hoc analogizat cum reali physica quæ est inter materiam & formam. Datur enim Materia formalis, Genus. Est forma formalis differentia. Sic enim S. Thom. Genus comparat materiæ contrahibili per differentiam velut formam illinalem. Sicut ergo datur materia prima realis, & talis dicitur potentia pura, quæ nullam formam realem habet; sic etiam dari debet materia prima formalis, quæ nullam formam intellectualem habet, & talis materia est genus supremum: ergo non componitur ex genere & differentia. Præterea si analogiam servare velis, debebis dicere: si una differentia cadit super alteram; non est cur negemus unam formam realem & physicam cadere supra alteram. Si nulla materia realitas plures formas, ne quidem subordinatas admittit: nullum erit genus quod subordinatas differentias recipiat. Ergo si cum Thomistis in homine præter materiam nullam formas admittis præter animam rationalem, cur non definies hominem substantialem rationalem? Si anima rationalis est eminenter corporea, vivens, sensitiva, ergo non dabuntur nisi duo gradus metaphysici, substantia & rationale, genus & differentia, quibus accedit Hæcceitas.

LXII. Hypophysica formalis etiam inter formalitates reperitur, cum dicimus: Deus est persona habens divinitatem; aut etiam stando D. Dionysii fundamento: albedo est parhypostasis habens albedineitatem. Sed mittamus istas subtilitates, & propius accedamus ad difficultatem præsentem, detur ne in rerum natura Distinctio formalis ex natura rei, cujus signum communiter statuitur alia & alia definibilitas, quod Mastrius hac phrasi exprimit; Signum distinctionis formalis est separabilitas duorum secundum conceptibilitatem ex natura rei exigiam (unde nomen distinctioni datum) in ordine ad intellectum proprie & adæquate concipientem. Consequenter discurret, qui sicut de partibus Continui permanentis in physica, ita proportionaliter de partibus formalibus metaphysici totius; utrasque aut ante mentis operationem distinctas, aut utrasque distinguibiles tantum affirmare necesse. Si partes Continui dividens & separans actualiter, non reperit distinctas; neque intellectus formalitates reperit distinctas, sed facit, ut contendunt Thomistæ; sin secus, Scotista triumphat.

LXIII. Dico 1. Distinctio ex natura rei formalis, recte dicitur esse inter illa omnia, quæ in sua definitione sese non includunt, sive quæ ex natura sua diversis constant prædicatis essentialibus, sive quæ differunt definitionibus adæquatis. Addo *adæquatis*, hoc est, tam quoad rectum, quam quoad obliquum. Quæ enim in recto conveniunt, & differunt in obliquis, frustra in formalitates dividuntur, cum omnia contradictoria per distinctionem extrinsecam in ordine ad connotata expediri commode possint. Sic in anima sensitiva frustra finxeris tanquam distinctas potentias nutritivam, augmentativam, retentivam, expulsivam, &c. Item in calore virtutem calefactivam, exsiccativam, liquefactivam &c. & infinitas ejusmodi formalitates. Ex data definitione

LXIV. Colligitur 1. Latius patere hanc distinctionem quam ut solis formalitatibus inter se realiter identificatis conveniat, nam & realiter stricte distincta, ut, Petrus & equus distinguuntur ex natura rei formaliter, differunt enim distinctionibus adæquate, & neuter alterum includit.

LXV. Colligitur 2. Distinctionem inter gradus metaphysicos seu formalitates realiter inter se identificatas (quam formalem putam vocant) non esse distinctionem stricte, nec actualem, sed rectius dici fundamentalem & præcisivam. Ratio est, quia distinctio actualis & proprie dicta est Relatio: atque talis relatio materia inter gradus metaphysicos non reperitur, sed dicuntur distingui eo quod ex natura sua petant sic definiri & concipi, ut a distinctione actuali & identitate actuali præscindant, sola enim prædicata essentialia dicunt tamen fundamentum intellectui ut unam formalitatem seu rationem objectivam possit concipere sine altera, quod vocamus objective præscindere.

LXVI. Colligitur 3. Non omnia quæ distinguuntur, ex natura rei esse separabilia realiter, nec inseparabilia necessario, neque omnia esse distinguibilia. Patet, Personalitates & attributa divina distinguuntur ex natura rei a Natura divina, cum tamen inter se nec a Natura divina sint separabiles realiter. Econtra multa in creatis distinguuntur ex natura rei, quæ sunt realiter separata. Voluntas divina ex natura sua nec est intellectus divinus, nec distinguitur ab intellectu, adeoque ex natura rei formaliter tantum; cum tamen nec ab intellectu, nec a divina essentia sit separabilis, neque distinguibilis realiter: imo nec per rationem positive distinguibilis est, falleretur enim intellectus, qui conciperet intellectum divinum ut distinctum a voluntate divina. Ergo nulla distinctio potentialis hic locum habet.

LXVII. Dices. Essentia Dei, & ejus voluntas possunt distingui actualiter per distinctionem rationis, ergo poterit inter illas dari distinctio potentialis. Resp.

si nomine *distinctionis rationis* intelligas, prout communiter AA. intelligere solent, distinctionem realem actualem conceptam ubi esse non potest: adeoque contendas te concipere distinctionem realem actualem inter Essentiam Dei, & ipsius voluntatem, ubi tamen esse non potest: tunc dico esse impossibilem talem conceptum, sive talem distinctionem rationis. Peto enim an utraque [nimirum Essentia & voluntas divina] a te concipiatur ut infinita? Respondes assertive, quia si conciperetur ut infinita, non conciperetur ut divina.

Hic ego, ergo concipis illas ut connexas aliqua relatione: patet, quia si se non respiciunt, non distinguuntur, ipsa quippe distinctio est relatio. Atqui illa relatio concipitur infinita, ergo objective infinitas ista simplicissima unit per se infinite essentiam Dei cum ejus voluntate. Quod uniat objective infinite, patet quia est relatio infinita; quod uniat per se est clarum, quia essentia Dei concipitur ut subjectum, voluntas Dei ut attributum. Hinc breviter: Essentia Dei & ejus voluntas concipiuntur unitæ per se infinite, ergo adæquate, ergo identificatæ. Patet hæc ultima consequentia, quia illa identificantur, quæ per se & adæquate uniuntur, ergo est impossibile concipere actualem distinctionem inter Essentiam divinam & voluntatem divinam.

Si dicas te non concipere distinctionem inter voluntatem Dei qua infinitam, & inter ejus Essentiam qua infinitam, sed inter Essentiam Dei, & ejus voluntatem, prout sunt abstractæ objective ab infinitate, hoc est prout concipiuntur absque divinitate. Respondeo conceptum objectivum voluntatis, aut essentiæ abstractæ a Divinitate, non esse conceptum voluntatis & Essentiæ divinæ, sed voluntatis & essentiæ ut sic. Vere inter duas istas formalitates possum concipere distinctionis actualis relationem, quia est possibilis, voluntati enim ut sic non repugnat distingui ab essentia, imo de facto realiter actu distingui contendunt Thomistæ.

LXVIII. Colligitur 4. Distinctionem ex natura rei sufficere ad hoc, quod una formalitas concipiatur ab intellectu, non concepta altera. Ratio est, quia cum una non sit de quidditate alterius, bene possum unam sine altera concipere v. gr. animal sine rationali, essentiam sine attributis &c.

Maneat igitur distinctionem illam, quam Scoticus nominat ex natura rei, competere rebus, quæ secundum sua prædicata essentialia præscindunt ab Identificatione & distinctione: esto realiter non possint identificari aut non distingi propter aliam rationem. Sic ratio intellectus in Deo, & ratio Infinitatis distinguuntur ex natura rei, quia alia sunt prædicata definitiva intellectus, alia Infinitatis; nec enim intellectus ex se petit esse infinitus; alioquin quivis intellectus foret infinitus; nec non esse. Scientia & voluntas divinæ, in quantum divinæ sunt, non distinguuntur ex natura rei, quia includunt eandem numero simplicissimam divinitatem: Specificativæ tamen sumptæ, distinguuntur ex natura rei; quia mens ex se & ex suis prædicatis essentialibus non postulat aut identificari aut non identificari voluntati. Quia si ex se talem identificationem peteret, non posset in homine distingui: & si ex se distinctionem peteret, non posset in Deo identificari. Vid Caramuel Lib. 3. Metalog. Disp. 3. art. 3.

LXIX. Dico 2. Hujus distinctionis, si non inventio, saltem elucidatio debetur D. Subtili; & hoc indubitate. Nam cum dixisset in 1. dist. 8. q. 1. §. *Teneo opinionem meam mediam* &c. ibid. q. 3. §. *ad quæstionem respondeo*, de distinctione attributali in divinis sic discurrit: "Dico quod inter perfectiones essentiales non est tantum differentia rationis (nempe formalis intellectus) hoc est, diversorum modorum concipiendi idem objectum formale; talis enim distinctio est inter sapiens & sapientiam, & utique major inter sapientiam & veritatem: nec est ibi tantum distinctio objectorum formalium in intellectu, quia ut argumentum est prius, illa nunquam est in cognitione intuitiva, nisi sit in objecto intuitive cognito. Est ergo ibi distinctio tertia præcedens intellectum omni modo; & est ista, quod Sapientia est in re ex natura rei, & Bonitas est in re ex natura rei: Sapientia in re formaliter non est bonitas in re." Et hoc probat ista ratione. "Quia si infinita Sapientia esset formaliter infinita bonitas, etiam Sapientia in communi esset formaliter Bonitas in communi; Infinitas enim non destruit formaliter rationem illius, cui additur." Et paucis interjectis ait: Ergo non est Identitas formalis ex parte rei (nimirum inter Sapientiam & bonitatem) & intelligo sic, quod intellectus componens istam: Sapientia non est bonitas formaliter, non causat actu suo collativo veritatem istius compositionis, sed in objecto invenit extrema, ex quorum compositione fit actus verus."

Et paululum infra adjungit & in hæc verba concludit. "Concedo per identitatem veritatem esse bonitatem in re, non tamen formaliter veritatem esse bonitatem: quia & sic locuti sunt antiqui DD. ponentes in divinis aliquam prædicationem veram per identitatem, quæ tamen non esset formalis." Hæc Scotus.

LXX. Hæc sententia multifariam a Scotistis probari solet: sed quia multæ inefficaces, seligere placuit pauca. Prima sit probatio. Eam sequuntur Viri docti in Scientia tradenda methodum; ut inquirant *Quid, an sit, quale sit esse rei?* ergo supponunt cum existentia, cæteras formalitates & proprietates non esse formaliter omnino idem, ergo supponunt pluralitatem talium rationum essentialium quæ spectant ad *an sit, quid sit, ac quale sit* esse rei: circa quas rationes essentiales; nec inaniter versentur Philosophi, nec meras muscas rationis captent (ut loquitur P. Joan. Bapt. Ricciolius S. I. qui præter Maurum, Bonfecam, Amicum integrum Catalogum congessit; tum ex Societate sua, tum Thomistis in cap. 10. art. 1. Libri de distinctionibus entium, quem dedicavit universis PP. ordinis Seraphici Philosophiæ ac Theologiæ Professoribus, ubi ad calcem refert plures Provincias, ut Neapolitanam, Siculam, Romanam, Venetam, & ex his provinciis adhuc plures Professores S. I. qui docuerunt Distinctionem ex natura rei formalem, quos inter dignitate præcipuus P. Vincentius Caraffa, quem nominati sequuntur ultra 20. Innominati, qui Parmæ & alibi floruerant, non pauci) hi, inquam, omnes eam secuti sunt methodum, ut per suas, aut demonstrationes, aut divisiones, aut definitiones ex objectis ipsis deprompserint principia, ex quibus fluxerint operationes; quæ utique, sicut physice non sunt una qualitas simplex sed multiplex, quidni in Metaphysico toto qualitates seu formalitates quoque statuantur multiplices?

Quis ergo non videat negotium Philosophiæ multo soli-

to solidius & utilius esse, dignumque studio, sine jactura temporis & meliorum occupationum, si ex natura rerum, quas profundius nosse copiunt Philosophi, sint in essentiis partes & gradus essentiales invicem subordinati, & proprietates ab essentia emanantes, cum tali distinctione, ut idem nec per seipsum omnino definiatur, nec per se ipsum demonstretur: quam si supponantur non esse distincta nisi quatenus substant imperfecto philosophantium modo concipiendi, & ex hac tantum imperfectione oriri. Aut enim hi modi concipiendi sunt arbitrarii & ad libitum, aut adstringuntur regulis in natura rerum fundatis? Non primum, alias res tales debebunt esse, quales nos fingimus: & bene dicemur docuisse, si Discipulis imprimamus phantasias rebus rerumque naturis plane difformes, quod absurdum est. Si secundum, ergo in objectis fateamur aliam esse legem concipiendi sic, aliam aliter, aliam radicem hujus, aliam alterius proprietatis &c. Certe posterior hic sciendi modus verior & conformior est appetitui & conatui innato sciendi, impensisque adhiberi solitis pro assecutione veræ scientiæ, quam prior: falsi enim sunt & deceptorii conceptus formales, quibus non correspondent conceptus objectivi.

LXXI. Rem hanc non inepto exemplo ac similitudine demonstrat nonnemo in hunc modum: Videtur, inquit, in hoc puncto evenire haud aliter, ac si quis telescopiis aut microscopiis, quibus oculis instruitur & armatur ut distincte videat, quæ revera sunt invicem distincta, anteferas specilla polyangula, quibus nummus aureus videtur toties multiplex, quot sunt facies triangulorum; aut præstigias nubium, in quibus Sol, qui unicus est, repræsentatur instar plurium. Hæc enim visio distinguens plures nummos aureos aut soles, ubi unicus est, non deservit nisi ludibrio oculorum & phantasiæ decipiendæ. Sic pariter Philosophia docens cognoscere distincte ea, quæ a parte rei nullo modo essent distincta, doceret nos cognoscere res aliter, quam in se sunt, nempe imperfectiore modo, quam qui cognoscit illa ad modum unius rei indivisibilis: sicut revera in hac hypothesi se haberent, quæ a parte rei nullo modo essent distincta.

Igitur cum major pars speciei humanæ supponat nostrum Modum sciendi, qui conamur res concipere & formare ideas, prout ex parte rei & objecti se habent, in qua hypothesi includitur distinctio ex natura rei plurimis in casibus, minor reali stricta: probabilius est dari hanc distinctionem, tanquam fundamentum præscissionum objectivarum, de quibus infra.

LXXII. Probatur 2. In divinis hæc distinctio. Vbi sunt plures rationes objectivæ unitive secundum suum esse formale contentæ in aliquo objecto, quarum una potest conceptu adæquato concipi, non concepta altera, ibi intercedit aliqua distinctio ante omnem operationem intellectus, quam vocamus formalem ex natura rei. Atqui in Divinis reperiuntur plures ejusmodi rationes objectivæ, E. Maj. constat ex nostra definitione & explicatione Distinctionis formalis. Minor probatur, qooad primam partem, nempe quod tales rationes sint in Deo secundum esse suum formale. Inveniuntur in creatis nonnullæ perfectiones simpliciter simplices secundum esse suum formale v. gr. intellectus & voluntas, bonitas & sapientia &c. ergo etiam eædem invenientur in Deo secundum esse formale. Consequentia probatur, Nihil invenitur in Deo quod harum perfectionem esse formale destruat: hoc enim esset vel maxime infinitas: sed hæc non destruit rationem formalem ejus, cui additur, ut constat ex Scoto sup. cit. alias etiam finitas destrueret rationem formalem perfectionis creatæ, quod tamen constat esse falsum, ergo perfectiones istæ manent in Deo secundum rationes suas formales. Iam probatur pars altera, quod istiusmodi perfectiones sint plures actu in Deo, secundum suum esse formale, & non solom plures æquivalenter aut eminenter ut volunt Thomistæ.

Probatur 3. Vbi datur similitudo & dissimilitudo intrinseca, vera & realis unius rei respectu alterius rei, ibi debet admitti pluralitas intrinseca, saltem formalitatum: ergo vel neganda est similitudo omnis intrinseca & convenientia v. gr. hominis cum equo, & equi cum lapide, & admittenda distinctio adæquata inter prædicta, & fatenda omnimoda dissimilitudo; aut agnoscenda formalitatum pluralitas in singulis enumeratis. ant. sic ostenditur: Est axioma receptum: *Simile, si in omnibus esset simile, non foret simile sed idem:* quo innuitur, similitudinem præcisam a dissimilitudine, sicut omnem dissimilitudinem, sic etiam omnem distinctionem excludere. Et hoc ipsum, ne induci aut seduci videamur apprehensione vulgari axiomate communi fundata, sic discurrimus. Impossibile est duo distincta, esse omnino similia, ergo quæ sunt omnia similia, non sunt distincta. prob. ant. Si Petrus distinguitur a Ioanne, erit verum dicere, Petrus non est Ioannes, & tamen non erit verum dicere, Ioannes non est Ioannes, ergo Petrus habebit aliquid (positivum aut negativum) quod non habeat Ioannes, ergo non erunt omnino similes Petrus & Ioannes.

LXXIII. Progredior ulterius. Petrus & Paulus, homo & equus, sunt partim similes, & partim dissimiles: ergo si ratio, in qua conveniunt & in qua sunt similes, præscindatur ab omnibus rationibus, in quibus differunt, erunt in illa ratione omnino similes. Ergo, si ista abstractio aut præcisio possit fieri realiter, erunt realiter omnino similes: si fiat formaliter, erunt formaliter omnino similes, ergo quo sensu abstrahuntur omnes rationes dissimilitudinis, eo manebunt omnino similes, ergo eodem sensu erunt unum & idem. Ergo si in Petro præcidas rationem hominis a Petreitate, & in Ioanne a Ioanneitate, non manebunt duæ rationes hominis seu duæ humanitates, sed una. ergo qoo sensu (reali aut formali) fiat hæc abstractio, eodem ipso in utroque erit ratio hominis una. prob. penult. consequentia. Quia humanitate præcisa a Petreitate, nihil habeat ob quod potius pertineat ad Petrum, quam ad Ioannem, ergo nihil ob quod potius repugnet Ioanni quam Petro; ergo erit una & utrique (imo universis) communis. prob. ant. quia si præcisa a Petreitate adhoc competeret Petro & non Ioanni, est præcisa & non est præcisa; præcisa, ut supponitur; non præcisa, quia retinet taleitatem, quam in Petro Petreitatem, in Ioanne Iohanneitatem vocamus.

LXXIV. Hinc merito insurgit in P. Arriagam Franciscus Bonæ Spei Tract. 1. Log. Disp. 2. dub. 5. n. 238. dum ait: In Sententia Arriagæ & negantium præcisiones objectivas, omne prædicatum entis realiter simplicis, cum sit unum indivisibile objective & formaliter ex natura rei: quo dato non potest esse magis aliqualiter simile, & aliqualiter dissimile eidem, quam unum

esse unum & duo: unum, ut supponitur: duo autem secundum quod sonant, *aliqualiter* simile, & *aliqualiter* dissimile uni similiter objective & formaliter indivisibili &c. & paulo post sic argumentatur:

"Quod est realiter simplex in sententia ista [Nominalium] est objective & formaliter ex natura rei omni "enti distincto dissimile; ergo nullo modo simile, sed "summe dissimile: ne alioquin esse debeat illi aliqualiter simile & aliqualiter dissimile, juxta jam allatum absurdum." Hucusque Fr. Bonæ Spei Carm. Maneat ergo unam omnino simplicem formalitatem non posse esse rationem conveniendi & disconveniendi: adeoque humanitatem, qua Petrus convenit cum Paulo, non posse idem formaliter esse cum Petreitate, qua differt a Paulo: idem est de animalitate & rationalitate respectu hominis & equi.

LXXV. Ad hæc Respondent Nominales. 1. Petrum esse similem v. gr. Leoni diverso respectu, nempe operationum sensitivarum, quas cum brutis habet communes esse similem: respectu discursus & aliarum actionum Menti propriarum esse dissimilem. Verbo, per connotata extrinseca sufficienter elidi hanc contradictionem. Sed

Contra est 1. Quia non omnis similitudo & dissimilitudo sumi debet ab operationibus, quod patet. Quia ipsæmet operationes sunt inter se similes & dissimiles; v. gr. sensatio hominis & equi sunt similes in ratione sensationis, & sunt dissimiles in ratione talium. Peto ergo, illa similitudo estne illis extrinseca, vel non? si extrinseca & per connotata, quænam illa? an aliæ operationes ab illis productæ? & præterquam quod eas non habent, de illis etiam rediret argumentum, & procederet in infinitum contra rectam rationem. Si vero dicas, eam similitudinem & dissimilitudinem operationum esse intrinsecam, ergo jam admittis similitudinem & dissimilitudinem simul inter duo, quin ad operationes & extrinseca connotata recurras.

Respondent 2. Cum Arriaga, Eandem simplicem formalitatem posse fundare similitudinem & dissimilitudinem respectu ejusdem, quod sic ostendunt: Ipsa animalitas est aliqualiter similis rationalitati, & aliqualiter illi dissimilis, ut patet: utraque enim est identificabilis Petro, utraque est formalitas Petri, utraque est humana, utraque est realitas positiva, utraque cognoscibilis &c. Item Hæcceitas Petri est similis & dissimilis Pauleitati, & tamen formaliter indivisibilis. Item animalitas Petri est similis & dissimilis animalitati Leonis; similis in ratione formalitatis, dissimilis quia animalitas Petri identificatur Petro, non autem animalitas Leonis.

Ad hanc retorsionem & instantiam respondet P. Floridus Mosmiller Franciscanus in thesibus suis Ingolstadii Ao. 1689. de hac materia defensis in hæc verba: "*Fateor, fortiter & docte hic urgemur Scotistæ.* "Animat tamen se illo Maronis: *Tu ne cede malis, sed* "*contra audentior ito.* Audiamus ergo solutionem! "Videtur mihi, inquit, ista aliqualis similitudo & ali"qualis dissimilitudo, qua idem homo Petrus secun"dum idem cum bruto est similis aliqualiter & aliqua"liter dissimilis, ejusmodi esse, sicut v. gr. aqua tepi"da est aliqualiter similis aquæ frigidæ in summo, & "aliqualiter dissimilis eidem, ut adeo nec omnimode "sit similis, nec omnimode dissimilis, sed aliqualiter. "Cæterum ista aliqualis similitudo consistit in quibus"dam gradibus frigoris, qui adhuc sunt in aqua tepi"da; & dissimilitudo consistit in quibusdam gradibus "caloris in eadem aqua tepida remanentibus. Sic quo"que nos Scotistæ, cæteris paribus, dicimus dari in "eodem Petro & homine plures gradus essendi, seu "plures perfectiones essentiales, secundum quarum "unam homo est Leoni aliqualiter similis, secundum "alteram aliqualiter dissimilis; quemadmodum "juxta diversitatem graduum frigoris & caloris in "aqua tepida exurgit similitudo & dissimilitudo ali"qualis ad aquam in summo frigidam." Hæc ille.

LXXVI. Mallem responsionem dedisset, nomine Scotistarum, aut calidam, aut frigidam, displicet hæc tepida, ex eo quod non sit ad propositam instantiam, quos enim & quot finget in animalitatis formalitate gradus essendi, vi quorum tepidam similitudinem aliqualem & dissimilitudinem conflabit? Maxime cum fateatur ibidem non dari processum in infinitum in formalitatibus, sed deveniendum ad insecibiles, summam & infimam: quæ tametsi in prædicatis quibusdam communicent, non tamen fundant convenientiam nisi extrinsecam, & rationis, qualem concedunt AA. inter Deum & creaturas.


Melius igitur respondetur distinguendo inter prædicata substantiva, & hæc esse transcendentia docemus: nam sicut in quercu, nec ramus est quercus, nec radix est quercus, nec folium est quercus: & tamen ille est querneus, & ista quernea, & hoc querneum, sic etiam ultimæ differentiæ sunt Entes, at non Entia.

Quod autem animalitas v. gr. non distinguatur a seipsa formaliter ex natura rei, rationem hanc, & bene assignat idem Pater num. 81. quia tunc tantum similitudo & dissimilitudo arguunt diversas formalitates, quando aliunde habentur rationes fundandi talem similitudinem & dissimilitudinem, & quidem cum aliqua æstimabilitate conjunctam ob peculiares operationes & diversos effectus formales ab intrinseco provenientes, non tantum effective, sed etiam formaliter, seu in genere causæ formalis: prout animalitas & rationalitas sunt tales rationes fundandi, quæ cum formaliter insint Petro [est enim formaliter animal, & formaliter rationalis, id est in genere causæ formalis] & sint insuper principia sensationum & ratiocinationum: hine merito ob has rationes, super quibus fundatur nostra similitudo & dissimilitudo, arguitur diversitas & pluralitas harum formalitatum seu rationum fundandi. At vero quod animalitas sit identificabilis rationalitati Petri; quod etiam sit formalitas positiva, per se cognoscibilis, sunt prædicata vel transcendentalia, vel negativa, vel non æstimabilia, nec indicant principia formaliter inexistentia aliquarum operationum, ergo est magna disparitas, & consequenter minime infertur quod animalitas sit subdivisibilis in duas formalitates, & illæ denuo, atque sic in infinitum. Vt taceam quod rationalitas brutalis sit identificata cum animalitate Leonis v. g. sicut in sententia Peripat. in homine cum animalitate.

Hinc patet decipi Philosophos, qui dicunt nullam posse inveniri similitudinem adeo summam, quæ secum non habeat aliquam dissimilitudinem; quantumvis enim Petrus & Paulus sint similes, adhuc sunt dissimiles aliquo modo; eo enim ipso quod distinguantur, Petrus habet negationem Pauli, quam non habet

habet Paulus, unde necessario debent aliquo modo esse dissimiles. Ex quo ulterius inferunt, similitudinem non negare omnem dissimilitudinem, nec cum illa opponi.

LXXVII. At ego cum Caram. existimo, Similitudinem & Identitatem esse duo nomina, & eandem rem; unde si similitudo sit realis, erit identitas realis; si formalis, formalis: & si similitudo sit totalis, perfecta & adæquata, erit identitas totalis, perfecta & adæquata. Addo non quamtunque identitatem sufficere ad similitudinem adæquatam, sed negativam requiri, quanta est inter Petrum & Paulum: nam identitas positiva, qualis est inter duas formalitates [v. gr. animalitatem & rationalitatem] bene potest, imo debet sine similitudine adæquata reperiri. Vicissim dico, Dissimilitudinem & distinctionem duo esse nomina ejusdem rei: adeoque summam distinctionem esse summam dissimilitudinem: sicut ergo inter Petrum & Paulum summam dissimilitudinem, sic & summam intercedere distinctionem diffiteor. Hæc est vera doctrina, & in omni Schola (Scotistica, Thomistica, Nominali) admitti debet. Considera subjectum Schema oppositionis hujus veritatis:



Dixi *omninò-simile*, hoc est perfecte & adæquate simile, opponi contrarie *omnino dissimili*, seu adæquate-dissimili, quia possunt simul abesse, non tamen simul adesse, juxta Legem contrariorum. *Omnino-simile* contrarie opponitur *dissimili aliqualiter*, propter eandem rationem. *Simile* seu *aliqualiter simile*, convertitur cum dissimili: nec mirum, quidquid enim aliqualiter simile est, non est omnino simile, ergo secundum aliquid dissimile, & vicissim. Eadem est oppositio Identitatis & distinctionis, quia ut supra dixi Identitas & similitudo: distinctio & dissimilitudo synonyma sunt. Ita Caramuel.

Vnde infero: has propositiones: Quæ sunt eadem seu identificata uni tertio, sunt eadem seu identificata inter se: Et quæ sunt similia uni tertio, sunt similia inter se, esse æquipollentes. Quarum prima habetur vulgo pro infallibili principio, cum sit evidenter falsa in Divinis: quoad secundam, negari potest suppositum, si loquamur de SS. Trinitate.

Illud bene notandum cum Ioan. Bapt. Ptolomæo Diss. 16. Log-Met. pag. 110. & conformiter dato schemati, simile & dissimile non esse terminos contradictorios; nec magis opponi, quam esse *vicinum, & esse distans*: bene tamen simile & non simile contradictorie opponuntur. Sed in his quæstio est de nomine. vide mox cit. Anthorem diss. 19. Log-Met. sect. 1. & nostrum Tract. XL. de Relativis.

SVBSECTIO VI.

Solvuntur argumenta contra Distinctionem formalem ex natura rei.

LXXVIII. Recte monet acutissimus Caramuel, Plurimos argumentari contra Scoticam distinctionem ex natura rei, & post prolixas vociferationes eo devenire tandem, ut asserant improprie talem dici, ergo erat quæstio solum de examinando nomine. Non vacat edisserere utrum sic apte nominetur, sed suppono in Scoti Schola has esse æquipollentes positiones: *Distinguuntur formaliter, distinguuntur ex natura rei, distinguuntur definitione, distinguuntur objective, habent diversas rationes objectivas, distinguuntur in prædicatis, essentialibus &c.* Ergo quidquid sit de nomine, ad rem veniamus.

Objicies 1. Distinctio ex natura rei, vel est ante mentis operationem vel post: Si post, est distinctio rationis; Si ante, est realis physica. Nec juvat dicere esse realem ex natura rei, quia hoc est ludere verbis, ratio est, quod illud *ex natura rei*, non tollit quod ante operationem intellectus realiter reperiatur.

Resp. 1. Reponendo argumentum parallelum: Omnis persona Divina vel est productiva, vel non est productiva: Si primum, erit Pater; Si non, erit Spiritus sanctus, ergo Verbum non erit Persona Divina. Quid dices? Præter Patrem etiam Verbum esse personam productivam, ergo à te docebor & dicam, præter distinctionem physicam, etiam distinctionem ex natura rei formalem dari ante operationem intellectus.

Resp. 2. Distinctionem ex natura rei esse ante operationem intellectus. Inferebatur. ergo est realis & physica. Nego consequentiam, aut Distinctionem si fuerit inter extrema realia physica, seu inter rem & rem. Conc. si fuerint pura, hoc est inter formalitates tantum. N. quæ autem sit differentia inter res, & formalitates, diximus supra num. LVIII. Addo non esse hic lusum verborum, sed mediam quandam distinctionem (pro ratione videlicet extremorum) inter realem physicam, & distinctionem rationis extrinsecam significare:

LXXX. Objic. 2. Distinctio sequitur rationem entis: sed non datur Ens, quin sit vel reale physicum, vel ens rationis. Ergo nec datur distinctione media inter realem physicam, & rationis.

Resp. 1. Neg. maj. Quia datur secundum Iavellum & alios AA Relativa *secundum dici*, non tamen datur Relatio *secundum dici*. Resp. 2. omissa Maj. Inter entia realia physica quæ seorsum possunt terminare actionem sui creativam, & inter entia rationis ficta, dari formalitates, modalitates, entes seu entia secundum quid &c. consequenter distinctionem inter illas, quam Scotistæ reperiunt in objecto; Thomistæ faciunt.

Objic.

LXXXI. Objic. 3. cum P. Hurtado. Misericordia Dei ex natura rei non est Iustitia Dei, ut vult Scotus. Item intellectus Dei ex natura rei non est voluntas Dei. Intellectus ex natura rei non est natura Dei, ergo ex natura rei non est Deus. Falsum est ergo dicere: Deus est sapiens sapientia, quæ est ipse Deus; & consequenter etiam est falsum dicere: Deus est volens voluntate quæ est ipse Deus. Hæ omnes condemnatæ sunt, tum in Conc. Florentino sub Eugenio Papa, cujus Concilii Confessio Fidei Græcis oblata sic sonat: "Ne identitatem unitatemque Essentiæ dividamus, atque ut Essentiam ab hypostasibus on re differentem, sed ratione tantum, & actu intelligendi asseveremus." Tum in Concilio Rhemensi celebrato sub Eugenio III. Ao. 1148. cujus symbolum vide apud Vasquez 1. p. dis. 120. n. 10. quod Concilium stabilivit Deum esse suam sapientiam, suam magnitudinem, *& non nisi ea sapientia, quæ est ipse Deus, sapientem esse, non nisi ea magnitudine, quæ est ipse Deus, magnum esse &c.*

LXXXII. Respondeo stando Expresivæ Philosophiæ Principiis, quæ interdum admittit Scotus, possumus negare illam propositionem: Misericordia Dei ex natura rei non est Iustitia Dei; quia Misericordia Dei, Iustitia & omnes virtutes affectivæ & effectivæ, quæ in Deo sunt, non distinguuntur ab ejus Voluntate, nisi quoad obliquum prout diversa connotata extrinseca important: sed unica ipsissima Voluntas, prout diversa connotata extrinseca important: sed unica ipsissima Voluntas, prout se nobis amat, vocatur *amicitia*; prout obstinatos odit, vocatur *Iustitia*: prout pœnitentium miseretur, vocatur *Misericordia*; prout causis secundis se accomodat & operatur secundum illarum exigentiam, vocatur *Causa prima, Natura naturans*, & a Gentibus *Fatum*; prout ultra leges communes operatur, *Omnipotentia vel Potentia absoluta*: & nihilominus est una eademque Voluntas formaliter, quia hæ omnes virtutes non distinguuntur intrinsece ex natura rei, sed extrinsece secundum diversa connotata.

Respondeo secundo conservata forma ad reliquas propositiones, Concilia non agere de sensu formali metaphysico, sed de sensu physico actuali. Deus enim est sapiens sapientia, quæ est realiter ipse Deus, non vero sapientia quæ sit formaliter ipse Deus. Aliud enim est Dicere, intellectum ex se non esse divinum; aliud non esse de facto divinum, imo Deum. Sane intellectus ex se, secundum sua prædicata essentialia, Deus non est, quia alias omnis intellectus esset Deus, habet enim eadem quiditativa prædicata. Intellectus tamen revera convenit quod divinus sit, & quia divinus, etiam Deus realiter, ob divinitatem sibi infinite unitam, & identificatam, quæ tamen naturam intellectus in sua linea non immutat.

LXXXIII. Objic. 4. Illa voluntas Dei, quæ ex natura rei non est Deus, vel est major, vel minor, vel æqualis Deo. Non potest Deo major esse, quo nihil majus: non est Deo minor, alias foret creatura, superest ergo quod sit æqualis. Tunc sic: Ergo vel dabuntur plures Dii, quod est Idololatricum, vel illa Dei voluntas ex natura rei est Deus, quod fuerat negatum. Resp. 1. similia argumenta nimium probare, consequenter nihil. Si enim vim haberent, evincerent Scoti ejusque celeberrimæ Scholæ Sententiam esse contrariam SS. PP. & Conciliis, quod aperte falsum est, cum tot sæculis fuerit ab Ecclesia Romana tolerata, nullique unquam subjecta censuræ. Resp. 2. cum Caram. Hoc argumentum olim quidem a S. Bernardo adhibitum contra Gilbertum Porretanum Episc. Pictaviensem asserentem attributa & naturam inter se & a personis realiter actualiter distingui, non secus atque homo componitur: erat enim ipsius princeps assertio: "Natura divina, quæ divina dicitur, Deus non est, sed forma qua Deus: quemadmodum humanitas homo non est, sed forma qua est homo." Hoc argumento usus sapientissimus & Theodidactus Bernardus convicit Glbertum. Adversarii autem ex sensu reali ad formalem intorquent, unde perdit vires, redditur omnino inefficax & elumbe: Respondetur enim Voluntatem divinam distingui ex natura rei a natura Divina. Addo *qua* voluntatem, nec esse æqualem, nec majorem natura Divina: quia voluntas secundum se, hoc est, voluntas, nec est magna, nec parva, nec finita, nec infinita, sed est principium appetendi spiritualiter. Addo eandem voluntatem qua divinam includere naturæ infinitatem, ac propterea esse plusquam æqualem ipsi naturæ divinæ: non enim solum utraque est infinita, æterna, immensa, sed & utraque habet eandem numero infinitatem, æternitatem, immensitatem: æqualitas autem debet esse inter duas magnitudines (molis aut virtutis) realiter distinctas. Subjungo, illam revera esse Deum. Nego tamen Volnntatem, etiam qua Divinam, ex natura rei esse Deum.

Instabis 1. Si Voluntas Divina ex natura rei non est Deus, ergo ex natura rei habet negationem Deitatis; quia qua ratione aliqnid non est aliud, catenus habet negationem illius. Atqui Deus habet hanc negationem actualiter realiter, ergo Voluntas Divina distinguetur actualiter realiter a Deo. Resp. Neg. sequelam maj. quia distinctio ex natura rei (ut sæpius inculcamus) non dicit negationem identitatis, ut objectio supponit, sed quidditative nec includit distinctionem, nec identitatem. Vnde quæ ex natura rei distinguuntur, non dicuntur realiter distingui aut non distingui, sed abstrahunt ab utroque: & sic merito dixeris distingui *præcisive*, non per intellectum quidem, sed ex natura sua.

Hæc de errore Gilberti Porretani ex communi sententia dicta sunto. Sunt enim qui putant illum non voluisse statuere ullam distinctionem realem actualem: sed solum dixisse, paternitatem debere concipi ut condistinctam intrinsece a natura Divina, & in hoc sensu impugnatum a Bernardo, & a concilio Rhemensi damnatum. Hoc etsi forte ita se habeat, nostram tamen & Scotistarum sententiam minime tangit, non enim docemus fictam ejusmodi distinctionem, sed concipimus paternitatem secundum se, & Naturam Divinam secundum se.

Instabis 2. Nihil frequentius auditur a Scotistis, quam animalitas est principium sentiendi, rationalitas non est principium sentiendi &c.

Resp. semper subintelligi *τὸ formaliter*, non autem simpliciter. Addo in nostra & vera sententia, principium sentiendi, & principium ratiocinandi, sive animalitatem, & intellectum (loquendo de homine) esse principia realiter stricte distincta, sicut Mens & anima sensitiva inter se distinguuntur.

LXXXIV. Objic. 5. Si semel concedatur, quod animalitas & rationalitas ejusdem Petri vere ex natura rei distinguantur inter se, sintque plures realitates,

non

non potuerunt Scotistæ ulla ratione suadere amplius quod non distinguantur inter se realiter. Quod sic ostenditur, si enim concedas animalitatem & rationalitatem Petri esse a parte rei plures formalitates, habere diversas definitiones adæquatas; tribuisse diversos effectus formales & capaces esse prædicatorum contradictoriorum, quid ulterius requiras ad distinctionem stricte realem? quin imo cum animalitas Petri sit identificata & adæquate similis animalitati Leonis, hæc autem de facto sit separata ab rationalitate Petri, debebis consequenter dicere animalitatem Petri esse separabilem a rationalitate Petri, ergo erunt res distinctæ realiter presse & in rigore.

Resp. Neg. maj. ejus probationem distinguo. Si concedamus eas habere diversas definitiones adæquatas, quæ sint oratio explicans naturam rei, totam seriem graduum prædicamentalium continentes. Conc. si solum explicent unum gradum seu unicam perfectionem rei inadæquate sumptæ. N. maj. Item si tribuant effectus formales capaces prædicatorum realium, seu quorum contradictoriorum extrema sint res & res, C. capaces prædicatorum formalium, seu quorum extrema sunt formalitates. N. maj. Quod allegas de animalitate Petri & Leonis, concedo esse eandem generice, nego esse eandem numerice, ut male sibi fingunt adversarii (quamvis D. Ioan. Marcus Marci id ultro concederet juxta sua principia) In homine vero nullo modo est separabilis, quia vel unica formalitate separata aut deficiente, necesse est totam essentiam deficere: est enim essentialis graduum inferiorum ad superiores subordinatio, ac superiorum ad inferiores præsuppositio.

LXXXV. Objic. 6. Vel hæ formalitates sunt aliquid propter Compositum physicum ex materia & anima rationali & unione, & ab illo ex natura rei distinctum, vel non? neutrum dici potest. E. Resp. Animalitatem & rationalitatem cum cæteris perfectionibus essentialibus seu gradibus metaphysicis non esse aliquid præter Compositum physicum, sed esse ipsum illud totum metaphysice consideratum: homo enim, Petrus v. gr. a pluribus Scientiis consideratur; sic etiam a Metaphysica, quæ cum sit Scientia realis, utique circa res & realitates versari debet. Quod si animalitas & rationalitas singulatim & seorsim sumantur, tunc dico iterum, eas non esse aliquid præter Compositum physicum, sed esse partem essentialem illius totius metaphysice considerati; & ab illo Toto distingui velut inclusum ab includente formaliter inadæquate.

Dicunt quidem Scotistæ hasce formalitates emanare a Toto, seu tertia entitate per partes physicas realiter producta; at juxta nostra fundamenta aliter respondendum, nempe gradus seu formalitates quasdam ab anima, alias a materia desumi ita, ut anima rationalis toti homini sit ratio emanativa gradus vivendi, vegetandi, sentiendi, discurrendi, ridendi &c. (loquor in sententia vulgari, nam si præter illam statuitur sensitiva distincta, nil illi competit præter intellectum & voluntatem). Gradum vero corporeitatis originative dat corpus seu materia, altera pars compositi: nec concipere possumus quomodo mens, utpote substantia spiritualis possit conferre gradum corporis seu corporei.

Illa vero Emanatio nihil est aliud, quam ratio aliqua prior respectu alterius in essendo ex natura rei, ut explicat Scotus in 1. dist. 3. q. 7. & in 2. dist. 25. quod declarat pulchre Mastrius ex principiis etiam Adversariorum. "Omnes, inquit, concedunt demonstrationem *propter quid* procedere ex præmissis, quæ sunt causa conclusionis, nedum in cognoscendo, sed etiam in essendo; & sic rationalitas dicitur esse causa risibilitatis, & hanc bene per illam demonstrari *propter quid*: quia rationalitas nedum est causa, ut cognoscatur risibilitas, sed etiam ut sit & existat in rerum natura. Vnde rationalitas non tam dicitur causa, quam ratio prior respectu alterius, risibilitatis, admirativi &c." Quæ omnia magis dilucidabuntur ex solutione argumentorum contra Præcisiones objectivas, quas tamen differemus ad Tract. XLIX. de Vniversalibus.

LXXXVI. Pro coronide hujus Tractatus subjicere placuit quædam de Distinctione adæquata & inadæquata, Excedentis & excessi, quæ propter claritatem potuissent & forte debuissent præmitti, sunt autem ita certa & ab omnibus admissa ut illustratione ulteriore non indigeant.

Primo quidem, Alia est Distinctio adæquata, alia inadæquata: nam in dictione DEVS, literæ DE, adæquate distinguuntur a syllaba VS, & a syllaba EV inadæquate. Illa igitur dicuntur adæquate distingui, quæ eo genere, quo distinguuntur, nihil habent commune, ut in exemplo posito, nulla literis est communis his syllabis DE. & VS.

Illa dicuntur distingui inadæquate, quæ eo genere quo distinguuntur, aliquid retinent commune, ut patet in sequentibus ejusdem dictionis DEVS partibus aut syllabis videlicet DE, EV, VS. In quibus prima pars, & ultima distinguuntur adæquate, in nulla enim litera conveniunt; media ab alterutra extrema inadæquate, habet enim E commune cum prima, & V commune cum tertia.

Vt igitur convenienter linguam accordemus Menti, dicamus *diversa*, quæ adæquate distincta sunt: *differentia* autem, quæ inadæquate. Nec moramur non observari ab aliis hunc rigorem, sed terminos istos promiscue usurpari.

Distinctio adæquata proprie etiam vocatur *condistinctio*; & quæ adæquate distinguuntur, dicuntur *condistincta* aut *primo-diversa*, sive *omnino-dissimilia*.

2. Distinctio inadæquata subdividitur in eam, quæ est *includentis* & *inclusi*, & in eam, quæ est *excedentis* & *excessi*. Ex. Particula DE, a litera E. distinguitur primo modo: nam litera E. includitur in syllaba DE. Particula DE a particula EV; secundo modo: utraque enim habet literam E communem, sed prima excedit secundam, habet enim literam D qua caret secunda; & secunda vicissim excedit primam, nam habet literam V. qua caret prima.

Hæc doctrina est vera, facilis & communis, tam in realitatibus seu modis & formalitatibus, quam conceptibus & rebus ipsis, verificatur. Homo enim & animal (quæcunque dicantur distinctione distingui, reali, formali &c.) se habent sicut includens & inclusum. Homo & equus, sicut excedens & excessum, Rationalitas & sensitivitas sunt condistincta. Sed de his satis. Vide Supplem. XV.

TRACTATUS XXII
DE
DURATIONE.

I. DVrare est idem ac persistere in suo esse, diu vel brevi, etsi unicum tantum foret instans. Quod tu dures in hoc instanti præsenti, hoc est, quod existas in rerum natura *nunc*, hoc est tua existentia in rerum natura coexistat tali motui, & puncto horologii universalissimi & cœlestis; quod videlicet tum ille motus cœlestis veluti per indicem designat tale momentum nempe præsens, & tu in hoc ipso sis in rerum natura. Totum hic dicunt Modalistæ esse Modum, qui dicitur *Duratio*, quæ a te producitur in hoc instanti extrinseco temporis, sicuti successive semper similes durationes produces, quamdiu existes in rerum natura, atque ita, inquiunt, res quælibet, quousque existit, fœcunditate successiva continuo producit reculas hujusmodi vitæ brevissimæ, utpote post ipsum instans nativitatis suæ perituras, & locum succedentibus daturas. Petes autem a Modalista, quid præter te includat actus primus proximus proxime expeditus, cujus duratio illa est actus secundus, & verso nomine in terminum modalem, dic te ut connotantem illum terminum modificari, & denominari nunc existentem, & pariter ob similem terminum connotatum modificaberis mox; & ita modificatus es antea: nimirum actus ille proximus proxime expeditus ad producendam durationem *nunc:* præter te existentem in hoc instanti temporis extrinseci, includit hoc ipsum tale instans, item quod æqualiter distet existentia tua a principio motus universalissimi, ac distat instans hoc extrinsecum; & tanta numerabilitas objectiva detur a parte rei, vel data sit antequam existeres, quanta data est antequam existeret hoc ipsum instans extrinsecum: videlicet hæc veritas objectiva independens a cogitationibus nostris: *Ab exordio Mundi ad existentiam tuam realem nunc fluxere 5759. anni, cum nonnullis mensibus, diebus, horis minutis &c.* totidem enim ab eodem exordio elapsi sunt, juxta calculum communiorem usque ad hanc præsentem revolutionem supremi cœli salutis Ao. 1707. mense &c.

En nova veritas objectiva, quæ ponitur in Mundo! non quidem crasse & palpabiliter, quasi fungus oborietur, sed eo pacto, quo ista, aut similis veritas datur a parte rei: *Cæsar Romæ imperavit:* itaque hac collectione de novo posita, ut termino modali, quid miraris novam hanc modificationem & denominationem dari, qua dicere possis *ego existo, vel duro nunc?* Hac ratione cæteros quoque modos eliminamus tanquam superfluas entitatulas, puta actionem, unionem, ubicationem &c.

Nos impræsentiarum diversa durationum genera breviter dilucidabimus, nempe Quid Æternitas, Ævum, tempus. Quarum durationum differentias colliges ex subjecta radicali & fundamentali doctrina, quæ bene notanda.

SECTIO I.
Quid æternitas, sempiternitas, ævum, tempus?

II. Uti mutabilitatem rerum creatarum consequitur, quod sint tempore mensurabiles; ita immutabilitatem Dei ratione nostra consequitur, quod sit mensuratus æternitate. Cum enim Duratio cujusque rei sit ejus *permanentia in suo esse*, prout aliqua majorem vel minorem habent essendi permanentiam, suntque magis vel minus subjecta mutationi, sic variam recipiunt durationis mensuram. Ea igitur, quæ imperfectissimam habent permanentiam in esse, sub fluxu & motu partes ipsius identidem carpente constitutam, *tempore* mensurantur: quæ perfectam habent sui esse permanentiam, substantialis mutationis, non tamen accidentalis expertem, & saltem ab extrinseco mutabilem, *Ævo* mensurantur. Ens summum & a se, quod infinite perfectam habet esse sui permanentiam, estque omnibus modis immutabile, *Æternitate* mensuratur.

III. Itaque Primum Ens non est in tempore, neque in Æternitate, neque in ævo, ut existentia ejus ab Essentia sejungatur: sed ipsemet est æternitas sua: æternitas enim est Duratio semper idem manentis rei, carens principio & fine. Eam describit Boëtius, quod sit interminabilis vitæ tota simul ac perfecta possessio clarius & brevius: *Æternitas est interminabilis vita tota simul.*

Sane si daretur homo productus ab æterno, & in æternum duraturus, haberet vitam utrimque interminabilem, nec tamen ipse æternus esset, quia non haberet totam simul, sed posset dici sempiternus.

IV. Sempiternitas est Duratio partim permanens, partim successiva, carens principio & fine. Hic tamen rigor loquendi non observatur passim, sed confunduntur æternum & sempiternum, æternitas & sempiternitas.

V. Est igitur æternitas unum indivisibile, & *uniformiter stans Nunc*, in quo non habent locum *fuit, vel erit hujus nostri temporis* (ut ait Nazianz. orat. 2. de Pasch.) *fluxaque & caduca naturæ figmenta.* Noli in ea quærere quando (ait S. August. in Ps. 109.) Æternitas non habet quando: quando & aliquando adverbia sunt temporum. Omnes tamen ipsius temporum differentias, ceu suprema & infinita durandi mensura in se eminenter colligit.

VI. Ævum vero est duratio rei permanentis secundum substantiam, carentem fine, non autem principio. Hæc duratio est propria Angelorum & Animæ rationalis seu Mentis.

VII. Tempus est ex earum rerum genere, quæ a doctis juxta & indoctis percipiuntur. Nam durationem cujusque rei omnes hoc nomine intelligunt, sive moveatur, sive quiescat. Sed ubi explicare volumus, quid illud sit, quod omnes tempus appellant, tum nimia subtilitatis affectatione in difficultates pene inextricabiles incurrimus: quas multum auget prava philosophandi ratio, quæ mentis ipsius ideas in res ipsas transferre solet, & cum iis confundere, quod in tempore maxime accidit. Aliter enim discurrendum de tempore physice considerato, aliter de eodem metaphysice considerato, uti doctissime ostendit Ioan. Bapt. Ptolomæus Dissert. 7. Physico-Metaph. sect. 2. & 3. *Tempus est duratio successiva rei, principium*

finemque

finemque habens. Hæc omnia ex notioribus patent. Ideo enim aliquid est in tempore, quia prius & posterius habet. Et quoniam substantiæ innotescunt ab actionibus, quæ sunt ipsæmet effusæ, actiones docent quid sit esse in tempore. Videmus quidem a potentiori agente eandem actionem fieri in breviori tempore, quam a languidiore. Item ubi duæ æque validæ causæ agunt in materiam æqualem, eodem tempore absolvunt actionem: at in materiam inæqualem in breviori tempore illa perficit, quæ in materiam minus repugnantem agit: sic citius ignis liquefacit ceram, quam alter ignis æquipotens plumbum: ubi patet Tempus esse successionem actionis. Nam Sol illuminans aërem, absque tempore dicitur illuminare, quia sine successione: ut ergo sit successio in re, accidit ab impotentia agentium: unde patet, Deum, cui nihil resistit, & nullis limitatæ finibus vires adsunt, absq; tempore operari, & ut dicit Iacobus Apostolus: *Apud Deum non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Hoc enim tempus est per vices agere, & esse: cum enim calor calefacit, non statim ignit, sed *paulatim*; & in hoc *paulatim* est ipsa vicissitudo & successio entitatis ad entitatem, nam ad unum caloris gradum alius succedit. Ita quando ambulat homo, in tempore ambulat, quoniam non totum simul se transfert quo vult, sed per passus & pedes & digitos succedendo, & addendo ulterius citeriori. Ex quo innotescit, ea in tempore esse, quæ in successione sunt, quod palam est: dicimus enim, res transmutabiles mensurari tempore, quando nascuntur, crescunt, senescunt, & ætas ætati, actus actui, & passio passioni succedit: & idem actus non totus fit simul, sed per partem post partem.

Annum quoque tempus vocamus, quia succedit veri æstas, æstati autumnus, autumno hyems, & mensis mensi, diesque diei, & hora horæ: hoc autem a motu cœli evenit, præcipue autem Solis, non quia tardissimi, sed quia potentissimi omnia immutare, a quo idcirco tempora vicesque: & quia notissimi, dignoscimus. Magis enim in tempore est Luna, quam Sol, quoniam plus successionis haber, tamen a Sole tempora nos consideramus. At si motus Solis totus fieri in instanti, non diceremus ipsum esse in tempore.

VIII. Quare patet Tempus esse prolem Non-entis, hoc est impotentiæ. Ex eo enim quod non possum esse simul in domo & in platea, tempus intercidit eunti a domo in plateam: quod si facerem uti lux, subito absque tempore irem: hoc autem non facio, quia non possum: successio ergo est filia impotentiæ, ergo & tempus, quod nil aliud est quam successio conatus in passionibus rerum a non-entis limitatione manans. Et quoniam in motu & mutatione est fluxus, & forma fluens, ut calor in calefactione ipsius caloris fluxus; fluxus autem ab impotentia est, quia paulatim oportet agere: Anima enim, quæ subito transilit cogitatu sine tempore dicitur operari interdum, vel in minimo. Idcirco tempus est ipse fluxus: & quia omnis fluxus est fluentis formæ vel rei, ipsum nunc est ipsa forma fluens, vel ejus entitas. Quapropter singula entia habent singula tempora, & nunc propria: sed Tempus universale est ipse Cœli motus tanquam deferens omnes mutationes, & Nunc est mobile, ut Sol. Hinc patet error eorum, qui dicunt, tempus fluere ab æternitate. Æternitas enim permanentia est, & a Potestate valida emanat; tempus vero ab impotentia: sed quia ipsum Nunc est entitas rei temporalis, & omnis entitas est participatio primi entis & æternitatis; idcirco concedi potest in hoc sensu, quod tempus fluat partim ab æternitate.

IX. Hinc non recte Aristoteles dixit tempus esse secundum essentiam suam mensuram motus: cum esse mensuram ei non competat secundum naturam, sed secundum animam nostram, quæ utitur tempore pro mensura: sed quidem omnis mensura propter id, quod est mensura, est secundum se aliquid; ut palmus est mensura panni secundum nos, sed secundum se est manus expansa: & metreta est vini mensura nobis, sed sibi est vas tantæ capacitatis. Præterea neque tempore mensuramus motum; sed ipsomet motu Solis, ut notissimo: & ipsas quoque quietes mensuramus motu, & motus quiete, prout prius & magis unum ex eis offertur: aliud ergo est tempus, quam mensura motus essentialiter.

Quoniam vero de substantia temporis est successio, & hæc est ab impotentia mista potentiæ, consequens est, ut temporalia principium & finem habeant, nisi per circulationem reficiantur, quæ est a causæ reversione. Hinc etiam patet Angelos & entia intransmutabilia, quæ non habent successionem, ut spatium (in sententia quorundam AA.) & hujusmodi eorum substantiam esse extra tempus. At quia habent operationes, actiones, receptiones, in quibus est successio, partim sunt in tempore, partim extra, & hoc est ævum: & in quo sunt in tempore, habent principium & finem ipsæ actiones: ex quo non sunt in tempore, æviterni sunt & carent fine, non autem principio; quoniam entia hujusmodi sunt finitæ naturæ, & per consequens ab alio originem habent, & per illud possunt quoque non esse, licet non per se.

Quapropter quoniam Primum Ens nullam patitur nihilitatem, neque impotentiam, ergo nullam habet successionem, neque in essentiæ neque in operatione; operatio enim est essentiæ index, ergo æternum est. Et quia diximus Tempus esse fluxum rei, qui est ipsa res fluens, sed ut res est potentia, ut fluens, impotentia: si in Deo non est fluxus, sed res permanens: ipsa res permanens est æternitas, & distinguitur ab eo sola ratione, secundum quam sæculum infinitum intelligimus a re in sæculo existente distingui, & vocabula hæc sæpe confundimus.

X. Pro meliore intelligentia prædictorum circa essentiam Temporis, quam diximus consistere in serie successiva motionum & actionum propriarum seorsum utrique rei; suppono motum localem esse ab impetu, qui est accidens quoddam absolutum successive productum, vel actum in omni mobili, prout ostendemus infra Tract. XXXVI. de Motu & mutatione. Ex quo fundamento explicatur tarditas & velocitas motus.

XI. Præterea notandum, quod *durare* & *duratio*, *perseverare* & *perseverantia*, proprie loquendo synonyma sint, & designant existere conservatum saltem per unam conservationem ultra primam productionem, neque hoc independenter a litigiis clarius exponi potest. Hinc si res producta in instanti A. non conservaretur in instanti B. sequenti, non diceur proprie permanere vel durare; ita se habent partes totius successivi, quæ momentaneæ sunt; licet ex abusu vocum, quidquid vel momentanee existit, durare dicatur.

Nota 2. Esse communem quidem in Scholis opinionem, tempus (sicut & Continuum permanens)

componi

componi ex infinitis partibus in infinitum divisibilibus: sed insuperabiles patitur difficultates, ut videre est in P. Honorati Fabri Metaph. Lib. 8. 9. & 10. Vel enim tempus ita constat ex iis partibus, ut plures simul sint, & hoc non; vel ut una post aliam tantum sit; ergo si una est, indivisibilis est. V. gr. accipio horam, quæ constet infinitis partibus, in quibus, vel nihil horæ actu est; vel aliquid; si primum, ergo nihil horæ actu fuit, nempe de quocunque dici potest, actu fuit, aliquando dici potuit, actu est; quod si aliquid horæ actu est, cum plura simul actu esse non possint, unum tantum actu est, ergo indivisibile & instans. Sicut ergo punctum indivisibiliter extensum est, quod non est divisibile in partes facientes totum extensum & permanens, ita in casu nostro.

Nota 3. Hujusmodi Instantia seu momenta appellamus *instantia physica* habentia quandam extensionem indivisibilem (& quidem insensibilem) in ratione totius successivi, licet non sint totum successivum; sicuti puncta habent similem extensionem indivisibilem in ratione totius permanentis. Ex hisce physicis instantibus successio vocatur *Tempus*, totum successivum. Sicut enim in numero unitas qualibet est principium numeri, numerus non est: ita instans non est tempus, sed principium temporis: & sicut in numero, a quacunque unitate determinata, ubicunque reperta, incipi potest numeratio, & procedi numerando finite in infinitum: ita in tempore, a quocunque instanti designato, & veluti reperto, in quocunque gradu seriei temporalis, inchoati potest temporis enumeratio, vel secundum prius vel secundum posterius finite in infinitum. Hinc dicitur Gen. 1. *In principio creavit Deus cœlum & terram &c. In principio*, nempe temporis primo instanti vel momento. Tempus ergo non est ens creatum, quia creatio terminatur ad ens totum, est actio instantanea: tempus autem, utpote essentialiter totum successivum, in unico momento existere nequit.

Nota 4. Tot dari tempora realia, metaphysice loquendo, quot dantur res mensurabiles diversimode per tempus, imo plura etiam, quia eadem res diversimode est mensurabilis temporaliter pro diversis circumstantiis. Ex quo fundamento & supposito difficultates plurimæ possunt expediri. Hanc fuisse veterum Sapientum sententiam, cum *tempus* distinguebant in *extrinsecum & intrinsecum*, hoc est, in *universale* seu *commune*, & in *proprium*, facile colligitur ex symbolicis illorum effatis, ut ostendit P. Ptolomæus Differt. 7. Physico-Metaphysica sect. 3. n. 2. Et Ratio prima est, quia instantia realia diversæ diuturnitatis sunt pro diversitate rerum temporalium, quæ per illa instantia durant, quod probatur. In omni sententia hactenus excogitata ad explicandam quantitatem, vel successivam, vel permanentem, quod vulgo dicitur in quæstione *continuo*, ea necessario concedi debent paradoxa, quorum similia vix in alia Philosophiæ parte tolerarentur: sed omnia ejusmodi evitantur in nostra hypothesi.

Ratio secunda: Instantia hujusmodi nihil aliud sunt, quam actiones instantaneæ essentialiter successivæ cujusque rei: sed istæ sunt diversæ per diversitatem termini producti per illas, & virtutis producentis illas, ergo & instantia.

Sed ne tibi ista abstrusiora videantur, quam sint: scito ab omnibus communiter admitti assumptum hoc: Idcirco dicitur, quod tempus universale, seu ævum commune angelicum est series cognitionum primi & supremi angeli: quod tempus commune materiale & physicum est series motionum supremi Cœli.

Quæro quid sint illæ cognitiones successivæ, nisi totidem operationes angelicæ? quarum una succedit alteri. Item quid illæ motiones, nisi totidem distincti modi successivi (juxta Modalizas) vel totidem impulsiones successivæ, hoc est actiones, vel si mavis etiam passiones successivæ? ergo instantia realia, nihil aliud sunt peripatetice, quam actiones successive per seriem juxta physicam considerationem, atque adeo ad metaphysicam considerationem transeundo, & rem minutius considerando & examinando, Instantia realia propria supremi Angeli sunt ejus successivæ cognitiones, & instantia Angeli medii, sunt item ejus cognitiones, & ita proportionaliter descendendo per choros Angelorum &c. Similiter motiones successivæ Cœli supremi sunt ejus instantia, uti motiones Solis, Lunæ, Saturni &c. instantia realia particularia sunt, & similiter quoad singulas res alias corporeas. Metaphysice enim loquendo, omnibus hujusmodi rebus simul adscribi non possunt instantia communia: unde enim scis discrimen non intercedere, idque in ratione partis successivæ, & in ratione totius successionis inter actiones successivas unius rei, & actiones alterius? Nonne discrimen intercedit inter actiones Angeli supremi, & actiones infimi in ordine ad extensionem localem, quam juxta Sphæram cujusque Angeli, majorem aut minorem, actiones quoque Angelicæ Sphæram disparem habent. Vnde non potest assumi ut mensura communis pro omnibus Angelis extensio, & sphæra Angeli supremi, vel ejus actionis.

Simile discrimen metaphysice loquendo intercedit etiam inter actiones & passiones unius rei materialis & alterius, tum in ordine ad motum velociorem aut tardiorem, tum in ordine ad expansionem & extensionem inæqualem.

Dices: Fingamus Angelum nihil cogitare, aut in una eademque cogitatione se detinere, an propterea non durabit? Idem procedit de rebus materialibus non operativis, uti est materia. Resp. Omnes res creatas indigere conservatione, adeoque abstrahendo ab operatione, successiva est earundem duratio, & juxta præstantiam naturæ inæqualis, inæqualitate soli Deo nota: id rationi veroque similius, uti Instans æternitatis omnes durationes creaturarum in se complectitur, omnibusque super-eminenter æquipollet: sic Seraphinorum, Cherubim &c. pro dignitate & excellentia essentiæ pluribus aut paucioribus imperfectiorum creaturarum æquipollere v. g. unicum instans durationis Seraphim, millenis instantibus durationis Cherubinis &c.

Contra: In eodem tempore res omnes coexistentes durare, tam est evidens, primum quod non in eodem loco res omnes penetrentur. Resp. Dist. est evidens in senso physico & sensibili. Conc. in sensu metaphysico. N.

Nota 5. Quodlibet instans reale, ut præsens consideratum intrinsece incipit, & definit extrinsece. Trica est per eam distinctionem *intrinsece & extrinsece* inducta, quam sic intellige: intrinsece incipere, est primo esse & immediate ante non fuisse, at extrinsece incipere est ultimo non esse, & immediate post esse futurum. Desinere intrinsece, est primo non esse, &

immediate

immediate antea fuisse: extrinsece autem desinere, est ultimo esse, & immediate post non fore: unde tandem conficitur quod instans primo & ultimo est, videlicet est *instantanee*.

Nota 6. Instans mathematicum vocari, quod concipitur sine omni extensione vel diuturnitate, quasi omnium minimum, sicut diximus de puncto mathematico, existitque per solam imaginationem, non a parte rei.

XII. Sed gravis restat difficultas, quo sensu unum instans æquivalenter sit magis diuturnum ac alterum? Duæ sunt viæ seu modi hanc extensionem inæqualem instantium diversorum motuum explicandi. Primus est, quod sicut puncta vel minima physica inter se non sunt æqualia in ordine ad spatium occupandum, sed unum possit tantundem spatii occupare, quantum decem alia, & dicuntur hoc sensu virtualiter extensa, (alii per sarcasmum vocant inflata cum P. Ptolomæo): Sic etiam Instantia se habeant quoad durationem. Quod aliqualiter dilucidari potest, si concipiamus Nunc æternitatis, cui coëxistunt omnia instantia æviternitatis & Temporis, eique omnia sunt præsentia, licet inter se successiva: sic uni instanti durationis angelicæ coëxistant innumera instantia durationis temporaneæ, ita ut Angelus in unico instanti possit tot elicere cogitationes, quot homo vix posit integro die. Alter modus explicandi traditur a P. Ptolomæo dissert. 7. Physico-metaph. sect. 3. n. 10. & 11. Instans, inquit, temporale physicum reale in tantum diuturnum & virtualiter extensum est, in quantum simul cum alio instanti, & multo magis simul cum decem instantibus immediate succedentibus potest facere durationem successive extensam. Hinc diversitas instantium realium eorumque diuturnitatis in eo consistit, quod quædam instantia seu instantium classes faciunt successionem diversam temporalem; ac alia classis instantium faciat. Diversitas autem hujusmodi successionis in diversa collectione reali successiva consistit, & in diverso numero seu numerabilitate reali, & non abstracta (ut abstractus est numerus mathematicus), unde non sola diversitas numeri a numero ut sic, est diversitas temporis a tempore: quia tempus est numerus cum addito *successivus*, hoc est includens series graduum succedentium in existendo. Quod sic declarat:

Fac Angelum supremum centum cognitiones instantaneas elicere successive: item hominem centum cognitiones humanas; & equi phantasiam centum imaginationes; & oculum centum visiones; & pedem centum impulsus: & omnia ista ita successive, ut primo singuli gradus cujuscunque centenarii, seu seriei successivæ existant inconservati. Secundo ut inter quoslibet duos gradus cujuslibet seriei sit impossibile existere intermedium alium similem gradum, hoc est aliam cognitionem angelicam in prima serie, humanam in secunda, imaginationem equinam in tertia &c. Fac item primum gradum singularum harum serierum coëxistere: peto utrum ultimus quoque gradus earundem simul coëxistet? erras, si affirmas: certissimum enim, quod citius Angelus potest centies cogitare quam tu decies, in tantum ut cum tu centesimam cognitionem successive elicies, Angelus forte ad centi-millesimam pervenerit. Proportionalia dices de equinis imaginationibus, visionibus &c.

Et sane nisi hujusmodi instantium diversitas admittatur: concedendæ essent morulæ in omni successione licet velocissima, atque adeo etiam in cogitando; ita ut homo vel Angelus infimi Chori, dum successive cogitat & immediatissime unam post aliam cogitationem eliciat: nihilominus dicendum esset, quod inter unam & aliam cogitationem cessaret a cogitando per millionem aut amplius instantium: quod tam absurdum est in serie cognitionum admittere, quam in serie motus localis.

Confirmatur hæc doctrina ex eo, quod Æternitas divina participari potest diversimode a creaturis in ratione diuturnitatis indivisibilis non minus, quam Immensitas divina in ratione extensionis indivisibilis. Sicut ergo puncta physica indivisibilia physice, sunt extensa virtualiter, alias rarefactio inexplicabilis redderetur, nisi vacuitates admittamus, aut per intrusionem corpusculorum fieri dicamus, adeoque veram & proprie dictam rarefactionem omnino tollamus: ita cur aquila eodem tempore velocius moveatur & plus spatii conficiat quam testudo etiam continuo repens, inexplicabile redderetur, nisi morulas interpolemus & absurditatem mox dictam incurrere velimus.

Nota 6. Cuilibet rei Durationem essentialiter competere saltem in determinate quod constat usque adeo, ut nemo hactenus finxerit, rem posse esse & *nunquam* esse; licet quoad locum simile paradoxum Patronos habeat, uti alias videbimus.

SECTIO II.

An Mundus potuerit esse ab æterno?

Vtrum Mundus fieri potuerit antequam factus est, ita ut ætas illius plures contineat annos solares supra 5759. quot supra ex probabili sententia supposuimus, non levis est quæstio? Multi enim sunt Theologi, qui citius Mundum creari potuisse, facile asseverent. Sed profecto, si ante Mundum non erat Tempus, nisi imaginarium (de quo infra) nec aliqua successio, sed pura æternitas, quæ non nisi unum habet *nunc*, expers successionis omnis; nec Mundus fieri potuit in æternitate, sicut antiquiores Theologi docent, Iustinus, Tertullianus, Athanasius, ac Primi Concilii Nicæni PP. argumentantur, quoniam esset coævus Deo, quem suum non-esse haud præcessit ullum. Finitum enim esset ab illo non-esse: nec enim finitas ante aut post potest esse, nisi a non-esse: nec potest dari non esse ante aliquod esse stabile vel successivum, nec post nisi finiat illud, ut patet in omnibus ante & post. Igitur necesse fuit Mundum creari in primo nunc temporis, quod fuit successio ejus Esse, ad ejus non-esse. Sed primum nunc temporis non dat nobis ultra 5759. (ut placet supponere) ergo non potest ante plus ætatis habere; sicut nec motus potuit incipere ante primum suum momentum, nec linea hæc ante primum suum punctum. Alioquin si posset ante, & iterum &c. abiremus in infinitum, cujus non est principium.

Nam & propterea negant doctiores Mundi æternitatem a parte ante, quoniam nunquam perveniretur ad diem præsentem, sicuti a die præsenti retro numerando nunquam perveniremus ad primum, alioquin non esset infinitum, quod præcessit. Ostendimus autem omne ens finiri a suo non-esse, sive ante, sive post, ut linea a suo non-esse ante primum & ultimum punctum; & motus a primo & ultimo non-esse, quod est post ultimum esse, & primum esse. Quapropter si ante Mundum & tem-

& tempus præcessit nihilum ipsorum vere, finita vere sunt a parte ante; non ergo potest principiatum post Nihilum, esse infinitum, & coævum Deo æterno, id est infinito. Quapropter Arabes quidam (Avicenna & Averroes) propriam vocem ignorant, cum dicunt potuisse ab æterno usque ad nos fieri successionem, vel individuorum, vel circulationum Solis. Accipiunt enim illud *æternum* quasi Principium, & pars temporis, & quod imaginarium est, faciunt reale. Sicuti qui ponunt alia *nunc* ante tempus, & alia loca *extra* locum universalem: & qui partes infinitas ad compositionem adducunt; & qui inter extrema puncta infinitam divisionem fieri posse imaginantur, infinitatemque partium, in quas dividi queat, inexistentes. Neque enim dividi potest in eas, quæ non insunt, uti Aristot. & D. Thomas in 5. Metaph. confitentur. Ita doctissimus Campanella Lib. XI. Met. cap. 5. art. 3. Et quæ ibidem subjungit bene nota, corrigit enim communem errorem, in quæ ipsemet diu hæsi, uti sequitur:

XIV. Præterea (prosequitur) D. Thomas in Quodlib. 5. probat quod Deus scire non potest primum instans, in quo Mundum creare posset; alioquin (ait D. Thomas) non potuisset, nisi in illo instanti creare. Potuit ergo (inquit idem S. D.) creare ante infinitum infinitate potentiali, quia quocunque dato puncto, potest ante illud, & iterum ante, in infinitum exordiri. Non autem infinitate actuali, ex quo fuit Deus.

Hoc ipsum aliis terminis sic exprimere solent, potuit Deus condere Mundum ab æterno syncategorematice, non autem categorematice.

At quidem (subdit Campan.) iste sermo innititur in dogmate illo (omne continuum est divisibile in infinitum, ac simul aggregabile) quod nos perfectis rationibus explosimus: & hoc dato, adhuc non in veris, sed in imaginariis nunc infinitis ante primum nunc temporis innititur. Sed æternitas non præcedit tempus tempore, nec duratione successiva, sed forsan natura (ut ajunt). At forsan nec solum natura, sicut lux radium, & sicut essentia proprietatem: sic enim essent coæva & ejusdem ordinis. Avicenna autem & Averroes volentes aristotelizare putant ab æterno Mundum potuisse condi. Quod Patres negant, quia Nihilum præcedit creatum esse: æterno autem nihilum non est prius, nec enim ab æterno æternum esse potest id, quod est post suum non-esse, veluti PP. argumentantur contra Arrium in Conc. Nicæno I. dicentem; quod filius Dei potuit creari ex nihilo ab æterno.

Idem D. Thomas in 2. sent. ad Hannib. q. I. sed resp. Avic. quod nihilum esset prius non duratione, sed natura: quoniam prius est non-esse Entia creati, quod habet a se, quam esse, quod habet ab alio, id est a Deo. Hoc tamen stare non potest, primo, quoniam tractat de non-esse rei tanquam de Ente per se, quod accipit per accidens entitatem ab alio, id quod est falsum; imo non-esse cum accipit esse, accipit destructionem sui, seu non-esse sui, id est nihilitatis suæ, ut ita loquar.

XV. Præterea id dicitur præcedere natura seu secundum naturam, quod communicat in natura cum eo, quod ab ipso procedit, & ad id quod necessario succedit, quod est posterius, sicut radius Solem, & risibilitas rationalitatem, ut Averroes in Lib. de substantia Orbis, & in Metaph. 12. & D. Thomas in loco allegato docent. At nihilum non communicat cum Ente in natura, imo sunt omnimode opposita; nec ad ipsum Nihilum necessario sequitur Ens: alioquin necesse esset Mundum ab æterno creatum esse: & non-esse Petri non præcedere tempore Esse Petri, sed natura: quæ sunt absurdissima. Ergo non potest Mundus esse antequam fuit, si non potest esse coævus Deo, & coævus nihilo, ergo enim & Deus & nihilum esse coæva.

Instat Averroes. Sicut Sol, si esset æternus, præcederet suum radium coæternum solum natura, non duratione, ita Deus Mundum. Sed fallitur, radius enim est de natura Solis, nec radii non-esse præcessit radium in Sole; sed Mundus non est de natura Dei, nec necessaria emanatione est a Deo, ut ejus proprietas: sic enim non esset ex nihilo, nec post nihilum, imo esset Deus. Vana ergo responsio.

Alii dicunt, si pes ab æterno fuisset in arena situs, vestigium pedis a pede distinctum, coæternum esset pedi, ac simul effectus illius distinctus ab illo. Ergo &c. Resp. hanc quoque similitudinem claudicare. Nam præsupponit esse pedem simul cum vestigio, quod neque est imaginabile, & simul petit principium. Hoc enim quærimus quomodo effectus a causa distinctus possit esse, & causatus simul. Si enim distinctus & causatus, ergo post & non simul, alioquin contradictio in terminis, esse simul & non simul. Redeuntes igitur ad quæstionem

XVI. Dico. I. Non apparet, quo pacto Mundus potuerit creari ante instans primum temporis, in alio instanti, nisi imaginario: nec quomodo æternitas præcedat tempus, non solum natura sed duratione, quæ duratio non sit æternitas cum hæc non sit successiva. Verbo, negatur suppositum, nempe *τὸ ante*; nam Nunc æternitatis nec ante se nec post se admittit, sed omnem durationem in se comprehendit supereminenter, ut dicit S. Thomas: & qui est in æternitate videt, quasi desuper tunc transeuntes, omnia temporalia simul, quamvis inter se distent, sicut istæ literæ inter se, quæ oculo meo simul sunt. Porro si totum tempus est quasi momentum infra æternitatem; & æternitas est collectior momento & sine successione reali, quæstio remanet insoluta, nisi detur aliqua duratio, quæ non sit tempus nec æternitas. Adducere ævum pro medio, est petitio principii, si enim in principio ævi instanteo creatus est Angelus, adhuc restat quæstio de puncto anteriore, in quo factus est Angelus, utrum fuisse posset: cum ante primum nihil sit, sicut nec postremo posterius.

XVII. Dico 2. Nulla creatura potest esse æterna vel sempiterna. Est unanimis SS. PP. contra Arrianos, quos sequenti argumento, & efficaciter quidem impugnarunt. Filius Dei fuit ab æterno, ergo non est pura creatura. In quo enthymemate subintelligitur ista major propositio: Nulla creatura potest esse æterna seu ab æterno. Ergo vel dicendum argumentum SS. Patrum fuisse inefficax, quod temerarium esset affirmare, aut concludere thesin.

Respondebis forte I. SS. PP. loqui de æternitate essentiali & imparticipata, qualis est in ipso & solo Deo, non vero de æternitate accidentali. Contra est I. quia ex resp. tota vis argumenti adhuc debilitatur, possent enim dicere Arriani, Christo in Scripturis attribui æternitatem participatam & accidentalem, proinde Christum esse Creaturam. Contra est 2. Quia simili distinctione defenderet quis creaturam infinitam, immensam, omnipotentem &c. quod pro absurdo reputamus.

Respon-

Respondebis 2. SS. Patres loqui de facto, non de possibili; quod nimirum de facto nulla creatura sit æterna, quidquid sit de possibili: sed Christus extitit de facto, E. Contra est 1. Si possibilis sit creatura æterna, unde constat non fuisse talem creatam, qualem Ariani dixissent esse Christum? Contra 2. Quia clarissime constat SS. Patrum mentem fuisse, quod absolute implicet creaturam æternam esse, ut patet ex S. Athanasio orat. 2. contra Arrianos, ubi assignat disparitatem, quare Verbum sit ab æterno, creatura vero non, *quia*, inquit, *Verbum est substantia Patris, creatura ex nihilo*: quæ disparitas nulla esset, nisi S. Doctor non tantum de facto, sed etiam de possibili negaret creaturis æternitatem: restaret enim quæstio, quare id quod non est ex substantia Patris, non possit esse ab æterno. Deinde idem ait, potuisse quidem Deum creaturas æternas facere, sed creaturæ non potuerunt æternæ fieri, quia creaturæ sunt; creatura enim dicit ex non-esse transire ad esse, q. d. non esse defectum ex parte omnipotentiæ, sed ex parte creaturæ; cæteroquin verba illa contradictionem manifestam involverent, dari videlicet potentiam ad impossibile. S. Damascenus L. 1. de fide orthod. c. 8. palam docet: *id quod e non-esse ad esse traducitur, nequire suo principio coæternum esse.* Hugo L. 1. Sacram. c. 10. *fugit*, inquit, *divinam virtutem, ut aliquid sibi coæternum faciat.*

Dices nihilominus, Creaturam æternam non transire ex nihilo sui ad esse sui, sed tantum ex nihilo subjecti. Resp. Quod per hoc non distingueretur sufficienter productio talis creaturæ a generatione secundæ personæ in SS. Trinitate, quia etiam Verbum æternum est ex nihilo subjecti, & non ex nihilo sui: illa vero creatura, quæ esset ab æterno, esse etiam tantum ex nihilo subjecti, & non ex nihilo sui, & tamen esset res creata, non genita; proinde ut creatio distinguatur absolute ab omni generatione, etiam Divina, debet esse non tantum ex nihilo subjecti, sed etiam ex nihilo sui, & consequenter fieri in tempore.

Probatur 2. assertio argumento demonstrativo ad hominem, de Ente successivo, quod non potuerit esse ab æterno. Negant plurimi Infinitum categorematicum possibile cum Thomistis, & clara inconsequentia admittunt Mundum potuisse existere ab æterno. Inconsequentiam sic demonstro. Posito possibili in actu nullum sequi inconveniens, axioma est: ponamus ergo Mundum ab æterno fuisse; fuerit & punctum aliquid ab æterno. Singulis diebus ab æterno circulus unus ductus sit circa centrum illud seu datum punctum, quid enim repugnet per te fieri potuisse? Hodie ducatur circulus ultimus; sequeretur intra circulum hodie ductum, contineri versus centrum progrediendo circulos infinitos actu, & quidem clausos termino videlicet circulo hodie facto. Aut ponamus Deum singulis diebus unum Angelum creasse: hodie numerus Angelorum existentium categorematice foret infinitus.

Præviderunt hoc PP. Complutenses, & ideo statuerunt Disp. 29. Phys. q. 5. §. 2. *Non implicare generationes & corruptiones totius universi fuisse ab æterno*, unica excepta humana propagatione. Sed desidero disparitatem aliam afferri, quam quod inferimus absurdum, videlicet animas rationales de facto fore infinitas actu. Aut certe si ideo negent possibilem generationem humanam ab æterno, eo quod sequeretur infinitum actu: nos eodem aut potiori jure, negamus quidquam ab æterno produci potuisse, ne sequatur infinitum actu creatum, quod infinitum cum ipsis & S. Thoma negamus possibile.

Probatur 3. Si recte concipiamus æternitatem proprii nominis, illa est infinitum categorematicum non dimidiabile in duas æternitates, sicut Petrus non est divisibilis in duos Petros: & hujus infiniti non est quidem mensura; sed connotatum est utrumque simul infinitum syncategorematicum temporale vel æviternum, ex parte ante, & ex parte post, ut loqui solent in scholis. Quidquid aliud mente concipias, æternitatem proprii nominis non apprehendis, cujus ratione dici aliquo pacto possit creatura æterna. Atqui hujusmodi æternitas ex conceptu suo formali est Ens existens essentialiter inconservatum & incapax componendi seriem inter esse, & non esse, quod saltem ex definitione Boëtii constat. Et præterea amplius comprobatur ex eo, quod incapax proprii nominis Æternitas sit intrandi seriem temporalem, quia illa non potest esse pars temporis: itemque incapax est, ut in ipsam intrare possit ullo pacto series durationis: adeoque neque in æternitate inesse potest, neque cum illa componi geminus iste successivus conceptus *productio* & *conservatio*; & quod inde consequitur *productio* & *destructio*: unde quidquid æternum eoipso est absolute & semper indefectibile existens. Quare falso dicitur, licet frequentissime dicatur, quod hujusmodi creatura in fine æternitatis a parte ante, dum incipit tempus, velut in bivio mortali possit destrui. Maneat ergo fixum *Creaturam æternam* (seu permanentem seu successivam) esse Chymæram & repugnantissimos terminos, & hæc conclusio, ut initio ostendimus, ex antiquis Sapientibus & SS. Patribus apertissima est: hi enim, diversa quidem methodo, ex illa tamen deducebant certissimo veritates apud omnes in confesso quod negare non possis: nisi dixeris adialecticos omnino Viros illos doctissimos fuisse. Etenim quidam ex illis sic rationabantur: *est existens æternum, ergo est Deus.* ita SS. PP. contra Arium hæreticum. Alii vero: *Mundus essentialiter habuit initium, ergo finem habebit.* Alii inferebant, *est creatura, ergo necessario non æterna.* Denique veluti axioma apud illos erat: *Creatura non potest esse semper producta, sed primo producta.* quia necessario quasi transire debet ex nihilo sui ad esse & aliquid esse.

XVIII. Quæres quid sentiendum de hac propositione: *Christus fuit ab æterno.* Resp. Æquipollere huic: *Christus est æternus*; & utramque esse in rigore veram imo de fide. Ostendo, resolvendo illam hoc modo: Christus, hoc est Persona habens naturam Divinam & humanam, fuit ab æterno, seu est æterna. Hæc propositio est verissima & in rigore dialectico. Nam ad veritatem propositionis requiritur & sufficit Subjectum & prædicatum identificari quoad Rectum: Rectum autem hujus Propositionis tam subjecti, quam Prædicati est *habens*, sive suppositum hypostasis, persona (quæ loquendo de Christo sunt synonyma) facit enim hunc sensum, persona seu habens naturam divinam & humanam sibi unitas; est persona seu habens æternitatem, ergo vera est propositio. Quo sensu locutus est Christus dicens: antequam Abraham esset, *ego sum*, id est mea persona, non solum natura Divina: unicam autem in Christo personam confitemur omnes orthodoxi contra Nestorium, utique æternam. Nec obstant prædicta, quia Christus non est pura creatura, cui repugnat esse æternam: licet persona

ſona Verbi æterna aſſumpſerit humanitatem in tempore, adeoque hoc complexum [natura Divina & humana hypoſtatice unitæ] ſit temporaneum: Vide Card. Sfondrati in Logica.

XIX. Objicies 1. Dies & anni, & cogitationes Angelorum & hominum, tota æternitate ex parte poſt futura, non ſunt infinita categorematice, ergo etiamſi fuiſſent & effluxiſſent ab æterno ex parte ante dies & anni, & Angeli &c. non forent infiniti categorematice. Reſp. aſſignando diſparitatem, quia dies & anni tota æternitate ex parte poſt futuri, nunquam poſſunt exiſtere omnes ita, quin plures ſemper ſuperſint in potentia ad exiſtendum; adeoque dicunt inconſummabilem potentialitatem ad actum exiſtentiæ, & conſequenter eſſentialem inadæquationem in ratione multitudinis, fundatam in potentialitate inexhauribili ad actum exiſtentiæ. Vnde ſequitur, quod non conflent multitudinem aliquam totam adæquatam actu infinitam, uti conflarent dies & anni ab æterno præteriti actu diſtincti, qui omnes actu extitiſſent, nullamque amplius dicerent potentialitatem ad actum exiſtentiæ. Deinde etiamſi ob defectum coexiſtentiæ anni & dies præteriti non conflarent multitudinem infinitam actu, eam tamen Angeli creati & Circuli ducti, de quibus ſup. probat. 2. conſtituerent, cum omnes & ſinguli, non tantum extra cauſas, ſed etiam ſimul exiſterent.

XX. Objic. 2. Negationes rerum fuerunt ab æterno, & in tempore deſtruuntur ſuo modo, nimirum cum exiſtunt res negatæ: ergo ſimiliter quoque entitates rerum eſſe poterunt ab æterno, & in tempore deſtrui, determinata earum negatione. Reſp. Neg. ſuppoſitum non uno ex capite. 1. quod negationes ſint aliquid in eſſe rei, & nihil quoque ſunt in eſſe objectivo, ut oſtendemus loco proprio Tract. de Negationibus. 2. quod negationes neceſſariæ ſint contingentes: ſi Mundus eſt impoſſibilis ab æterno & quælibet creatura, non eſt negatio ejus contingens ab æterno, ſed maxime neceſſaria, quæ nunquam, neque in tempore, neque in æternitate & nullo modo deſtruitur, in quocunque tandem hæc negatio conſiſtat, quod modo non diſcutio.

XXI. Objic. 3. Eſſentiæ rerum ſunt ab æterno & æternæ, & in tempore modificantur ut exiſtant, hoc eſt ponuntur extra cauſas in ſtatu exiſtentiali: ergo etiam creatura æterna exiſtens ab æterno poſſet ita modificari, ut ponatur in ſtatu exiſtentiali negativo. Reſp. Diſt. ant. Eſſentiæ rerum ſunt ab æterno *in eſſe mere objectivo*. Conc. *in eſſe reali*. N. ant. & conſequentiam. Illud primum nihil aliud deſignat, quam quod poſſint in mentem venire & cognoſci ab intellectu æterno; unde æternitatem, quam habent illæ eſſentiæ, eſt ipſa cognitio divina æterna, quæ certe indeſtruibilis eſt, & neceſſario exiſtens & inconſervata.

Cæterum illæ Eſſentiæ nullam æternitatem habent intrinſecam ſibi, nec poſſibilitatem æternitatis, quia non poſſunt exiſtere ab æterno, ſed ita mirabiliter poſſunt exiſtere, & creari a Deo quandocunque libuerit, ut ad hoc ipſum non exſpectet quod tranſeat ulla æternitas, ſed hac immutabiliter perſiſtente, quandocunque exiſtent illæ eſſentiæ, eſſentialiter conſequetur ſeries certæ durationis & propriæ ipſarum, & hoc eſt creari in tempore & exiſtere in tempore.

XXII. Obſerva Philoſophis in hac materia de Durationibus deficere terminos, quibus proprie conceptus ſuos valeant exprimere; ideoque ſæpius hærere aut circumloqui, aut, ſi dictiones in aliena ſignificatione cogantur uſurpare, obſcuros fieri, lectoresque trahere in ſenſus æquivocos. Ex. gr. Particula *Eſt* diverſas habet acceptiones: dicimus enim Pulſus *eſt* ſanus, pro, indicat ſanitatem. Medicina *eſt* ſana, pro, cauſat ſanitatem. Homo *eſt* animal rationale, id eſt, identificatur animali rationali: & hunc ſenſum habet in propoſitionibus, quæ dicuntur æternæ veritatis.

XXIII. Animadvertens hoc acutiſſimus Caramuel, calamum ſibi paravit philoſophicum, quo grammaticarum inſtitutionum ſuppleret defectum, maxime circa verbum ſubſtantivum *ſum*. Nam adjectiva ad illud reduci poſſunt, quem Modum conjugandi Metaphyſicus, licet ſubtilior videatur, volui curioſo Lectori hic ſubjicere, ſervit enim ad ſublimiores conceptus, pono autem Verbi ſubſtantivi *ſum* inflexionem ſequentem.

Modus Metaphyſicus.

(1.) *Conſideratio Eſſentialis.* *SAM*, ego, ſive exiſtam ſive non exiſtam, conſideratus ſecundum prædicata eſſentialia *SAM* [puta animal rationale] *ſas*, *ſat*: *ſamus*, *ſatis*, *ſant*. Et ſumitur præciſive & negative, hoc eſt præſcindendo ab exiſtentia aut eam negando.

(2.) Conſideratio *exiſtentialis*. *SEM*, ego quidem exiſto in rerum natura, ſed careo tempore, ſive *quando*. *Ses*, *ſet*, *ſemus*, *ſetis*, *ſent*.

(3.) Conſideratio *æterna*. *SYM*, ego per durationem ſimultaneam & indiviſibilem, omni præterito, omni præſenti & omni Futuro *ſym* præſens, *ſys*, *ſyt*, *ſymus*, *ſytis*, *ſynt*. Huc ſolum pertinent propoſitiones quiditativæ divinæ: nam quiditativæ finitæ, & creatio ſpectant ad primam conſiderationem, ut animal *ſat* vivens ſenſibile. Homo *ſat* animal rationale.

(4.) Conſideratio *ampla*. *SOM*, ego per durationem ſucceſſivam ſemper fui, ſemper ero, *ſos*, *ſot*, *ſomus*, *ſotis*, *ſont*. Hæc conveniret Mundo Peripatetico, & cuicunque creaturæ, quæ eſſet ab æterno, & in æternum. Hæc conſideratio, ſi ſumatur negative, conveniet propoſitionibus, quæ dicuntur æternæ veritatis: hæc enim propoſitio; homo *ſot* animal rationale, æquivalet huic, nullum fuit tempus, nec eſt, nec erit, in quo fuerit verum dicere: homo non eſt animal rationale. Hæc etiam amplitudo ſumitur æviterne: cum enim agimus de creaturis, quæ ſunt immortales de facto, carent illa extenſione præteriti; nulla enim creatura ab æterno fuit condita. Quamobrem hæc propoſitio: Angelus *ſot*, æquivalebit huic; Angelus ſemper eſt, & ſemper erit.

(5.) Conſideratio *præciſa*. *SVM*, *ſus*, *ſut*; *ſumus*, *ſutis*, *ſunt*. Hic non eſt timenda æquivocatio, nam ſola tertia perſona ſingularis numeri frequentatur. Eſtque ſimilis tempori aoriſtico apud Græcos, latine caret vocabulo.

Hæ conſiderationes ſervient, cum in Metaphyſica & Theologia de Quiditate, Immenſitate, Æternitate, Prædeſtinatione, Scientia Divina & Trinitate diſputabitur. Comprehenduntur hi 5 Modi metaphyſici hoc verſiculo:

1 2 3 4 5
Res eſt, exiſtit, æternum, ſemper, & unquam
a e i o u

Ens

andi

Ens participium est nomen substantivum. Ens adjectivum sonat id quod est (*sat*) entis; debetque a substantivo distingui, vel nos sæpe in magnos labyrinthos inducet.

XXIV. Objic. 4. Datur ab æterno potentia creandi Mundum, ergo Mundus potuit creari ab æterno. Resp. dist. tricam, datur ab æterno potentia creandi Mundum ab æterno. N. creandi Mundum in tempore. Conc. Datur potentia divina creandi: nunquid datur potentia creandi Deum? aut modum?

Instabis. Si daretur ab æterno potentia necessaria creandi Mundum, absolute daretur Mundus ab æterno; ergo si datur ab æterno potentia libera creandi Mundum, potest contingenter & libere creari Mundus ab æterno. Resp. cum P. Ptolomæo ex hac hypothesi impossibili quadruplex contradictorium consequitur; etenim necessitas illa ex duplici capite est chimerica, & quoad substantiam effectus necessarii, & quoad circumstantiam æternitatis. Chimera est prima Deus fatali necessitate adactus ad creandum quidpiam: secunda ad creandum illud ipsum ab æterno: hæc tamen secunda chimera essentialiter nectitur cum prima ex illo principio, quod causa necessaria proxime expedita in eo instanti in quo est, in eodem producit effectum. At a chimeris recipe te ad perfectiones divinas: potentia libera & omnipotens ad effectum producendum non eo ipso libera ad producendum illum ab æterno, neque enim connectuntur ista duo: posse libere producere effectum, & posse libere illum ducere ab æterno, quia necessarium non nectitur cum chimerico, esto duo chimerica chimerice invicem nectantur. En disparitas! Deus ergo quantumvis omnipotens non potest tamen effectum aliter producere quam in se sit producibilis, nec contradictoria reddere simul vera, vel simul falsa, nec duos montes sine valle, non ob defectum ex parte sua, sed ob repugnantiam prædicatorum essentialium objecti, qualem reperiri in creatura æterno ostendimus.

SECTIO III.

De Tempore Imaginario.

XXV. Diximus alibi omnia entia finita constitui ex esse & non-esse: & quæcunque sunt minus finita, minus habent de non esse, & magis de esse: quæ vero magis sunt finita, plus habent de non-esse. Idcirco inter Entia minimam entitatem habent, & maximam non-entitatem negationes apprehensæ, ut *λη non*, *λη nihilum*, quibus utitur intellectus, ut signis declarantibus non esse, & sunt aliquid in intellectu. Deinde privatio, ut cæcitas: cæcum esse est carere visione; carentia autem nullum esse habet, nisi quia in hoc ente, scilicet animali habet, ut exerceat actum non-essendi videns. At si totum subjectum destruat, magis nihilo est proxima, ut mors & corruptio, quo est corruptio, & non quo est simul generatio. Post hæc sunt entia successiva, ut motus & tempus. Motus enim est esse fluens mobilis: & quatenus esse, est ens; quatenus fluens est non-ens. Nam ideo fluit, quia non habet potentiam subito complendi actum. Idcirco illuminatio a potentissimo Sole subito fit, & non successive, saltem sensibiliter, quoniam potentissimum est agens, & materia aëris transpicui nihil repugnat. Videtur ergo successio provenire ex impotentia essendi totum ubi volumus. Et ideo omnia entia mortalia semper in quodam fluxu & motu sunt; & sicut fluvius, qui nunquam est idem, & sicut lux candelæ, cujus pars petit sursum & abit, pars generatur semper alia: ita & corpora nostra & spiritus animales. Quapropter mutatio ipsa est non-entis administratione multa condita. Et quidem hinc relucet, quare entia successiva non vere entia sint: quod enim ipsorum præteriit, non est, quod futurum est, nondum est, præsens autem indivisibile est, & prope nihil, si fluxum respicias. Si formam fluentem, est gradus quidam entitatis, qui in illo instanti potest acquiri. Vnde Veteres non indocte motum inter non-entia computarunt. Iam vero Tempus est ipsimet successio, quæ respondet parvitati & paucitati potentiæ permanendi in esse: & ideo substantia Angeli super tempus est, quia non perditur & instauratur, uti nostra: sed habet successionem in operationibus exterioribus, quoniam non est infinita, ut subito fiat, quod faciendum vult. Deus autem Tempus & Ævum transcendit, quia omnis successionis expers.

Cum igitur Tempus tam parvam & exiguam habeat entitatem; (prout etiam Relationes uti suo loco patebit) nec tamen sit merum ens rationis, sed independenter a nostris cogitationibus reperiatur, quippe in principio Temporis creatus est Mundus & tempus: & Theologi contestentur quatuor esse coæva ab initio simul creata, Cœlum Empyreum, Angelos, materiam primam & tempus: Deus autem non creavit Entia rationis, sequitur Tempus esse reale quid. Quid ergo intelligunt AA. per Tempus imaginarium? Quid de illo sentiendum? Respondeo, idem quod de spatio imaginario. Assentior enim P. Andreæ Capittel in thesibus Dilinganis de Ao. 1619. in quibus n. 70. spatium imaginarium *merum nihil & figmentum imaginationis* dicit. Concordat Caramuel Lib. 8. Phil. Disp. 2. de Loco, art 1. num. 3019. his verbis: "Ego (rem, fateor) judico imaginarias & chymericas contemplationes asse, quæ in Philosophiam intrudunt Rationis, entia, modos concipiendi, nec non spatia imaginaria, [addo tempora imaginaria]. Hæc quid sunt? Reale, aliquid aut imaginarium? Si reale quid sit, aut productum erit, aut improductum: erit mere chymericum, si mere imaginarium. Doceri velim cur in spatio chimerico non debeant corpora esse chymerice, aut moveri ficte? Certe in imaginario spatio, corpora erunt imaginarie; vere, non nisi in vero. Puer subjectus ferulæ docentem spatia imaginaria, audire dedignabar, videbar enim intueri apertissimam contradictionem, quam senior nunc respicio, clarius. Albedo existens constituit actuale album, futura, futurum, intensum profunde radicata: albedo ficta constituet album fictum, imaginaria imaginarium." Sic sentit Caram. Quid clarius?

Nihilominus P. Joan. Bapt. Ptolomæus mordicus contendit Tempus & Spatium imaginaria, non asse figmenta, vel entia rationis, sed realia: fatetur tamen non dari a parte rei in statu existentiali, ut placuit Gassendo. Ergo hæc propositio? Tempus imaginarium *est* ens reale juxta Modum metaphysicum Caramuelisticum, deberet sic proferri; Tempus imaginarium *sat* ens reale: sicut ista, homo est animal rationale, abstrahit enim ab existentia actuali; & sunt entia mere possibilia; spatium imaginarium est corpus locabile, seu corpus conceptum ut ponibile extra universum &c. Definit autem Tempus imaginarium ut est in se, quod sit *possibilitas vage sumpta successionis continua*

continua momentanea finite in infinitum. Quod autem non sit merum figmentum; nec tamen detur a parte rei in statu existentiali, probat ab analogia cum spatio imaginario, quod Differt. 6. Physico-Metaph. sect. 1. declarat in hunc modum: Num. II. *Spatium* (inquit) derivatum *a pateo* synonymum est cum *capacitate & latepatentia*, cum proprie usurpatur, de loco, non de tempore intelligitur: ad tollendas tamen æquivocationes dicitur *spatium locale*: non est idem proprie ac terminus *locus*; videtur enim spatium locale esse genus, divisibile in *spatium plenum*, quod proprie dicitur *locus*; & in *spatium vacuum*, quod absolute dicitur *inane, seu vacuum.*

Non assequor hanc subtilitatem, quasi vero locus vacuus & locus plenus differant specie: & cur non vas vacuum & plenum? saccus refertus nummis, & vacuus? cantharus vacuus & repletus? Et pergit Num. III. Si quis petat ubi a Deo creatus sit Mundus? Quid erat ibi, ubi nunc Mundus est, antequam esset? Si tota Mundi machina a Deo loco moveretur, quid hic ubi modo Mundus est remaneret? Quo Mundus perveniret? Responderi solet ad omnia ista. Mundus est creatus in spatio, ante Mundum erat spatium, abeunte Mundo remaneret spatium; Mundus loco motus perveniret ad spatium. Quibus responsionibus, vox quidem profertur usitatissima (nempe *spatium*) sed *cujus significatum nimis latet* (ut Augustinus dicebat).

Subdit Num. IV. Si quis adhuc petat, quid homines imaginentur, cum cogitant spatium? Non difficile respondetur, juxta dissert. 12. Logicæ de Phantasmatis substitutis: nam sicut cætera objecta insensibilia, istud maxime insensibile, per species alienas cogitamus. Itaque humanus intellectus, cum *spatium* cogitat communiter substituit phantasma hujusmodi: Imaginatur maximam extensionem corpoream, eamque trinam, circumquaque diffusam a qualibet ejus parte designabili, idque sine fine (hoc est non imaginando illum terminum illius) eamque tenuissimam & subtilissimam ea tenuitate, qua solemus Angelos imaginari, ut cum corporibus possint penetrari, eamque immotam & immobilem, eamque item obscurissimam ea obscuritate, qua tenebras imaginamur: in hoc phantasmate substituto, *spatium* & *spatia* percipimus, ut in phantasmate juvenis alati Angelos: sed ex illo phantasmate ad intelligendum quid sit spatium, ut est in se, adeo parum proficimus, atque ex phantasmate Iuvenis alati ad Angelum ut est in se.

Num. V. Ex hujusmodi communissimo phantasmate processit hic terminus *spatium imaginarium, seu phantasticum.* Vnde dicimus ultra Mundum esse spatia imaginaria. Sed multa explicatione est opus, & Primo, Cur perinde non dicatur *Angelus imaginarius* ratione phantasmatis, *corpus* ut *sit imaginarium* ratione phantasmatis universalizantis; tantummodo vero dicatur *spatium imaginarium*, & quandoque etiam *tempus imaginarium?* Ex hac, inquit, disparitate loquendi nonnulli persuasi sunt, ut dicerent spatia imaginaria esse merum figmentum, & nihil esse omnino: quodque magis mirere ab eorum nonnullis plus tribuitur chimeris, quam spatiis, plus negationibus formalibus, cum dicant istas & illas habere vere esse objectivum, nec fingere intellectum cum illa meditatur.

Num. VI. Ad petitionem dico: propterea spatium & tempus *imaginarium* dici a sapientibus, reliqua vero objecta in phantasmate cognita, imaginaria non dici: quia per talia phantasmata vel phantasmatum particulas cogitamus spatia ut in statu essentiali & possibilitatis; per quæ cogitamus plerumque objecta alia ut in statu existentiali tantulū addita correctione, & pene inobservata a plerisque cogitantibus de spatio imaginario. Difficillimum enim est & fere humanitus impossibile, hujusmodi objecta, videlicet spatium & tempus phantastice cognoscere secundum statum præcisæ possibilitatis: quin eo ipso cogitemus perinde, ac si secundum statum existentialem objecta illa cogitaremus: non ita cum Angelum, aut animam rationalem, aut Mundum præcise possibilem in phantasmate substituto intelligimus. Ratio est, quia difficillimum est concipere possibilem capacitatem, in qua possit ex. gr. a Deo Mundus creari, quin illa capacitas existens concipiatur: possibilis enim capacitas videtur esse idem ac possibilitas possibilis (aut potentia possibilis) cui objecto utpote absurdo repugnat intellectus ex dissert. 3. Physico-Metaph. sect. 1. n. 10. Atque inde factum est, ut spatia & tempora possibilia, dicantur spatia & tempora imaginaria. Hactenus Ptolomæus.

XXVI. At mihi ad quæstiones num. III. propositas aliter videtur respondendum. Ad prima quidem, Vbi a Deo creatus sit Mundus? Resp. in eo spatio seu loco, ubi de facto est: quid autem sit illud spatium seu locus intrinsecus, explicabimus alibi, non per spatium phantasticum, sed reale existens. Ad 2. Quid erat ibi, ubi nunc Mundus est, antequam esset? Resp. Neg. suppositum, nempe Mundo nondum condito fuisse *ante* quia hæc particula denotat partem temporis elapsam, cum tamen Mundus in principio, hoc est primo instanti temporis fuerit conditus: in illo ubi conditus fuit nihil erat nec præcessit, nisi Deus, qui ubique est & nullibi. Ad 3. Si tota Mundi Machina a Deo loco moveretur, quid remaneret in loco? Deus. ad quem locum Mundus perveniret? ad aliam immensitatis divinæ virtualitatem ejusdem spatii increati. Ita loquuntur SS. PP. Damascenus L. 1. de fide orthod. "Deus ut qui materiæ ac circumscriptionis expers, „ sit, haud quaquam in loco est, ipse enim suiipsius lo- „ cus est. Accinit S. August. Lib. 83. qq. q. 20. & „ huic Theophilus Antiochenus L. 2. ad Autholycum, „ non longe a principio. „ Idem D. August. 7. Confess. c. 5. ibi: "Mundus in Deo velut spongia parva, „ in Oceano immenso: spongia penetratur aqua, con- „ tinetur unda, superexceditur abysso immensa: sic, „ Mundus penetratur, pervaditur, continetur unde- „ quaque exceditur immenso Deo. „

XXVII. Cæterum præfatus Author doctissimus num. XIV. ibid. clarissime se explicat, quo sensu spatium imaginarium (& pari modo Tempus imaginarium) vocet ens reale, nempe quo sensu cætera entia realia in statu possibilitatis considerata, dicuntur habere esse reale: nam si dantur cætera possibilia a parte rei, inquit, cur spatium possibile non detur? Verum si reponat quis cum Thoma Campanella spatium actuale esse substantiam incorpoream, coævam materiæ, creatum a principio veluti basin sustentativam universi, penetrabilem ab omni corpore &c. Tu forte conceptum hunc vocares chimericum, & consequenter tale spatium seu capacitatem impossibilem; ergo & spatium imaginarium fictitium &c. discutiendum ergo ante omnia, in quo consistat ratio loci intrinseci

trinseci actualis, ut de ejus possibilitate cum fundamento aliquid statuamus. Pariformiter de Tempore imaginario differendum, quod nil aliud importet, quam tempus possibile. Ergo quærere an Deus existat in Tempore imaginario, est idem ac quærere an existat in tempore possibili: & an existat in spatiis imaginariis, ac si quæras an existat in loco possibili? quæ sunt ridicula. Nam & equus in communi, seu vage & indeterminate sumptus, est aliquid reale: sed quis unquam insidentem vidit equitem equo in communi? Sic quidam mihi notissimus Philosophiæ Professor docuit Ranam in communi, sed indeterminate sumptam esse causam principalem ranæ ex putri materia genitæ: & Ranam illam in communi rite intellectam non esse ens rationis.

Quod ipsum elucet ex proprietatibus, quas assignat Ptolomæus, spatio suo phantastico, quarum quinta: "Deus inde est, & durat in tempore imaginario, quia "ita cogitamus per species alienas, & per anthropolo-"giam ita loquimur, ut cum dicimus *Deum pœnitere*. "Cæterum tempus imaginarium nihil est in esse exi-"stentiali, & Deus non durat innumerabili duratione "per successionem temporis."

Ad quid ergo docetis juvenes formare conceptus falsos, ut sibi persuadeat Deum existere in ente non existente? ad quid ejusmodi fictiones poeticæ & fabulosæ? hæccine Vera philosophia?

Septima proprietas: "Deus itaque ita est in tempo-"re imaginario (aut esse cum fundamento cogitatur) "ut tempus illud imaginarium præscindat a præsenti, "præterito, & futuro, & præcise sit possibile, quod "tandem est idem ac dicere, *Deus semper est*. Hinc "fit lux unde intelligatur quomodo & in tempore rea-"li Deo nihil sit præteritum, vel futurum, sed vel præ-"sens positive, cum res existit; vel non præsens præci-"sive, cum res non existit."

XXVIII. Ergo hactenus in verbis lusum est, si est Deum esse in tempore imaginario, reipsa nil aliud sit, quam Deum semper esse. Hoc citra fictionem nobis imaginari possumus per ideam æternitatis propriis nominibus, ut loqui solet hic Author. Et quid amabo concipis, tum tempus imaginarium sine successione fingis abstrahendo a præterito, præsenti & futuro, & solum ens possibile? quomodo concipies hominem possibilem sine animali rationali? ante successio non est æque de essentiali conceptu Temporis, ac de homine animal rationale? quod addit de præsentialitate rerum in æternitate, quod attingat mentem D. Thomæ, mox patebit.

SECTIO IV.

De physica creaturarum (præteritarum, præsentium, futurarum) præsentia in æternitate.

XXIX. Controversia celebris est, utrum omnes creaturæ, non tantum de facto existentes, sed etiam præteritæ & futuræ sint Deo in æternitate præsentes, non objectiva tantum præsentia & in esse cognito, quam nemo negat, sed etiam reali & physica? ubi RR. cum Scoto communiter negativam? Thomistæ sequuntur affirmativam, cum quibus sentiunt Granado tract. 4. Disp. 3 sect. 2. de Quiros disp. 48. sect. 4. Derkennis disp. 4. c. 1. §. 3. n. 11. Pro cujus explicatione

Nota 1. Per physicam rerum præsentiam & coëxistentiam non id intelligi, quasi res futuræ per quandam anticipatam sui productionem coëxtendantur toti æternitati: sed quod ipsa æternitas ratione infinitæ suæ continentiæ virtualiter coëxtendatur ad omne tempus, omnesque durationum differentias ambiat, ac rursus ratione suæ incommutabilis ac indivisibilis simultatis, ea quæ in seipsis successive fluunt, ac transeunt, faciat sibi præsentia.

Nota 2. Tria esse prædicata æternitatis bene ante oculos habenda. Primum est *infinitas durandi*, ratione cujus omnes inferiores durationes eminenter continet, iisque æquivalet. Secundum est *indivisibilitas*, ratione cujus non potest per partes, quas nullas habet, successivæ & temporaneæ durationi coëxistere: sed necessario se tota singulis partibus durationis virtualiter coëxtenditur, quemadmodum anima in se formaliter indivisibilis coëxtenditur toti corpori, & corpus Christi propter indivisibilem modum existendi omnibus & singulis specierum Eucharisticarum partibus totum coëxistit. Tertium est, *immutabilis uniformitas*, per quam æternitas, quidquid semel mensurat ac possidet, invariabiliter mensurat ac possidet. Vnde æternitas non habet se ad instar baculi in fluvio defixi, ut sicut iste partibus aquæ successive alluentibus fit præsens unam post alteram expectando: sic illa rerum in hoc orbe sibi succedentium vices in se tamen invariata exspectet, & tum demum eas mensuret iisque coëxistat, cum in propria duratione extra suas causas positæ fuerint: nam expectare rerum successionem & fluxum, unum mensurare post alterum, *circumscriptarum & mutabilium durationum sunt propria*, S. Anselmus Monol. c. 22. & cum æternitatis simultate infinite immutabili & indivisibili repugnant. Finge animo infinitum tempus; certe infinito tempori quidquid fuit vel erit, coexisteret, licet non toti tempori, sed aliis atque aliis ipsius partibus.

Quod si per impossibile non haberet partes, jam omnis duratio ipsi toti coëxisteret. Ita enimvero de æternitate sentiendum: est nimirum infinita duratio, & ita ipsi coëxistere est necesse, quidquid unquam existit; cumque rursus sit indivisibilis & tota simul, quidquid ipsi coëxistit, toti coëxistit.

Nota 3. Æternitatem non esse propriam & adæquatam rerum creatarum mensuram; sed alienam (quia est ordini superioris & alterius rationis a propria cujusque rei duratione) inadæquatam & excedentem; licet enim in se sit indivisibilis, ideoque se tota cuilibet durationi coëxistat; quia tamen propter infinitam suam eminentiam aliis durationibus in infinitum futuris & possibilibus æquivalet, quamvis durationem virtualiter excedit. His positis

XXX. Dico. Non tantum ea quæ existunt, sed quæcunque præterita & futura æternitati divinæ physice sunt præsentia. Probatur 1. ex S. Script. Nam Apost. ad Hebr. 1. loquens de Filio dicit: *per quem fecit & sæcula*, sed in sæculis quædam entia sunt futura, ergo coram Deo etiam entia *futura sunt facta*: si facta, ergo non objective tantum præsentia. Rursus ad Rom. 4. de Abraham ita loquitur: *Patrem multarum gentium posuit ante Deum, qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt*. Vbi quod in seipso erat futurum, explicat per verbum de præterito, *posuit*, ut ostendat etiam futura Deo (*ante Deum*) jam esse præsentia: quod etiam ratione confirmat, cum dicit: *qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt*. q. d. sic intuetur facienda, sicut facta, nec minus futura sunt ipsi

ipsi præsentia, quam ea quæ jam sunt facta. Tandem Iob. 14. dicitur: *Numerus mensium ejus apud te est*, ubi *λη est* exprimit temporum nostrorum coram Deo stantem præsentiam, ita exponente D. Gregorio 12. Moral. c. 1. quoniam apud omnipotentem Deum etiam labentia stant, apud eum esse numerum mensium nostrorum perhibet.

Probatur 2. auctoritate SS. PP. inprimis S. Augustini 4. de Trinit. c. 17. *apud Deum* inquit, *præterita & futura stant*. & L. 5. c. 16. *apud Deum nec præsentia transeunt, & futura jam facta sunt*. S. Gregor. M. 20. Mor. c. 23. "*in æternitate nec præterita, nec futura* "*reperiri queunt*, sed cuncta mutabilia immutabiliter "durant, & quæ in seipsis simul existere non possunt, "illi simul omnia assistunt, nihilque in illa præterit, "quod transit, quia in æternitate modo quodam in"comprehensibili cuncta volumina sæculorum ma"nent, currentia stant.„ S. Petrus Damianus epist. 4. de Omnipot. Dei c. 8. "Omnia, quæ apud nos e"labendo discurrunt, & per temporum vicissitudines "se variant, apud illud *HODIE* (æternitatis) stant, & "immobiliter perseverant. In illo *HODIE* dies ille "adhuc immobilis est, in quo Mundus iste sumpsit o"riginem: in illo jam & ille nihilominus est, in quo "judicandus est per æterni judicii æqoitatem.„ Boëtius de Consol. phil. "Coram Deo præsentia non "transeunt, fixa stant, futura non exspectantur; omnia "sunt simul, etsi nobis successiva. Ex his porro & Ejusmodi pluribus authorit. quas refert Ruiz Disp. 29. sect. 4. vides Scripturam & PP. de futuris respectu Dei loqui, *illa jam facta esse, simul durare, assistere, fixa stare, immobiliter perseverare* &c. quæ omnia rerum præsentiam in Dei æternitate loqunntur.

Respondebis. Objectivam quidem præsentiam per allegata adstrui, non physicam & realem. Sed Contra est 1. Quod si SS. PP. intelligerent tantum intentionalem & objectivam præsentiam rerum floentium omnibus cognoscentibus communem, frustra illam S. Gregorius l. cit. *incomprehensibilem*; Gregor. Nissen. L. 1. contra Eunomium, *inexplicabilem* frustra hæc S. Anselmus Monol. c. 22. diceret, tam contraria secundum prolationem tam necessaria secundum probationem.

Contra est 2. quod per objectivam præsentiam non recte dicitur aliqnid *factum* esse; uti nec crastina dies, quantumvis in mea cognitione præsens, recte dicitur illuxisse.

Contra est 3. quod præsentia tantum objectiva optime stat cum vera & propria præscientia futurorum; imo hæc non potest esse sine illa: atqui SS. PP. negant in Deo proprie dari præscientiam futurorum, eo quod respectu ipsius nihil sit futurum. Ita S. Augnst. L. 2. ad Simplic. q. 2. quid est præscientia, nisi scientia futurorum? quid autem futurum est Deo, qui omnia supergreditur tempora? S. Anselmus L. de casu diab. c. 21. Præscientia Dei non proprie dicitur præscientia: cui enim omnia semper sunt præsentia, non habet futurorum præscientiam, sed præsentium scientiam.

Contra est 4. quod SS. PP. loquuntur de æternitate ceu speciali attributo, sed attributum æternitatis non pertinet ad genus cognitionis sed durationis realis, ergo quatenus causat præsentiam rerum, non causat præsentiam objectivam, sed realem. Nam cognoscit eadem, quia est omnipotens, & omnia ab eo dependent ut a causa & fonte: unde si per impossibile Deus non esset æternus, hoc est, non haberet suam durationem totam simul, adhuc illa cognosceret (licet non ut præsentia) cognosceret enim hujus ratiocinii efficaciam: "Sum Deus; sine me nihil est. Ergo„ erunt creaturæ, quas voluero: & quas noluero, non„ erunt. Sed volo has fore, illas non fore: istæ ergo„ erunt, illæ non erunt.„

Probatur 3. authoritate D. Thomæ, cujus mens pro veritate nostræ assertionis est indubitata. S. D. præsentiam futurorum in æternitate distinguit ab illa, quam habent in cognitione, ergo illa præsentia non est mere objectiva, sed realis. Consequentia est manifesta, quia alius modus præsentiæ non est assignabilis. Ant. probatur 1. p. 1. q. 14. a. 13. docet S. D. *quod omnia, quæ sunt in tempore, sunt Deo ab æterno præsentia, non solum ea ratione, qua habet rationes rerum apud se præsentes* (ut quidam dicunt) *sed quia ejus intuitus fertur ab æterno super omnia prout sunt in sua præsentialitate.* Ecce S. D. opponit & contradistinguit præsentiam qua res Deo *in sua præsentialitate* sunt præsentes, ab illa objectiva, quæ sunt præsentes in cognitione & ideis, *per quas rationes rerum habet apud se.* Secundo hanc ipsam distinctionem clarius exprimit in 1. dist. 38. q. un. art. 5. in c. ubi dicit: *quod Deus omnia contingentia in temporibus diversis ab æterno præsentialiter videt, ut tantum ut habentia esse in cognitione sua.* Ergo præter præsentiam in esse cognito, agnoscit aliam quæ non alia potest esse, quam realis & physica. 3. Juxta S. D. cit. q. 14. Deus futura cognoscit præsentialiter, prout *unumquodque eorum est actu in seipso*; sed præsentia, qua sunt actu in seipsis præsentia, est realis & physica, non tantum objectiva, quæ habetur sufficienter per speciem rei. 4. Idem S. D. ex eo probat quod Deus præsentialiter cognoscat omnia futura, quia sunt præsentia in æternitate: ergo distinguit præsentiam quam habent in æternitate, a præsentia quam habent in cognitione. Consequentia prob. quia si S. D. per præsentiam in æternitate solum intelligeret objectivam præsentiam in esse cognito, probaret idem per idem, essetque perinde ac si diceret: ideo videt Deus omnia præsentia, quia videt omnia præsentia, cum objectiva præsentia nihil aliud sit quam simul cognosci. Ant. vero constat ex cit. art. 13. q. 14. o. illis verbis: "Licet contingentia„ fiant in actu successive, non tamen Deus successive„ cognoscit contingentia prout sunt in suo esse, sicut„ nos, sed simul: quia sua cognitio mensuratur æternitate, sicut etiam suum esse. Æternitas autem tota„ simul existens ambit totum tempus &c.„ Et 3. contra gent. c. 154. "Futura contigentia soli divinæ co„ gnitioni subsunt, quia ea in seipsis videt, cum sint ei„ præsentia ratione suæ æternitatis.„ Similia habet q. 2. de verit. a. 12. & aliis pluribus locis. 5. S. D. negat l. sup. cit. & L. 1. contra gent. c. 66. res sibi invicem esse præsentes, quæ sunt Deo præsentes in æternitate: sed per objectivam præsentiam sunt sibi quoque præsentes, ergo S. D. aliam præsentiam intelligit, quam objectivam.

Sed quid his immoramur? Admittent Add. ultro ita sensisse S. Thomam, sed Scotum sensisse contrarium, adeoque non auctoritate, sed rationibus certandum. Idcirco probatur nostra assertio quarto ratione. Quodcunque æternitas Dei claudit & continet, est ipsi præsens: sed omnem realem & physicam cujuscunque

cunq; rei durationem æternitas Dei claudit & continet; ergo omnis physica cujuscunque rei duratio est ipsi præsens. Ergo res secundum physicam, non objectivam tantum existentiam, sunt Deo præsentes, siquidem rei duratio physicum illius esse importat. min. constat. maj. probatur, Æternitas omnia mensurat secundum modum proprium: nec ipsa se rebus, sed res sibi accommodat: sed ipsa est mensura indivisibilis, & infinite invariabilis, unum perpetuo essentialiter, & *præsentialiter stans nunc*, ergo quidquid continet facit sibi præsens. Maj. constat: si enim æternitas non ad suam præsentialitatem omnia traheret, sed expectaret rerum sibi invicem succedentium affluxum, etiam unam rem mensuraret post alteram, aliquando coëxisteret rebus, aliquando non coëxisteret; nec majori perfectione illas mensuraret, quam ævum angelicum, siquidem & Angelus rebus invicem succedentibus secundum totum suum indivisibile esse successive coëxistit: jamque aliquid respectu æternitatis esset anterius & posterius, nec ipsa totum tempus ambiret & exhauriret, aut omnem durationem simultanee possideret, quæ omnia pugnant contra infinitam invariabilitatem & perfectionem æternæ durationis, quia ex quacunque parte, sive mensurantis sive mensurati, detur successio, cessat simultanea possessio mensurati, & infinita uniformitas mensuræ. Est quoque contra modum loquendi SS. PP. ipsiusque Regii Psalnis ps. 89. dicentis: mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna, quæ præteriit.

Probatur 5. Nisi creaturæ essent Deo physice præsentes in æternitate, Deus ab æterno non haberet de futuris Scientiam Visionis; consequens est absurdum. E. seq. prob. Scientia Visionis est cognitio rei in se physice præsentis: sed si creaturæ non forent Deo in æternitate physice præsentes, Deus ab æterno non haberet cognitionem de ipsis, ut in se physice præsentibus, ergo ab æterno non haberet de ipsis Scientiam visionis.

Confirmatur. Si res aliquando sint Deo physice præsentes, aliquando non sint physice præsentes, sequitur scientiam Dei de rebus fere mutabilem, consequens est absurdum. E. sequela prob. illa scientia aliquando esset intuitiva, aliquando non esset; esset intuitiva, quando res actu physice existerent; non esset intuitiva, quando physice non existerent, ergo esset mutabilis. Ais, tantum fore mutabilem extrinsece, & ex parte rei visæ; non autem intrinsece & ex parte visionis. Contra est 1. quod visio sit actus immanens, qui absque intrinseca mutatione videntis aliter se habere non potest. Contra est 2. si Decretum Dei de ponendo Antichristo transiret in Decretum de non ponendo Antichristo, non esset extrinseca sed intrinseca mutatio ex parte actus: ergo si scientia intuitiva transeat in non intuitivam & abstractivam, vel econverso, non tantum erit extrinseca sed intrinseca mutatio ex parte actus. Vtrobique enim est actus immanens Dei.

XXXI. Hactenus authoritate SS. PP. & D. Thomæ assertionem nostram stabilivimus, & rationibus, quibus adde DD. Scholasticos, Alvarez, Abulensem, Ferraram, Cordubam, Capreolum, Richardum, Bannez, Cajetanum, qui fatetur in Comment. in 1. p. q. 14. a. 13. superius citat. quod locus ille ab adversantibus (puta Ægidio, Aureolo, Durando, Gabriele, Herice, Hervæo & Hispalen. Ockam, Suare, Sylv. Valentia, Vasquez, Bonavent. Scoto & aliis) judicatur plenus erroris & contradictionis: a sequentibus autem doctrinam S. Thomæ reputatur adeo obscurus, ut neminem, inquit, hactenus viderim, sive scripto sive verbo assertive tueri hoc dictum: & me jam annis forte quindecim fateor latuisse sed nudius tertius, dum super commentatione hujus articuli meditarer, illuxit [ut arbitror] D. Thomæ ope, veritas plana & in manifesto posita, & ideo paucissimis verbis pertransita. Ita Cajet. Supra nominatis AA. pro nostra sententia accensetur Ripa, Zumel, Natarius, Gonzales, Salmanticenses, Petrus Fonseca 6 met. c. 2. q. 4. f. 2. & probabilem putat Molina. Conantur quidem Add. D. Thomam in suam trahere sententiam, verum id non conficient prius, quam ostendant hanc causalem propositionem: Deus omnia futura infallibiliter cognoscit, *quia* sunt Deo præsentia; non fuisse admissam a D. Angelico. Si enim attente legamus Eum, deprehendemus in ipsius sententia, hanc non esse bonam causalem a priori: *Quia Deus simul omnia tempora cognoscit, sunt ei simul præsentia.* Si tamen hanc causalem add. probarent correspondere Ang. Doctoris menti, probarent etiam præsentiam non esse physicam objectivam, utpote quæ ex cognitionis actualitate nascerentur. Econtra ex mente D. Thomæ non illa, sed hæc admitti debet: Quia Deo sunt omnia præsentia, omnia infallibiliter cognoscit, ergo prius sunt Deo præsentia quam cognoscantur: atque pro illo priori non sunt Deo præsentia objective, quia ante cognitionem non datur præsentia objectiva, ergo sunt Deo præsentia physice & realiter. Hanc autem secundam Causalem a D. Thoma admitti, negari alteram, constat ex 1. p. q. 14. a. 13. ubi docet, præterita & futura simul & infallibiliter a Deo cognosci: & rationem reddit, *QUIA* sua cognitio mensuratur æternitate, sicut etiam suum Esse: æternitas autem tota simul existens ambit omne tempus. Ergo si Deus non esset æternus, hoc est si non esset tota æternitate simul existens & ambiens omnia tempora, licet infinitus esset in genere intelligendi, non cognosceret intuitive & infallibiliter omnia, quæ erunt in aliqua differentia temporis. Accinit sibi 1. p. q. 14. art. 9. & q. 57. a. 3. & in 1. dist. 38. art. 5. o. & clarissime 1. contra gent. c. 66. & q. 2. de verit. a. 2. sic ait: "Tunc aliquid„ cognoscitur ut futurum, quando inter cognitionem„ cognoscentis & rei eventum invenitur ordo præteriti„ ad futurum. His autem ordo non potest inveniri„ inter cognitionem divinam & quamcunque rem,„ contingentem, sed semper ordo divinæ cognitionis„ ad rem quamcunque est sicut præsentis ad præsens,„ quid clarius? „

SECTIO V.

Solvuntur objectiones.

XXXII. Responsurus argumentis Add. Observa, ut Deus æterna cognitione intuitiva cognoscat res, quas creare aut quovis alio modo facere aut permittere potest, non requiri, ut illæ ab æterno existant (quo pacto nonnulli Impugnatores sententiæ D. Thomæ dicuntur a Cajetano ejus opinionem interpretari, quod tamen D. Angelicus ne somniavit quidem,) sed satis esse, si existant in sua quæque temporis differentia. Concipe rationalem animum indivisibilem diversas materiæ partes informantem. Hoc exemplum te manducet in hujusmodi difficultate. Caput est præ-

 sens

ſens eidem ſpatio cui animus; pes eſt in eodem loco in quo animus, & nihilominus caput a pede diſtat: nempe non ſunt conjuncta inter ſe, quæ ſunt conjuncta uni tertio: quam parum duo proci inter ſe inimiciſſimi, amici dicerentur ex eo quod uni tertiæ videlicet Amaſiæ quam uterque inſano deperit amore, ſint conjunctiſſimi. Æternitas eſt animo ſimilis, tempus corpori: animus & æternitas parallelizant, ſunt indiviſibiles & extenduntur (virtualiter). Æternitas per omnia tempora, is per omnes corporis artus. Parallelizant corpus, tempus: utrumque partes habet extra partes. In corpore pars infima non eſt ubi ſuprema, nec e converſo: in tempore pars præterita, non eſt quando futura, nec e contrario. Nec Adamus, quando AntiChriſtus. Caput eſt præſens toti animo, & non animi parti: præteritum tempus coëxiſtit toti æternitati, non æternitatis parti, quia animus & æternitas carent partibus. Ex eo quod caput ſit ubi eſt animus totus, non ſequitur id futurum eſſe ubicunque ſit animus, quia ipſe in pedibus eſt, ubi tamen certum eſt non eſſe caput. Sic ſimiliter ex eo, quod præteritum ſit, quando eſt tota æternitas, non ſequitur id futurum eſſe in quocunque tempore fuerit æternitas, quia hæc etiam in præſenti tempore eſt, in quo tempore certum eſt præterita non eſſe. Quando dicimus caput correſpondere toti animo, non aſſerimus id ita extendi, ut correſpondeat animo in pedibus; toti enim animo correſpondet caput in eo loco in quo eſt. Sic ſimiliter quando dicimus, rem præteritam correſpondere toti æternitati, non aſſerimus illam rem, quæ præteriit, extendi per omnia tempora, ut æternitati reſpondeat in præſenti & futuro, ſed in ſua differentia temporis reſpondet toti æternitati: quia ſicut totus animus eſt in capite, totus in corde, totus in pedibus, totus in toto & totus in qualibet parte: ita ſimiliter tota æternitas in præterito eſt, tota in præſenti, tota in futuro, tota in toto tempore, & tota in qualibet parte temporis. Hæc idea bene impreſſa phantaſiæ facillime argumentis add. fiet ſatis.

Objic. 1. cum Scoto, Nominal. & pleriſque RR. Authoritatem S. Scripturæ & SS. PP. ex quibus conſtat inprimis, omnia creata incepiſſe, & producta fuiſſe in tempore: cum ergo non poſſint eſſe realiter præſentia, antequam ſint producta; ideo ſicuti tantum in tempore ſunt producta, ita tantum erunt Deo in tempore præſentia. Quod ſi etiam Deo ab æterno omnes creaturæ pariter coëxtiterint, qua ratione ſtabit ſana & catholica doctrina, quæ dicat, nihil ab æterno extitiſſe, præter unum Deum, Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, ut habet Confeſſio Fidei in Conc. Rhemenſi &c.? Secundo SS. PP. cum S. Scriptura agnoſcunt quandam anterioritatem æternitatis reſpectu creaturarum: non ergo creaturæ ſunt ſemper in æternitate Deo præſentes. Ant. prob. ex illo Gen. 1. *In principio creavit Deus &c.* Et prov. 8. 22. Dominus poſſedit me in inirio viarum ſuarum, antequm quidquam faceret &c. & Pſ. 89. Priusquam montes fierent &c. Hoc ſenſu loquitur S. Auguſt. 12. de Civit. c. 28. Si potentiam ſuam Deus a rebus ſubtrahat, ita non erunt, ſicut antequam fierent, non fuerunt: ante dico æternitate, non tempore. Rurſus videntur expreſſe negare realem & perpetuam præſentiam. Ita enim idem Auguſtinus ſerm. 11. de Verb. Apoſt. Deus habet Electos ſuos apud ſemetipſum, non in ſua natura, ſed in præſcientia ſua. Similiter Iſid. L. de ſummo bono c. 8. Si tempora ſemper eſſent Deo præſentia, non eſſent tempora ſed æternitas, quia non mutarentur ſed ſtarent.

Reſpondeo & confiteor ultra, omne creatum cepiſſe in tempore, quia creatum eſt in propria menſura. Et ita de rebus in propria menſura conſideratis (ævo, tempore) loquuntur omnes, tam ſacri quam profani AA. quoties rerum inceptionem & deſitionem meminerunt. Sicque merito *Rachel plorat filios ſuos, quia non ſunt.* Merito quoque ingemiſcit ille apud Poetam: *Fuit Ilium, & ingens Gloria Dardanidum.* At ſi conſiderentur in aliena & excedente menſura æternitatis, ſic omnia ſunt in æternitate producta, cum ipſa quoque productio ſit præſens in æternitate, & conſequenter ſunt in æternitate præſentia: quo pacto enim alias diceret S. Auguſt. *quod futura jam facta ſint?* Et quamvis ad vitandam æquivocationem, nunquam dicendum ſit abſolute, creaturas fuiſſe *ab æterno*: quia τὸ *ab æterno* abſolute prolatum ſonat æternitatem Dei adæquate ſumptam, & τὸ *fuiſſe* durationem rerum in propria menſura: quo ſenſu accepta hæc propoſitio falſa & fidei doctrinæ foret contraria: ſi tamen per τὸ *ab æterno* accipias æternitatem inadæquate, & non ſecundum omnem ſuam virtutem & æquivalentiam, ſic vera erit, imo ipſius Angelici Doct. propoſitio: *Omnia quæ ſunt in tempore, Deo eſſe ab æterno præſentia*, ſæpe cit. q. 14. art. 13. o. Solus ergo Deus eſt ab æterno (& Chriſtus Filius Dei vivi quoad perſonam ſuam & naturam divinam (nec enim eſt pura creatura) æternitate adæquata & in ratione propriæ menſuræ accepta; creaturæ vero ſunt præſentes Deo ab æterno, æternitate inadæquate & in ratione alienæ menſuræ accepta: quia divina æternitas ita ſingulas rerum durationes ſibi facit eſſe præſentes, ut & alias & alias anteriores & poſteriores contineat, & pluribus in infinitum æquivaleat.

Ad ſecundum Reſp. anterioritatem illam æternitatis eſſe virtualem & æquivalentiæ, quia Mundo nondum condito potuiſſet Deus condere partes priores temporis in infinitum, quibus omnibus æternitas divina æquivalet, non autem eſſe ante anterioritatem forma cum enim nihil conditum eſſet, nec ævum, nec tempus aut ulla fingi debet duratio, ſed ſola æternitas, in illo *nunc* æternitatis, hoc eſt in ſeipſo erat Deus, non in tempore Imaginario ſeu phantaſtico.

Ex quo patet etiam reſponſio *ad tertium*. Nimirum Deus non habet Electos ſuos apud ſemetipſum in ſua natura tanquam conſtitutos in propria menſura. Conc. in aliena. N. ad S. Iſidori authoritatem pariter. Reſp. Si res temporales ex ſua ratione peterent talem præſentiam abſque ſucceſſione, tunc non eſſent temporaneæ, ſed æternæ: non autem ſi ex virtute ſuperioris & alienæ menſuræ ſint Deo præſentes. Nec eſt credendum, quod Scotus vel aliquis alius ex gravioribus Authoribus ſibi perſuaſerit D. Thomam ſenſiſſe, res quæ aliquando fuerunt, aut futuræ ſunt modo aliquo ſecundum realem exiſtentiam ab æterno fuiſſe, ut a Deo ex æternitate intuitive cognoſci poſſent: ſed alios inferioris notæ, qui ad impugnandum facilius ejus ſententiam citatis locis utuntur, id forſan ei affinxiſſe.

XXXIV. Objic. 2. Quæ nondum exiſtunt in ſeipſis, uti Antichriſtus; aut jam exiſtere deſierunt, uti Adamus, nulli rei coexiſtunt: atqui futura nondum in ſe exiſtunt, ſed tantum in ſuis cauſis: præterita vero jam exiſtere deſierunt, ergo non ita coëxiſtunt Deo, ut ab æterno intuitive cognoſci potuerint.

Reſp.

Resp. dist. maj. Quæ nondum existunt in seipsis, aut jam existere desierunt, ea nulli rei coëxistunt pro ea differentia temporis in qua non existunt. C. pro ea qua existunt, existent aut extiterunt. N. maj. Cum hac antem veritate cohæret illa, ut secundum eam realem & actualem existentiam, quam habent, habebunt aut habuerunt, & hodie intuitive a Deo cognoscantur, & ab æterno cognita sint & in æternum sint cognoscenda. Satis enim est ad intuitivam cognitionem, quam Deus habet de rebus extra se, si res existant in mensura ipsius cognitionis divinæ, tametsi excedente mensuram existentiæ cujuslibet earum.

XXXV. Objic. 3. Quæ in seipsis physice non existunt, nulli alteri physice coëxistunt; coëxistentia enim & præsentia relativa supponit existentiam absolutam; atqui præterita & futura non existuor physice in seipsis, ergo nec pbysice coëxistunt æternitati divinæ. Resp. Præterita & futura in seipsis physiee non existunt, tanquam in mensura propria. Conc. tanquam in mensura aliena. Nego min. ergo non coëxistunt physice æternitati tanqoam in mensura propria C. tanquamm in mensura æternitati. N. consequentiam.

Instabis 1. Hoc ipsum, esse in aliena mensura æternitatis, nil aliud est, quam coëxistere æternitati, ergo petitur principium. Resp. Esse in mensura aliena æternitatis nihil aliud est quam coëxistere æternitati, præcise ut sic. N. æternitati ut res ipsas ambienti & mensuranti. C. art. & N. consequentiam.

Instabis 2. Prius deber res esse in propria mensura, quam in aliena: sicut nec potest esse in alieno loco, nisi mediante loco proprio: unde si qua res per possibile aut impossibile, nullam haberet durationem, etiam mensurari non posset æternitate, sed futura nondum sunt in propria mensura, ergo nec in aliena. Resp. 1. Debet esse prius in propria mensura, vel ut mensurante, vel ut mensurata. C. ut actu mensurante. N. maj. sed futura nondum sunt in propria mensura, ut mensurante. C. ut mensurata. N. min. & consequentia. Sensus dist. est, quod quidem sit impossibile, ut æternitas Dei se extendat ad alicujus rei esse physicum, nisi illud esse habeat aliquam durationem; (imo cum duratio ipsa sit ens reale, etiam ipsa debebit suo modo esse præsens æternitati) quia tamen hæc ipsa duratio, prout est æternitati præsens, non exercet suam successionem, ratione cujus mensurar res futuras, ideo res sunt Deo præsentes in sua duratione & tempore, non tamen ut mensurante & rebus mensuratis successive applicata, sed ut mensurato, quatenus ad singulas illius partes sese extendit simultanea & uniformis æternitas Dei.

Resp. 2. clarius dist. min. futura nondum, hoc est respectu nostri, sunt in mensura propria. C. nondum, id est respectu Dei & æternitas. N. Deo enim futura præsentia sunt, quasi jam facta.

Instabis 3. Non potest alicui convenire prædicatum in aliena mensura, quod ipsi repugnat in propria: sed Deo simul coëxistere successiva; v. gr. diem hodiernum & crastinum; item contraria in eodem subjecto, ut mortem & vitam, lusum & luctum, peccatum & gratiam &c. repugnat rebus in propria mensura, ergo etiam in aliena. Resp. Dist. maj. quod repugnat in propria mensura, repugnat etiam in aliena, nisi sit prædicatum accidentale conveniens ex modo essendi in superiori mensura. Conc. secus N. ita enim corpori Christi D. ex modo essendi in Eucharistia convenit esse invisibile, cui ex modo essendi in cœlo oppositum convenit. Et similiter licet successivis repugnet simultas, uti etiam contrariis in eodem subjecto, quia tamen id solommodo ex modo essendi in propria mensura habent, quem superior & infinita mensura æternitatis absorbet, & ad suæ indivisibilis & immutabilis præsentialitatis modum trahit, ideo in illa superiori mensura repugnantiam amittunt.

Instabis 4. Quæcunque coëxistunt simul uni tertio indivisibili, coëxistunt simul inter se: sed præterita & futura juxta nos coëxistunt uni Nunc indivisibili æternitatis, ergo coëxistunt inter se. Resp. N. maj. sicut quæ æquidistant ab uno tertio, non propterea distant inter se: nec quæ uniuntur uni tertio, ut caput & pedes animæ, propterea uniuntur inter se, saltem immediate uti uniuntur animæ: nec socii mei socius, propterea est meus Socius &c.

XXXVI. Objic. 4. Immensitas divina non occupat spatia futura, ergo nec æternitas ambit futura. ant. patet quia sicut Deus non fuit in Mundo, nisi postquam Mundus extitit; ergo nec coëxistit huic rei, aut illi, nisi postquam res ipsa existit: ac proinde nec res altera ex parte coëxistunt Deo, nisi cum ipsa actu existunt. consequentia prob. sicut enim æternitas complectitur omnia tempora, ita immensitas loca omnia.

Resp. 1. Si Deus in locis & spatiis imaginariis, ut vulgus putat, existit, cur non liceret nobis illum ponere in locis futuris? quid enim est dicere, Deum existere in spatiis imaginariis, quam illum existere in capacitate corporum locabilium, sive in locis possibilibus? & cur absurdius sit dicere, existit in locis futuris? Præterea quod esset inconveniens admittere Deum in hoc Nunc æternitatis replere loca etiam (nobis) futura, sibi tamen jam præsentia? Sed Resp. 2. Neg. paritatem. Æternitas infinita est in genere durationis: & immensitas est illimitata in genere ubicationis. Omnia comprehendit utraque, sed in suo genere, non in diverso. Si Deus esset immensus solom, & non æternus, existeret nunc v. gr. & omnia loca existentia impleret, in omnibus esset, omnia actualiter caperet, & nusquam caperetur. Loca futura non repleret, quia futuritio non est ubicatio, sed duratio: Immensitas autem infinita est in genere ubicationis, non durationis. Si Deus produceret unum Angelum ab æterno, ille cuicunque tempori præterito coëxisteret, non tamen omni loco vel spatio; habuisset enim durationem infinitam, sed præsentiam localem limitatem. Ergo similiter Deus, nec qua æternus debet esse in omnibus locis, nec qua immensus, in futuris spatiis: quia sicut æternitas non est ratio attingendi locum; sic nec immensitas est ratio futuritionis attingendæ.

Resp. 3. Negando suppositum, nempe dari spatia vel loca futura aut præterita, nec enim admitto spatium creatum, in quo corpora locentur, uti supponit Thomas Campanella: sed substituo spatium increatum, quæ est immensitas Dei capiens universa creata & creabilia; uti in Tract. videre.

Objic. 5. Sequi contradictoria simul verificari, v. gr. Anti-Christus est in æternitate, & non est in æternitate. Affirmativa supponitur vera, cognoscitur enim intuitive a Deo. Negativa quoque probatur, quia in aliqua differentia temporis, quam ambit æternitas, non habet esse, ergo non est in æternitate.

Resp.

Resp. N. ſequelam, & dico propoſitionem negativam eſſe falſam. Ad probat. reſpondeo, quod cum negatio in illa propoſitione feratur ſupra totam æternitatem adæquate ſumptam, quatenus ambit omnes temporis differentias, non eſt ſatis ad illam verificandam, quod Anti-Chriſtus non habeat eſſe in aliqua particulari temporis, ſed neceſſarium erat quod in nulla differentia temporis haberet eſſe: eſt enim *non* particula malignantis naturæ, ut loquuntur Dialectici.

TRACTATVS XXIII

DE

ELEMENTIS ET PRINCIPIIS PHYSICIS AC METAPHYSICIS, HOC EST PROPRINCIPIIS SEV PRIMALITATIBVS CORPORIS NATVRALIS.

NOn aliud magis Philoſophorum, cum veterum, tum recentiorum ingenia exercuit quam Principiorum indagatio; idque eo magis, quo prima rerum initia in Naturæ abdito deliteſcunt, vixque ab humana mente erui poſſunt. Nam ut homo inter res intellectuales, & corporeas medio quodam loco, & velut inter utraſque Horizon conſtitutus eſt, ſic ea tantum conſequi poteſt utcunque, quæ in medio ſunt poſita, utraſque imperfecte. Quæ autem extrema ſunt, ea mentis aciem magna ex parte fugiunt, neque enim ullius pene rei Initium & finem intueri poteſt.

Hinc tot Philoſophorum Sectæ, tot diverſa Syſtemata de Principiis rerum emerſere, quod de omnibus judicium ferre velint, quæque ſunt denſa caligine involuta, penetrare: cum longe utilius eſſet, quæ mentibus noſtris ſunt attemperata, & in mediocritate quadam conſtituta, ſcrutari, quam in iis, quæ omnino ſunt occulta, & ingenii noſtri vim ſuperant, conſeneſcere. Sed populo & ſcenæ ſerviendum, ut ſcite præfatur Author Phil. Burgund. tom. 4. pag. 22.

Quod ipſum pulchre per diverſa Syſtemata exhibet ſæpe laudatus P. Ptolomæus diſſert. 6. Phyſicæ Generalis; quæ hic referre non vacat. Prius tamen quam placita noſtra in re tam obſcura promamus, terminorum quorundam explanationem præmittemus, ad evitandam logomagiam; nempe, quid *Elementum, Principium, Materia, Primalitas* &c. juxta noſtram Dialectum.

SECTIO I.

Quæ ſit differentia inter Elementum, Principium, Materiam, Primalitates ſeu Proprincipia &c.

I. Præmitto igitur I. Vocabulo *Primalitatis*, nos intelligere id, unde Ens primitus eſſentiatur. *Principium* eſt id, unde aliquid primitus eſt (exiſtit). *Cauſa* eſt id, *unde* aliquid fit. *Elementum* eſt, ex quo aliquid primitus componitur. *Semen* eſt compendium Cauſarum, Principiorum, Elementorum & Primalitatum, in Effectus ſubſtantiam veniens. *Occaſio* eſt motivum Cauſæ ad cauſandum, & unde cauſæ, ut cauſent ſic & non aliter, ſortiuntur. *Conditio* eſt accommodatio cauſæ ad cauſandum; ut combuſtionis ſtupæ eſt approximatio ignis ad ſtupam.

Propterea omnis cauſa operatur & cauſat ex occaſione aliqua, quoniam non eſt Prima: & ex conditione, niſi enim applicetur non cauſat. Prima autem cauſa non eget occaſione aliqua, quoniam dat: nec applicatione, quoniam eſt ubique & prævia & intima cunctis, & a ſe. *Effectus* autem dicitur, quaſi aliquid extra cauſas factum, in quantum aliquid, id eſt, aliud quid a cauſis. Cauſæ enim, licet ſint in effectu participative, non tamen ut cauſæ, ſed ut cauſatum: multiplicantur enim aut partiuntur in aliud numero ens conſtituendum, ut mox declarabitur exemplo ignis ſylvam ſuccendentis.

II. Tametſi omnes Philoſophi in eo conveniant, quod *Materia ſit id, ex quo aliquid fit, ita ut inſit*, prout Ariſt. deſinivit, non quidem recte ſibi, cui cœlum non fit, & tamen materiam habet: unde potius dicendum fuerat, *ex quo aliquid conſtat*. At præterea ex Elementis fiunt miſta, & conſtant, in quibus inſunt cauſæ activæ, de quibus fit elementatum, nec tamen materia ſunt. Propterea dicendum erat, materiam eſſe ſubjectum formarum & mutationum. Sed de hoc mox ſpecialiter agemus. Dicimus itaque aliud eſſe materiam, & aliud Elementum. Materia enim eſt id, de quo primitus fit aliquid: Elementum vero, ex quo componitur proprie & primitus aliquid, & in quod reſolvitur: ut Oratio ex literis in literas. Dico autem *primitus & proprie*, quoniam materia etiam cum forma componit, ſed non proprie, potius autem cauſat: nec cauſatum reſolvitur in materiam & formam permanentes. Forma enim (ſive abſoluta ſive reſpectiva) corrumpitur. Vnio autem Elementorum eſt compoſitio & reſolutio. Dixi etiam *primitus*; quoniam etſi oratio etiam ex dictionibus & ſyllabis componitur, haud tamen primitus. Elementum ergo eſt cauſatum, ſed non compoſitum proprie ſeu elementatum; ſed ſicut litera conſtat ex linea tanquam ex materia, & ex figura tanquam ex forma: ſic Elementa aliarum rerum ſe habent.

Itaque Materia eſt id, de quo aliquid fit, & pertinet ad naturam cauſarum. Elementum vero eſt id, de quo aliquid primitus componitur: ſic dicimus literas eſſe Elementa orationis, non autem ſyllabas, ex quibus non primitus oratio componitur. Similiter non dicimus literas eſſe cauſam materialem: non enim quacunque data figura ſeu litura, eſt litera, ſed cum formatus cum impoſitione ad ſignificandum aliquid certum, unde certa res inde fiat grammaticaliter. Sic etiam neque materiam ſuaſque particulas elementa domus dicimus, ſed lapides & calcem & arenam & lignum, quoniam ex his componuntur parietes, ex quibus domus. Oportet autem aliquid prius Elementis eſſe materiam, ſicut tellus eſt prior lapide, calce & ligno, ex quibus fiunt Elementa domus. Ergo & Mundi Elementa erunt prima corpora, ex quibus

Mundus componitur suis formata formis viribusque prædita. Horum autem corporum materia est aliquid prius.

II. Insuper manifestum est, quod calor igneus & lux res incorporeæ sunt, & tamen mulplicantur in qualibet materia, ita ut igniant illam: quod sane fieri non posset, si certa cuilibet Elemento esset materialitas corporeitasque. Vnde non incongrue Plato ignem elementarem putavit, non esse ignem sed ignitam materiam: quandoquidem & ferrum & aurum & lapis & tellus & aër & res omnis ignitur ita ut urat, igitur caloris non est aliqua materia propria: sic neque frigoris nec aliarum rerum. Nam & planta ubique terrarum nascitur, ubi materia suo generi alendo præest disposita, non tamen ubique materiarum sicut calor. Plantæ enim forma certas requirit dispositiones, non autem caloris. Sic etiam homo fit ex non-homine, non quidem ex lapide non-homine, sed ex semine proprio hominis, cui insunt præparationes ad hominem & inchoationes. Sic ex massa chaotica primitus, velut ex materia panspermatica, seu massa corporea rationibus seminalibus imprægnata ideisque, omnis generis plantæ & animantia prodierunt. Elementata igitur universa non fiunt ex materia prima penitus informi, puta que potentia receptiva, sed ut dixi, rationibus seminalibus instructa, vel formis communibus Elementaribus.

Quod magis declaratur ex systemate Anaxagoræo, quod est tale:

III. Quandoquidem per vulgaria 4. Elementa nequit explicari diversitas specifica adeo multiplex corporum naturalium: Anaxagoras componi dixit corpora qualibet ex particulis minimis, non quidem ejusdem speciei physicæ cum composito: sed tondem proportionaliter specierum, quot specierum sunt corpora naturalia componenda, ita ut quanta diversitas specifica est inter corpora sensibilia, tanta sit inter particulas proprias & primogeneas componentes qualibet corpora e. g. lignum constat ex innumeris particulis, quæ etiam resolutæ sunt ligneæ, & analogam naturam habent cum ligno, quæque particulæ ulterius dissolvi & resolvi essentialiter nequeont, sed tantum dividi possunt integraliter in minores alias particulas: utrum finite in infinitum, aut secus, nil refert ad rem.

IV. Enimvero cum agentia naturalia in se invicem agunt, & frigida cum calidis pugnant, indeque tertium exoritur præter intentionem & casu quodam, summa tamen ex arte fiant omnia; oportet ponere opifices causas intelligentes, & ordinans quoddam contrariorum pugnas ad efficiendum, quæ fiunt utiliter & sapienter propter finem; nec sufficit eas impelli & promiscue agitari ab æthere aut quocunque motore non cognoscitivo: sicut in officina ferrariorum nihil concinnum faceret ignis, aqua, lima & malleus, absque opifice ferrario: nec focus assaret, sed ureret carnes absque Coquo. Quod animadvertens, Anaxagoras Intellectum rerum formationibus præfecit: docuit enim præfatas particulas minimas habere motum localem inæqualem pro inæqualitate specifica, seu dissimilitudine ipsarum particularum, qui motus sit iis impressus a Deo, & conservatus ab eodem, quem sub nomine Mentis præ cæteris Philosophis maxime agnovit, & clarissime professus est rebus omnibus naturalibus providentissime interesse. Itaque per hunc motum ita agitari voluit has particulas, ut determinationem positivam habeant se movendi versus alias particulas ejusdem speciei, & cum illis se jungendi. Motus & impetus hujus analogiam habes in motu gravium, quæ sibi relicta naturaliter descendunt ad centrum. Quod si vero vel a calore, vel a substantia ætherea omnia corpora pervadente impellantur illæ particulæ, propter validiorem motum impressum rapiuntur, & separantur a sibi similibus: ita contingit cum particulæ carneæ & sanguineæ per effluvia a corporibus vivis & sensitivis per continuam transpirationem avolant.

V. Sed profecto si quid plusculum considerasset Anaxagoras, etiam potentiam multiplicativam invenisset. Recte quidem argumentantur, quod ex nihilo nihil fit. Ergo nec ex non-aliquo aliquid, ergo neque ex non-igne ignis post creationem primam, quam propter idem argumentum non agnovit, propter quod agnoscere debuisset. Cum enim videret ex sylva tantos ignes fieri, qui præesse in lignis non poterant, nisi lignum ex pluri non-ligno componat, quam ex ligno, ligetque ignem ligamine debilissimo in ligno, & nos excæcet ne in spectemus eum. Tunc recte concludere debebat, quod sicut Sapientia est in rebus sui multiplicativa. Ipse enim Anaxagoras propriam sapientiam in suis Discipulis multiplicavit: ita etiam erat virtus seu potestas sui multiplicativa. Ergo cum ignis generat ignem ex ligno, non per solum sensum extrahet latentem, sed per potentiam multiplicat sese effundentem. Ergo neque in cibo particulas carnis & ossis & nervi præesse arbitrandum, sed res aptas a virtute carnis, sui generativa & multiplicativa in carnem transmutari. Hanc virtutem multiplicativam damus nos cum Th. Campanella Primalitatibus, de quibus sect. seq.

VI. Instat Anaxagoras. Quomodo in lapidibus latent ignes? Item, cur caro fit ex pane & non ex lapide? & cur non omnes partes panis in carnem, sed aliæ in ossa, aliæ in nervos, aliæ in excrementa sequestrantur? quæ excrementa deinceps cedunt in cibum gallinarum, piscium & porcorum, apta eorum carnibus, non autem nostris. Respondeo, in lapide latere ignes & sulphureas particulas, quoniam a solis calore terram fundente genitus est, aut forte ab igne subterraneo, si profundius in terra lapis latuerit, a terra vero materiam & duritiem. Carnem vero nutriri non ex lapide, quoniam caro est secunda forma, imo quinta vel sexta formatione constituta, non autem ex materia primitus formata. Ergo ut natura deveniat ad carnem indiget pluribus transmutationibus & formationibus prius: nec enim nisi plantis & seminibus vescamur, carnem aggeneramus. Planta autem fit ex terra & aqua & solis calore. Terrea ex materia prima & frigore indurante & immobilitante &c. quæ tamen planta non fit, nisi prius transmutationes certas patiatur a solis calore, ut palam est: non enim ubique terrarum nascitur planta qualibet. Nec omnes particulæ panis, aptæ sunt omni carni, alioquin ejusdem esset speciei caro porci & hominis. Propterea dum a jecoris calore alterantur & in sanguinem vertuntur, in Ens dissimilare vertuntur: cujus particulæ adhuc aliis partibus aliæ sunt aptiores; & propterea qualibet attrahit propriam; & qualibet expellit alienam, aut superfluam; & qualibet vadit ad propriam, ab aliena fugiens: unde in nutritione post absolutionem nutritivi sanguinis fiunt simul attractiones & expulsiones, &c

fuga & ſectatio; & cum hæ actiones & paſſiones non fiunt a qualibet particula cujuslibet membri, & a qualibet cujuslibet ſanguinis: tunc morbi innaſcuntur varii. Præfuerunt ergo præparationes in parte diſſimilari non prorſus unicæ; & in frumento ad panem nec unice: & in Terra & ſemine ad frumentum itidem multiplices, ob varias Solis actiones repetitas & refectas & variatas, atque terræ paſſiones etiam varias, & modos patiendi aliter in ſingulis particulis. Ab initio autem Mundi hucusque ſemper varietas nova facta eſt in re qualibet, ita ut omniſeminalis videatur.

VII. Quamobrem non eſt neceſſe, ut intellectus divinus, habeat res ab æterno confuſas formatas ſuis ſpeciebus inviſibilibus, ut ipſe poſſit facere eas viſibiles & ordinatas: ſed ſui multiplicativas vires rebus, nedum ſenſum dare oportebat, ut ipſe intellectus utens ſolis actione & terræ paſſione, multipliciter formare entia ſecunda poſſet. Multiplicatio autem non materiæ tribuenda erat, ſed activis cauſis & ſpeciebus; non quidem ſecundum id, quod phyſicum habent, ſed ſecundum primalitates: non enim calor ſeſe multiplicat, quatenus calor, ſed quatenus *potens appetensque:* neque planta facit plantam, & homo generat hominem, & vena ferri ex adnata terra facit ferrum, quatenus ſunt calida aut frigida aut ſicca aut humida, Nec venenum generat ſe amplificando in carne humana quatenus calidum, aut frigidum, aut ſiccum, aut humidum, ut imperite Medici arbitrantur, ſed quatenus potens, appetens ſentiensque ſui conſervationem & multiplicationem. Potens autem ſcit & appetit, eo potente, ſciente & volente, non ſeipſo, calor & res omnis, eo magis, quo primalitatum eſt particeps magis. Ideoque ſemen frumenti, evaneſcente ſpiritu, non producit frumentum: nec piper exſiccatum, piper: non quia deeſt illi calor, & qualitas aeris nativa, ſed vis ſpiritalis, in qua idea cauſationis ſervabatur. At quorum majorem elucidationem, ſit

SECTIO II.

De Primalitatibus.

Hac ſectione tRademus fundamentum Philoſophiæ noſtræ Radicalis: quia tamen Eclectica ſimul, & ad bivium ſiſtit anceps, Lectoris arbitrio, utram ſequi placeat, videlicet veſtigia Campanellæ, an Coſmopnevticam, relinquendo: utraque tamen vulgari Philoſophiæ oppoſitam profitemur, & inter Peripateticos Carteſianosque media eſt: labore & ſtudio indefeſſo opus ut veritas tandem eruatur, a Patre Luminum humillimis precibus petenda ad ejusque majorem gloriam referenda.

VIII. Primalitas eſt, unde Ens primitus eſſentiatur. Eſſentiatio autem eſt entis conſtitutio intrinſeca, ſimplicisſima, prima, toticipatione non participatione, ergo nec mutatione conſtituentium eſſentialitatum, nec conſtituti eſſentiati; celeberrima ſecundum ſe, nobis vero ineffabilis. Siquidem apud nos alia eſſentiantur ex pluribus & oppoſitis, quæ ſunt unita potius quam unum. Vnio autem influxus eſt unitatis non unitas: quemadmodum Exercitus ex Duce, Centurionibus, Vexillariis ac militibus ordinatis ad unum finem, qui per ordinem influit ſuam unitatem, dicitur unus eſſentialiter, exercitus eſſentiatione, non autem eſſentiatione hominis. Alia per mixtionem, dantem unitatem, eſſentiantur, ut Theriaca & Melicratum; Alia per compoſitionem, ut ignis ex calore & tenui corpore, ſic & quodlibet ex materia formaque ſua ſive artificialiter ſive phyſice. Nam neque gladius habet eſſentiam gladii niſi ex metallo duro & forma acuta conſtituatur; & hæc ex diverſis eſſentiis aliunde participatis, multisque ex prædicamentis conſtant.

Aliud tandem ex eſſentialitatibus innominatis apud Veteres, nobis autem *Primalitatibus* vocatis propterea, quod ſunt æque prima tempore, dignitate & natura, & unum omnino propter identitatem realem & coeſſentialem coentitatum mutuam in ſeipſis: non enim ſunt eſſentiæ, ſed eſſentialitates ejusdem eſſentiæ, quam eſſentiant absque gradu: & hæc identitas eſt ſumma unitas, & omnia eſſentiantur per analogiam ad ipſam. Etenim niſi ſint unum, eſſentiam non habent ſuam: neque enim multitudo hominum absque ordine & fine, in quem uniuntur, eſt exercitus: neque theriaca eſſentiam ſuam habet, niſi res, ex quibus fit, compenetratione & contemperatione fiant unum. Neque anima & corpus eſt homo, niſi ſubſtantialiter uniantur: imo nec Theologi Chriſtum dicunt eſſe unum, niſi quia anima & corpus & divinitas ſubſtantialiter uniuntur in unam perſonam. Quapropter ex maxima unitate eſt maximi Entis ut entia eſſentientur dum uniuntur, hoc autem deinde manifeſtius erit. Eſſentiatio ergo prima habetur ex eodem idem. Idem enim eſt quod maxime unum eſt: maxime autem unum, nec compoſitionem nec miſtionem habet, nec diſtinctionem abſolutam, ſed minimam relativam, quam habere oportuit, ut ex interna Verbi productione æterna, temporanea deinde ſequeretur extrema & rerum multitudo.

IX. Sunt ergo Primalitates, non quidem tres Eſſentiæ, aut Res, aut Divinitates, aut Vnitates, ſed Eſſentialitates Realitates Primi Entis: primum autem idem eſt quod unum, ut patet ex hebraica phraſi, ita ut idem ſit *Principium* quod *unicipium.* Eſſentiatur autem primum ex Poteſtate eſſendi, ex Sapientia eſſendi, ex Amore eſſendi. Non enim eſt ullum primum, nec quod primum imitetur, niſi poſſit eſſe (exiſtere) quoquo pacto, ſapiat eſſe, amet eſſe.

Sunt autem iſtæ Primalitates alia ab alia. Amor enim eſt a Sapientia & Potentia: ignoratum enim & impoſſibile amatu, non amatur: & eſt in Sapientia & in potentia; non enim poſſet eſſe amor e potentia & ſapientia, niſi potentia & ſapientia haberent amorem. Ex nihilo enim activo nihil, & nullum ens dat, quod non habet. Eſt ergo amor in potentia & ſapientia. Ergo a potentia & ſapientia non recedit cum procedit. Neceſſario itidem eſt potentia & ſapientia in amorem manante: non enim manat niſi quam ſimillimum, ergo quam unum, ergo procedens toticipat, non participat. Sapientia non eſt ab amore, ſed a potentia: non enim ſapimus, quod non poſſumus: ſapimus tamen quod non amamus, & tamen procedens non recedit: non enim potentia dat quam non habet ſapientiam, neque ſapientia manat diſſimilis, ergo manat ut unum, ergo potentia eſt in ſapientia & in amore toticipantibus, licet ſit ipſarum fons.

Ex his ergo tribus Primalitatibus eſſentiantur eſſentia nil diſcreta, etſi ipſa ſit quod, a quo, in quo, & propter quod, cum diſtinctione reali relativa, non abſoluta, ut poſſint eſſe in cæteris entibus, quæ ex Primo manabunt.

X. Pri-

X. Primalitates non sunt Totum, neque Pars: sed simul consideratæ totius, non simul, partis habent similitudinem; & eminenter continent Principia & Causas rerum, & essentiant per se essentialiter, sed quo eminenter etiam causaliter & principaliter. Est in essentiatione processio: procedens *Quod* a *Quo* solam relationem dicens, non antem principatio, neque causatio, nisi secundum vocem, aut eminenter, uti infra dicemus de Principiis.

Porro Angelus & Mens humana acceperunt propinquins extra primum Ens Existentiam. Ergo limitatas primalitates & unitatem. Ergo admistam ex essentia & existentia. Quæ autem longius recesserunt dissimilitudine, non loco, corporatas habent has primalitates, nec æque participatas. In omnibus tamen repræsentantur, quod sic ostendo.

Constat nullum ens esse, aut operari, ant agere, nisi quia potest, & scit, & vult, esse, operari, & agere (posse enim pati, ad impotentiam, & non-esse spectat) hinc manifestum esse debet, Potentiam, Sapientiam & Amorem primordia esse altissima constitutiva, non modo rerum compositarum, sed & simplicissimarum. Quin imo in eis, & ex eis consistere omnium esse, ac potius Primalitates ac primordia dici debere.

XI. Distinctionem quoque originis inter has primalitates inveniri jam monstravimus. Non enim amatur ignotum, nec impossibile. Amor ergo oritur a Sapientia & Potestate: & quia non cognoscitur, quod est incognoscibile, licet cognoscatur quod non amatur, idcirco Sapientiam a Potentia sola oriri affirmare licet. Nec enim potest cognosci, quod non movet cognoscentem, quale est ipsum Nihilum, & entia remotissima. Nec quod excedit potentiam cognoscentis in eo quod excedit: ut verum sit, cognitionem præsupponere potentiam, non autem Amorem: qnoniam Amor non fertur nisi in eognitum, sed cognitio fertur in non amatum.

Igitur Principium triplex est, *POTENTIA, SAPIENTIA*, & *AMOR.* Nam nec obstat Amori & Sapientiæ esse ab alio, quo minus sint Principia: quoniam ipsa potentia est tota in eis, & se totam communicat: & nec potest nisi sciat, & velit, uti magis declarabitur. Igitur Empedocles & Hesiodus recte posuerunt Amorem principium rerum omnium, sed perperam adjunxit Odium Empedocles. Odium enim non est nisi Amoris umbra, & spectat ad non-esse, & est ab Amore, ut dicemus, nec hoc paradoxum videri debet: ideo enim odimus aliqua, qnia corrumpunt nostrum esse, aut disponunt ad corruptionem esse nostrum amatissimum bonum. Rectins Anaxagoras posuit Intelligentiam Principium rerum, non autem Ignorantiam: qnoniam non amamus, nec facimus, quæ ignoramus, quamvis multa fiant ex ignorantia. Itaque intellectus Anaxagoræ Amorem Empedoclis præcedit, sed non recte sine Amore ponitur: sed quia nec Amor, nec Sapientia sunt, aur operantur, nisi possint: Ergo Potestas erat adhuc præponenda, ut sit trinitas Principiorum summotum in Vnitate Entis.

Et fabulosa Philosophia idem docuit, dum Venerem, Palladem & Iunonem introducit Iovis Sorores & filias. Potestas enim est Iehova Entis Primi Conjux, & soror, & unum ergo cum eo; a Potestate emanat Sapientia filia; ab utrisque Amor seu Voluptas procedit supereminentiali modo. Et Ecclesiasticus id confirmat dicens, quod Rex Omnipotens creavit Sapientiam, id est quia *omnipotens*: & Sapientia ait ibid: *Ego mater pulchræ Dilectionis*, id est Amoris.

Omnis præterea Actio idem probat. Propterea enim eo in plateam, quia volo; & propterea volo, quia scio & possum ire; & propterea scio quia possum, non quia volo, & dum eo in plateam, si deesse contingit posse ire, subito annihilatur ipsum ire: & si deficit scire ire, statim cessat ire: & si desinit velle ire, similiter deficit ire. Quod autem in actibus est, est & in actionibus, & in Ente; quod nimirum statim non est, ac essendi perdit amorem, aut sensum essendi, aut potentiam essendi.

Dictum est etiam, quod ut essentiant Ens, vocari debent *Primalitates*: ut respiciunt ad opus, *Principia*; & ut ad causandum exeunt Causas producunt.

XII. Sed quæri potest. 1. Quomodo Scientia ipsa constet adhuc Potentia, Sapientia & Amore? Respondetur, qnod quatenus Sapientia simplex est, nec ens dici potest, nec essentia, nec res: sed *entitas, essentialitas, realitas pro formaliter sumpta*: sed pro materialiter quatenus dicitur Ens, constat etiam Amore & potentia, quoniam hæ præeminentiæ sejunctæ nusquam sunt, si neque in Deo separantur, quo nihil simplicius intelligere possumus, si tamen prout est ipsum intelligimus.

XIII. Quæri potest 2. Quam potentiam, & sensum & amorem habet v. gr. Circulus, motus & quies, figura, relatio, similitudo, honor, virtus & Musica? Hæc quidem Entia sunt, non tamen ex his 3. prædictis constant principiis, ergo non sunt universalissima. Resp. Quod sicut sunt, ita habent esse: quoniam autem non per se sunt, sed in alio, & per aliud & ad aliud; idcirco per aliud esse sunt, & per aliud esse operantur aut patiuntur: Nec sunt entia, sed entis accidentia & effectus; ergo & alius potentia, & alius sapientia & alius amore constant, in quo sunt. Circulus in abstracto non potest, nec scit nec vult aut cupit; sed in mente Dei vel hominis potest, scit & cupit Mentis potestate, sapientia & Amore. Vnde sapiens Mathematicus potest circulum alium formare, & scit & vult ad sui usum esse: & cum formatur circulus, constituitur a potestate, & sapientia & voluntate formantis: & in ipso formato remanent tales essentialitates in materia, in qua habent esse materiale, sed quale datur a forma agente. Circulus Solis habet potestatem facilitandi motum & uniendi, aut unitam continendi Solis substantiam, quoniam ad hos usus est illi datus. Oculi vero Circulus, ut undique objecta cernat, & subito cum opus est circumvolvatur ad occursantia undique objecta & tali artificio sapientiæ Architectoris oculorum dedicatur, & Amori & potentiæ videndi. Grammatica similiter in Mente, habet Mentis potentiam, amorem & sapientiam videlicet loquendi & scribendi grammatice: hoc autem Idiotæ non inest, quoniam in eo non est Grammatica, talem Potentiam, Sapientiam Amoremque Generans ex Potentia, Sapientia & Amore inditis ejus menti. Vult quidem Idiota loqui Grammatice, & in eo qnod vult, potest velle, & scit velle; sed non potest loqui, neque scit loqui, quia ejus Potestas & Scientia non est actuata & specificata; sed quia, quatenus vult, est; & vult quatenus est: non enim lapis vult esse Grammaticus, quia nihil Grammatici est, aperitur identitas Potentiæ, Sapientiæ & amoris fundamentaliter.

Responderi potest secundo, quod Idiota non vult

loqui grammatice, sed vellet, si posset radicaliter: & sicut habet velleitatem, ita Potesteitatem, & Scientieitatem: & sicut velle, ita posse & scire. Verbo, Accidentia non sunt Potestas, Amor & Sapientia, nisi suorum subjectorum.

XIV. Dicimus enim fundamentaliter omnes Potentias & virtutes identificari cum Essentia. Et hoc palam confitentur omnes in Deo. Item in materia prima idem est essentia, & potentia passiva, & appetitus recipiendi formas, etiam adversariorum testimonio: in simplicibus vero formis activis confitentur identificari: idem enim est calor, & potestas calefaciendi, & appetitus calefaciendi, distinguuntur vero solum respectu ex natura rei, & Scotus hoc in cæteris affirmat substantiis; Et D. Augustinus, Animæ non inhærere intellectum, memoriam & amorem sicut accidentia, sed essentiam illius constituere docuit. Hoc ipsum colligitur ex natura accidentis, de quo Tract. 1. Accidens enim est, quod evenit præter essentiam rei, aut præter intentionem, aut præter voluntatem, aut præter naturæ ordinem, aut consuetudinem: sicut esse curvum, invenire thesaurum, cadere in foveam, pluere sub cane, Senatum stulte consulere. At Potestas, Sapientia & Amor non possunt esse extra rei essentiam, aut essentia sine eis, quoniam nulla essentia est, nisi possit, & sciat, & velit suum esse, saltem dum est: neque præter potestatam, imo sunt essendi & operandi potestas; neque præter intentionem, intentio enim est sapientia: sapientia vero non est præter seipsam; nec ubi non potest esse, nec ubi nolit. Et quidem licet nolimus scire dolores & mala nostra; quoniam scire est fieri illa; tamen volumus scire illa in quantum scibilia, sed non pati illa, in quantum destructiva sunt. Nam transacto destructionis periculo a malis, ea mala, ut Virgilius ait, *olim meminisse juvabit*. Vnde & in malorum scientia lætamur: & suave est videre in mari (ut ait Lucretius) e terra labores navigantium; & bellantium certamina tui tamen sine parte pericli: quoniam addiscimus vitare mala, & gaudemus expertos nos esse malorum. Quapropter scire non est pati, sic enim nollemus scire, sed est judicare ex passione res externas: & scire externorum accidit nobis; quoniam essentialis sapientia est sapor essendi: sapor vero adventitii esse pertinet ad accidens, quod tamen fluit ex innata sapientia, quoniam exteriora scimus, propterea quod nos ab illis affectos scimus.

XV. Tandem neque præter Voluntatem est Potentia, Sapientia & Amor. Nihil enim his amabilius; Amor non est præter seipsum; nec Potestas præter amorem, nec scientia, nisi per accidens, ubi scibile nos destruit: scientia enim radicaliter sumpta nos destruere non potest, nec non servare; & licet dolor sit sensus mali destruentis: tamen quatenus est sensus, non est malus, sed quatenus specificatur ab objecto malo, ex accidenti dicitur malus. Vnde & dolorum meminisse juvat, & nosse, in eo quod notitiam pariunt & cautelam & acuunt voluptatem sequentem; & vincunt mala; & in quantum esse illis substernitur, non quantum ad non-esse, quo formantur. Ita & peccatum materialiter ens est, & bonum secundum Theologos; formaliter vero non-ens & malum. Aristot. quoque definit Accidens, quod contingit eidem inesse, & non inesse: nulli autem contingit Potentia, sapientia & amor essendi: & cum sunt, adsunt semper; neque non insunt aliquando; radicaliter sumpta, ut primalitates internæ, non ut accidentalitates externæ.

XVI. Objiciunt Peripatetici: Potestas, Sapientia & Amor semper subjecto inhærent, non autem subsistunt. Item adsunt & absunt citra subjecti corruptionem, siquidem contingit nos idem posse, scire & velle; & mox idem non posse, oblivisci & nolle vicissim. Item suscipiunt magis & minus, ergo sunt accidentia. Quibus respondemus ad 1. subsistentiam non pertinere ad essentiam, etiam juxta eorum dogmata; docent enim formam substantialem & materiam primam nunquam subsistere posse seorsim, ne quidem per Dei potentiam secundum quosdam, & nihilominus substantias esse confitentur.

Item corpora physica, licet subsistant per se, non tamen in se, sed in loco sunt, substantiæ tamen sunt. Item nec in Deo reperitur sapientia subsistens absque potentia & amore; nihilominus ad eandem Essentiam subsistentem pertinent. Idcirco dicendum est, quod hæ non sunt Principia physica, quæ a suis effectibus non segregantur, sed metaphysica, quæ in suis effectibus sunt, ut constitutiva eorum, & non quidem inhærent ab extra, sed sunt ipsum esse ab intra essentiale essantiatum, & essentia ab intra, & non debent subsistere, sed consubsistere: nec sunt in subjecto, sed sunt ipsum subjectum.

Idcirco ad 2. rationem dicimus, falsum esse quod adsint & absint præter subjecti corruptionem (licet nec ista sit Accidentis ratio). Nam anima quæ non est accidens, etiam præter materiæ generatinnem & corruptionem adest & abest: imo si potestas essendi, aut sensus essendi, aut appetitus essendi cuipiam aufertur, statim, si est Compositum, dissolvi dicimus; si simplex, annihilari; si actio, desinit esse. Videmus sane usque ad finem vitæ calorem & frigus, & infirmos homines & bruta, semper vitam appetere, & repugnare contra mortem: non autem absque potentia repugnant, neque absque sensu mali, neque absque appetitu appetunt: quin asserimus, post mortem remanere sensum entis, & potentiam & appetitum, sed non prorsus urante. Neque combustum lignum & in ignem versum, sensum ligni retinet, sed oblivionem; neque potentiam, neque amorem nisi ignis: remanet tamen in pelle ovina metus lupi, & in serpente occiso odium fraxini: sed non qualis ante prorsus, nec in prorsus mutatis: migrant enim Potestas, amor & sensus sicut migrat esse: esse autem mutatur, & non annihilatur, ergo & ipsa triplicitas: cætera autem accidentia annihilantur.

XVII. Nec quia idem scire, & nescire, amare & odisse contingit, amor & scientia & potestas accidentia sunt: quoniam nos non omnem amorem, & potestatem & sapientiam, pertinere ad Essentiam dicimus, sed solum innatas abditasque essendi. Non quidem Petrus constituitur sapere Francisci, sed sapere sui. Neque amore Francisci, sed sui: neque potestate Francisci, vel Reip. sed sui. Posse autem, & scire & velle esse suum nulli unquam enti deficit, quin deficiat esse. Sed horum externorum deficit, & deficit simul esse, non essentiale, sed accidentale & addititium: ut cum scio harmoniam, fio harmonicus Musicusque: si obliviscor Musicæ, desinit esse Musicum in me. Et quidem hæ potestates, amores & sensus externi ab internis fluunt, & causantur effective, & materialiter, ab objectis

objectis vero specificative, occasionaliter & terminative. Vnde D. Thomas a naturali amore derivat voluntarios & causat. Ex. gr. Cum amo, essentialiter amo: cum amo mulierem, accidentaliter amo, quia terminatur esse meum trahiturque ad esse muliebre quod esse desino, cum incipio non amare mulierem: sed tamen non desinit amor mei in me: sed si quis amat nimis, aut sapit, aut potest aliena, transit in esse alienum, & delirat, aut servit; & non est sibi, sed alteri & quasi accidens alienum.

XVIII. Hinc patet aliud axioma peripateticum falsum esse cum dicunt: *quod uni est substantia, alteri non est accidens*, constat enim calorem sibi esse substantiam & igni; lapidi vero accidens. Et calorem nativum animalis esse substantiam, extrinsecum vero accidens; & vestem mihi accidere, sibi vero subsistere. Item posse adesse & abesse cum subjecti corruptione etiam accidentia, ut patet in febre & delirio. Similiter & substantias formales esse contrarias, non autem materiales.

Ad 3. respondetur, ruditer dici de formis substantialibus, quod non suscipiant magis ac minus, cum tantum materiæ & loco conveniat. Et quidem amor, potestas & sapientia suscipiunt magis minusque, sicut & esse: pueri enim esse minus potens, minus sciens, & minus cupiens est, quam viri. Idem apparet in cunctis formis orientibus & occidentibus. Quod si dicatur, tantum accidentia non Essentiam intendi & remitti, verum est de Essentia in Idea, non autem in Ideatis, in quibus exposita est varietati: alias omnia ejusdem speciei simillima essent mutuo; extra latitudinem suæ speciei non suscipiunt magis, sed bene intra latitudinem: sic & Primalitates.

Nec, nisi reciperent magis & minus Elementorum formæ, fierent entia secunda tot gradibus, viribus & essentiis variata. Nec, si Primalitates non susciperent magis & minus, distinctio specifica inter entia reperiretur. Et hoc agnovit D. Thomas, cum intelligentias, juxta magis minusque graduari docuit, & in species distingui.

XIX. De Accidentalibus ratione objectorum, fatemur, magis minusque fieri potius, quam de essentialibus Proprincipiis seu Primalitatibus (sic enim libet metaphysica Principia vocare) sed juxta minorationem potentiæ, sapientiæ & amoris, fieri minorationem entis, nemo inficietur unquam, tam in essendo, quam in agendo; quam operando aut resistendo & regendo, ut patet: si quis hoc negat, neget calorem suscipere magis & minus: non enim magis caloris rationem habet iste quam ille, sed intensiorem potentiam & vim.

XX. Quod si quæras in quo genere Causæ constituamus Primalitates? Resp. in nullo, neque effectivo, neque ideali, neque formali, neque materiali, neque finali. Hæ enim sunt physicæ constitutionis causæ: Principium autem præcedit rationem Causæ; & Primalitas rationem Principii; & metaphysica constitutio physicam: quamobrem dicimus, esse Principia essentialia eminenter, sed rectius vocari *Primalitates & primordia*, quoniam ex ipsis quatenus unum sunt, entia primitus essentiantur primo & prima, & procedunt principia; sicuti essentialitas facultatem, quæ est principium, ut respicit ad extra: intus non est principiatio sed essentiatio: & habere similitudinem cum omni causarum genere, maxime autem cum materiali, sed materialitate longe divinioris generis; & esse non partes, sed quasi partes integrales & simul potestativas entis divisas rationibus formalibus fundamentaliter ex natura rei, non autem realiter: nec enim sunt 3. res, sed tres ejusdem rei realitates, non quidem ut principia, nec ut causæ nisi eminenter: sunt tamen in principiis & causis derivatis ab eis participative: eorum tamen materialitatem esse nobiliorem omni formalitate, est enim Essentia illimitata & immensa: ergo & modum recipere isthæc Proprincipia in secundis entibus, non primo, qui modus est forma eorum materialitatis, aut potius finis & terminus. In Deo autem nullum habere modum aut terminum.

Quoniam igitur entis cujuscunque constitutio ad hæc principia reducitur: nec ullum absque horum constantia invenitur, nec priora his sunt ulla, & omnia fiunt ex eis factione eminentiali, quæ est *ESSE*, & non motus. Ergo manifestum hæc esse Proprincipia rerum. Et quia *principiare* est primo aliquid capere seu capescere, & in Ente primo hoc non accidit, nisi cum ad extra operatur: propterea Primalitates *essentiativa* dicuntur nobis, non *principiativa*, nisi quatenus referuntur ad exteriora entia principianda; & sic dicuntur *Facultates* a faciendo, tres videlicet Potestativum, Cognoscitivum & volitivum: ex quibus erga objecta extensiones habentur, & extensionibus causalitates, & 6 genera causarum, cujusque duo, alterum ex facultate, alterum ex objecto.

XXI. Igitur omnes Primalitates, ut respiciunt ad extra, vocantur Principia: & insuper a Peripateticis dicuntur *Potentiæ*, & a Medicis rectius dicuntur *Facultates*, quatenus factionem præstant & opus. In sacris literis vocantur *viæ*, juxta illud *Vniversæ viæ Domini Misericordia & veritas.* Hinc est quod omne agens agit per propriam virtutem seu facultatem, tanquam per principium actionis. Non enim Essentia agit, nisi ut facultatibus agendi plena & effluens; & manifeste non videtur unum principium seu virtus. Nam alia virtute possumus, alia sapimus, alia oblectamur & cupimus. Possumus enim potestate, intelligimus intellectu, non potestate; sed tamen intellectu potente intelligere. Amamus non intellectu, sed voluntate, sed tamen potente ac sciente ejus, quod amamus. Vnde diximus, quod facultates omnes radicaliter consideratæ, in radice sunt unum realiter, ut dicebat S. Augustinus & Bern. de Intellectu, Voluntate & Memoria: ut vero induunt respectum ad extra, hoc est egressionis ad objecta, distinguuntur realiter, ut dicebat S. Thomas, videlicet per connotata.

Neque Theologia Gentium attribuit Deo primo Enti aliquid præter Potentiam, Sapientiam, & Amorem. Magnitudo enim ad Potentiam spectat, Bonitas ad virtutem diffusivam, quæ est ipsamet potestas cum sapientia & Amore sese diffundendi: unitas autem ejus esse Infinitatem exprimit.

Diis Gentium nihil tribui majus his invenimus. Nam etsi multiplicant Deos, omnes tamen ad hos reducuntur: *Iupiter* enim ENS dicit. Hercules, Vulcanus, Iuno, Mars *Potentiam*. Pallas, Mercurius, Phoebus, Saturnus, Æsculapius *Sapientiam*. Venus, Cupido, Bacchus, Amorem exprimunt.

At purissima Sanctissimaque Christianorum Theologia, unde omnia arcana rerum olfacio [inquit profundissimus Campanella] in Primo Ente, qui se,

QVI EST, vocari declaravit, hæc reperiri primo docet, Potentiam, Sapientiam, & Amorem: & a Potentia generari Sapientiam, & ab utrisque procedere Amorem, ut Ambros. Origenes & Richardus monent. Et ut nobis declarentur, dicunt, Patrem, & Filium & Spiritum Sanctum, unum omnino Deum: & quamvis Pater producat Filium intelligendo, non tamen intellectus est producens, sed ratio producendi; potius autem producens est ipsa memoria fœcunda apud D. August. Nam fœcunda Memoria est Potestas, id enim fœcundum est, quod potest producere. Et Durandus acutissime Naturam fœcundam productricem intellexit: & quidem per actum intelligendi D. Thomas; unde Filius & Sapientia & Virtus Patris: & ab utroque simul Amor procedit, qui est Spiritus Sanctus.

XXII. Recte ergo dicunt Theologi, quod in creatura rationali est imago Monotriadis, nempe Memoria, Intellectus & Voluntas: siquidem fœcundam Memoriam faciunt potestate plenissimam. Sed rectus videtur Damascenus sentire, quod in hoc assimilatur Monotriadi, quod est per se potestativa, intellectiva & voluntate libere, ipsa rationalis creatura. Qui autem ponunt quidditatem, speciem & ordinem; vel esse, virtutem, & operationem, omnes reducunt has imagines & vestigia ad Potentiam, Sapientiam & Amorem: si quidem esse primo videtur esse a potestate, & a sapienti idea & species essendi: operatio vero & ordo, ab amore sese effundendi emanant. Quapropter cum supra primum Ens non liceat vel cogitare, & in ejus Essentia has Primalitates invenimus, rectissime has primo dignificamus.

Itaque Primalitates, essentiantes essentiam, omnia præcedunt. Ex Primalitatibus extrorsibus seu extra respicientibus, oriuntur *Principia*, vocata facultates a Philosophis; egressiones & viæ in sacris literis. Quæ extensæ ad objecta exteriora, pariunt passiones, notiones & affectiones. Extensiones autem istæ, quæ in nobis sunt reales, in Deo vero respectus tantum, producunt principiationem & rerum universitatem. Ex principiationibus causæ, ex causis vero unitis, semina: & ex concursu rerum occasiones, quæ per Necessitatem, Fatum & harmoniam reguntur, (prout suis locis declarabimus.) a Primalitatibus influxum habentes. Vide quæ diximus Tract. XV. de Causis. sect. 1. & Tract. II. De Actione. Nempe omnem causalitatem trahere originem a Primalitatibus, vide sect. 6. Tract. XV. quæ hic nolo repetere.

XXIII. Quæritur ulterius, Quomodo Ens primum constituatur ex Principiis; & est primum? & quo pacto hæc tria principia sunt unum & multa: & unum ita verum sit, quod amor procedat ab utrisque, & sapientia a sola potestate, & potestas a nullo: & tamen sint æque principia Entis simpliciter: & cum Principia a nullo moveantur, quomodo intellectus & voluntas ab objectis moventur & ab illis definiuntur: cum definitio sit prior definito, saltem ex parte generis: nihilominus ipsa sunt prima.

Respondeo: Objecta harum Primalitatum non movent illas, sed specificant actum illarum: ipsæ vero a seipsis vel mutuo moventur. Dico autem ad exteriores actus, quoniam interiores fiunt absque motu, sed sola processione indicibili, velut lux a solo, quæ nunquam incepit procedere, sed semper ita procedere intelligitur. Manifestum est enim, quod quidquid amamus, propter nosipsos amamus; etiam quæ a nobis amore amicitiæ videntur amari, si nobis intelligeremus esse noxia, in eo quod noxia non amaremus. Neque enim Deum ut punitorem diligimus, nisi quatenus punitio est nobis Medicina & salus. Objecta igitur movent voluntatem tanquam bona: Bonum autem est quod nobis prodest ad esse servandum: utilia enim manifeste nos in nobis servant: honesta vero in aliis: Iocunda vero non sunt bona, sed sensum boni habent. Itaque omne bonum, in eo quod bonum, est jocundum. Itaque objecta nos movent in quantum habent aliquid nostri: unde filios plus diligemus, quia plus nostri habent: pecuniam diligimus, quia nostram conservationem habent. Siquidem homo esset solus, & non cum aliis rebus, quæ sunt in Mundo, extra Mundum, extra locum, neque sciret alia entia præter se: se solum amaret & nosset, & palam sibi esset, & non abdita modo notitia, & amor sui: sed quia inter alia entia vivit, & ab omnibus movetur: nec sua vita absque aliis entibus potest esse; ab aliis enim sustinetur; ab aliis instauratur, ab aliis purgatur, ab aliis fovetur, ab aliis affligitur; idcirco seipsum, quasi factum alia undique immutantia ipsum, quasi ignorat & non vult, aliorum notitia & amore alienatus. Idem & aliis evenit entibus, ut quasi nulla sint sui prorsus juris, sed aliorum. Colligavit enim Deus ita Vniversitatem.

XXIV. Quapropter indubitanter asserendum est amorem & scientiam sui inesse rebus cunctis: & ab objectis alienari & specificari; non tamen generari, neque quoad substantiam, neque quoad actum. Definivimus autem has Præeminentias ab objectis, non quidem externis, sed internis. Amor enim est boni complacentia, non alieni, sed sui; aliena enim non placent, nisi quia nos placemus nobis, & illa vocamus bona, quæ nos servant: unde optimum creaturarum Solem, in æstate dicimus malum. Amor quidem nos facit esse alia, non ex se: ipse enim cuperet alia facere nostra. Ignis enim conatur omnia convertere in ignem, & tellus omnia in terram convertere. At evenit nobis fieri alia, quia sicut nos agimus in alia entia, ita alia entia agunt, & quod est in nobis de illorum similitudine, & esse, trahit nos ad alia; sicut semen projectum in terra, trahit terram ad naturam plantæ, cujus est semen. Si autem potentior est terra adjacens illi (puta per semen alterius speciei) trahit semen ad aliam naturam, aut sui propriam. Hinc videmus amantem in rem amatam transire, & timentem in rem quam timet. Morsicatus homo a cane rabioso, in canis naturam vertitur, & quasi catellos in semine suo emittit: & ab araneis Tarentinis venenum efficacissimum per vulnus bibentes in illarum naturas transeunt, earum colorem amant, & sonum earum rerum congruentem: quo deliniti psallunt, saltandoque exsudant venenum, & spiritus attenuatur purgaturque ejusdem exhalatione.

XXV. Objecta ergo nos immutant volentes, quatenus bonum nostrum in eis ostenditur: nolentes vero, quatenus malum. Sed cum malum suum in nobis semen sparserit, hoc crescente & sese amplificante, in illud immutamur; & primo violenter in illud trahimur, mox sponte, quoniam illud facti sumus, & simile simile petit. In hoc autem est virtus divinæ legis, quæ quantum affici externorum scientia & amore debeamus, Regulam patefacit. Hinc avari, lascivi, regulas transgrediendo, incidunt in sui alienationem, ut magis pecuniam,

cuniam, & honorem & mulieraculas cupiant, quam seipsos, ab horum affectione seminali paulatim crescente, alienati a suo esse ad objectorum esse viliorum: sicut timidi ita a re formidabili afficiuntur, ut non nisi illam se videre putent; & cum nimis affecti fuerint, ad illam sponte inclinantur. Quanto ergo magis ab amabili trahentur?

XXVI. Objecta quoque sapientiæ non faciunt nos sapientes, sed ut ipsa sapiamus, & simus: sapere enim naturale est innatumque. Pueri vero non sapiunt, quia spiritus, quo sapiunt, laboribus fabricandi corpus affectus & intentus, neque se, neque externa sapere permittitur. At mox in externorum admiratione occupatus, etiam se magis obliviscitur: & tandem ad sui notitiam redit ex inspectione similium.

Et quidem viderat multa sensus ejus antequam nasceretur, quoniam in calore & in materia, ex quibus genitus est, inerat sensus: sed oblivio illarum tetigit eum per novi esse adventum: quoniam scire est esse, & unius entis unum est esse. Forte autem & novus sensus genitus est cum novo spiritu: habet enim sensus quoque sese multiplicandi vim, sicut potestas & amor cum essentia.

XXVII. Tandem cum non una res sit homo, non unam sapientiam habet: aliter enim sapit & amat spiritus, aliter nervus, aliter os, aliter caro, & conspirant in amore communitatis, & in consensu: non autem spiritui omnium partium sensus est notus: ideo nos, qui spiritus ipse sumus intra crassam molem (prout diximus in Tract. de anima sensus) & eo sapimus, non sapimus sapientiam partium, nisi in dolore & voluptate, qui sunt modi sentiendi vividiores. Mens autem a Deo nobis immissa, per spiritum quoque sapie, quem informat. Ideoque nec deliria ejus frænare satis valet. Potentia quoque est nostra entitas ipsa: & id possumus, quod sumus: operari enim & agere est esse diffusum, quod in nobis prius est. Neque objecta nobis dant posse, sed auferunt impedimenta, vel terminant actum potentiæ & specificant. Si enim calor non habet objectum quod calefaciat, est calor potens calefacere, at posito objecto, calefacit magis illud, quam aliud, & ab illo non habet ut possit, sed ut sic possit. Potest homo generare hominem, sed ab hac fœmina habet, ut in hac ita generet & hunc.

Quas ob res palam est ab objectis non habere quod sunt, sed a se has Primalitates, & non generari, sed excitari, & commoditate donari & specificari, non autem moveri. Nec enim sensus aut intellectus est passio, nec scire est pati: sed judicare ex passione ipsum agens, quoniam per eam factum est ipsum aliquo pacto. Ergo seipsum magis judicat & sentit ens, quoniam non indiget fieri, sed est id, quod est. Definitio autem ab objectis externis est declaratio quædam a posteriori: nam externa sunt notiora secundum artem, non secundum naturam, ideo per externa de internis sermocinamur.

Omissis perquam curiosis doctisque poradoxis, quæ ex præmissis principiis deducit acutissimus Campanella Lib. 6. Metaph. ad quem remitto Lectorem, unicam subjungo quæstionem, qua finio hanc sectionem.

XXVIII. Quæritur quo pacto distinguatur Potentia a Sapientia & voluntate, si semper simul sunt? si enim sola ratione nostra: ergo distinctæ inter se non sunt, nisi chymerice: si per se distinctæ sunt, quomodo unum sunt, vel seorsum non sunt? Potentia, sapientia & appetitus caloris quo pacto distingui possunt? aut materiæ? aut alterius Entis?

Resp. quod si considerentur, ut quod procedit, & ut a quo procedit, distinguuntur Relationibus realibus: sin vero ut sunt, quod sunt absque consideratione relationis, distinguuntur formaliter, quoniam alia est ratio sapientiæ, alia potentiæ, alia voluntatis. Sed num hæc distinctio formalis sit a sola ratione nostra, vel ex natura rei, difficile est decernere: at profecto ratio nostra non potest distinguere veraciter, quæ sunt (ex parte sua & objecti) omnino unum. Igitur ex parte rei fundamentaliter seu radicaliter distinguuntur etsi non realiter omnino; & non distinguuntur ut res a re, sed ut realitas (formalitas, ratio objectiva) a realitate ejusdem rei: & quidem distinctio eorum in creaturis est realis, quoniam aliquo pacto separari possunt. Nam Potentia potest reperiri absque voluntate & scientia: etenim potest Equus ire Romam, etsi ignoret & non velit. Petrus autem potest, & scit: sed non vult. Sed Paulus tabellarius potest, scit, & vult. Anne igitur positioni nostræ repugnamus? Minime, sed declaramus. Attende. Qui enim potest, habet scientiam & voluntatem potendi ire Romam actu completo; eundi vero non habet scientiam & voluntatem actu completo, sed potentia & virtute. Neque enim si non haberet virtute, posset usquam scire, aut velle ire, vel ire. Et ex hoc cognoscimus virtutes abditas. Et hoc patet, quoniam non dicitur vere potens ire Romam, nisi scire, & velle, simul posset: potest autem per id, quod habet virtualiter de scire & posse: quoniam potentia fœcunda parturit scire & velle. Vnde lapis non dicitur posse velle, aut scire ire Romam de se, quoniam de se non habet fœcundam potentiam, ex qua emanat scientia & voluntas; dicitur autem appetere & scire deorsum, quoniam potest ire deorsum, & habet in se gravitatem, quæ est potentia, & appetitus & scientia ipsius deorsum. In ipsa ergo potentia continetur appetitus & scientia; & idcirco dixerat Author, quod, quod nolumus, aut nescimus ex parte, qua caremus voluntate aut scientia. Igitur se habent ut partes integrales totius Entis; & quidem sunt essentiales, & quælibet in quolibet est ex parte, & ex toto: ex toto, virtualiter; ex parte actualiter. Item ex toto realiter & materialiter; ex parte formaliter & quiddicative, sic enim abdita balbutire cogimur: & quoniam eadem res est potens, sciens, & volens; & alia ratione potest, alia scit, alia vult; sed quatenus potest, eatenus scit, & vult ex parte & virtualiter; & quatenus vult, eatenus scit, & potest: & quatenus scit, eatenus vult & potest. Idcirco tres realitates (formalitates) esse dicimus ex natura rei formaliter, non autem realiter.

At in Primo Ente, in quo perfecte altera est altera, perfecte Sapientia est Potestas & voluntas, & quælibet propter eminentiam sui primi esse: Esse enim Primum est unitas maxima: idcirco ibi (in Deo nimirum) solum fundamentaliter distingui per rationes formales intelligibiles actu a nostro intellectu. Tanta enim est primi Entis eminentia, ut quidquid cogitemus & quoscunque conceptus formemus de illo, ab illo adæquentur & superentur in sua Entitate, qua est Primum Ens.

XXIX. Et quidem Scotus distingui ex natura rei nullo considerante intellectu, putat perfectiones divinas in Deo, ob diversas rationes formales quas habent in creaturis. Et quia Deus vult voluntate, & non intellectu:

tellectu: & intelligit intellectu, non potestate, & objecta horum sunt diversæ rationis: idcirco concludit distingui rationibus formalibus ex natura rei. Nos autem (inquit Campanella) nequaquam istud concedimus, dat rationem, quoniam & in creaturis ita distinguuntur, & sunt qualibet in qualibet: multo autem magis unitæ sunt in Deo, & multo minus distinguuntur. Et quia infinitæ sunt, omnem alterius perfectionem includunt, & actu. Ergo sunt formaliter indistinctæ, licet habeant distinctas rationes formales, ut a nobis agnitæ & intellectæ; & hoc sentit Schola Thomistarum erudita. Hæc ille. Equidem pro meo modulo, censeo Scoticos & Thomistas quoad rem convenire, volo dicere, distinctionem formalem puram ex natura rei, & distinctionem rationis ratiocinatæ, ut vocant Thomistæ, coincidere, & quæstionem esse de nomine, an actualis, an radicalis & fundamentalis nuncupari debeat: siquidem fatentur omnes non stare penes intellectum nostrum concipiendi formalitates (aut quocunque nomine compellare placet) in objecto quocunque, maxime autem in Divina Simplicitate, pro libitu: sed fundamentum præesse in Objecto conceptibilitatis, seu per Connotata extrinseca, seu per rationes formales objectivas. Vide quæ diximus in Tract. XXI. de Distinctionibus. Plura reperies huc spectantia in Tract. XLVII. de Vita.

SECTIO III.

De Principiatione & Principio, & acceptionibus ejus multis, & distinctionibus & egressionibus, generatim.

XXX. Circa Naturalium Principia Physiologi dissentiunt, quia non omnia consideranda omnia considerant: vel quia sensu alieno philosophantur, vel quia passione quapiam gloriolæ, aut avaritiæ, aut odii, nova dogmata quacunque ex apparentia fingunt. Qui tamen philosophantur, in sensu fundantur, & omnes veritatis aliquid attingunt.

Ordine naturæ ex Primalitatibus ad Principia, ex Principiis ad causas, ex causis ad semina, & occasiones descendendum. De Semine speciali Tractatu agemus, ubi de Seminatione, quæ est emissio compendii causarum ad novum numero Ens, per propriam existentiam producibile. Sic Causatio est effectio quasi extra factio, hoc est suæ participationis ad existentiam per mutationem deductio. Non enim sufficit ad causationem, quod sit alio, nisi etiam fiat. Linea enim est a puncto, non tamen causatur a puncto, principiatur tamen. Igitur Principiatio est Principiantis prima emissio, quæ in principiato est pars prima, ideoque vocatur Principium ordinis, sicuti in principiante est principium originis. Non ergo in principiatione requiritur materia transmutabilis, quemadmodum in causatione; unde Creatio ex nihilo proprie est principiatio; & cum animus ex non præcedentibus aliquid novi imaginatur & excogitat. Principium ergo, quo est causa, transmutat, & in causatum & partem substantiæ effundit. Quo vero principium principiat vel principiatur, nihil effundens substantiale per efficacitatem primalitatum.

Memineris autem nil esse difficilius humano intellectui ad intelligendum, quam quid sit rem unam producare aliam, v. gr. videmus ab una candela accensa centum & plures participare lumen de lumine sine diminutione primi luminis, idem modico igne ingentem sylvam quasi subito inflammari &c. quia vero ab actu cognoscitur potentia, perinde obscurum & difficile est intelligere, quid sit rem unam posse producere aliam.

Solent nonnulli ad hæc explicanda hujusmodi terminis uti *influere*, *influxus*, *influens* ex metaphora aquæ, quæ ex flumine in canalem molendini influit: sed hujusmodi metaphora rem obscurat, non dilucidat, & rectius ex terminis notioribus, licet specificis, genus explicatur v. g. per terminum *fœcunditas* hic alter *virtus productiva*, *vis sui communicativa* &c.

XXXI. Principium est *id, unde aliquid est quomodocunque*, latissimus terminus latissime definitus, ita ut per illam particulam *unde* comprehendatur tum id ex quo, tum id a quo, tum id ad quod, vel per quod, vel propter quod aliquid est. Quidquid enim in aliquo recto sensu construi potest cum ullo ex illis relativis, recte dici potest principium, vel analogice vel univoce.

Cæterum triplex videtur esse Principium, videlicet (1) quod est primum ad principiandum aliquid ex se, & per se: & hæc sunt voluntas, intellectus & potestas, quæ ex Primalitatibus relatis ad objecta, aut quomodo libet ad extra, emergunt, & hæc sunt principia actionum, & operationum & causarum & causatorum: quidquid enim aliquid agit aut operatur, idcirco agit aut operatur, quia potest, aut scit, aut vult, prout aliæ operationes pertinent ad potestativum, aliæ ad cognoscitivum, aliæ ad volitivum: nam omnis effectus est ab omnibus primalitatibus realiter; at formaliter ab una, cui similior.

(2) Vocatur Principium omne id, quod præbet occasionem prædictis Principiis ad principiandum hoc & non illud; sicut dicitur raptus Helenæ principium Belli Trojani; & objecta sensuum dicuntur principia sentiendi, non quod dent sensibus sentire, sicut dat Principium primo modo dictum, sed occasionem sentiendi hoc. Sic principium expulsionis Regum Romanorum dicitur Lucretiæ stuprum. Quod quidem stuprum non agit in expulsione, sed dat occasionem irascendi, ex qua ira, bellum & expulsio. Hæc tamen principia non operantur, nisi apprehendantur a Principiis primo modo dictis.

(3) Modo Principium dicitur, quod primo in re principiata sit; v. g. fundamentum in domo, & caput in animali secundum naturam: secundum nos vero Principium est, unde facilius ac melius incipimus, ut in Poëmate & in Scientiis, unde melius addiscimus: licet in Theologia sit principium magis secundum Naturam. Præterea qualibet pars, unde nos primo incipimus in illa negotiari; ut principium Exercitus est ille miles, unde prius numeramus, quamvis ille non sit antiquior tempore, neque dignitate major; sic autem principium semper est pars principiati, sicut principium primo & secundo modo dictum influit in principiatum. Quapropter errant Aristotelici Privationem facientes principium, cum nec influat in principiatum, nec sit pars prima principiati, sicut primus dies Ianuarii est principium Ianuarii; non autem ultima Decembris.

XXXII. Principium in omni ordine est primum: primum autem est unum, uti lingua hebraica melius insinuat, ita ut idem sit principium quod unicipium. Hinc recte Theologi Trinitatem in maxima unitate ponunt Principium rerum primum simpliciter tam in essendo quam in operando.

Distin-

Distinguuntur sæpedicta Principia Potestas, Sapientia & Amor, quæ sunt unum realiter, ab objectis, & instrumentis & actibus; sed radicaliter ab eis oritur Potestativum, cognoscitivum & volitivum facultates, cætera enim omnia ad hæc tria reducuntur, quæ habent distinctionem ab intrinseco: sed quæ ab his sunt, habent ab extrinseco, qui sunt actus, objecta & instrumenta, addentia distinctionem habentibus, & dantia non habentibus: Si quidem quemadmodum artes, quæ sunt Principia factibilium, sunt in eodem intellectu ejusdem existentiæ atque essentiæ radicaliter, distinguuntur vero cum ad objecta referuntur realiter, quæ aliis actibus atque instrumentis tractantur. Fossor enim ligone tractat terram: Cytharœdus cythara melodiam: lignarius dolabra lignum dolat; sic & in Primalitatibus, imo & in cujusque Primalitatis gradibus. Cum enim una sit Anima sentiens, videtur tamen alius esse sensus videndi lucem per oculum, alius capiendi sonum per aures, alius judicandi sapores per gustum, & sic de singulis.

Quapropter constituemus multiplicia Principia ex uno realiter, distincta formaliter; quæ distinctio si repetitur in ejusdem Primalitatis egressionibus atque viis ad extra, multo magis in tribus. Sunt etiam nedum artes, sed & virtutes & vitia Principia operationum, non omnino, sed talium: sunt enim Regulæ, vel Enormitates Passionum, Notionum & affectionum, quæ ex Principiis ad extra relatis extensisque suboriuntur: ex quibus actiones quidem fierent, non tamen tales, quales a virtute & vitio; quæ propterea principia modificationum potius vocabuntur.

XXXIII. Præterea quot organa & actus ad certa objecta in Animali per egressionem Potestativi, cognoscitivi & volitivi reperiuntur, tot etiam ponimus principiationes & principia, hoc est principium sustentandi pondera, continendi effugientia, colligandi dissidentia, transmutandi repugnantia, resistendi nocivis, oppugnandi hostilia. Item principia judicandi visilia, audiendi sonos, olfaciendi odores, gustandi sapores, tangendi corpora & qualitates activas. Item ... memorandi, & imaginandi & ratiocinandi & ... ...ngendi. Præterea sunt principia appetendi alimenta, & digerendi & absolvendi & distribuendi & expellendi excrementa, & generandi simile, sive seminandi: quæ omnia indigent occasionibus, cum egrediantur ex modificatis Primalitatibus. At cum in Deo sint absque modo, occasionem non habent, sed dant. Item in actibus, intraneis innatis primalitas creata non indiget occasione, sed solum in illatis; ibi enim Deo propinquior.

Porro intra primam Essentiam principiatio secundum modum, qui creaturæ convenit, non datur, neque causatio, quamquam latini Theologi Principium ex penuria vocabuli, & Græci Causam ibi nominent; & Durandus materiam, non tamen principiatum, neque causatum, neq; materiatum agnoscunt, licet eminenter & transcendenter Primalitas habeat virtutem Principii & causæ ad extra. Est autem Principiatio prima ad extra *Creatio*, quæ ex nulla substantia per ineffabilem vim creantis producit res ad existentiam in qua recipiunt ut possint esse, sciant esse, & ament esse; ideoque transeunt essentiæ ad existentias sine motu & mutatione creantis, ac subito, cum nulla sit transmutanda res materialis in creatura repugnans creanti, nec imbecillitas in creante tardans operationem: si enim esset transmutatio, non esset principiatio prima simpliciter, sed secundum quid & partis scilicet formarum, & non totius scilicet formarum & materierum. Errant ergo Stoici coæternantes materiam Deo, ergo & primam principiationem sic negantes.

Postmodum quæ primitus creata sunt, similitudinem Creatoris habent in essendo & in principiando, ergo principiant quia possunt, sciunt & volunt, vel naturaliter vel artificaliter, vel moraliter: non tamen totum, nec totaliter quemadmodum Principium primum; sed partem transmutantes ex parte, ita ut in Causarum transeant ordinem, quæ potius existentiam dant, quam essentiam.

SECTIO IV.

De Principiis Physicis & Elementis.

Hactenus breviter de Principiis Metaphysicis (quibus & Non-ens, cujus species Privatio adnumeratur, uti declarabitur Tract. sequenti de Ente). Nunc ad Physica transeamus. Præmitto autem ex Io. Bapt. Ptolomæo, *Elementum, Principium*, *Primordium*, si ratio habeatur proprietatis vocabulorum, synonyma esse, aut saltem vulgo pro talibus haberi: de nomine non litigabimus, dummodo quod res est, teneamus & assequamur. Cum ergo de rebus naturalibus & Vniverso agitur, Elementa dicuntur quatuor illa maxima corpora, quorum copia fere ex toto occupat machinam Mundi: nihil enim abundat magis in Mundo quam Terra, Aqua, Aër & Ignis: inde ista dicuntur Elementa, quia jam dudum persuasum est vulgo, quod reliqua corpora quacunque cernuntur in Mundo, & dicuntur Mixta, ut saxa, ligna &c. componantur ex illis 4. varie inter se dispositis, non dissimillimo pacto, ac ex farina & aqua fit panis: ipsa vero Elementa non componantur ex aliis: unde invaluit Elementa dici corpora simplicia. Sed error hic communis est.

Audire juvat Illustrissimum Boyle. Principia, inquit, & Elementa vocabula technica pro æquivalentibus sumuntur, per eaque intelliguntur primæva illa & simplicia corpora, ex quibus Mixta componi, & in quæ ultimo resolvi dicuntur. Suum autem judicium sequentibus propositionibus exponit.

XXXIV. I. Non videtur absurdum concipere, in prima Mixtorum corporum productione, Materiam illam universalem ex qua ea inter cæteras Vniversi partes constabant, in exiguas particulas, diversis magnitudinibus & figuris instructas, varieque motas, actu divisas fuisse.

II. Neque est impossibile, ex minutis his particulis quasdam ex minimis & vicinis hic illic in minutas massulas & quasi racemos fuisse associatas, suisque coalitionibus magnam copiam exiguorum ejusmodi primariorum Concretorum, seu massularum copiam constituisse, quæ in tales particulas, quæ eas componebant, non facile poterant dissipari.

III. Non negem præfracte, ex maxima parte hujusmodi corpora mixtorum, quæ vel de animali, vel vegetabili natura participant, posse ignis adminiculo, actu obtineri determinatum numerum (sive 3. 4. vel 5. plus minus) substantiarum, quæ diversas denominationes merentur v. gr. ex sanguine humano, phlegma, oleum, sal, spiritum & corpus mortuum &c. Et quidem lene Balneum, sanguinem non fermentatum, non nisi in phlegma & caput mortuum dispescet: quorum posterius durum, fragile, diversorum colorum,

 (transpa-

(transparentium ad instar fere testudinei tegminis) ab intenso igne in Retorta subactum, spiritum, unum, alterumve oleum, salemque volatilem, præter caput mortuum suppeditat.

IV. Concedi simpliciter potest, distinctas illas substantias, quas Concreta communiter vel suppeditant vel constituunt, aut potius continent, non adeo incongrue posse ipsorum Elementa vel Principia vocari. Ita censet Boyle. Tu nota illud monitum Galeni: Cum de re constat, de verbis non est litigandum. Vocent Chymici sua Ingredientia (Principia) & Peripatetici *Elementa*, per me licet. Vtrique forte improprie. Sed de his postea.

Opinionem autem vulgarem 4. Elementis hac occasione invaluisse conjicit P. Ptolomæus. Cum primum ad philosophandum de Mundo homines aggressi sunt, dividendum censuere methodi gratia totum Vniversum naturali maxime divisione primo in duas partes & regiones, superiorem & inferiorem. Superiorem, quæ undique a Terra usque ad terminos mundi sursum protenditur, dixere Cœlum: inferiorem vero appellavere Terram. Quæ divisio respectu habito hominis in terra degentis revera fuit in duas partes satis accommodatas, veluti ipse consistat in confinio utriusque mundanæ regionis. Porro advertentes componi Terram ex duabus maxime partibus & corporibus, liquido videlicet & solido, primum corpus aquam, secundum proprie Terram seu Tellurem appellavere: Totum, Globum Terraqueum. Itemque observantes Cœlum totum (hoc est id quod superficiei terræ supereminet) constare ex quibusdam maximis corporibus sensibiliter similibus quoad calorem & lucem, corpori cuidam terrestri mixto, quod jam vulgus appellabat ignem: atque item constare ex alio expanso corpore, quod facile mobile & agitabile esse ex ipso vento percipiebant: hoc corpus aërem dixere: sidera vero omnia cum Sole appellavere ignem, cujus nonnulla portio quoque esset in terra, qui est ignis nostras, quemque esse ejusdem speciei cum Sole credebant, & ideo cum accenditur, avolare sursum, veloti repetiturus regionem suam: atque inde originem duxit communis antiquorum opinio, quod Mundi Ele menta sint quatuor.

XXXV. At Processu temporum Viri acuti & rerum curiosi indagare cœperunt, ex quibus constarent & componerentur cordora, quæ generari & corrumpi videbantur v. gr. ex quibus componeretur saxum, vitrum, arbor &c. Prima, quæ statim occurrit huic quæstioni responsio fuit, componi ex Elementis illis 4. vel omnibus vel aliquibus, diversimode & in diversa copia & dosi invicem commixtis & coagmentatis. Qood si ab illis iisdem antiquis quæsitum fuisset, utrum Elementa ipsa ex quopiam alio corpore componerentur, consequenter dixissent ista Elementa (quantum ad compositionem essentialem) esse corpora simplicia, hoc est non habere partes nisi integrales, videlicet omnes illorum, licet minutissimas particulas ejusdem naturæ esse, cujus tota integra moles ejusdem Elementi: sed reliqua corpora, præter illa 4. inde appellari mixta, quod essent ex illis, & in illa dividi possent. Exemplum dedissent, quod & vulgus peripateticum hodiedum dare solet in ligno semiviridi, quod dum comburitur & vi ignis resolvitur in fumum, qui est aër; in flammam, quæ est ignis: item emittere ab extremitate humorem, qui est aqua: & subsidere cinerem, qui est terra. Hinc invaluit opinio per ea secula communis, & hodiedum multis inhærens phantasiis, quod Elementa 4. notissima sint prima principia corporum mixtorum.

Succedentibus annis fuere Philosophi, qui speculando attentius de rebus prædictis serio dubitarunt, utrum videlicet Elementa vulgaria essent revera prima principia & prima Elementa? an potius & ipsa componerentur essentialiter ex aliis partibus? Nonnulli perstitere in antiqua opione: recesserunt alii, hique in plures classes divisi sunt juxta diversa systemata corporis naturalis, vel Epicurea, vel Peripatetica, vel Anaxagoræa vel Chymica, concidentes Elementa vulgaria esse secunda principia, adeoque etiam secunda Elementa, non vero prima: nec pura, sed elementata: quorum fundamenta & refutationes vide apud cit. Authorem.

Antequam promamus nostrum hac in re judicium, agemus primo de systemate Peripatetico corporis naturalis, & quidem celeberrimam discutiemus quæstionem, quæ sub barbaris vocabulis proponi solet in scholis, quæ & quot sint Principia prima intrinseca Corporis naturalis *IN FACTO ESSE*, & *IN FIERI*; quod apertius diceretur, quæ sit causa materialis, quæ formalis, unde componitur quodlibet corpus naturale? Sit itaque

SVBSECTIO I.

De Materia prima.

XXXVI. Conveniunt quidem Philosophi omnes, quod Materia sit id, ex quo aliquid fit, ita ut insit, sicut Aristoteles definivit: non recte sibi, cui Cœlum non fit, & tamen materiam habet: unde potius dicendum fuerat, ex quo aliquid constat. Item ex Elementis fiunt mixta, & ex iis constant, in quibus insunt causæ activæ, de quibus fit elementatum, nec tamen Materia sunt. Quid autem in se sit Materia, non satis liquet apud Philosophos. Ioannes Bapt. Ptolomæus dissert. 3. Phys. Gen. sect. 2. ait: *Materia prima: primum principium materiale: primum subjectum; causa materialis physica substantialis*, sunt synonyma. Per quæ intelligitur non quodcunque subjectum, sed illud quod primo recipit formas & per illas determinatur ad certam speciem, quacum constituit Compositum hujus vel illius speciei. Sed restat quæstio principalis, quid rei sit illud primum subjectum capax & indifferens ad recipiondas quascunque formas?

Respondetur communiter, Materiam primam esse *ens infimum*, ultimum *gradum entis*, *ens prope nihilum*, *fex Mundi*, *primum Chaos*, *interminatum*, *turpe*, *tenebra*, ὕλη hoc est *sylva*, quibus appellationibus designare contendunt symbolice sapientes, nescio quid rudius & magis indigestum eo ipso *quod dixere chaos rudis indigestaque moles*; ut Ovid. alludens ad illud Genes. Terra autem erat inanis & vacua.

XXXVII. Ab Aristotele exponitur Materia prima dupliciter; nam 7. Metaph. cap. 3. ait: *Materia prima est quæ per se ipsam non est quid, nec quale, nec quantum, nec aliud quidpiam eorum* (prædicatorum) *quibus Ens determinatur, neque etiam negationes eorum, sed horum omnium commune subjectum.* Quæ verba sic interpretatur subtilis P. Ptolomæus: De materia prima secundum se responderi non potest ulli interroganti, sive per quid? sive per quale? sive per quantum? nec per aliam interrogationem, licet omnia

omnia corporea, de quibus respondetur ad hujusmodi interrogationes, sint veluti ex subjecto ex aliqua particula talis materiæ.

Rigida valde hæc definitio videtur, cum ex ea inferri merito queat (junctis prædicatis symbolicis) quod materia prima sit nihil, præter abstractissimum conceptum: Econtra volunt Peripatetici ex ea utpote subjecto primo formarum, & ex ejus partibus seu particulis componi substantialiter omnia corpora naturalia, ita ut portio materiæ, quæ est in uno corpore substantiali, sit omnino similis alteri portioni, quæ inest alteri corpori substantiali, licet corpora illa cæteroquin differant specie ratione formarum.

XXXVIII. Fateor imbecillitatem ingenii mei: capere non possum, quomodo ex ferme nihilo fiant & constituantur intrinsece omnia, & quidem naturaliter, quomodo subjectum omnis mutationis substantialis non sit substantia, & ejus compars forma ens tantum sit respectivum & modale, quomodo inquam ex hujusmodi partibus exurgere possit compositum sensibile? Ad pleniorem tamen intelligentiam dicendorum volui ex modo laudato Authore præmittere quadruplicem divisionem Materiæ; videlicet in Materiam remotam, propinquam, primam, & secundam. Materia remota est ipsa Materia entitative considerata, nempe ut potentiale ens pure passivum, nec existentiam quidem involvens in suo conceptu essentiali seu idea. Materia proxima est eadem, sed ut conjuncta cum ultima dispositione ad educendam & sustentandam formam substantialem: proinde materia proxima, ut talis, est concretum ex ipsa materia in recto, & ultima dispositione in obliquo. Hæc autem (nota subtilitates nugatorias) vel est ultima ultimitate extrinseca, vel intrinseca, hoc est vel illa dispositio est in instanti immediate antecedenti ad productionem (resultantiam) formæ, vel est in eodem instanti: quoad ipsam ultimam dispositionem ultimitate intrinseca notabis, quod licet in eodem instanti temporis existat cum nativitate formæ; illa tamen dispositio præcedit natura utpote disponens & vestiens ipsam materiam primam, quæ tanquam causa materialis est in priori ad formam. Per hujusmodi distinctiones nonnulla sophismata difflari ait hic Autor: sed nos has distinctiones difflabimus in sequentibus.

XXXIX. Materia ut sic (pergit Ptolomæus) dividitur in primam & secundam. Ad primam pertinent superius dicta. Secunda vero materia non est, ut nonnulli perperam, sed ad rem suam, interpretantur, idem ac materia artificialis, hoc est ipsum Corpus naturale, in quantum per artem potest vel secari vel dedolari vel sculpi aut tornari aut aliter in artefactum quodcunque efformari: sed materia secunda est vera materia naturalis & physica, in quantum est potentia ad formas quasdam substantiales, quæ inter alias ultimas dispositiones petunt, ut materia informetur prævie ab aliis formis substantialibus subordinatis illi perfectiori: sicut anima hominis informet materiam cibi, prærequiritur ut prius vertatur in chylum, & alias subeat transmutationes donec in carnem, spiritus animales &c. vertatur. Ex quo pendet harmonia Universi pulcherrima, quam deformare nemo jure attentaverit propter leves quasdam ac subtiles formalitates.

Exemplum, ut dixi, est Corpus humanum, quod est materia secunda in ordine ad animam rationalem: quia corpus humanum non est mera materia prima cum accidentalibus dispositionibus, sed est materia prima unita & informata pluribus formis substantialibus subordinatis animæ rationali, quæ proinde dicuntur formæ substantiales partiales v. gr. a forma carnis, forma ossis, forma nervi, forma oculi &c. Atque ita formatum corpus humanum prævie ante animæ rationalis infusionem (quod Embryonem vocant) appellatur materia secunda, quæ simul cum anima rationali componit hominem, qui non ex sola & q. nuda materia prima, & animali rationali constat, sed ex materia secunda seu organizata formis illis partialibus, & anima rationali nobilissimo incola condignum requirente domicilium constat & intrinsece constituitur. Et hæc Composita præcipua vocamus Decomposita, ad distinctionem simpliciorum, qualia sunt Elementa quæ ex sola materia prima & formis substantialibus, vel proprietatibus constant.

Hoc certo tibi persuadeas, circa Materiæ essentiam summopere cæcutire Philosophos, ac mirabiles ejusdem ideas in Discipulorum phantasiis efformari. Materiam inter Principia corporis naturalis numerant omnes: ergo Ens est. Si Ens est, ergo non a forma, sed a suo Esse materiali, a forma enim habet esse formale, non materiale; Ergo positivum quid est, cujus natura, ut sit corpus universale, informe & iners, aptum ad recipiendas formas, & operationes & numeros. Moles enim corporea est subjectum ex quo res fiunt, & in quod resolvuntur, & de quo res sit, cum insit: omnesque rationes materiæ a Philosophia inventæ corpori substantiali physico, non autem Mathematico conveniunt, nec puræ potentiæ Aristotelicorum.

XL. Hæc veritas palam fit ex eo, quod anima quælibet & forma (fatentibus Peripateticis) est actus corporis, non autem alterius entis prioris: corpus etiam passivum est ens omnes suscipiens formas, propterea que quantitate molis præditum, divisibile, unibile, figurabile, extendibile, contrahibile, frigefactibile, calefactibile, mobile, colorabile, transmutabile omnibus modis & categoriis rerum. Ergo cum hæc omnia sint passiones materiæ, rectissime Materia secundum se considerata videtur esse corporea moles & substantia, nullam determinatam habens formam, nec certam dimensionem, susceptiva tamen omnium formarum & terminorum & mensurarum & dimensionum & numerorum. Videtur ergo somnium & delirium materia illa Aristotelica, de qua tam multa fiunt in scholis verba, sensu & intellectu carentia, ut bene perpendit S. Iustinus Martyr, Philosophus præclarus, qui etiam ait, ex materia & forma, quarum neutra est corpus, fieri non potest corpus, ergo vel forma vel materia sunt corpus. Nemo autem dicet animam esse corpus, & calorem & hujusmodi formas, ergo materia est corpus, materieitas & corporeitas idem. Hoc etiam argumentum est Averrois & Arist. in 3. de Cœlo, ubi contra Platonem probantem ex non corpore non fieri corpus, & propterea perperam ex superficiebus a Platone gigni: quod quidem minus inconveniens est, quam dogma Aristotelicorum: superficies enim & lineæ sunt res materiales & quantitates aliquo modo: at forma & materia Aristotelica sunt penitus incorporea & non quanta ullo pacto, quomodo ergo ex eis fiet corpus? figuratio, dimensio, quantitas? At quomodo materia incorporea potuit dividi ab activis causis, & formas sortiri plurimas & numeros, nisi corpus informe sit, quemadmodum Basilius & Origenes & Chrysosto-

 mus

mus & alii Patres docent, absque S. Scriptura, quæ ornatum materiei accessisse a Deo docet & distinctionem. Distingui autem, & separari & ornari & formari ens non quantum minime potest, ut probat S. Thom. in L. de natura generis. Vnde & Ecclesia canit *tetrum chaos illabitur*, & licet tempore non præcesserit formam, præcessit tamen origine & natura.

XLI. Et quidem cum dicimus Materiam informem, non sic intellige, quod carere possit omni forma, sed quia non sic habet hanc formam, quin possit suscipere alias formas, si quis det: & quidem potest esse absque omni forma activa, id est absque calore & frigore cæterisque hujus generis: non tamen absque forma passiva, nisi infinita sit, hoc est in infinitum extensa. Si enim terminos habet suæ existentiæ, utique & formam habet ad quam terminatur, sive divisa sive unita sit. Imo & sui natura tenebricosa est: neque repugnat causæ passivæ qualitates habere passivas, sed activas modo, quas non nisi ab agentibus suscipit, cum quibus fit unum: hujus unionis respectu etiam materia fit coagens, non autem agens: & forma agens fit compatiens, seu consuscipiens, non autem suscipiens patiensque. Quapropter si corporeitas esset forma, & non ipsa materieitas, tunc posset materia vicissim sive alternatim suscipere nunc corporeitatem, nunc incorporeitatem, sicut nunc calorem, nunc frigus. At cum manifestum sit materiam non suscipere formas incorporeas, nisi quia prius ipsa est corporea basis earum: utique planum simul est, materiam esse corpus de genere substantiæ. In omni enim generatione præsupponitur corpus, quod materiat & generationem & genitum, ergo nulla res alia materians innotescit, neque est. Quomodo enim ex uno fecit Deus omnia Chao, nisi illud fuisset corpus aptum dividi in Elementa, & elementata formari; non autem indivisibile Ens, non ens.

XLII. Recentior quidam Materiam, qua de hactenus, vocat primum divinæ Sapientiæ rudimentum adhuc *turpe, inane & vacuum*, indivisibile, tenebris involutum, donec exinde mox primo creationis die lucem educeret, quod hoc modo accidisse autumat. Ex hoc primo Elemento eduxit Deus *substantiam* secundam globulorum, materiæ subtilis dimidiam partem vel amplius tornando in minutissimos globulos, quod vocat *secundum Elementum*, quod priori mixtum dabat *materiam cœlestem*, qua constat totum expansum quantum quantum inter globos mundiales atque stellares interjacet. Ex materia cœlesti postmodum, inquit, formavit *tertiam materiam*, fingendo eam in minimas particulas seu moleculas diversissimarum figurarum, puta oblongas, teretes, acuminatas, uncatas, cuspidatas, cavernosas, cubicas, cylindricas, prismaticas, hamatas &c. quales deprehendunt Chymici dum per artem spagyricam diversa corpora mixta resolvunt, quod tertium Elementum suppeditarit materiam connexioni continuativæ cohæsivæque idoneam, ex quibus Elementa vulgaria, & porro corpora stellaria produci possunt.

Porro ex Igne adhuc imperfectius mixto ductum putat initium. *Ignis* igitur, ex quo potissimum Sol constat, *est Elementum calidum, lucidum & fluidum, constans ex particulis exilibus, diversis, solidiusculis, præsertim nitrosis, a materia subtili, cui innatant, motu celerrimo agitatis.* Exilitatem particularum ostendit, quod foras vibratæ minutissimos porulos penetrent: esse cuspidatas docet vis illa, qua dura & solidissima corpora ocissime discindunt ac solvunt. Esse rapidissime in omnem partem agitatas, sensus ipse percipit. Etenim *materia subtilis*, dum sola est, nullum fere sensibilem effectum edit: eo quod sine obstaculo poros omnes libere pervadit: ubi autem solidioribus corpusculis, quæ obviorum corporum meatus subire non possunt, motum communicat, effectus prorsus insignes procreat, ut in tormentis bellicis apparet. Analogiam habes in aqua, quæ sine noxa pontium fulcra præterlabitur, quia partes ejus infirmiores sunt propter fluiditatem, quam ut illa commoveant: At quando solidiora corpora, ligna, trabesque volvit, quibus motum suum communicat, horrenda strage omnia convellit.

„ Porro *Aër* noster est Elementum fluidum, rarum, maxime pellucidum, spirabile, particulis tenuibus, lanuginosis, flexilibus, plumulosis, cum aliqua tamen rigiditate, & a se invicem perpetuo motu disjunctis, & vim elasticam habentibus, constans; quod Terram, quam circumfluens ambit, determinat in globum.„ Forma ejus substantialis est modus ex tali materia taliter unita resultans, quanquam aër solus, semper & primo est corpus ita descriptum.

„ *Aqua* est Elementum, vulgare, humidum, fluidum, constans particulis oblongis, fluidis, flexilibus jugiter inter se agitatis, glabris, teretibus, & anguillarum instar lubrice volubilibus, cum terra unum globum constituens.„ Proprium aquæ est, quod frigefaciat, quia ejus particulæ poros ingressæ, motum materiæ subtilis impediunt; sive, quia, ut alii loquuntur, ignem potentialem, quæ est materia subtilis, dividunt. Humectat, quia particulæ aquosæ eisdem poris inhærent. Emollit, quia aliis per poros se miscet. Flammam extinguit, dum motum partium ignis impedit obstruitque meatus. Abluit, quia sordes secum avehit. Calefacta rarescit, quia particulas ignis rejicit. Elevatur fervescendo in bullas, quia agitatione ignis collectum aërem concludit: quæ bullulæ coeunt in unam, aëris pressione.

„ *Terra* demum est Elementum frigidissimum & siccum, constans particulis multiplici figura magnitudineque prædictis inter se arctius cohærentibus.„ Sunt autem ejus particulæ majores igneis, aqueis & aëreis, ad magis fixam quietem, unde frigus nascitur, quod difficulter sint disjungibiles & mobiles a subtili materia. Nec dubitari potest, subjungit, hujusmodi Elementa terrestribus analoga, etiam reperiri in stellis iis [adde Planetis] quæ solidæ potissimum sunt; & hujus mentis quoque fuit P. Athan. Kircherus in suo Itiner. Extatico.

Ex quibus colligitur Materiam omnium primam contineri in secunda, secundam in tertia, quæ sunt primigenia & magis proprie dicta Elementa: quæ ulterius continentur in 4 vulgaribus, velut aliæ præ aliis de iisdem plus minusve participant. Hic inseratur Supplementum V.

Superest ut quæ verosimiliora in re tam obscura & intricata nobis visa sunt, promamus, quod seqq. assertiones dabunt.

XLIV. Dico I. Nomine Materiæ, quæ cum forma juxta omnes Philosophos constituit compositum physicum, non intelligimus puram potentiam & quasi nihilum, sed ens corporeum substantiale. Falsum enim est quod Ens in potentia sit simpliciter non-ens.

ens. Simpliciter enim non-ens, est nihilum: ex nihilo autem non est generatio, sed creatio. Generatio vero est ex non-ente tali, ut ex non-igne ligno fit ignis. In omni autem generatione & corruptione corpus subjicitur, Averr. & Alexand. alias ex non corpore fieret corpus, quod Arist. contra Platonem sumit pro absurdissimo. Corpus autem substantiale Ens est, sed non illud quod fit, sed ex quo, & in quo fit, ut etiam probat Alex. in 2. de anima c. 18. quod bene probat, si corpus est materia: si autem forma, ex materia non-corpore, neque Ente in loco generandum erat, ut Peripatetici Recentiores generant contra Averroem & Alex. cum intellectivam animam non in corpore organizato, sed in nuda materia acceptant: quo nihil stultius & divinis dogmatis oppositius. Inspirat enim formato corpore Deus spiraculum vitæ, non materiæ nudæ, uti omnes PP. animadverterunt, & natura docet. Cum autem dicunt generationem esse mutationem instantaneam, quæ formam in materia nuda ponit, quæ non-ens, neque in loco, idcircoque non esse motum in substantia falsum dicunt, & experientia in formis occumbentibus & nascentibus contrarium monstrat. Ipsa quoque aqua dum fit aër, paulatim attenuatur, donec ultimum gradum tenuitatis acquirat, qui est aëris Entelechia. Cujus terminus est instantaneus, sicut & in albefactione, & in aliis mutationibus etiam localibus est instantaneus. Et cum arguunt: Ergo forma generanda & corrumpenda sunt simul: non nego esse simul secundum partem & in invicem pugnantes: nego tamen totas & conciliatas, qualiter Peripateticis ponuntur in misto. Manifeste enim paulatim tellus in ignem vertitur, & semen plantæ in plantam sese evolvit, & calidum frigescit paulatim, & pugna contrariorum indicat remissiones & intensiones formarum. Probatur secundo conclusio ex eo quod Materia sit Ens creatum a Deo ut apud Christianos, Judæos & Mahometanos in confesso est, asserentes concorditer a Primo Ente omnia facta esse, ergo non est tantum Ens in anima, sed substantia realis. Observa tamen, quod quia materia non agit, sed patitur & recipit; & in eo quod patitur, non est ens, sed fit ens; pati enim est recipere alienam similitudinem, ergo non habet quod recipit. Passio ergo consistit in non habere, ergo Materia quatenus passivum principium dicitur, non est a Deo activissimo: sed quatenus habet actum entitativum, ut bene dicit Scotus: cum ergo materia calefit aut frigefit, aut fit sphærica, rara, tensa, triangularis, recipit actus, quos non habet, & quos ipsa non est. (NB). Non est autem actus, quem recipit, non quia Deus illi dedit non esse actum, sed quia permisit non-esse, quod jam ipsa per se non erat. Quatenus autem Materia Ens est positivum, facta est a Primo Ente, & non ab anima primi Orbis, ut putat Avicenna: etenim utut sit, potest esse, sapit esse, & cupit esse neque immerito dixit Plato, cui subscribit Aristot: *Materiam appetere formam, sicut fœmina masculum.* Nec solum per id quod habet de motu ad formam, ut dicit Averr. sed quia ad hoc creata est ut suscipiat formas: unumquodque autem appetit proprium finem, ad quem dirigitur a prima Causa: non enim potentia passiva constituit primario Materiam in esse materiali, sed secundario. Primario enim constituitur a Potentia essendi, a sensu essendi, & ab Amore essendi: sed quia non completur entitas sua, nisi ab agentibus formalibusque causis, ad quas est, ideo appetitum, & sensum & potentiam ad illas habet. Hæc vero in ejus corporeitate fundantur, vel corporeitatem fundant: si enim incorporea esset, formas non reciperat, nec in diversas partiretur, nec distinctioni rerum subesset. Igitur Materiæ non est aliqua forma propria, sed ingenium & essentia propria, qua recipit formas, & secundum quam ipsa non est forma, neque locus, neque accidens, sed vere materia, tale nimirum ens formis substernibile, non quibuscunque sed propriis: non enim materia suscipit formam Angeli, sed materiales terminos, sui nempe ordinis. Neque forma dat esse quodlibet rei cuilibet, ut Peripatetici dicunt; alioquin Materia non esset in rerum natura Ens aliquod per esse materiale, sed formale: suscipit enim esse formale ut sic, quo nihil ridiculosius reputat S. Iustinus Martyr, ut videlicet Materia sit principium & Ens per esse formæ, & non per esse materiæ: non secus ac diceremus lapidem esse lapidem per esse plantæ, & non per esse lapidis, quod tolerabilius tamen esset: etenim inter lapidem & plantam est sola differentia, sed inter materiam & formam est insuper diversitas. Adde ex Supplem. V.

XLV. Dico 2. Materia, Ens a Deo creatum, est ingenerabilis & incorruptibilis. Demonstratur. Si enim generatur, vel ex materia, vel ex non-materia? Si ex materia, ergo est, non generatur, sed formatur. Si ex non materia, ergo ex nihilo sui, ergo creatur. Si corrumpitur, vel in materiam, vel in non-materiam? si primum, ergo non corrumpitur: si secundum, ergo annihilatur: diversi enim in diversum non est transmutatio: imo nec contrarii in contrarium, nisi ratione subjecti: materiæ autem subjectum nullum est, nisi forte locus seu spatium, & hanc localem motationem subit materia, non autem aliam respectu sui, sed formarum: ergo nec augetur, nec minuitur materia, nisi per subtractionem propriarum, aut additionem earundem: calor enim & frigus aliæque formæ non augent materiam, sed expandunt condensantque solum eandem earundem partium.

XLVI. Dico 3. Perperam ab Aristotelicis Materia vocatur radix corruptionis ex eo capite, quia est potentia appetitiva omnium formarum, & quasi insatiabilis libidinis, & quia sic se habet, fieri transmutationem & generationem & corruptionem. Hæc enim ratio nulla est: Materia enim potest recipere, si quis det, non autem dare formas, & Arist. ipse 9. Metaph. dicit, non dari potentiam passivam, nisi quia habet activam: non enim potest pati, nisi quia aliud potest agere. Quapropter non videtur ad materiæ potentiam reduci corruptibilitas, sed ad causas agentes, generantes & corrumpentes. Elementa quoque habent materiam secundum totum, & tamen non corrumpuntur, nisi secundum partes, ubi sc. a contrario oppugnantur. Contrarium autem agit ex odio. Ergo recte dixit Empedocles odium esse causam corruptionis: sed quia odium nascitur ex amore conservationis, & ex participio nihili: idcirco amor causa primaria sit generationis per se, & entitatis, corruptionis vero per accidens & non-entitatis, quia finitæ virtutis est a Nihilo. Qualiter autem omne ens creatum constet ex Ente & Nihilo, declarabitur Tract. sequenti de Ente.

Adde quod Materia non appetat formam, quam non habet, nisi per id quod de seipsa habet; cum autem a forma potentissima informatur occupaturque, tota penetratur & fit unum cum illa; nec motum,

nec quietem, nec actionem, nec ergo appetitum habet diversum ab eo, quam a forma habet. Sic ignis materia, dum valide regnat calor, ad aliud non habet appetitum, nisi ad actiones caloris & opus. At si a frigore oppugnetur & occupetur, illa frigoris portio in materia suscepta amplius appetit frigus ut roboretur & regnet.

XLVII. Dico 4. Materia, quam prope nihil ponere solent Peripatetici, est maxime Ens sustentans formas materiales, & activas, & dum hæ omnes pereunt, ipsa semper permanet. Nec obstat D. August. L. 12. Confess. c. 18. dicens: "Tu Domine fecisti "Mundum de materia informi, quam fecisti de nulla "re, pene nullam rem, unde faceres magna, quæ mi"rantur filii hominum (cap. 6.) Hæc materia quid "est? nunquid animus? nunquid corpus? nunquid "species animi vel corporis? si dici posset, nihil ali"quid est. (cap. 5.) conatur humana cogitatio materi"am, vel nosse ignorando, vel ignorare noscendo.„ Recte quidem, cum secundum se nude considerata ens sit imperfectissimum & informe, adeoque non-ens formale dici mereatur. Non tamen recte dixeris eam non-ens simpliciter, quoniam ipsa vere est, imo verius, quam ipsæ formæ corruptibiles; ut & Plato agnovit: sed quia a formis ejus cognitio apud nos pendet, videtur quid minus esse quam formæ: veluti Epicureis Deus videtur ad Non-ens pertinere, quia minus notus est illis, nisi ab effectibus a longe illum repræsentantibus: sed non quæcunque sunt minus secundum nos, sunt minus secundum naturam. Hinc S. August. similia fere dixit de Deo. 1. Confess. quæ mox retulimus de materia: ibi: "Si quis non intelligat "Te Deum, laudet tamen te, & amet non intelligendo "intelligere te, potius quam intelligendo, non intelli"gere te.„ Ratio hujus est, quia in cognitione abdita proprii esse relucet Entis primi amor, & sapientia; in accidentali vero, quia sumus aliud, etiam nostrum esse quasi perdimus, dum illud amplificamus, videtur non relucere nobis Deus: quoniam *qui addit scientiam* (teste Salomone Eccli. 1. 18.) *addit laborem*, & apperitus exteriorum affligit animam quoniam in suum non-esse rapit tam appetitus, quam sensus nostram entitatem, dum ipsam facit aliam amplificando. Ita enim evenit, ut nulla entitas absque non entitate comparetur.

XLVIII. Dico 5. Contra Thomistas & omnes Peripateticos illos, qui docent formam uniri materiæ nudæ, tam in simplicibus Elementis, quam in Elementatis: præterquam autem dispositiones ad introductionem formarum, non autem ad unionem. Unde in misto volunt Elementorum virtutes, calorem, frigus, humiditatem, siccitatem corrumpi in nihilum, quia desinunt esse: generari tamen mediam qualitatem, ipsorum vires hæreditantem: quæ tamen adveniente anima, alterave forma, corrumpatur, uti & corporeitas, & quantitas, & figura, & organizatio materiæ. Iuxta hos AA. quos Natura formavit oculos in recenti animali seu Embryone, & manus & caput & partium formæ & organizationes, adveniente anima corrumpuntur, & aliæ de novo similes generantur ex virtute animæ, dum unitur materiæ nudæ omnino. Similiter cum homo moritur, aut planta, corrumpitur figura, oculi, pedes manus, & fit resolutio usque ad materiam primam in instanti, in quo unitur forma cadaveris materiæ primæ nudæ: sed propter celeritatem, ajunt, hoc latere, quoniam subito alii oculi, & aures & figuræ, & cicatrices nascuntur, subsequentes formam cadaveris, ita prorsus similes prioribus corruptis, ut non possit discerni sensibus utrum sint iidem numero genitis & corruptis, excepta materia, quæ tamen non est Ens nisi per formam. Quidam hanc resolutionem concedunt; sed accidentia, quæ videntur eadem genito & corrupto sustentari volunt a sequenti forma.

Quod quidem dogma mihi semper absonum visum est, cum nullo nitatur fundamento rationabili & experientiæ sensuique manifeste repugnet: velle autem relinquere sensum & phænomena Naturæ detorquere ad phantastica principia magnæ infirmitatis videtur. Profecto, inquit acutissimus Campanella, si licet ita fingere ab omni sensu alienissimas theses, affirmare poterimus quidquid libet; nec nos tueri in hac celeritate eludente sensus. Veluti quolibet die nasci, ac mori: sed hoc nos latere; & ignem esse frigidum, sed sensum falli. Quis autem hebes sit, ut sibi suaderi sustineat, non esse eandem carnem vituli, quem lanio vendit, & quam lupus a vivente abscindit, & carni, quæ erat viventis? aut digitum abscissum, auremque Malchi a Petro dissectam, esse statim alia numero membra ab iis, quæ fuerant in corpore integro? Item quando musca suffocatur in aqua, & ad Solem reviviscit, converso denuo humore in spiritum, esse tres muscas: primam, quæ vivebat, secundam quæ mortua erat, tertiam quæ revixit?

XLIX. Non sine causa Parisienses articuli hanc sententiam damnant, quæ triplicem numero Christum facit. Alius enim vivit, aliæque manus, oculi & caro sunt viventis; alius est mortuus; alius denique qui resurrexit. Unde deceptus videtur Thomas, qui tanquam eundem numero adorat, cujus cicatrices reputat easdem numero, cum sint aliæ, ternæque sicut ego & tu. Et quis propter hæc absurda a Peripato non discedat? Anima enim non dat esse calidum & corporeum & dimensionale. Hæc enim præsupponuntur in Elementis, sed dat esse animatum & fit ex eis unum per se, non unitate animæ formæ, sed totalitatis & substantialis unionis vi.

L. Præterea & hoc paradoxum, quomodo non calida forma & non corporea habeat vim faciendi subito calorem, & mistionis formam & corporeitates in materia prorsus nudata, ut taceam de ejus eductione ex isto nihilo.

At quodnam est corrumpens priores figuras, dimensiones & qualitates? Non forma advemens, quoniam ipsa eas requirit; unde & consimiles perseverans, aut per te fiunt ab ipsa in materia nudata. Non forma præcedens, quia illa non corrumpit seipsam & accidentia sua, Ergo agens quod novam formam introducit, ut asserunt hujus opinionis DD. & tutores: sed agens eas vult, ut formæ, quam dat asseclas; quomodo tam insipienter, quod amat, perdit?

At quæso, quomodo lanio mactans vitulum, dat novam organizationem, & qualitatem & quantitatem, & figuram vitulinæ materiæ, imo & carnem aliam numero, quem propterea occidit, ut vescatur eadem numero & non alia? Ipse hoc nescit facere, neque vult, neque potest: crearet enim ipsas, quoniam nec ex materia nuda educit, nec cum forma dat. Æque ineptum est dicere Rusticum exscindentem quercum aut fagum, cujus cortici characteres quidam insculpti erant,

erant, ictu securis suæ, hominem idiotam, alios numero in momento insculpere.

Ego etiam (pergit Th. Campan. L. 2. Met. c. 5.) morientem tenebam manibus hominem, ut resolutionem istam in materiam nudam, & renascentiam novæ rei & organizationis agnoscerem, & tamen nihil mutatum deprehendi: sed tantum spiritum, quasi nautam a navi separatum, eadem omnia, quæ erant viventis reliquisse, nec novam formam advenisse, ut fingunt. Quod etiam S. Ambrosius improbat, nedum Iustinus, mortem enim separationem esse vult, generarique entia ex corruptis, non tamen ex annihilata corporeitate, sed servata immutataque, ut & Aphrodisæus invitus confitetur.

Item sæpe contingit, ex lætitia nimia, aut timore mori hominem: quomodo lætitia dat cadaveri quæcunque habebat vivus homo? Dicunt illa dari ab Elemento dominante in mixto. O stultitia! si Elementum hæc non habet, quomodo dat? unde elicit? Item, per vos est corruptum, per alios debilitatum, qoo subito quasi Deus tantum opificium producit?

LI. Præterea ad quid Natura laboravit in formatione animalis, quam debet abjicere in introductione ultima Entelechiæ? & cur novam formationem facit, & abjicit præcedentem? utiqne stulta est, quoniam repellit quod utiliter factum est. Et si forma nova unitur materiæ nudæ, cum hæc absque dispositionibus indifferens sit ad omnes formas, non magis recipiet hanc quam aliam. At si virtutem formæ corporeitas mox sequitur, & figuratio & qualitas cum toto apparatu qaalis fuerat ante, profecto infinita erit virtus formæ, quæ in instanti tot mira facit. Et si cum adhuc minime regnaret in materia, potuit in primo instanti possessionis hæc facere, magis poterit cum in dominio fuerit radicata. Ergo cum oculus homini eruitur, aut nervus rumpitur, aut vena, statim anima poterit oculum reficere, & nervum & venam, & multo citius & melius. Sed hoc est falsum, Ergo & primum.

Denique forma cadaveris est eadem cum forma vivi, solusque spiritus sive anima separatur in morte præsertim ex subitanea lætitia: nec forma nova advenit faciens simillima prioribus, ut sensus & Theologia docet, & Arist. ipse, qui in habentibus symbolum ponit facilem transitum, quoniam symbolica forma & qualiras perseverat, in genito quæ erat in corrupto. Vnde D. Thom. de verit. q. 3. art. 6. docet remanere in adventu animæ eundem calorem numero & spiritum & organa ad usum novæ formæ.

Qui autem faciunt resolutionem usque ad materiam primam, & conservant accidentia, contradicunt positioni. Non enim cicatrix & organizatio & calor vivi, conservantur a forma mortui cadaveris, sed tolluntur; ei enim nulli sunt usui: vel permanent contra ipsorum dogma. Nec si totius formæ & quantitatis fit abolitio, organa & accidentia possunt remanere, & recipi prius in materia nudata, quam forma nova, ut ipsi ajunt. Propterea D. Thomas in 3. p. q. 2. art. 2. & 5. quando loquitur, ut Author, non ut Commentator, vult in adventu animæ rationalis sensitivam non aboleri, sed perfici. Idem docet de calore, qui non corrumpitur forma adveniente sed manet idem q. 9. art. 3. ad 2. Et 1. 2. q. 74. art. 4. ad 3. & de verit. q. 25. art. 5. ad 13. Propterea in 3. p. q. 50. reputat eundem numero Christum vivum, sepultum & resurgentem: easdemque cicatrices & organa nomero in ipso cognoscit.

LII. Dico 6. Materia physica tripliciter dividitur, divisione tamen rationis potius quam reali. Primo enim dicitur *materia circa quam*, hoc est circa quam versatur & operatur aliqua causa efficiens, ut illam materiam disponat ad aliquod totum componendum: hoc pacto circa marmor versatur Statuarius. Secundo dicitur *Materia ex qua*, idque in duplici sensu, videlicet in primo *materia ex qua educitur* & eruitur ab agente ipsa forma e. gr. cera est *materia ex qua educitur* rotunditas, seu forma sive figura rotunditatis, cum videlicet aliquis ceram reddit rotundam; non enim aliunde rotunditatem advehit, & agglutinat ipsi ceræ, sed ex ipsa cera quasi extrahit, & educit illam rotunditatem. Quod exemplum Aristotelis est mirifice explicans quid significet obscurissimus & tropicus iste terminus tantopere in scholis decantatus *EDVCERE*: qui tamen in summa sic breviter exponitur: *est id ratione cujus causa efficiens aliquid facit, & non creat*, hoc est illud aliquid non omnino facit ex nihilo. Ita P. Ioan. Bapt. Ptolomæus Dissert. 2. Phys. general. sect. 1. n. 3. Hinc frustra conantur alii, quos inter Alphonsus Tostatus, productionem formæ naturalis explicare per eductionem; & artificialis per inductionem. Mihi neuter modus placet, sed in idearum evolutione formarum productionem consistere existimo, de quo infra. In secundo vero sensu *materia ex qua* significat materiam *ex qua componitur* illud totum, quod dicitur constare tanquam ex principiis physicis ex materia & forma educta e. g. cera rotunda est aliquod totum: materia ex qua constat illud totum, est ipsa cera: ita in reliquis totis.

LIII. Dices, cera rotunda constat etiam rotunditate, ergo rotunditas erit *materia ex qua*. Nego, rideretur enim qui interroganti ex quo fecerit Lysippus statuam Alexandri responderet, ex figura Alexandri: illud enim *ex quo* designat materiam & subjectum, neque statua fit ex figura, sed dum figura fit, fit statua.

Tertia *materia* dicitur *in qua* videlicet in qua inhæret & sustentatur illa eadem forma ex eadem materia educta v. g. cera est materia in qua inhæret & sustentatur rotunditas: non enim hæc velut pullus ex ovo eductus abire potest a cera & avolare.

LIV. Ex dictis triplex munus materiæ, seu triplex formalitas colligitur; quæ nomine triplicis potentiæ passivæ solet designari: videlicet *potentia ad eductionem: potentia ad compositionem: potentia ad receptionem seu sustentationem*, & per hunc triplicem titulum materia & subjectum meretur nomen *Causæ*. Per potentiam enim passivam explicatur fœcunditas quædam, passiva quidem, sed sufficiens ad conceptum causæ. Hanc vero fœcunditatem ulterius declarare prorsus difficillimum: utcumque exponitur exemplo ceræ. Quæ item potentia passiva triplex est respectu rotunditatis, sicuti qnælibet alia materia respectu formæ proportionatæ. Cera itaque est capax ut fiat rotunda, & exigit indeterminate hoc est disjunctive & vage, vel illam rotunditatem vel aliam figuram regularem aut irregularem; non enim est possibile ceram absque omni figura existere (nisi redigeretur forte ad punctum indivisibile). Eodem igitur pacto potentia passiva cujuscunque materiæ constituitur, ex simili capacitate

pacitate & ex simili exigentia indeterminata respectu formatum cuilibet materiæ proportionatarum.

Eductio passiva, compositio, sustentatio vel inhæsio sunt totidem actus secundi ipsius materiæ, seu causationes aut causalitates materiales, quibus correspondet triplex actus primus seu materia in actu primo triplici, proximo vel remoto. Actus illi secundi dicunt seu includunt ipsam materiam, & ejus effectum materialem. Adeoque Eductio designat ex materia formam actu eductam; compositio materiam & formam actu unitam; sustentatio materiam, in qua actu recipiatur, inhæreat, & sustentetur forma: atque omnia ista (quæ vere sunt vocabulorum involucra) contingere dicuntur in eodem instanti temporis, in quo a Causa efficiente producitur forma. In eodem enim ictu oculi, forma eadem educitur ex materia, unitur materiæ in unum compositum, inhæret & sustentatur a materia. Hucusque P. Ptolomæus.

Et candide quidem fatetur 1. fœcundam potentiam materiæ explicatu difficillimam esse, quæ enim fœcunditas enti tam sterili & prope nihilo? 2. Vocabula *eductio*, inhæsio, &c. esse vere mera verborum involucra, quod ipsum magis patebit ex dicendis in Tract. XXVI. De Forma, ubi de rationibus seminalibus, quibus imprægnata materia panspermatica merito fœcunda dici & concipi potest.

SVBSECTIO II.

De Elementis.

LV. Hæc forte sunt vera & physica rerum Principia, quæ sensibus subjiciuntur. Elementi autem nomine venit corpus simplex, quod in partes heterogeneas seu diversæ speciei non resolvitur. Hinc ab Aristotele definitur Elementum, *id ex quo primum insito, ac indivisibili specie aliquid componitur*. Sunt enim Elementa ut resolutione ultima, sic compositione prima. Hinc per metaphoram literas, ex quibus fiunt syllabæ, ut ex syllabis dictiones, elementa vocum & dictionum vocantur. Elementa ergo dicuntur corpora quædam adeo simplicia, ut in alia simpliciora resolvi non possint. Quamvis forte nulla ars, nulla industria humana hæc prima omnium corpora in lucem proferre possit: sed satis fuerit, si in ea tandem abeant corpora mixta, in quibus prima Elementa dominentur. Cumque natura in infinitum progredi non possit, fatendum est, hæc esse corpora simplicia, aut pro talibus haberi, quæ in alia simpliciora dividi nequeunt. Quæ vero sint illa corpora, & quot, non est facile demonstrare.

LVI. Duo Elementa & prima rerum Principia statuerunt: videlicet Ignem seu ætherem, & Terram, seu aliis verbis calidum & frigidum, Parmenides, Archelaus Atheniensis, Euripides (ex Empirico Lib. 2. adversus Physicos). In quam opinionem systema quoddam molitus est seculo decimo sexto Bernhardinus Telesius, qui omnia corpora naturalia sublunaria fieri ex Terra frigida per attenuationem, solutionem, liquefactionem, rarefactionem ipsius Terræ ope caloris solaris ait, additque materiam primam divisam esse in Cœlum (hoc est quidquid supra Terram, ut Planetæ, Stellæ, Empyreum &c.) & Terram nigram frigore conglobatam, & tandem circa finem Mundi calore solis comburendam.

Quem secutus Thomas Campanella ex familia S. Dominici systema illud mirifice illustravit 18. libris Metaph. maxime L. XI. cap. V. art. IV. ubi ait: "Ista est prima Moysis eruditio prædeclarata, quod *creavit*, " *Deus cœlum & terram*, id est, prima duo Elementa, ut, " sentit S. Basilius, & Lactantius & Trismegistus, &, " Hieronymus in Iob. 38. & quicunque sensum Moysis, " intuetur, & non facit eum Aristotelicum, neque Pla-, " tonicum, neque &c. Aqua enim & Aër [si tamen, " Spiritus, qui ferebatur super aquam, sit aër, & non A-, " nima Mundi, nec Spiritus sanctus, ut alii interpre-, " tantur, nam D. Augustino triplex expositio hæc non, " displicet] nominantur non tanquam prima corpo-, " ra in principio creata, sed tanquam secunda in pri-, " mis concreata, ut sæpe Lactantius edocet: imo, ait, " S. Hieron. de Terra fusa, tanquam de vulva or-, " tæ sunt aquæ, ut Iob docet. Quapropter, jubente, " Deo, sudor omnis aqueus erumpentibus montibus a, " calore elevante & exhalante editis, confluxit in par-, " tes imas in locum unum, quod appellatum est Mare. " Ibid. cap. 16. art. 1. statuit, Aquam quasi terræ sudorem in vallibus ejus sextam superficiei partem, ut dixit Esdras: profunditas vero vix septimillesimam quinquentesimam. Aquarum quippe moles ad Terram nulla est, sicuti neque sanguinis ad animal, ut Basilio Magno quoque videtur, & Copernicus probat: & nos emensi maris. Siculi & Sardoi profunditatem vix ad 80 passus numeramus: Terræ vero profunditas, quibus videtur brevissima, est septem millium & quingentorum milliariorum. Oceanus autem vix pertingit ad 100. esto ad mille passus: quid sunt ad 7500?

LVII. Celeberrima est Chymicorum schola, juxta quorum systema, præsertim P. Nicolai Cabei, quinque statuuntur principia cujusque corporis naturalis, videlicet *Sal, Sulphur, Mercurius, Phlegma, Caput mortuum*. En symbola! *Salis* nomine designantur solidæ & sapidæ quædam particulæ aqua solubiles (hoc est in minutissimas iterum iterumque particulas divisibiles), calore levi concretiles, igne vehementi fusibiles, quemadmodum saccharum liquatur per ignem, atque hujusmodi particulas inveniri dicunt in unoquoque corpore naturali. *Sulphur* est collectio ex liquidis, odoris, oleosis & inflammabilibus particulis, veluti gluten. *Mercurius* est liquor subtilissimus, limpidissimus, acidus, facile penetrans, & facile evanescens in auras. Aliis viris doctis, teste Gunthero, visum est Sulphur hil esse aliud, quam crama in penetralibus terræ ex spiritibus vitriolatis & substantia quadam combustibili conflatum.

Circa Sulphur notanda hic obiter praxis mechanica ex Leone a Stipite p. 57. Relig. Ment. Sulphur cum Sale tartari liquefactum amittit stagma sive suum acidum: hinc ejus crasis sic destruitur, ut in commune sulphur ea pars redigi nequeat: præterea colorem citrinum mutat in fuscum & rubeum, oleosam partem reddit spiritui vini eidem affuso, terram relinquit sali Tartari.

Phlegma, quod absolute etiam *aqua* appellatur, est liquor quidam copiosus, quo Sal cujusque corporis dissolvitur: quemadmodum Sal communis ab aqua communi: neque enim a Sulphure, neque a Mercurio, licet sint substantiæ, liquidæ, dissolvitur. Analogiam habes in sale communi, qui in Mercurium communem seu hydrargyrum immissus non dissolvitur, nec facile etiam a melle & oleo.

Caput

Caput mortuum, quod dicitur etiam *Terra damnata*, aut *faces*, est solida & pulvurea substantia, quæ liquores imbibit, præsertim ipsum phlegma, ut terra communis solet, & conservat eos liquores, quemadmodum spongia: nam imbibit etiam sulphur & salem, videlicet cum iste fusus & liquatus est a calore.

Cum autem Ars Chymica antiquissima & nobilissima circa Ignem potissimum occupetur (unde Io. Bapt. Helmontius *Philosophus per Ignem* dici voluit) ea in mixtione corporum primas tenere putant, quæ ab igne & per ignem separantur, per axioma suum: *Ex illis partibus quodlibet constituitur, in quas resolvitur*, valet enim illatio, *extrahitur ex hoc corpore hæc substantia, ergo illi inerat*. Iam vero in resolutione cujusque corporis, præter Terram & aquam, tria hæc, Salem, sulphur & spiritum seu Mercurium ipsis oculis subjici multis probant experimentis, quæ nunc referre nil attinet.

Hujus curiosissimæ Artis finem esse potissimum jactant ejus asseclæ, invenire lapidem philosophicum, seu summam illam medicinam, seu opus magnum: (his enim phrasibus designant Chymici modum dandi perfectionem metallis imperfectis) quo tamen fine hucusq; frustratos semperqua frustrandos censent Io. Bapt. Ptolomæus & Athanasius Kircherus, sed non ego, vide quæ diximus in Tract. XI. sect. 4. id sane palam est, ex occasione & velnti fortuito plurimas scitu dignissimas naturæ proprietates & medicinas præsentissimas per hanc artem detectas fuisse.

Porro ex tribus his principiis Sale, sulphure & Mercurio qualitates pene omnes duci arbitrantur: adeo ut ex Sale sapores; ex sulphore odores, imo & colores; ex Mercurio facilis in corpora aditus & vis penetrans ac dissolvens, imo fermentatio omnis, quæ præcipua est mixtionis & dissolutionis causa, oriantur. Imo recentiores Chymici plerasque qualitates *ex acido & sale alcali* melius quam ex mechanicis affectionibus depromi volunt. Alcali autem vocant sales aut fixos, ut salem tartari, aut volatiles, ut salem armoniacum, qui cum acidis permisti abullitionem aut fermentationem creant. vide Supplem. VI. LVIII. De his quid verosimilius nobis videatur, sequentibus assertionibus breviter aperiemus. Idcirco

LX. Dico 1. Nullum existit reipsa corpus naturale vel elementare omnino purum, hoc est constans ex solis particulis analogice ejusdem speciei, cujus est ipsum corpus, e. g. in aëre plurimæ sunt particulæ aqueæ, terreæ &c. Est communis. Attamen quando particulæ unius speciei prævalent incomparabiliter aliis simul immixtis, tunc efficitur corpus sensibile talis speciei analogæ particulis prævalentibus. Analogiam habes in magna copia vini, cui sunt immixtæ particulæ comparative paucissimæ aquæ, vel terræ, vel salis &c. absolute enim & simpliciter totum illud liquidum est vinum.

Hinc exponitur axioma illud antiquorum *omnia in omnibus*, hoc est singulis corporibus insunt minutissimæ particulæ ejusdem analogicæ speciei cum cæteris omnibus corporibus naturalibus. Quod tamen sic intellige, ut in quibusdam corporibus plures, in aliis pauciores, vel etiam nullæ particulæ insint pertinentes ad certum aliquod corpus naturale v.g. in adamante improbabilissime diceres inesse particulas corporis humani.

Dixi paulo ante Chymicos, præsertim Theoricos, ex illis quinque substantiis, tres tantum præcipuas attendere, & ad easdem referre reliquas, quos inter est Cabeus, qui systema hoc explicat accuratissime, illudque ad sensum peripatetici cum accommodare contendit hoc pacto: Materia corporum naturalium est substantia quædam crassa, fixa & corpulenta minime evaporanda per calorem ex natura sua, quæ in quolibet corpore reperitur, & cum extrahitur, appellatur *caput mortuum salibus incorporatum*. Forma vero est pars volatilis, tenuis, fugax & spirituosa cujusque corporis, ex quo extracta dici solet *Mercurius sulphuribus delibutus*. Vnio vero est pars humida & glutinosa & viscosa, quæ simul conjungit partem fixam cum volatili; alioquin enim uniri non possent adeo diversæ substantiæ. Cum vero e corpore extrahitur, dicitur *Phlegma sulphuribus immixtum*: atque ita tria tantum evenient Elementa & prima principia chymica corporis naturalis, quæ partim sunt ejusdem speciei in omnibus corporibus naturalibus, partim diversæ. Et juxta hanc interpretationem loquuntur dicunt Aristotelem, ne illum deserere videantur, cujus tamen Ethnici rimari sensa, non duco operæ pretium. Vtut sit, per hoc systema declarantur multa phænomena corporis naturalis. Nemo enim inficias ibit maximum Instrumentum Naturæ esse Calorem, Solis præsertim, ad omnes generationes & corruptiones: ad generationes vero concurrit materia ab intrinseco per vim magneticam attrahendo partem volatilem & humidam constitutam in proportionata distantia, quæ omnia fundantur in Primalitatibus Materiam essentiantibus.

LXI. Analogiam habes in experimento pulcherrimo eoque certissimo, si qua fides inter homines oculatos testes se profitentes: illud autem testantur Cabeus tomo 1. Quercetanus, defensione contra Anonymum cap. 13. Ioannes Marcus Marci, & præter plurimos alios Cafferellus Lib. de curiositatibus inauditis, cujus historiam ex P. Ptolomæo hic reddo. In Musæo Chymici peritissimi vidisse se testatur plures phialas hermetice clausas (hoc est orificio vitro liquefacto occlusas) in quarum fundo pulveres ex arte præparati ex florum cineribus asservabantur. Cum itaque accensam candelam in certa distantia suspensæ phialæ, quæ rosæ cineres continebat, supposuisset Vir ille, vix calefacta est viola, cum moveri & agitari cinis inclusus, ita ut post horæ spatium ex calore in medio phialæ suspensus cinis variis motibus agitaretur, ac veluti se illius particulæ quæritarent, tandem in rosam perfectissimam coaluerunt, cum nativo ordine foliolorum, colore rosaceo, & meditullio croceo. Remota vero candela spectaculum desiit recidentibus ad fundum phialæ rosæ cineribus. Vide Tract. XLII. de Semina

LXII. Dico 2. Quatuor esse tantum Elementa, nec plura, nec pauciora, suaderi quidem, at demonstrari non potest. Ratio primæ partis est, quod Elementa rebus gignendis, ut communis materia substernantur: unde necesse est ut sublunarem hunc Mundum, tanquam partes illius principes constituant: sed præcipuæ hujus Mundi partes, sunt terra, aqua, aër & ignis, quæ partitas inter se & divisas habent sedes. Ergo 4. erunt genera corporum omnia gignentium, seu 4. Elementa. Quique plura vel pauciora inducunt, vel novas sedes aut regiones novis itidem Elementis assignent, vel aliquam ex assignatis naturis loco suo deprimant necesse est. Communiter quoque

quaternarium Elementorum numerum ex resolutione corporum desumunt. Nam ex ligno dum comburitur, ignis in parte oleosa & inflammabili se prodit; aër in fumo isque omnes corporis meatus implet; aqua itidem in fumo, aut in vapore est plurima; terra in cineribus remanet: ac licet corpus nullum in prima elementa resolvatur, in ea tamen facessit, in quibus natura elementorum est manifesta.

Altera pars conclusionis facile ostenditur. Similes enim rationes etsi utcunque suadeant quatuor esse elementa, ex quibus mixta pleraque conflentur, non ea sunt tamen, quæ vim habeant demonstrationum. Dixi *pleraque*, non omnia: quis enim unquam resolvit aurum in 4. prædicta Elementa? Quis Chymicus per ignem resolvit in unicum ex suis tribus principiis? Præterquam enim quod Terra, aqua & aër noster sint corpora mixta & impura, Elementa seu prima principia dici non merentur: De Igne quid dicam, in qua regione moratur? Quippe sphæra illa ignis aëre superior & lunæ proxima fictitia est, & magis ridicula quam Platoni male afflictæ Ideæ: cum nec ratione, nec sensu percipiatur, sed mere ad libitum conficta. Quodnam illius est pabulum? an forte purus aër? at jam pridem suum pabulum debuit depasci. Iam cui usui ignis ille futurus est? an forte e sua provincia in hanc regionem descendit ut mixtionem corporum subeat? sic enim Peripateticis videtur. Sed in terram delabi non potest, cum sit levissimus: nec verisimile est eo ingenio præditum esse ut scintillas mittat, quoties in hac regione mixta generantur. Quamobrem non absurde negari potest Elementi a mixtis corporibus separata consistere: cum ea non nisi in gratiam mixtorum corporum existant: quæque dicimus Elementa, eadem sunt mixta, in quibus certa Elementa dominantur.

LXIII. Nec quaternarius Elementorum numerus ex numero qualitatum, quæ primæ dici solent, satis apte colligitur; cum nec inter ipsos Peripateticos conveniat, quæ cuique Elemento qualitates sint tribuendæ. Vnde sunt qui Terram ut impense siccam, ita & summe frigidam esse velint. Nam si levitas calorem, gravitas frigus consequitur: ut ignis est levissimus præ calore, sic & terra præ frigore erit gravissima, hinc infimo loco posita. Sed neque ita certum est aquam esse frigidiorem aëre, cum ab aëre ipso congeletur. Nam pars aquæ summa & aëri proxima in glaciem primum concrescit. Sed neque aër humidissimus videtur, cum exsiccare soleat, neque ut aqua nos madefaciat.

Quod si ex resolutione corporum numerus Elementorum eruatur, papæ! quot Elementa erunt futura? Nec putandum omnia illa, quæ post resolutionem mixti cernuntur, præextitisse in mixto actu, cum videamus novam exurgere compositum, ut ex cineribus eruitur vitrum. Et quamvis, ait Boyle pag. 128. paradox. Chym. corpora mixta ut plurimum, ignis adminiculo, in 5. differentes substantias resolvi possint, non tamen Elementi nomine compellari debent: non enim ita a se invicem discrepant ut metalla, plantæ & animalia, vel ut ejusmodi creaturæ, quæ singulæ immediate ex peculiari suo semine producuntur, distinctumque propagabile creaturarum genus in Vniverso constituunt: sed sunt duntaxat varia materia seu substantiarum schemata, quæ non nisi consistentia (uti Mercurius fluens, idemque vapore plumbi congelatus) nonnullisque aliis admodum paucis accidentibus, puta sapore, odore vel inflammabilitate aut eorundem defectu differunt: adeo ut mutatione texturæ, adjumento ignis aliorumque agentium, quæ non modo facultate minutas corporum partes dissociandi, sed & postea novo modo eas connectendi pollent, effici, eadem materiæ portio talia possit acquirere vel amittere accidentia, quæ ad salis, vel sulphuris, vel terræ nomen ipsi conciliandum possint sufficere. Sane si ingentem materiæ massam considerem, qualis erat dum Vniversum condebatur, Principiis illis assignari solitis, addendum videtur saltem adhuc aliud, quod *Potentia architectonica* posset appellari; per quam intellige varias illas determinationes, sapientemque directionem motuum exiguarum partium Vniversalis materiæ, a sapientissimo rerum Auctore inductas quæ necessariæ in principio erant ad confusum illud chaos in ordinem redigendum, pulcherrimumque hunc Mundum convertendum, & inprimis ad animalium corpora, & plantas ac semina earum rerum, quarum species propagandæ erant, contexendum. Fateor quidem assequi me non posse, quo pacto ex materia, nude in motum acta, sibique dehinc permissa (ut placet Cartesianis) adeo curiosæ fabricæ, ut sunt hominum perfectorumque animalium corpora, & ejusmodi mirabilius adhuc concinnatæ materiæ portiones, ut sunt viventium creaturarum semina, possint emergere. Et recto quidem sentit acutissimus hic Anglus: sed & Paracelsistæ (quos Campanella in operationibus quidem acutos, in judicio fere obtusos judicat) præter materiam Spiritum vitæ requirunt: & hunc evanescere, cum semina vim germinandi amittunt: & bene quidem dicunt esse ligatum in auro & argento, ut non possit se in alio corpore multiplicare; male autem de illo sentiunt, vires primalitatum ignorantes. Videmus enim in serpente occiso remanere fraxini odium, & in pelle ovina lupinæ: & in bacillo ferreo amorem situs, in quo fabricatus est, non tamen virtutem se ipsa multiplicandi. Neque enim pellis pellem, nec serpens occisus serpentem, nec bacillus ferreus ferrum generat. Porro si spiritus vitæ est cognoscitivus, appetitivus & multiplicativus, quæritur a Paracelsistis, an idem materiali Principio conveniat? si negant, tunc declarandum est eis, unde sensus & consensus remanet in rebus inanimatis, & in materia, & excrementis materialibus, ex quibus elapsus est spiritus, & cur iste spiritus elabitur? & utrum sursum tendat, an deorsum, aut quorsum? Si enim sursum, erit igneus judicandus, & filius Solis, ut ipsi interdum fatentur: si deorsum, terreus, quod repugnat spiritalitati: si aliorsum, dicant quare & quorsum? Et quoniam manifestum est sursum efferri in omnium odoriferorum exhalationibus & ustionibus, nedum spiritus probos, sed etiam improbos fœtidosque: iste spiritus vitæ tenuissima pars corporum videri debet, quæ generatur & corrumpitur quatenus corporea. Operatur autem agitque, quatenus Primalitates in se habet, exque eis constat præsertim ex potestate, scienter vero & idealiter, quatenus ex sapientia participium trahit: contra hoc, & pro illo, quatenus Amoris est particeps.

Vtut sit, spiritus iste (idem dic de Potentia Architectonica Boyles) non est forma rerum, sed formator. Neque non calidus, ut alii volunt, expertem omnis qualitatis, neque continet in se omnium Elementorum vires actualiter cum sit frigoris expers, & corpu-

lentiæ

lentiæ telluris. Neque immortalis est, ut ajunt, quandoquidem omnis *quinta essentia* ex nostris rebus extracta in aërem per incendium evanescit: & per frigus congelatur, & per materiam appositam fit gravior & densior, suisque privatur operationibus: omne enim corporeum vel corporatum passibile est, ac proinde mutabile & mortale.

LXIV. Sed redeamus eo, unde non nihil digressi sumus, & audiamus Cabeum probantem ex ipsa resolutione mixtorum tria tantum esse rerum principia aut Elementa. Sic infit. Primum est materia crassa, fixa & corpulenta, quæ est velut rei ipsius basis, & materia prima. Pars altera fugax, volatilis & spiritosa, quæ est unctuosa & vegeta, ipsa est rei forma: Tertia denique est humor quidam, quo aliæ partes inter se devinciuntur, quique est velut unio aut gluten Compositi. Quod probat ex chymica resolutione. Nam ex uno corpore vi ignis primo partes tenues & spirituosæ extrahuntur, & in fæcibus quidam manet humor, quo absumpto, cineres aut calces supersunt, quæ cum humore destituantur, male inter se cohærent: humori quippe omnis cohæsio partium refertur accepta: ut videre est in luto quod ex pulvere & aqua, aut in glutine, quod itidem ex aqua & farina conficitur: consumpto humore Compositum destruitur. Est igitur humor, ut fuse idem Author prosequitur, fixæ & volatilis substantiæ, crassæ & spirituosæ conjunctio. Spiritus vero omnem rerum distinctionem inducunt. Nam alii sunt mineralium, alii vegetalium, alii animalium; neque in corrupto corpore destruuntur, sed in auras abeunt, & alia ineunt connubia. Materia ex se est iners, & cujusque formæ capax, hæc spiritus mobiles, ex quibus omnis actio proficiscitur., retinet ne avolent; humor utramque naturam tam disparem conciliat. Et quamvis corpora mixtorum Mineralium in 5. discrepantes substantias dispesci queant, videlicet Salem, Spiritum, oleum, phlegma terramque: quia tamen 3. priores ob suam operandi vim duas posteriores valde excedunt, videntur dici posse tria Principia activa, & κατ' ἐξοχὴν, tria Principia mixtorum. Hanc vir doctissimus Cabeus genuinam esse Aristotelis & veterum omnium sententiam pertendit. Illud extra omnem dubitationem positum esse existimat, corpora quæque primo ex materia fixa, secundo ex spirituali, hoc est tenui & actuosa, ac demum ex glutinosa substantia constare, eaque esse prima rerum elementa, in quæ ultimo mixta resolvuntur.

Quæ ut vera sint, difficultatem tamen non expediunt de numero Elementorum. Non enim idem est in omni corpore humor, aut eadem materia fixa & terrestris; aut si eadem est, id semper inquiritur, quæ & quot sint simplicissima corpora, in quæ reliqua dissolvuntur. Quare

LXV. Dico 3. Omnia corpora, quæ Physicis & Chymicis Mixta vocantur, haudquaquam ex Elementis quatuor distinctis constant; neque ex sale, sulphure & Mercurio, ut dicunt recentiores, sed ex materiæ dispositionibus mox recensendis, nec certo constat de principiis in quæ mixta resolvantur.

Prima pars assert. probatur. Quatuor siquidem mixtorum genera esse videntur, videlicet lapidum, metallorum, plantarum & animaliom; quæ omnia a calore fiunt devicta terra, & in varias consistentias mutata, ex quibus mista componuntur. Lapides enim, etsi spiritu & humido constent, ut vegetent & glutinentur: nihilominus plus ad densitatem & duritiem propendent: ex partibus siquidem crassiusculis componuntur, cum modicis viscosis: propterea sunt frangibilia, non autem flexibilia; neque extensibilia, & cum a calore corripiuntur, calcinabilia probantur: glutine enim consumpto in calceum pulverem crassities compacta solvitur, nec tamen carbonantur prius, quoniam pars tenuis modica est, quæ non potuerit exhalare, ita ut relinquat crassam, spongiosam nigramque, spoliatam tenuibus, ut in ligno: & in his, nisi ignis sit reverberatus & potentissimus, non fit mollities & lentor & liquefactio: sed statim ablato glutine (ut infra dicemus) calcinatio succedit. Quæ deinde multo igne liquescit, genito novo glutino per calorem liquefacientem. Deinde liquescit calx in vitrum: ex quo non calcinatio per glutinis dissolutionem fit, sed salsificatio calcinationi proportionata: ex quo sale fit liquor oleaginosus; & ex liquore invisilis vapor, ita ut serventur gradus jam dicti, & mox melius explicandi in omnibus mistorum partibus: sed in illis prius, in istis posterius, prout viciniores sunt tenuissimo coelo, & propinquiores terræ crassissimæ.

Secundum genus metallicum extenditur, non frangitur, & flectitur, nec revertitur in suam positionem per elaterem, excepto chalybe: quoniam constant ex lentis mollibusque multis partibus & viscosis: quarum gratia extenduntur & flectuntur, non autem franguntur: quia ex duriusculis paucissimis cum lentis viscosisque multis constant. Chalybs vero, a quo gluten magis expressum, & ad vitrificationis naturam lapideam propendet, frangitur magis, & ex flexura resilit in rectitudinem sicut planta: non tamen carbonatur igne sed in cremium quasi friabile consumpto glutine reducitur; quod deinde cremium per vehementiores ignes in sal vertitur, deinde in oleum, & tandem in tenuitatem invisilem. Sed quidem lapides & metalla non inflammantur, ut ligna, quia non habent fumosas partes multas, vi ignis separabiles a crassis atque accendibiles: nec proinde crassæ carbonantur ob hoc ipsum: apparent tamen in eis omnes dispositiones: nam & aurum vitrificari & salsari & oleari consentaneum est rationi (an praxis demonstret, in medio relinquo) quæ enim franguntur, ex bene devicta materia, ex qoa omnis fere tenuitas exhalavit, & plurimum viscositatis dilutum est, ut patet in vitro de cineribus liquefactis genito, abscedenteque calore induratis, quod & glaciei advenit e contrariis terminis a frigore indurescente. In aquis enim viscositas prohibens factionem non inest. Extenduntur autem Metalla, quoniam plus viscositatis habent, proptereaque in flexura persistunt, mediaque sunt inter plantas & lapides; plantæ tandem in ignem inflammantur, quoniam ex plurimo constant fumo. Item carbonantur, quoniam ex duritie etiam constant, tecta fluoribus & fumis, & tandem cinerescunt; quoniam ablato glutine & fumo commistis secum, partes duriusculæ solvuntur in minutias, quæ novo per ignem genito glutino, vitrificantur; & vitrum privatum glutine in sal vertitur, cineri & calci analogum: quod tandem in oleum & mox in vaporem solvitur, ut nullatenus amplius dubitent Platonici & Empedoclei, terram in cinerem, & fluorem, & vitrum & liquorem & in tenuitatem igneam converti per plures mutationes, non per unam sicut Aristot. imperite docebat, quod ablato ex terra solo frigore statim fiat ignis per calorem; opor-

tet enim materiam terræ, & lentescere & mollescere, & viscosescere, & fluescere, & liquescere, & fumescere si debeat in verum ignem transire: quos tamen gradus non admittit tellus nostra per calorem & frigus vicissim agentes falsificata: sed simul oportet & calcinationes & incinerationes & salsificationes intermedias pati ob partium duritiem dissimilarem: sicut per similarem admittit lentorem & mollitiem & viscositatem & lubricitatem & fluorem & liquorem & fumositatem & tenuitatem, nullis interpositis jam dictis passionibus mistorum.

LXVI. Qua in re defecerunt veteres. Peripatetici vero ausi sunt absque ratione & experientia. Paracelsistæ experientia ducti cæcutierunt in judicio. Sal enim est crassities genita de novo. Mercurius est fluor; sulphur est fumus & vapor: quæ res omnes a calore prius non separantur, sed gignuntur & miscentur, ac mox separantur, sed cum novis interpositis mutationibus; aliter enim patitur fumus plantæ, aliter fluor, aliter ossea crassioes ab igne, & in omni passione communi novas acquirunt dispositiones. Ita Campan. Lib. 2. Met. cap. 5. art. 7.

Cui accinit Rob. Boyle, dum inquit, Ignis, quando corpus dividit in diversæ consistentiæ substantias, plerumque non resolvit in hypostatica Principia; sed dontaxat partes ejus in novas texturas digerit, & hac ratione Concreta, novæ quidem revera, attamen compositæ naturæ producit. Præter ignem, liqoor Helmontio dictus *Alcahest* (ignis gehennæ) majorem efficaciam habet in corporibus resolvendis, quam ignis vulgaris. Idem Boyle p. 27. Paradox. Chym-Phys. Et quidem sine corporis mortui relictione, proindeqoe illas Concreti partes reddere volatiles, quæ in analysi vulgari fuissent fixæ. Itaque Ignis non tam separat, quam unit diversæ naturæ corpora, dummodo similiter fere sint fixa, figuramque partium suarum aptam coalitioni habeant, uti in multorum Emplastrorum, unguentorum &c. confectione est videre; inque metallinis ejusmodi mixturis, qualis est illa, quæ ex duarum partium puri æris, cum una puri cupri liquamento conflatur: ex qua ingeniosi Artifices modulos egregios norunt conficere, pro aureis & argenteis opificiis. Quin imo subinde differentia corporis Elementa tam firmiter conjungit, ut quasi indissolubilia faciat, ut videre est, quando Sal alcalizatum, & reliquiæ terreæ cinerum eum arena pura incorporantur, & vitrificationis ope in unum corpus permanens (rude & subviride vitrum) conflantur, quod vim ignis maximam ludificatur, qui quamvis conjugium conciliare inter ingredientia potuerit, divortium tamen inter ipsa haud valet procurare.

Ignis igitur non semper mere resolvit & dividit, sed quandoque partes corporis ab eo dissipati simul miscet & componit. Patet cum lignum in camino ustum in fumum & cineres dissipatur, fumus ille fuliginem componit, quæ non est unum ex ligni principiis, cum sit ulterius in 5. vel 6. substantias resolubilis. Cineres ulteriori ignis gradu in vitrum indissolubiliter possint uniri.

LXVII. Quapropter non sunt audiendi Chymici, qui vulgata Elementa nihil esse contendunt, præter Mercurii, salis & sulphuris capsulas aut recrementa. Nam ut ea principia vera sint & existant: elementa dici noo possunt, cum non habeant proprias & separatas Regiones, nec sint velut promptuaria, ex quibus mixta quæque gignantur. Itaque ut miscibilia dici possint, aut principia, non sunt tamen Elementa, cum nec satis vulgo nota sint, nec inter Chymicos ipsos constet, quid Mercurii, quid sulphuris nomine intelligaot, ut alibi demonstravimus. Leoni a Stipite Sulphur est corpus compositum ex oleo, acido, & cinere pag. 36. cap. 6. Non ergo Elementum. Commune sulphur nil aliud est quam suppositum acidum bituminosis terreisque particulis saturatum & coagulatum. ibid. pag. 45. in quid resolvatur, examinat. pag. 49.

Sal, nitrum & alumen, melius dicuntur salia, quam sulphur; aptius tamen mixta, quia ejusmodi salia fuot acidæ aquæ, a particulis terreis aut saxeis, cinereis, calcariis in terra abrasis coagulatæ in talem speciem pro ratione admixti; quo separato abeunt in sales, rursus in aquas acidas, & sic per eas fit sulphur, si ei bitumen admiscetur &c. vide eundem Auth. p. 46. ubi ostendit cur uni Sali sit vis corrosiva, alteri resolutiva, illi fixativa, isti putrefactiva, prout sal culinarium in corpore humano sæpe causam præbet putredinis & corruptionis &c. & plura alia curiosa de sulphure, quæ hactenus nemo resolvit.

Adde, quod Salia volatilia plurimum inter se differant, ut: Sal succini, Sal urinæ, Sal cranii humani, (quod valde celebratur contra Epilepsiam, uti & spiritus sanguinis humani). Sic Sal cornu-cervi notatum est adhærere Excipulo in parallelibipedi fere figura. Sal volatile ex sanguine humano (ante distillationem cum spiritu vini diu digesto) in Rhombi figura &c. teste Boyle. Licet quoad usum medicum pleraque sint diaphoretica & deoppilativa.

Imo & antipathiam inter salia videre est, dum acidus spiritus Vitrioli, cineribus clavellatis, vel sali tartari affunditur. Quin ex eodem corpore, sine ullo additamento, tria differentia salia obtineri posse v. g. spiritus & Alcale nitri, testatur idem Boyle in urina sal volatile & chrystallinum, sal fixum, & genus quoddam salis armoniaci, quod in salis forma sublimabatur, & tamen ab illa fugacitate, quam sal volatile habet, longe aberat.

Itaque Principia Chymicorum & Cabei, & alia si quæ sunt, non sunt prima, nec sola rerum principia. Atque ut concedamus plerasque qualitates, ut odores & sapores ex principiis chymicorum potius, quam ex vulgatis Elementis duci: cum Elementa sint earum qualitatum expertia, innumeræ tamen sunt qualitates seu affectiones in corporibus, quæ ad principia Chymicorum referri non possunt: ut medicatæ & venenatæ vires, quæ in plerasque insunt corporibus. Vis illa, quæ in magnete conspicitur, ex quo principio ducitur? ut alias mittam innumeras. Ergo si ex qualitatibus & affectionibus corporum miscibilia aut Principia colligimus, multo plura erunt principia, quam quæ a Chymicis, aut aliis Philosophis numerantur. Neque enim sensus adeo acres & vegetos habemus, ut prima rerum Principia, ac velut stamina cernere possimus; nec si quid sensus oostros fallit, id continuo non esse putandum est. Vide Suppl. num. III.

Et quia ex Elementis Mixta conflantur juxta omnes, videndum obiter quid sit Mixtio.

LXXII. Mixtio passim definitur Miscibilium alteratorum unio. Hæc fit, aut sic, ut inter se penetrentur; aut ut seorsim maneat quodvis in sua natura: neutrum commode explicare possunt Peripatetici, nec Chymici. Prisci fere unanimiter consentiebant in eo, quod

eo, quod in composito corpore, licet miscibilia (sive Principia, sive Elementa, sive Ingredientia, vel quocunque nomine placeat compellare) associata essent per particulas minutas, tantaque cum ἀκριβείᾳ, ut nulla esset pars massæ sensibilis, quæ non ejusdem cum cæteris, & cum Toto, naturæ appareret: attamen quoad atomos, aliasve insensibiles portiones materiæ, ex qua quodvis miscibilium constabat, ipsas singulas propriam suam naturam retinere, quippe *appositione* duntaxat sive *juxta positione*, cum reliquis in unum corpus unitas, adeo ut quamvis vi hujus compositionis corpus Mixtum diversas forte qualitates novas consequeretur, Ingredientia tamen, quæ ipsum componebant, propriam suam naturam jugiter retinentia, destructione facta Compositi, a se invicem poterant separari, minutis partibus, postquam ab aliis, discrepantibus natura, extricatæ, sociatæque fuerint cum sibi homogeneis, eo iterum remigrantibus, antequam Compositum illud conflassent. Fere ut pannus ex diversis filorum generibus & coloribus contextus.

Hunc explicandi modum Peripatetici vix tenere possunt, cum nulla particula sit in mixto, quæ vere ignis, terra, aër, aqua dici possit, nam plerique docent Elementa virtualiter solum manere in mixto. Quod autem Aristot. ait, si vini gutta in myriade amphorarum aquæ infundatur, illam [illegible]tatum iri in aquam, valde improbabiliter loquitur: quomodo enim evitabit absurdum illud, quod Stoica mistionis notio, quæ erat per σύγχυσιν, sive confusionem, incurrebat, nempe corpus minimum posse maximo coëxtendi? siquidem in mixto aliquo corpore, in quo prius Elementa miscebantur, erat ex. gr. una tantum aquæ libra pro myriade librarum terræ; juxta ipsos tamen minima Compositi pars non erit, quæ non ex terra æque ac aqua constaret.

LXXIV. Corruit itaque Arist. definitio Mixtionis, peritque principium, dum pro absurdo reputat, mixtionem nostratem, minimarum videlicet particularum, habere se ut acervum granorum v. g. siliginis, hordei, tritici &c.

Verum enim vero, an non quandoque substantiæ mixtæ tam arcte uniantur, ut nequeat per operationes chymicas discerni, an singula Ingredientia suam naturam peculiarem retinuerint, dubium. Attende sis. Per mixtionem intelligo, duorum pluriumve quorumvis diversimode denominatorum unionem *per minima*: uti cum cineres & arena colliquantur in vitrum, vel antimonium & ferrum in Regulum Martis: vel cum vinum & aqua miscentur, saccharumque in mixtura dissolvitur. Fieri jam potest, ut corpuscula diversarum naturam ita coalescat ut novum corpus ita emergat, tam vere unum, ac corpusculorum erat alterutrum, priusquam miscerentur, vel si magis confunderentur: quandoquidem hæc concretio propriis suis distinctis, qualitatibus est prædita; nec plus potest igne, ullove alio cognito ἀναλύσεως modo, rursum in ea corpuscula, quæ primitus ad eam componendam concurrerant, dividi aut reduci, primum eorum alterutrum in alias particulas subdividi poterat. Ex. gr.

Si dissolvas Minium (quod nihil nisi plumbum est igne pulverisatum) in bene præparato spiritu aceti vinosi, solutionemque in Chrystallos redegeris, non modo sal habebis saccharinum, ab utroque ejus ingrediente vehementer discrepans; sed unio quarundam Menstrui partium cum nonnullis metalli adeo stricta est, ut spiritus aceti destructus, qua talis, videatur, siquidem corpuscula salina penitus amisere eam aciditatem, cujus nomine ille liquor *spiritus aceti vinosi* dicebatur. Nec possunt ejusmodi partes acidæ, quales minio apponebantur, modis, saltem vulgo cognitis, a Saccharo Saturni, utriusque sobole, separari: quippe non modo nulla aciditas plane, sed mira dulcedo in Concreto gustatur.

Idem contingit si tantillum Rubri Elixir (loco auri) cum Saturno misceatur: nam ipsorum unio adeo indissolubilis in auro illo perfecto, quod vi ejus producetur, futura est, ut nullus sit modus cognitus, nec forte possibilis, diffusum Elexir a plumbo fixato separandi; sed ambo corpus maxime permanens constituunt, in quo Saturnus omnes suas proprietates emisisse videatur, quæ ipsi nomen Plumbi dederant, potiusque transmutatus esse per Elixir, quam ei nude associatus.

LXXV. Præterea lucescit ratio in cunctis mixtis, qua te alia aliis passionibus afficiantur. Siquidem lignum non extenditur malleo sicuti metallum: quia duritie dissimilari constat, & fumosis & lentis partibus ac mollibus, non recte compaginatis per commixtionem validam, sed quasi contactu, & non perfecta continuitate conjunctis. Unde videmus in corpore plantarum nervos, ossa, fibras, succos, spiritus, pulpam, filamenta & venas distinctas. Revertuntur autem ad suam positionem per vim curvatæ plantæ, quia partes ejus solidiores repugnant inflexioni: & cum soliditas est compactior, privataque abundanti glutine, etiam franguntur, ut lapides, quod patet cum arescunt, fumo abeunte: qui tamen a ficulnea lenta ægre educitur, propterea non satis curvata frangitur. Ossa & cornua mediant inter plantas & metalla: propterea modice flectuntur, & modice franguntur.

Flexioni favet mollities; extensioni viscositas; fractioni ariditas, quæ etiam reversioni ad positionem conducit: trahibilitati vero viscositas atque mollities, ut in nervo & corio experimur: sicuti in plumbo mollitiem, in ferro viscositatem, in chalybe, vitro & lapide ariditatem experimur.

Animal autem omnibus hisce dispositionibus constat, patet enim in Spiritu tenuitas, in emissionibus vapor, in pericardii & fellis vase liquor & in sero; in sanguine fluor; in pituita lubricitas, in nervo viscositas, in carne mollities, in cartilagine lentor; in osse durities; in pilo trahibilitas miscet duas, quod & in cæteris non vacat. Etenim omnes partes, vel partium consimilationes sunt in omnibus, ut quodam modo Anax. non erraverit.

Hæc omnia dicta sunt, ut intelligant Peripatetici inanes ipsorum transmutationes: & Chymici ad chymæras non confugiant: & utrique intelligant maxime opposita esse ignem & terram; & ab hujus densitate facta uniente frigore, ad illius raritatem factam dispergente calore, gradus esse plurimos: & nullum symbolum in extremis, neque humiditatem esse aliquid activum, nec siccitatem: sed illam esse passionem materiæ explicante calore: hanc vero frigoris condensantis esse ejusdem materiæ constrictionem ac proinde passionem: terminari enim proprio termino, quod proprium est sicci apud Aristot. ex unione

accidit: non terminari vero, quod humidi ratio est, ex disgregatione advenit.

LXXVI. Quæres, an Elementa vulgata in sese invicem transmutari possint; v. g. aër in ignem, aut vicissim? aqua in aërem &c. Resp. Elementa ut sunt oculis subjecta, in sese mutuo transmutantur, non item si pura & in atomos resoluta spectentur. Ratio primæ partis est, videmus enim Elementa non alterari modo, sed etiam generari & corrumpi, ut in igne & aqua potissimum cernere est, nihil enim remanet eorum, quæ ante erant sensibilia; ergo Elementum in aliud commutatur. Et quidem symbola in symbola facilius convertuntur, talia dicuntur aqua & aër, vel aër & ignis, quæ scilicet in aliqua qualitate conveniunt: asymbola dicuntur, quæ oppositas habent qualitates, ut ignis & aqua. Pars altera etiam liquet, nam si Elementa pura spectentur, cum nihil sint præter puncta physica: hæc ut dividi, sic destrui revera non possunt, v. gr. sit purus ignis, purum voco quod nullam partem heterogeneam admixtam habeat: sic ignis ille purus dicetur cui tantum partea ignis insunt, & nullæ partes vel humoris, vel aëris: hoc posito sic: ignis purus in tantum extinguitur, in quantum illius particulæ dissipantur, interjectis scilicet particulis heterogeneis vel humoris vel aëris: igitur corpus quod post ignem extinctum vel ex igne extincto resultat, purum Elementum esse non potest, quia scilicet ex partibus heterogeneis constat: pari modo aër purus in aquam puram converti non potest, nempe in aquam partes vaporis aëri admixtæ tantum liquescunt. Sic aër marmoris frigore densatus in guttas aquæ convertitur: quod vapores aëri commixti externo frigore densantur. Quo quidem modo plerique Chymici, qui Elementorum transmutationem negant, cum Peripateticis conciliari facile possunt.

Et hæc de Elementis in genere dicta sufficiant, quæ dicuntur corpora simplicia eo sensu, quod non sint mixta seu ex heterogeneis composita, non vero quod non constent ex materia & forma. Restat ut breviter de Elementis in particulari quædam proferamus.

LXXVII. Quær. 1. Quæ sit Ignis natura, ejusque generatio?

Elementum hoc adeo notum est, ut dicat Honoratus Fabri Tract. 5. Phys. Lib. 2. de Elementis, *Quisquis ignem negat, ignem meretur, aut saltem igne interdici.* Sensus enim maxime ferit, adeo ut nullum exemplum sit Philosophia paratius, ut formarum eductionem, & generationem rerum omnium explicent. Quamvis si rem ipsam acriore animo perpendamus, nihil fere æque est involutum, & explicatu arduum, atque ignis ipsius genesis, natura, phænomena & effectus. Sic enim est a natura comparatum, ut quæ sensus vehementius impellunt, eadem intellectus aciem maxime fugiant, ut patet de Luce & colore. Quæ autem vero propiora nobis videantur, breviter aperiemus.

Respondeo itaque, tametsi nullum Elementum purum de facto detur in rerum natura proprie loquendo, sive chymica, sive Peripatetica spectes: sed omnia in singulis convoluta jaceant, atque adeo non proprie Elementa pura, sed mista & elementata sint: latet tamen aliquid in Elemento misto, veluti in intimo Elementaris substantiæ centro, quod veri Elementi nomine gaudeat, & quod Elemento det esse specie a cæteris distinctum Elementum, forma & veluti anima quædam Elementi, cujus tamen index sit Elementum illud, quod juxta propriæ formæ requisitionem seu exigentiam sensibus sese oggerit. Dum enim videmus in culinis nostris ignem, dicitur illud Elementum, non quod revera proprie tale sit; est enim Elementum materiale tantum, fumo ardente velut amictu quodam vastitum. Nec quid sit Ignis, a Cocis inquirendum ait Excellentissimus D. Marcus Marci: Elementum enim essentiale & formale intus latet, quod per lucem indicatur, calidum videlicet illud primigenium & innatum, omnibusque rebus tam cœlestibus, quam sublunaribus mixtis inexistens. Atque hoc esse verum illud Elementum, quod ad omnium corporum compositionem concurrit (Elementa enim ab Arist. dicuntur ea, in quæ ultimo corpus resolvitur, vel ex quibus primo inexistentibus res ipsæ constant, quæ nemo Philosophorum negavit) inde deducitur, quod cum ignis hic usualis, uti ex se & sua natura destructivus est, ita tantum abest ut compositionem rerum ingrediatur, ut potius jam composita destruat. Aliud itaque Elementum verum & proprium assignari debet Mistionis constitutivum: non ustivum illud extrinsecum, sed intrinsecum, quam *lucem seu calidum innatum* dicimus: hoc enim uti omnibus rebus inexistit, in lucidis tamen corporibus potissimum virtutem suam exerit. Atque in Sole primum, veluti in propria lucis ignisque sphæra sedem suam posuit sub luce purissima: in intimis vero Terræ thalamis sub luce obscura & varia rerum combustibilium miscella tincta: in suprema regione aëris sub halituosa substantia: in reliquis vero opacis corporibus veluti excrementitiis Elementorum fæcibus sopitum jacet, quod tamen arte chymica ab iis separatum, igneæ naturæ indolem protinus, vel ad proximam alterius ignis applicationem exerit lucido jam amictu vestitum. Quid autem præstet in animantibus, alibi diximus, & in Tract. XXX. De Homine confirmabimus.

LXXVIII. Hinc non sunt audiendi, qui Sedem regalem Ignis collocant sub concavo Lunæ: Illustrissimus enim D. Caramuel Encyclic. orat. Conc. 13. Sphæram illam Ignis Elementaris Mundi mendacium philosophicum vocat, sine ullo fundamento confictum. Merito quoque explodendus Bontekoe Medicus, qui in Lib. de Motu cap. 6. edit. Lugdun. Batav. de Anno 1688. ait: "Vt ortum Ignis inveniamus, primo exuere oportet præjudicium de Igne cœlesti, utpote qualis non est: nam præter sublunarem dictum non dari potest ignis, id est, extra aërem & tellurem non existit ignis: neque in Sole ullus esse potest: imo ne quidem Sol lucet; & perinde oportet lumen ab igne distinguere, quam idem a Sole depellere, hoc magis, quod nec lumen, nec calor in Sole, aëre, igne unquam sint, sed lumen in visu, calor in tactu, id est ambo in mente sunt; quia sine mente, quæ videt & sentit, nec lumen, nec calor esse potest, cum sentire & ea quæ sentiunt correlata sint, quorum alterum sine altero esse nequit. Igitur, ut dolor, qui a cultro excitatur in ipso sentiente, non in cultro est: sic lumen in vidente, calor in tangente esse debet: atque ita clarum esse debet, tum nos lumen recipere, vel calorem sentire, quando corporum particulæ, quæ putantur lumen aut calorem in se habere, certo quodam modo visus aut tactus organum afficiunt. Vnde oportet ignem ad certum aliquem motum referre, neque in eo quid ultra requirere. Et paulo infra. Sed abstinendum hic est, a definitione Ignis, utpote quæ vix dari potest: satis

est tenere,

"est tenere, ignem in certo quodam motu consistere.„ Hæc D. Bontekoe.

Vt candide loquar, nunquam mihi persuasissem talia non paradoxa, sed *ἀπίστωτα* in mentem sanam, nedum Doctoris cadere posse. Nec lumen, nec calorem in Sole, aëre, igne esse; nec lumen in visu, nec calorem in tactu, sed duntaxat in *Mente esse*, nullibi legi, nec persuaderi posse credo, nisi forte pueris & nondum ære lavatis. An igitur bruta, quæ mente carent, etiam visu carebunt? An Natura illis oculos & aures frustra contulit? an simulacra sunt, quæ aures habent & non audiunt, oculos & non vident? *Antyciras Medicus emittendus hic esse videtur. Hellebore ut cerebrum purget.* Mittamus has nugas.

Diximus cum insigni ævi nostri Philosopho P. Athan. Kirchero (quo prædicato eum honorat, & meritissime, Author Phil. Burgund.) quid proprie per Elementum Ignis, quod ad corporum constitutionem concurrit: quid per Elamentum lucis ignisque cortice circumdatum, quem vulgo Ignem artificialem mixtum, aut quem Aristoteles *spiritus fieri accensionem*, sive, quod idem est, *exhalationem* seu fumum accensum dicit intelligamus.

Vnde patet non incongrue *ignis Elementum* ex longa consuetudine usuque introducta vocari *omne flammeum, accensum & lucidum corpus*; in cujus tamen centro verum illud, quod vim flammæ & omni lucido corpori tribuit, Elementum continetur, ex se & natura sua quasi incorruptibile, in nonnullis per lucem, in quibusdam per calorem tantum, luce in corpore suppressa, manifestum. Kircher. Lib. 4. Mundi subterr. sect. 1. cap. 2. p. 183. Sed paulo accuratius Io. Marcus Marci in L. de arcu cœlesti pag. 24. de Ignium natura & effectibus, deque illorum causis discurrit in hunc modum: Ac primo quidem

De Flamma.

LXXIX. Quæritur: Quidnam sit flamma, & qua ratione differat ab Igne? Respondetur 1. ex Arist. apud Kircher l. cit. "Non unam esse speciem ignis: "aliud enim est specie carbo, & flamma & lux; unum "quodque eorum ignis est: quemadmodum quod in "igne subtilissimum est, id est subtilissimarum partium; subtiliorum enim partium est lux & carbonis "& flammæ.„ Vbi tres species ignis agnoscit; carbonem accensum, flammam & lucem; has tamen sub una luce & carbonis & flammæ, quæ subtilissimis partibus constat, comprehendit. Quæ sententia ex Timæo Platonis decerpta est.

Respondetur 2. cum Marco, Flammam suscitari ex ustione illarum rerum, quæ aptæ sunt inflammari: alia enim cum flamma, alia absque flamma uruntur, quæ vel non sunt apta concipere flammam, cujusmodi sunt pastilli odorati, vel quia transpiratio inhibetur, ut si vase clauso urantur. In combustione ergo illarum rerum, quæ flammas alunt, hæc conspicua fiunt, nimirum flamma, fumus, & ab exustione cinis reliquus. Porro fumus effertur a rebus accensis, specie vaporis, qui si retineatur, flammam suffocat: majore vero copia exhalat a rebus humidis, & quæ plurimum aquæ continent. Itaque ligna virentia majorem fumum efflant quam arefacta, qui etiam flammæ, quo minus facile succendatur aut clare luceat, obsistit.

Differt quoque fumus a fumo, quod hic sua acrimonia sensum feriat, vellicetque potissimum oculos, & magis quidem qui e lignis solidis, cujusmodi quercina, exspirat. Succinum vero, thus, myrrha, storax, benzoi quantumvis fumum exhalant copiosum, nihil omnino oculis sunt graves. Ex quibus constare videtur, fumum majori ex parte humorem continere, inde ignem, postremo, naturam salis volatilis. Et humoris quidem aquei signum est, quod omnia humida copiosum, eadem arefacta & aquis destituta nullum, aut exiguum fumum emittant. Vnde ligna virentia ob fumeos globos intermixtos, ægre succenduntur: ubi vero ignis humorem detersit, fumus exiguus multam flammam comitatur. Ligna quoque dum uruntur, prius sudare videmus humore ebulliente: inde fumus se agglomerat, qui si vasis idoneis excipiatur, rursum in laticem distillat. At vero ignem inesse fumo, inde liquet: aquà enim natura sua gravis, non nisi ab igne attolli potest, quod accenso spiritu vini quoque comprobatur. Naturam demum salis volatilis in eo contineri, manifestat sensus acer & mordax, & experientia, siquidem ejusmodi salem a fumo in fuliginem coagulato obtinemus. Humor ergo qui inest fumo, provenit ab aquæ Elemento, quod vel est pars mixti, vel ejusdem alimentum. Hæc de fumo.

At vero flamma, si molem attendas, principaliter ex aëre, secundario ex igne & fumo constat. Si vires & energiam, ignis prædominatur. Posterior pars sensu; prior ratione suadetur. 1. Enim flamma tota non potest esse ex re inflammata, ergo erit ex aëre. Nam proportio quidem terræ ad ignem est millecupla, ut placet Aristoteli, ergo flamma superat illam molem, ex qua suscitatur in eadem proportione: at vero hæc non millies, sed vicies millies atque amplius superat eandem molem. 2. Flamma absque aëre esse non potest: quod si enim furno undique clauso intercipiantur aeris spiramenta, nullam inde flammam suscitare valebis. Ita cucurbitulæ medicæ inclusam flammam marcescere & emori cogunt. Quod non alia ex ratione fit, nisi quod materia deficiat futuræ flammæ. Quo enim majore vase includitur ignis, eo diutius ab interitu conservatur: quia nimirum hic aëris copia sufficit ejusdem generationi, qui ubi exarsit, ob ignem admixtum non est idoneus ad eam alendam, quæ via videtur esse ad ignem. Id autem experiri licebit, si candelam accensam vitreo vase mediocriter capaci includas: videbis enim flammam sensim marcescentem, in ipsa radice prius deficere, & veluti ad superiora retractam subsilire: quia nimirum illa materia, quæ in ignem mutatur, suo alimento flammæ sustentandæ idoneo destituitur. Quod si a fumo, ut vulgo persuasum, suffocaretur, a parte superiori, in quam recidit fumus copiosus flammamque involvit, inciperet defectus; indeque sensim ad radicem usque flamma attenuaretur. At non ita res habet, nam pars superior tum magis invalescit in conum longiorem producta; neque prius quam a radice avulsa deficit: quin etiam flamma extincta flagrat aliquandiu in elichnio ignis cum multo fumo. Vnde evidens ad rationem flammæ pertinere; neque proinde hanc perimere aut suffocare, quin potius fomitem ei præbere: extincta enim candela, si fumus inde exhalans aliam flammam attingat, hoc veluti vehiculo desilit, & candelam subjectam reaccendit. Non igitur fumus, qua fumus, igni est contrarius: sed quia, dum retinetur, flammæ circumfusus aërem ingredi prohibet: vel quia ex humore aqueo suscitatur, atque superficiem pabuli humectans ignis impervium reddit.

LXXX. De

LXXX. De reliquo, quod generationem ignis ab igne, aut ejus productionem in materia uſtibili attinet, vide quæ Tract. XXVII. de Generatione trademus. Id ſolum hic notari velim, dum videmus Ignem ex lapidibus quoque frigidis excuti, id contingere quoniam in eis latet a materiæ craſſitie ſopitus: non autem a motu generari, ut putant nonnulli: ſi enim ita fieret, plures & ingeniores motus & percuſſiones plus caloris facerent: at videmus non pro percuſſionis magnitudine, ſed lapidis merito, plus minusve educi: plures ſcintillas Marcheſita uno ictu emittit, quam pipernus ictibus multis; ergo ibi plus caloris latebat, qui a motu excitus, & laxata materia vim ſeſe effundendi & manifeſtandi nanciſcitur. Vnde & cinis & ſulphur in ſcintillis exire, ſupponenti chartam excipientem apparet palam; ergo latet ignis in lapidibus, & lignis, & metallis a Solis agentis calore in ipſis remanente. Diximus jam alibi in Tract. de Cauſis, quando Ignis generat ignem, quod ſit cauſa Vnivoca; cum fumum analoga; & cum germinare facit terram, æquivoca. Motus ergo non eſt cauſa caloris, niſi ſecundum vocem, non enim facit calorem, ſed excitat latentem, dum aperit laxatque molem, qua calor premebatur. Notanter ſcripſit noſter Campanella. L. 1. Metaph. cap. 1. art. XI. Dubit. XI. "ubi exemplis delirantium "& oſcitantium ſecundum Philoſophiam hominibus "traditam, probatur quod ſcire ſit deſipere. Quod "enim dormiamus, deliremus & in mortis regione ſimus, probatur ex opinionibus Philoſophorum circa "notiſſima adeo exorbitantibus, ut ſtultis ſtultiores "appareant. Et primus Ariſtoteles, qui eos corripit, putat Solem non eſſe calidum, neque lucidum "(uti ſupra Bontekoe) quo quid ſtultius? ſed generare lucem caloremque atterendo aërem, ſicut ex attrito lapide calor, & lux excutitur.„ Scilicet ut videretur quid magnum dicere ſupra Philoſophos priores, paratior ſane aliena exinanire, quam propria implere, ut de ipſo reſtatur Tertullianus. Motus eſt ad hoc delirium aſſerendum ex ſimilitudine accidentali remotaque. Non enim motus facit calorem, ſed ſopitum conſtipatumque in lapide excitat. Aer autem tenuis eſt, & calorem conſtrictum non habet, neque ſuſcipit ictum, neque poteſt a remotiſſimo Sole flagellari. Ergo ſtulta eſt ejus ratio: quia diſſimilitudines non inſpexit, ſed modicam tantum ſimilitudinem & parum. Idem ibid. cap. 9. art. XI. Vide quæ diximus Tract. XV. Sect. 6. De Cauſis.

LXXXI. Quær. 2. Quid ſit in ſe radius ignis, ſeu ſolaris, ſive lux, ſive effluvium illud, eſtne ſubſtantia, an accidens? Reſp. P. Kircherus Lib. 4. Mundi ſubterr. pag. 182. "Non ſuccenſeat mihi Peripatus, "quod in operibus meis lucem paſſim ſubſtantiam & "corpus aſſeruerim: id enim vel ab ipſo Ariſtotele "perſuaſus aſſerui, qui lucem ignis corporei ſpeciem "ponit (textum alleg. habes ſupra) nulla facta qualitatis mentione.„ Sed hæc, addit, παρέργως. L. II. Met. c. 9. p. 169. Thomæ Campanellæ lux eſt incorporea qualitas activa, ſicut umbra incorporea a corpore opaco, & coloratur omnium coloribus, quoniam ab auro reſilit aurea, ab herbis herbacea: eſtque lux ipſiſſimus calorum primus ac ſimpliciſſimus: quod patet, quia ipſa a tenebris tincta, in varios colores trahitur, teſte ipſo Ariſt. cap. de Iride. Non eſt ergo terminus corporis tranſpicui, ſed intra corpus tranſpicuum omne tranſilit, & luminaribus interne & externe eſt, ut patet in igne & Sole. Vide quæ diximus alibi.

LXXXII. Quær. 3. Quomodo per attritionem generetur calor & ignis in corporum durorum colliſione, ut cum ferrum ſupra incude tutuderis, ferrum lima poliveris, duo ligna attritione tertii in flammam ſuccenderis: quomodo terebra, qua quidpiam perforatur, tantopere effervеſcat, uti & ſerra: quomodo in nubibus fulmen & fulgur; in corporibus vero viventium ad validum exercitium calor naſcatur, & ſimilia, quæ quotidiano conſtant experimento. De his jam ex parte reſpondimus paulo ſuperius, nunc audire juvat Doctiſſimum P. Kircherum, aſſerentem horum omnium rationem aliam non eſſe niſi Elementum Ignis, ſive calidum illud innatum primigenium, ſulphuri quiddam haud abſimile in intimo rerum naturalium centro concluſum; ſopitum quidem & a terreſtribus fæcum quisquiliis oppreſſum: at poſt colliſorum corporum perfrictionem attritionemque ſpirituum agitatione animatum, illos calores ſuſcitat; usquedum ſegregatis humidioris naturæ corpuſculis, ſpiritibusque ſulphureis & halituoſis in unum conjunctis tandem igneo flammeoque veſtitu amictum prodeat. Quamvis enim omnia corpora mixta in ſe hujusmodi ſulphureos igneosque ſpiritus concluſos habeant, quemadmodum ex illorum per artem ſpagyricam diſſolutione patet, atque hoc pacto omnia ex attritionis motu incaleſcant: ſunt tamen alia aliis aptiora, ſcilicet quæ majorem ſulphuris fixi copiam, partesque ſpirituoſas vel copioſiores, vel magis compactas obtinuerunt. Hinc ferrum, utpote copioſiori aduſti ſulphuris copia turgens, præ cæteris metallis maxime incaleſcere experimur: non item plumbum, cuprum, aurichalcum, argentum, aurum, utpote in quibus, humido copioſo reſiſtente, non tam facile ex attritione congregentur ſpiritus illi, ignei, qui in primigenio calido latent. Cur vero ſerra, dum lignum ſecat, tantopere incaleſcat, minime lignum: rationem damus, quod ſulphurei in ligno ſpiritus, utpote diſſolutiores exſpirent; in ſerra vero ob duritiem compactiores, & ex prædominio ſulphuris conſtipatiores ſunt: Hinc fit, ut ii in ferro, ex attritu, facilius quam in ligno accendantur. In nubibus vero naſcitur fulmen & fulgur ex ſulphureis corpuſculis, una cum vapore in ſublime attractis, quæ cum ſpiritibus igneis nitroſisque referta ſint, ex vehementi nubium conflictu agitata & attrita, facile in ignem coaleſcunt, qui majorem ex rarefactione aëris locum requirentes, dum ex conſtipatis nubium repagulis exitum non inveniunt, violento quodam motu qua data porta ruunt, ea ſtrage quam quotannis experimur. Ita quidem P. Kircherus cum vulgo Peripateticorum: at aliquid amplius requiri ad tantam vehementiam fulminis arbitratur D. Marci, cujus mentem explicabimus infra Tract. XXXV. de Meteoris.

LXXXIII. Quær. 4. Cur hyeme tota vegetantis naturæ Oeconomia ſqualleat; viror omnis ab arboribus plantisq; depereat? Reſp. rationem colligi ex jactis principiis, quia videlicet Sol remotior ſpiritus illos igneos & halituoſos, utpote frigore oppreſſos diſſolvere & attenuare non poteſt: mox tamen ac æquinoctialem ſupergreſſus caloris ſui incrementum ſuſceperit, ecce ſpiritus qui latuerant cousque ſyngenei illis novo caloris hoſpite animati, ac veluti interioris indolis lætitia tripudiantes dilatique in ramos flores & folia, fructus luxuriant.

luxuriant. Quod eutem illo motu non adeo incalescant ut inflammentur rario est, tum humidi quo pollent, copiosissimi resistentia, cum blandus ille solaris caloris influxus, qui spiritus ignei misti humidis ad generationem necessarii ita ettemperantur, ut in ignem erumpere non valeant: atque hoc est calidum illud & humidum, quo teste Philosopho, omnis perficitur generatio, omnia vigent conservanturque.

Atque hisce ex principiis rite applicatis nullus tam exoticus effectus in natura rerum occurret, cujus rationem dare non possis, spondet Kircherus, L. 4. Mundi subterr. pag. 184. Refertque pag. 191. curiosam quæstionem de Lacu quodam, super cujus aquæ mirificos effectus consultus fuit a nostro Caramuele Episcopo Vegevanensi, quam totius Encyclopediæ consultissimum deprædicat.

LXXXIV. Præterea colligitur ex dictis, quomodo flamma, quæ nihil aliud quam ignis fluens est, extinguatur v. gr. in candela, quæ cum humido pingui & viscoso polleat, & cui cum plurimu sulphurei spiritus insint, fit ut accensum elichnium statim & spiritus ignem concipientes una in flammam accendantur; atque adeo ob pinguis humidi copiam fluere incipiant; spiritibus vero se invicem folicitantibus, & ad florem excitantibus; tamdiu flamma durat, quamdiu fluxus ille in radice pabuli duraverit: fluor vero cesset, mox ac fluxus ille a pabulo abstractus fuerit, & spiritibus sulphureis perturbaris, impeditis suffocatisque, vel per flatum vehementiorem, vel affuso humido, vel pressura, neque pasci amplius neque fluere possit. In carbone vero, etiamsi flamma non sit, lux tamen est, igneo edhuc fervore æstuans: unde ad conservationem sui, auxiliares copias advocantes vicinas carbonis sicci hinc inde particulas ad ignitionem dispositas arripiunt, atque iis acceptis, præsertim si flatu juvetur, invalescant in maximum ignis incrementum: si vero externa adjutrix defuerit, quantum possunt se concentrant, donec tandem ambienti frigore enervati extinctique, & a luce & ab ardore cessent.

LXXXV. Objicies cum Peripatu contra ignes subterraneos, quos diximus portionem esse Ignis Elementaris non puri, sed varia subterrestrium combustibilium rerum miscella tincti; puta, si sulphuri puro jungatur, candicat; si bitumini, fusca flamma moeret; si bitumini una cum ærugine, viret; rubet si minio aut similibus rubri coloris mineralibus jungatur: si arsenico, ochræ, sandarachæ, flavet; si uliginosæ materiæ pingui & oleaginosæ applicetur, omni fere luce destituitur, fumo tantum indolem suam prodens. Verbo, tingitur ignis pro diversa fomitis natura. Atque hinc est quod Ignis Elementum etiamsi in omnibus rebus idem specie sit, pro combustibilium tamen rerum natura, specie differre videatur. Contra hunc inquam ignem subterraneum sic ergues: Vbicunque est contrarium ibi corruptionem alterutrius intervenire necessarium est: Ignis perpetuo jungitur Terraqueo globo suo contrario, ergo necessario aut Aqua extinguet ignem, vel hic consumet aquam. Resp. 1. Necessarium esse, quod principia & Elementa sint sibi contraria, & ita Deum ordinasse sapientissime, ut ex pugna contrariorum, præter ipsorum intentionem, oriatur tertium sive mixtum, alioquin generatio tam multigena non prodiret: intentio enim contrariorum alia non est, quam sua cujusque conservatio & amplificatio, quodvis enim sibi simile generare conatur: nulla ergo vis argumenti. Resp. 2. Si hæc Elementa in summo & æquali intensionis gradu spectentur, verum id esse, nempe alterutrum minui & cedere debilius fortiori: si vero in gradu disparato, hoc est juxta prædominium unius in alterum considerentur, falsum esse. Quapropter cum calor frigori, Ignis Terræ præpolleat, semper ignis activitate sua contra Terram & Aquam præpollebit: & ne tot continuis incendiis totus tandem illabatur orbis, Natura rerum de novo semper fomite providit, ita ut quantum ignis depascitur, tantum illi de novo submittit terraqueus globus cui inclusus est, neque periculum est ut extinguatur aliquando, cum illi Natura tot caminos ad respirandum, tot itinera occultasque meatuum semitas ad novum attrahendum commeatum assignaverit. Vide Kircherum Lib. cit. pag. 199. & 203. Illud indubitanter tenendum, Globum terraqueum tandem aliquando, approximante semper de sæculo in sæculum Sole, conflagrandum videlicet in extremo judicio, ut sacræ nos docent literæ. De Aëre & Aqua egimus Tract. III. & X.

TRACTATVS XXIV
DE
ENTE ET CATEGORIIS.

NOmen Ens veluti peregrinum Iuvenibus in limine Philosophiæ videtur, terretque eorum phantasiam instar capitis Medusæ, maxime ab illis Professoribus, qui Ens rationis pro objecto Logices obtrudunt. Recte, meo qoidem judicio, sentit Author Philosophiæ Burgundicæ, dum ait tom. 1. Tract. de Prædicam. q. 4. Disp. 1. circa fin. *Quæ de Ente rationis solent desputare, cum nullius sint usus; possunt a nobis prætermitti.* Nobis propositum est impræsentiarum declarare Vocabulorum generalium scitu necessariorum in Logica & Metaphysica circa Ens ut sic, ejusque proprietates transcendentales: item essentiæ & existentiæ: de divisione Entis, ejusque prædicatione de Deo & creaturis, substantia & accidente &c. Hinc sit

SECTIO I.

Explicatio variorum terminorum apud Metaphysicos usitatorum ex P. Thoma Mlodzianovvski Pral. Met. Tr. I. Disp. I.

I. Quæritur 1. Quid *Ratio?* Resp. *Illud quod Entis objective acceptum,* Est autem supremum quasi genus abstractissimum, prout qoid commune ad negationes & non-entia: quia τὸ *ratio* etiam negationibus convenit, unde quærere solemus, in quo ratio negationis consistat?

Quæritur 2. Quid *formalitas?* Resp. Illud quod, vel ratio habens se per modum actus. Quær. 3. Quid *Res?* Resp. cum *Res* sit quid inferius Eute abstractissimo, Res erit concretum quoddam ex Ente & realitate

 sive

sive habens realitatem. Porro hæc realitas, quæ est quasi forma a qua denominatur ens *ratum seu res*, non aliud est nisi aptitudo existendi sine alio, strictè loquendo: ad quam aptitudinem sequitur negativa formalitas, independentia ad existendum sine alio, vel miraculose vel naturaliter, & hoc ipso illud res erit: & ita res opponitur Modo, qui nec supernaturaliter seorsim existere potest v. gr. sessio.

Quær. 4. Quid *Realitas*? Resp. Realitatem si accipiatur pro ratione abstracta a concreto termino quod est *res*, prædicari posse de re transcendentaliter & abstractè accepta; non autem de re substantive & concrete accepta. Ratio primæ partis est, quia potest prædicari ratio entitatis de ente, ergo & realitas de re. Ratio secundæ partis, quia *res* sumpta pro ente concreto, est quid completum positive: *Realitas* autem est quid incompletum: de completo autem positive, incompletum positive prædicari nequit.

Quær. 5. Quid est *Quiditas*? Resp. Est formalitas illa quæ competit objecto secundum se spectato; non vero secundum quod restrictè accipitur & affecte. Quiditas enim dupliciter spectari potest: abstractè & concrete. Concrete accepta est *quod quid rei*. Abstractè accepta est formalitas quod quid rei constituens. Ad quod respexit S. Thomas 7. Metaph. Lect. 4. Vbi censet humanitatem posse dici quiditatem hominis, sed non quod quid erat esse. Passim tamen *quiditas & essentia* habentur pro terminis synonymis.

Quær. 6. Quid *Positivitas*? Resp. Est formalitas secundum quod ipsum esse est. Explico τὸ *formalitas* est genus, & quidem vicinius genus quam *Ratio*. τὸ autem *ipsum esse secundum quod est*, erit per modum differentiæ. Debet autem hic τὸ *esse accipi* prout est quid superius ad esse essentiæ & esse existentiæ: nam utrique horum positivitas convenit. Additur autem *secundum quod ipsum est*, quia negationibus potest aliquando esse competere. Vnde dicitur aliqua entia esse negativa, quibus tamen objectis non competit esse secundum quod ipsum esse est, sed competit esse negativum imitative ad verum esse. Quid autem sub hac subtilitate lateat, discutiemus suo loco.

Ens positivum concrete acceptum, est ipsum Ens, quatenus dicit esse secundum quod ipsum esse est. Ratio dictorum, quia quotiescunque in particulari volumus explicare aliquam positivitatem, toties recurrimus ad ipsum esse, secundum quod esse est. Et ita si quæratur, quid est in re negatio irrationalitatis in homine? dicimus est ipsa formalitas esse rationalis. En recurritur ad esse quod est. Ergo & positivitas ut sic recte explicatur per ipsum esse secundum quod est. Et certe sicut *non* objectivum constituit negationem, ita *esse* illi oppositum constituit negationi oppositam positivitatem.

II. Quær. 7. Quid sit Ens *participialiter*, quid *nominaliter* acceptum? Resp. Ens participialiter sumptum, idem est ac *existens*. Ens nominaliter, est ens prout est radix esse primo formaliter. Ens participialiter acceptum definiri potest; quod sit ens prout habet primo formaliter existentiam. Ens autem commune ad hoc utrumque est id cui competit esse indefinite & non restrictè illud accipiendo. Denique Ens commune ad positiva & negativa (si quod tale fingere liceat) est id, cui competit quomodocunque esse. Pro genere ponitur *id*, quia ente communi nil datur prius ponibile. Iam explicatur definitio supra data Entis nominaliter sumpti, quæ excludit. 1. Entia rationis, quia hæc non dicunt radicem ipsius esse primo formaliter, sed esse objective. 2. Negationes, quia hæ potius sunt radix non-esse. 3. Formalitates connotativas, quia illis competit esse non nisi propter identitatem. Non rejiciuntur tamen accidentia realia, quia & hæc dicunt radicem esse primo formaliter, licet comparata ad substantiam sint entis potius quam entia: dicunt tamen in se spectata radicem esse primo formaliter, quia non propter identitatem cum alio rationem entis participant: quod proportionaliter ad Modos entitativos applicari debet. At mox

III. Quær. 8. Quid sit *Modus*, & quotuplex? Resp. Nomine Modi intelligunt RR. determinationes, affectiones, actualitates entium. Distinguunt autem in *Modos essendi, & modos entitativos*. Nomine Modi essendi intelligunt formalitates ex natura rei nomine cogitante distinctas, quamvis nullam entitatem a subjecto condistinctam importantes. Nomine Modi entitativi intelligunt illos, qui suam entitatem adferunt, etsi non separabilem ad existentiam extra modificatum.

IV. Præterea observandum, quædam esse transcendentia transcendentalissima; alia transcendentia subalterna. Primi generis sunt *Ens, Verum, Bonum*, objecta nempe trium Primalitatum, scilicet Potentiæ, Sapientiæ & Amoris, quoniam dicuntur de Creatore, & de Creaturis, & de cunctis aliqualiter entibus. Quibus additur quartum, scilicet *unum*, quod omnium simul Primalitatum est objectum. Subalterna vero transcendentia sunt, quæ a suo ambitu aliquid excludunt, ac de cunctis entibus præter illud, analogice dicuntur, veluti *Res*, quod dicitur de omni reali Ente, non autem de chimerico & a ratione invento. Similiter τὸ *aliquid*, quod dicitur de omni ente finito: Infinitum enim quia non est aliud quid ab aliis, non dicitur *aliquid* nisi grammaticaliter. Complectitur enim omnium entitates, non excludit nisi non-entitates. Item terminus infinitatus est subtranscendens. Non-homo enim dicitur de omnibus præterquam de homine, qui solus non potest dici non-homo.

V. Qui distinguunt Transcendentia ex natura rei, sed non realiter, videntur sapere peritius, quam qui ratione sola: licet neutri processiones eorum norint. Vnde Arist. rectius statuor esse 4. Ens, unum, verum, & bonum, quam Avicenna qui addidit *rem* & *aliquid*. Res enim non est idem, quod Ens ample sumptum: at differunt si strictè sumatur sola voce & impositione; non autem si secundum totum ambitum; quoniam Res est ens ratum: Ens vero est res rata, ut realia & non rata, ut entia rationis. Nec res ab essentia, & Ens ab existentia sumantur; sed utrumque ab utraque: Existentia enim res est vel realitas. Ens autem melius exprimit utrumque. Præterea quoniam *Res* dicitur tantum de Ente reali, ut nomen sonat, non de Ente rationis. Ens vero de utroque, ergo Res non est transcendens, sed subtranscendens, *aliquid* vero dicit aliud quid divisum ab aliis rebus, & quia omnis res ab alia est divisa, potest dici *aliquid*. Sed quia Deus a nullis divisus est, quoniam omnia est eminenter & in omnibus, non dicitur *aliquid*, quia contractus esset ad particularem entitatem; idcirco videtur τὸ *aliquid*, dici tantum de Ente finito, non de Infinito, esseque subtranscendens.

VI. Dixi-

VI. Diximus *Ens nominaliter sumptum dicere essentiam; verbaliter* vero *existentiam*. Essentia autem dicitur de Finita & Infinita; potius autem de Infinita, quæ est idem cum sua existentia formalissime nulloque modo ab ea præscindibilis. Ens participialiter sumptum dicit essentiam finitam, eo sensu quo participium dicit essentiam cum actu existentiæ, ergo dicit essentiam extra suam causam, ergo finitam: quidquid enim extra est, finitum est. Idcirco omnia extra Deum finita sunt; quidquid autem in Deo, infinitum est, unumque infinitum. Quapropter Essentia participialiter sumpta est prædicamentum transcendentale, in quo Deus infinitum ens non includitur. Infinitum enim, utpote immensum, nequit ad aliquem entis modum modificari includique. Sed de hoc in seq. sect.

VII. Diximus quoque Eos, & Rem esse concreta metaphysica, & exponi *habens entitatem, seu realitatem, seu essentiam* (quod est idem): sed quid est illud *habens*, quod venit in recto? estne quidquid in mentem venire potest, hoc est *intelligibile ut sic?* Non profecto, nisi intelligibili addas hanc limitationem seu differentiam & dicas: *intelligibile capax hujus obliqui*, seu formæ, quæ est *entitas*, seu *realitas*, seu *essentia*. Hoc autem obliquum est actus quidam secretissimus, & appellatur: actus essendi in vi copulæ, actus identitatis, actus connexionis subjecti objecti cum prædicato objectivo, nimirum id, ratione cujus aliquid est id, quod revera est: & nota quod entitas & identitas hic idem significant: unde ex pronomine *id* addito supra terminum *entitas* facta est *identitas*, quæ designat idem ac *essentia*, seu actus essendi id, quod revera res est. P. Ioan. Bapt. Ptolomæus dissert. 41. Logico-Metaph. sect. 1. num. 5.

Antequam transeamus ad divisionem Entis in Categorias seu Prædicamenta, resolvenda venit dubitatio illa, an Ens sit primum & universalissimum, an potius unum, vel bonum, vel verum, vel potentia? Videtur enim quibusdam Unum esse prius Ente. *Unum* enim non est, sed præcedit esse. Si enim unum est, ait Parmenides apud Platonem, non est: si enim est, non est unum simpliciter & vere, componitur enim ex uno & esse, & ex idea Entis, & ex idea unitatis. Quapropter non possumus dicere quod sit. Præterea Unitati opponitur multitudo: Enti vero non-ens, sed multitudo est ens, ergo vel unitas est non-ens, vel ante ens. 2. Quod conservat esse, illud dat esse: sed unitas conservat entitatem, ergo unitas est principium Entis: econtra enim Ens non dat unitatem, sed constituitur ab ea, ergo &c.

VIII. Item Bonum videtur esse prius Ente: ponitur enim a Dionysio ante Ens. Bonum quoque ad plura se extendit, videlicet etiam ad Non-entia. Bonum enim est homini non esse Asinum. Et multi desiderant mori & non esse, tanquam bonum. Ergo Bonum est universalius Ente, & ei competit ratio principii. Nam, inquit Augustinus, *in tantum sumus, in quantum Deus est bonus*, & non in quantum est Ens. Et Plato in Timæo dicit, Mundum creatum esse a Deo, quia Deus bonus erat. Bonum quoque est sui diffusivum in quantum bonum: non autem Ens quatenus ens: diffundere autem se pertinet ad rationem principii. Ergo Bono prius & verius competit ratio principii quam Enti. Pythagoriei quoque prima principia posuerunt Bonum & Malum: & quidem singula principia constare apparent ex Bono & Malo. Verum quoque videtur prius Ente. Nam & non-entia vere non-entia sunt. Quod autem pluribus convenit, universalius est: quod vero universalius, principalius quoque est.

IX. Item Potentia videtur esse prius, quam Ens. Ante enim potest esse unum quodque quam sit. Omne præterea Ens potest esse, sed non omne potens esse, est. Has rationes solves, cum noveris Entis naturam, & unius, & Veri, & Boni & Potentiæ. Modo ad ultimum duntaxat.

Respondeo Potentiam esse constitutivum Entis principium: & actum & potentiam patiendi, agendi operandique reduci ad potentiam Entis: & hanc ab intrinseco, & ab extrinseco, & utrinque dici. Ostenditur hæc fundamentalis & radicalis doctrina. Nullum enim Ens videtur esse, nisi quia potest esse. Quod enim esse nequit, non est, quatenus esse non potest. Entis quoque fundatio est potestas. Potestas quidem essendi (existendi) præcedit omnem potestatem, videlicet agendi, patiendi, operandi: sed ab actione Potestatis notitia incepit. Dicitur enim potens, quod in aliud sese ipsum diffundare, amplificare & multiplicare potest, seu aptum est. Aptitudo autem hujusmodi est ab intrinseco, & ab extrinseco, & ab utroque. Ab intrinseco Polycletus dicitur posse pingere, quoniam in seipso artem pingendi habet. At si desunt instrumenta, & materia picturæ subjecta, aut ab aliis impediatur ne possit pingere, dicitur non potens ab extrinseco. Hoc patet clarius in exterioribus potestatibus. Sapiens ab intrinseco dicitur posse regere Rempublicam, & natura Rex esse; filius autem Regis, quamvis stultus, dicitur potens ab extrinseco, quia ei nullum impedimentum opponitur, & ei obediunt omnes. Quemadmodum ergo in actionibus reperitur potentia, ita & in esse. Nam est id, quod potest esse; & quando, & quomodo potest esse: unde flores in hyeme, & præcipue in Moscovia non sunt, quia ibi non possunt esse: Neapoli vero sunt prope finem hyemis, quia possunt esse. Et quia vis Solis & telluris dispositio major sunt causa existendi flores in Campania; consequens est, ut potentia essendi ab intra sequatur virtutem activam & passivam, vel sit ipsa, vel in ipsa: ab extra autem semper est. Potentia activa est, quæ abundat entitate magna, unde & ipsum elargiri, effundere & amplificare potest. Quapropter necesse est, principium primum rerum esse activissimum. Passiva autem potestas est recipiendi, quod ab alio sibi datur. Unde indiga est & paupertatis filia, & non-entis. Recipit enim, quia non habet. Hæc convenit materiæ. Sed non solum repetitur Potentia passiva receptiva, sed etiam perditiva & afflictiva: & hæc non est propria materiæ, sed formæ debilis in ea regnantis, dum expellitur a fortiori. Veluti dum aqua incalescit ab igne, patitur recipiendo quoad materiam; quoad frigus vero perdendo. Hæc autem Potentia falso Potentia dicitur, sed potius Impotentia dici debet; quoniam nec recipere alterius esse potest, ut materia; nec proprium retinere vel dare, ut strenuum agens, resistensque Ens. Potentia autem operativa, non est amplificativa in aliud, neque receptiva alterius, sed conservativa proprii esse. Hanc ignoravit Aristot. & ideo reduxit omnes potentias ad activam. Potentia enim passiva est qua ab agente quid potest pati faciliter, vel difficulter. Activa autem est principium

agendi in aliud in quantum aliud. Sed rursus debebat dicere: quod quia agere est seipsum in alio conservare: operari autem in se, ergo potentia agendi ad potentiam operandi reducitur, & actio ad actum, id est ad operationem: quoniam propter se communicat se aliis, & non propter aliud agens omne, ut dictum est.

Tandem quia operantur entia ut sint, *potestas essendi* praecedit omnes. Hæc potestas essendi non est eadem in cunctis: nec est actus quatenus dicitur ab agendo, sed ab eo imponitur. Respicientes autem ad quid imponitur, vocamus hanc Potestatem actum. Dicitur enim actu omne cum perfectum est operaturque. Ergo quidquid est, eo pacto quo est, actu est: dico autem actu entitativo. Quapropter quæ habent potentiam subsistendi, sunt subsistendo; ut Angelus & homo. Quæ nequeunt subsistere, sed in alio existere, sunt inexistendo, ut calor, frigus, motus. Quæ vero substare possunt, sunt substando, ut materia, & forte spatium continens Mundum. Quæ autem simpliciter esse, essendo, & hujusmodi est solum Ens primum. Nam omnis Modus essendi, vel substando, vel inexistendo, vel assistendo, vel subsistendo, indigentia pleni sunt: nam loco & tempore & adjacentibus rebus causisque indigent: purum autem ens per seipsum est horum causa: dicitur tamen subsistens, quia inter cæteros essendi modos hic est perfectissimus: sed transcenditur a Primo Ente absque sub, & absque in, & absque ad, existente. Propterea dicitur super-substantia & super-Ens apud S. Dionysium.

X. Pro pleniore horum notitia, dicimus ulterius: Quæ semper sunt, habent potentiam essendi ab intrinseco. Nam si ab extrinseco alio, oportet illud aliud præfuisse, ac dedisse illis ut sint. Item semper esse non potest, nisi omnium Ens primum, quoniam alia a primo oportet habuisse ut sint. Et si illud ab aliis esse accepit, non est primum. Et si ab extrinseco potest esse vel impediri, esset in alio, vel ab alio & mendicans entitatem, & non ab intus, nec semper. Item quod ab intus est, non est in alio, quoniam per aliud esset; nec est in se, quoniam distingueretur a seipso, ut in quo, ipsum ut quod. Est ergo per se, & non in se, nec in alio; & posse est idem quod esse in eo. In cæteris vero *posse* videtur præcedere ipsum esse: multa enim possunt esse, quæ adhuc non sunt, ut flores in hyeme: & semper præcedit potentia actum in generatione. Attamen hic sermo videtur falsus: quoniam ideo potest esse quod potest esse, quia aliud quod vere est & in actu, habet virtutem deducendi illud possibile ad esse. Quod nihilominus est, sed eo modo, quo esse potest. In causis enim causaliter est, quia causaliter potest esse: in virtute agentis virtualiter; in potentia est potentialiter, & in re realiter, id est extra causas existentialiter. Quomodocunque ergo potest esse, est: si potest esse perfecte, est perfectum; si imperfecte, imperfectum.

Ex his sequitur, esse identificari cum posse esse; prout fert opinio Megarensium, tunc esse unum quodque cum potest, & quomodo potest: & non posse, nisi quando & quomodo est. Nam ædificator non ædificans, dicitur impotens ædificare: cum enim potest, suum actum unaquæque potentia exercet, alias esset otiosa, sicut calor semper calefacit. Sed hoc verum est, quando utrimque potest, intrinsece & extrinsece juxta sup. dicta.

XI. Hæc ipsa veritas, nempe potentiam non præcedere actum, sed bene actum imperfectum ejusdem rei præcedere actum perfectum, sic inquam: Quæ aliquando sunt, & aliquando non sunt, non habent ab intrinseco potentiam essendi, sed ab extrinseco. Et ideo aliquando dicendum posse esse, quia per causas suas fieri possunt: aliquando esse, quando extra causas sunt. Et quidem potestatem essendi perfectam habent cum sunt, sed non dicuntur in potentia aliena, sed bene in propria. Hoc autem patet, quia quædam dicuntur in potentia remotissima ab actu sui esse, & potentiæ propriæ, sicut homo in materia prima, & omnia naturalia dicuntur esse in potentia; quia potest a causa agente ipsa materia in hæc efformari. Ergo potestas materiæ est ab agente. Si enim homo per materiam esse posset, materia daret esse, & non reciperet: & potentia ejus non esset passiva sed activa. Quod est error dicentium formas latere in materia Peripatetica. Dicitur autem aliquid esse in potentia remota: sicut tellus est in potentia remota ut fit animal: materia autem prima in remotissima, quoniam hæc omni forma caret. Tellus autem habet formam suam & calorem solis participatum, quo potest inverti in animal. Limus vero calefactus est in potentia propinqua, quoniam participat calorem & humorem ex quibus animal fit. Semen vero dicitur in potentia propinquissima, quoniam habet spiritum formantem corpus animandum. Igitur potentia omnis ad actum essendi est aliqua pars illius esse. Vnde lignum viride non dicimus posse comburi; aridum vero posse comburi, quia aridum habet dispositionem caloris ad combustionem. Combustio autem est caloris abundantia potentis attenuare.

XII. Ex his ergo patet falsum esse, quod aliquid sit in potentia, nisi habeat aliquod esse: potentia ergo est essentialitas ipsius esse. Et quidem agnovit Arist. illud vero dici in potentia, quod jam est in ultima dispositione ad actum. Vnde nec dicitur Ædificator in potentia ille homo, qui non didicit artem ædificandi, sed qui illam didicit, & per eam quando vult exit in actum ædificandi. Ergo esse in potentia est vere esse. Igitur quod Impossibile est esse, in nullius causæ est virtute, ut diametrum esse commensurabilem costæ, & hominem simul esse asinum quoniam in causa non præcedit aliqua horum entitas.

Igitur quando factus est Mundus, erat jam non in potentia materiæ, sed in potentia Agentis: materia enim non potuisset esse in potentia nisi per agens potentissimum. Et quia nullum Ens potest esse sibi causa essendi, & seipsum facere aut creare: consequens est, ut omne factum habeat causam, & nihil sine causa. Ergo non est verum quod potentia præcedit actum, sed bene actus imperfectus ejusdem rei præcedit actum perfectum. Imperfectus homo est semen; perfectioni appropinquat embryo; perfectus est quando anima rationali vivit. Et mox ætas imperfecta præcedit perfectam, ut infantia pueritiam, pueritia adolescentiam, adolescentia virilitatem. Et hæc ideo se habent, quia agentia naturalia virtutem habent diminutam & finitam, & in materiam contrariis informatam & renitentem agunt, & paulatim ducunt effectus suos ad perfectionem. Secus est in Causa prima.

Quod autem esse in pura materia nullo prædita actu, non sit esse in potentia, Arist. testatur & veritas ipsa monet, quoniam nequit materia producere. Et

quidem

quidem si materiæ potestas necessaria esset causa, non potuisset ex nihilo Ens primum res producere, potuit autem, quoniam entitas est potentia agentis. Et pulchre hinc relucet primam productionem ab agente infinito non debuisse ex materia aliqua fieri. Ex his palam est res esse, quia possunt esse, & cum sunt, maxime sunt. In ortu vero & occasu minus sunt: parum vero in potestate aliena, ipsarum videlicet causarum: sed maxime sunt in potentia Dei: ex quo, & in quo & per quem, & ad quem omnia.

Ex prædictis patet, actum præcedere potentiam, quoniam potentia ipsa in tantum potentia est, in quantum participat actum, & magis potentia, quo magis propinquat actui, & partem ejus habet: & non posse reduci ad actum, nisi per præexistentem actum donantem subito, vel paulatim actum, hoc est ipsum esse seu existere. Vnde nemo Philosophorum generat ex potentia materiali sola, sed vel præficiunt intellectum, vel amorem, vel motivam potentiam, quam per nomina exprimunt, vel expresse Deum omnipotentem.

SECTIO II.

De potentia objectiva, & in quo formalis rei alicujus possibilitas posita sit? Item de potentia obedientiali.

XIII. Ex hactenus dictis ostensum quidem est, Possibile illud dici, quod juxta aliquod genus causæ intrinsece vel extrinsece fieri potest: illud vero Impossibile, ex cujus positione contradictoria sequerentur. Ideo Arist. Possibile definivit, quo posito impossibile non sequitur. Nam impossibilitas est aut ab intrinseco, sicut hominem esse asinum, quod ex repugnantia formarum procedit; sicut quinque & quatuor facere duodecim: aut ab extrinseco, sicut muscam vivere in flammis. Impossibile autem metaphysice & simpliciter est, quod non est ullo pacto, nec fuit, nec erit, ut Deum esse insipientem: secundum quid vero impossibile, quod secundum aliquod genus causæ repugnat esse, sed non secundum omnes, ut hominem volare absque alis artefactis. Hoc secundum naturam quidem nequit fieri, at potest secundum Deum. Scribere in aqua est impossibile ex parte materiæ; esse Hirco-cervum ex parte ideæ: currere in instanti decem stadia ex parte agentis finiti; appetere non esse, ex parte finis. Quapropter Impossibile simpliciter, nullam habet entitatem, & est ipsum non-ens. Impossibile secundum quid, sequitur non esse alicujus causæ. Possibile econtra entitatem. Et quoniam impossibile est, nihilum fieri ens (nam potentia est entitas, impotentia vero non entitas) recte Aristoteles damnat Theologos ex nihilo generantes Mundum, & ex pura privatione, quam vocant tenebras. At stulte & contra sua dogmata non respexit ad Ens primum omni entitate fœcundissimum quod res potuit facere, non invertendo nihilum in esse, sed proprium esse diffundendo.

XIV. Hæc quidem ita se habent, at quæritur de potentia objectiva, qua res potest esse objectum alicujus facultatis aut potentiæ activæ. Hæc autem est duplex: nam vel respondet activæ potentiæ, eaque solet appellari Logica, ab aliis entitativa nominatur, estque mera alicujus rei possibilitas: vel facultati cognoscenti seu intellectui objici potest, eaque est proprie objectiva, qua scilicet res cognosci aut repræsentari potest, De utraque dispiciendum: ac primum id quæritur, in quo formalis rei alicujus possibilitas posita sit, an tantum ab ipsius causæ fœcunditate ducatur: adeo ut res ideo sit possibilis, quia Deus eam potest efficere: an potius Deus eam possit producere, quia non repugnat: an ex utroque capite sit repetenda?

Respondeo 1. cum P. Thoma Mlodzianowski Tract. 1. Disp. 1. num. 324. quod Possibile sit ens ipsum, prout est radix nexus essentialium prædicatorum, ad quem nexum sequitur non implicare contradictionem. Hinc habetur 1. Possibilitatem intrinsecam rerum ab æterno nihil in se actuale esse, quod sit actu nemine cogitante. 2. Possibilitatem tamen hanc esse actu ab æterno quoad suum fundamentum, idque ex eo. Advertit intellectus creatus ad Omnipotentiam impotentem (ut ita loquar) producere Hirco-Cervum, potentem autem producere hominem. Advertit ad intellectum Divinum non noscentem conjungibilitatem realem Hircocervi, noscentem autem conjungibilitatem animalis & rationalis. Advertit ad voluntatem divinam impotentem amare huoc nexum seu identitatem Hircocervi; potentem autem amare nexum hominis, eruitque conceptum talis nexus, qui est possibilitas passiva respondens Omnipotentiæ: possibilitas objectiva omniscitati possibilitas eligibilis vel amabilis respondens voluntati (nam *intelligibile, cognoscibile, verum objectivum, ratio objectiva, conceptus objectivus* sunt synonyma. Ioan. Bapt. Ptolomæo differt. 41. Logico-metaph. sect. 2.) 3. Habetur itaque fundamentum ut hæc possibilitas reducatur intentionaliter ad actum; alias non esset salvabilis ratio fundamentalis, nihil enim fundaret: hocque reductum intentionaliter ad actum erit quoddam esse actuale; eritque actuale reale prout reale opponitur ficto, non autem prout opponitur intentionali procedenti cum fundamento in re. Hoc itaque appellari potest *possibilitas passiva, objectiva, intrinseca* intentionaliter spectata &c.

XV. Vbi tamen bene notandum quamvis negetur actualitas æterna distincta creaturis possibilibus, non sequitur, ab æterno non dari terminum Omnipotentiæ, licet nullam actualitatem ille terminus habeat, cum Omnipotentia dicat relationem transcendentalem ad creaturas possibiles. Hinc actualitas illius termini non est nisi per rationem, totaque illius actualitas est non nisi in omnipotentia: sed ratio termini non est per rationem: nam ratio non facit quod Omnipotentiæ potenti producere Petrum, respondeat Petrus potens produci, licet ille Petrus ita respondens nullum esse actuale habeat ab æterno.

Breviter ergo, actualitas æterna termini possibilis est non nisi ratione distincta ab Omnipotentia; sed ratio terminandi est nemine cogitante distincta. Ergo possibilitas non est mera denominatio extrinseca, cum subjectum ejus assignari non possit quod denominet. Cum itaque videat intellectus noster Omniscientiam Dei non apprehendere hominem cum rugibilitate, nec posse apprehendere: videt omnipotentiam non posse creare hominem rugibilem; videt voluntatem non posse amare rugibilitatem humanam: hinc habet fundamentum in ipsa Omniscientia, Omnipotentia & Omnivolibilitate concipiendi exigentiam quandam in essentia ad non nisi ita cognosci, ad non nisi ita produci, quæ exigentia independenter a

 nostro

nostro conceptu, cum non sit actualis, & tamen sit aliqua, debet esse non nisi fundamentaliter.

Probatur secundo. Si possibilitas absoluta creaturæ ex sola omnipotentia Dei esset repetenda, eadem omnipotentia explicari non posset, nisi per circulum, ut docet S. Thomas. Nam si dixerimus Deum esse omnipotentem, qui facere potest omnia, ad quæ ejus omnipotentia extenditur: hoc utique eo recidet, Deum esse omnipotentem, quia potest omnia facere, quæ potest: quod proprie est eo redire, unde sumus profecti, & in circulum revolvi. At licet Deus longe pauciora posset efficere, tamen illius virtus ita explicata nihilominus diceretur omnipotens. Itaque longe facilior Omnipotentiæ Dei explicatio futura est, si dixerimus Deum esse omnipotentem, quod efficere possit quidquid non repugnat. Cum enim inquirimus an aliquid fieri possit, non solam Dei omnipotentiam, seu possibilitatem extrinsecam expendimus, sed utrum res ipsa, de qua quæritur, contradictionem involvat. Hinc quærenti Mariæ Virgini, quomodo fieri posset, ut virgo cum esset, filium conciperet & pareret salva virginitate; respondit Angelus *quia impossibile non erit apud Deum omne verbum.* Id enim quod concipitur animo, quodque verbum mentis appellamus, non est impossibile. Nulla quippe rei impossibilis distincta idea & per proprias species haberi potest: cum repugnantes ideas, seu ut loquuntur, terminos involvat, uti mox dicetur ubi de Ente rationis chymerico.

Quære possibilitas rei ex duplici fonte oritur: ex non repugnantia, & ex potentia infinita, a qua creari potest id quod dicimus possibile.

Probatur 3. Quod nempe Possibilitas, per quam denominantur ut a forma proxime possibilia, etiam quando non existunt, sit intrinseca & identificata eum ipsis possibilitas. Intelligibilitas, quæ proxime denominat intelligibile objectum ut est in se, est intrinseca & identificata cum ipso intelligibili. Ergo & possibilitas &c. paritas enim est exacta inter intelligibile (loquendo semper ut est in se) & possibile: dicit quidem in obliquo remotiori tum ipsum possibile potentiam activam, tum intelligibile potentiam Intellectivam: sed id quod venit in obliquo proximo est illa possibilitas passiva indistincta ab ipso possibili; quemadmodum intelligibilitas objectiva extra omnem controversiam est obliquum proximum hujus concreti *intelligibile.* Sicut etiam obliquum proximum hujus concreti *ENS*, hoc est *essentia* est identificatum cum recto, unde alia paritas ad rem nostram. Neque huic conclusioni contradici potest nisi ex obfirmato præjudicio, quod hoc concretum *possibile* debeat constitui ex aliquo actu existente, & quod possibilitas debeat existere, sicuti iidem AA. sentiunt, quod futuritio & præteritio debeat actu nunc existere, ad hoc ut possit cogitari, & vere enuntiari, tum de possibili, tum de futuro, tum de præterito objecto. Nobis sufficit existere terminum essentialiter connotatum ab *possibili*, licet forma denominans non existat.

Igitur in prædicta possibilitate passiva considerantur duæ formalitates. 1. Relatio de genere transcendentali ipsius producibilis ad productivum (causam primam, & secundas). 2. Capacitas quædam per modum item relationis ad ipsum actum existendi seu existentiam.

XVI. Hinc etiam est, quod Essentiæ rerum tripliciter dicuntur esse ab æterno. 1. *Objective* in quantum cognoscuntur ab æterno a Deo, & quantum ad hoc, quod est cognosci, non modo sunt possibilia, sed etiam actu sunt, hoc est sunt intelligibilia actu intellecta. 2. *Entitative*, hoc est potentia entitativa & passiva, in quantum possunt produci a productivo æterno nempe a Deo: eo ipso enim entitative & passive possibilia sunt ab æterno in esse rei possibilis; nec tamen eo ipso habent ullum actum entitativum, quia sunt pure possibilia (pure autem possibile exponitur, potens existere quidem, sed non existens). 3. *Effective* seu potentia & possibilitate activa, in quantum possibilia continentur in virtute causæ æternæ, hoc est omnipotentia æterna identificat sibi virtutem ad producenda possibilia.

XVII. Incidenter hic notari velim, falso dici Deum non posse peccare, ponendo aliquam Impotentiam in Deo. Ratio, quia Impotentia habet Non-existentiam seu Mortem pro objecto. Et quidquid non-entis reperitur in quolibet esse, ab Impotentia emanat & operatur. Cæcus est homo, quia visu privatus est: potuit autem privari, quoniam non potuit resistere causis adversis: quamvis enim sit a gladiatore, vel ab humore influente, vel ab ustione privatus, nihilominus illæ causæ non privant, nisi id, quod privari potest. Posse autem privari Impotentia est secundum rem, non secundum vocem. Frigus quidem potest a calore occidi, quia non potest obsistere viribus, sed potentia occidendi est in calore. At calor neque occidit potentia, sed impotentia; occidit potentia active, impotentia formaliter. Calor enim solummodo effundit suam naturam, dum frigus occidit, hoc est calefacit: sed quia cum calore effuso non potest commorari frigus in eadem materia, utrumque enim esse suum procurat, ergo per accidens calor occidit frigus, dum seipsam generat & effundit active; sed formaliter occidit per se. Dum (videlicet) enim calor non est frigus, occidit omne quod ipse non est: quatenus ergo participat non esse frigoris, dat non esse frigori. Ergo & frigus patitur, quia non est calor: & calor agit quia est calor, sed occidit quia non est frigus. Ergo impotentia est ex parte frigoris, quasi activa; & ex parte utriusque formalis. Quoniam limes & forma eorum est, ut neuter sit alter.

Hinc patet Impotentiam corruptivam, non autem receptivam, esse proprie ad non esse tanquam ad Objectum suum. Impotentia enim ad recipiendum est ex abundantia potentiæ propriæ, qua potest dare & non accipere: & hæc est in Deo, & falso nomen Impotentiæ habet, cum sit summa potestas. Falso ergo dicitur Deus non posse peccare. Non enim *posse peccare* est potentia, sed Impotentia, defectus autem ab Impotentia est: igitur non posse deficere est abundantia potentiæ. Et hæc valde notanda sunt, ne potentiam pro impotentia, & e converso, sumamus.

XVIII. Redeuntes jam ad propositum, dicimus Deum per se non posse, nisi possibilia, hoc est, Entia, non autem non-entia, nec absoluta potestate, quoniam hoc esset Impotentia in eo. Nec potest facere duo contradictoria esse vera, hoc est quod idem sit & non sit. v. gr. quod ego scribam, & non scribam, simul & semel, eadem ratione qua non potest facere non ens: multo minus quod homo sit asinus, esset enim homo & non homo.

Narrat Campanella se vidisse in musæo Imperati Neapolitani lignum versum in petram (nec hodie adeo rarum, nam & egomet simila vidi) quod omnino videbatur

batur lignum, & omnino petra. Nec enim succus petrificus poros modo occuparat; (uti vulgo dicunt ferrum candens ab igne occupatum, quamvis Arriaga putet ibi duas formas eandem occupare prorsus materiam) sed nervos & corticem & os & medullam, & totam substantiam in lapidem converterat: unde videntur Campanellæ duæ species non contrariæ uniri: idem diceret quis cum Arriaga de igne & ferro. Ego autem cum Caramuele quæro, cur non homo & asinus uniri possint hypostatice, & dari possit Homo rudibilis, & Asinus rationalis seu risibilis? Animal saltem ridiculum foret, si non risivum.

Quare autem Deus non possit facere contradictoria, & possit non-ens, parum advertunt Veteres, sed dicunt hanc esse naturam contradictionis. Nos autem intelligimus, non-ens repugnare maxime summo Enti, & illud non posse fieri, nisi *per accidens.* Explico. Dicimus *per accidens* Deum posse, & facere, & scire & velle non-entia, dum vult hominem non esse asinum, & facit non esse asinum, & scit non esse asinum: sed hæc non-entitas permittitur, & ordinatur, non fit: & scitur & amatur propter entitatem, non propter se. Sic de cæteris.

XIX. Opponest. Quod res sit possibilis, id habet a Deo; ergo res idcirco est possibilis, quia fieri a Deo potest, non vicissim. *Resp.* dist. antec. Possibilitas rei respectiva & extrinseca activa, pendet a Deo. Conc. absoluta, passiva & intrinseca. N. Nam res ut creatura concipitur, pendet a Deo: sed in ratione entis possibilis non pendet a Deo, nisi quatenus de potentia in actum exire potest. Actus autem rei possibilis est existentia, quam a Deo & causis secundis accipit.

Instas. Vel esse possibile pendet a Deo, vel vicissim: sed hoc dici non potest potentiam scilicet activam Dei pendere a re posbili, ergo restat ut ens sit possibile quod fieri a Deo possit. *Resp.* Inter potentiam Dei, & rei possibilitatem esse dependentiam connexionis, qualis est inter relata, quæque non est mutua dependentia aut causæ ad effectum.

Contra, inquiunt, illa potentia entitativa est aliqua perfectio, eaque realis, ergo a Deo est repetenda, & res ideo erit possibilis, quia fieri a Deo potest! *Resp.* dist. ant. est perfectio negativa, nempe non repugnantia. C. perfectio positiva & actualis. N.

Instabis. Illa possibilitas passiva esset a se, ergo esset Deus. *Resp.* non est a se actu & in esse rei existentia, sed est a se potentis, & in esse rei possibilis; quod tamen claritatis sic subdist: secundum id quod possibilitas dicit constitutive. Conc. secundum id quod dicit connexive. N. nam connectitur seu connotat possibilitas illa passiva potentiam productivam, hoc est Deum.

SECTIO III.

De varia Divisione Entis.

XX. Dividunt Ens Peripatetici 1. In Reale & Rationis, & Ens reale partiuntur primo in per se, & per accidens. 2. In absolutum & respectivum. 3. In unum & multa. 4. In quinque Transcendentia, quæ sunt Ens, Unum, aliquid, Res, Verum & Bonum. 5. in Finitum & Infinitum. Sed Scotus contendit hanc esse primam, eo quod fiat per differentias intimiores. Entis differentiæ sunt modales, & non distrahentes neque contrahentes extraneo quodam modo, sicut differentiæ generis apud Peripateticos.

Nobis autem non videtur Ens dividi in Transcendentia, cum ipsum sit unum ex transcendentibus. Item arbitramur transcendentia non dici tantum de Entibus realibus, sed & rationis. Nomen enim, & Syllogismus & Oratio sunt veri, boni entis, vel bonitate subjecti, sicut affectiones entis, vel etiam sua, quatenus ad id propter quod sunt, boni sunt; & veri, id est ad significandum, & cum multa relativa ponantur entia rationis, imperite distinguunt ens reale in absolutum & relativum: & in per se, & per accidens, cum & in ente rationis hi modi reperiantur.

Sufficientia & ordo Peripateticorum fundatur in eo, quod Intellectus primo cognoscit Ens; mox oppositum Non-ens; mox divisionem a non-ente positam. Deinde Ens ut indivisum in se, & sic est unum. Deinde ut divisum ab aliis & sic est *aliquid* quasi aliud quid; & tunc sequitur *Res*, quoniam dicit quidditatem in divisam in se & divisam ab alus. Deinde *Verum*, quia est objectum intellectus, qui prior est voluntate, & deinde *Bonum* ipsius Voluntatis.

Quærentes Peripatetici quid rerum genera distinguat, & quid distincta constituat: & quare potius in uno genere, quam in alio, hæc vel illa entia adunentur, & quare non sit unum genus primum, unde alia oriantur genera? Respondent, non posse dari genus unum omnium ipsorum propter diversitatem rationum formalium: nam etsi conveniant sub Ente, & Bono, & Vero & Uno; Ens tamen æquivocum est illis, ait Porphyrius. Æquivocum autem voce & non ratione commune est.

Arist. vero in princ. 4. Metaph. & in princ. 12. putat unum esse vere Ens, quod vocat Substantiam: Cætera vero non esse Entia, sed Entis aliquid, & respectu substantiæ habere essentiam, quatenus aliquid ejus sunt. Et veluti (inquit) *Sanum* dicitur de animali essentialiter & vere; de urina autem & de medicina non dicitur vere, sed secundum quod referuntur ad Animalis sanitatem; urina est sana, quatenus est signum sanitatis; medicina est sana, quatenus causat sanitatem in animali. Per se autem nec medicina nec urina sanæ sunt: ita per se Ens est substantia; alia vero ab ipsa sunt Entia, quia signum ejus sunt, aut via ad substantiam, aut motus ejus & generatio aut corruptio ejus. Et ita vilificat omnes entitates, ut negationibus ipsas comparet. Sicut enim dicitur Homo non-asinus, & cæcus, & denominatur a non-entibus; ita dicitur Substantia quanta, qualis, ad aliquid, agere, pati, in loco, in tempore, & positu seu situ, & habere; quæ sunt novem accidentia: non enim sunt vere entia præter substantiam, nisi ejus denominationes; & non quod, sed quo substantia est talis, vel sic.

XXI. Propterea dividunt Ens Peripatetici in *Per se*, quod vocant Substantiam: & *per aliud* & *in alio*, quod vocant Accidens: essentialeque putant Substantiæ *esse*; accidenti vero *inesse*. Accidens postmodum secant & subdividunt in 9. Prædicamenta seu summa genera, uno dato substantiis.

Rationem, qua Prædicamenta sint 10. numero, & hæc potius quam alia, nullam assignat Aristoteles, nisi quia *Esse* tot modis significatur, quot dicuntur Prædicata. "Igitur quia, quæ prædicantur, alia dicuntur Quid, alia Quantum, alia Quale &c. ideo *esse* toties significatur, ubi ex modis dicendi, modos significandi & Essendi proponit. Alibi vero ex relatione ad Substantiam ipsa videtur assignare, unde, inquit, maximus

ximus quidem inter Peripateticos, tripliciter ad subjectum potest se habere prædicatum.

Vno modo, cum est id quod ipsum subjectum, ut cum dico: Socrates est animal, & hoc prædicatum significat substantiam primam, id est particularem, de qua omnia prædicantur.

Secundo modo sumitur prædicatum secundum quod inest subjecto, & sic vel inest per se & absolute, ut consequens materiam, & ita est Quantitas: vel ut consequens formam, & sic est Qualitas. Vel toest ei non absolute, sed in respectu ad aliud, & sic est ad aliquid.

Tertio modo ut prædicatum sumatur ab eo, quod est extra subjectum: quod quidem si non sit mensura subjecti, prædicatur per modum Habitus, ut cum dicitur: Socrates est calceatus vel vestitus. Si autem sit mensura ejus, cum mensura extrinseca sit, vel tempus, vel locus, sumitur prædicamentum, vel ex parte temporis, & sic erit Quando; vel ex Loco, & sic erit Vbi, non considerato ordine partium in loco, quo considerato erit Situs.

Alio modo ut id, a quo sumitur prædicamentum secundum aliquid sit in subjecto de quo prædicatur, & si quidem secundum principium, sic prædicatur ut Agere, nam actionis principium in subjecto est: Si vero secundum terminum, sic prædicabicabitur ut Pati: nam passio in subjectum patiens terminatur. Hæc ille.

XXII. Quæ quidem præstat transmittere, quam impugnare, uti possent. Eadem quippe ratio quæ suadet multiplicare Prædicamenta Accidentium, suadet quoque Prædicamentum substantiæ subdividere v. gr. in Corruptibile & Incorruptibile, quæ juxta Arist. 10. Metaph. differunt plus quam genere. Iterum recte quidem ex Aristotelis dogmate, juxta modum prædicandi de substantia prædicamenta venatur: verum non satis declarat quod vult. Si enim Accidentia constituunt Prædicamenta quatenus significantur in abstracto, quia sic, ut ibi dicit contra Avicennam, sunt partes Entia per se, in Concreto vero Entis per accidens, quod in Prædicamentum non ingreditur: ergo non erunt Prædicamenta a modo prædicandi de substantia: sic enim sunt concreta & per accidens, sed a modo existendi per modum substantiæ, sicut ipse dicit in abstracto; quo quidem modo non prædicantur de substantia sed de se invicem, superius de inferiore, ut albedo est calor, scientia est habitus &c.

Item si Prædicationes per modum substantiæ constituunt Prædicamentum, & omne Ens propriam habet essentiam, seu substantiam (ut ipsi loquuntur) tunc debuit unum Prædicamentum de essentia fieri, in quo omnes modi prædicandi inter se ejusdem generis continentur. Non enim minus substantialis est hæc, *albedo est color*, quam *Socrates est animal*, ergo si sit primus modus prædicandi, juxta mox dicta, quando prædicatum est idem cum subjecto; secundus quando inhæret subjecto; tertius quando denominat ab extrinseco; igitur eum in hac prædicatione, albedo est color, & triangulus est figura, dicatur de subjecto id, quod est subjectum, ut in primo; non sola erit prædicatio hæc constituens substantiæ genus, sed omnia genera. Patet, nam Genera sunt diversa, ut ajunt, a diversis modis essendi, & faciunt prædicationes essentiales sub se cuncta: quatenus autem genus de altero prædicatur, fit accidentalis prædicatio: non ergo hoc accidentale facit genus, sed essentiale: & ita sane ordinantur Prædicamenta: tam enim accidentalis est hæc: Pater, vel albus, vel musicus, est homo, quam ista: homo est albus, vel musicus, vel pater. Nam & hæc: triangulus est ligneus, ab Arist. accidentalis dicitur, recte; & in Prædicamento ad aliquid, dicitur, quod servus refertur ad Dominum in quantum Dominum, non in quantum hominem, aut bipedem, aut animal: hæc enim ait accidentia sunt Domino quatenus relativo, sicuti esse vicinum refertur ad vicinum: accidit autem vicino esse columnam vel hominem, & ita dices de cunctis generibus. Non ergo prædicamentum substantiæ facit prædicatio prædicati quod est idem cum subjecto: nam in omni genere est hæc identitas intra suam categoriam. Quapropter facienda erant duo Prædicamenta analoga, alterum de Essentia, alterum de accidente, quod copulat diversas essentias. Deinde constitutis Vnivocis essentiarum categoriis, sufficiebat unum Prædicamentum de Accidente, pertinente ad existentiam exteriorem: nisi velimus conficere plurima accidentalia, quot nimirum sunt conjunctiones cujuslibet generis diversi cum quolibet genere diversu.

Porro nec recte docet prædicata inhærentiæ absolute esse duo: alterum a Materia scilicet Quantitas: alterum a forma, scilicet Qualitas: & unum respectivum scilicet ad aliquid. Quantitas enim ex non quanto fieri & fluere nequit in doctrina Aristotelis: nec enim lineam facit ex punctis, sed ex lineis; nec corpus ex superficiebus, ut docet contra Platonem. Quomodo ergo nunc ex materia penitus incorporea, & magis non quanta quam punctus, fluet corpus & quantitas, cum nec ex punctis & superficiebus quantis fieri possit Aristoteli? Si dicas illud propterea habere ut causet quantitatem, quod formæ materia unitur. Nihil dicis, hoc ergo non a se, sed a forma illi venit. Quæ rursus cum nec sit quanta, non potest quantitatem dare: multo autem minus materia, quæ est potentia tantum passiva, cujus est recipere solum, non dare; palam enim erit quod nec compositio nonquantorum faciet quantitatem, quandoquidem Peripatetici punctum puncto additum quantum non facere majus decernant.

Rectius ergo ponimus nos corpus substantiale, ut & docet S. Thom. opusc. 42. fortiri quantitatem cum certos terminos adipiscitur, quantitas enim terminus & mensura substantiæ est: corpus autem physicum substantia est. Et quia forma ipsum determinat, forma dat ipsi quantitatem (terminatam, seu tantitatem) quatenus quantitas est mensura tantæ, videlicet materiæ, quanta sufficit formæ eam occupanti, ut patet in omnibus.

XXIII. Qualitas autem mox sequitur ut modus tantæ quantitatis seu magnitudinis. Quapropter non ex materia non quanta fluit quantitas, nisi sumatur pro corpore substantiali, quod nobis est ipsa materia: sed a certo gradu & usu formarum, quæ statim terminatæ moli dat figuram sive intraneam sive extraneam, quæ *Qualitas* est, modusque passivi activique principii. Illud est a forma, præcipue Aristoteli & D. Thomæ, nec minus falsum, omnem qualitatem a forma prodire, de activis enim qualitatibus (quas hic supponimus) verum est, ut de caloris gradibus & temperiebus, non autem de passivis. Non ergo Prædicamenta Quantitatis & Qualitatis sunt a Materia & Forma physica tantum, nec Vnivoca. Plura vide apud Campan. Lib. 2. Met. cap. 3. art. 6. p. 116.

Dubium

XXIV. Dubium quoque occurrit, Vtrum Ens, quod in Prædicamenta distribuitur & in Substantiam & Accidens, dicatur ab *Esse* seu *Existere*, secundum quod transcendens est: an ab *essentia*, quæ abstrahit ab existentia? Nam *Ens* duplicem habet significationem: vel enim pro essentia rei accipitur, tumque habet vim nominis substantivi; vel sumitur adjective aut velut participium verbi substantivi; tumque rei quodammodo accidit. Omnis enim creatura existit contingenter. Quodnam ergo Ens dividitur in primo Prædicamenta? si nominaliter dictum, ergo ipsum non est transcendens, ut Arist. sæpe docet, sed quid aliud videlicet Ens participialiter dictum: sed hoc est præter essentiam rerum ergo non potest in decem genera rerum partiri. Ambigue loquitur hac de re D. Thomas: Nam 1. p. q. 5. & 6. & in Verit. q. 21. videtur sentire quod Ens participialiter sumptum dividatur in 10. Prædicamenta, ut infert quoque Cajetanus in Lib. de ente & essentia: Econtra Ens nominaliter, hoc est pro Quiditate seu essentia sumptum ita dividi, suadet ratio, probatque D. Thom. in 1. cap. de Ente & essentia. Prædicamenta enim abstrahunt ab Existentia, & statuuntur per quidditates. His itaque missis pergamos in partitione Entis.

Prima quidem & summa Entis divisio est in *Ens reale*, & *Ens rationis*. Illud existit in rerum natura, aut saltem potest existere. Ens vero rationis nihil est prærer figmentum intellectus. Verum quia hic terminus Ens rationis magnam patitur æquivocationem, & in vario sensu accipi solet, ut clare procedamus, subsectione speciali de Ente rationis (Logico, & chymærico) quid sentiendum exponemus.

SVBSECTIO VNICA.

De Entis divisione in Reale, & Rationis.

Neoterici, ait profundissimus Campanella L. 5. Met. c. 1. art. 4. incessanter disputant de Ente reali, quod ante Rationis actum in rerum natura reperitur, & de Ente Rationis, quod ex opere intellectus habet esse. Exque his duobus Scientias in Rationales & Reales partiuntur: nec tamen satis perspectum habent quid Ens Rationis sit. De hoc autem sic discurrit, supponitque, quod omnis scientiæ atque Artis, etiam realis, nedum Rationalis, ideatio & Regula sit Ens rationis, imagines ordinantis.

XXV. Ratio, non est Ens rationis, sed rei. Operationis Rationis primæ, ut nosse, intelligere & ratiocinari, sunt reales actus rationis, ut res est. Dicitur ergo apud Philosopbos Ens Rationis, non quod a Ratione primitus realiter operante circa se & objecta. Nec quod est objective in ratione, ut Sol, homo, Deus &c. nec quod subjective, ut ejus discursus & qualitates. Sed quod fit a Ratione in rebus, sive in se ut res est, non existens ante ejus secundam considerationem, qua res sibi accommodat, notando, distinguendo, componendo notiones otiliter.

XXVI. Distinguunt quidam Ens Rationis in *Negationes, Privationes & Relationes*: Sed profecto privatio v. gr. Cæcitas, & Negatio, ut noo-videns, & non-homo, & non-ens, sunt Nihil & non-entia simpliciter in natura, ante actum Mentis, & revera negant & privant formaliter: sed dicuntur Entia-Rationis, quoniam coocipiuntur ab intellectu (per species alienas) ut Entia, & loquimur de illis per *esse*: ut, homo non est Asinus, sive homo est non-asinus: nihil est nullibi &c. sunt enim Notiooes. Relationes quoque sunt a parte rei, & columna realiter fit mihi dextera. Sed quidquid invenit Ratio, ad rerum notitias proprias, aut ad proprium opus relatum, quod in rebus non est, sed ad Res spectat, dicitur Ens-Rationis, ut vocabula, prædicabilia, propositiones, syllogismi, Regulæ Artium (hæc vocantur Entia Rationis Logica). Qui autem & phantasticas Chymæras & sophismata absque usu rationis addunt, falluntur. Non enim sunt Entia Rationis, sed deceptionis & irrationalitatis, velut ægtorum & delirantium.

XXVII. Dico igitur, Ens Rationis utiliter fieri ab imaginante anima; & quidem triplex: Aliud habet fuodamentum reale, & rerminum realem, ut cum ex visa Insula Siciliæ, imaginor mihi qualis esse potest Insula Britanniæ non visa mihi: & hæc imaginatio est purus discursus. Secundo, quando ex imaginibus realibus, non reales fingit imagines, aut componendo, ut montem aureum, ex speciebus montis & auri: aut dividendo, ut cum acephalom facio ex speciebus divisionis & colli hominis commistis: aut componendo & dividendo simul, cum centimanum simul acephalum fingimus, absque finali causa & usu. 3. Cum addimus osum, faciendo imagines proficuas ad significandum aut operaodum: tunc scientiarum instrumenta, sive speculativa, sive mechanica, paramus.

Vocabula ergo, ut nomina significantia essentiarum, & verba significantia actus, & syllogismos exemplantes & regulantes discursum Mentis, & genera & species, rerum commotitates, & fabulas & metaphoras, utiles ad docendum imperitos & nolentes audire: & prædicamenta ad notionum domicilia, & stratagemata &c. Entia rationis esse palam est, & horum Regulæ suot Instrumentales scientiæ declarativæ, & regulativæ operum animæ realium; & vocantur secundæ intentiones Peripateticis, & Relationes rationis, quia secundo fiuot & referuntur ad primas reales operationes & objecta.

At cum extra imaginamur quid, & ideamus ad regulam cognoscendi & operandi, dicuntur entia rationis etiam, ut scriptura, Astrolabium, statera moneta, aliaque ejusmodi organa artiom, Cognoscitivæ præsertim sarvientium.

XXVIII. Hinc valde incusandi sunt scioli, volentes illud solum Ens rationis, quod in re esse non potest, nec fieri a Deo, ut homo-asinus, & hircocervus & cbymæra; aliaque hujusmodi. Hæc enim cogitare, & facere opere manuali, est inutile ac sæpe noxium. Et dicuntur Ens deceptionis activæ vel passivæ. Vel enim ex his fallimus, aut fallere volumus. Sic fabulæ & chymæræ ubi non prosunt. Nam si chymæra fit Platoni ad designandum compositionem hominis ex rationali, & irascibili & concupiscibili, est Ens rationis. Sin vero ot decipiant, ut qui fingunt idola & sophismata, est Ens irrationalitatis. Potest enim hæc intus & extra fieri, aut pati a nobis, ut cum video remum fractum in extremo aëris & aquæ, cum sit solidus & integer: & res omnes croceas oculis crocea bile affectis: tunc ens deceptionis extrinsecus est & passivæ. Si autem pingatur a Polycleto est Ens Rationis, quoniam ad repræsentandam deceptionem, non ad asserendam: Ars enim sic facit. Si animus hæc repræsentata in somnis, vel in vigilia, vel in ægritudine sic esse asserat, decipitur & non facit Ens Rationis,

tionis, potius autem phantasiæ & deceptionis & irrationalitatis; ut Maniaci fingentes se vitreos, aut enormiter nasutos. Facientes idola astuti, ut adorentur, & sophismata, ut fallant, faciunt Ens irrationalitatis, non patiuntur, nisi & ipsi credant sic esse.

Ens igitur naturale & artificiale sunt Ens Rei & Rationis, sive intus sive extra sic artificiatum. Scientiæ ergo Instrumentales omnes versantur circa Ens Rationis intrinsece vel extrinsece? Principales circa Ens reale commune: particulares, circa partem Entis & objectorum Principalium. Ita vir doctissimus, loc. cit. Idem Lib. 2. c. 3. pag. 133. Est controversia, inquit, inter Metaphysicos de Natura Entis Rationis: videtur enim non esse in re, sed a ratione fieri ex his, quæ in re sunt, ut Genus, nomen, verbum, divisio, compositio, universalitas, quæ tamen non fiunt nisi ob similitudinem a rebus acceptam: unde & vocabula hæc omnia translata sunt a Politicis & physicis rebus ad Logicalia.

XXIX. Propterea alii dixerunt, Ens Rationis esse vel Relationem, vel Negationem. Sed profecto & Relatio est realis, ut inter Dominum & servum, Calefaciens & calefactum: & negatio est realis; realiter enim homo non est asinus, ergo habet in se realiter negationem asinitatis. Dicitur tamen negatio Ens Rationis, quatenus a ratione concipitur ut Ens; non-ens enim non est conceptibile. Neque potest dici nonens esse non-ens, quia *esse* non affirmatur de non-ente, sed quia sic concipimus, ita loquimur.

Quidam dicunt subjective, & objective & collative fieri Ens rationis. Sed quoniam si intellectus subjicitur speciebus realiter, species illæ reales erunt. Præterea nec objicitur intellectui, quod non est; prius enim est, quam moveat & objiciatur. Idcirco neque objective, neque subjective videtur ponendum Ens rationis.

Propterea alii consequi, aut resultare, non fieri Ens rationis putant. Si enim fit a Causa reali, est Ens reale: sed durum est aliquid consequi nullo causante priori, nec posteriori: nomina enim & logicalia vere ab intellectu fiunt.

Propterea forsan dicendum est Ens rationis, quando non est in re, neque rebus correspondens, ut chymæra & negatio: non autem negatum & chymæratum, quorum utrumque in re est, sive in intellectu, sive extra. Intellectus ergo phantasiando facit Ens rationis collatione & compositione propria, rebus non correspondente. Species ergo Montis & auri sunt reales animo: compositio vero ipsorum Ens rationis. Quapropter Ideæ propriæ rationis nostra sunt Entia rationis; quæ vero sunt in Natura & in Deo, sunt Entia realia. Et sic Deus fingit realia entia, sic intellectus noster Entia rationis absque fine.

Propterea dicendum putat, quidquid est ante opus intellectus nostri in Natura, esse Ens rei: quidquid additur ab humano intellectu, propter commodum hominis, esse *Ens rationis*, id est artis nostræ; sive in anima fiat, ut fabula, nomina, definitiones &c. sive extra animam, ut domus, navis, astrolabium &c. si frustra, erit Ens deceptionis, activæ vel passivæ, vel utrique; ut *τὸ Deus non est: sunt Centauri: album est nigrum. Nihilum est*, cum ejus essentia sit non esse: in quo intellectu est realiter ante intellectus considerationem. Ita visum Campanellæ.

Ex quibus patet æquivocatio Vocabuli *Entis rationis*, passim enim usurpat pro operatione vel opere intellectus, cum tamen ab aliis definiri soleat, esse id quod habet tantum esse objectivum in intellectu. Nobis autem videtur

XXX. Dicendum: 1. Ens rationis multifariam sumi. 1. *Subjective*, id est quod habet pro suo subjecto intellectum seu rationem: hoc sensu cogitationes Mentis & species intellectuales sunt Entia rationis. 2. *Directive*, & sumitur pro eo quod est causatum a ratione dirigente, ut sunt operationes artificiosæ. 3. *Effective*, pro eo quod physice efficitur ab intellectu, ut intellectiones qualibet &c. 4. Denominationes extrinsecæ, seu termini secundæ intentionis, ut vocant, dicuntur a Thomistis Entia rationis, de quibus infra. 5. *Objective*, sic quodvis objectum intellectus hoc ipso quod cognoscitur, dicitur habere esse intentionale; sed hoc nihil est aliud quam terminare cognitionem. Pro quo

Notandum bene, dupliciter posse aliquid esse *objective* in intellectu. 1. Ita, ut ad sui cognitionem præsupponatur in rerum natura saltem secundum possibilitatem v. gr. alter Mundus. 2. Etiamsi nullum esse habeat, nec possibile quidem, sed quia cognoscitur ejus impossibilitas: ad modum possibilitatis, dicitur *habere esse objective tantum in intellectu*, seu esse fictum. Et de hoc ultimo modo essendi in intellectu est principaliter præsens controversia, an scilicet simile quid detur, aut dari possit, quod in genere causæ efficientis accipiat ab intellectu, quod simpliciter repugnat poni in rerum natura: & hoc est illud celebre Ens-rationis quod Chymæram appellant, sumpta occasione de monte ejusmodi in Lycia, cujus in fastigio Leones, in clivo capræ & serpentes in valle ad radicem habitare dicuntur. Et quia Bellerophon hunc montem reddidit habitabilem, fingitur occidisse Chymæram.

Quæritur ergo hic non de Impossibili morali aut physico, quæ absolute non sunt possibilia, sed de impossibili chymærico, hoc est identificante duo contradictoria, quod communiter dicitur Impossibile metaphysicum. Rursus non loquimur de hoc ipso impossibili mere putativo & apparenti, quod nempe alicui ita videtur, sed re vera non est impossibile.

Porro *non ens* (hoc est non habens essentiam) *impossibile, chymæra*, sunt synonyma; plerumque enim cum loquimur de impossibili, loquimur de identitate inter duos terminos repugnantes, perinde ac si essent necessarii, v. gr. cum dicis: *homo est equus*, perinde proferses eos terminos, ac sequentes: *homo est risibilis*: sed quadruplex impossibilium est classis, nimirum *per coëxistentiam, per non-coëxistentiam, per identitatem, per distinctionem realem*. Exemplum 1. Cursus Petrus & negatio cursus Petri coëxistit. 2. Creatura existens non coëxistit Deo. 3. Identitas realis hominis & equi. 4. Distinctio realis hominis & risibilis. Iam quæstio est an hæc propositio *quatuor sunt decem*, & huic similes, quas lingua profert, etiam mens formare possit.

XXXI. Dicendum 2. A nullo intellectu posse cognosci impossibile chymæricum ut est in se, adeoque proprie loquendo non datur ens rationis metaphysicum. Ita P. Ioan. Bapt. Ptolomæus dissert. 41. Logico-Metaph. sect. 2. concordans Illustrissimo D. Caramueli, cujus verba inferius referemus. Demonstratur hæc assertio. Abscisso capite cognoscibilitatis, hydra

hydra hæc imposſibilium facile vincitur. Profert quis oretenus hanc propoſitionem: *quatuor idem ac octo*, quemadmodum homo idem ac animal rationale. Ea ratione, qua eſt imposſibile affirmare hoc ipſum (mentaliter) *quatuor ſunt octo* (modo terminos intelligas); eſt imposſibile apprehendere hoc ipſum ut eſt in ſe, hoc eſt unum totum & idem, quod ſit ſolum *quatuor*, & ſimul ſit *octo*. Nam ut evidenter falſum nullus intellectus poteſt affirmare; ita non poteſt apprehendi ut eſt in ſe, eſſe identitatem, quod evidenter apparet eſſe diſtinctionem, & quod determinat & neceſſitat ad affirmandum evidenter, eſſe diſtinctionem. Dicimus itaque duos terminos evidenter notos diſtinctos eſſe realiter ut ſunt in ſe, & ſtatim ac apprehenduntur clare, & diſtincte determinantes ad affirmandum hoc ipſum evidenter; non poſſe venire in mentem ut ſunt in ſe cum identitate objectiva inter ſe: hoc eſt imposſibilem illam identitatem ut eſt in ſe cognoſcibilem non eſſe. Ita Ptolomæus.

XXXII. Caramuel vero in epiſt. quadam data Viennæ in Auſtria Ao. 1654. 13. Iulii ad amiciſſimum ſibi P. Malachiam Niderhofer profeſſum Alderſpaci Ord. Ciſt. in Bavaria infer. poſt ibidem Av. tem &c. inter cætera hæc habet: "Entia-rationis dari nego: "Entia linguæ ſubſtituo: nec exiſtimo aliud poſſe pro- "bari, quam Entia linguæ. In hac materia, ut lo- "quar libere, Viri magni, cæcutiunt. Et quia ſunt "aliqui qui dicunt, ſe poſſe mente hanc propoſitio- "nem formare; *homo eſt irrationalis*, dum rideo, in- "terrogo: An id credant? hoc aſt, dum ita loquun- "tur, credant hominem irrationalem eſſe? Sane ſi id "non credunt, non aſſentiuntur: ſi non aſſentiuntur, "non formant; quia formare mente affirmativam "propoſitionem, aſſentiri eſt. Hanc ego propoſi- "tionem non formo, nec poſſum formare mente; ſed "lingua a te formatam apprehendo. Concipio per "apprehenſionem ſimplicem iſtos duos terminos; *ho- "minem* videlicet & *irrationalem*; Et etiam concipio "illud *eſt*, hoc eſt identificationis notam, & actu refle- "xo *judico me concipere humanitatem & irrationalita- "tem identificatas de facto in tuis verbis*, *quæ tamen a "parte ſunt identificationis incapaces*. Hoc judicium "eſt verum, & veritas ad res pertinet, non ad chymæ- "ras. Ens rationis eſt mendacio ſimillimum, aut po- "tius ſpecies mendacii: propoſitio enim imposſibilis "dicitur chymærica; falſa vero, ſi contra mentem "(imposſibilis ſit, aut posſibilit) mendacium. Dicit "Petrus: *Julius Cæſar eſt hic*. Ego qui ſcio contra- "rium, aſſentiri non poſſum: at poſſum concipere Iu- "lium Cæſarem, & iſtum locum, & pronuntiare illos "verbis conjungi, non re. Ergo eodem modo de "entibus linguæ philoſopheris: nec opinor majori hic "arte aut eruditione indigere.,,

Confirmatur ex eodem. Qui dicunt ſe poſſe concipere *album carentem albedine, creaturam independentem, triangulum quadratum, circulum triangularem*. Qui formare hæc judicia, *album non eſt album, creatura non dependet &c.* Qui formare hos diſcurſus, *eſt album quia non eſt album, eſt creatura ergo eſt ens a ſe &c.* Videntur habere ingenia quaſi e quercu exciſa; aut nati in Querci-Campania, quæ in primat veritates impingant, ne debilia videantur; quæ opus eſt dolare & polire cœlo robuſto & pertinaci. Sic arguendo: Qui poteſt concipere duos terminos contradictorios in eodem ſubjecto, poterit etiam aſſentiri duabus contradictoriis; hoc ſecundum non poteſt, ergo nec primum, maj. prob. quia ſi concipis Petrum album & carentem albedine, poteris elicere hos aſſenſus: Petrus eſt albus & Petrus non eſt albus: primus eſt verus, quia album eſt album; ſecundus eſt etiam verus, quia carens albedine non eſt album, ergo darentur duæ contradictoriæ ſimul veræ, min. prioris ſyllogiſmi prob. aſſentiri, eſt judicare propoſitionem eſſe veram; diſſentire, eſt judicare propoſitionem non eſſe veram, ergo imposſibile eſt aſſentiri propoſitioni cum judicamus eſſe falſam; diſſentire cum judicamus eſſe veram; atque imposſibile eſt duas contradictorias eſſe ſimul veras, ergo homo non poſſet aſſentiri duabus ſimul contradictoriis.

XXXIII. Ex his infertur linguam inſolentiorem eſſe mente, & in aliquibus potentiorem: Lingua format has propoſitiones. Deus non eſt, ſeu Ens neceſſario exiſtens non exiſtit; ternarius eſt quaternarius, quadratum eſt rotundum, ens rationis aſt inconceptibile, quarum ultima etiam juxta Adverſarios non ſubſiſtit, ergo fatendum aliqua poſſe linguam proferre, quæ mens (quam ſæpe prævertit) nequeat concipere.

Objic. cum Vasquez. Negari ſaltem non poteſt, nos formare hanc propoſitionem vocalem: homo eſt inſenſibilis. Concedo, & hoc vocamus Ens linguæ, quia propoſitio hæc tantum a lingua, non ab intellectu formari poteſt. Pergis. Hanc cognoſcit Deus. Vtique. Ergo facit ens rationis. Nego conſequentiam. Probas. Si Deus mente ſua retinet (primario aut ſecundario) chimæram, licet fictam ab homina lingua, *Sermonis monſtrum*, virtute intellectus ſui conſervat, ergo ens rationis facit & fingit. Patet conſequentia, quia illud eſſe objectivum quod tunc habet, habet a ſola mente Dei. Reſp. Deum ſua ſcientia infinita non conſervare, ſed deſtruere chimæram, quam homo aſſeruit. Conſervare enim eſt dare rei eſſe ſimile primo, quia dare aliud eſſe diſſimile, eſt corrumpere, & reducere ad ſtatum alium. Chimæram profert homo, audit Deus: homo aut fallitur, aut revera mentitur: Deus vero non aſſentitur homini, ac ideo non decipitur, nec ens rationis format: non aſſeverat, & ideo nec mentitur, nec decipit: cognoſcit hominem mentiri, & hoc eſt verum, ergo cognoſcit veritatem. Mente ſua chimæram non conſervat, quia Mens Dei non exprimit monſtrum hoc, uti lingua. Hæc aſſertiva enunciat *hominem eſſe irrationalem*, Deus apprehendit aſſertum hoc, & apprehendit extrema inter ſe incomponibilia, & judicat vocalem illam hominis & irrationalitatis connexionem diſſonare ipſis rebus, quæ omnia vera ſunt.

Ex his patet ſolutio ad ſimilia, qualiter Deus nihil omnino concipiat imposſibile. Quod magis declarabitur infra, ubi de Non-ente ſeu nihilo, & Negationibus agemus.

XXXIV. Dicendum 3. Dato, non conceſſo, quod prædicata contradictoria intellectus noſter poſſit de ſe invicem prædicare, (maxima ubi non ſunt expreſſe & evidenter contradictoria) non ſequitur adhuc dari Ens rationis, quod definitur habens eſſe objective tantum in intellectu. Probatur, ad hoc ut fingam Hirco-cervum, utor ſpecie impreſſa Hirci realis, quam ſuppono aut poſtulo dari in meo intellectu; & eodem modo ſpecie hirci, & ſimiliter ſpecie unionis realis, ſi velis, qualis eſt inter corpus & animam, & elicio unam cognitionem, quæ per eſſentiam ſuam eſt talis

 tendentia

tendentia in hæc extrema ut ea seipsa uniat & repræsentet per seipsam tanquam si essent unita, cum tamen in seipsis sint disparata & disgregata, nec uniri physice possint: & sic facio illam propositionem: *Hircus est Cervus*, non quod τὸ *est* habeat pro objecto aliquam identitatem impossibilem ex parte objecti efficitam, sed quod sit ipsa propositio formalis exprimens in se tanquam in imagine naturali, ut unita, quæ in seipsis sunt disgregata. Ecce! totum hoc complexum reale est, tam Hircus, quam Cervus, quam etiam ipsa cognitio, quæ est unio formalis & extrinseca illorum extremorum, quæ omnia sunt entia verissima a parte rei. Conclusio sic explicata, probatur. Quia in hoc explicandi modo salvantur omnia circa affirmationem & negationem propositionum, quæcunque etiam contraria sententia docet, ergo cum aliunde superflua sit in intellectu virtus illa. Effectiva talis identitatis fictæ, hoc modo recte tota differentia expeditur.

XXXV. Objicies plausibiliter. Vel concipitis quod negatis Ens rationis, vel non concipitis? si concipitis, ergo facitis ens rationis, quia esse tantum consistit in conceptu. Si non concipitis, ergo imprudenter negatis quod nescitis quid sit. Resp. 1. retorquendo ad hominem sic: aliqui vestrum negant Ens-rationis simplex, hoc est, concipi posse formalitatem simplicem impossibilem. Iam sic. Vel concipis quod negas, vel non concipis? ergo vel concipis Ens rationis simplex, & facis; vel non concipis, & male negas cum nescias quid neges. Resp. 2. Nos concipere Ens rationis & impossibili *in actu signato*, non autem *in actu exercito*. Cognoscere in actu signato dicimus, cum cognoscimus in semetipsis illa, quæ dicunt expresse aut saltem inferunt contradictionem; cognoscimus vocabula partium seu extremorum contradicentium conjungi vocaliter: verbo, quid requirant Add. ad fabricandum ens rationis chimæricum: sed non in actu exercito per assensum illa conjungere in mente. Resp. 3. Negando absolute illam propositionem universalem scilicet quod nihil possim negare quin illud concipiam, loquendo de negatione quæ sit propositio vocalis, esto nihil possim negare mentaliter, quin illa habeat objectum. Quod ostendo. Fiat enim hæc propositio vocalis: *hoc est inconceptibile*: item hæc: *illud quod omni modo est inintelligibile, est inconceptibile: illud quod omni modo est inconceptibile, non potest esse objectum mei discursus*, & similes aliæ. Atqui in hujusmodi nihil possum habere pro objecto significatum per ista verba, ergo possum formare propositionem vocalem, quin habeat objectum positivum. Et hoc adeo clarum est, quam dari terminos vocales nihil significantes, ex quibus fiunt propositiones Grammaticales. Hinc distingues terminum vocalem a mentali, quod detur dictio vocalis nihil significans seu carens objecto: secus Mentale verbum sine objecto, eo quod dictio mentalis essentialiter sit imago objecti, apud Deum enim non est impossibile omne Verbum, hoc est omne Verbum est possibile. Talis ergo dictio, aut propositio vocalis mere grammaticalis erit ista: *Datur Ens-rationis*, cujus sensus est: hoc nomen Ens-rationis nihil significat ex parte objecti, sicut blictri.

Iuxta tertiam vero Resp. Ens rationis erit totum quoddam concretum inexistibile eo modo quo objicitur menti nostræ; licet alias constet ex partibus realibus; cum & entia, quæ sic uniuntur intentionaliter per cognitionem sint entia realia, & cognitio ipsa uniens intentionaliter est quid tale & actuale, ergo omnes partes in hoc toto sunt reales, & non tantum objective in intellectu.

XXXVI. Dicendum 4. Qui ad fingendum Ens-rationis (de quo hic loquimur) requirunt ex parte objecti unionem identatis fictitiam inter extrema v. gr. hirci & cervi naturas, coguntur admittere processum in infinitum, aut formalitatem simplicem impossibilem. Demonstratur hoc argumento. Illa unio objectiva ficta est realiter impossibilis, ergo constabit partibus saltem logice, aut erit omnimode simplex. Si prius, illæ partes unionis qua talis, vel uniuntur seipsis, vel unione tertia mediante? Non seipsis, quia alias tota unio erit totum possibile, utpote constans ex partibus non repugnantibus. Si ergo alia indigeant unione, de illa iterum quæro, an sit possibilis vel impossibilis? si possibilis, ergo & tota unio præcedens erit possibilis, contra concessa. Si impossibilis, ergo iterum composita ex incompossibilibus partibus, quæ indigeant tertia unione conjungi; & sic sequitur manifestus processus in infinitum. Q. e. d.

Appellare solent Add. deficiente ratione, ad experientiam: verum eidam AA. nostræ sententiæ, homines omnino sunt, simile tamen nunquam in seipsis expertos testantur. Hujusmodi libenter permittimus in suo sensu abundare. Omittimus etiam auxilium ab Insipiente petitum ex ps. 13. 1. quia cum sapientibus conversari placet & hominibus sanæ mentis. Ad Ens rationis Logicum transeamus.

XXXVII. Dicendum 5. contra Thomistas nec Denominationes extrinsecas, nec terminos secundæ intentionis, ut vocant, esse Entia rationis, hoc est, habentia tantum esse objectivum in intellectu. Quod priusquam ostendatur.

Adverte cum Card. Sfondrati, Caramuele & aliis falsam esse opinionem illorum, qui existimant omnem denominationem extrinsecam esse Ens-rationis. v. gr. video parietem: ab hac mea visione paries dicitur & denominatur visus extrinsece; hanc denominationem visi dicunt nasci non posse, nisi quis fingat, visionem esse formam parieti inhærentem. Ita Fonseca 5. Metaph. c. 7. sed male. Sic enim arguo: Quod habetur ante omnem fictionem intellectus, non est Ens rationis: sed denominationes extrinsecæ v. gr. parietem esse visum, Petrum esse cognitum, formaliter habentur ante omnem fictionem intellectus, cum rebus non tantum adveniant prout substant intellectui, sed hoc ipso quod eliciam visionem & hæc terminetur ad Petrum ceu objectum, jam partes formaliter denominabitur visus, & Petrus cognitus.

Respondere soleo, ad denominationem *fundamentaliter* spectatam, nihil ultra requiri, quam ut visio & cognitio tendant in objectum visibile & cognoscibile, atque ab eo terminentur: ad denominationem *formaliter* vero, & in esse denominati requiri ut forma denominans inhæreat rei denominatæ, non quidem realiter ac vere (alias foret denominatio intrinseca) sed tantum per meum intellectum; adeoque parietem non denominari *formaliter* visum, nec Petrum cognitum, nisi visio & cognitio parieti & Petro in esse per meam rationem fingantur. Sed hoc gratis dici quis non videat? Hinc ista responsio merito displicuit P. Placido Rentz Ord. S. Ben. Professo Weingarten. Proleg. Log. cap. 3. §. 13. primæ edit. & Eximio doctissimoque P. Henrico

Henrico Heinlein ejusd. Ord. olim Professori publico in Vniverſ. Salisburgen. Diſp. Prol. Log. I. art. 3. §. 12. Quæſo, inquit, quis me coget fingere viſionem inhærere parieti, cum remota omni fictione, dommodo eliciam viſionem, quæ terminatur ad parietem, paries appellari poſſit non tantum fundamentaliter ſed formaliter viſus? Quare data reſponſio ſic evertitur: Non poteſt eſſe viſio v. gr. tanquam forma intrinſeca in oculo, quin oculus formaliter, ſine omni relatione rationis, habeat denominationem intrinſecam videntis; ergo ſimiliter poni non poterit forma extrinſeca, puta eadem viſio reſpectu parietis, quin paries per eam formaliter, absque relatione rationis, habeat denominationem extrinſecam viſi: cum videns & viſum ſint correlativa ſeu relata; atque adeo ſi datur ante intellectum id, qood denominator formaliter videns, etiam dabitur ante intellectum illud, quod denominatur formaliter viſum, quia relativa ſunt ſimul natura.

Confirmatur ex Sfondrati: Quia nemo prudens id credit, cujus contrarium certo novit & credit: ſed nullus eſt, ſaltem Philoſophorum, qui non certo noverit formam *viſi* eſſe parieti extrinſecam; ergo nemo credit eſſe intrinſecam; ſi non credit, cur ergo fingit, aut diſcipulis perſuadere conatur ut fingant? aut cui fingit? ſibi? at nemo ſeipſum decipit, aliis? ergo impoſtor eſt, qui dicit & docet quod ipſe non credit. Aut forte dum canis aut equus hominem aſpicit, homo non dicetur formaliter viſus, cum beſtiæ neſciant fingere ens rationis, nec ipſorum phantaſiæ id concedatur. Et certe non minus ridiculum eſt dicere, quod comedam & tamen nihil a me comedatur; quod amem Deum & Deus a me non ametur, quam quod canis me videat, & ego non videar a cane.

XXXVIII. Iam ulterius inquirendum an ſaltem ſecundæ intentiones objectivæ logicæ ſint entibus rationis annumerandæ, ut contendit P. Placidus Rentz cum ſuis Thomiſtis, quos ut rite intelligas, cum eodem

Obſerva. Intentionem (prout a Logicis ſumitur) eſſe actualem tendentiam intellectus in ſuum objectum; & hanc tendentiam, cum duo involvat ſcilicet actum tendentem, & ipſum objectum in quod actus tendit, dividi ſolere in *Formalem* & *objectivam*. Intentio *formalis* eſt ipſe actus cognoſcens ſeu ipſa cognitio: *objectiva*, eſt res cognita. Et ſi res illa ſit cognita ſecundum quod eſt in ſe, & ſecundum prædicatum illi realiter, ut a parte rei conveniens, cognitio dicitur *prima intentio formalis*; res cognita vero, *prima intentio objectiva*. At vero ſi ſit cognita ſecundum rationem aliquam fictam; (vel melius ſecundum aliquid prædicatum impoſitum rei in ordine ad aliquam ſcientiam) & ipſi ut cognitæ tantum & ut eſt in intellectu competentem, cognitio dicitur *ſecunda intentio formalis*: res vero ſic cognita, *ſecunda intentio objectiva* v. gr. quando per actum abſtractivum cognoſco hominem, non cognitis ejus individuis, actus cognoſcens eſt *prima intentio formalis*: homo cognitus eſt *prima intentio objectiva*. Quando vero hominem ſine individuis prius cognitum reflexe cognoſco, & concipio ut ſuperiorem ſuis individuis, & de ipſis prædicabilem, actus cognoſcens eſt *ſecunda intentio formalis*: homo ſic cognitus, eſt *ſecunda intentio objectiva*. Similiter ſi cognoſco Petrum eſſe hominem, cogoitio hæc eſt prima intentio formalis, Petrus & homo ſunt prima intentio objectiva: ſi vero ſuper enuntiationem dicentem *Petrus eſt homo*, me reflectendo concipiam hominem tanquam *prædicatum*, Petrum tanquam *ſubjectum*, actus ille reflexus eſt ſecunda intentio formalis; homo vero & Petrus, ſeu potius ratio prædicati & ſubjecti in homine & Petro ſunt ſecundæ intentiones objectivæ. Et hæc volunt Thomiſtæ eſſe Entia rationis logica, ut vocant, ad diſtinctionem Entis Chymærici, qood probant hoc modo: Quia conſiſtunt formaliter in meris relationibus rationis; univerſale enim qua tale formaliter refertur & dicit ordinem ad inferiora, prædicatum ad ſubjectum, & viciſſim, extrema ad medium &c. Sed iſtæ relationes non ſunt reales, cum non habeant niſi eſſe objectivum & dependenter ab intellectu referente & fingente: Extrema enim ſyllogiſmi a parte rei ſunt idem cum Medio, univerſale cum inferioribus, prædicatum cum ſubjecto &c. Ejusdem autem ad ſeipſum non datur relatio realis, ſed tantum Rationis. E. Ita quidem Thomiſtæ unanimiter. Sed

Contra. Genereitatem (eadem eſt ratio de cæteris ſecundis intentionibus objectivis) non eſſe ens rationis, ſed denominationem veram & realem, & hoc in quacunque ſententia, ſic ſuadetur: 1. Enim, ſi ſequamur Platonem (cui ipſi Complutenſes agentes de ſingularitate & Vniverſalitate Materiæ primæ q. 2. 3. & 4. ſubſcripſerunt in phyſicis) dicemus eſſe habitudinem inter Genus & ſpecies: eumque teſte Platone ſpecies realiter diſtinguantur a Genere, inter extrema realiter diſtincta quid mirum ſi detur relatio realis? 2. Si cum Scoto genus a differentiis formaliter ex natura rei diſtinguamus; ſicut ipſa diſtinctio non eſt ficta, non per rationem, non facta ſed inventa ab ratione ita nec ficta erit genereitas, quæ eſt relatio concomitans. 3. Si cum D. Thoma ad diſtinctionem rationis ratiocinatæ recurramus, certum erit (nimirum ex hypotheſi) dari præciſiones objectivas: certum, quando *animal* concipitur, *rationale* non concipi, & hoc realiter eitra omnem fictionem. Quod ſi *animal* realiter concipitur, & *rationale* realiter non concipitur, in hoc accidente different realiter: & ut poſſint huic accidenti ſubjacere, potentialiter realiter; adeoque omnes denominationes, quæ in hac reali extrinſeca diſtinctione fundantur, erunt reales. 4. Si enim Conceptiſtis ad rationem ratiocinantis recurrendum ſit, clarius monſtrari poterit genereitatem eſſe realem; conceptus enim formales (hos *rationes ratiocinantes*, & objectivos, *rationes ratiocinatas* appellamus) Complutenſium & omnium Thomiſtarum calculo diſtinguuntur omnino realiter; & inter extrema realiter diſtincta dantur relationes reales. 5. Si Vniverſalitas dicatur multorum individuorum confuſio, vere & realiter dabitur actus confuſus, vere & realiter clarus: & eadem res prout clare concepta, realiter extrinſece diſtinguetur a ſeipſa qua concepta non clare: nec in hoc ulla interveniet fictio, falſitas nulla. 6. Si Vniverſalitas in Connotatione conſiſtat, hæc ipſa connotatio erit realis: & quia varia, dabit univerſalitates varias realiter. Et tandem ſi in ſimilitudine, hæc non erit ficta; nec ficta denominatio Genereitatis, quæ in illa fundatur. Ecce quomodo Ens rationis dictum Logicum ab omni Schola miſere exulare cogatur!

XXXIX. Pro captu autem juventutis tranſeuntis ex humanioribus ad Philoſophiam quid per intentiones primas aut vocabula primæ intentionis & ſecundæ intelligant Logici, Adverte, In Idiomate Latino v. gr. prima hominum intentio fuit, conceptus ſuos vocibus æquipollentibus exprimere: ſed ut Artem ignorantibus traderent, voces ſimiles ad ſingulas claſſes reduxerunt,

duxerunt, & secundo Decreto & intentione Classes denominarunt, dicendo: Omnes hujus Classis dictiones esse *Nomina Propria*; omnes illius ordinis voces esse *Nomina Appellativa*; huic albo inscribi Verba activa; illi Passiva. Hanc nominum sortem vocari Substantiva, Primæ, secundæ, aut tertiæ Declinationis &c. Nec aliter factum in Logica. Sicut enim apud Grammaticos hi termini, *Nomen, Pronomen, Verbum, Præpositio, Adverbium* &c. infinita, dicuntur secundæ intentionis vel impositionis, nempe in ordine ad Artem Grammatices addiscendam: ita apud Logicos, sunt denominationes *Subjecti, Prædicati, antecedentis, consequentis, majoris, minoris, generis, speciei* &c. Nempe observarunt facultatis ingeniosæ Inventores, talem modum discurrendi esse irrefragabilem, habere tres propositiones &c. illumque & omnem similem, *Syllogismum*, vocarunt. Omnem Syllogismum viderunt duo ponere, & unum inferre, & ideo illum in 3 propositiones, hoc est in duas *Præmissas (Majorem* & *Minorem)* & *consequentiam* diviserunt: & singulas Propositiones in duos *Terminos (subjectum* videlicet *& prædicatum)* & hæ, nec non aliæ eidem similes, sunt voces, quæ secundæ intentionis, aut secundæ impositionis nominantur. Et de Ente rationis dicta sufficiant.

Porro Ens reale non uno modo usurpatur. Burg. tom. 2. p. 88. Aliud enim est Physicum, in ordine ad existentiam; aliud Logicum, in ordine ad humanas scientias; aliud Morale, in ordine ad rectam hominum existimationem; aliud Mathematicum, cujusmodi sunt variæ proportiones figurarum; aliud Metaphysicum, qualis est ratio entis ab omnibus abstracti. Quæ entia suo quidem modo existunt, aut logice, aut moraliter aut mathematice, hoc est, perinde se habent in ordine v. gr. ad logicam, ac si realiter existerent. Quanquam ea proprie nec producuntur, nec existunt, id enim tantum enti physico convenit. Sic formalitas, aut ratio logica, realis quodammodo dici potest, non physice sed logice loquendo. Sic animalitas v. gr. & rationalitas dici possunt duæ realitates logicæ: hæ quippe non physice, sed logice distinguuntur quodammodo. Sic Privatio realis dici potest: nam cæcus revera est cæcus, hoc est, videndi facultate, quæ realis est, caret. Hæc paulo subtilius explicare voluimus, nam iis intellectis multæ & difficiles tricæ multo facilius expediuntur.

SECTIO IV.

Quo ordine transcendentales Entis proprietates inter se disponantur.

XL. Proprietates Entis eas dicimus, quæ cum Ente convertuntur, & ab eo cogitatione magis quam re sejunguntur: Eæ autem sunt Vnum, Verum, Bonum. Ac primo id liquet Ens ipsum, seu essentiam rei primum a nobis concipi: unde essentia realis & positiva (de qua nunc agimus) satis apte definitur *conceptus primus rei.* Conceptum porro intelligimus objectivum, non formalem; ac rei nomine Ens ipsum seu entitatem rei designamus. Nam *res*, vel aliquid cum ente passim confunditur (an bene, alibi declaravimus) quanquam aliquando *res* aliquando accipitur, quatenus *Modo* opponitur. Sic enim Ens dividi solet in *rem* & *Modum*, tumque res minus patet quam ens ipsum. Verum hoc loco *res* sumitur pro aliquo Ente, sive substantia sit sive accidens, adeoque res & aliquid usurpatur pro transcendenti & latissime, seu pro essentia, quæ definitive est ipsum Ens prout radix primo & formaliter essendi. Non tamen comprendimus Ens-rationis sed solum reale. Nunc ad proprietates ejus, Bonum, Verum, Vnum.

Quoniam Bonum est quod purum est & non deficiens ab esse sibi ex idea debito: tale esse est simul verum. Nam si deficeret, aut excederet, non esset verum sed falsificatum, vel deficiens a Vero: utique ergo Bonum a Vero & Ente oritur, sicut appetitus a Sapientia & Potentia; & quia non est Verum, quod non est, ab Esse oritur veritas, sicut Sapientia a Potentia. Addit ergo existentiæ Veritas entitatem, quæ possit movere sapientiam ad sui notitiam. Non enim quod non est cognoscibile, est: nec movet, quod non existit actu, cognoscentem. Nec ullum ens novit seipsum, nisi ubi factum est extra suas causas, positumque in veritate sui esse. Bonitas autem addit perfectionem & complacentiam supra veritatem: quando enim Res est, seipsam noscit abdita notitia: & mox seipsam amat: neque enim ignotam aut imperfectam amaret. Et qui se impurum amat, ut peccator, odit se. Hæc autem voluptas abdita, & amor a perfectione *ESSE* provenit. Idem ergo Ens componitur ex Potentia, Sapientia & Amore; & idem est Bonum, Verum & Ens simul, quoniam objectum & Potentia in abdito sunt una, ut declaratum est. Et quidem in Bono, si est perfectio, prius necesse est ut sit veritas; quod enim non vere est perfectum, non est neque purum: si est veritas, ergo & entitas, non enim vere est quod non est. Si habet veritatem rationis, habet *esse* rationis: si realem, reale; si subsistentem, subsistens; si substantem, substans &c.

Quapropter præcedit Ens Verum, & Verum Bonum natura & origine, licet unum sint. Nam Ens in potentia vel imperfectum, est quoque Verum & Donum in potentia & imperfectum; & quocunque modo est, verum est bonum que; & omne verum est ens ex entitate, qua est verum, scilicet vel rationis, vel rei extra animam. Quapropter tametsi Verum & Bonum dicatur de Ente & de Non-ente, ut Matth. 26. 24. *Bonum erat ei, si natus non fuisset*, attamen Non-ens est bonum per accidens, quatenus per accidens est Ens, vel remotio non-entis: cum tamen verisime *esse* sit bonum, & non esse malum: & aliud est non nasci, aliud non esse. Et quamvis Bonum præponatur Enti a Platone & Dionysio, præponitor in causando, non in Essendo; ut enim causet aliquid, non modo oportet esse, sed diffusivum sui esse habere: Deus ergo nobis prius innotescit, ut Bonus, quam ut Ens, notitia præsertim externa.

Veritas quoque ad Non-entia extenditur: sed non nisi quatenus ut entia concipiuntur, & significantur Entis idea & vocabulo. Potentiam autem ad Non-ens, non ponimus, sed impotentiam.

XLI. Hinc celebris illa quæstio Platonicos inter & Peripateticos (de qua jam supra sect. 1. mentionem fecimus) solvitur, an conceptus Entis sit prior & simplicior conceptu Vnius? Platonici enim acriter defendunt Vnum esse prius & superius Ente. Contra negant Peripatetici quidpiam prius a nobis concipi, quam Ens ipsum, cujus idea aut notio est prior & simplicior quacunque alia notione. Est enim primus rei conceptus vel idea, ac prius rem esse concipimus, quam

quam quod sit indivisa in se, aut perfecta, aut suo exemplari conveniat.

Est autem unitas multiplex: (1.) Vnitas dicitur essentiatione, ut Trianguli. (2.) Compositione, ut hominis ex anima & corpore. (3.) Colligatione, ut fasciculi literarum. (4) Connnuatione, ut lineæ. (5.) Continuitate, ut materiæ. (6) Ordine, ut Exercitus. (7.) Cohabitatione, ut pisces. (8.) Contemporalitate & collocalitate, & omnibus societatis rationibus, ut quæ sunt in uno systemate, eodem tempore aut sæculo.

Quoniam vero transcendentia non habent superius quo declarentur, per negationes & similitudines definiuntur. Vnitas ergo transcendentalis, de qua sola hic sermo, est rei indivisibilitas in se: quæ maxime proprie & principialiter unit secundum se, non secundum aliud. Et quidem omne divisibile, qua divisibile, non est unum, sed multiplex: qua divisum vero est multa. Divisio transit ad non-esse; per hoc enim dividitur Petrus a Paulo, quia mediat non-esse Petri & Pauli inter utrumque: & quo magis dividitur res, hoc magis ad nihilitatem tendit. Vnde si materia dividitur usque ad atoma, ad minimas entitates perducitur: si ultra atoma, ad nihilitatam. Omnis quippe minoritas Non-entitatis est principium; majoritas vero Entitatis.

Maxime Vnum, est necessario Infinitum, continet enim omnes entitates sine non-entitate. Finitur autem omne ens nihilitate. Ergo quod vere unum est, indivisibile est, & non finibile. Finitur enim per divisionem; & propterea non quo magis unum, est magis parvum, ut putant, qui punctum maxime indivisibile, faciunt maxima unum: sed quod magis unum, est magis ens: cum enim fortitudo Entis sit sua unitas, quo plus entitatis habet, plus etiam habet unitatis; & quo minus, minus. Punctum autem est indivisibila per defectum entitatis. Vnum vero per robur entitatis.

XLII. Quæ autem sunt unitates extra Primum Ens, deficiunt ab unitate, quoniam sunt finita. Videtur itaque Vnitas quid divinissimum esse, & primitas ipsius Entis, & in ea, & per eam, & ab ea constare cuncta, & esse in eo, quod unitatem participant. Nequa enim est, quod unum non est; & quia sæpius diximus, omnem rem esse, quia amat esse, & quia scit esse per Argumentum a posteriori: & similiter judicatum ast objectis, quoniam res est, quia existit, & quia vera est, & quia bona est, & econtrario.

Nunc inquirendum est quo pacto se habeat Vnitas ad esse, utrum præcedat, an sequatur origine, & quid addat aut prædicet. Et quidem veteres Philosophos audivimus docentes Ens non esse nisi unum sit, & in eo esse, quod unum. Arist. putat Vnum & Ens idem esse. At Plato præcedere, quoniam omne ens est unum: at non omne unum est (existit), componeretur anim ex esse (existentia) & unitate, nec simpliciter esset unum. Nos autem

XLIII. Dicimus 1. Essentiam neque unam neque plures: quia idea hominis si esset per se una, non posse multiplicari in multis individuis: si vero esset multiplex, non posset servari in uno individuo, ergo non unus Sol, neque unus Mundus sed infiniti reperirentur.

XLIV. Dicimus 2. De ratione unitatis esse Primitatem: & quia Sapientia, Potestas & Amor sunt Primalitates infinitæ unica infinitate constituentes Ens infinitum unum; & ipsum Primum, Ens oportet esse potentissimum, sapientissimum & amorosissimum: secunda autem Entia ex parte, Potestate, Sapientia & Amore constitui; & simul ex Impotentia, Insipientia & Noluntate. Manifestum ergo quod primitas est maxima unitas; quoniam sunt in eo quod unum sunt; & esse unum a priori habent, non a posteriori: ergo in omni genere rerum illud est primum, quod est maxime unum, & maxime tale in eo genere, sicut lux in genere colorum. Vnitas ergo addit Divinitatem, quoniam Primitatem & entitatem sublimissimam: & hoc vetustissima Hebræorum lingua monet, dum loco *primi* dicit *unum*. *Et factum est* (ait Moyses) *Mane, & vespere dies unus*, hoc est primus. Primitas autem unitatis non est ipsamet Primitas Proprincipiorum, videlicet Potestatis, Sapientiæ & Amoris: hæc enim essentiant Ens, non ut res, nec ut entia, sed ut realitates & essentialitates; & quia essentia est quatenus una est: unitas est essentiatum, & essentiatio quocumqua modo tam Primi, quam secundorum. Omne enim ens istis constat Primalitatibus: At Vnitas dicit totum ens essentiatum primalitatibus, & addit primitatem inter entia, vel simpliciter vel sui generis: & quamvis vocetur a nobis *unum* quodlibet ens: homo enim dicitur unus, non solum Adam, aut Iesus, sed ultimus homo, & vilissimus dicitur unus: hoc tamen ratione nostri, & non naturæ ita se habet, qui facimus primum, quodcunque nobis offertur primum, non quod ast primum omnino; nec absque re possemus ita primificare, quippe quoniam quantum participant de ente, participant de primitate. Hinc dicitur Zachæus unus homo, quatenus ens homo: sicut enim a Primo Ente cuncta participant esse, ita & unitatem & primitatem aliquam. Nam & divinitatem aliquam participare dicuntur: & idcirco quasi per se sunt, sicut Deus per se. Per se autem esse est non in alio, nec ab alio, nec cum alio, quod soli Deo convenit: secundis autem rebus minime. Hinc orta est opinio Aristotelicorum, quod unum sit idem quod ens, addat autem indivisibilitatem. Nos autem

XLV. Dicimus 3. Quod *τὸ Ens* addit homini universalitatem, id est communitatem & similitudinem, quam cum cæteris rebus cunctis habet; & *τὸ unus*, addit totalitatem & perfectionem & dignitatem antis, quæ est primitudo, & participatio & character divinitatis. Simpliciter autem dicit Divinitatem. Et hoc Scotus a longe olfecit. Cæterum in Primo Ente *τὸ ens*, & *τὸ unum*, nihil videntur addere, quoniam seipso est Vniversalissimum & perfectissimum, quia non est contractum ad hominis vel lapidis esse, & caret hæcceitate contractiva. At secunda Entia, sicut per se non sunt entia, sed per primum, a quo habent esse: ita nec per se sunt una, sed per primam Vnitatem: a qua deficientes, deficiunt quoque ab entitate. Quia ergo simul generantur & corrumpuntur, non sunt diversæ res, sed realitates. Et Ens dicitur unum unitate sua, & unitas ens entitate sua, non superaddita, sed indita: nec ultra quo res sit una quæri debet, est enim seipsa tota.

XLVI. Dicimus 4. Quod sola indivisibilitas in se, non faciat unitatem. Patet inde, quod quæ maxime indivisibilia sunt, essent maxime unum. Vnum enim Ens est, ergo maxime indivisibile esset maxime Ens, ergo punctus indivisibilissimus esset maxime Ens. Quod negant

negant Peripatetici & ponunt ipsum quasi Non-ens. Nec quia est in alio, sit non-ens. Nam atomum corpusculum in luce solari conspectum, est per se, ut ajunt, & tamen non maxime unum, sicut maxime indivisibile. Deus autem magis unum, quam corpusculum illud, ut asserunt omnes: & tamen totum esse cunctarum rerum in se præhabet. Non ergo indivisibilitas negativa constituit unitatem, ut volunt Aristotelici, quasi sola negatio divisionis addita enti constituat unitatem transcendentalem. Idcirco

XLVII. Dicimus 5. Quod indivisio non constituit unitatem, sed sequitur illam. Ex eo enim quod cibus confert ad instaurationem sicut & potus, sequitur quod sint una comestio, & non divisa; & ex eo quod homo habet sensum & motum, prout Leo, sequitur quod sint in hac ratione generica indivisi, homo & Leo. Similiter quia Continuum habet partes ad eandem actionem & passionem & entitatem spectantes & cohærentes, sequitur quod sit indivisum. Divisio autem parit multitudinem, quia ipsa fit a non-entitate: sectum lignum non est sicut erat, ergo sicut non erat: Nec ipsa divisio facit non esse, sed fit: nec unitas facit esse, sed est. Aut si facit, prior ente est. Quomodo autem est, nisi entitate? Ergo simul sunt. Vnitas ergo ut dicit Primitatem dignificat esse, non præcedit esse: ut vero dignificat, magnificat; at quatenus dicit indivisibilitatem, sequitur ad ipsum esse maximum. Cum enim dividitur minuitur. Idcirco maxime errant Peripatetici in eo, quod putant indivisionem esse privationem divisionis, & cognosci prius Habitum, quam privatio. Ergo ajunt prius ens, postea non ens, postea divisio, postea indivisibilitas & unitas. Sed errant, quoniam indivisio, quam importat unitas, non est privatio sed entitas maxima, & secundum naturam cognoscibilis maxime. Estque ens positivum, licet secundum vocem sit privativum & negativum. Et hoc patet, quia unitas mensurat numerum, ergo notior est. Item ab uno fluit multitudo, ergo unum præhabet illam virtualiter ergo unitas dicit fœcunditatem essendi. Et idcirco dicitur in L. de Causis, quæ plus unitatis habent, plus esse habere, & fixionem, & infinitatem, & virtutem. Ergo Vnitas non est privatio sed habitus. Divisio autem est privatio, & non-ens, ut cæcitas, aut non-entis filia. Virtus enim divisa decrescit, unita augetur: & entitas. Vnde elucescit magis, quod Vnitas non sit indivisibilitas, sed quod in ipsa fundetur, & non sit privatio. Sicut non posse peccare, non est Impotentia & defectus: nec immortalitas est privatio, sed æternitas, ens maximum & perfectissimum.

LXVIII. Ex dictis colligitur, Divisibilitatem opponi Vnitati, non pluralitatem ut Peripatetici putant, & Plato, qui dividit Ens in Vnum & multa. Nam Vnum est Ens, ut primum simpliciter participio cui Non-ens opponitur. Multitudo autem ens est, quia plures unitates vel defectivas continet, ergo & entitates: sed ex ea parte qua includit entitates non opponitur Vnitati, sed constituitur & mensuratur ab illa. Ex ea parte vero, qua includit divisionem entitatum dicit non-ens, & opponitur Vnitati: quatenus enim Petrus est homo, unus est cum Paulo homine: sed quatenus est divisus a Paulo, non est homo sed hic homo: esse autem *hic*, est non esse *ille*. Mediat ergo non-ens faciens divisionem.

Patet quoque veram esse assertionem Parmenidis, omnia entia esse Vnum. Nam quidquid est præter ens, nihil est: quidquid est præter unum, est præter ens: omne enim ens unum; ergo præter unum nihil est. Vide Campan. L. 7. Met.

XLIX. Quæres: An Ens verum de Deo & Creatura prædicetur univoce? Resp. Termini, *potentia existendi* significant aliquando negative, pro non-repugnantia ad existendum. Hoc sensu est ens univocum respectu Dei & creaturæ. Aliquando significant positivam potentiam, quæ cum in Deo & creatura infinite diversæ sint, hoc sensu Ens est æquivocum respectu utriusque: si vero utroque sensu simul prædicatio fiat, erit prædicatio analoga. Et sic omnia solves, quæcunque hic frequenter & clamose contentioseque proponuntur.

SECTIO V.

An, & quomodo Existentia rei creatæ distinguatur ab Essentia?

L. Præmitto 1. *Existens*, juxta regulam Concretorum exponi: *habens existentiam*. Hoc Concretum compactum ex forma identificata cum subjecto (ut postulo) intelligitur intellecta ipsa forma, hoc est *existentia*, seu hoc quod est existere, seu actus existendi (quod idem). Existere autem quid sit, percipit omnis intellectus, qui existit per primam veritatem in sciendo, videlicet *ego existo:* quod enim respondet huic termino seu verbo, & ab eo significatur, est ipsissima existentia mea. Igitur id quod in omnibus rebus reperio cogitando omnino simile illi significato, est *existentia*, seu actus existendi. En quid sit existere, nec clarius explicari potest, uti recte pronuntiat P. Ptolomæus. Litigatur autem utrum meam existentiam cognoscam intuitive vel abstractive per connotata? Certum est quod illam cognosco experimentaliter; quod quidem non est idem ac intuitive; (meas enim cognitiones experior, non intueor) adeoque si existentiam quoque meam experior, abstractive id contingit per connotata, quæ profecto sunt cognita intuitive, hoc est per impressiones sensuum externorum & animæ, quæque impressiones & sensationes, & etiam appetitiones sunt prima objecta mentis humanæ, & primigenia connotata, quorum respectu meam existentiam cognosco, & rursus per istam vel connotatum communissimum ad reliqua objecta abstracte cognoscenda procedo.

LI. II. *Existens, possibile existere, ens substantive acceptum, habens capacitatem ut sit ens* (& quasi possibilitatem essentiæ) sunt 4 formalitates, quæ & *Status* solent appellari, quas si recte discernis; notabis primo quamlibet veram rem posse considerari gradatim per istas 4 formalitates superiores præcisive & inferiores, hoc est, quatum superior præscindit ab inferioribus, sed non econtrario, sicut animal ab homine. Terminus autem iste *Status entis*, proprie loquendo excogitatus est ad significanda in recto connotata omnia, in ordine ad quæ formalitas aliqua Entis cognosci potest: non autem in recto significat ipsam formalitatem, sed in obliquo. Contra vero cum significatur ipsa formalitas in recto, tunc Status ejus debet poni in obliquo. e. g. Si dicam animal in statu possibilitatis, explicatur formalitas *animal* in quantum cognoscibilis est in ordine ad ea connotata, per quæ cognoscitur rerum possibilitas. Si vero dicam hic est Status possibilitatis ipsius animalis, sensus est, hæc sunt omnia connotata & obliqua in ordine ad quæ cognoscibilis est ista formalitas *animal possibile*. Ex hujusmodi terminorum

minorum intelligentia fit, quod dici non possit cum veritate, animal possibile est status suæ possibilitatis: quod perinde falsum est ac si diceres, fornolitas est fuum coonotatum, quia status distinguitur realiter (negative vel positive) a re seu formalitate, quæ est in illo statu. Quod autem dicimus de termino *Status entis*, fere dicendum est de *gradibus entis*. Explicantur hæc per exemplum. Petrus v.g. consideratur primo, ut *habens capacitatem essendi id, quod revera est:* hoc est, consideratur ut aliquid, quod io mentem venire potest, sed non utcunque (quemadmodum chimæra secundum aliquos) at cum ista addita formalitate *capacitas essentiæ:* & iste Status vocatur *Status potentialis essentiæ*. 2. Consideratur idem Petrus ut *habens actum essendi id, quod revera est*, & vocatur *status actualis essentiæ*, seu *in actu secundo essentiæ*. 3. Idem Petrus consideratur, ut *habens possibilitatem existendi*, & dicitur *status potentialis Existentiæ*, seu *actus primus Existentiæ*. 4. Denique consideratur ut *habens actu existentiam*, & dicitur *Status actualis existentiæ*, seu *actus secundus existentiæ*. Primus ergo Status enos (de quo non multum disputatur) dicitur *Status possibilitatis essentiæ*. Secundus dicitur *Status quidditativus seu essentialis*. Tertius dicitur status *possibilitatis existentiæ*, sen simpliciter possibilis, quandoque etiam appellatur status conditionatus, sed minus castigate, ut loquitur Ptolomæus. Quartus Status dicitur *existentialis*, quandoque etiam status absolutus, sed æquivoce, nisi addas existentiæ absolutæ; nam & reliqui status sunt absolutissimi, tametsi plures veritates conditionatas includant. Ampliorem explicatiooem horum statuum vide apud laudatum Authorem Dissert. 3. Physico-Metaph. sect. 1. n. 8.

LII. III. Adverte hos terminos: *Existentia actualis: actu existere: actu existendi: esse actu extra causas: existentia exercita*, qui sunt synonymi, habere rectum & obliquum. Rectum est ipsa res, seu essentia rei: obliquum est ipse status existentialis, & præsertim actualis productio, quod obliquum importatur & connotatur etiam, licet remotius, a concretis correspondentibus ad supradictos terminos, videlicet *existens &c.* Vnde ista propositio: *Antichristus est existens*, nunc est falsa, non ratione recti sed obliqui prædicati, exponitur enim: Antichristus identificat sibi existentiam suam, & nunc illa existentia connotat & terminat actualem productionem. Brevius resolves, Antichristus est habens existentiam, est falsa sive existens a seu forma hujus Concreti *Existens* ponatur realiter, modaliter distincta a subjecto, sive non.

LIII. IV. Bene notanda hæc distinctio, cum dicitur, *Essentia rei seu Petri* v. gr. *non est ejus actualis existentia*, distingue, inquam, Essentia rei, ut connutans & terminans actualem exercitam productionem non est actualis existentia. Nego. non ita connotans, sed specificative & præcisive sumpta non est &c. concedo, quæ distinctio rem mulro melius expedit, quam vulgaris illa inter essentiam logicam, & essentiam physicam. Nam eo pacto, quo comestio, de se indifferens, ut fit & dicatur *cœna* vel *prandium*, eo ipso quod connotat tempus meridianum, in quo fit illa comestio, eo ipso est *prandium*; & eo ipso quo connotat tempus vespertinum, est cœna. Hinc productio actualis est applicatio formæ in hoc concreto *existens*: quia licet existenna (ut mox dicemus) sit realiter identificata cum re existente nisi tamen illud objectum, quod dicitur existens, connotet talem productionem actualem (ad quam connotandam est indifferens, quia potest non produci) nec dicitur nec est existens; nec id quod secum realiter identificatur in sensu diviso a dicta productione est existentia actualis & formalis, sed existentia possibilis & fundamentalis: sicuti comestio, quæ est cœna, non est cœna nisi connotet tempus vespertinum, quod in quantum comestio est, potest non connotare.

LIV. V. Notabis Indifferentiam cum magna æquivocatiooe dividi in Logicam, & Physicam: rectius autem dividit *indifferentiam effectus in genere causæ efficientis, & in indifferentiam subjecti in genere causæ formalis*. Sic omnis creatura est indifferens indifferentia effectus in genere causæ efficientis: hoc est, ut producatur vel non producatur, ut existat vel non existat, quod est esse contingens: non tamen est indifferens ad hoc ipsum indifferentia subjecti in genere causæ formalis; videlicet ut determinetur ab aliquo per modum formæ, ut creatura fiat existens: sed determinatur per actualem productionem tanquam per terminum, & eo ipso creatura per se ipsa est determinata formaliter, hoc est, verissime & propriissime est existens: hoc est rursus, eo ipso relucet ista formaliter in ea creatura *actualis existentia*, quæ non relucebat non habito respectu ad causam actualem producentem: sicuti in comestione non relucet esse cœnam nisi habito respectu ad tempus vespertinum.

LV. VI. Satis recte dici solet *Existentia est primus modus physicus cujusque rei:* Modus quidem magni momenti, quo modificatur res ut evadat ex nihilo aliquid juxta illud D. August. *Dei gratia est, qua creavit nos, ut non nihil essemus*. Videlicet eadem ratione, quia existenoa dicitur primus actus physicus rei, dicitur etiam primus modus cujusque rei; actus quia actuat, modus qui modificat rem ipsam, quod fere est idem.

Inde est quod illi, qui modos omnes seu relationes [quod fere est idem] credunt esse reculas quasdam distinctas a re modificata realiter modaliter: id ipsum etiam credunt de existentia: qui vero discernunt inter modos &, modos, & aliquos distinctos volunt, alios indistinctos a re modificata: in hanc ultimam classem redigunt existenoam: quod ipsum mulro magis peragunt, qui verosimilius nullos agnoscunt modos distinctos, quibuscum

LVI. Dicimus, Existenoa rei creatæ est idem realiter ac essentia rei creatæ secundum id, quod importatur in recto ab utroque illo termino. Probatur argumento solemni, qnod vocant equum Ockami, non sunt multiplicanda entia sine necessitate: nulla vero necessitas urget distinguendi existentiam ab essentia, ut patet tum ex præmissis, tum ex solutione objectionum ergo. Quod argumentum fortissimum est ad tollendos e medio modos omnes realiter distinctos, adeoque multo magis ad tollendum primum modum; hoc est existentiam distinctam realiter ab essentia modificata.

Confirmatur. Non est major ratio cur essentia rei creatæ existat per existentiam distinctam; & ipsa existentia distincta [quæ est aliqua creatura, si est & habet essentiam rei creatæ] non existat per existenoam distinctam: sicuti si albedo dealbaretur per albedinem secundam, non esset major ratio cur etiam secunda non dealbaretur per tertiam, & ita in infinitum, ergo

 quam

quam repugnat processus in infinitum in rebus existennibus & physicis, tam repugnat existentiam tei creatæ distingui realitet essentia rei creatæ.

Probatur 2. Omnis distinctio realis, vel est inter duas res, vel intet rem & modum; illa dicitut major, hæc minot. Sed neutra invenitut inter Essentiam & Existentiam. Non major, quæ est inter ea, quæ possunt separatim existere: Nam essentia sine existentia reperitur nunquam, multo minus existentia sine essentia. Essentia enim quomodocunque sit, & ubicumque, habet propriam suam existentiam: in causis enim habet existentiam causalem, vel in potentia; in mente habet existentiam mentalem, in rebus realem. Et quidem simul sunt, & simul non sunt essentia & existentia, ut non videas quo pacto distingui possint.

Confirmatur. Qui asserit duas res inter se distingui, illud tenetur aliqua tatione demonstrare: nam quod nescimus, id asserere non debemus: atque hoc velut principio tot distinctiones ad libidinem fictæ, quæ omnem Philosophiæ splendorem obducunt, facile dissolvi possunt: sed nulla sat idonea tatione evinci potest distinctio realis inter essentiam & existentiam: cum potius contrarium man feste appareat. Non enim res per aliquid a se distinctum extra nihil, vel extra suas causas sistitur; neque existentia cum essentia ut quid alienum conjungitur.

Satisfit objectionibus.

LVII. Oppon. 1. Essentia rei creatæ est indifferens ad existendum, vel non existendum, ergo determinatur ad existendum per existentiam distinctam. Prob. consequentia, sicut quia paries est indifferens ad esse album, vel non esse album, determinatur ad esse album per formam albedinis distinctam, ita in casu nostro &c. Resp. ut supra dist. ant. Essentia rei creatæ ut connotans & terminans actualem productionem, seu ut in statu existentiali & physico est indifferens &c. Nego ant. non ut connotans &c. est indifferens, subdist. indifferentia seu contingentia effectus in genere causæ efficientis. Conc. indifferentia subjecti in genere causæ formalis. Nego ant. & consequentiam. Patent distinctiones, quæ magistrales sunt: ex quibus persuadearis quæso, non omnem indifferentiam esse per modum vasis seu subjecti, ut debeat tolli per aliquod receptum, seu per aliquam formulam inhærentem & conglutinatam rei indifferenti. Nimia esset hæc, ut ita dicam, prodigalitas causæ formalis, perinde ac si in rerum natura omnia perficerentur & in Philosophia explicarentur per formas & subjecta. Ad probationem disparitas est: quia paries est indifferens indifferentia subjecti ad esse album: non ita essentia Petri ad existendum.

LVIII. Oppon. 2. Nulla creatura est suum esse, ac nullius rei existentia est sua essentia; id enim uni & soli Deo convenit, qui per se & necessario existit. Vnde hoc nomen ut sibi proprium & incommunicabile sibi vendicat. *Ego sum qui sum, & qui est misit me ad vos.* Ergo in rebus creatis essentia & existentia non identificantur. Resp. dist. maj. Nulla res creata est suum esse (existere) formaliter, adeo ut de illius idea aut conceptu sit quod existat actualiter. Conc. id enim uni Deo proprium est. Nullius rei creatæ essentia est sua existentia identice & materialiter. N. Nulla enim res creata existit per existentiam a se distinctam ut ostendimus. Minime tamen conferri potest Existentia creata identificata suæ essentiæ, cum Existentia divina: nulla enim hic univocatio. Dum enim loquitur de creaturis, illud dicimus possibile, quod causam sui productivam habet: illud dicimus existere, quod extra causas positum est in rerum natura: quo sensu Deus nec existit, nec possibilis est existere: utpote Ens a se, incausatum, nec factum nec factibile. Et ut obiter hic quædam inseram, quæ proprie spectant ad Tract. XX. Adverte 1. cum doctissimo P. Ptolomæo Dissert. 3. Physico-Met. sect. 1. num. 9. Metaphysicam Essentiam dividi in simplicem & Compositam. Simplex est sola Essentia Dei. Dicitur autem simplex simplicitate Metaphysica, hoc est quæ distingui non potest in plures formalitates distinctione rationis ratiocinatæ, seu formali ex natura rei (ut mihi verosimilius quoque videtur). Et hic videtur esse sensus germanus ab antiquis intentus, cum dicebant Divinam essentiam esse simplicem, creatam vero compositam (ex ente & non-ente): tales enim sunt formalitates divinæ, quæ aliter quoque dicuntur attributa Dei, ut solum ratiocinanter tum invicem tum ab essentia distinguantur, sicut homo ab anima rationali, Ens & bonum. Ratio est, quia dum e. g. Omnipotentiam cogitas, cogitas infinitam perfectionem expresse, hoc est totam perfectionem Dei, hoc est totam essentiam Dei; hoc est rursus, omnes reliquas Dei perfectiones, quæ ultra Omnipotentiam cogitari possunt, cum solo discrimine talis claritatis, quæ clarius omnipotentiam, quam Omniscientiam v. gr. repræsentat. Ita contingit, cum cogitas omniscientiam, æternitatem, immensitatem Dei &c. tantum ne æquivoceris in his formalitatibus, Sapientia, Voluntas, Bonitas &c. istæ enim ita nude acceptæ & sine addito, non sunt formalitates Divinæ aut Dei attributa, nisi addas vel subintelligas terminum *Divina vel Dei*: Bonitas enim ut sic, Sapientia ut sic &c. est formalitas analogica disjunctive explicanda hoc pacto, vel bonitas Dei vel bonitas creaturæ: doctrina vero de simplicitate Essentiæ Dei pertinet ad veras formalitates proprie Deo convenientes, hoc est expresse distinctas ab omni ente & objecto non-divino; in qua consideratione illæ formalitates divinæ ratiocinanter distinguuntur inter se. Inde porro est, quod juxta phrasim D. Dionysii Areopagitæ ad formalitates illas analogicas superaddi deberet particula *super*, & dici superbonitas, supersapientia, supervoluntas &c. etenim hoc pacto sunt attributa Dei, ut Omnipotentia &c.

Adverte 2. Essentia metaphysice composita dicitur, quæ distingui potest in plures formalitates distinctione ratiocinata (seu formali ex natura rei) cujusmodi est essentia qualibet entis creati seu contingentis. Hæc autem essentia composita multiplex est: alia est totum indivisibile physice: alia totum divisibile physice, quod ultimum rursus duplex est: alia ita est totum, ut sit *unum per se*, cui opponitur unum per *accidens*. [De quorum tamen definitionibus non convenit inter Auctores, ut patebit ex Tract. XXVI. De formis], Primæ Essentiæ compositæ sit Angelus. Secundæ essentia hominis. Tertiæ essentia albi, in quantum album dicitur unum totum per accidens. Verum juxta Caramuelem *album* est *unum per se*, quia componitur ex partibus ad se invicem natura sua ordinatis per modum potentiæ & actus; & nemo non videt notabile discrimen inter hæc tota: album, & cumulus lapidum; hujus enim postremi partes vere per

accidens

accidens componunt, nullum enim ordinem seu nexum ex sua natura dicunt ad invicem. Sed hæc *παρέργως*.

LIX. Oppones 3. Essentia rei est necessaria, existentia vero est contingens: sed quod est necessarium, distinguitur ab eo quod est contingens: ergo essentia est quid distinctum ab existentia. Resp. dist. maj. Essentia rei est quid necessarium in statu abstractionis, ut loquuntur, seu in statu objectivo. Conc. qui quidem status nihil confert ad realem distinctionem. In statu actuali prout connotat essentia productionem sui &c. est quid necessarium, rursum dist. ex hypothesi. C. absolute. N. Nam quæ de re fiunt propositiones, sunt necessariæ tantum ex hypothesi quod res existat: res autem eadem potest esse contingens absolute, & ex hypothesi necessaria.

Oppon. 4. Actus & potentia inter se distinguuntur realiter: sed essentia habet rationem potentiæ; existentia vero habet rationem actus. E. Resp. dist. maj. Actus & potentia in physicis distinguuntur realiter. Omitto maj. in metaphysicis. N. Ratio est, quia non est adeo certum, corpus v. g. a figura realiter distingui: cum tamen omne corpus sit in potentia ad multas figuras, quas potest excipere.

Denique memineris particulam *est* tantum pro statu existentiali actuali in *vi verbi* sumi: pro reliquis statibus in *vi copulæ* usurpari: quo sensu dicuntur Essentiæ rerum *esse* ab æterno, v. g. ab æterno est connexio necessaria & identitas inter hominem & animal rationale: hinc dicuntur quædam propositiones *esse* æternæ veritatis, ut bis duo esse 4. non eo sensu quasi habeant esse actuale extra Deum ab æterno.

SECTIO VI.

De Non-ente, & non-existente, seu de Negationibus.

LX. Connexio materiæ postulat, ut sicut tractavimus de Ente, Essentia & Existentia; ita ex opposito quid sit Non-ens, Nihil, Negatio, Privatio &c. dispiciamus: par enim est utraque quæstio obscuritate & mysterio. Solus Deus est qui est, hoc est Ens simpliciter, omnino ens, super ens. Est Primum Ens & simplicissimum, ideoque immultiplicabile, implicat enim dari duo Prima. Omnis creatura est aliqualiter-ens, & aliqualiter-nihil. Videntur ergo cunctæ res creatæ compositæ ex ente & nihilo, sive ex affirmatione & negatione constare; illa quidem finita, hæc infinita est. Affirmatio dicit esse, negatio non-esse. Homo quidem est per se & necessario animal rationale; simul tamen per se & necessario non asinus, non bos, non lapis, non Deus, non cælum, & infinita negatione circumdatus. Idem in cæteris rebus patet. Et quidem Verbo suo Deus cuncta creavit, dicendo ut sint, & donando *esse*, uti sapientissimus Moyses docet. Prius ergo erant *nihil*. Cum autem ceperunt esse, non perdiderunt ipsum Nihil totaliter, quoniam non totum esse acceperunt; & hinc est, ut ait August. in lib. de cogn. veræ vitæ, quod omnia de se in nihilum tendunt, ac propterea moriuntur & transmutantur. Deus autem non patitur in nihilum abire & exsuperari entitatem suam quam largitus est ab ipso Non-ente: ideoque dum ad non-ens labuntur, non perveniunt ad illud, sed in aliud ens transmutantur. Sphæra enim Entis est infinita, & non permittit extra se quippiam ire. Permittit autem Deus transmutationem propter melius, ut modis innumeris sua idea repræsentetur & communicetur.

LXI. Sed qui fieri potest, ut ex *esse* & *non-esse* fiat Compositum? Et si ipsum Non-ens non est, quomodo componit? Vnumquodque enim prius est natura, quam componat, & quomodo ex finito & infinito aliquid potest componi?

Resp. Multiplicem dari compositionem, sicut & resolutionem, ut alibi diximus; alia videlicet est compositio Elementaris, ut Orationis ex literis; alia Causalis ut hominis ex anima & corpore: alia essentialis, ut Entis ex Primalitatibus; alia accidentalis, ut albedinis & pomi: in quibus resolutio alia fit secundum rem, ut in literas: alia secundum rationes essentiales, ut ignis in tenuitatem & calorem resolvitur, licet hæc non possint reperiri seorsum, alia sola ratione, ut Petrus subjectum a Petro prædicato, in hac oratione, Petrus est Petrus. Profecto ratio non potest resolvere, nedum Natura, ea, quæ non habent propriam entitatem sed alterius est alterum: quæ autem habent, bene resolvit. Nunquam enim sejunges motum a mobili sicut calorem a ferro. Ad propositum autem. Resp. quod alia sit compositio ex differentibus rebus actu separatis, & mox conjunctis, ut mistio ex aqua & vino, ex igne & ferro. Hæc enim conveniunt genere, & specie differunt. Alia est ex diversis genere, sicut ex calore & materia attenuata fit ignis. Alia ex individuis ejusdem speciei, sicut ex duobus vinis fit unum. Et quidem in his omnibus fit unum tertium distinctum a componentibus, quod neutrum illorum est, sed vel illa simul sumpta, ut quando nulla facta alteratione miscentur, ut lapidum maceria, & militum acies. Vbi enim fit alteratio, rediguntur in tertium quod neutrum est: semper tamen tertium est neutrum, sed vel magis, ut in mistione perfecta aquæ & vini, vel minus, ut in ferro ignito, & in domo ex lapidibus, ligno, arena & calce compacta. Compositio autem Entis, & Non-entis facit quidem tertium, quod non est ens purum, nec non-ens. Nec enim homo est nihil, sed nec prorsus ens: sed est hoc ens, aut aliquod ens. Est autem aliquod, quia non est omnia entia. Ergo non-esse facit ut sit aliquod non minus quam esse. Quinimo *esse* de se est infinitum & immensum, ut patet in Deo, in quo est purum. Vt autem finiatur & modificetur, habet a non-ente: si enim homo non participaret nihilum, utique omnia entia foret & omnipotens & omniscium & omnivolum. At multa non potest, & infinita ignorat, & infinita non amat. Ergo componitur ex Potentia & non-potentia, ex scientia & non-scientia, ex voluntate & non-voluntate: non posse vero, & nescire & nolle, non-entia sunt. Quapropter qui negat hominem componi ex Ente & non-ente, negat in homine ignorantiam & noluntatem & impotentiam: negat & peccatum, & malum, & privationem in eo reperiri; hæc enim omnia sunt non-entis effectus.

Considerandum tamen est hujusmodi Compositionem non esse physicam, sed transcendentalem, non tamen quæ pertingat ad Deum, nisi ut a nobis capitur. Deque enim quatenus est non-lapis, videtur nobis componi ex esse Deum, & ex non-esse lapidem: sed quia non-esse lapidem, quatenus dicit esse, Deo non competit, sed quatenus dicit non-esse; & duæ negationes se mutuo destruunt, efficitur, ut, cum dico, Deus

non

non est lapis, nihil componam, veluti compono quando dico: homo non est lapis.

LXII. Dices: Homo non est asinus, quia est rationalis, & non quia non est rudibilis. Sed Contra: Homo, in quantum animal, est etiam asinus, vel non repugnanter: at in quantum rationalis, non est asinus. Ut autem animal sit rationale, ita quod non rudibile, quid causae est? Non quidem rationalitas, quia ipsa non est causa sui esse, nec sui non esse. Nec Deus, quia Deus praehabet in se non modo rationalis, sed cujuscunque animalis entitatem, quia ejus natura est omnis natura (supereminenter) & ejus nomen est omne nomen, ut loquitur Trismegistus. Consequens est, ut ideo homo sit solummodo rationalis, quia participat nihilum propter quod non est asinus & alia entia.

Sed ajunt, Deus voluit hominem ita esse rationalem, quod non rudibilem, nec lapidem &c. Hoc autem nihil obstat nostrae positioni. Deus enim cum sit maxime ens absque modo, non est causa non-entis effectiva, & effusiva, sed permissiva & ordinativa tantum. Non enim potest effundere non-esse, quod non habet. Igitur dum facit hominem solummodo rationalem, non dat ei quod non sit lapis, & asinus, sed relinquit illi non-esse lapidem & asinum. Antequam enim homo esset, erat nihil horum videlicet nec homo, nec lapis, nec asinus. Cum ergo dat ei esse hominem, non dat non-esse lapidem; quoniam hoc non-esse jam inerat illi. Igitur relinquitur a Deo, & non datur non-esse. Ideo si de nihilo cuncta creavit, cuncta ex entitate a Deo data, & ex non-entitate a nihilo contracta, componuntur. Et haec est sapientia Dei maxima quae utitur non-Ente tanquam ente, & *vocat ea qua non sunt, tanquam* ea quae sunt, ut dicit Apost. ad Rom. 4. 17. Et quidem peccata, casus, fortuna, contingentia, impotentia, ignorantia, odium, privatio, malum & divisio & numerus sunt a Non-ente per primi Entis sapientiam tractato. Necessitas, potestas, bonitas, habitus, unitas sunt ab Ente. Et qui non sic sapit, caecutit, si credimus Campanellae. Fateor tamen difficilem captu esse compositionem istam transcendentalem ex Ente & non-ente in quavis creatura: quo circa sit

LXIII. Quaestio 1. Quid si rei Negatio & quid entis? an sit merissimum nihil ex omni parte? Ad hanc quaestionem respondet novissime P. Aloysius Kimmet Ens negativum semper supponere simul positivum, & non esse ullam negationem meram, quae non in positivo fundetur, & non simul sit Ens. Demonstrari vult ex eo, quod Non-entia, sive entia negativa (dicitur *Ens positivum, quod & quatenus affirmabile est; negativum, quod & quatenus negabile*) habeant proprietates Entis. Nam mors est pretiosa sanctis, morbus proficuus ad patientiam, tenebrae utiles ad quietem; & sic infinita entia negativa. Habent quoque unitatem; quia una negatio non est alia; caecitas non est fames; aegritudo non est mors. Tenebrae non sunt paupertas; ergo differunt inter se, quomodo autem? an in nihilo? sed si in nihilo differunt, non differunt. An in aliquo? ergo negationes aliquid sunt. Praeterea Angelus non est lapis, non est planta, non est brutum, non est homo, non est Deus; ergo est non-lapis, non-planta, non-homo, non-Deus: juxta Regulam Dialecticès, quod vere negatur finitanter, affirmatur vere infinitanter de eodem subjecto, & contra. Sed non-lapis est negatio lapidis, non-planta negatio plantae, non-homo negatio hominis: ergo Angelus, cum verum sit ens, vera etiam negatio est entium. Idem dici potest de quovis Ente: ergo quodvis ens non solum est Ens, sed etiam est negatio entis: non ergo negatio entis est merissimum nihil, quod imperiti perperam sibi imaginantur, dum veritates rerum obiter tantum & in superficie considerant. Unde (pergit hic Author num. 133. suae *Vera* [si Diis placet] *Philosophiae*,) Negatio non est aliud quid, quam relatio, qua quodlibet ens refertur ad aliud, tanquam aliud a se, vel tanquam non-ipsum; adeoque est ipsa unitas entis, qua unum cum sit, illud tantum est, quod est, & non est aliud quodlibet; positivum proinde simul est, & negativum: positivum quatenus est id, quod est; & negativum, quatenus non est omne aliud. Hinc est differentia entis est constitutiva simul, & distinctiva: constitutiva, per id quod est; & distinctiva per id quod non est, sive per relationem ad aliud quidvis, quod non est. Hinc subjectum Relationis dicitur habere duplex esse, scil. & *Esse in*, & *Esse ad*: *Esse in*, est positivum vel absolutum, quod positive & absolute est: *Esse ad* est respectivum, ratione termini, qui aliud quid est a fundamento.

LXIV. Hinc demum patet [subjungit num. 134.] quid rei sit *Oppositio Entium* & entitatum; nimirum ex innumerabilium entium structura, serie, taxi & conjunctione, necesse est varios eorum ordines, respectus & relationes suppullulare; ratione quorum sint inter sese, aut congrua aut discongrua. Unde qualitates, sub eodem genere, maxime distantes, quae eidem subjecto vicissim insunt, *contrarie* repugnant. *Privative* opponuntur forma & ejus negatio vel absentia in subjecto apto. *Contradicunt* sibi ens & non-ens, lapis & non lapis, quia non-lapis negat totum quod lapis est. Ideo infinitum dicitur non-lapis, quia infinita entia, indeterminata tamen, significat, scil. omnia, quae non sunt lapis, *Relative* opponuntur, inter quae maxime spectabilis est relatio. Quae alio modo opposita sunt, ita tamen, ut ad nullam horum Classem reponantur, *disparata* dicuntur. Hucusque Kimmet, de Negationibus Entis.

LXV. Nos vero Respondemus 1. & dicimus non omnia nomina posse infinitari: Ens enim transcendentaliter & in omni latitudine sumptum, & si qua praedicata cum Ente asserantur converti, infinitari non potest. Possum concipere non-equum, non vero non-ens, tum quia implicat concipere aliquid sine Idea: Non-ens autem simpliciter, hoc est prout negat omne ens, caret Idea, & informe est. Aliud est de Non-ente hoc, v.g. caecitas, quae est non-esse visus, hoc enim qualificatur per respectum ad habitum: non enim caecitas est nihilum, sed hoc nihilum terminatae in animali. Neque non-homo est omne non-ens, sed hujus non-ens, id est hominis, quo quasi finitur & formatur & sigillatur non Ens per τὸ non homo. Tum quia si ens infinitaretur, connecterentur & identificarentur duo termini contradictorii: quia sicut *non-equus*; ita resolvitur: est ens quod non est equus: sic similiter, *non-ens*, foret ens quod non est ens, adeoque aperta contradictio. Et ut hoc melius percalleas, Nota, non posse concipi Negationem aliquam sine subjecto: ideo cum dicimus animal irrationale, intelligimus animal affectum rationalitatis negatione: cum dicimus non-equum, intelligimus saltem ens cum negatione

gatione equinitatis. Reliquum, si diceremus non-ens, quid poneremus pro subjecto? quidquid poneretur esset ens; ac propterea simul ens & non-ens. Hinc rectè Athanasius Kircherus Itiner. Extat. P. I. Dialog. 2. cap. 9. n. 2. ait: Infinitum & Nihil concipi non possunt a mente humana sensibilibus affecta: quod certissimum est, si intelligamus conceptum per species proprias, prout diximus etiam de Ente rationis chymærico; & mox pluribus ostendemus de Negatione.

LXVI. 2. Dicimus, Eo sensu & veritate quo Privatio est, etiam Nihilum est. Cogimur autem fateri privationem dari & esse, quoniam revera dantur cæci: Cæcitas autem est Non-ens: hoc est, non esse videntem, ideoque & Non-ens ponere necessum habemus. Vnde & D. Thomas cum Dionysio malum esse, dicit, & non nisi in Bono; quoniam subjectum privatum sua perfectione dicitur Malum. Atqui privatio nihil differt a negatione, nisi quia ipsa est particularis negatio habitus in subjecto nato habere. Animal enim suffossis oculis dicitur cæcum, & non videns. Lapis enim nequaquam dicitur cæcus, & privatus visu, quoniam non est natus habere. Dicitur tamen non-videns, & carens visu, & revera non habens visum: sed sicut cæcitas, quæ non-ens est, revera est in animali, ita est & in lapide, & nihil ponit plus debuisse habere, vel habuisse aliquando in animali, quàm in lapide non debuisse habere nec habuisse, quantum ad hoc quod faciat Ens esse cæcitatem in animali, & non in lapide: sed æqua est non ens utrobique, licet peccatum naturæ, vel moris in subjecto nato includatur.

Igitur secundum hosce sapientes, & Augustinum adversus Manichæos disputantem, fateri oportet esse Nihilum in rebus, & quidem formaliter, ut ait Cajetanus, sed non tanquam exercens positivum actum, sed negativum, quod & nos dicimus. Hinc inquit S. Thomas, *τὸ ens* seu *est*, dicere veritatem propositionis, non entitatis: cum ergo dicimus privationem *esse* in oculo, & Nihilum *fuisse* ante Mundi creationem, *τὸ esse* & *fuisse*, dicit veritatem propositionis, non autem realitatem entitatis.

Vnde rationes a P. Kimmet adductæ, quod proprietates Entis, *verum*, *bonum*, *utile* &c. conveniant Negationibus, nimium probant, nempe Negationes formaliter sumptas ens esse positivum, cum illa prædicata non conveniant Negationibus secundum se, sed ratione subjecti quod involvunt in obliquo & per accidens illi attribuantur. Et cum dicit Negationem non esse aliud quid, quam Relatio, scire debebat Relationes minimam entitatem, & multum non-esse habere, & forte plus accedere ad Non-esse, quam tempus & motus, quoniam, etiam juxta ipsius doctrinam, resultant ex sola habitudine alterius ad alterum in coëxistentia, & per se non subsistunt, neque sunt aliquid nisi fundamentum suum respiciens ad aliud, uti magis declarabitur in Tract. XL. De Relationibus.

LXVII. 3. Dicimus, Non-ens neque esse in Deo, neque extra Deum, neque in Mente, neque extra Mentem. Quod enim intelligitur, Ens est. Quatenus ergo intelligitur, habet *esse τὸ Nihilum*. Sed quia non intelligitur, nisi per ipsum *esse*: cognosco enim *non-esse* hominis in asino, quia cognosco alibi hominem, & asinum alibi, & cognosco tenebras videndo lucem, & carentiam hujus considerando: & cognosco Non-esse per remotionem *esse*, non per ipsum *Non-esse*, ideo dicendum est, quod veluti natura & essentia *Entis* est *esse*; ita *non-entis* essentia est *non esse*. *Entis-omnino* est *esse-omnino*: *Entis-aliquo modo* (creaturæ) est esse aliquo modo: ita *Non entis-simpliciter* est non-esse-simpliciter: *Non-entis-secundum quid* est non-esse-secundum quid. Dubitant Sophistæ apud Platonem, putantes Nihilum esse: cum enim dico, *Nihilum est nihil*, per *τὸ EST* assero ipsum esse. Sed non perceperunt, quod quia *nihilum* non potest intelligi, nisi per ens; ita non potest proferri voce; nisi per vocabula Entis apposita negatione. Dicitur enim *Nihilum*, quasi *nec hilum*, quod est fabæ nigrum: & Non-ens clare per entis negationem pronuntiatur. Itaque cum dico, Nihil est nihil, *τὸ est*, dicit veritatem propositionis; & nihil ponit in re. Et quidem errat intellectus & lingua, dum per *τὸ EST*, de nihilo loquuntur. Sed coguntur ita facere, quoniam vocabula & idea Nihili non sunt, & per entis vocabula & ideas (hoc est per species alienas uti declarat pulchre Ptolomæus) concipitur & declaratur, unde fit Ens rationis quod est, Nihilum rei. Caremus enim copula Non-entis, respondente copulæ entis *EST*; & componimus eam ex *non* & est: sicuti composita est notio non-entis cum notione entis.

Quapropter cum componimus res creatas ex Ente & non-ente, non oportet eodem modo, quo Ens ponimus, ponere Non-ens in rerum natura, ad hoc quod componat: quoniam dum ipsum componit, non dat; sed removet: sed quia revera removet, non quia quod est, aufert, sed quia terminat, Esse non positive sed negative, ideo dicitur componere, quoniam ponit revera non esse. Sed

Contra, si carentia entitatis alicujus revera est, nemine cogitante, prout homo revera caret asinitate, ergo revera Non-ens est in homine. Et quia vere intelligo hominem non esse asinum, ergo vere intelligo Non-ens. Item, quod plus est, sentio etiam ipsum *non-esse*. Video enim Petrum in platea esse: mox ipso discedente video Petrum in platea non esse, ergo carentia, & privatio & non-entitas etiam sensibus palam est.

Resp. Non posse cognosci Petrum non-esse in platea, nisi quia cognoscitur Petrus. Petrus autem Ens est. At si ejus remotionem cognoscimus, remotionem cognoscimus, quæ est non-ens. Resp. non cognosci remotionem per se, sed per accidens, hoc est, per Petrum remotum. Ergo non-esse quatenus in ente fundatur, cognoscitur, & non per se. Sicut cæcitas in oculo, non in se.

Sed Contra. Quamvis non noverim Petrum, attamen ubi in platea Petrum non video, ejus absentiam video. Resp. quod absentia, alicujus est absentia, & quatenus quæ adesse possunt confuse & universaliter cognosco, ita quæ absunt abesse cognosco propter notitiam confusam illorum. Sed

Contra. Distinctè & vere cognosco neminem esse in platea, & absentiam; quæ autem absunt confuse cognosco, ergo non-esse percipitur per se, & non per se, alias confuse quoque absentia nosceretur, si illud per quod noscitur ipsa confuse noscitur. Resp. absentiam distinctè cognosci non posse, nisi distinctè absentes noscantur, non quod sint homines isti vel illi, nec animalia, nec lapides, nec cælum, sed quod sunt entia. Cum esse præsens sit actus entis, & esse absens sit priva-

 tio entis

tio entis ibidem: & ens sit per se primo notum, utique distincte noscimus abesse entia mult a vel infinita. Non autem oportet scire quid & quæ sint, quoniam non-esse opponitur enti, & non quidditatibus particularibus distinctisque. Et sane maximum paradoxum est dicere, quod negationes non solum sint quid per se intelligibile; sed etiam sensibile, adeoque vel sint coloratæ, vel sonoræ vel sapidæ &c. Ea enim duntaxat cognoscuntur, quæ sensum movent per se, vel per accidens: cum autem Non-ens non movit movere per se sensum, aut intellectum; consequens est ut non per se noscatur, sed per aliud, quod potest movere. Cognoscere ergo non-esse, est non moveri; & per hoc quod spiritus & Mens percipit se non moveri, per hoc percipit non-esse. Hoc autem discursu, non sensu percipimus, nisi quatenus spiritus sentiens est simul discurrens. Sed hujusmodi notitia Non-entis per remotionem Entis est alicujus non entis, non autem Non-entis simpliciter. Homo autem percipit ipsum Nihilum simpliciter. Ergo oporteret ipsum cognoscere Ens-simpliciter, si per Ens scimus Non-ens. Ergo homo cognosceret Deum per se, & Nihilum per accidens: cum tamen constet Deum per accidens nosci, id est per effectus; nec tamen ipsum esse Dei a nobis percipi ex eis potest, nisi quod verum sit, Deum esse, teste D. Thoma. Resp. Ipsum nihilum simpliciter cognosci per ipsius Entis simpliciter remotionem, non autem per speciem Nihi'i. Et quia Ens-simpliciter est Deus, cum Deum non esse intelligimus, ipsum Nihilum intelligimus. Deum autem non esse non possumus intelligere nisi per effectus & similitudines discurrendo, veluti per effectus esse quoque novimus. Ex eo namque quod lapidem non esse apprehendimus, & hominem non esse, quoniam hic vel ille homo non est, mox & cœlum non esse possumus intelligere per syllogismum, & terram non esse, & mox omnia entia non esse & tandem Deum non esse. Non tamen possumus assentiri omnia, & Deum non esse, & per consequens Nihilum esse, quoniam quando concipimus res non esse, non possumus concipere nosmetipsos non esse. Si enim non sumus, nequaquam intelligimus. Si autem nos sumus, & Deus est: quoniam si datur aliquod Ens per participationem diminutum, datur & Ens per essentiam & perfectum. Possumus tamen nostrum non esse intelligere per remotionem nostri esse, quoniam & aliorum entium remotionem novimus.

Igitur patet responsio ad argumentum, quod veluti Deum per effectus esse novimus, ita & Nihilum, quoniam ex eo quod hoc & illud ens non esse & deficere videmus, apprehendimus totius entis non esse, quod est purum Nihilum. veluti totius Entis esse quod est Deus, per hujus & illius esse prænoscebamus. Et sicut cognoscimus Ens esse, ita non-ens non esse.

LXVIII. Sed profecto ex hoc discursu sequitur quod cum dicimus Non-ens non esse asserimus Ens esse: non ergo verum erat, quod ponebamus Non-ens esse, & participari ab entibus particularibus & secundum quid est. Iterum si substantia Non-entis est non-esse, quomodo Privatio & Negatio sunt?

Resp. tamen, quod quia essentia *non-entis* est non esse: & ipsum non-esse per remotionem esse intelligitur & declaratur: ideo cum dicimus Nihilum non esse, directe removemus nihilum, & indirecte ponimus Ens. Et hoc est quod Logici dicunt ex duabus negationibus unam affirmationem fieri. Si enim dico Petrus non est non rationalis, assero Petrum esse rationalem. Sicut enim esse ponit seipsum, ita non-esse removet esse seipsum. Et ideo affirmatio, quæ est positio entis, magis affirmat replicata, negatio vero magis negat; (loquendo de idiomate latino, secus est in germanico) ergo & seipsam negat, & per consequens indirecte ponit affirmationem. Et Regula est, quod negatio, quidquid post se invenit, destruit, & ejus oppositum inducit. Et hoc. quotiescunque fiunt simul ita, ut componant, dum negant, affirmant. Sic *nonnullus* homo est albus, idem valet quod *aliquis* homo est albus.

LXIX. Redeuntes jam ad quæstionem, confirmamus Essentiam Non-entis esse non-esse: & tamen componere cum esse. Nec inquirendum est, ubi sit Non-ens, quoniam ejus natura est ut non sit. Et cum dicimus, ex Nihilo cuncta fuisse creata, intelligimus ex eo quod non erant, Nam si erant, non creabantur. Utimur tamen non-esse tanquam esse, quia cogimur ita loqui & intelligere.

Sed contra. Si res factæ sunt ex Nihilo, quod non erat, ergo factæ sunt ex Ente, quod erat. Hoc enim est non esse nihilum, videlicet esse ens. Nihilum autem esse, est ens non esse, ut patet ex declarata æquipollentia: sed revera non erat esse creaturarum, ergo revera erat non-esse & nihilum. Sicut & nunc re-vera non est in homine esse lapidis, ergo revera æquipollenter est in homine non esse lapidis, sicut in cæco non videre. Ergo Non-ens revera est: non ergo ejus natura est non-esse sed esse.

Respondeo, Non-ens esse negative, sed non positive. Est enim non ut dans, sed ut auferens. Dare enim non-esse, est auferre esse. Et quidem revera non-esse Mundi præfuit ante creationem, sed non præfuit ponendo, sed negando esse. Et hoc quidem est vere & simpliciter inveniri malum, ait subtiliter Cajetanus, quia formaliter invenitur, & secundum modum sui generis, puta Non-entis & privationis. Ergo, inquam, & Non-ens est secundum suum esse, quod est non-esse. Et propterea non est concedendum, ut multi contendunt, Negationem non-entis, ponere ens proprie & per se, sed per accidens & indirecte. Nec enim cum dico, *Non-ens non est*, assero, *Ens est*, principaliter, sed connotanter, Ergo cum dicimus, Non-ens non est, *τὸ non est*, dupliciter intelligi potest, *essentialiter*, & *existenter*. Essentialiter vera est, quia essentia non-entis est non esse; Existenter autem falsa est, quoniam invenitur verum in Mundo, quod multa non sint, & quod homo non est asinus; & quod non sint plures Soles; & quod non-esse Mundi præfuit. Sed positio hujusmodi non-esse, est essentialiter negatio.

Dices. Si negatio negat & non ponit, ergo neque seipsam ponit, alias Nihili natum non esset, ut non sit; ergo non ponebat non-esse Mundi ante creationem. Resp. Nihilum fuisse ponendo se, & non auferendo, sed alia a se auferendo & negando. Et quidem naturam suam esse ut non sit existentia positiva aliorum, non tamen negativa essentiali sibi, quoniam essentiatur suo non-esse. Cæterum quoniam per esse illud cognoscimus & eloquimur: necessario damus illi essentiam & existentiam rationis non rei juxta modum suum, intellectum per oppositum modum entis.

LXX. Quæritur 2. Quotuplex sit Non-ens? Resp. quod Non-ens dividitur in Negationem, Privationem, Diversitatem, Contrarietatem, Differentiam & Singularitatem

gularitatem. Negatio est purum-nihilum fundamentaliter. Et essentiatur per non-esse, & per non-existere. Nam suum existere est negare & removere. Ergo ante creationem præfuit hujusmodi negatio, quæ est Nihilum. Sed suum esse, est non-esse Mundi: sicut esse caloris in igne per accidens est non-esse frigoris. Quapropter cum damus Existentiam Nihilo, juxta modum suum damus. Et quidem non essentia, nec existentia deberet nuncupari, sed mutuamur vocabulum ab Ente, per quod ipsum non-ens intelligimus. Sed vere ipsum non esse, fateri oportet a parte rei: & dici *ens rei:* at quia non concipitur a nobis, nisi ut ens, fieri ens rationis, quod est non-ens rei. Et cum diximus essentiam ejus esse, ut non sit: non intelleximus, quasi non reperiatur, sed quod non reperiator ut affirmans & potiens. Et cum dicimus, ipsum existere, intelligimus quod ponit seipsum. Ponere autem seipsum est alterius generis a positione entis. Nullum enim ens exclodit aliud ens, nisi quatenus annexum non-ens. Sed non-ens proprie excludit ens, & seipsum aliquando; ut dictum est. Hoc autem purum-nihil intelligi non potest, nec unquam fuit, nec erit, nisi in intellectu apprehendente ipsum per oppositam ideam entis, & ejus remotionem. Et esse ejus est non-esse aliorum: & proprium esse non habet, quoniam si haberet esse, non esset non-ens purum. Nec tamen natura ejus est ut non sit, alias oon reperiretur ens, quod non est simul aliud ens: & quæ nondum nata aut creata sunt, essent, & Mundus fuisset antequam esset. Sed quia non fuit, oportet dicere Nihilum fuisse, & nunc etiam esse, quoniam homo non est lapis: sed est exercens actum non-entis, & non actum entis: & ideo dictum est, quod ejus essentia est non-esse. Quoniam & proprium ejus esse, non debet dici esse: sed cogimur ita illud dicere, quoniam ita intelligere modo valemus.

Ex *non-esse* vero hujusmodi *simpliciter*, & ex esse-simpliciter non potest aliquid componi. Quod enim simpliciter est, (ut Solus Deus) nullam compatitur nihilitatem. At ex non-esse secundum quid, & ex ente secundum qoid potest componi, prout ex homine & ex non asino componitur homo. Et hæc compositio est infinita ex parte non-entis, sicut dictum est. At non potest ex homine & non-homine fieri compositio, quia idem non potest esse homo, & non-homo secundum idem. Omne enim esse excludit suum non-esse, & e converso. Quapropter cum contradictio fundetur super esse, & non-esse; nunquam possunt verificari duæ contradictoriæ ejusdem de eodem secundum idem & in eodem. Præterea etsi τὸ *Non homo*, non sit purum Nihil, est tamen hominis nihilum perfectum, non autem entis.

LXXI. Occasionaliter hic observa: Quando contradictorius terminus positivus est concretum e. gr. *album;* negativus termins *non album*, exponitur habens carentiam albedinis: in recto venit illud ipsum, subjectum positivum quodcunque sit (modo sit incapax albedinis, alioquin proprie esset terminus privativus). Ita P. Ptolomæus dissert. 4. Physico-metaph. de opposit. contrad. num. 5. Vbi hoc notat mysterium, viderut enim non esse contradictorius terminus ille negativus: nam secundum rectum tum album, quam non-album sunt quid positivum contra definitionem contradictoriorum; vult enim terminum concretum esse virtualiter copulativum; adeoque illi contradicere terminum virtualiter disjunctivum. Vnde juxta illum terminus *album* exponitur: existens & habens albedinem: terminus *non-album*; vel non-existens, vel non-habens albedinem: ita interpretatur omnia contradictoria inter terminos concretos. Non capio hoc mysterium, puto enim contradictorias propositiones requirere unum idemque subjectum, qnod est habens seu rectum; dici contradictorias quod opponantur adæquate, hoc est quoad veritatem & falsitatem, hoc est quod nec simul veræ, nec simul falsæ esse possint. Terminos contradictorios, qui nec simul adesse, nec sibi abesse possont, sive qui nec simul affirmari nec simul negari possunt de uno eodemque subjecto eodem modo sumpto, nec aliud requiro mysterium.

Considerant porro Logici Negationem negantem, quam vocant partem contradictionis, de qua dictum est: & Negationem infinitantem, ut non-homo. Quoniam de infinitis rebus potest dici, τὸ non-homo, exceptis hominibus, ut jam sæpe dictum. Non possum tamen dicere, animal est non-homo, nec ens est non-homo, nec Deus est non-homo, quia non patiuntur Vniversalia non-entitatem. Quapropter non dicimus hominem componi ex homine & non-homine. Sic enim componeretur ex homine & asino: asinus enim est non-homo: sed intelligimus fieri ex non-homine tanquam ex privatione præcedenti, non autem ex constituente. Homo ergo componitur ex esse hominis & non-esse aliorum entium per se, sed per accidens componitur etiam ex esse aliorum. Homo enim per accidens est albus, sed est non-albedo, & per se neque albus, neque non albus. Ex his palam est *nihilum simpliciter* non fundari in ente simpliciter, neque secundum quid, sed tantum intelligi per oppositum suum. *Nihilum* vero *secundum quid*, ut non-asinus fundari posse in subjecto, quod importat in recto, ut homo est non-asinus, quam resolvo, habens humanitatem est habens carentiam asinitatis. At ens non est nihil unquam.

LXXII. At hic mihi suboritur dubium, an hæ propositiones sint æquipollentes: *Homo non est asinus. Homo est non-asinus. Homo est negatio asini.* De duabus prioribus non videtur dubitandum, nam juxta omnes prima convertitur in secundam per Contrapositionem. De tertia non ita certum. Videtur enim distinguendum inter terminum negativum Concretum, & Abstractum, Distinguendum est hoc (inquit P. Ptolomæus) quod est *non esse rem objectivam*, ab eo, quod est *negatio formalis objectiva*. Per hoc secundum enim venit formola quædam, quæ denominet illud primum tanquam concretum. Et mox subdit: Hi termini, *rem non esse: non existere rem: rem nihil esse: non res: non ens* sunt synonyma & respective ad diversos status exponenda. Isti autem termini: *negatio formalis rei: non esse rei: nihileitas rei*, item synonyma sunt. Nisi primos distinguas a secundis, quæstionem hanc obtenebrabis, ut nonnulli, a quibus negatio formalis in abstracto sumitur promiscue pro negato formali in concreto, seu pro termino vere negativo: sicuti differentia & distinctio per usum usurpatur pro differenti & distinctio, quod tamen emendabis negando suppositionem ad similes enuntiationes. Iubet porro ibidem diligenter distinguendum inter hos terminos, *rem non esse*, &, *non esse rei:* secundus significat formam abstractam, quemadmodum omne infinitum positum sine accusativo regente. Pri-

mus

mus vero terminus significat illud notissimum *existere*: idque propter accusativum regentem: sic e.g. *Amare Deum est virtut: Petrum amare Deum est virtus.* Prima propositio est vera; quia idem est amare Deum, ac amor Dei: secunda falsa, quia Petrum amare Deum est idem, ac quod Petrus amet Deum: sed quod Petrus amet Deum, est quidem quod Petrus faciat actum virtutis, non quod sit virtus: ita in casu nostro *rem non esse* est idem, ac quod res non sit: sed falsissimum est quod idem sit, ac negatio formalis rei, seu non esse rei, ut quod Petrus amans Deum sit amor Dei: aut Paries albus sit albedo. Itaque de hoc termino, non esse rei, ita intellecto pro ratione formali litigatur.

At rationem dubitandi nutat quidem idem Author loc. cit. sect. 1. n. 10. Discrimen inter contradictoria contingentia & necessaria, quod in illis de subjecto propositionis prædicari non possit negatio in recto: & dici Anti-Christus est negatio suæ existentiæ: at in terminis necessariis dici posse videatur homo est negatio equi, seu negatio identitatis cum equo: rationem dat, quia in formalitatibus valet prædicatio tum in abstracto, tum in concreto: unde homo est animal, & est animalitas. Sic ille. At nos existimamus hanc propositionem: homo est animalitas, tantum esse veram materialiter & identice, non formaliter; multo minus istam: Homo est negatio vel non-esse asini, cum talis identitas inter ens positivum & negativum non reperiatur, qualis inter formalitates positivas & rem, esto consecutio necessaria concedatur non esse asini ad esse hominis.

LXXIII. Denique adverte, Terminum *nihil*, vel *nihilum* secundum se laborare æquivocatione. Primo significare potest idem ac non-ens simpliciter, removendo omne ens, etiam necessarium, & sic est ipsissima chymæra. Si autem sumatur pro nihilo secundum quid, ita ut connotet subjectum reale, ut Antichristus nunc est nihil, est vera propositio pro statu existentiali: sed pro statu essentiali de nullo subjecto reali, nisi cum addito & termino cum veritate affirmatur e.g. homo est nihil ut in statu esseoriali, nisi addas *est nihil equi*, falsum dicis: de chymæra vero dicitur: chymæra est nihil pro omni statu.

Secundo termious *Nihil* significare potest idem ac terminus positivus cum syncategoremate, e.g. *nulla res*, exponiturque per copulativam negativam nec ista res, nec illa, nec illa &c. Istum vero usum habet terminus *nihil* communiter cum ponitur pro subjecto: & inde est, quod sicuti copulativa illa negativa non designat negationem formalem termini copulati (& hæc res, & illa res &c.) sed negat per modum unius ipsam propositionem, hoc est copulam, & non terminos illius; ita etiam terminus nihil, cum eodem munere fungitur, e.g. *nihil creatum est Deus*: quid negatur? non sobjectum, non prædicatum, sed copula & propositio per modum unius.

Idem terminus *nihil* mentalis, seu vocalis æquivocationem pariter ratione transpositionis in propositione, ut cum dicitur *vox nihil nihil significat, aut significat nihil.* In prima propositione est idem ac, non haber significationem: secundo vero modo prolatus terminus *nihil* designat hoc ipsum objectum saltem in phantasmate substituro cognitum nempe *nihil.* Ita etiam diversi sensus est: *propositio habet pro objecto nihil, & propositio nihil habet pro objecto.*

LXXIV. Redeundo ad divisionem Non-entis supra datam: Privatio est negatio alicujus habitus debito alicui subjecto secundum ordinem Dei, aut naturæ, aut rationis. Vt Hannibal dicitur privatus gratia Dei, & visu, & Magistratu. Hujusmodi ergo negatio est non-entitas in subjecto susceptivo entitatis, quam negat. Diversitas autem est duorum entium genere separatorum, ut saporis & coloris: materiæ & formæ: & ex his potest fieri compositio realis & physica, quoniam ambo sunt entia. Contrarietas autem proprie est duorum entium activorum contendentium possidere idem regnum subjectum, sicut calor & frigus eandem molem corpoream. Hæc autem pugna est, quia Calor non est frigus, & e converso; & quid alterum est Ens, alterum non-ens, ut prisci dixerunt, nisi respectu perfecti & imperfecti, quod non facit: filia ergo non-entis est contrarietas, & non filia entis. Item & Bellum. Pugnant enim ad invicem, quia utrumque conatur vires & imperium suum ampliare, timetque ab altero destructionem sui esse. Potest autem fieri compositio ex contrariis, non tamen reconciliatis ad componendum unum tertium ens, sicut Peripatetici opinantur, quasi non opponerentur nisi *pro rata* ut loquitur Ptolomæus, ita ut calor ut 3. & frigus ut 5. in eodem subjecto pacifice se comportent, sed semper pugnant mutuo pro possessione molis subjectæ citta ullas inducias. Differentia vero est Contrarietas refracta, ut inter illa quæ sunt ejusdem generis post contrarietatem sequestrata. Et quia participant minus de non esse mutuo, minus oppugnantur. A negatione enim & ab affirmatiune quinto gradu elongantur. Itaque sicut inter pallidum & rubrum minor oppositio est, quam inter ostream & aquilam. Singularitas vero est minima oppositio, & minimum mutuæ non-entitatis participans: Petrus enim differt a Paulo singularitate, id est Hæcceitate, quæ facit ut Petrus non sit Paulus. Hæcceitas autem includit loci, temporis, actionis, passionis & infinitorum pene accidentium discordiam, dissonantiam, distantiam &c. quæ sunt in causa ne individuorum fiat compositio, maxime quidem faccienda, ut patet in homogeneis individuis.

Omne autem genus distinctionis esse Non-entis influxum, inde scire licet, quod idem a seipso non distinguatur sed ab alio. Aliud autem non est ipsum. Ergo non esse facit non ipsum, & distinctionem, ergo & numerum. Tantum abest quod negatio sit ipsa uoitas entis, ut contendit Kimmet supra num. Ex his palam est, omnem distinctionem intet entia fieri a non-ente fundato in ipsis: inter non-ens vero & ens fieri seipsis.

LXXV. Objic. 1. Tenebræ sunt negatio lucis, & tamen habent esse positivum: dicit enim scriptura, *tenebra erant super faciem abyssi*: *benedicite lux & tenebræ Domino.* Resp. Omissa prima parte antecedentis (quam negat Campanella) nego secundam, & explico Scripturam cum S. August. ad illum locum *sine ipso factum est nihil:* ubi Tract. 1. in Ioan. sic habet: "Vide te ne sic cogitetis: solent enim multi male intelligentes reputare aliquid esse nihil:" & addit alio loco: "tale est ac si locum aliquem, qui luce careat dicamus, tenebras habere, quod nihil aliud est quam lumen, non habere." Itaque exponendus est primus textus; *abyssus lumen non habebat*, ita enim in communi usu positive de negativis loquimur. Quoad benedictionem illam, figurata est locutio: invitantur enim homines

homines ut occasionem capiant a non esse lucem ad laudandum Deum.

Infers. Ergo aër est tenebrosus formaliter per se ipsum, quod est absurdum. Resp. Neg. suppositum: per τὸ *formaliter* jam suppono quod requiratur forma ut fit tenebrosus aer: imo vero requiritur ut non habear formam, sive lucem, idque non per aliam formam sed per connotatum.

Vrgebis. Aër per se ipsum non est lucidus, sed negas quod per seipsum sit tenebrosus, ergo esse tenebrosum non est idem ac non esse lucidum. Resp. dist. æquivocationem latentem in illo *non*, præcisive. Conc. maj. negative. N. maj. aër non lucidus negative seu privative est idem in re ac aër tenebrosus. Aer autem per se sive secundum naturam suam nec lucidus nec tenebrosus est, sed accidit ipsi recipere lucem, aut ea privari. Nec assentior P. Ptolomæo Differt. 4. Physico-Met. sect. 4. in contra 6. pernegant aërem posse esse lucidum & illuminatum, quasi vero corpus diaphanum illuminari non possit: nec capio quomodo dies sit aère non illuminato; aut cubiculum illustrari, manentibus in eo tenebris. Mox tamen sibi contrarius ibid. in Resp. ad Contra 13. Ad hoc argumentum. Aër est indifferens ut sit tenebrosus, vel lucidus, ergo debet determinari per aliquid, ut sit tenebrosus. Respond. concedo ant. & disting. consequens, debet determinari per aliquam formam. N. per aliquod connotatum. C. Statuerat autem hanc Conclusionem sect. 3. in ordine primam. Vel non datur, nec dari potest negatio formalis contingens a parte rei, hoc est independenter ab extrinseca denominatione intellectus operantis; vel si datur, est mera relatio prædicamentalis, ut relatio præteriti. Accordat P. Kimmet num. 133. his terminis. Negano non est aliud quid, quam relatio, qua quodlibet ens refertur ad aliud, tanquam aliud a se, vel tanquam nonipsum. Tu vide Tract. de Relatione, ubi ad cantilenam solitam Modalistarum: Quoties datur nova denominatio vel determinatio objectiva in natura, debet dari nova ratio formalis determinationis in natura. Respondetur cum dist. nova ratio formalis, id est nova forma. N. novum meritum objectivum consistens sufficientissime in connotatione. C.

LXXVIII. Pro coronide hujus Tractatus addo unum alterumve argumentum contra negationes objectivas in materia necessaria, quæ nil sunt nisi chymæræ, a nullo intellectu conceptibiles per species proprias. Arguitur itaque primo. Propositionum contradictoriarum natura requirit, ut versentur circa unum idemque objectum, hoc est quoad omnem statum, circumstantiam, imo formalitatem eandem objecti: atqui si hæc propositio: Petrus non est animal, versaretur circa objectum fictum; sicut & ista affirmativa: Hircus est cervus, aut Petrus est asinus, non haberent idem objectum, quod earum contradictoriæ, quia altera versaretur circa objectum reale & verum, altera circa ens rationis fictum.

Respondent aliqui, esse contradictorias secundum dici. Sed contra, quia tali modo omnes aliæ erunt etiam solum contradictoriæ secundum dici.

Respondent alii eas habere idem objectum materiale, non formale. Contra est, idem formale debet tolli per negativam propositionem quod affirmatur per contradictoriam, ergo idem objectum formale debet attingi in utraque ant. prob. si negans propositio: Hircus non est cervus, tolleret negationem identitatis realis, & non etiam fictæ, possent verificari simul duæ contradictoriæ: nam Petrus potest habere negationem realis identitatis cum bove, & simul negationem identitatis fictæ in intellectu, ergo ut propositiones sint contradictoriæ debet tolli & attingi ab una, quod affirmatur ab altera.

Respondent alii, sæpedictas propositiones esse contradictorias, si accipiatur utraque in eodem statu, vel reali, vel intentionali: secus si una in statu reali; altera in intentionali. Contra. accipiamus ergo utramque, quoad prædicatum & subjectum in statu reali, dicendo: *Hircus realis non habet identitatem realem cum cervo reali, & Hircus realis habet identitatem cum &c.* Quæro an attingam eandem unionem vel non? si non, ergo non sunt contradictoriæ: si sic, habeo intentum, videlicet ex parte objecti non respondere unionem fictam; sed illius vicem ad summum subire cognitionem formalem extrinsecam intellectus.

Hunc nodum scindendo solvit P. Ptolomæus differt. 4. cit. sect. 1. n. 12. dicens: "Reliquæ proprietates contradictoriorum, quod nempe debeant esse, omnino de eodem objecto, in eodem statu, modo, loco, tempore, sensu, ratione (excepto tamen statu negativo & positivo) quod unum contradictoriorum necessario semper debeat dari, aliud necessario, deesse indeterminate vel determinate, prout sunt contingentia, vel necessaria contradictoria &c."

LXXIX. Suppono cum eodem Authore ibid. sect. 2. num. 8. Non esse rem chymærice & impossibiliter, esse objectum impossibile, adeoque censendum ut cætera impossibilia, nimirum involvere duo contradictoria, adeoque esse & non esse: nam unum contradictorium est semper positivum. Perinde igitur est incognoscibilis negativa Chymæra, ac cæteræ Chymæræ; & licet uno simplici termino proferatur, copulative exponitur e. g. *Non-Deus* exponitur, *non esse & esse Deum:* hoc est non esse id, quod est necessarium esse: aliud exemplum, *non esse omne omnino ens*, quod sub hoc termino universali quandoque profertur *non-ens*, & licet exponi videatur *non esse quidquam, cui ista formalitas competat:* explicari tamen debet, *non esse simul & esse aliquod ens:* nam licet nullum ens contingens esset, tamen Deus, qui summum est ens necessario semper est. Hæc ille. Nos autem supra diximus, ens latissime sumptum non posse infinitari, nam *non-ens* excludit omne ens, etiam Deum. At modo ad nostrum propositum id unice arripio & suppono omne impossibile involvere esse & non esse, adeoque implicare formalitatem simplicem impossibilem. Hinc contra fingentes inter Hircum & Cervum unionem quandam objective sit ad hominem.

Argumentum II. Iuxta te in Hirco-Cervo intervenit unio objective ficta, id est imposssibilis, ergo illa unio constabit saltem logice ex esse & non esse, non enim potest concipi ut omnino simplex. Illæ partes (esse & non esse) vel uniuntur se ipsis, vel unione tertia mediante; non primum, alioquin tota unio erit possibilis, & absurdum est dicere ens & non-ens uniri seipsis, ergo indigent unione distincta. De hac unione unionis quæro, sitne possibilis, vel impossibilis? si possibilis, ergo & una præcedens erat possibilis, contra concessa. Si impossibilis, ergo composita, ergo per aliam unionem, & sic in infinitum.

LXXX. Maneat ergo *Nihilum* esse incognoscibile, etiam a Deo. Deus autem per essentiam suam cognoscit omnia, ergo non entia cognoscit, quatenus cognoscit sua entitate illa carere: & qui hæc non penetrant sunt protervi, ut Calvinistæ; aut stupidi, ut rustici. Cognoscit tamen Deus non esse, & mortem per hoc quod cognoscit totum esse, totamque sui vitam, quod aliqua carent hac totalitate: nec tamen per syllogismum sed unico sui intuitu.

Probe ergo asseruit Arist. Non-entium non esse Scientiam, nisi nominalem. Hircocervus enim quid sit, scimus, dum nominis significationem interpretamur, non tamen de eo est definitio & Scientia realis, quoniam nunquam est, sed ejus esse est non esse.

TRACTATVS XXV
DE
FATO ET FORTVNA.

SECTIO I.

Quid sit Fatum, & quo sensu admittendum.

I. MAgnus influxus Sapientiæ Primalitatis rebus inditus est Fatum; differens a Necessitate, quæ videtur consistere in simplicibus, & solitarie sumptis rebus, eo quod ipsum Fatum videtur esse in rerum multarum concursu, & pertinere ad Sapientiam Divinam ordinantem, sicut necessitas ad potentiam dantem esse unicuique secundum modum suum. Vnde *Fatum* dicitur *a fando* ac dicendo, teste S. August. L. 5. de civit. Dei, quasi quæ Fato fiunt, ab aliquo dicente, & jubente ordinata & decreta sint, uti Stoici docent a Dei Verbo esse Fatum, teste Lactantio & Seneca. Augustinus quidem nomen Fati explodendum putat, quoniam dicit hoc datum fidelibus ab Astrologis; cui consentit D. Gregorius: quin etiam Philosophi antiquiores, qui Deo generationem Mundi & distinctionem rerum & regimen dederunt, Fati nomen vanum esse, falsumque dicunt, ut Anaxagoras, teste Alexandro in L. de Fato & in 2. de anima nec in S. Scriptura invenies nomen Fati, licet sors & casus & fortuna interdum inveniatur. Nam quæ nos tribuimus Fato, Moyses tribuit Deo, cum dicat: si quis occiderit hominem nolens, non sponte sua, sed quia delapsa est securis & occidit eum, non dicitur reus mortis, Deut. 19. 5. & Exod 21. 13. quia Dominus tradidit illum in manu sua &c. & semper repetit in ejusmodi eventibus, quod sit traditio Domini Dei, & non Fatum.

Verum, ait Alexander, qui negant nomen Fati, reclamant communi credulitati & usui loquendi: ideo non sunt fide digni. Sed resp. SS. Patres non credulitati veræ, sed falsæ reclamare: nec tollere nomen Fati, nisi ubi fallaciæ periculum in intellectu sit. Nam & D. Bern. in Cant. plorat suam fortunam, quam etiam tacere oportet, ne sit occasio errandi; & D. Thomas, & Decretales Tit. de Damno dato, nominant damna fortuito casu & fato data, & a proposito &c. Vnde August. loc. cit. negat Fatum sumptum pro sideratione; non autem pro Natura, aut serie causarum, aut pro Decreto divino, aut pro executione Decreti.

II. Philosophi anxie disquirunt quid sit Fatum: sed communis opinio est, quod sit ordo causarum. Quare non recte Aphrodis. ad causam Efficientem ipsum deducit, exceptis reliquis: quoniam nullum Fatum est, nisi causarum & causatorum concursus, & ordo conveniat, ut Seneca admonuit, a Deo pendens. Putat quoque Fatum non esse Naturam ipsam; quoniam quæ necessario fiunt & sunt, fato non dicuntur esse, ut hominem esse animal rationale. non fato dicimus: & hominem generare hominem, secundum naturam est, non secundum fatum. Porro nec Sol in Cancrum veniens regreditur: quoniam hoc sempiternum est. Item nec fato fieri putat, quæ arte fiunt. Nam dicere lecticam fato factam esse, aut Lyram modulationi accommodatam secundum fatum, ridiculum est; quin nec Elementorum transmutationem mutuam putat secundum fatum dici, sed solam generationem individuorum & præsertim animalium: ergo non omnis natura, sed Individuorum est Fatum. Inter homines autem non omnia fato fieri ostendit lex & consultatio, quæ a natura non sunt homini frustra: id quod esset, si Fato necessario cuncta evenirent: quia ergo dicimus, fato audaces, & rixatores violentam obire mortem: intemperatos vero, & voluptuosos immodestam: Avaros injustos in seipsos: & negligentes, rem familiarem modo curantes sibi ipsis esse mortis causam &c. Ideo videtur fatum esse cujusque naturæ, & fatale quod naturale. Item posse rescindi fatum; quoniam studio & doctrina & usu meliores redduntur homines. Et per medicinam ebrietates & mortes ab eis comprimuntur: unde patet Fatum non esse causam necessariam, nisi in pluribus, & posse a fortuna rescindi, quæ est causa ut in paucioribus: & a libero arbitrio corrigente vitia naturæ.

Sed nihil dicit iste homo in eo, quod tollit Fatum a rebus sempiternis. Nam & ipse Aristot. ejus testimonio nuncupat anni tempora in 1. Meteor. fato decreta. Sicut in 5. Phys. vocat violentas generationes non decretas fato: ubi patet, Aristotelem violentas, & præter naturam res extra fatum ponere, sicut docuit in 6. Metaph. evenire multa per accidens, quoniam causæ præjactæ possunt impediri. Similiter quoque falsum est, quod a necessariis excludatur fatum: quod enim homo sit animal rationale, secundum eum est fatale, sed secundum eum qui dixit, & facta sunt omnia. Ex ejus enim idea ordo nexus est, ut homo sit rationalis, asinus rudibilis, & unumquodque id quod est. At quod non-ens non sit ens, non videtur a Deo factum, sed necessitate naturæ divinæ essentiæ: ex quo enim Deus est omne ens, & nullum non ens, non potuit fieri, ut Ens sit non-ens. Et ideo contradictoria non verificari est, divinæ naturæ necessitate, non autem a decernente voluntate, sicut existentia cæterorum entium. At quod fiat nunc homo, & generetur asinus, & Fabius generet, & Petrus non possit generare, fatale est ex causarum ordine: & ideo æterna non videntur esse fatalia, quia dicunt esse absque ordine ad alia: ut homo est animal rationale per id, quod est homo, est autem per ideam sui, ergo non quia alia

alia causa concurrit. Sed homo generat hominem hodie, & non cras, quoniam Fato ita ordinatum est, ut hodie sit validus, & cras imbecillis, & concursu aliarum causarum.

III. Fatum ergo præsupponit Necessitatem naturæ & influxum Potentiæ, quemadmodum Sapientia Potentiam, unde manat. Est enim Fatum Sapientiæ influxus. Et quidem dicitur e Feudo. Fatum dicunt esse Verbum Dei consubstantiale, a quo dependent fata rerum omnium, quas vocant omne Verbum, ut etiam Stoici dixerunt; in exprimendo enim Verbo, omnis creatura consequenter exprimitur. Fata autem non sunt Res, sed rerum series contexuntur ad eventus certos non temere producendos. Providentia vero, & mediorum inventio & dispositio ad finem, Fato subministrans. Gubernatio est conservatio rerum ordinata ad finem.

Itaque Fatum lex est & summa ratio, qua rerum universitates connectuntur, reguntur, continentur quadam prohibitione & imperio, & permissione, intus infusis e prima Sapientia, quæ vocatur Verbum Dei. Et quidem habent principia, media, & fines rerum suum fatum. Vnde prisca Philosophie fabulosa tres Parcas posuit fatalis ordinis servatrices videlicet quæ net, quæ filat, & quæ secat filum. Omnes enim res Fato subditæ principium habent, medium, ec finem. Igitur causæ sese mutuo juvantes, & impedientes, & per hoc temperantes ad certos eventus, fato servantur.

Pertinent etiam ad Fatum Non-entia & defectus, quatenus ex certo ordine Vniversitatem complent, distinguuntque. Mors enim unius rei est vita alterius, & aliorum ruinam, aliorum subsequitur sublevatio. Nec tamen Fatum necessitatem coactionis præsupponit & comitatur, sed contexitur ex omni causarum genere, videlicet necessariarum, liberarum, servilium, contingentium, coactarum, & modificationibus & concausationibus earum & compassionibus. Vbi enim Fatum est pura necessitas, ibi non-entis participatio nulla ec defectus nullus inest, ut in essentiis archetypis rerum: nec tamen ibi libertas deest, & summa spontaneitas.

IV. Est quidem Fatum unum universalissimum Legis æternæ: sunt & Fata particularia Legis Naturæ & suorum systematum & Mundorum. Et iterum fata humana; & iterum Romana, Veneta &c. sicut Leges, Est ergo Fatum aliud, quod ex nexu causarum activarum nascitur; aliud quod ex nexu finalium causarum & perfectionalium: aliud quod ex Idealium & formalium; & tandem quod ex omnibus simul. Videmus enim vitam hominis hujus fato regi multiplici: siquidem ab idea & formatione habet ut sit homo iste, cum tali naso, tali ore, & cruribus tortis, & jecore calido, & cæteris membris certa ratione singulari sigillatim efformatis & effigiatis. Ab agentibus autem his, ut sic calidus, frigidus, siccus, benevolus, hilaris, rudis, sciens, & alia multa. Similiter a Materia ejusque dispositionibus, ut fit crassus, gracilis, altus, scabrosus, cæterasque habeat passiones Materiales, & sic de cæteris. Omnia enim prædicamenta concurrendo Fatum complent. Palam est enim in cibo, quo nutrimur, quomodo Fato adigitur, ut fiat nostra substantia, & quot in humores, per quot actiones & passiones vertitur, & quomodo transpirat in vapores, conglutinatur in pilos, transeat per vias innumeras corporis ejus particula omnis. Omnes istæ causæ veniunt ad certas causationes per occasiones ordinatas, causant per conditiones; nisi enim approximentur, & veniant ed talem modum existendi ita ut applicentur hæ illis, non succedit fatalis res: ipsa quoque non successio est fatalis, quoniam ab impeditione causarum & Primalitatum cessatione vel non applicatione, non succedit illi præter seriem hanc, sed non præter universalissimam.

V. Deus ergo contexit Fatum ex omni genere Causarum; & quidquid fit, respectu illius est necessarium, vel necessitate essentiæ, vel existentiæ. Prima non violatur. Secunda autem vel est necessaria per Decretum positum e Deo, ut nasci Antichristum, & oriri Solem in crastino, vel per necessitatem actualis existentiæ. Prima vocatur necessitas inevitabilitatis; quod enim Deus decrevit, nemo mutare potest, nec ipse Deus. Secunda dicitur infallibilitas, quia etsi non sunt decreta a Deo ejusmodi eventa, tamen sunt prævisa, quoniam Deus non prius videt causam quam effectum, alioquin proficeret in cognoscendo, & ideo ex coëxistentia rerum in æternitate nascitur infallibilitas: effectus enim dum est, necesse est (necessitate suppositionis seu hypothetica) ut sit, quamvis a causa contingenti, & necesse est ut cognoscatur e Deo: nec tamen accipit scientiam a rebus, nam infinitas habet in suis ideis determinabilitates causarum liberarum, inter quas est & illa ed quam se determinabunt, & ita dirigit deinde effectus per Scientiam conditionalium: sciens enim ed quod se determinabunt causæ liberæ, scit & ordinat ulum illius determinationis: Sic sciens quod Adam peccaret, scivit eiam mutare ordinem vivendi, & animalium erge ipsum propter peccatum inobedientiam, & miseriarum, in quas incurritur, ordinationem.

Qui autem putat a Deo evenire bona & mala, naturæ & moris, vel non decuisse hominem esse liberum, posseque repugnare Dei voluntati ec mandatis, vel Deum non posse cuncta moderari ut vult; hic non intelligit, quid sit DEVS, nec altitudinem consiliorum ejus, nec ludum ipsius cum suis creaturis, nec finem ipsarum. Id quod nos facimus sentientes de Deo in bonitate.

SECTIO II.

An Mens humana libera possit superare Fatum?

VI. Profundissime doctus Thomas Campanella narret Lib. 12. Metaph. cap. 12. art. 4. se aliquando disputasse cum Dæmone loquente ex Energumeno circa Fatum, non tamen comperisse tantam in eo sapientiam, quantam Dæmonum prædicant Theologi. Nam unus ex eis promiserat se cuidam apparituram; deinde cum eum falsitatis argueret Campanella, noluit, fingens se propter melius non se præbere visendum viro sagaci, sicut se præbebat alteri, per quem illi loquebatur, quasi Angelus, & pollicebatur mirifica. Cum autem quæsissem, inquit, ex Dæmone, utrum Deus posset immutare Fatum, & mala hominum? Respondit ille Dæmon, qui se Deum simulabat, se posse abbreviare mala, allevireque, & accelerere vel tardare, non eutem tollere, si fato sunt decreta, & prædestinatione. Tunc ergo dixi ad illum: Si Deus prædestinat fato res immobili, ergo & tempus & modum rei. Ergo non potest accelerare, neque alleviare mala. Hoc argumentum ipse quamvis a me scriptum

non intellexit: & respondit, me esse stultum, quasi ejus responsum non percepissem; quia (inquiebam) si tu statuisti cras me occidere, non potes perendie id facere: quoniam fati immobilitas, & voluntatis tuæ antiquæ pariter violaretur. Nescivit respondere, sed dixit se illis scientias daturum occultas prope diem, utque expectarent, & delusit eos.

VII. Posito quod Fatum sit Ordo causarum connexarum, quæritur utrum sit necessarius, & inevitabilis omnis ejus eventus: an sit ex causis partim necessariis, partim contingentibus & liberis, ita ut multi eventus ejus evitari possint, & an sit reducibile ad causam universalem, cujus gratia omnia fiunt inevitabiliter: & an illa Prima Causa sub Fato comprehendatur, quam Seneca vocat Naturam & Rationem rebus insertam, præsidentem Fato, id est (ait) seriei implexæ Causarum?

Pseudopolitici (Machiavellistæ) cum Luciano derident Providentiam Dei, illumque Fato supponere non verentur; dicunt enim, tametsi Deus vere det leges, tamen eas impune non observamus, quodam fato aliud facientes: & cum nos punire vult, non potest. Nam Dei hostes Hæretici & infideles sunt innumerabiles: Amici vero Dei paucissimi, & hi semper vexari: illi vero potentes & exultantes vitam ducunt. Hoc quærit Ieremias, quare via impiorum prosperatur? c. 12. 1. Hoc David & Habacuc & Esdras. Et tamen vix certi aliquid responsum est illis, unde quiescat animus. Multa quoque Prophetis revelat Deus, quæ aliter eveniunt, & eorum sensus obscurus est adeo; ut Hebræi exspectent Messiam adhuc: Christiani re exspectent.

VIII. Alii vero putant Primam Causam Fato non supponi, sed facere Fatum, per quod cogat nos ad malum & bonum, prout ipse decrevit ad libitum, & ideo Prophetias esse obscuras, ut decipiamur, sicut videtur dicere Isaias c. 6. *Excæca cor populi hujus* &c. Et ita videtur Deus dicere ad Ezechiel. c. 13. quoniam idem est prædictor & factor mali. Idcirco prædicit non clare, quo nec caveamus, sed quomodo possimus potius incurrere in fatum. Hoc credunt Calvinistæ, quoniam ipse Deus dixit, se indurare Pharaonem, & sponte induratum iri. Quapropter secundum hanc opinionem non modo liberum arbitrium nil prodesse potest, sed nec Deus ipse, sed potius impellere ad omnia: & leges dare in decipulam, quæ ipsas frangendo incurramus in pœnas vetitas, & in infernum detrudamur, ergo Religionem & preces nihil valere, ut concludit Aphrodis. & Virgil. 6. Æneid.

Desine fata Deum flecti sperare precando.

Chaldæi autem & Ægyptii sapientes putarunt, fatum Sacrificiis & orationibus mutari posse: quoniam Deus ordinator rerum non ligavit sibi manus, ne possit facere aliud quam decrevit ab æterno. Hanc mutationem Peripatetici non admittunt, sed potius quædam præter ejus intellectum & voluntatem a casu fieri ex concursu causarum inferiorum, & posse a nostro arbitrio, & a fortuna seriem fati rescindi, quoniam non omnis res præcedens est causa necessaria consequentis; sed potest non & esse impediri. Sed D. Thomas 6. Metap. lect. 3. putat Aristotelis rationem, neque fatum tollere, neque providentiam, & esse fallacem, quia respicit tantum causas particulares, non universales. Quod & Boëtius docet exemplo duorum servorum, qui missi a Domino suo quempiam in locum e diversis viis, per accidens fortuitum sibi mutuo occurrunt: sed respectu Domini præscientis & ordinantis occursum eorum, est per se. Ita milites & agricolæ & artifices quasi per accidens inter se communicant; sed respectu Politicæ, per se. Causalitas enim determinatæ causæ ad effectus determinatos extenditur.

IX. Quapropter triplex Causa venit consideranda, id est Vniversalissima immutabilis DEVS. Secunda Vniversalis mutabilis, ut Cælum. Tertia Particulares ad proprios effectus ordinatæ, ut igni ad ignire, attenuare, movere; & homo ad hominem gignere, ad ratiocinari, philosophari &c. Quæ ergo sunt per accidens, respectu causarum particularium, quia concursus accidit præter intentionem, aut debilitas agentis vis non pervenit ad finem effectus, aut indispositio materiæ repugnat, aut ab alio impeditur, contingentia sunt: sed reducuntur ad causam cœlestem. Nam concursus siderum & actionum cœli præviarum, ita fecerunt; & hoc est Fatum. Sed quia non omnes effectus possunt ad cœlum reduci, remanent adhuc alia contingentia, licet pauciora respectu cœli.

Primo quia animæ humanæ, Angeli, & Dæmones sunt in Mundo Mentali, unde intra ordinem rerum concausantes, ut dicit Augustinus & Boëtius, non subduntur Cœlo, nisi per accidens animæ corporibus alligatæ, quæ mutatis organis afficiuntur secundum sensum: & ipsæ possunt dominari sensui, ut reprimendo iram, excutiendo pigritiam, & percipiendo remedia contra pestes, & alios cœli influxus, & adjuvando occultis modis seipsas & precibus ad Deum. Idcirco non omnis cœlestis effectus est necessarius.

Item quia materia, in quam agit cœlum, est vario modo disposita, & aliter suscipit actionem cœli ita quod validam & necessariam suscipit, facitque imbecillem & contingentem: & quidem patet Elementa habere suas qualitates ante cœli actionem, & varietates, ut vario afficiantur modo. Licet ergo in cœlo siderum aspectus sint necessario, tamen ex defectibilitate inferiorum modificantur ad contingentiam. Et in 1. p. q. 115. art. 6. omissa causarum impedibilitate, quoniam potest impedimentum ad cœlestem causam referri, ut contingentiam respectu cœli servet D. Thomas ait, concursum harum causarum, licet necessariarum, fieri per accidens, & non habere causam: in quo Cajetanus excruciatur, & non satis capit dictum ejus, quod clarescit in seq. q. ubi ait: hunc concursum, licet sit ex necessariis cœli motibus, tamen esse per accidens. quoniam causæ naturales ad unum sunt determinatæ, ita quod Cœlum unum modo agit naturaliter causando: quod ergo fodiens inveniat thesaurum, non est una res, sed concursus multarum, qui a Cœlo non potest intelligi & ordinari, cum ejus sit unum modo facere calefaciendo, attenuando & urendo: ergo intelligi ordinarique a causa superiore intellectuali: solus enim intellectus accipit multa ut unum, & ordinat propositiones & eventus; sicut Coquus assationem carnis ordinat ad cibum, ignis vero non intendit nisi ipsum ignire. Ex quo deducitur respectu Cœli non dari Fatum inevitabile, sed respectu Causæ universalissimæ; cujus ordinem vocat Providentiam, & non Fatum: ad quem pertinet facere omne ens sicuti est: ergo non sequitur quod omnia eveniant necessario, sed esse necessarium quod effectus eveniant, alii necessario, alii libere, alii contingenter, prout illis præparavit causas Deus, cujus est proprium dare esse:

aliarum vero est uti esse dato ad necessitatem, vel contingentiam &c.

X. "Ergo Fatum, ut dicit Boëtius in 4. de Consol. "est rebus mobilibus inhærens immobilis dispositio, "per quam Providentia suis quæque nectit ordinibus: "vel, est ordinatio immobilis secundarum causarum "ad effectus divinitus provisos: vel, Decretum Dei se"mel sanctis Verbo suo, quo dicit, & facit & portat omnia, "ut Stoicis dicere convenit, Lactantio & Plutarcho. Ergo respectu ejus nihil est per accidens, & omnia illi subduntur, excepto Deo Ordinatore, & effectibus ejus immediatis non subditis causalitati secundorum entium, sicut creatio rerum, & glorificatio sanctorum. Nihilominus omnia evenire necessario, (necessitate suppositionis, non autem absoluta) docet D. Thomas. Supposito nempe quod Deus ita evenire voluerit. At ipse voluit ab æterno quidquid voluit, & voluntas ejus & scientia non mutantur, idcirco immutabiliter cuncta eveniunt, ut præscivit & voluit, licet contingenter, & libere respectu nostri: & preces valere ad suscipiendam gratiam, quam Deus decrevit, non ad novam impetrandam non decretam, saltem ex prævisis, & consilium & leges ad exequendum decreta pœnitentia, non ad agendum nova.

Ad Dei quoque ordinem, & ad Fatum, non modo entia, sed etiam non entia: utitur enim Deus non-ente ad limitandas essentias rerum, & transmutandas ut diximus: & quia non datur ordo, ubi non est distinctio, distinctio autem omnis ex non-entis interpositione fit, consequens est, fatum entibus & non-entibus intexatur. Quapropter contingentia & peccata, & monstra pertinent ad Fatum universale, licet sint præter fata particularia. Unde Deiphobus ait apud Virgil. *Sed me fata mea, & scelus exitiale lacernæ, bis misere malis*; & ut dictum est, licet non pertineat ad fatum hujus v. g. herbæ florere, quando spirat Favonius, & alia floret herba: tamen pertinet ad Cœli fatum virtutem florendi utrisque & vaporibus occasu agitandi aërem, simul afferentis. Similiter licet non pertineat ad fatum servi invenire conservum in angiportum, tamen hoc pertinet ad Domini fatum ex voluntatis decreto impositum rebus ordinem, ab assistente sapientia directum ad finem aliquem. Voluntatem autem esse permissivam, ut cum herus rixari servos non prohibet, quam ob talem rixam vult eis uti in pistrino: aut Effectivam, ut cum præcipit eis colere agrum: ita & Deus. Sed quæ non prohibet Deus, pertinent ad non-esse; & ideo non tenetur non prohibere, sicut homo, cui inest entis & non-entis mistura. Omnia tamen moraliter prohibet per legem, & nullum permittit: physice autem permittit mala, hoc est, non tollit vim & libertatem agendi, sed concurrit generali auxilio. Propterea Chrysost. negat a Deo permitti peccata, ut etiam Iustinus. Scholastici autem concedunt permitti: utrique bene: quoniam isti physice, sic enim ad malum morale & ad bonum sunt indifferentia: illi autem loquuntur moraliter, quia sunt ut sic determinata: quæ autem Deus permittit moraliter, hoc est, nec præcipit, nec prohibet, sine culpa committuntur, uti dare libellum repudii in V. T.

XI. Dicimus itaque non obstantibus tot legibus, humanis & divinis, naturalibus & publicis quibuscunque, imo & Fato, mentem humanam manere liberam, ac posse auxilio divino exsuperare Fata, id est leges & ordines secundorum entium & corporeorum: sicut auxilio Regis decreta Iudicum: non autem Fatum, id est Legem æternam fatalem a Deo sante Verbum suum & per Verbum omnia. Et hoc etiam intellexit D. Thomas, etsi enim præter voluntatem Dei antecedentem quædam fiant, unde rerum mutatur ordo unus; non tamen omnes. Quod autem Mens semper sit libera, vel ex eo patet, quoniam ex quo cogitur cogitur homo projicere merces, ne ipse submergatur una cum navi, & remigare, ne occidatur a Domino Triremis, & ad furcas suis pedibus ambulare damnatus &c. Nihilominus hæc non faceret, nisi simul vellet, quia cognoscit sic oportere ut vitandum majus aut præsentius malum, aut futurum; & tamen in libertate sua est, nolle facere quæ facit, & eligere minus bonum, & occidere seipsum.

Hanc veritatem doctissimis thesibus demonstravit nostra ætate Salisburgensis quidam Doctor, Admodum R. P. Sebastianus Rhoer (si recte memini) sub titulo Fatum liberum. Certum est Deum ad extra libere agere, dum res in actu ponit: sed dum habet, necessario: & quia Dei libertas est absque dubietate, determinatam esse oportet ab æterno: ergo fiunt res, sicut Deus ab æterno præscivit, & prædestinavit: ergo fiunt necessario, necessitate quam diximus suppositionis & infallibilitatis: ex quo enim voluit Deus ea esse, necessario sunt: quoniam voluntas ejus nun mutat consilium a novo eventu, cui nimirum nihil est novum. Quidquid ergo est, & sicuti est, necessario est necessitate suppositionis respectu Dei: cum quo tamen stat, quod quædam fiunt contingentia, quædam necessaria, quædam coacta & violenta, & servilia, quædam libera, & spontanea, & naturalia; & ordo in eis positus immutabilis est, & id vocamus Fatum.

Qua ratione autem cum Fato hoc universalissimo immutabili consistere possit salva libertas mentis humanæ, id enim vero negotium facessit ingeniis doctissimis, & quidem intricatissimum, quoniam ex occultissimo principio, quæ est voluntas Dei, pendet. Et quidem syllogismis ipsum investigare quasi a longe possumus & velatis oculis: sagacitate vero olfacere quid possumus, & falli: revelatione autem exquisita caremus, quoniam forte, nec ubi nobis revelata fuerint arcana hæc, intelligere valebimus, assueti corruptibilibus & corporeis phantasmatibus: unde Cathar na sibi non licere loqui arcana Dei docet, quia non possunt absque blasphemia quædam appropriatione verborum & translatione dici. Forte enim nec nomen necessarii, nec contingentis, nec liberi, nec Fati, nec horum intellectus sermoni huic commodum esset.

Pro solvendis tamen argumentis mox afferendis juvabit legere Tract. L. de Voluntario & libero: hic pauca de Contingentia præmitto, sitque

SECTIO III.

De Contingentia.

XII. Sicut Necessarium est id, quod non potest aliter se habere: ita contingens est, quod potest aliter se habere: non tamen contingens est necessario prorsus oppositum, sed ejus defectus quidam: sicut enim cibus est necessarius vitæ; ita vestitus qui est minus necessarius, dicitur contingenter utilis. Bibere vinum est magis contingens, quia magis recedit a necessario: esse vero Grammaticum, adhuc magis: jacere lapillum de fenestra, minimum est necessarium vitæ, ergo maxime contingens. Dicimus ergo tot modis

contingens, quot necessarium: sed quia est recessus a necessario, & vere necessarium stat in uno; contingens vero in pluribus: sicut Virtus in uno gradu; vitium vero in recessu ab ea multiplicatur in innumeros gradus. Vnde recte Cajetanus dixit: *Contingens habet rationem pluralitatis, motus & difformitatis, quia potest aliter se habere: ergo contingens a necessario procedit. Necessarium vero unius, immobilis & uniformis; quia impossibile est aliter se habere. Ergo Contingens a necessario procedit naturaliter, ut pluralitas ab unitate, & non e converso.* Et hoc de mente S. Thomæ, & Aphrodis. in 2. de anima, contingentiam ex mistura nihili evenire in rebus, & in voluntate docet. Quod si ita est, non videtur opponi contingens necessario, sed impossibile: Nam si necesse est esse, impossibile est non esse, ut impossibile sit necessario oppositum directe.

XIII. Dicimus ergo Contingens respectu finis esse multiplex: respectu vero Causæ agentis dicitur contingens multipliciter. Nam aliud recedit a Violento, aliud a naturali agente; ut Motor albus violentat lapidem ire sursum: ubi Motor est necessario violentans: albus vero contingenter & per accidens. Idem apparet in agentibus Arte. Vt si Ædificator niger, musicus, simus, pileatus &c. ædificet.

Similiter Voluntas per se necessario vult bonum & beatitudinem, & esse: sed contingenter vult vineam, & calceum album, & librum, & confricare barbam, & omnia alia quæ recedunt a necessitate. Voluntas enim necessario propendet in bonum: in hoc vero & in illud, & in tali tempore, contingenter: sicut grave necessario cadit deorsum, sed ad terræ, vel aquæ superficiem, contingenter: similiter contingenter in caput hominis, vel bestiæ, vel in arborem &c. infinita, quæ contingere possunt. Necessario fossor fodit, sed contingenter invenit thesaurum, aut serpentem, quoniam extra ideam & actionem ejus fit id, & contingit esse, & non esse. Similiter necessario ex idea literæ significant, sed ligneæ literæ, vel lapideæ, vel cereæ, vel nigræ vel rubræ &c. contingenter. Tandem respectu formæ totius, vel partis & materiæ dicitur proprie magis accidens & contingens: est enim quod potest inesse & non inesse: quoniam est extra rei essentiam: sic enim est necessarium hominem esse animal rationale ex parte essentiæ, & carneum ex parte materiæ: ita contingens est esse blandum, felicem, cursorem, album, Romanum, parasitum, ire venatum &c. infinita.

Et quibus patet, idem esse accidens & contingens: & aliud oriri ex ipsa re, cui accidit, sicut esse cursorem oritur ex ipso hominis principio naturali: cicatricem vero habere ex causis externis, & habet plus contingentiæ.

XIV. Dicimus ergo Necessitatem ab Entis potestate & essentia emanare: contingentiam vero a Non-entis participio & impotentia. Sed quia Necessitas non est ipsa entitas, sed modus entis potentis omnino esse; contingentia non erit non entitas, sed modus entis quatenus habet de non esse: quatenus enim potest esse, necessarium est: sed quatenus potest esse & simul non esse, contingens est: contingentia ergo est a participatione non-entis.

Vlterius juxta decantatam Aristotelis & a D. Thoma tantopere commendatam propositionem: *Res dum est, necesse est esse.* Hoc autem dicit Cajetanus, evenit a statu rei, non a conditione. Dum enim Petrus sedet, necessario sedet, supposito hoc statu rei, sed quia poterat non sedere, contingenter sedet, quoniam essentialis differentia entis est necessitas & contingentia: sed mirum quidem quomodo in essentiam necessarii mutata est essentia contingentia, cum venit ad finem sui esse. Vt ut sit, res dum est necessario est; quia existentia non potest esse non-existentia, ergo omnia sunt necessario eo modo, quo sunt; hoc est, præterita sunt necessario præterita; præsentita necessario præsentia, futura necessario futura. Nam si necessario non sunt, ergo neque vere futura sunt. Nec enim quia futura nondum sunt in actu, sed solum in potentia causarum, necessario non sunt: sed omnino ut sunt. Necessario quidem non sunt in actu, sed necessario sunt in potentia. Illud enim est in potentia, quod aliquo pacto est in sua causa in actu causali. Non enim homo dicitur esse in potentia in lapide, sed in suo semine: nec hœdus dicitur in potentia vir, sed puer est in potentia vir, quia semen & puer habent aliquid hominis, non autem lapis & hœdus: hoc autem quod habent entitas est, licet non in actu existentiæ futuræ. Quatenus vero entitas est, & dum est, necesse est esse id quod est, & sicuti est: sic etiam dicimus, pluviam esse in potentia, quoniam vapor est in terra & aquis in potentia, & Solis calor potest illum educere & in aere potest condensari. Quomodo ergo est, ita necesse est esse. Et hoc est futurum esse, non enim lapis futurus homo est, sed embrio; ergo quocunque modo res est, necessario est. Et hæc est ratio, qua Deus non fallitur, quoniam futura contingentia novit in quocunque actu sunt, non modo in suo, sed etiam in causis. Quapropter inquit Campanella, non arridet mihi quod dicunt contingentia qua talia non posse sciri a Deo, sicut impie docet Alexander in Lib de Fato, propterea quod, ut sic, possunt esse & non esse; & non habent entis naturam; ergo neque cognoscibilis. Nam, inquam, ut contingentia sunt, habent esse in causis, & in illo esse cognosci possunt: & quia possunt non-esse, hæc non-esse quoque novit Deus, ut declaratum est: posse autem non esse advenit ex impedimento materiali, vel activo, ut S. Thomas quoque docet: sed Deo hoc etiam notum est, utrum impediatur nec ne: quoniam omnes alias causas novit, unde causas impedientes reducit ad necessarias in tractatu de gubernatione, ergo Deus cognoscit res contingentes ut sunt; quia ut sunt, necessariæ sunt, quocunque sint. Quando autem D. Thomas negat futura contingentia posse sciri a Deo, respicit ea prout in causis indeterminata, ut est voluntas & terra fructificatura, ergo quatenus participant non-esse, & quatenus per se non-ens non est cognoscibile. Cognoscit nempe in causa libera & contingenti, ut sic, indeterminationem: non autem effectum, nisi sit, quamvis determinationem causæ cognoscat. Potest enim post determinationem cessare ab actu proter novas occurrentes occasiones, & liberum judicium de prosequendo & desistendo.

XV. Cum itaque contingentia defectibilitatem rei Importet, non recte Scotus ponit contingentiam in Deo: nec Thomistæ a Deo: utrique volunt divinam voluntatem esse causam contingentiæ: sed Scotus ipsam libertatem vocat Contingentiam, & non posse res fieri contingentes in Mundo, nisi Deus libere ageret: unde ignorantiæ condemnat Aristotelem, qui Deum & Angelos facit causas necessarias, & tamen ponit contingentes effectus in rebus causatis. Thomistæ vero putant,

tant, contingentiæ causam non esse libertatem Dei, sed summam efficaciam voluntatis, per quam non modo res fiunt, quæcunque ipse vult fieri, sed etiam fiunt eo modo, quo ipse vult fieri, ut videtur Dionyf. in 4. de div. nom. Modi autem fiunt vel necessario, vel contingenter. Alii autem Theologi asserunt, Deum per causas necessarias efficere effectus necessario, per contingentes, contingenter: quoniam virtus Dei modificatur in causis, & horum Origenes est author.

Sed contra hos insurgunt illi dicentes: Nullus effectus primæ Causæ potest impediri a defectu secundarum causarum: quoniam imbecille & imperfectum non potest impedire efficacissimam actionem voluntatis Dei. Hoc patet, quia ex debilitate virtutis seminis homo non producit filium sibi similem, in vultu, & nævo & complexione. Deo autem efficacia non deest ulla: ergo non ex defectu causarum secundarum fit contingentia, sed a Deo eligente tales causas, & faciente eas defectibiles. Item si distinctio contingentium a necessariis referatur solum ad causas secundas, sequitur hoc esse præter intentionem & voluntatem divinam, quod est inconveniens.

XVI. Contra Scoti sententiam facit, quod non intelexerit contingentiam esse defectibilitatem rei, quæ nullo pacto potest esse a Deo, nisi ordinante: ipse enim non concurrit ad deficientiam sed ad efficientiam: non ad impediri, sed ad impedire; non ad pati, sed ad agere, quod fatetur omnes cum Augustino: ergo modus voluntatis divinæ non facit contingentiam, ut est activus, sed ut permissivus. Quapropter cum dicit Scotus, omnis causa mota necessario, movet necessario: & omnis causa movetur a Deo, ergo si Deus necessario & non contingenter movet, omnes effectus erunt necessarii. Item Deus prius respicit effectum quam secunda causa, ergo dat illi necessitatem inevitabilem. Ad hæc inquam, Primam causam movere necessario, necessitate suppositionis, quia voluit: secundam vero causam moveri necessario ad effectum ut habet esse; sed deficere propter non esse, quo ipsa simul essentiatur. Quatenus cooperatur ad effectum cum Deo necessario agit; sed quatenus cum non esse quod habet, facit effectum, deficit ab esse, & agere. Et Theologi hoc docent in actu peccati, in quo Deus concurrit ad essentiam actus, non ad defectum actus: & actus Dei non attingit effectum priusquam actus secundæ causæ, sed cum eo modificatus, ut respondet Cajetanus. Quamobrem ipse etiam in eo deficit, quod putat ab efficacia divini actus provenire necessitatem & contingentiam, cum debuisset dicere de efficacia ordinantis causas secundas, ut possint modificare. Deus enim eminenter continet omnem causalitatem, nec debet dici necessarium agens, aut contingens, licet similior necessario, & tamen instituendo causationem facit effectus liberos, necessarios & contingentes &c. propter hoc instituit tria genera causarum; sed formali actione ipse potius faceret Necessitatem quam contingentiam; quoniam hæc pertinet ad defectum, & probalitatem & impeditionem in quo constat, Deum non deficere, nec variari nec impediri. Vnde mirum quomodo docente Arist. & D. Thoma in 6. Metaph. & in 1. p. q. 115. Contingentiam oriri ex impeditione materiæ, vel contrarii agentis in præjactas causas, nunc adscribant illam taorum divinæ voluntatis activo Decreto, quando sane soli ordinativo causarum, & defectuum permissivo adscribenda erat; & Aphrod. in 2. de anima, c. 45. Contingentiam ex mistura non-entis cum rebus, & cum voluntate humana oriri docet & ex imbecillitate.

Nec rationes ipsorum contra tertiam opinionem probant aliquid: secunda enim causa non impedit effectum primæ, sed modificat. Impeditio autem est in secundæ causæ actu, non in primæ. Et hoc exemplum dat D. Thomas in tract. de Malo, de tibia claudicante, quæ quidquid motionis habet, est a virtute motiva; claudicatio vero a tibia fracta. Ita contingentia est a causæ debilitate potente impediri; necessitas a Dei potestate, coagentis in omnibus causis secundum causarum modum. Nec Deus impeditur ab agendo, quoniam causa secunda impeditur ab alia causa, quæ iterum est a Deo. Ergo causa universalis nullam patitur deficientiam.

Exemplum seminis nihil probat, quoniam si lepram generantis exprimat, ostendit imbecillitatem non efficaciam; si vultum & robur, efficaciam. Ergo causa necessaria exprimens in effectu necessitatem indicat efficaciam divini actus: sed ostendens contingentiam, indicat proprium defectum, ut discipulus in paralogismo non Magistri artem, sed propriam imperitiam declarat. Nec si distinctio talis fit a causis secundis, sequitur evenire quid præter Dei intentionem & voluntatem: sed præter activam tantum, non præter permissivam & ordinativam; quoniam Deus permittit contingentiam relinquendo causas alias defectibiles, alias vero faciendo necessarias propter melius rerum, & ordinem, & harmoniam; utitur enim nonente sicut ente. Cum enim calor oppugnat & occidit frigus, dat calori vires, frigori vero non dat, sed permittit deficere, ut generetur ignis, aut planta, aut vapor: ubi in frigore contingentia est Deo volente voluntate permissiva, & non effectiva, ut dicebant, sicut in calore.

XVII. Tertia ergo opinio in eo tantum culpabilis esset, si non intellexit contingentiam pertinere ad defectum, & subtraxit ipsam Deo, vel ab ejus voluntate: Nam quamvis a defectu, tamen Deus utitur talibus defectibus, & sic in faciendo lapide, utitur & esse lapidis, & non-esse hominis. Profecto si Deus facit necessitatem & contingentiam in rebus efficaciter, nihil evenit evitabiliter, ut etiam probat S. Thom. 1. dist. 39. q. 2. 2. Propterea caute D. Thom. monet, quod quamvis Deus sit causa necessaria, tamen ex efficacia suæ voluntatis est, ut alii effectus fiunt necessarii, alii contingentes, alii liberi: non quia prædeterminavit effectus in particulari, sic enim omnes essent necessarii necessitate inevitabilitatis: sed quia, ait, fecit alias causas necessarias, alias liberas, alias contingentes, id est impedibiles: prædeterminatio ergo cadit super varietate causationum, non super effectus: alioquin nil ad propositum esset facere causas liberas & necessarias & contingentes, nec efficacia voluntatis ejus celebraretur qua potest facere ipse necessarius etiam contingentes res per modificationem in causis, non in Authore causarum.

Varum enim vero si non datur Contingentia, nisi quatenus & quomodo permittitur a Deo, videmur nos quoque relabi in fatum insuperabile: & quoniam totius orbis controversiæ aliæ ex hac ratione manarunt & perseverant, proponemus argumenta præcipua Add. & iis satisfacere utcunque conabimur. Est namque magna inter Christicolas (ut omittamus opiniones Gentilium, Platonis, Senecæ, Epicuri, & Aristotelis)

Vt quid ergo damnantur? si enim non possunt aliter evenire, idem esset ac si quis propterea equum verberibus dignum judicet, quia non est homo; & diceret ut volet, & non dat ei alas. Ita Deus videtur damnare homines. Chrysostomus in lib. de Fato idem videtur confirmare. Et hoc est Dogma (toxicum) Calvinicolarum.

Priusquam respondeamus ad hæc, operæ pretium visum est præmittere profundissimam speculationem Viri vere docti Thomæ Campanellæ Lib. 9. Metaph. c. 6. a. 1. ubi ostendit Res omnes naturales coacte facere, ac pati ea, quæ sponte agunt, & patiuntur: sed temperatam coactionem voluptate & utilitate, dici Naturam; non temperatam, violentiam: quam fragilitas & ignorantia faciunt involuntariam, & voluntariam, diversa ratione, qua contexitur Fatum, ex Amore addito, & abdito: in quibus arcanum Dei latet. Sic ergo inquit:

Omnia entia apud nos videntur facere, quod volunt, sed non quod vellent. Omnis quidem homo vellet beatitudinem; quam quia non habet, quærit per studium & laborem, & artes & actiones. Exemplificat hoc de semetipso dum hæc scribebat in carcere constitutus vicennali & aliquot annorum, licet innocens. Ego, inquit, nunc vellem ire domum, sed quia non possum, volo hic manere: sique janua carceris aperta esset, & ego in libertate, vellem subito & instantanee ire in domum, & cum non possim subito, ergo cogor per passus ambulare. Vellem vivere sine cibo, & quia non possum, volo uti cibo, & labore in acquisitione ejus, & cogor velle laborare. Et non modo in actibus exterioribus id patet, sed & in interioribus: cogimur enim respirare, ut refocillemus calorem cordis, & fuligines noxias expellamus: & spiritus cogitur pulsare arterias, ut reficiatur sanguine attenuato & onus amoveat: sic ventriculus cogitur ad famem ex aciditate atræ bilis, & spiritus constrictione: & jecur cogitur coquere chilum ut nutriatur ipse & totum corpus: & intestina coguntur a pondere & fœtore expellere excrementa, & a flava amara bile. Quapropter nihil in nobis absque necessitate cogente fit, si quis recte introspiciat. Præterea quidquid in Politica bene agimus, aut metu legis, aut Dei, aut conservationis appetitu compulsi a timore destructionis agimus. Actum quoque venereum compelli scimus a prurit u testiculorum, & sæpe a morbo, quam Satyrismum vocant: & ab uteri strangulatione & a metu mortis perennis videtur coactus, ne scilicet homo penitus moriatur, sed vivat in suo simili. Hac ratione (pergit) ipse compellor nunc scribere, ne moriar prorsus, & quoniam antejactæ causæ me huc compulerunt: sed mallem quidem in beatitudine esse, quam in hoc labore.

XIX. Tota quoque Natura violentiæ particeps esse videtur & necessitatis coactiæ: siquidem Cœlum volvitur & Terra stat, quoniam ita servantur. Sed & sidera præliantur contra Terram volentia ipsam destruere, timentia ab umbra ejus & frigore. Tellus vero umbram & frigus contra Solem effundit ad sui defensionem coacta, & quiescit in medio, undique fugiens calorem cœli; non secus ac manipulus militum cinctus ab hoste conglobatur. Quem autem Sol effundit calorem in Terram, cogente frigore inter hostes relinquit. Calor vero isto coactus intra viscera Terræ ipsam liquefacit in aquas, attenuat in vapores, indurat in lapides & metalla; & dum cupit facere cœlum, facit alia entia necessitate coactus. Sæpe in materia tenui intra crassitiem & humorem redactus cogitur ibi vivere, & sic efformat animal: & quidem facit quod nollet; vellet enim cœlum facere, & tamen facit hæc secunda entia quadam necessitate coactus: & fame deinde cogente, fabricatur organa nutritionis & motus: & a frigore & a calore externarum rerum compulsus ita agit, ut ibi vivat. Quapropter quæcumque res naturales faciunt, volendo faciunt: sed non volendo quod vellent, sed quod coguntur velle: videmus sane spiritum plantæ folia fabricari contra frigus & æstum spinas contra feras, & fructus contra mortalitatem, & eligere vitam in planta, quia non potest habere vitam in cœlo, unde venit.

XX. Verum enim vero Arcanum in hoc latet divinum, & relucet Fati vis. Nam licet calor plantæ vivere vita plantæ, animalis vero animalis, & lapidis lapidis &c. cupiant & ament amore addito; tamen amore indito & abdito semper in cœlum contendunt ire, unde nunquam cessat attenuare molem in vaporem, & cum eo ad cognata reverti cœlestia corpora. Ergo sicut calor quoque in nobis semper ad cœlum ire vult, quamvis hanc vitam elegerit: ita hominis anima semper ad Deum contendit, licet a superadditis hujus vitæ negotiis videatur oblita in cognitione addita, non tamen in abdita. At in abditissima in Deum cuncta anhelant, cupiuntque redire: quoniam cuncta appetunt immortalem vitam & infinitam extensive, intensive & ampliative quod Deus est; qui propter hoc omnia ad sui amorem convertit, ut D. Dionys. cum S. Thoma non semel docent.

Quapropter videntur res naturaliter facere, quod faciunt, non coactæ coactione nova contra scientiam & potentiam, quam habent ex addita vita; violenter vero quæ contra scientiam & potentiam: ut homo naturaliter dicitur cibari, & jecur sanguificare, & planta spinas & fructus facere, quoniam hoc faciunt secundum scientiam additæ vitæ, in ignorantiam prolapsi prioris vitæ in cœlo: Calor enim jecoris a cœlo est, & ipse cibari vult, ne totus elabatur, non intelligens reversionem ad cœlum esse meliorem, quam vita jecoris: si autem quis combureret plantam & animal, in cœlum verteret: & hoc diceretur contra naturam, quoniam contra vitam in ignorantia constitutam & modificatam; cum tamen constet omnes Elementorum pugnas esse violentiam facere alterum alteri; & rerum nativitates ex violentia oriri, & rerum formas naturales non longe diverso modo ac artificiales. Multorum enim actionibus passionibusque instrumentorum & materierum fit gladius, & vestis & omnia, sicut planta, & lapis & bestia. At quidem in ipsa passione vehementi, quæ fit in transmutatione, quam dicimus Mortem, oblivio præteritæ vitæ & entitatis accidit: & hæc est fluvius lethæus a Poëtis decantatus. Quapropter gaudent sequenti vita & præsenti omnia: & Deus temperat voluptate dolorem, quoniam omnis vita est entitas, ergo a Deo, ergo ab optimo, & jocundissimo jocunda. Hac ergo nova voluptate detinentur, & dolore & metu transmutationis, quoniam norunt præsentem vitam, alteram vero minime. Hoc patet in condemnatis ad triremes & in carcere longo; quorum multos vidisse se testatur Author, nolle reverti ad libertatem, quoniam obliti sunt aliusmodi vivere vitam, quoniam obliti ex consuetu-

Z z dine

dine pristinæ vitæ, & nescii novam instituere. Idem evenit cunctis rebus. Quas tamen omnes liquet abdito amore in suas origines ferri; terreas ad terram, cœlestes ad cœlum, divinas ad Deum: superaddito autem præsentibus contentari, & ita occupari, ut proprias nrigines non intelligant. Qua ratione ergo ad hoc compelluntur, Deus scit, & ipse Author est Fati, & hæc ratio est Fatum.

XXI. Ad (1.) ergo respondetur, cum diceret Aphrodis. quod tolleretur casus & fortuna, negando consequentiam. Nam prnvidentiam damus Causæ universalissimæ, cui nihil est a casu. Causis vero particularibus concedimus casum: quoniam cum non omnia possint, nec omnia sciant, nec omnia velint, sicut Deus; & quæ eveniunt præter posse, & scire, & velle, sint a casu & fortuna, utique respectu Dei non datur, sed respectu aliarum causarum. Annotandum enim quod Fnttuna dicitur eventus non prævolitus, non autem non vnlitus. Etenim accidunt multa, quæ evenire nnbis cupiebamus; at non sperabamus ita venire, vel si sperabamus, non tamen per ea media & vias, in quibus sperabamus. Sic etiam Infortunium est inopinatus eventus non prævolitus, nec volitus, neque ea via exosus, qua venit. Et cum urget Aphrodisien. nos non tem, sed nomen fortunæ servare, quoniam sic esset ex antejactis causis, quod repugnat fortunæ, vel ex ignotis, quod ipsam non constituit. Non enim effectus Incantationis, quia est ab ignota causa, est fortuitus, nec infirmitas. Resp. Nos servare nnmen fortunæ in vero sensu. Nam & ipse fatetur fodientem gratia sepulchri, & invenientem thesaurum, casu illum invenire: ubi sane nil diversificat actum, nisi præscientia: & falsum est fnttunam esse eventum ex nnn præjactis causis. Nihil enim sine causa, ait Inb. c. 5. 6. Male tamen inde concludit Avicenna omnia evenire necessarin, quia non erant nmnes causæ partiales antejactæ propter talem effectum, & propter hoc dicitur a fortuna, & nnn quia sine causa, licet sine intentione causæ; cum qun tamen stat ab aliqua præcipua causa talem effectum præintelligi, & ideo causam impellere, vel impulsum permittere ad illum, ab alio non intelligi, & agere propter alium finem, ut qui facit gladium ad jussionem gladiatoris, prn stipendio facit: sed gladiator, ut occidat fratrem facientis gladium. Et cum alter scit, repertum iri thesaurum, & alter ignorat, dum ambo fodiunt, alter fortuna, alter providentia inveniunt.

Quapropter Fortuna est effectus providentiæ fatalis rescindens ordinem causæ secundæ, sed non primæ. Et mures casu geniti ex putri materia, eadem sapientia, qua orti non casu videntur conditi; ergo non præter. Incantationes vero nnn tribuuntur fortunæ ut ludus talnrum, quoniam ejus causam in universali novimus esse aliquod Numen, & propter ipsum Incantator incantat, ut faveat vobis. At si Numen effectum illum produceret, dum incantator non vult, aut non cogitat, aut aliud agit, effectus diceretur fortuitus incantatori, prnvisus vero Numini. Deus autem scit omnia antequam fiant, & innumerabiles eventus pnssibiles a causis contingentibus & liberis, inter quos est ille qui actu erit: ideoque respectu scientiæ, nihil casu fit, nec respectu nmnium nrdinationum præconceptarum, sed respectu aliquarum. Verum vero præter voluntatem Dei antecedentem sint peccata & rescindant providentiam casu, mox declarabimus.

XXII. Ad (2.) eum ait auferri possibile & contingens, si infallibili providentia cuncta eveniunt, negatur consequentia, & cum ait: Non erit differentia inter posse ignem calefacere, & Socratem posse sedere, quod Erroneum est; illud enim necessarium semper similiter se habet: hoc vero contingit aliter se habere. Resp. Quod ignem calefacere pertinet ad essentiam ignis, quæ non potest aliter se habere, cum respondeat ideæ in mente Dei: sed Socratem sedere non est de essentia primo, sed posse sedere, & hoc dicimus necessarium, sicut ignem posse calefacere. Verum potentia calefaciendi ignis est actus, sed potentia sedendi non est actus. Idcirco aliter se habent. Sed tamen utrumque necessarium. Nam si capias definitionem essentialem ipsius sedere, semper inest ipsi sedere, sicut igni calnr. Sed sedere nnn semper est in hoc, sicut calor non semper hic. Posse autem essentiale est utrisque ex æquo. Nam quædam possumus ab intus, quædam deforis: & illa possumus ab eo quo sumus, hæc vero ab eo, quo existimus cum cæteris entibus. Etsi enim contingens est Sncratem esse album respectu hominis, non tamen respectu Socratis, nati sub tali cœlo, ex tali semine &c. Multa enim resecantur ab essentia universali, quæ non a particulari. Est enim de essentia hujus hominis (ut est pars universi, non ut hnminis individuum) album esse, & ventricosum, & sedere nunc. Hæc autem essentia comprehendit existentiam exterinrem, quæ omnium causarum & concausarum, & effectunm seriem concernit. Potest sedere Socrates cum sedet; & hæc sessin est necessaria essentialisque huic hoc tempore respectu omnium causarum. Et omnis res, dum est, necessario est. Vbi patet possibile cum necessario converti respectu ordinati eventus. Omne enim possibile fundatur in esse: & dum est necesse est esse omne ens, & hoc sensu videtur omne possibile necessarium. Sed quia impedibile, potest nnn esse, & quia ad utrumque potest determinari. Sed cum determinatur, necessarin determinatur, licet illi contingat. Vt pluere sub cane contingit æstati, sed non huic, in qua venti vapores multos in hanc regionem attulerunt & densarunt sub dominin Saturni fervnrem per tepotem remittenti. Quod quia ordinatum est ex præjactis causis, inevitabile est. Dicitur tamen contingens respectu essentiæ æstatis in communi, sed non hujus æstatis.

XXIII. Hinc patet Resp. ad (3.) Quoniam non enntingit respectu Dei, sed necesse est esse, ea necessitate, qua Deus fecit res, hoc est, supposito, quod voluerit Deus res esse, & ita esse. Et respectu Dei dicimus nihil esse contingens; sed nec respectu ordinis universalis, sed respectu entium particularium, & ordinis particularis, prout superius ostendimus, a causa incommutabili posse oriri effectus infallibiles, utente causis contingentibus & liberis.

Sed ais, possum hanc paleam movere & sistere, & rerum ordn potest esse sine hac palea, & ipsam possum comburere, frangere, & servare: & ecce nunc moveo, mnx sisto; & tamen ordo rerum similiter se habet cum hac, & sine hac motione, & cum hac palea & sine. Resp. Hoc ipsum etiam nrdinatum esse, ut tu possis movere & sistere paleam, & si combusseris fieri aërem, & ubi posueris, ibi manere. Et tamen ad totius universitatem se habere nnn contingenter, sed

ordinate

ordinate ut prævidit Deus. Licet non ita videatur respectu nostri, qui omnem usum & pondus & mensuram & numeros universi non intelligimus. Capilli capitis nostri omnes numerati sunt. Lucæ 12.7. Et tamen potest homo sine illis esse, & decalvari, sed non Mundus, quoniam primus ordo nihil superflui habet, neque diminuti; secundi vero habent, sed minime ad primum neque inditum esse. Et quæ conditionaliter sunt futura, præordinarum est, quid fiendum succedente conditione quacunque, sunt enim infinitæ.

Nullus effectus reperitur, qui non reducatur ad causam aliquam per se, & ad ordinem causarum per se, & si quando D. Thomas docet ordinem providentiæ rescindi, intelligendus est de ordine morali, non de physico. Non enim Deus ordinavit voluntate effectiva peccatum, sed vetuit lege naturali & scripta: vetare autem est ordinare ne fiat: homo autem ut liber resistens spiritui sancto, legem transgreditur & ordinem. Attamen postea Deus hanc transgressionem etiam ordinat ad melius: unde non est contra, sed præter voluntatem antecedentem Dei. Nec propterea illi advenit voluntas consequens ex nostra causatione, sed occasione; quam tamen, quia Deus prævidit, & non vetuit, dicitur a sua antecedenti etiam esse. Et quidem D. Thomas 1. dist. 47. q. 1. art. 2. recte docet defectum & culpam non esse de voluntate antecedenti, nec consequenti divina: sed causæ, cui datur facultas libera vel contingens, cujus solum permissio est prævolita & ordinata.

XXIV. Attamen hic quæstio urget de præscientia Conditionalium futurorum. Decrevit enim Deus, si Adam non peccaret, cui dedit non temerandam libertatem, alio modo ordinare res politicas & naturales: si autem peccaret, aliter, & sic de cæteris. humana enim per Scientiam conditionalium regit & rationalia, ut in sacris literis palam est. Fatale enim Decretum horum non est: Deus autem rescindit Fatum voluntatis antecedentis ex occasione actuum nostrorum liberorum prævisa, non autem fortuita Deo: & volita in communi, & disjunctive, non autem in particulari & categorice.

Ad (V.) quod ajunt cum libertate Fatum consistere non posse. Resp. tametsi Providentiæ divinæ liberum arbitrium & omnes actiones nostræ subdantur, uti Dogma Catholicum tenet universim; credimus enim Deum ex auxilio gratiæ alios libere salvare; alios vero ex justitia liberos damnare, qui gratia generali abutuntur, licet speciali careant efficacique, in qua est salus certa. Generale auxilium Dei non cogere, speciale tamen non-cogendo necessitare, & in hoc variæ sunt opiniones Doctorum. S. Augustinus enim & sequaces scilicet Anselmus, Prosper (ut Thomistæ aliqui interpretantur, putant ad omnia naturalia esse prædestinationem decreto invicto: & similiter ad supernaturalia, ante prævisionem meritorum & demeritorum, nec esse causam ullam prædestinationis ad vitam, quam felicem exspectamus & speramus post hujus mundi periodum, nec occasionem, nec conditionem sine qua non, sed solam Dei voluntatem: similiter & Reprobationis, nam quia non eliguntur, sed reprobantur (saltem negative) peccant, & non liberantur, quia non datur eis efficax gratia: propter quæ peccata actualia deinde positive condemnantur. Quæ opinio, quoad secundam partem, videlicet Reprobationem negativam, semper mihi visa est minus conveniens Bonitati divinæ. Origenes vero & sequaces, ut Chrysost. Theophilactus, Athanasius, Basilius, Cyrillus, Cassianus, Iustinus, & tota fere antiquitas videntur opinari ex prævio bono usu liberi arbitrii, & abusu donorum Dei, prædestinari homines aut reprobari.

XXV. Nobis autem videtur media via verosimilior, ex gratia Dei aliquos salvari citra prævisionem meritorum, imo multos absque meritis ullis propriis, uti infantes baptizati, & morientes ante usum perfectæ rationis: sicut legimus quosdam sanctificatos in utero, & in sinu materno vitæ austeritatem inchoasse abstinendo certis diebus ab uberum sugendo liquore. Ratio est, quia salvare pertinet ad esse; & ideo a Deo, ut patre, omnes voluntate prævisionem meritorum antecedenti esse prædestinatos, qui tametsi labantur in peccata gravissima, iisque multo tempore inhæreant, tandem eadem gratia resipiscere ac salvari: prædestinatos, inquam, tam ad summum bonum naturale, qui est Deus naturaliter adipiscendus (qua beatitudine infantes absque baptismo defunctos fruituros esse non est improbabile) quam ad supernaturalem beatitudinem in Deo: propterea enim omnes creat ad imaginem & similitudinem suam, & ad se: nec enim odiens fecit aliquid Deus, sed omnes homines ex amoris exuberantia: sicut nullus pater facit filios propter furcam. At Voluntate consequenti eos tantum reprobari a Deo ut Iudice: non quos peccaturos, sed quos obstinatos scit morituros in peccatis, ergo ex prævisis demeritis damnari, quoniam damnatio ad non-esse pertinet. Deus enim vult omnes salvos fieri, ut docet Paulus Apostolus, & neminem perire, ut Petrus: & illuminat omnes homines, ait S. Ioannes: sed quos prævidet abuti donis salutaribus usque ad finem obstinatos, sequenti ad prævisam obstinationem & malitiam voluntate reprobat. Et propterea usque in finem præmoveri ad bonum auxilio generali omnes, quod ex nostro bono efficax fit: liberi enim sumus.

XXVI. Qua in re cum multa meditarer (verba sunt Thomæ Campan.) & S. Brigidæ Revelationes legerem in Lib. 5. quæstionum, suspendi sententiam, & divinam exspecto revelationem, seu illustrationem. Addo ego, auxilium illud supernaturale, quod Thomistæ voeant *Gratiam sufficientem*, esse revera quantum ad se, efficax ad bonum operandum; quod autem effectum suum non consequatur, defectum se tenere ex parte nostra eo quod non cooperemur illi ut oportet; & sic intelligo S. Augustinum, qui vocat illud *adjutorium sine quo non:* auxilium vero efficax, vocat *adjutorium cum quo*, videlicet cui cooperantes reddimus illud efficax in actu secundo. Prætereą censeo Deum citra omnem injustitiam peccatori semel lapso denegare & subtrahere posse auxilium gratiæ suæ, absque quo viribus propriis naturæ a peccati lapsu resurgere per pœnitentiam congruam nemo potest: quam desertionem merentur qui sæpius abutuntur, & gratiam sibi oblatam respuunt, quibus & damnationem suam præostensam fuisse plurimis docemur exemplis. Ita sentio salvo aliorum, & Ecclesiæ Romanæ judicio, cujus omnes quos scripsi apices censuræ subjicio.

XXVII. Illud autem inconcusse cum prælaudato Authore sustineo, esse in nobis libertatem ad volendum & nolendum: & auxilium ut entitas est addita, non fieri a nobis efficax: nullam enim entitatem nos

dare possumus, nisi a Primo Ente & cum primo: ergo fieri efficax a Deo effective, a nobis vero meritorie tantum; sua enim dona præmiatur Deus; ex virtute tamen prioris gratiæ, quam non respuimus, sed ei cooperamur, acti ab ea sicut liberi a patre; non sicut servi a Domino; quippe qui possumus respuere gratiam (etiam de se efficacem) & de facto habitam (pro dolor!) sæpe respuimus. Neque enim nos Gratia deserit, nisi deserta, ut probant Concilia Sanctorum (in Trident. sess. 6.) & codices veracissimi: nam sine pœnitentia dat illis nobis Deus, teste Apost. Peccatum autem non est peccatum, sed debilitas, ante voluntatis consensum, nascens ex participio Nihilitatis. Ad debilitatem autem scimus Deum non concurrere, quia non concurrit ad non-esse. Vnde S. Thomas, deficere non pertinet ad voluntatem antecedentem, nec consequentem Dei, sed posse deficere & non deficere, est de voluntate conditionis nostræ libertatis. In consensu vero cooperatur Deus, si est ad esse, nihil tamen cogendo: sed proposita objecta appetibilia faciendo, & voluntatem excitando ad bonum, ut enim consentio orationi &c. Cum ergo ab ordine recedunt, non per Deum, licet in ejus ordinem relabantur. Deus enim non est contra se, nec recedit a seipso: peccatum autem est recedere a Deo. An vero, & quo sensu Deus concurrat ad actum peccaminosum, docuimus Tract. XVI Sect. 2. nempe permissive tantum, & hoc physica permissione, non morali.

XXVIII. Sed cur Deus, inquies, ad seminis ejaculationem v. gr. concurrit, quando non fit generandi gratia, cur non tollit in illo actu potentiam veneream? & similiter cum extendit homo manum ad furtum? Cur Deus in illo actu coagens non peccat, nos tamen peccamus cooperando latroni aut furi?

Respondeo, quod ex quo Deus potest ex illo malo facere bonum, non prohibet illum actum, nisi per legem moraliter, ut ostendat nos esse rationales, lege coercendos, & non fune ut bestiæ: semen autem illud in terra sparsum ad aliquem mox esse usum, stillæ aquæ declarant, ex quibus multis est pluvia; pluviæ autem usus palam est. Homo quidem tenetur peccatorem coërcere, quia est pars illius: homo enim hominis est membrum, & non potest facere de malo bonum, sicut Deus de corruptione generationem. Nec potest homo prohibere moraliter, & solum permittere physice, cum non sit Author naturæ: sed pars earum, quæ partes non gubernat: sed Totius Author, totum & partes, in quo & a quo sunt. Deus quippe & lex jubent bona & vetant mala: permittunt indifferentia.

Igitur neque Deus permittit peccatum, ut fortiter Chrysost. & Iustinus demonstrant, ea ratione morali, qua homo permittens peccat: alioquin & Deus permittens peccaret, ut arguit Iustinus; sed permittit dum naturas conservat physice in sua libertate, & ingenio & contingentia aut necessitate, sicut docet Dionysius prudenter. Permissio enim non cadit super peccatum, quod vetatur, sed super conditionem naturæ liberæ ad peccandum & non peccandum. Non ergo contradictio est inter Doctores, si distinctionem jam dictam perpenderis.

XXIX. At nondum acquiescis, sed fortius instas. Habeo uxorem, ais, & abutor aliena: & in actu adulterii concurrit Deus; & quia prævisus est ac prævolitus, inevitabilis est: quomodo ergo possum vitare peccatum? non enim est actus iste indifferens, qui ex usu aut abusu fiat bonus aut malus: nec semel abutor aliena uxore, ut potuisset per ignorantiam, aut aliquam coactionem, vel necessitatem excusari non concurrente mea voluntate, ut Loth quando filias imprægnavit: nam ex quo necessario intervenit actus, necessario ergo & voluntas, licet libere, tamen inevitabiliter; non enim potest ab actu separari malitia. Sic eum blasphemat homo facit actum cui nulla bonitas: & odium Dei longe deterius: quomodo ergo ad hos actus concurrit Deus?

Resp. Deo præcognitum esse, non autem decretum, te abusurum tua voluntate, & ideo etiam prævoluisse uti abusu tuæ voluntatis in tali actu ad aliquod bonum. Sicut prævidit iniquam voluntatem Iudæ spontaneam, uti decrevit ejus voluntate ad Christi traditionem ob ingentia bona, quæ inde provenerunt. Similiter bene usus est Deus Paridis abusu ad Græciæ & Asiæ mutationem, & Romanorum originem & aliorum populorum, qui ex reliquiis Trojæ in diversis mundi partibus orti sunt sicuti & usus est avaritia aliquorum Hispanorum ad inventionem Regionum novarum & copulationem sub una fide & principatu: & ambitione Monachorum ad prædicationem; ita ut necesse sit esse scandala, & peccatum Adæ, uti scriptum est. Quæ cum nos possimus præintelligere, facere & providere, peccatum est nobis uti peccato alieno, & permittere mala, ut veniant bona: non tamen ut vitentur majora mala. Vnde ait Augustinus: Aufer meretrices e Republica, & omnia implebuntur pravis libidinibus, sodomia, bestialitate, mollitie: hoc tamen lex Dei docet esse peccatum.

XXX. Quapropter non videtur mihi inevitabilitatem respectu Dei, veluti respectu nostri libertati nostræ præjudicare, vel divinæ bonitati: non enim decrevit actum Iudæ peccaminosum, sed ut libere agat. Ergo nec concedo peccatum a Deo eligi ad bonum universi, sicut benefacta; imo ait D. Thomas, Vniversum melius esset sine malo morali perfectiusque: sed prius prævideri, & postea eligi, aut verius ordinari: benefacta vero prius eligi. Ex occasione autem bona multa Deum facere, omnes concedunt Theologi, præsertim qui putant, si Adam non peccasset, Christum incarnandum non fuisse. Ratio autem, quod mala solum prævidentur, bona autem prævidentur & providentur, illa est, quod mala sunt non entia: prius autem est non-esse rerum, quam esse in se: in Deo vero prius & semper sunt: quia vero Deus non facit non-esse, sed utitur, utique prævidet: bona vero quia voluit & prævidit, futura sunt: & sic conciliantur Origenes & Patres cum Augustino & sequacibus. Formalitatem vero essentiamque peccati consistere in non-esse, materiam vero in esse, sicut cæcitas est nihil, sed in animali materia cæcitatis est ens: Theologi sapientiores fatentur cum S. Thoma & Augustino; & ratio naturalis: quoniam est deficere a lege Dei; lex autem est ordo & entitas; defectus vero est non-entitas. Deus est summe Ens, ergo a Deo recedere est ire in non-ens.

XXXI. Sed cur reperitur voluptas in peccato, si est non-ens? Resp. Voluptatem non esse in peccati essentia, quæ est non-ens aversioque; in qua potius est tristitia, sed in materiali substantia in qua fundatur. Sicut dolor non est in cæcitate, sed in oculo cæci.

Libere ergo operatur homo, & per consilium venit ad deliberationem, & non potest non libere operari, siquidem operetur humano modo, ergo necesse est

ipsum

ipſum libere operari: omnis ergo effectus ejus eſt a neceſſitate liber: lex ergo punit & præmiat, ſed nti eſt a Deo prævíſum. Preces quoque valent, non ur veniant actus inevitabiles, ſed ne cum peccato noſtro: ipſe enim Deus voluntatem poteſt retioere, ne labatur in peccatum. Non enim actus, quantumvis turpis, eſt peccatum, ſed volitio prava eligens contra legem ſibi cognitam: valent qnoqne preces ut bona aſſequamur, quæ conditionate per preces dare decrevit: & mala vitemus quæ prævidit per preces vitanda, ac voluit: quod ſi non oremus, non aſſequemur, nec vitabimus, ſicut ſi non ſeminat, agricola, non metit. Decrevit enim Deus ſeminanti dare fructum: ipſe tamen voluit hunc ſeminare, & hunc orare, & omnia ab ipſo, & per ipſum & io ipſo. Et hoc inſcrutabile arcanum Dei eſt, quis intelliget? Nec tamen providentiam reſcindunt, & Vniverſale Fatum preces, ut putant Chaldæi, ſicut neć miracula, quoniam utraque a Deo prævia ſunt & ex hoc ordinata, pertinentque ad ſeriem rerum, ut ait Anguſtinus, quidquid obmurmuret Aphrodiſ. Deus quidem prædeterminavit fines, pet media prævíſa, ſive libera, ſive coacta, ſive ſpontanea, ſive violenta, & quis finis alius ſequi debeat, perdito uno vero præſcripto. Ergo ettiam volitiones & nolitiones bonas: malas autem ſolum præſcivit, & præcrdinavit, non determinavit. Non-ennia enim ab eo ſciuntur, non fiunt: & cum determinatio liberorum ſit abſque neceſſitate coactionis, & decretationis: preces juvant effectum determinationis, non faciunt determinationem: peccata vero tollunt effectum ponuntque reprobationem, uti & D. Thom. docuit in Opuſc. de Prædeſtinatione.

XXXII. Vt demum concludamus, ad Blaſphemos tranſimus, dicimusque hominem non poſſe blaſphemare Deum, ſed id quod concipit eſſe de Deo: ergo blaſphemar Deum a ſe intellectum, ergo proprium intellectum affectum ſpecie Dei falſa. Non enim poteſt ſummum Bonum odio haberi; nec ab nllo intellectu formari hæc propoſitio: Deus non exiſtit, recte perceptis terminis hoc eſt ens neceſſario exiſtens non exiſtit, ſic nec blaſphemari poteſt Deus, niſi quatenus intelligitur eſſe malum, quia judicat ad pœnam malos, qui, teſte Pſalmiſta, cum ſancto ſanctus erit & cum perverſo pervertetur: hoc autem non eſt malitia Dei, ſed ooſtra. Nihil ergo reſiſtit Deo directe, ut Deo: nec Deus blaſphemat ſeipſum in blaſphemante, ſicut Calvinus cogitur fateri. Neque eſt libertatis pars data a Deo poſſe peccare, ſed non-entis miſtura, quo Deus in eonum limitatione & definitione utitur, ad quam inclinamur ex proprio non eſſe, quo non eramus: ſed ad bonum inclinamur, ex eſſe quod accepimus; ideo homo non ſalvatur ſine Deo, at damnatur ſine Deo, ut dixit in Oſea. c. 13. 9. *Perditio tua Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum.*

XXXIII. Stat ergo cum infallibi, licet non cum inevitabili eventu rerum libertas; & peccatum non eſſe neceſſarium, & poſſe vitari a nobis, nec a Deo eſſe decretum, ſed prævíſum, illud præſertim quod non eſt ſeparabile ab deformitate: & Deum oon reprobare, niſi voluntate conſequenti, ut Iudex ex prævíſis demeritis, omnino arbitrandum eſt: quoniam etiam ex prævíſis demeritis multa elicit bona, non quo demerita, ſed quo Deus omniporenter providus. Nec propterea dabitur cauſa divinæ voluntatis, ut ajunt; hæc enim non cogunt, neque ſuadent Deum ita reprobare & ad hunc finem, ſed oſtendunt ejus ſapientiam & juſtitiam, & coofirmant, quod ipſe ut Pater & Rex velit omnes ſalvos fieri in recto ſenſu, non contorto. Et quod omnes ſint ſcripti in libro vitæ, ſed reputantur noo ſcripti, quonìam in eodem prævíſivo libro reperiuntur debitores magis quam creditores, ſicut hæc parabola ex Mercatorum libris deſumpta docet: unde oramus, ut ſcripta prædeſtinatorum nomina liber Dei retineat: & alibi pſ. 68. ut deleantur ſceleſti de libro viventium, ſcilicet qui erant ſcripti ad hæreditatem Dei, ſed inveniuntur a tergo chartæ reprobati ex prævíſis peccatis; neque eoim delentur ſequenti jndiciali voluotate, niſi prius ſcripti fuerint præcedenti paternali voluntate. Vide de hoc plura in Tract. L. de Volunt. & libero, nbi de tribus neceſſitatibus, quæ inducunt vel Coactionem vel Infallibilitatem vel inevitabilitem agemus, & Neceſſitas cauſalis ex radicibus Primalitatum declaratur.

TRACTATVS XXVI
DE
NATVRA FORMARVM, EARVMQVE ORIGINE.

AGgredimur hic diſputare ea, in quibus Phyſices generalis peoe ſumma conſiſtit, ac diligentius in naturam formarum primum, tum in earum originem inquiremus. Video enim non Peripateticos modo cum aliis Philoſophis, ſed eriam inter ſe de natura & origine formarum acriter dimicare: utrum formæ ſint entia quædam abſoluta, quæ de novo procreentur, prout vulgus Philoſophorum ſentit. An potius nihil ſint, niſi complexio qualitatum & proprietatum, quatenus idem eſſe tribuunt, & ad certas operationes conſpirant, ut viſum eſt Alexandro Aphrodiſæo vetuſtiſſimo Ariſtotelis Interpreti, atque ipſi forte Ariſtoteli, ut multis argumentis probat P. Honoratus Fabri. Quoad originem Formarum magna eſt quæſtio, & ſi quæ ſit alia ſpeculatione digna, unde formæ oriantur, ſiquidem hac de re ſumma eſt inter Philoſophos contentio, prout patebit ex dicendis. Nos more noſtro radicitus rem examinantes, videbimus primo quid per Vocabulum *Forma* veniat intelligendum, unde nomen boc traxerit originem, deinde quoruplex ſit, tum cauſas ejus inquiremus, & quod ex omnibus Philoſophorum placitis veroſimilius nobis viſum fuerit, (quis enim Veritatem ipſam ex puteo profundiſſimo extractam demonſtrative docebit?) exponemus. Sit itaque

SECTIO I.

De Formæ acceptionibus, Definitione & Diviſione.

I. Poſt Ideam (de qua ſuo loco) Forma ſervit Cognoſcitivo, quæ nimirum io re extra mentem Ideam repræſentat ideatam. Et quidem diſtinguendi res & naturas vim habet & notiones, validam. Roberto Boyle Vocabulum *Forma*, eſt verbum Technicum,

ſive

ſive ſecunda Intentio, cujus ſignificatio definitur quidem, ſed tantum ab operatione aut peculiari ejus uſu deſumitur. Homo enim recens natus, antequam operationes & actiones, ſpecificam ejus eſſentiam declarent, nihil differre videtur a Catulo, aut Piſce aut filio Simiæ, niſi per Figuram exteriorem, cui primo datum eſt nomen *Formæ*; minus autem diſcernitur Triglia a Cephalo, & Piſcis a Piſce, quorum nobis notitia parva, niſi per Figuram: quæ autem eandem figuram habent, ejusdem ſpeciei reputantur, ut Vipera & Aſpis, Lacertus major & minor, Anguilla & ſerpens niger, videntur colore ſimillimæ & ejusdem ſpeciei reputarentur, quoniam figura minorem differentiam oſtendit, præterquam in pennulis & ſpinæ emerſione: niſi vita terreſtris & maritima, exterioris exiſtentiæ differentia ſtatim indicarent & eſſentiæ diſcrimen.

Igitur a formæ exterioris notitia ad formam interiorem cognoſcendam per analogiam diſcurrimus, & per illam ad omnis rei modulum ſeu qualitatem.

II. Dicimus igitur 1. Forma in ſua communitate analogica conſiderata, eſt modus ſeu qualitas cujusque rei. Omne enim Ens finitam habet eſſentiam pro materia; & limitem ſuæ eſſentiæ pro forma, ſeu qualificatione materiæ, per quem limitem diſtinguitur ab aliis entibus, & conſtituitur in ſuo proprio eſſe. Ita quod forma entis & non-entis participium eſt; quo enim conſtituit, entitas eſt; quatenus diſtinguit, non-entitas. Homo ſiquidem per rationalitatem, conſtituitur in Eſſe humano, & diſtinguitur ab Aſino & aliis. Per Eſſe humanum eſt, per non-humanum ſeu aſininum, & alia, non eſt. Ergo entis & non-entis eſt omnis ſubſtantiæ limes, & ſumitur a limitibus corporum; qui ipſorum corporum eſſe includunt, & faciunt ad non-eſſe. Hæc enim pagina, eſt pagina usque ad limen ſuum, & ubi definit eſſe, ibi limen ejus. Ideo Pythagorici ponunt Principia finitum & infinitum, hoc eſt formam & materiam: quas Plato vocat finitudinem & infinitudinem: eſſentia enim omnis informis ad infinitas formas eſt in potentia: formata vero & qualificata certum finem habent in re & in mente. Non enim diſtinxerunt quantitatem a materia & eſſentia, quæ materiæ loco eſt in rebus incorporeis, quod modus finitatis ſit forma poſt.

III. Dicimus 2. Forma ſumpta pro cauſa, eſt id quo aliquid fit, ſactumque conſtituitur in eſſe ſpecifico, ſeu accidentali, ſeu eſſentiali; diſtinguiturque ab aliis entibus. Ergo forma hujusmodi per ſe non eſt ens ſubſiſtens, ſed materiæ qualitas. Cum enim Materia ſit una & informis, accedentibus formis multiplicatur numero, & qualificatur terminis. Dant ergo formæ eſſe non ſimpliciter, quia non dant materiam, ſed tale: quatenus qualificant materiam, non active, ſed formaliter. Ergo principium diſtinctionis quo eſt forma, non materia quæ erat una. Eſt tamen materia principium diſtinguibilitatis. Ergo & individuationis principium eſt ipſa formalitas & ſignatio talis, materia enim de ſe non ſignatur, nec a dimenſionibus, ſed a forma tantas dimenſiones requirente, ut regnet in materia, ergo ſi materia ſignata eſt principium individuationis, ergo ut formatione inſignitur, ſic & eſſentia. Diſtinguit autem active, cauſa agens: forma, modaliter. Modus autem eſt ab idea principalis agentis, ita ut forma ſit effectus agentis quatenus ideantis. Ergo eſſe formæ refertur ad ideam: forma enim harum literarum ad ideas ipſarum in mente mea eſt, & ſine ideis non fit forma, nec formatio, agens enim indeterminatum non facit actionem. Nihil autem obſtat formæ, quin ſit cauſa formalis, licet ſit effectus in generatione, creatione & ſactione. Nam & materia licet ab agente ſit Deo, habet tamen ut ſit cauſa materialis: materiat enim; ſic & forma format, & finis finalizat, quamvis non præcedat niſi in intentione: eſt tamen cauſa ut ſic agens agat in tali materia, ut cum tali formatione quæ fini ſit apta. Siquidem Bellum eſt cauſa, qua agens lanceam agat ex ferro, & non ex cera; & acuminatam, non rotundam. Non ergo ſola materia & agens cauſant, ut videtur Stoicis.

IV. Quær. 1. Quorumnam Entium ſit forma? Reſp. Dari formam rei genitæ, & formam generantis, non qua agit, ſed qua moderatur ſic actionem; & formam generationis. v. gr. forma generationis aquæ ex vapore eſt conſpiſſatio: generationis vero vaporis ex aqua, eſt rarefactio: & quia omne ens ſactum eſt, ſive per creationem, ſive per generationem, ſive per ſactionem, ſive per derivationem, idcirco dicimus omne ens factum formam, id eſt limitem ſeu qualitatem ſuæ eſſentiæ habere: incorporeum incorpoream, corporeum corpoream: ſimplex ſimplicem; compoſitum compoſitam miſtamve; per quam qualitatem fiunt & conſtituuntur ad exemplar, quo agens ſuam modificat actionem. Ergo forma ſeu qualitas eſt in omni prædicamento, dicimus enim qualitatem ſubſtantiæ, & quantitatis, & coloris, & actionis, & paſſionis, & operationis, & ſimilitudinis, & accidentis, & temporis, & loci &c.

Quær. 2. A quo, & ad quod Forma dicatur? Reſp. Nomen Formæ prius impoſitum eſt ab Arteficiatis: ex eadem enim materia ligni, faciunt menſam, lectum & ſcamnum &c. res nimirum differentes, propterea quod differentes inducunt formas variasque: prout artificibus placet propter finem. Species quoque vocatur Forma, quæ apparens pulchritudo eſt, ſignum videlicet virtutis formatricis: unde pulchra formoſa vocantur, quoniam bene formata ſunt ad finem. Igitur pulchritudo eſt perfectio formæ, & quædam ejus qualitas: datur enim & forma formæ materialiter tamen ſumptæ ut mox patebit. Conſtituit autem pulchritudo formam in eſſe pulchro, diſtinguitque a non pulchris. Deinde tranſivit nomen *Formæ* ad figuras naturalium, ſic dicimus formam rotundam Cœli, cornutam Lunæ, curvam brutorum, rectam hominis, &c. & quoniam Figura conſiſtit in externorum terminorum rei quantæ habitudine & ordine ad invicem: nomen formæ tranſivit ad particularum interiorum diſpoſitionem & temperamentum inter ſe quo ad proprium eſſe conducitur, quam vocant Configurationem: & quia cum ſint in propriæ eſſentiæ modo & qualitate, tunc habent, ut juxta illum modum agant. Propterea etiam Forma vocatur *Actus*: & quidquid actuat, forma: non quia traducit rem de potentia ad actum, ut dicunt; non enim forma hoc facit, ſed agens dans formam, quæ deinde eſt actus ſic ſuæ materiæ per analogiam, ſicut operatio eſt actus, ſeu actio operantis taliter, utque oportet. Præterea quoniam quidquid intelligimus quaſi Ens eſſentiamque illimitate vocarunt Veteres materiam: quidquid vero inhæret aut modificat, vocarunt formam & qualitatem: ſic animam vocant ſubjectum ſcientiæ; ſcientiam vero formam ſeu qualitatem: ſimiliter & virtutes, quas vocant habitus & diſpoſitiones, ſive corporeis in rebus, ſive incorporeis.

Mox

Mox ipsius Scientiæ objectum, super quo quasi inhæret consideratio, vocarunt materiam scientiæ, modum vero considerandi formam scientiæ. Præterea indeterminatum & confusum universale accipiunt materialiter in notionibus; differentias vero distinguentes & species, formaliter: cum tamen homo, & animal & rationale sint idem realiter. Non autem dicere solent formam Angeli, & animæ, ne videatur Angelus & anima materialis, sed sumunt essentiam animæ materialiter; qualitates & limites, formaliter. Deus autem, cujus nullus est limes & modus, nec qualificatio, non habet formam neque analogicam nisi secundum rationem. Etenim in divinis accipitur idem aliquando materialiter, aliquando formaliter.

V. Dicimus 3. Formarum alia est *activa*, ut calor & frigus, in igne & terra: quaquoquam non fit id, quo fit ignis; sed qui facit ignem, etiam absque alia causa agente, ut patet cum in speculis unitur, & in nubibus & in ferro, & hæc potius est forma formans. Non enim formæ est agere, sed agentis causæ, quæ vocatur forma, quatenus inest materiæ, licet non sit forma. Alia est forma *passiva*, ut tenuitas ignis, & soliditas terræ: quæ dispositio particularum ignis est ad usum caloris in igne regnantis; ut enim agat moveatque calor, sic ut oportet, a tali materiæ dispositione juvatur; idcirco & materiam coagere putavit Ægidius. Penetrat enim calor movetque magis servatque seipsum in materia tenui, quam in crassa, in qua tamen crassitie unitur. Non ergo materia coagit qua materia, sed quatenus qualificata. Unde Democritus atomas materiæ partes ratione figuræ agere imaginatur, quamvis omnem virtutem activam naturæ abstulerit: manifestum est autem in artificiatis, quod forma materialis deservit agenti. Forma agens manifeste per se fit *ut quod* a suo agente propriam essentiam effundente, ut lux speculi a luce Solis. Forma passiva, non adeo. Etenim cum non detur a calore, sed subsequatur calefactionem, videtur fieri *ut quo*. Siquidem circulus non fit, sed lignum circulatur ab agente, ideam non seipsum effundente, sed materiam formante: Aristoteli neque forma agens videtur fieri ut quod & per se. Quod tamen falsum est de anima, quæ a Deo creatur & fit & est ut quod. Et calor non solum in igne, sed ubicunque fit, at non fit solum quo fit ignis, sed quod fit ipse etiam ut patet in ferro ignito.

VI. Dicimus 4. Dari quoque formam totius in unaquaque re, ut igneitas quæ ideæ ignis respondet, quæ est essentia ignis in causa: in effectu vero existentia particeps essentiæ; Et quidem in notionibus vocatur forma, quæ respondet ideæ: in natura vero est ipsamet essentia. Porro forma totius & partis non est eadem re, ut putat Averroes: alioquin anima in homine, & calor in igne esset forma sui. Præterea nec forma totius prædicat formam partis & materiam communem, non individualem, uti docent Latini: sed prædicat materiam concinnatam sub tali forma. Ergo & individuatam & formalizatam & qualificatam in communi. Igneitas ergo dicit non materiam ignis communem & formam partis id est calorem: sed ipsum calorem & corpus ignis non commune, sed prout calore formatum est ad ideam ignis. Sic Humanitas animam & corpus humanum formatum ad ideam hominis, & ideo potius essentia quam forma dici debet, ut Richardus Victor monet.

Objicies. Humanitas non prædicatur de homine & de Petro, ergo non dicit totum sed partem. Resp. quod si est forma totius, necessario significat totum. Et licet conditiones omnium Individuorum non significat nisi in communi: non ideo de Petro non prædicatur. Nam si propter hoc, saltem de homine prædicaretur, qui etiam a singularitatibus est abstractus. Sed non prædicatur, sicut nec albedo de pariete, sed album. Ergo alia est ratio, videlicet quia humanitas significat ideam totam abstractam: homo vero concretam & contractam. Tota autem idea non exhauritur in hoc & in illo homine, nec de illis dicitur. Econtra vero prædicatur divinitas de Deo, & de Divinis personis, quoniam in illis non est participatio neque contractio, sed totiparticipatio & identitas. Videtur quidem forma totius constitui ex forma activa & passiva, ut igneitas ex calore & tenuitate, potius autem ex materia attenuata: non enim tenuitas est aliquid separabile, sicut calor a materia sua, re vel ratione.

VII. Dicimus 5. Datur forma totius simplex, & composita & decomposita. In homogeneis enim rebus, qualis est aqua, forma totius unica est Aqueitas, quæ tamen ex materiali forma, scilicet liquore, & activa scilicet ex gradu caloris aqueo, sic contemperatis ut faciunt unum totum Ens, constat. Dicitur autem simplex ob uniformitatem particularum. Sic igneitas, terreitas. Composita vero est sicuti Pyramis Cylindroides, quæ ex angulo & circularitate componitur. In Physicis elementatis putat Empedocles consimiliter se habere, quippe qui ex servatis Elementis res quasdam Visui similares etiam, producit, ut melioratum & hujusmodi. Decomposita tandem in organicis corporibus est manifesta: siquidem nervus in planta, & in animali, alium habet colorem & dispositionem & temperiem, ergo & formam. Similiter aliam caro, aliam os, ita ut quo pacto hæc difformia sint uniformia, id est unicam simul habeant formam, sicut aqua, imaginari nequeas, nisi compositam in animali: qualis in domo & in moleodino, & in exercitu formam facias, quæ est modus quo essendi tot entium simul in unum, ita ut unam decompositam faciant, quam Avicennam vocat Formam Totius (forsan melius) & partium, ut humanitas, molendineitas & hujusmodi. Impossibile est autem in his formam partium esse unam simplicem, quæ Peripateticis Entelechia, ultimus habitus & perfectio nuncupatur, ut gravitas rei gravis. Alius enim est habitus Nervi, & ossis, & carnis & spiritus: quorum quisque simplex videtur: alius insuper manus, pedis, oculi, capitis, viscerumque, qui ex his recomponitur, alius ergo totius animalis habitus, qui ex his componitur.

VIII. Arbitramur itaque formam essentialem intrinsecam in extrinseca exprimi, in eaque considerari oportere, atque in operibus suis. Nec sentimus omnium esse formam simplicem cum Aphrodisiensi, nisi simplicium; compositorum autem compositam, quoniam & difformem habent unitatem. Alioquin omne totum Compositum esset simplex, & non compositum ex partibus, & eadem esset unitas puncti & aquæ & animalis, eademque indivisibilitas. Quis autem affirmat, eandem esse unitatem circuli & trianguli, & quatranguli, & elementi & elementati, æque indivisibilem? In Circulo una est linea, in triangulo 3. unitæ, non unum præsertim in Scaleno. Major quoque

quoque est unitas literæ, quam syllabæ, ergo & forma simplicior; quoniam partes syllabarom habent etiam proprias formas, ex quibus conflatur forma syllabæ. Nemo etiam sani capitis dicet, unitatem Animæ & Angeli esse parem, nec minus simplicem unitate elementatæ arboris.

IX. Esto igitur in similaribus unica forma simplex: in dissimilaribus plures partiales convenientes in unam formam totius, sicut literæ in formam syllabæ, caro & os & nervus in formam manus. In toto enim partes sunt esse proprii & totius. Rursos ex dissimilarium & difformium unitatibus & convenientiis in totalitatibus partialibus fiunt totaliter totalis unitatis & formæ decomposita Entia per formam decompositam, sicut dictio ex syllabis, & animal ex capite, pedibus, manibus, visceribus & cæteris.

Patet enim, quoniam aliud est totum ex forma ordinis, ut Exercitus. Aliud ex colligatione, contiguitate addita ordini ut domus; vel insuper compositione & alteratione ad consimilitudinem mutuam ut theriaca. Aliud essentiatione quæ multiplex est ut prius dictum. Aliud omnibus modis, ut Mundeitas forma Mundi: qui non minus est unum quam homo unus ob formæ unitatem. Sortiuntur enim formam res unde unitatem: forma enim est, quo res fit & est: est autem quia una per se, vel participio. Videtur quidem in his, quæ generantur apud nos, forma esse mistura & modificatio virtutis agentis & materiæ: cujus partium situs, ordo & figuratio ita disposita sunt ab agente proximo, ut unum essendi certum gradum modumque constituant. Disponontur autem ab Agente causa inexistente, participio nimirum propinquæ, & remotæ, & remotissimæ, non inexistentium: sicut cum ex aqua fit aër; videtur quidem paulatim rarefieri per calorem additum, qui ipsi aquæ accidens est, quoniam deforis accedit supra gradum blandi caloris sui nativi, a quo in esse aquæ constituitur. Cum vero adeo rarescit, ut possit sursum elevari, fumus est ea aqua factus & vapor. Forma ergo vaporis est partium, quæ erant aquæ dispositio & temperies talis a tali tantoque calore, qualis quantusque requiritur donec ultima perfectio raritatis inducitur, quæ cum calore suo est essentia vaporis, id est forma totius. Fumus vero magis attenuatus & calore copiosiore non robustiore præditus, aër est. Similiter cum ex vapore fit nix, conspissatio modica usque ad mollitiem mutat vaporem in nivis essentiam; multa vero in glaciei essentiam.

Igitur forma videtur materiæ affectio & modus ab agente causa confectus conservatusque. Vnde recte Arist. aliquando formam substantiæ qualitatem esse docet: & differentiam formalem non in quid, sed in quale prædicari essentiale, sicut formalis accidentalis in quale accidentale.

SECTIO II.

Statuuntur formæ partiales (ut vocant) in viventibus præsertim in Homine.

X. Constat ex hactenus dictis luculenter pro constitutione Compositorum formas quoque aut simplices, aut compositas aut decompositas statui debere: nihilominus ulteriori ratione veritas hæc stabilienda est; hoc modo: Si non dantur formæ partiales, ratio duplex obstare videtur nimirum quia repugnat otiositas, & quia non fieret unum per se ex materia secunda & anima: sed neutra ratio ullius est valoris ergo. Probatur minoris prima pars. Non multiplicatur otiose quod cum ratione, experientia, & optimo argumento quod deducitur ex revelatis multiplicatur, sed ita se habet res circa formas partiales, ergo.

Prob. min. 1. quoad experientiam; quia contra experientiam & sensum, si non admittantur formæ partiales, admittenda esset forma cadaverica: hoc est dum e. g. moritur homo, in eodem instanti generetur de novo & inexspectato forma quædam in proprium interitum statim ab orto suo festinatura, quæ dicatur forma cadaverica: difficile autem quis sibi persuadeat in hominis morte de novo fieri novos oculos, novas manus, novum caput &c. & perire oculos illos, illas manus, cicatrices &c. quæ habebat homo agonizans. Ideo ridiculos vocat Thomistas Nobilissimus Boyle, contendentes cum forma specifica interire omnia accidentia, cum Malum aurantium ab arbore dudum decerptum tenuiori filio pediculo affixo illigatum a vigente fructu non sit discernendo. Aut dicaot, quæ forma characteres arbori viventi incisos, dum exscinditur arbor, de novo insculpat? Certe magnum sæpe scrupulum Medicorum peritissimis injicit, si ægrotus historicus vel apoplecticus sit, decernere utrum vivat, moriaturne? Quantum ad rationem probatur quia quod talis instituta sit ab ipsa natura forma cadaverica cum tot proprietatibus, exigentiis & mirabilibus organis, ex quibus constat corpus humanum, quodque statim festinet ad interitum & sui corruptionem, præter cætera incommoda, quæ formam illam cadavericam comitantur: est illud quod de ejus causa effectiva, de differentia specifica & similibus pluribus, prout alibi jam diximus: quod enim dicunt quidam corpora cælestia producere similes formas, cum moritur vel exsiccatur quodcumque vivens, sive sit herbula vel vermiculus: inexspectatum profecto satis est inquit Io. Bapt. Ptolomæus. Quantum ad argumentum deductum ex revelatis prob. illa minor. Quia alioquin & Christus mortuus formam hujusmodi assumpsisset hypostatice illam sibi uniendo, & in resurrectione denuo dimisisset, contra commune Theologorum effatum: *quod semel assumpsit* (hoc est sibi univit per unionem hypostaticam) *Verbum divinum, nunquam dimisit.* Omnia autem hujusmodi incommoda vitantur admittendo formas partiales, quæ videlicet sicut in homine vivo inerant, ita remanent in mortuo cum solo discrimine, quod in vivo subordinabantur animæ, eique velut instrumenta deserviebant ad operationes sensibiles, & ab ea in officio continebantur: in mortuo vero non sunt subordinatæ recedente anima, evaduntque sui Juris. Quod autem Vnum per se resultet ex materia substantiali proportionata, & forma substantiali item proportionata, non est mirum: quia materia illa secunda, nempe corpus humanum (seu belluinum seu arboreum, nam eadem ratio est) est maxime proportionata ad faciendum cum anima rationali hoc unum per se seu totum quod dicitur homo: idem intellige de corporibus cæterorum viventium &c. Indicat sane diversitatem formarum species partium & organorum diversa, & diversi usus & actus, ut mirum sit, quomodo unam eandemque formam partium difformium, specie distinctarum, & insuper organorum diversorum, eundemque actum faciant animam Peripatetici, qualis est gravitas in lapide unica.

XI. Pro-

XI. Propterea Patres Scholæ Christianæ tanquam Artificem in sua Officina & instrumentis includunt corpori Animam, utque Nautam navi, præcipue autem Ambrosius in Lib. de Isaac & Noë hanc Entelechiam reprobavit. De quo tamen vocabulo ejusque significatione mox plura dicentur. Neque illi obstat Clementinum Decretum de summa Trinit. & fide cathol. quo animam a Deo immissam corpus informare probatur. Hoc enim contra Averroistas tunc regnantes, unicam ponentes animam in cunctis hominibus assistentem, ideoque non informantem, decretum est: non contra Ambrosium, Lactantium, Chrysostomum, Augustinum, Gregor. Nyssenum aliosque PP. juxta S. Thomæ animadversionem, qui plurificant animas, æternantque singulas: sed etiamsi formam corporis dicant, incommodum non patiuntur. Potest enim forma immaterialis, non ex materiæ qualificatione emergens, uti materiales, v. g. forma securis, gladii, lentoris, lubricitatis &c. & levitas ignis (quibus exemplis utitur Arist. & Aphrodis.) non dependens a corpore, sed a Deo, difformes partes informare, infusa non confusa, possessaque a corpore, ut testatur Ambrosius. Sic enim lux a sole, non ab aëre, & nube, & aqua dependens, has difformes res informat. Formarum, Totius præsertim, nomina non habemus: dicantur ergo Humanitas, Animaleitas, Planteitas: partium vero Osseitas, Nerveitas, Spineitas. Similiter in Artificiatis Horologeitas sit forma Totius. Partis autem cuique sua ut roteitas, cordeitas &c. Utrum Figura Decompositorum sit essentia vel essentialis, sectione ultima disquiremus.

XII. Prædictarum formarum substantialium partialium Authores a doctissimo Boyle habentur Sennertus & Zabatella. Verum effectus, quos Sennertus & sequaces formæ prædominio affingunt, ipse contexturæ partium Compositi adscribit. Sicut, inquit, efficacia pulveris bombardiei a mechanica textura, & commixtione sulphuris sive nitri carbonisve. Item cærulei & flavi colorum mixtio proportionata viridem colorem producit. Hos effectus resultantes vocamus, sicut & formas materiales rerum inanimatarum, de quibus infra. Quæ tamen corpora sic commixta nihilominus vim suam particularem retinent, ut in automati partibus patet, etiam dissoluto toto. Iuxta hos itaque AA. forma corporis nil aliud importat, quam solummodo conventum accidentium, a quibus materia modificatur & determinatur. Estque rationi satis congruum, quod materia ab hostili agentium infestorum grassatione, accidentibus quoquot specificam suam formam compingebat, denudari potest, salvis interim cæteris, quibus juxta naturæ Leges, in eo statu manendum est usque dum aliter se habuerit corpus, quam illi, decedente forma, comparatum est.

Quæ contra Doctrinam datam objici solent, exigui sunt momenti, dum enim

XII. Opponunt 1. Illam esse contra conceptum formæ substantialis; Respondeo cum P. Ptolomæo, negando esse contra verum conceptum desumptum ex vera inductione physica. Verum conceptus seu essentiæ a nostris præjudiciis & anticipatis imaginationibus desumendi non sunt, sed venandi per veram inductionem physicam, juxta regulas datas ab hoc auctore differt. 36. Logicæ. Itaque si plures formæ substantiales dantur in natura, de quibus rationaliter & experimentaliter constat, quod alias habeant sibi subordinatas in eodem toto, cur ego obfirmem, esse de essentia formæ substantialis, ut sit unica in uno corpore? esto ita contingat in pluribus corporibus seu compositis simplicibus, non tamen in omnibus.

Instas 1. Non potest eadem materia informari simul duabus formis substantialibus, quod probas: quidquid advenit enti completo facit eum eo unum per accidens: sed anima adveniret enti completo, hoc est materia & aliis formis jam compacto; ergo &c. *Resp. Dist.* ant. non subordinatis, aut sibi contrariis. Conc. subordinatis aut non oppositis. N. ad probat. dist. maj. quidquid advenit completo secundum quid, & complimento subordinato facit unum per accidens. N. completo absolute & complimento non subordinato. C. ita pariter minor distinguenda. Iam scis quid sit unum per se.

Instas 2. Iuxta *Arist.* caro mortua est æquivoce caro respectu carnis vivæ, ergo differt specie ab illa per formam cadavericam. *Resp.* 1. Aristotelem in hoc errasse, si ita sensit, eadem enim numero forma carnis est in viva & mortua. *Resp.* 2. Si Aristotelis authoritatem tueri velis dic æquivocationem in eo positam, quod caro viva dicat tria, animam, formam carnis, & materiam: caro vero mortua tantum duo. Sicut numerum ternarium æquivoce dixeris esse numerum binarium, sed valde improprie.

Sed gravior restat difficultas, unde veniat quod certus gradus qualificationis in specie, certa constituat entia secundum Philosophos & veritatem, & omnes causationes? sive, unde sit, quod talis qualificatio materiæ ab agente constitutiva sit aquæ: alia ignis, alia vaporis, alia auri, alia animalis? & cur non inveniuntur aliæ rerum species, quam quæ sunt? Non enim forma centauri & hircocervi, multæque aliæ a Poetis & Pictoribus repertæ, per compositionem & divisionem earum, quæ existunt specierum. Sit itaque

SECTIO III.

An formæ lateant in sinu materiæ? An materia sit pars Essentiæ? & quomodo differat Essentia a Forma?

XV. De Formarum origine summa inter Philosophos est dissensio. Quidam enim formas mixtorum nullo modo procreari, sed in Elementis delitescere, imo & actu inesse putant. Quæ quidem sententia est Anaxagoræ, eaque a Scaligero & Sennerto acriter defenditur. Secunda huic opposita formas extrinsecus advenire statuit. Sive a Cœlo proficiscantur, ut visum est Fernelio; sive ab Ideis divinis imprimantur, ut Platonici tradidere; seu denique ab Intelligentia quadam a Deo substituta ad imitationem Archetypi imprimantur, hoc est idearum in mente divina existentium, ut sibi persuasit aliquatenus Avicennas, in hoc non reprehensibilis, sed supplendus. Tertia eaque inter extremas opiniones media est Peripateticorum, quæ formas non quidem actu, sed potestate in materia contineri, neque omnino extrinsecus advenire statuit, sed virtute agentium naturalium procreari, aut educi; (vocabulo plane metaphorico). Quæ quidem quæstio ut dijudicari possit, certa sunt ab incertis separanda.

XVI. Vulgus philosophicum cum suo Aristotele opinatur animam sentientem educi de potentia materiæ, sicut & omnes formæ, in qua tamen non sunt, & non

derivat ab Agente, in quo sunt. Quid autem stultius, quam dicere, frigus educere frigus demanu mea calida, & non potius illud præbere, effunderequein manum meam? Subservire poterit quæstioni huic enodandæ analogia desumpta ab artificiatis. Veluti enim artificiatæ figuræ sequuntur extrinsecam partium inter se adaptationem ad finem; ita naturales intrinsecam, quoniam artifex harum intraneus est, illarum extraneus. Et quoniam figuræ formæ sunt materiales, non autem activæ, ideo in materiæ potentiæ suo modo dici possunt præexistere; quoniam ex positione partium materiæ resultant, ut patet ex variis ceræ figurationibus. Et maxime manifestatur in folio grandi Circulatorum, qui in foro ludicra exercentes, ex eodem folio, multifariam effigiato compliçatoque, efficiunt ad nutum formam turris, & statim aliter revolventes idem folium vertunt in formam mortarii, & campanæ, & bireti, & tympani, & laternæ, & pateræ: ostendendo has & alias formas plurimas quasi in momento temporis. Ex quo patet materiam formari, & formas materiales ejus esse: at ab arte sic fingi ipsam, ad exemplar agentis causæ, non tamen in materia præexistere, cum ejus sit accipere, non dare, nisi ubi præparata est, instar illius folii, aut seminis; in quo bene Albertus ponit inchoationem formæ, prout clarius ostendemus ex S. Augustino, non autem in materia pura, vel quaecunque: non enim ex lapide faciet illas formas circulator, nec ex informi omnino, sed formata flexibilitatis qualitate, & plicationibus. Omnes enim formæ præcendentes sunt præparationes ad consequentes. Vide Supplem. IX.

XVII. Dico itaque 1. Formæ, quas Peripatetici volunt educi e potentia materiæ, non possunt statui pro Principio Corporis naturalis cum materia prima. Ratio est Ioan. Lalemand Disp. 2. Phys. partit. 1. a priori, quod enim est simpliciter Principium in aliqua scientia, illud a nullo alio dependere debet intra eandem scientiam, sed forma juxta hos dependet a materia prima, ergo. Maj. constat ex Natura Principii: Principium enim vocamus illud, a quo primo emanat aliquid: quod si enim emanet illud ipsum ab alio, jam non erit principium simpliciter, sed secundum quid tantum & mediatum. Min. facile probatur, nempe formam fieri ex materia prima, & videtur clarum ex hypothesi quod educatur ex illa: quid enim est educi ex alio, nisi fieri ex illo? sic herbæ fiunt ex terra, quia educuntur ex terra. Ad certum est apud omnes Peripateticos, formas substantiales (excepta Rationali) e gremio materiæ educi, ergo ex illa fiunt ab eaque dependent. Principia vero physica dicuntur ea, quæ nec ex seipsis sunt, nec ex aliis, sed ex ipsis omnia fiunt.

Respondent communiter cum Conimbricen. Formam non fieri, sed totum Compositum. Sed hoc gratis dicitur: quod enim antea non habeat esse, & de novo incipit habere esse, illud dicitur fieri: sed forma antequam educeretur de potentia materiæ non habebat esse, & per eductionem habet esse; imo juxta Thomistas dat esse existentiæ ipsi materiæ, ergo proprie debet dici fieri; educitur enim e potentia materiæ quatenus de ejus sinu beneficio causæ efficientis egreditur. Iam sic: Effectus causæ agentis dicitur fieri a causa agente: sed eductio formæ e materia est effectus agentis, ergo fit ab agente. Dum vero dicunt solum Compositum proprie fieri, hoc videtur omnino repugnans: nam potius debet dici resultare, cum supponamus illud non esse tertiam entitatem a partibus simul sumptis distinctam.

Respondent 2. Formam proprie non fieri, tum quia id deberet contingere vel mutatione naturali ex nihilo, quod est impossibile; vel ex aliquo, sicque non foret principium proprie dictum, ut bene contendit objectio. Tum quia idipsum consttat ex S. Thoma. 1. p. q. 45. art. 4. o. ubi ait: "Illis convenit proprie fieri & creari, quibus convenit esse," quod quiden convenit proprie subsistentibus, sive," sint simplicia, sicut sunt substantiæ separatæ: sive," composita, sicut substantiæ materiales: illi enim convenit proprie esse, quod habet esse, & quod est subsistens in suo esse: formæ autem & accidentia, &," alia hujusmodi non dicuntur entia, quasi ipsa sint," sed quia eis aliquid est, ut albedo ea ratione dicitur," ens, quia ea subjectum est album." Vnde & Arist. docet; Omne quod fit, esse Compositum, & hoc 7. Metaph. textu 26. ex instituto probat, omne illud quod fit, ex aliquo subjecto fieri; & quod fit ex subjecto, illud ex subjecto & forma componi: quod si igitur forma fieret, ex subjecto & alia forma componeretur. Quod vero Aristot. alibi dicit, formam fieri in materia, illud non proprie dictum esse ait S. Thomas, sicut & forma dicitur in materia esse, licet forma non sit, sed Compositum per formam. Formæ igitur, inquiunt, non fiunt proprie, sed tantum ex potentia materiæ educuntur, hoc est, ex vi transmutationis resultant in materia, & aliquid fit actu, quod antea erat in potentia. Sed

Contra, cum ex allegato textu S. Thomæ, nec quidem esse proprie concedatur formæ, quomodo ergo dabit existere materiæ, quomodo dabit esse Composito? Manetque vis argumenti, quod Principium esse nequeat Corporis Naturalis.

Nec dicas Formam ideo debere statui pro Principio simpliciter & proprie dicto, quia non fit ex alia forma. Sed non evadis, Nam multa sunt in Physica, quæ a nullo alio ejusdem rationis fiunt, & tamen non solent dici principia physica v. gr. quantitas non fit ex alia quantitate: motus primus non fit ex alio motu, alias daretur processus in infinitum. Addo, quod in definitione Principiorum habetur, quod principia non fiant ex se invicem, quod non potest ita intelligi, ut unum principium non fiat ex alio principio ejusdem rationis, esset enim ridicula illa ratio: sed sic debet intelligi quod unum Principium sit independens quoad suum effectum in fieri & conservari ab alio. Manifestum autem est ex principiis & doctrina Peripateticorum formam fieri ex materia (nisi fiat quæstio de nomine, quid sit aliquid fieri) aut originem & ortum ex illa trahere, ergo cum sit quid materia posterius, & ab illa in esse dependens, non potest habere rationem Principii simpliciter. Et hæc intelligi volo de Materia Aristotelica seu pura illa potentia; non autem de Materia nostra impregnata rationibus seminalibus, de qua mox agemus. Vide quoque Tract. XXIII. De Materia. Interim

XVIII. Dico 2. Impossibile videtur, quod ex gremio materiæ inertis & insensatæ sensus oriatur, aut alia activa forma. Materia enim passivum principium est receptivumque formarum, ergo non dativum: sed si quis det, recipit illas. Esse ergo in potentia materiæ

pura

pura, est tantum in ea posse reperiri, nnn autem in ejus gremio latere, nec ipsam posse in formam converti. Impossibile est enim naturam passivam fieri activam, & corpoream fieri incorpoream: esto enim quod formæ materiales, velnti circulus, triangulus & sphæra, qui sunt corporis termini, aliquo modo lateant in materia, quia non res nova, alteriusque substantiæ in materia est inserenda, sed ipsamet materia istis etiam formanda, vel per sectionem, vel per extractionem, vel per flexionem causæ agentis: quamvis nec sine idea agentis primi, qui omnibus velut instrumentis utitur: tamen formas activas, qoales sunt calor & frigus, cum sint sui multiplicativæ, & alterius essentia a materia, & non perseverent uti sphæra absque actione, ab ipsa materia educi impossibibile est, vel materiam in ipsas converti: & cum anima quoque activa res sit, e materiæ sinu oriri nequit. Porro si nec ex materia fit forma, neque latet in materia forma, vel pars formæ; ergo ipsa ex nulla sui parte fit, ergo creatur, quod negant; sed falluntur Peripatetici, quoniam vident a motu calorem excitari, & ex semine plantam oriri, unde putant omnes formas similiter materiæ inesse: cum tamen falsum sit, nisi ab agentibus causis indantur: lapis enim a sole geoitus calorem habet, qui possit excieri motu: & semen spiritum habet (vivit enim, ut suo loco demonstrabimus) qui possit animal & plantam efformare; & in putrefactis producuntur animalia, quoniam calor sensitivus est, spiritumque ex mole attenuata actus ipse generat, ac proinde ex crassa, in qua retinetur mole, efformat animal, ut Basilius, Ambrosius & Athanasius docent. At nisi præexistat sensus nullo pacto sensatum fiet Ens. Igitur ex Materia prima, quæ omni caret forma stupidissime formas educunt Periparetici, & propriis convincuntur exemplis. Et quando Arist. hoc negotium examinat in 3. de generat. anim. cap. 11 putat in putrefactis inesse terram, aquam & spiritum, & in spiritu calorem, ut quodammodo omnia animæ sint plena. Vbi etiam Averroe Elementa & calorem animata esse fatetur de meote Aristot. in Metaph. vero 7. & 8. & 9. & 11. & 12. putat in seminibus inesse artem fabricandi aoimal, veluti in meote Artificis est ars fabricandi domum. Ergo vis animalis inest, & non ex pura potentia materiæ, sed ab agentibus causis: & in putrefactis inesse arbitratur aliquid simile semini: qooniam nullum ens fit, nisi a suo simili & univoco, & hoc contra Platonem asseverat sæpe. Quid ergo opus esset simili exteriori, nisi aliquid det? nunquid propriam excitabit similitudinem? non autem dabit? Hoc falsum est, nam ædificator dar ideam suo ædificio, & scriptor scripturæ, alias & qui non est scriptor, scribere posset: & calor calidum facit & frigus frigidum: ergo omne agens dat passo soam similitudinem. Sigillnm quidem aperte condemnat hanc opinionem, quod nimirum suam imprimat formam, & non educit de potentia ceræ formam. Cera autem dicitur in putentia, quatenus recipere potest, non quia dare; & ut docet Arist. 9. Metaph. dicitur potentia passiva, non per se sed respectu activæ: & tunc vere est aliquid in potentia, quando pars rei faciendæ est in illo tam facta per dispositiones prævias. Non enim dicitur terra in putentia animal, sed semen; & tunc magis cum prope actum pervenit, ergo materia non dat sensum, nisi habeat actu aliquo, vel recipiat. Item si in materiæ potentia sint omnes formæ, ergo contrariæ formæ simul erunt: actus enim & potentia ejusdem generis sunt. Igitur si actus contrarii, potentiæ contrariæ: quomodo autem potestas caloris frigorisque simul natura sint, quis fingere potest? præsertim vero in eodem materiæ pnncto? Falso quoque fundamento innituntur, quod videlicet formæ agentes non per se generentur. Nam materia non generatur, neque corrumpitur, ergo forma generatur. Compositum vero est materia formaque simul. Igitur compositum non per se fit, sed per aliud, id est quia fit forma, sicut ignis non calefacit, nisi quia ejus calor calefacir. Item, Ignis juxta Peripat. dicitur fieri ex aëre, non alia certe de causa, nisi quia forma ignis educitur de potentia materiæ aëris, unde sic argumentor: Propter quod unumquodque tale, & illud magis: sed ideo ignis dicitur fieri ex aëre, quia forma ignis educitur e potentia materiæ aëris, ergo multo magis dicenda est forma ignis fieri ex materia aëris, aut certe ex materia prima.

XIX. Ioannes Lalemandet Eductionem istam formarum aliter resolvit dicendo: quod formæ substantiales præcedunt in materia secundum virtutes suas seminales, & non tantum in potentia materiæ indistincta a mareria, ut vult communis opinio; sed agens naturale per generationis viam & motum virtutem illam seminalem educit extra gremium materiæ, sicque facit formam actu existentem.

Hæc sententia quo magis accedit ad nostra principia, nempe ideas, quæ in chaotica massa concreatæ cum seminibus latitant, evolvi & explicari per subordinatos a Deo spiritus, uti verosimilius nobis videtur, eo magis arridet Vulgo Peripatus. Itaque statuunt formam nude in potentia materiæ latere, quod putant sufficere ad hoc, ut necesse non sit, cujuslibet formæ productionem dicere creationem, seu ne formæ dicantur creari, hæc enim nihil, sive non esse supponit; productio autem formæ aliquid illius prærequirit, & consequenter non fit ex omnino-nihil tum sui, tum subjecti: & propterea istam differentiam omnino solidam & magistralem autumant, creationem inter & generationem, quod illa nullum subjectum supponat, sed a quo quocunque independenter fiat: ista aurem tam io fieri, quam in esse a subjecto dependeat. Ac proinde Recentior quidam Salisburgen. Professor fatetur differentiam modo assignatam esse extremum Aristoteleorum refugium, quo minus cogaotur admittere formas materiales creari. Addit, illud esse confusum quod præhaber in materia v. gr. forma ligoi, non distingui ab esse formæ ignis quod similiter præhabetur ibidem, sed quod potius educatur forma ignis quam alia, id provenire ex dispositione ageotis: hoc tamen extrahere, inqnit, non est fieri aut generari; nec enim agens naturale intendit facere formam, sed compositum per formam, quia finis generationis naturalis est specierum conservatio, & consequenter individui ejusdem productio.

XX. Hæc autem omnia nec in minimo explicant phrasin illam eductionis formæ ex poteotia materiæ. Quod si rogentur in quid desinat aut resolvatur illa forma substantialis dum destruitur Compositum, æque parum salvant annihilationem, quam productionem: desinere enim ita ut nihil prorsus ex eo remaneat, qnid aliud est quam annihilari, aut in nihilum redigi, quid creaturæ æque parum competit ac creare.

XXI. Vrgetur amplius hoc argumentum. Cum Peripatetici negent formas amplificari a seipsis: &

negent ab agentibus causis ingenerari; sed tantum educi e materiæ sinu, consueta phrasi loquendi (quasi vero vinum dum recipitur in cantharo, dici possit educi e potentia receptiva canthari, aut anima e potentia corporis) oportet eos affirmare generatiooem esse creationem ex nihilo: quoniam si ex pura potentia materiæ fiunt formæ & virtutes & accidentia: vel materia ipsa vertitur in formas (nam in materia non sunt actu, sed possant-esse, nec ab agentibus dantur, ergo ex nihilo fiunt) quod impossibile & ipsi arbitrantur. Certe nec animam rationalem produci a Deo advertimus nisi in materia seu corpore rite ad illam dispositio & præorganizato, & materia tunc vel maxime est in potentia ad illam recipiendam, depender ergo ejus productio a materia rite disposita, quid ergo obstat quo minus & hæc dicatur educi e potentia materiæ? tantandem enim tribuit formæ materiali quoad entitatem & essentiam, quam animæ rationali, utrique enim nihil dat, sed solum in se recipit passive.

XXII. Dico 3. Materia non videtur esse pars essentiæ, nisi modificata. Non enim ferrum est serræ pars, nisi quia durum: forma enim serræ in cunctis esse potest materiebus, sicut & trianguli, sed non usus: cum autem omnia sint ad usum Dei, & Vniversitatis, omnia ex materia signata ad talem usum constant. Forma enim rei est propter finem, ut gladii propter secare & pungere: & ideo non nisi in ferro & dura materia fieri potest: similiter ad finem hominis pertinet, ut sit in carne & osse &c.

XXIII. Dico 4. Forma non est tota quidditas & essentia corporis naturalis, quod constituitur etiam per materiam. Quod autem passim dicitur Formam dare Esse rei, sic intelligendum est, quod differentia specifica corporum sit a forma substantiali, quia ab illa procedit dissimilitudo essentialis scientifica inter corpus & corpos. Sed tamen æquivocationem cavendam monet Ptolomæus: non enim dicitur materiam esse genus logicum, cujus differentia logica sit forma; sed totum corpus ut totum formalizatur, & dissimilitudo essentialis, quæ in illo reperitur deprehenditur procedere a forma substantiali licet collective sumpta cum materia. Qui vero non nisi unicam formam, quam Animam Mundi vocant, in compositionem rerum naturalium venire volunt, & præter illam, & animam rationalem, omnes formas substantiales negant, docent quod ratio essentiæ a forma, species autem physicas, non a formis oudeacceptis constituantur, atque inde nomina sortiantur, sed a Composito sensibili in ordine ad tales actiones, quæ beneficio sensus nobis innotescunt. Non ergo sufficit inesse formam, ut inde species physica dicatur esse coostituta: sicut neque semen animalis dicitur animal, tametsi formam habeat animalis. Ita Marcus Marci, de Arcu cœlesti pag. 561. Et pag. 58. Phil. vet. restit. ait: Ratio essentiæ a forma, Compositum seu species physica ab hac & idea; extensio vero, unitas & numerus a quantitate & materia desumuntur: si ergo eadem anima est in omnibus, possunt plura entia unum dici quoad essentiam; & simul plura entia seu plures species physicæ: propterea quod anima per ejusmodi ideas limitatur. Sed de his plura sect. seq.

Oppones 1. hanc propositionem: *Ego videbo Deum:* illud *ego* significat quidditatem & substantiam meam: sed corpus non videbit Deum, ergo corpus non pertinet ad quidditatem meam. Resp. distg. corpus collective sumptum cum anima, hoc est homo, non videbit Deum. N. seorsim sumptum. Conc. denominatio partis tribuitur toti capaci, inde effatum: *denominationes sunt suppositorum*, hoc est attribuuntur totis & compositis. Vbi tamen adverte, quod non omnis formalitas partis denominet totum, cum totum non est capax talis denominationis: sic materia denominat hominem ens materiale; & tamen anima licet spiritualis, non denominat hominem *ens spirituale:* propter discrimen inter determinationes (denominationes) quæ dicuntur *positivæ*, & quæ dicuntur *negativa:* primæ petunt ut totum saltem secundum partem sit tale, quale dicitur: secundæ vero petunt, ut totum secundum omnes partes, & totaliter sit tale, quale dicitur. Ita Ptolomæus Dissert. 3. Phys. Gen. sect. 3. Conc. 4. supponit ergo *τὸ spirituale* esse denominationem seu prædicatum negativum, quod falsum est: nec video cur homo non possit dici spirituale ens, saltem secundum quid.

Oppones 2. Si materia sive corpus est de essentia hominis, non erit idem homo puer & senex, quia partes corporis continuo depascuntur, & aliæ succedunt per alimentum. Resp. esse eundem, quoad partem sui præcipuam videlicet animam: quoad alteram nempe corpus esse eundem sensu physico & sensibiliter; item secundum partes primigenias ab ortu sibi communicatas, licet per effluvia, evaporationes seu transpirationes & nutritionem semper mutetur, etiam secundum formas partiales & spiritus vitales. Attamen mutatio illa fit insensibiliter, & propterea non obstat, quin vere dicatur, est idem homo puer, & homo senex. Idem numero, idem physice.

Sed quid si duo homioes resurgerent, quorum unus ab altero fuisset devoratus, quis eorum corpus pristinum? Resp. physice & sensibiliter uterque suum; cætera permitte Providentiæ Divinæ.

SECTIO IV.

Inquiritur profundius Origo Formarum.

XXIV. Declaravimus sect. 1. quid nominis sit Forma: restat investigare quid entitatis. Io. Bapt. Ptolomæus loco cit. inter proprietates Formæ ponit vicesimam hanc: Forma substantialis materialis non creatur, sed educitur in quantum continetur in potentia materiæ. Hæc proprietas, quæ fundamentalis est systematis peripatetici difficillima est explicatu, non modo probatu; præsertim apud eos, qui censent formas substantiales materiales esse quid omnino absolutum, & veluti frustum quoddam rei adaptandæ ipsi materiæ, a qua etiam possint separari & separatæ persistere. Inde orta est celeberrima quæstio inscripta: *De Origine formarum.* Stoici Deum includunt Mundo, tanquam Spiritum omnia permeantem: & Plinius ipsum esse naturam universalem similiter factitantem. Deridet hos Aphrod. in Libro de mistiooe, quod Deum tanquam figulum in luto revolvendo ac formando occuparunt. Damnat etiam Aristoteles Anaxagoram, qui intellectui primo abstractoque hoc formationis negotium infelix commiserit. Vilesceret enim si fœtidorum formationi vacaret.

Avicenna non Deum, sed Colchodeam, id est formarum datricem, formationibus præficit. Alexander vero similiter Intellectum agentem. Similiter & Themistius cum nequirent a non divina causa formationes derivare. Galenus in L. 17. de usu partium,

&c in

& in L. de formatione fœtus animam Mundi cum Platone adhibet, quod interdum facit Basilius & Augustinus, qui insuper cum Origene Angelos conducit ad hujusmodi functiones mirificas. Omnes tamen modum formæ a participationa idearum fere deducunt. Quæcunque enim causa divina agat, nisi aliqun modo & ratione agat, non perficiet certas determinatasqua in materia formationes. Item, nisi Mentis divinæ ideis correspondèrent gradus rerum & formæ certus, nequaquam sciremus utrum magis sit meliusque aurum hoc quam illud, & melinr homo, Cæsar an Thersites? Oportet enim id esse melius qund ad perfectionem speciei suæ accedit magis. Perfectio autem forma est: quæ nisi respondeat certæ ideæ, non potest assignari, eur sit perfectio magis quam imperfectio. Nec quæ plus & melius conservantur melioresque edunt operationes ita servari & operari possunt ob aliud, nisi quod accedunt magis ad suæ essentiæ gradum & puritatem, qui gradus nullus est nisi præsit idea.

XXV. Hæc omnia deridendo Peripatetici opinantes divina nnn pnsse communicare corporalibus, adeoque nec extare Ideas, respondent quæstioni cum Aristot. 7. met. formationem esse opus Naturæ, operantis propter finem omnia: & ut jam sæpe audivimus, formas non fieri, ideoque non præexistere in causa formatrice naturali: sed Compositum fieri ex forma & materia. Alii addunt, incipit & desinit assa; sed non creatur, nec generatur, nec corrumpitur per se forma; tam essentialis & extrinseca, quam aecidentalis & extrinseca: sed per accidens ad creationem & generationem & corruptionem Compositi. Et est (ajunt) in potentia materiæ ad talem actum, & eum fit actu per agentem Causam, fit Compositum, & non ille actus, nec materia.

At hæ responsiones declarant nihil. Cum enim summa ratio elucescat in formatione & figuratione naturalium: & corpora ipsa Elementaria Aristoteli sensus & tationis expertia videantur, dicendum erat quo pacto Natura corporalis stupida agat, ob finem, quem non intelligit, & quidem tam artificiosa agat: & unde illi hæc sapientia? Præterea nec artificiales formæ fiunt Aristoteli: sed Compnsitum artificiatum; nec tamen propter hoc non prærequiritur peritia artificis, & idea ad ipsatum effectionem.

XXVI. Dicendum ergo est quis Anthor formationis, & si non fnrmæ, in naturalibus tamen sapientior opifice artificioso?

Frustra Naturæ ob finem operanti id assignat Arist. in 2. Phys. Natura enim illi nil aliud est quam Materia & Forma. Materiaque ipsi stupida est, & Non Ens, nisi quis dicat enm Davide de Dinardo, Deum esse Materiam. Vel Intellectum communem cum Theophilo Peripateticis stultissimis. Forma vero non intelligit, neque generat, sed generatur: ipsa enim terminus est Generationis, non Principium. Item etsi generans agat per formam, cum plantæ & seminis forma non sit intelligens, tam sapienter plantam non efformabit. Nec Aristnteles semini dat nisi motum ad hnjusmodi productionem. Imo nullum animal, neque ipse homo, teste Iob & muliere Machabæa, fœtus formationem intelligit, nec quo fiat, nec ex quibus. Quomodn ergo Philnsophus proprio semini stupido longa rudiori & insipientiori committet solo motu fnrmationem & animationem, quam nec ipse homo adultus cognoscit post longos syllogismos & anatomias?

Hasce peripateticas rationes D. Thomas pertransivit tanquam veras exponendo Arist. textum. At in 1. p. Theol. insufficientiarum earum monstravit, declinando in Augustini sententiam, ut patet a q. 115. art. 2. & 110. art. 1. Vbi ratinnes rerum seminales docet primo esse in Verbo Dei: secundo effluere in corpora universalia, videlicet in Cœlum & Elementa; tertio in partieularia ut sunt hominis & plantæ &c. quartn in seminibus particularium, ut plantarum & animalium: & ex his in actum deductis fieri formationes, Angelorum virtute, mnventium creaturas corporales ad opera propria. Et hæc Sententia est S. Augustini, qui Angelos movere ad formas tantum, non autem dare, nisi agricolando, docet in 3. de Trinit. & in Libro 83. qq. & alibi.

At D. Thnmas in his, quæ exeedunt Naturæ modum, illos administrare creaturam corporalem. Sed si consideras Naturam stupidam non posse artificiosa fingere entia, utique latenter D. Thnmas concedit Angelis formationem. Et quamvis in q. 101. art. 2. neget: omnes tamen hodie formitaonem & plasmationem fœtus humani Deo committunt. Arist. randem 3. de gen. anim. c. 11. non aequiescens suis alibi dictis: cum animam humanam non posset accersire ab Elementis, dixit venire deforis: sed undenam, non expressit, ur Anaxagoras & Plato.

Telesius insignis Philosophus quia calorem & frigus sensu donat, negatque naturalium formarum asse nrgana, sed principales causas agentes, frustra etiam conatur nstendere, fnrmationes rerum fieri a calnre moderato per mutuam cum frigore actinnam, & Solis absentiam. Cum enim (ait) calor inclusus fuerir intra molem cnrpoream, si in spiritum agitur, effnrmat plantas & animalia juxta materiæ commnditatem, & sui rigorem. Ergo & præbendo sensum & mndifieationem spiritui, præbet artificium. Docte quidem: sed cum ista modificatio & agendi modus non præeóncipiatur sapienter a calnre, sed quadam necessitate fatoque adigatur ad hujusmodi opera, dum tantummodo ignem facere intendit; & tamen animalia plantasque facit: necessa est diviniori causæ tribuatur, vel Animæ Mundi, ut PP. eum Platone interdum docent, præsertim Basilius & Augustinus; vel Angelos, ut idem Plato & Origenes, & August. sentiunr, & D. Thomas his verbis: "Nihil prohibet ex virtute angelorum, aliquos effectus sequi in rebus naturalibns, ad quæ agentia naturalia non sufficerent: sed hnc, non est Angelo obedire materiam ad nutum; ficut, nec Cocis obedit materia ignis) ad nutum, quia aliquem mndum decoctionis operantur per ignem secundum aliqnam artis moderationem, quam ignis, per se non faceret. Cum reducere materiam in actum, formæ substantialis non exeedat virtutem corporalis, agentis, quia simile natum est simile facere." Hæc D. Thomas, & cuncta bene ait Campanella. Hoc ipsum enim est nobis formare, qund Coquus facit & Artifex, & licet forma non fieret, sed Compositum, ut ipse vult cum Arist. tamen Compositum fit dum forma fit in materia, sive dum materia formatur. Omne enim *quo* aliquid est, aut fit, aut scitur: per se prius est, fit & scitur, ut calor, *quo* ignem calidum esse scio, prius sentitur ut *Quod*, quam faciat sentiri ignam, unde manat, ut *Quo*.

XXVII. Nos autem contendimus hanc formationem, five per se five per accidens fiat, non posse committi Agenti naturali insipienti & viribus usquequaque diffusis absque arte operanti. Unde Telesius de formatione fœtus, nec audendam esse inquisitionem; sed suspicere & admirari modo potentiam & sapientiam Conditoris oportere admonet. Itidem Lactantius de Opificio Dei,& Galenus sup. alleg. Animæ Mundi rem mandat coactus & admirans.

XXVIII. Tandem D. Thomas putat, Naturam agere veluti a Deo directam instar sagittæ a Iaculatore. Recte quidem (inquam) si nunquam erraret in Monstris & orbatis Natura. Talis enim Iaculator nunquam erret oportet. At exempla dantur, non quod ita sint, sed ut addiscentes intelligant. Deus enim non extrinseca vi, sed indita movet. Porro si Natura sensus & potestatis & Amoris particeps sit, utique dirigi potest. Non enim mera vi, sicut sagitta, sed suaviter sicut filia percipiens docetur opus explendum. Unde S. Hieron. 8. in Matth. putat creaturam imperium Creatoris sui suo modo sentire. Et ipse D. Thomas q. 22. de volunt. art. 1. tandem ait, quod si naturalia impellerentur a Deo sicut sagitta, non vere appeterent finem, sed dirigerentur ad finem. At quidem ait, vere appetunt, ergo sentiunt, seque ipsis moventur ad appetitos fines. Unde explanat, quod non appetunt animaliter, nec sentiunt per speciem acceptam, sed inditam; & sic indito sensu naturæ sentiunt; ut in Iob. 14. lect. docet. Sic etiam dixit non semel August. & Arist. 3. de gen. an. ait c. 11. *Quodammodo omnia anima sunt plena.* Expleat ergo, Deo Duce non violentante, sed servante naturas in suis primalitatibus & appetitibus. Elementa enim amore propriæ entitatis & conservationis pugnant: nec Sol nihil Solem & Cœlum facere intendit, & tellus tellurem connaturali sibi frigore. Et quodlibet Elementum idem, ad suæ entitatis vitam & amplificationem. Quod assequi non desperant, quoniam sunt invicem transmutabilia. Non agerent autem nisi mota aliena vi, si Empedoclis inconvertibilitatem sortita essent; frustra enim operarentur. Verum dum præliantur in coexistentia, ordinata contra se invicem, ut se se in tuto ponant, necessario debilitantur & corrumpuntur, & in gradus variantur; qui quodam fatali ordine miscentur & manifestantur, in quandam harmoniam temperantur, itaque in varias formas aguntur, coacta abire in entia secunda, dum aliud curant, mox sponte faciunt, quod nollent: quoniam sponte pugnant & concitantur mox, ut necessitas urgere cœpit.

Deus autem seminavit intra res cunctas Primalitatum participes scilicet potentiæ, sensus & amoris, magnos Influxus, videlicet Necessitatem, Fatum & Harmoniam, quibus sic & non aliter agere patique rebus accidit, coactas ita posse, sentire & velle, nec aliter, propter ejusmodi influxus: eorumque actionibus ejusmodi per ministerium Angelorum regularis utitur ad formationes respondentes ideis divinis, non secus ac faber utendo igne, ferro, incude, malleo, forcipe, lima & aqua & ministris malleatoribus & admotoribus attemperat suæ ideæ efformatque tandem gladios, ligones, focilia, horologia, suas ideas exprimendo: quod non intendunt ignis, incus, malleus aliaque instrumenta, sed Faber, nec ministri, nisi prout a Fabro docentur.

XXIX. Formæ ergo non ab Elementis, sed a primo rerum Opifice, urente Elementis, non casu quodam, ut Aristoteli visum & Epicuro, nec necessitate ut Empedocli, sed voluntate, imperio & sapientia, exequentibus calore & frigore instrumentalibus causis naturalibus, moventibus & alterantibus, regulatis Necessitate, Fato & Harmonia per opifices Ministros Angelos, a Deo Ideas suscipientes, & in materiam effundentes, sicut artifex facit & Cocus, quod omnes Philosophi rationales ac Theologi senserunt, si credimus Thomæ Campanellæ.

Cujus Philosophiam hic habes in compendio, qui quoque putat plures formas in Angelis imprimi, quam in materia corporali: ut informentur, & informent, & intelligant & forment: fiunt ergo in accidentali esse per eas: in essentiali autem per finitudinem & qualificationem essentiæ ipsorum in primalitatum gradibus. Sane rerum omnium species nil aliud esse quam Idearum, seu primitus materiæ concreatarum in massa videlicet illa chaotica, quas & rationes seminales vocare licebit, evolutione consistere probabilissimum nobis videtur, quas ideas formis substantialibus materialibus Peripateticorum, in quarum eductione tantopere sudant, recte substitueris, qua via formarum eductionem, vel melius idearum evolutionem facilius ceperis, si analogiam consideres specierum, ut vocant, visilium, quando in Cameram obscuram immissæ in opposita charta sese explicant & objectum ad vivum exhibent.

SECTIO V.
Admittendæ sunt rationes Seminales in materia naturali.

XXX. Hæc conclusio habet D. Augustinum & D. Thomam præcipuos probatores, teste P. Ptolomæo dissert. 9. Phys. Gen. sect. 2. concl. prima quam verbotenus referimus. D. Augustinus ex illis verbis. 2. Gen. *Istæ sunt generationes Cœli & Terræ, quando creatæ sunt in die, quo fecit Deus Cœlum & Terram, & omne virgultum agri, antequam oriretur* (nota ita) *omnemque herbam regionis antequam germinaret:* ex quibus infert S. Doctor (Lib. 5. de Gen. ad lit. cap. 4.) Igitur in ratione seminali accommodata virgultum, & herbam eo die creavit Deus: nil enim aliud intelligi potest per hæc dicta *virgultum antequam oriretur, & herbam antequam germinaret:* non enim intelligi potest ipsum virgultum ut est in se, quod eo die fit creatum, alioquin ortum esset antequam oriretur; nec intelligi potest semen sensibile, *etenim ibi scriptura testatur semen hujusmodi ex herbis, non herbas ex illo prodiisse.* Secundo idem Augustinus (L. 3. de Trin. c. 7.) efficacissime adstruit hujusmodi rationes seminales in natura: surculum resolvit in semen sensibile, hoc ipsum in semen aliud, „quod quamvis oculis „ videre nequeamus, ratione tamen possumus conji-„ cere: quæcunque enim nascuntur ex occultis semi-„ nibus accipiunt progrediendi primordia, & incre-„ menta debitæ magnitudinis, distinctionesque for-„ marum tanquam ab originalibus regulis sumunt: „ (& infra) Ista omnia originaliter & primordialiter in „ quadam textura Elementorum cuncta jam creata „ sunt, & acceptis opportunitatibus prodeunt. Mun-„ dus enim gravidus est causis rerum nascentium. Item „ cit. Lib. 5. de Gen. ad lit. ait. „omnia primordia se-„ minum humida sunt, & ex humore concrescunt: „

insunt

insunt etiam in illis efficacissimi numeri trahentes secum sequaces potentias ex illis perfectis operibus Dei, a quibus in die septima requievit.

XXXI. Consonat Augustino D. Thomas. 1. p. q. 115. art 1. *Convenienter Augustinus omnes virtutes activas & passivas, quæ sunt principia generationum & motuum naturalium vocat rationes seminales: sunt autem in multiplici ordine* (& infra) *sunt in Elementis Mundi, ubi simul a principio producta sunt.* Item in Lib. de Veritate qu. 65. vocat has rationes seminales *Instrumentalia principia, & a rationibus intellectus divina indita rebus creatis, veluti formarum semina, ut per motum in actum reduci possint.* Item 7. Metap. ait: *In his quæ generantur ex putrefactione esse in materia aliquod principium simile virtuti activæ, quæ est in spermate.*

Præter auctoritatem id ipsum probat triplici ratione D. August. locis citatis. Primo, nisi aliqua vis hujusmodi esset in istis Elementis: *non plerumque nascerentur ex terra, quæ ibi seminata non essent;* contra quam contingat, ut canit Virg. 1. Georgicorum.

Hic segetes; illic veniunt felicius uvæ
Arborei fœtus alibi, atque injussa virescunt
Gramina.

Profecto, quod sola forma Terræ producat has plantas, incredibile est: si enim activa esset, produceret sibi simile, ut cætera agentia naturalia: quod Sol & astra id ipsum agant, nisi per hunc spiritum mundanum, falsum est: quod accidentia quædam & dispositiones ad hos effectus sufficiant, improbabile.

Secunda ratio. Sine hujusmodi rationibus seminalibus generatio esset Creatio, & Dæmones, quorum opera Ægptii Magi produxerunt ranas, fuissent creatores, saltem quantum ad formas substantiales, quas educi & non creari per Augustinum est: *præsupponi in materia illarum rationes seminales, in quibus inest vis illa divina gerens de intima potentia Creatoris regulam formandi corpora:* unde rationes seminales vocantur etiam vis formatrix, quæ inest & inesse debet in materia ut generentur, & non creentur corpora.

Tertia ratio. Cuncta corporea ab initio originaliter Deus creavit, & cessavit ab omni opere suo, ut Augustinus colligit ex Genesi; ergo creata fuerunt tunc omnia in seminibus suis; gignuntur vero, cum semina mutantur in formas. Nec satis est dici causas secundas productas tunc, a quibus successive aliæ producerentur: nam si illæ non creant, jam effectuum suorum vel semen, vel rationem seminalem præsupponunt creatam a Deo. Audi Augustinum rerum generationem explicantem: "ea quæ secreto, naturæ "sinu abdita continentur, erumpunt & foris creantur, "quoddammodo explicando mensuras, & numeros "& pondera sua, quæ in occulto acceperunt ab eo, "qui omnia in mensura & numero & pondere disposuit."

Conclusione sequenti idem Author contendit, præfatas Rationes seminales esse ipsissimam entitatem, quæ a Peripateticis dicitur Quinta essentia. Dixerat quoque Num. 13. quod Anima Mundi apud Platonem, si metaphoris & parabolis denudetur, nil aliud sit quam hujusmodi entitas: inde animam illam in II. de legibus appellari κίνησιν seu *motionem*, & alibi *numerum* se *moventem* ἀριθμὸν αὐτοκίνητον, nempe motio illa, quæ per mundum flatus subtilissimi & vigoris ignei exponitur. Ex Scholasticis Peripateticis id ipsum sensisse Franciscum Piccolomineum & Zabarellam, & Alexandrum de Hales, qui 2. p. q. 1. ait: "Sententiam suam esse, quod in Elementis Mundi, "insita sit a Conditore natura quædam (hoc est entitas), "reipsa differens ab Elementari, simplex & incorporea, (hoc est non corpus elementare, juxta phrasin il-"lorum temporum) ut possit esse principium substan-"tiæ simplicis &c., hoc est, possit esse virtus effectiva quoad effectus proportionatos.

Quid, quod num. 22. hanc hypothesin confirmat ex eo, quod illustres & antiquissimos Philosophos Hipocrates, Arist. & alios legerit statuisse calorem quendam esse per totum Universum diffusum, undecumque procedat, qui faciat ut gigni viventia & non viventia possint: bujusmodi autem calor, inquit Ptolomæus, idem est, ac igneus ille vigor, de quo Augustinus sup. cit. Id quod etiam ex Marf. Ficino (in Lib. 8, Plotini) confirmat, dum ait juxta Phœnicum Theologiam "diffusa est per Universum, & omnibus insi-"ta substantia quædam translucida & diaphana ex lu-"mine tempetata, quæ sit actus purus intelligentiæ, "quodammodo extra procedens."

XXXII. Verum enim vero quo minus assentiar Ptolomæo, moveor 1. quod idem Marsilius Ficinus cit. a nobis alibi, de Anima Mundi, Lib. de vita cœlitus comparanda, distinguat animam Mundi a calore illo æthereo omnia penetrante, dum hunc statuit pro vehiculo & instrumento virtutis suæ: repeto ejus verba: "Anima Mundi, inquit, ubique vigens, per Solem, "præcipue suam passim explicat communis vitæ virtu-"tem. Unde quidam Animam, & in nobis in Mun-"do, in quolibet membro totam, potissimum in corde, "collocant, atque Sole. Semper enim memento, sic-"ut animæ nostræ virtus per spiritum adhibetur "membris; sic virtutem Animæ Mundi per Quintam "Essentiam (nota hoc) quæ ubique viget, tanquam "Spiritus intra corpus mundanum, sub Anima Mundi, "dilatari per omnia; maxime vero illis virtutem hanc, "infundi, quæ ejusmodi Spiritus plurimum hauserunt. "Potest autem Quinta hæc essentia a nobis intus magis, "magisque assumi, si quis sciverit eam alius Elemen-"tis immixtam plurimum segregare, vel saltem his re-"bus frequenter uti, quæ hac abundant, potissime præ-"sertim, ceu electum vinum & saccharum & balsa-"mum atque aurum &c."

Ex quibus verbis luculenter patet Animam Mundi cum Quinta Essentia perperam confundi a Ptolomæo, quam parum Anima rationalis cum spiritibus animalibus & vitalibus per quos virtutem suam diffundit iisque utitur velut instrumentis inorganicis.

Moveor secundo, quod apud Campanellam legerim Lib. II. Met. cap. 13. *Quintam Essentiam* Aristotelicam ab Ambrosio & aliis PP. damnatam tanquam hæreticam & contrariam scripturis sanctis Apostolorum.

Moveor tertio ob rationes nuper adductas, quod formationes mirificæ operum naturæ non possint adscribi causæ stupidæ omnis rationis experti, qualis est Quinta Essentia & calor æthereus, quam Hermetici seu Chymici apud hunc Authorem symbolice dicunt *Naturam radicalem, balsamum naturæ, mummiam, vitale sulphur, archæum centralem, omnium naturalium actionum fontem & propaginem, fœcunditatem & transplantationum originem.*

Moveor quarto, quia rationes basce seminales vocat

vocat Substantiam simplicem & homogeneam, comparando eam Luci solis; homogenea enim (inquit) lux solaris illustrat omnia corpora adversa; aliter tamen stellam, aliter lunam, aliter aquam, lignum, argentum; & similia meditari jubet de spiritu mundano: plane sicut scope diximus de calore solari. Nam in sententia Aristotelis *Quinta essentia* est corpus simplex, unde ab Alex. de Ales dicebatur incorporea; hoc est incomposita & simplex natura. Vtut sit, & quocunque eam pellas nomine, id unicum quæro, an sensu & cognitione tali & tanta sit prædita illa substantia simplex & universalis, quæ & quanta requiritur ad formationem phænomenorum naturæ vel in inanimis, vecors, stupida, cognitione carens? Enim corporeo cognoscitivam potentiam, & quidem tam excellentem vix tribues: spiritualem difficilius dixeris, nisi interanimam rationalem & spiritus angelicos mediam statueris: aut cum Thoma nostro Campanella ex Dominationum Choro administratorem tam eximium deputaveris.

SECTIO VI.

Refertur hac in re Sententia P. Athanasii Kircheri.

XXXIII. Insignis iste Pansophos & solertissimus Naturæ Scrutator cum pluribus de Vegetabilium genesi doctissime disseruisset Itinerarii sui II. P. Dial. 2. cap. 4. quærit ex Genio suo Cosmiele his verbis: Dic, mi Cosmiel, cum dixeris formas vegetantium esse materiale quid, quomodo illæ e potentia materiæ educuntur?

Respondet Cosmiel. Certum est, Philosopho teste, vegetabilis & sensitivæ naturæ formas omnes educi e potentia materiæ, quod sic intelligas velim, quod videlicet ex primævæ potestate materiæ chaoticæ, quæ adhuc in omnibus Mundi corporibus individuata manet, veluti e potentia proxima (utpote rationibus seminalibus imprægnata, per quod distinguitur a materia artificiali, in quam formas rectius induci quam educi dixeris) in actum educantur. Hæc vero Materia, cum sit mixtum quid & elementatum; formæ vero educantur ex potentia ejus virtute hujus materiæ omnigena seminalium rationum elementorumque commixtione gravida, manet formam, quæ inde educitur, non ex pura quadam & informi prorsus potentia, sed ex iis, quæ materiæ insunt, videlicet ex subtilissima & tenuissima Elementorum, lucisque primigeniæ sive seminis Naturæ portione originaliter formari atque constitui.

Quomodo vero & unde vis propagatrix in viventibus originem suam trahat & unde proveniat, sic exponit. Dicit I. Deum indidisse massæ chaoticæ semen universale, sive panspermiam & vim seminalem rerum omnium productricem. Si quæras in quo consistat? Respondit fuisse Spiritum quendam materialem, seu ex subtiliori cœlestis auræ, sive ex Elementorum portione compositum, fuisseque vaporem quendam spirituosum sulphureo-salino-mercurialem, semen universale rerum: qui Spiritus pro natura matricum, quibus inditur, juxta congruam unicuique naturam operatur. Quoniam vero res productæ pro natura singulorum variis figuris, coloribus, differentibusque partibus & membris constare debebant: hoc semen universale duabus naturæ dotibus instruxit dictarum rerum architectricibus, quæ sunt Virtus plastica & Magnetica, quarum prior singulis speciebus formam, figuram, colorem; altera similium vim attractivam contulit.

Quid autem per Sulphur, Mercurium & Salem intelligi debeat, explicat Lib. 9. Mundi subterr. sect. 1. cap. 6. his verbis:

XXXIV. Ne vero quispiam putet, ex materiali sulphure, Sale & Mercurio omnia constitui: dicimus hæc tria rerum Principia *secundum analogiam* quandam intelligenda esse. Latet quippe in intimis naturæ recessibus quidpiam *igneum* & maxime activum, sive id calorem naturalem, sive quid illi correspondens Naturæ conservativum dicas, quod *Sulphur* vocamus. Quoniam vero ignea illa vis rebus inexistens, sine *humido*, utpote pabulo suo, consistere non potest, in omnibus quoque mixtis illud, sive id humidum radicale, sive alio nomine indigites, conditur, quod secretiores Philosophi nomine Mercurii innuunt. Rursus quoniam Calido-humidum, sive Sulphureo-mercuriale subsistere sine *fixatione* non potest; hinc istud quod rebus omnibus subsistentiam dat, *Salem*, utpote quod terrestris Elementi rationem referat, dixerunt. Quoniam vero Compositum sulphureo-mercuriale-salinum necdum operationes suas naturales recte perficere potest: hinc addiderunt iis Spiritum quendam omnes Mixtorum substantias permeantem, quod nos *aëris* nomine indigitamus. (Alii Spiritum Mundi, Entelechiam, Animam Mundi &c. appellant).

XXXV. Si quæras, quænam sit differentia inter *sulphur minerale*, & *sulphur* quod *Philosophorum* vocant, & quodnam ad compositionem rerum concurrere dicatur? Respond. 1 *Sulphur minerale est pinguedo terræ*, quam vis caloris ex ipsa expressit; qua de causa plerumque ad loca ardentia reperitur. Ita Agricola Lib. 3. de ortu & causa subterran. Cui subscribit Cæsalpinus, qui Terræ adipem vel oleum; Theophrastus quoque resinam terræ vocat. Tu vide quæ supra Tract. diximus cum Leone a Stipite. Quatuor substantiis differentibus constare ex effectibus comprobatur. Calore enim solvitur & liquescit; frigore iterum condensatur, unde humidum in se continere necesse est. Quoniam vero in impalpabilem pulverem redigi potest, id terrestris substantiæ siccioris manifestum est indicium. Quia vero facile inflammari potest, & glutinis instar adhærere, id sane substantiam oppido viscosam indicat, per quam uti facile adhæret, ita per unctuosam facile inflammatur: quæ sane aperta sunt indicia ignis, aeris, aquæ, terræ, in cujus centro ignis, sulphur illud natum, igneus vigor, humidum Mercuriale seu Mercurius, & sal terrestre omnium fixativum reconduntur: fumus vero fœtidus luculenter indicat, id terrestri materia indigesta adhuc, cruda & necdum terminata constare. Quod itaque calidum siccumque sit & ignea quadam vi præditum, id habet ab interno suo sulphure; quod liquefactibile, id a mercuriali liquore, quo pollet, obtinet: quod vero fusum facile coagoletur, id sali interno adscribendum est, uti & acutum, & quod facile penetret omnia, id a siccitate obtinet.

Respond. 2. Quicunque putant sulphur istud minerale & fossile ad generationem rerum concurrere, valde hallucinantur: quomodo enim sulphur hujusmodi concurrere possit, non video; cum res, quibus apponitur, destruere & consumere potius, quam componere videatur. Aliud itaque sub sulphure; in quantum

tum unum ex universalibus principiis materialibus connotat, latere videtur, quod ut explicet

Respond. 3. Esse in rerum natura Principium quoddam calidum, summe unctuosum, subtile, penetrativum, miris virtutibus praeditum, quod nonnulli ignem, calorem naturalem rebus omnibus insitum; quidam *sulphur naturae* vocant, eo quod quemadmodum ignis Elementaris in flamma succensisque rebus maxime se exerit, seque visibilem reddit: (cum tamen hoc pacto Ignis consideratus Elementum dici nulla ratione possit, imo tantum abest, ut ad compositionem rerum concurrat, ut potius omnia destruat). Ita quoque dico *Sulphur* esse *Ignem naturae invisibilem*; neque materiale hoc sulphur e mineris extractum dici; neque ut sic consideratum ad naturalem rerum compositionem concurrere posse; latere tamen sub ipso, seu sub materiali quodam tegumento, seu involucro ignem illum naturae, quem juxta analogiam quandam Spagyrici nunc *sulphur naturae*, nunc *vivificum Mundi semen* appellarunt; eo quod ejus virtute omnia animentur & vivificentur, utpote sine quo in rerum natura subsistere queat nihil. Hactenus Kircher L. 9. Mundi subterr. sect. 3 c. 5. Ubi etiam curiosa de virtute olei sulphuris, floribus, lacte, cremore, butyro &c. breviter recenset; & quod excrementa eorum, qui sulphureis medicamentis frequenter utuntur, moschi odorem referant.

Itaque hoc *semen universale* constans calido innato & humido radicali cum consistentia; quod per sulphur seu ignem, Mercurium & Salem intelligunt, Conditor Deus primo massae chaoticae concreavit, ut ex eo deinde omnipotenti vocis suae imperio, cuncta, quae Mundi ambitu continentur, tanquam ex subjacenti materia educeret, quod quidem juxta naturae gradum unicuique convenientem, singulis tam vegetabilium, quam animalium speciebus, juxta divinae intentionis beneplacitum insinuatum individuatumque tam varietatem rerum, quam miramur prodidit.

Eodem cap. 5. sect. 1. Lib. 12. de Mundo subterr. subjungit; qui formetur semen particulare prolificum, & quomodo operetur virtus ejus plastica, quam & experientiis probare nititur, ita inquit: cum vix sit, qui genuinam hujus rationem ex Philosophis exposuerit, & plerique has differentes Virtutis seminalis rationes per universales & metaphysicos conceptus exponant: qui vero proximas harum causas, neminem reperi, si exceperis doctissimum, & experientia rerum Clarissimum Medicum Marcum Marci, qui in suo egregio opere de Operatricibus Ideis, Anno 1655. acu, ut dici solet, rem tetigit, cui libenter subscribimus.

XXXVI. Caeterum idem Author Eximius Lib. 10. Mundi Subt. sect. 1. c. 4. intima compositionis rerum mysteria, tametsi aliis, quam in Scholis solet, terminis explicat in hunc modum. Duo sunt in rerum natura (si res sepositis omnibus metaphysicis contemplationibus, sub rigore physico considerentur) quae ad omnium rerum σύνθεσιν concurrunt, omnibusque insunt, omnium generationum & corruptionum causa sunt. Et primo quidem est *materia terrestris, spirituosa, concreta, corpulenta*, in cujus centro latet id, quod rebus substantiam corpulentiamque praebet, quem *fixum Naturae salem* appellamus: ut vero materia talis, quam descripsimus, fit, id ab insito fixativo Elemento habet. Dixi *materiam*, quia omni vi activa, secundum se considerata, caret, & in tantum quidem agere dici potest, in quantum innato appetitu seu magnetismo, trahit ad se partes illas, maxime sibi consimiles & proportionatas. Dixi materiam hanc terrestrem esse spirituosam, subtilem activam, id est, centralem Naturae salem volatilem, qui actuando perficit & complet alteram partem, dum illi conjungitur: & uti ex illa alia haec accipit corpulentiam consistentiamque, ita quoque communicat illi vim activam, formalem & specificam. Et quandocunque hi spiritus subtiles & tenues evaporant, materia dissolvi dicitur, remanente materiali substantia fixa: & uti hae partes formales ad agendum, ita illae materiales ad patiendum natae sunt, ut patet ex artificiosa resolutione mixtorum, qua partes ex diversis mixtis essentialiter diversae extrahuntur. Sic spiritus nitri, aluminis, vitrioli diversissimi sunt a spiritibus, qui ex vegetabilibus vini, rosarum, liliorum, aliorumque innumerorum distillantur extrahunturque. Ut proinde non immerito, quemadmodum a Peripateticis resolutio in materiam primam non conceditur, ita quoque nullum corpus omnino spiritus expers dari possit. Quantumvis enim corpora in cinerem resolveris (qui omnium aliorum siccissimi creduntur) tamen & illi ulterius adhuc, partim in Salem sublimantur, partim, si violentiori igne torqueantur, in vitrum fluunt.

Hae vero partes, materia videlicet & spirituosa substantia, cum inter se valde diversae sint, ut inter se uniantur, maxime vinculo opus habent, quo strictis amicitiae legibus copulentur: quod quidem nihil aliud est quam humidum, medium quid inter volatile & fixum, inter corpus & spiritum, sive quod idem est, inter crassum & subtile. Quia tamen nulla rerum mutatio sine humidi hujus attenuatione sive dissolutione fieri potest, hinc natura deputavit Calorem, veluti Archaeum quendam, cujus ope humidum gluten naturae attenuatum dissolvatur; quo dissoluto, & partes dissolvantur, spirituosa evolant, corpora concidunt. Quanto vero hoc humidum pinguius, viscosius compactiusque, tanto difficilius quoque dissolvi necesse est; & consequenter ob partium probe commixtarum constipationem minus corruptioni obnoxium est. Hinc patet cur aquea humiditas parum viscositatis habens facile attenuata in ignem abeat: quia videlicet vapor humidum aqueum habet valde indigestum, partibusque suis haud probe connexum: econtra quae humiditatem habent magis coctam digestamque & partibus intime commixtam, illa praedominante pinguedine & viscositate, veluti tenaciore vinculo difficulter dissolvuntur.

Patet itaque ex his quomodo tria illa Chymicorum principia materialia sint intelligenda. Quid enim aliud spirituosa illa substantia denotat, nisi *sulphur?* quid aliud fixum nisi *Sal?* quid denique aliud humiditas illa viscida quam *Mercurium* designat? Pari pacto in vegetabilibus & vividis, pars volatilis, anima; fixa, corpus; humiditas vero, vera & physica unio dicitur, qua anima corpori copulatur. Haec doctissimi Viri Athanasii Kircheri mens circa Principia physica, longe praecellentior captuque facilior veriorque illa, quae vulgo in scholis Peripateticorum tradi ac juventuti solet inculcari. Nostram tamen Crisin dabimus in fine hujus Tractatus.

SECTIO VII.

Rationes seminales seu Panspermia ulterius dilucidantur.

XXXVII. Deus, ut diximus, ab initio Mundi materiam quandam chaoticam & confusam creavit, quæ omnium creaturarum corporearum semen universale continebat, quod ex illis Scripturæ verbis Sap. 11. 18. manifeste deducitur: *Omnipotens manus tua, qua creavit orbem terrarum in materia invisa.* Datur ergo aliqua materia, in qua *virtualiter*, & velut in semine totus orbis terrarum continetur. Et Eccli. 18. *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul.* Si *simul* creavit omnia, quomodo spatio 7. dierum? quia videlicet in creatione materiæ illius seminalis omnia virtualiter (seu idealiter) creata sunt. Et Gen. 1. ait Deus: *Germinet terra herbam virentem & facientem semen, & lignum pomiferum faciens semen &c.* quomodo autem germinaret terra implantata, inculta, inseminata herbas & arbores, nisi indita illi a natura foret πανσπερμία quædam & vis seminalis rerum omnium? Est vero semen hoc corpus quoddam spiritosum sulphureo-salino-mercuriali qualitate præditum, non quod semini hæc tria mineralia *formaliter* insint, sed tantum virtualiter aut analogice prout superius explicatum. Calor enim naturalis maxime sulphur imitatur, pollet enim exsiccativa & oleaginea quadam virtute, & facillime inardescit: hinc semini sulphureus quidam calor, & quæ frigida, minus seminis habent, minusque apta sunt generationi. Humidum autem radicale maxime in Mercurio seu argento vivo apparet, est enim aqueæ & aëreæ substantiæ, & in quo aqueum sicco, subtile grosso, grave levi mira ratione conjunguntur. In Sale tandem soliditas & consistentia seminis apparet: quamvis & in solo sale virtutes sulphuris & Mercurii lateant; est enim calidum humidumque, sed prædominatur temperamentum terræ: in sulphure etiam mercurii & salis proprietates sub prædominio calidi & sicci: in Mercurio sal & sulphur, sed prædominatur humidum.

XXXVIII. Nihil aliud ergo est illud semen universale quam massa quædam Salis sulphureo-mercurialis congelati, & ideo in omnibus fere rebus Salem reperias: nascitur in medio maris, in litoribus, in putridis, in fimetis, urinis: vegetabilia omnia in ultima sui resolutione nihil præter salem relinquunt: Volucrum pennæ nihil aliud sunt, quam salis efflorescentia, & ideo non mingunt, lotio, quod sale turget, colorandis pennis destinato. Reperitur etiam Sal in resolutione omnium animalium eorumque fæcibus, sicut & in maceriis, fissuris rimisque, unde ab avibus avide expetitur. Ex libra plumbi calcinati ad decem uncias salis extrahes. Et hæc ratio est, cur post duos aut tres annos messis, agri, nisi quiescant, sterilitatem sentiant, salina videlicet pinguedine in spicas paulatim consumpta.

Quod in semine naturæ salinum est, id ossibus formandis cæterisque partibus durioribus destinatur, sine quibus solidam substantiam corpus obtinere non potest, quia, ut dixi, temperamentum terreum in sale prædominatur; imo & tota durities ac soliditas lapidum ex naturali sale est, & ideo videmus calculos & tartarum ex urina generari, quæ sale abundat. Deinde vapor iste & spiritus salinus semini admixtus alium adhuc effectum præstat, chromatismum videlicet & colorationem corporum; omnis enim color ex salinis corporibus vitrioli, aluminis, & præsertim salis armoniaci nascitur: & ideo sulphur, quod his salibus abundat, varie per ignem tormentatum innumeras colorum species exhibet. Quando ergo corpus ex salis prædominio & sulphuris minima parte constat, nascetur lapis albi coloris, ut marmora candida. Hinc pavoni aliisque avibus tanta colorum varietas, sale videlicet in colores absumpto, & ideo urina carent.

XXXIX. Hujus rei experimentum si capere placeat, infunde in scyphum vel scutellam plumbeam acetum validissimum: intra paucos dies cerussam dabit candidissimi coloris, & pictoribus expetitam; quia videlicet substantia plumbi aceto in minutissimas partes resolvitur: quæ particulæ, cum sale refertæ sint, & vi aceti a terrestribus sordibus separatæ, corpuscula lucidissima exhibent. Iam vero si hanc ipsam cerussam crucibulo impositam igni validissimo imponas, intensissimum colorem rubrum induet, quod *minium* vocant: prius tamen in splendidam flavedinem, postea in herbaceum colorem, tandem in minium vertetur, crescente videlicet colore cum caloris incremento.

Hoc ipsum alio experimento demonstratur, quod etiam steganographiæ & arcanæ scripturæ deservit. Aqua vitrioli candidæ chartæ quæcunque volueris inscribe: mox literæ evanescent, ac si nunquam inscriptæ essent, nullo prorsus vestigio relicto, quia videlicet candor sali vitrioli innatus confunditur cum candore chartæ, ideoque notari & discerni non potest. Si vero chartam aqua, in qua gallæ resolutæ sunt, extergas, literæ nigerrimo colore tingentur & spectabiles fient; quia videlicet galla maxima combusti sulphuris parte constat, unde nigredo existit. Patet ergo Chromatismum & colorationem corporum ex salibus & sulphure, quod sale turget, provenire.

Alia etiam operatio est spiritus & vaporis salini, qui seminibus insidet, *actinobilismus* videlicet seu radiatio. Salis enim natura virtute quadam radiativa pollet, qua corpora nitrosa, aluminosa & vitriolata in varias figuras efformat: cum enim ob innatum calorem sit volatilis naturæ, certa proportione in breviora, longiora, latiora & arctiora filamenta extenditur, & protruditur, donec consumpto humido durescat: & hinc tam diversæ plantarum, ramorum, foliorum, & in humano corpore membrorum figuræ. Tota ergo consistentia, soliditas, coloratio & figuratio membrorum & partium spiritui salino debetur, quo semen abundat, modo jam explicato.

Quod vero in corpore humidum est, id totum a vapore mercuriali ducitur, ut salina & sulphurea pinguedine mire attemperata miscetur: tales sunt nervi, cartilagines, venarumque ductus, sanguinis item & phlegma. Bilis autem & spiritus animales ac vitales, a vi sulphurea, quæ calidissima, subtilissima & in omnia penetrans, & ideo motui aptissima est. Patet ergo totam illam & mirabilem vim seminis a vapore salino-sulphureo-mercuriali esse, massæ seminali undique asperso.

XL. Præterea duæ sunt præsertim Seminis virtutes, quæ generationi serviunt: Magnetica videlicet seu attractrix, & plastica seu formatrix. Attrahit enim semen partes & materiam sibi similem, & deinde corpus format: hæc vero virtus plastica per totam seminis massam diffunditur, Ita tamen ut quælibet seminis

portio

portio omnibus partibus formandis sufficiat: ex alia enim hepar, ex alia cor, ex alia caput, ex alia inrestina, ex alia rami, ex alia flores &c. Et ratio est, quia semen nihil aliud est, quam pars defæcatissima, & maxime decocta & spirituosa alimenti: sicut ergo omnes corporis partes nutriuntur, ita ex omnibus partibus semen deciditur, & naturali quodam motu instinctuque ad suum centrum, hoc est ad folliculos & vasa seminalia velut ad suum centrum defertur: ubi ergo semen ad naturalem matricem, & locum generationi aptum devenerit, spiritus architectonicus & Opifex illi insidens fabricam corporis molitur, ita ut pars ex capite decisa caput, ex manibus decisa manus, & siodeincepa similis similem elaborer. Quamvis circa hoc alii aliter sentiant, ut suo loco trademus.

XLI. Pulchrum hujus rei Experimentum in speciebus visibilibus habetur, sunt enim etiam species semen objecti: Si enim hominem v. gr. in tabula depingas & hanc imaginem Soli exponas, ejusque species per minutissimum & punctuale foramen charta excipias in cubili penitus obscurato, videbis totam illam hominis imaginem una cum suis coloribus membrisque in charta exprimi, ita ut caput capiti, pedes pedibus respondeant. Si vero chartam foramini proplus admoveas, tota illa specierum pictura confundetur, nihilque aliud præter lucidum circulum apparebit: quanto vero magis chartam a foramine semoveris, tanto magis species illæ evolventur, donec in debita & proportionata distantia perfectam distinctionem & configurationem recipiant. Ita res in semine habet, hoc enim in matrice velut massa quædam homogenea (aliis beterogenea) confusa & sine partibus latet, naturali tamen vasis calore promovente incipit paulatim evolvi, radiare & in partes distingui, ita videlicet ut virtute plastica agente pars seminis ex capite decisa in caput, ex manibus decisa in manus, ex floribus in florem, ex trunco in truncum erumpat; ita tamen ut partes maxime necessariæ primo formentur, quod in ovo perspicuum est: si enim tertio ab incubitu die ovum pertundas, & accurato microscopio vitellum diligenter inspicias, manifestum cordis effigiem deprehendes instar guttæ sanguinis concretam vibratamque vitali motu, & fibris in omnem partem projectis: post 4. alios dies spina dorsalis & deinceps omnia membra deprehendentur.

Itaque in semine aliæ sunt partes concretæ spissæque substantiæ, quæ cedunt in materiam corporis geniti: aliæ sunt partes subtiles renuesque ac spirituosæ, in quibus virtus architectonica & formativa residet. Card. Sfondrati Lib. 1. phys. pag. 370. Vide S. Thom. L. 2. contra gent. c. 89. De potent. q. 3. n. 9. Plura de Actinobilissimo seu radiatione virtutis plasticæ seu formatricis in spermate vide in Tract. XLII. De Semine.

Quoad spiritus salinos hæc operæ pretium duxi adjungere præmissis ex Leone a Stipite, Viro sane non stipite, sed expertissimo, in suo profundissimo Tractatu intitulato Religio mentis pag. 175. ita scribente: "Salinum principium ob summam subtilitatem est una summe volatile & potens, penetrans ac miras habens proprietates, quales alterum principium (nempe humidum radicale) non habet. Hoc principium, ait, vere est animale, si in materia apta extensibili & alterabili invenitur; hanc enim sibi in corpus fabricat juxta permissum determinationis; in corpore vero cum restringitur, miris modis movet, irruit, variasque potentias exercet, quas solent vocare *animales*. Est solis animalibus proprium, quamvis & in iis vegetabilibus inveniatur, quæ ex animalium fimo, & limosa piscium ranarumque materia in aqua progerminant; sicut & in iis, quæ in petris e liquore nitroso nascuntur, id quod autem his non proprium, sed accidentale videtur. ,,

XLII. "Mira præ omnibus aliis hujus Salis natura, quoniam seipsam variissime figurat in aëre solo absque ulla corporis dori determinatione, quæ vel albant, uti farina se sistit, vel in minutis chrystallis, vel a majoribus a copia ejus dependentibus; sic quidem, pelluciditatem extra corpus ostendendo, dehinc, in corpore non denegandæ luminositatis participem: linguam alias ferit; caput & corpus penetrat, resolvit, resolvitur, aufugit sua sponte eludendo arbitrium, retinendi vel determinandi. & multa alia facit, quæ, nulli creaturæ adscribi, nedum ab Artificibus excogitari, describi, computari aut ullo modo mutari possunt. Hæc omnia Potentiam liberam indicant ejus, tum intra, tum extra corpus, quæ ad usque nostrum sæculum nescita fuit. Utinam nec illi eam cognoscere detrectarent, quibus competit alioquin scientiam, augmentum aut repurgationem assumere, ne juventus, vano circumducatur labore via veritatis obscurata. ,,

XLIII. Sal prænominatus inest succis quibuslibet, imo toti substantiæ animalis, qui & per violentiam ignis extorquetur, non solum e sanguine, verum etiam e carne, pelle, visceribus, ossibus, cornibus, ungulis, ex urina autem copiosissime, quapropter ad aliorum salium distinctionem communiter vocatur *Sal urinosus*. Liceat hinc eum nominare *salem volatilem animalem*, puta principium nobilissimum, a quo peragitur qualiscunque motus animalis: siquidem is tam expansiva dotatus est potentia ut in toto animalis systemate nil dari queat potentius. Nam Sal ejusmodi postquam eximie purificatus est, expanditur tam potenter, ut etiam robustum hominem, cujus naribus ex improviso admovetur, queat in terram prosternere, & alia. Est caloris impatiens adeo ut vel exiguo gradu ejus adhibito, ni rima detur, vitra quibus continetur, disjiciat, & hominem adstantem vix non suffocet. Nemo ergo miretur, cur a calidis vini aut cerevisiæ vaporibus valide commoveantur Bibones, ad furorem adigantur, lites & pugnas quærendo, adeo namque fugit & irruit in artus spiritus iste salinus, ut non exigua ejus portio absumatur sub crapula: hinc sentiunt crapulosi debilitatem quandam corporis subsequentem.

A frigore vis ejus elastica compescitur, & in aqua frigida diutius retineri potest sub forma liquoris. Frigidum ergo quis non dixerit, cum a frigore non alteretur sed conservetur, quin & occasionem nanciscatur in diversissimas figuras se a seipso confingendi, & hinc est necessarius calor in corpore, ne se coaguler, sicut & humidus aër, quo corpus ambiatur ne totus avolet. Magna ejus est portio, quæ cum sudore effunditur, nec minor per insensibilem transpirationem absumitur, & tanta copia talium spirituum sub labore æstivoque calore disperditur, ut corpus quasi exhaustum langueat, qui hyeme atque sub otio servantur poris occlusis. Frigiditatem ejus docet Mechanica, quoniam nitrum e sale urinoso confectum, in aqua solutum prodit frigus. Sic plantæ marcidæ a calore factæ, se explicant in aqua nitrosa, pristinumque vigorem acquirunt.

Sal armoniacus, qui potiori parte ſal urinoſus, minori ſal acidus eſt, poſtquam in aqua ſolutus eſt, vas vel vitrum reddit adeo frigidum, ut manibus teneri nequeat. Nec obſtat calidiſſima æſtas quo minus in parietibus ſeu lateribus vitri, ſeu ſuperficie externa accreſcant guttæ aqueæ, a quoſo ſcilicet aëreo in guttas a frigore vitri coacto. Quid, quod & medicamenta produnt frigidam ejusdem qualitatem, quatenus a ſale urinoſo extinguuntur ſanguinis phlogoſes (φλὸξ ἀπὸ τοῦ φλόζειν, bullire) febres & inflammationes arcentur, bilioſa excrementa alterantur. In peſtilentialibus morbis uſurpatum extinguit calorem nativum reſiduum alias ſummopere debilitatum, & quod aliquoties obſervaſſe ſe ſcribit Leo a Stipite, ab ignaris cum in hiſce caſibus cum maximo vitæ detrimento fuiſſe exhibitum. Hinc perperam laudatur ibi uſus ejus, ubi ſolis acidis quam maxime opus eſt.

XLIV. Sal volatilis, qui ineſt ſuccis vitalibus & animalibus, reſtauratione indiget e chylo, quoniam a cujusvis gradus calore expellitur e ſuo concreto, præter id quod cum admixtis una rareſcit, ad nutritionem. Sic obſervamus Salem volatilem in ſale armoniaco, non ſolum cum acido, ſed etiam cum adjunctis vel metallis, mineralibus, vel aliis lapideis, cruſtaceis &c. junctim ſublimari totaliter, ut nihil ejus remaneat in reſiduo. Sub gradu caloris putrefactivo ſtatim exſpirat ſal volatilis e corporibus putreſcentibus; ſed & in Coryza deprehenditur odor ejus ſub aëris inſpiratione & exſpiratione, quatenus humor Lymphaticus, quamprimum ab admixtis ſalibus, tum aëreis, tum internis, nec non ab ejus commotione ultra debitum gradum incaleſcit, cogitur ſalem ſuum fugæ committere ex parte, ſalſugineo reliquo per emunctoria effluente, quod armoniacum refert, & nares ac labia findit.

Sal volatilis odorem habet ſibi proprium: cæterum alii ſapores & odores in eo deprehenſi proveniunt ab admixtis atomis oleoſis: nam & aqueæ, & terreæ, quæ admiſcentur, inſipidæ ſunt. Idcirco perperam faciunt, qui parum in arte ſeparatoria verſati, ſali volatili adſcribunt empyrevma ac putrido-putidum; hi non verentur tyronibus eam falſitatem perſuadere, quam etiam vulgaris diſtillator noſſet avertere. Empyrevma a ſolo oleo ambuſtibili provenire Rectificatio & Cohobatio ſæpe repetita docet, optime autem ablutio. Sed de his tantum.

SECTIO VIII.

Oſtenditur nullam Regulam a Peripateticis aſſignari poſſe diſcernendi aut inveniendi diſtinctionem ſpecificam formarum.

XLV. Inprimis enim nihil valet illa Regula, quæ communiter afferri ſolet, ea videlicet ſpecie differre, quæ arbitrio prudentum notabiliter differunt; & ideo Phœnicem & aquilam eſſe ſpecie diſtinctas aves, quia notabiliter differunt. Ratio eſt 1. quia hoc ipſum quæritur, quid ſit notabiliter differre? quod enim tibi notabilis & magna videtur differentia, forte alteri parva & contemnenda videbitur. 2. Si notabilis & ſpecifica differentia arbitrio prudentum taxanda & æſtimanda eſt, ergo aſſignandum eſt aliquod fundamentum & ratio prudentialis, quæ prudentes moveat ad ferendum judicium de ſpecifica diſtinctione (nec enim prudentis eſt ſine norma, ſine rationum momentis judicare a capriccio, ut ajunt) de hoc ipſo autem fundamento, ratione & norma judicandi, quærimus quid ſit? 3. Si notabilis differentia ex accidentibus petenda eſt, quam multa hominum individua ſpecie different? v. g. Vir & mulier, Æthiops & Europæus, Pygmæus & Gigas. Si vero notabilis differentia non eſt ex accidentibus petenda, unde conſtat aquilam ſpecie differre a Columba? color enim, velocitas, magnitudo &c. ſunt mera accidentia: eſto enim in aquila certæ accidentium ſeries notentur, quæ aquilæ ſemper adſunt, columbæ nunquam, & hinc colligi eſſe in aquila gradum aliquem ſpecificum, cui illa ſeries debeatur, non in columba: idem de individuis hominum dici poterit, eſſe v. gr. in æthiopibus, & in mulieribus certam ſeriem accidentium, quæ his ſolis & nullis aliis adſint, ergo eſſe in illis gradum aliquem ſpecificum naturæ, cui illa ſeries debeatur: & ſi tu varia Æthiopum & mulierum accidentia temperamento, aut geniture adſcribas, idem ego de aquila & columba dicam: & diſcrimen aſſignandum erit, cur accidentia aquilæ v. g. velocitas, perſpicacitas plumarum ſimplex coloratura, roſtri & unguium aduncitas &c. arguant diſtinctionem ſpecificam, & non accidentia in Æthiope & muliere reperta, quæ tamen nec numero, nec varietate minora ſunt.

Audi quæ Plinius L. 7. c. 1. & 2. aliique de varia hominum natura ſcribunt, & judica an diſtinctio ſpecifica ex notabili accidentium differentia peti poſſit. *Quis*, inquit, *Æthiopes, antequam cerneret, credidit? aut quid non miraculo eſt, poſtquam in notitiam venere?* In convalle magna Imai Montis ſylveſtres vivunt homines averſis poſt crura plantis, eximiæ velocitatis, & paſſim cum feris vagantur; hi in alio non ſpirant cœlo, adeoque ad finitimos reges trahi non poſſunt. In Albania gignuntur quidam glauca oculorum acie, a pueritia ſtatim cani, qui noctu plus quam interdiu cernunt. In Africa Gens Pſyllorum eſt, quorum corporibus ingenitum virus exitiale ſerpentibus, ut cujus odore eos ſopiunt; liberos genitos eorum ſæviſſimis objiciunt, qui ſi non fugiant, partus pro adulterino eſt. In eadem Africa familiæ ſunt quædam effaſcinantium, quarum laudatione commendata intereant, areſcant arbores, emoriantur infantes.

In Triballis & Illyricis ejusdem generis ſunt, qui viſu quoque effaſcinent, interimantque quos diutius intueantur, iratis præcipue oculis, in quorum ſingulis binas pupillas habent; mergi non poſſunt, ne veſtibus quidem degravati. Pyrrho Regi pollex in dextro pede lienoſis tactu medebatur, nec cremari cum reliquo corpore potuit. Gymnoſophiſtæ Indorum Philoſophi ab exortu ad occaſum perſtant Solem contuentes immobilibus oculis, totumque diem ferventibus arenis alternis pedibus inſiſtunt. In multis autem montibus genus hominum capitibus caninis, ferarum pellibus velantur; pro voce latratum edunt, unguibus armantur, horum ſupra centum vingenti millia fuiſſe Cteſias ſcribit.

Sunt & Monoſceli, quibus ſingula tantum crura, mira velocitas ad ſaltum, in majore æſtu humi jacentes reſupini, umbraque pedum ſe protegunt, hinc Sciopodes vocantur. Ad extremos fines Indiæ ab Oriente circa fontem Gangis Aſtomorum gens degit ſine ore, halitu tamen vivunt & odore, quem naribus trahunt: nullus illis cibus, nullusque potus: tantum radicum florumque varios odores & ſylveſtrium malorum

hauriunt

hauriunt, quæ secum portant longiori itinere, ne desit olfactus: graviore paulo odore exanimantur.

De Pygmæis Ctesias, Aristoteles, Plinius hæc tradunt: Nigro corpore esse; qui maximi sunt, duos cubitos; reliqui & plerique dimidium longitudinis habent: barba in imum demissa, capilli infra genu: his dorsum, barba pectus pedesque, reliquum corpus pilis sponte enatis involvunt, nec alia vestis. Anno ætatis quinto jam gignunt: casas luto pennisque, & ovorum putaminibus struunt: sagittis armantur, quas & peritissime jaciunt, arietum caprarumque dorsis insidentes, veris tempore universo agmine ad mare descendunt cum gruibus pugnaturi, & ova pullosque earum alitum consumunt: ternis expeditionibus hoc bellum conficitur, non aliter abundantibus gruum copiis pares futuri. Lepores & vulpes non canibus, sed corvis, milvis, cornicibus & aquilis venantur: oleo ex sesamo, nucibus & ex lacu quodam vivunt, qui octingenta stadia complexus, cum ventis non agitur, oleum supremis aquis infusum egerit. Hæc, inquit Plinius cit. atque alia ex hominum genere sibi ludibria, nobis miracula, ingeniosa fecit Natura. Consideret jam cui lubet, an non major magisque notabilis accidentium differentia inter Pygmæos reliquosque homines intercedat, quam inter aquilam & columbam; & tamen aquilam volunt specie distingui a columba, non Pygmæum a cæteris hominibus, ergo notabilis differentia & dissimilitudo accidentium non est character distinctæ formæ substantialis. Econtra

4. In multis reperitur notabilis differentia, quibus tamen una species ab universis inesse creditur: & econtra nulla notabilis differentia apparet, ubi tamen certum putant specie distingui, ergo male assignatur pro Regula distinguendarum specierum, discrepantia accidentium. ant. probatur. Ossa & sanguis notabilius inter se differunt, quam aqua & terra, aquila & columba &c. & tamen ossa & sanguis in schola eorum, qui præter unicam animam rationalem in homine formam aliam substantialem non admittunt, specie non differunt. Colores apparentes in Iride v. gr. tersave chrystallo, æque notabiliter differunt ac veri colores (quid enim minus habent quam quod facilius evanescant?) & tamen specie non distinguuntur cum illorum forma sit unica lux in corpore diaphano varie fracta. Econtra certum est omnes numeros inter se specie distingui, & tamen septenarius ab octonario non differt notabiliter, utpote unica unitate, quæ differentia tam parva est, ut minor esse nequeat. Sic etiam figura ovalis, specie a rotunda distinguitur & tamen adeo notabiliter non differt, ut discerni a rotunda vix possit.

5. Differre notabiliter videtur idem esse, quod differre in prædicato præcipuo vel nobilissimo; & differre non notabiliter idem quod differre in prædicato præcipuo. Attamen multa censentur differre specie quæ tamen non differunt in prædicato præcipuo, v. g. Angeli non differunt in prædicato præcipuo quod est esse *intellectuale*: nec Bruta in prædicato præcipuo quod est *sensitivum*: nec sensationes in prædicato præcipuo quod est *cognoscitivum*, & tamen Angeli inter se, item bruta inter se specie differre passim dicuntur.

SECTIO IX.

Quid sit Figura, & quotuplex.

XLVI. Figuram dicimus terminatæ quantitatis corporalis constantis modum seu qualitatem extimam. Dixi *terminatæ corporeitatis*, quoniam incorporea figurata non sunt, nisi æquivoce & analogice & secundum modum considerandi: quemadmodum Angelos dicimus acutos, & Deum pingimus cum diademate triangulari, ad ostendendam divinarum personarum incorpoream trinitatem. Dicimus etiam Figuras syllogismorum, prout termini eorum disponuntur ordine consimili ad mathematicas figuras. Albedo autem & frigus figuram non habent, sed insunt figuratæ rei, & dicuntur figurata per accidens. Per se autem dicuntur metaphorice figurata.

Mathematici definiunt cum Euclide figuram per id, quod termino vel terminis concludi potest: quapropter nisi circumdatio adsit, figuram adesse negant. Ergo planas figuras & solidas constituunt comprehensas, illas linea, istas superficie circulari: idcirco in linea non clausa figuram non admittunt, quamvis duobus punctis terminetur. Nobis autem non id, quod termino vel terminis concluditur, videtur esse figura: concluduntur enim corpora & superficies: quæ figuræ non sunt, sed quantitates habentes figuram. Quapropter melius dixisse videmur, quod figura non est terminus, nec quod terminatur quantum, sed qualitas & modus termini quantorum. Idcirco & in linea non concludente figuram invenimus: quis enim lineam rectam non dicere figuram habere rectam, & curvam habere figuram curvam? Nonne semicirculus absque chorda est figura? & Coluber in spiras actus figuras facit, etiamsi non claudat aliquid.

Additur in definitione *extimam* scilicet qualitatem: non enim quæ extremis carent, figuras habent: sic nec numerus infinitus est par, aut impar, cum finiti numeri paritas & imparitas differentiæ sint, non innumeri: sed hoc exclusum erat per *τὸ terminata*; nunc autem *τὸ extimam* admonet nos, non dari figuram, nisi linearum & superficierum. Profunditas enim figurari non potest, & cum baculus curvatur, & tota soliditas sua: non dicitur profecto soliditas figurari curvitate, nisi per respectum ad superficies extremas: & cum ab imo intumescit mare, & crispatur mutando situm, interiores partes non figurantur, nisi quatenus ipsarum quælibet separabilis est, fierique potest extrema; vel extrema est altera ad alteram, sicut minutiæ in acervo farinæ. Aër quoque ventis agitatus, mille figuratur modis in terminis impetus & agitationis. Non totus aër mundi movetur simul, cum ego manum extendo: sed ad terminos agitationis figurationem habet. Dimensiones ergo quatenus intrinsecæ sunt, interminatæ sunt & non qualificatæ: quatenus autem termini sunt, figurantur.

Dixi *constantis*, quia humida corpora terminos non habent proprios, ergo nec figuram, quæ terminorum est qualitas. Recipiunt tamen figuram alienam, ut vasorum, in quibus reponuntur. At quoniam, quæ non habent figuram propriam, & alienam suscipiunt, essentiam suam in alienæ susceptione declarant: ideo non satis recte positum est *constantis*, nisi ut videamus in quibus differentiam facit. Nam circularitas guttæ aquæ non facit differentiam a gutta vini, quæ similiter circularis est. Nec rotunditas Saturni Solem, aut Iovem a Saturno distinguit, sed magnitudo, & vis, & calor & situs. Cœlum & terram itidem globosa esse probamus; sed maxime contraria. lapides quoque constantis consistentiæ omnes figura

non

non discrepant: nec metalla, nec ova: plantæ vero parum: ergo in omnibus videtur figura minime valere. Omitto nubes figuras varias suscipientes, non tamen natura entia diversa. Dicendum ergo quare in quibusdam figura diversificat, in quibusdam minime.

Omitto autem figuras Geometricas, satisque fuerit admonuisse in universum, figuram esse vel rotundam, vel angularem. Harum prima est trilatera, quæ & triangulum nominatur. Hujus itidem variæ sunt species: nam vel tria latera sunt sibi iovicem æqualia, tumque æquilaterum; vel duo tantum, idque Isosceles; vel tria sunt inæqualia, tumque Scalenum quasi imperfectum nominatur. Sic rationes angulorum in 3 quoque species dividitur. Hæc inquam reliquo Geometris.

Loquamur de figuris ab Arte, a Natura, a Casu: utrum, & ubi sint de essentia aut complementum essentialitatum,& quomodo ab Idea,& ab Vsu,ubique ad finem certum. In Philosophiæ Regiæ Burgund. tomo 1. pag. mihi 234. sic lego: Quod autem sit discrimen inter formam & figuram, non facile dictu arbitror. Boëtius rebus animatis formam, cæteris figuram tribuit: nonnulli formam in re omni naturali, ut figuram in artificialibus & mathematicis proprie inveniri putant. Alii econtra formam in rebus artefactis constituunt, quod non habeant formam a figura diversam. Nam domus forma in ipsa dispositione & figura partium posita est. Sunt, qui formam cum colore conjungant: hinc pulchra, eadem formosa dicuntur. Et pulchritudo ipsa ex M. Tullio, *apta est figura membrorum cum coloris quadam suavitate.*

Ac nescio (pergit idem Author) an aliud discrimen, idque aptius inter formam & figuram afferri possit: quod figura sit exterior corporis circumscriptio; forma vero sit partium interiorum, & velut lineamentorum certa dispositio. Cum cera ex rotunda fit quadrata, exteriorem mutat figuram: sed illius partes interiores etiam insensibiles certo quodam modo semper sunt conformatæ; adeo ut hanc ceræ formam, non lapidis oculis subjiciant. Illa partium etiam insensibilium configuratio formam cujusque rei, saltem inanimatæ, ut plerisque videtur, magna ex parte efficit. Hæc ille.

XLVII. Nos cum Campan. L. 2. Met. c. 4. art. 10. dicimus, quod Figurarum aliæ sunt ab Arte, ut literæ, & gladius, & clavis, & navis. Aliæ a Natura, ut hominis & piscis; aliæ a vi & necessitate, ut telluris & compressi mellis: aliæ a casu, ut si cadat atramentum supra tabellam, & suscipiat formam piscis: sicut penicillum a Pictore impatienter projectum in tabellam repræsentavit spumam equi ad vivum. Figuræ ab arte inductæ sunt quasi essentiæ artificiatorum: per ipsas enim differunt & constituuntur: gladius enim a falce ejusdem ponderis, non nisi in figura differt. Essentia enim eorum ab arte est: & ideo nullam a materia sortiuntur diversitatem ut sic. Culter enim lapideus, quo Iosue circumcidit populum, idem est cum cultro ferreo; & lancea lignea eadem est cum ferrea, & triangulus ligneus & ferreus non differunt; nec circulus in charta ab in ære depicto.

At quoniam propter usum artificiata omnia fiunt, hominisque sunt instrumenta: & formæ in quadam materia non constant, nec bene introducuntur, ideo videtur penes materiam habere differentiam: lancea enim lignea non reputatur lancea, non quia non habet formam & essentiam lanceæ, sed quia essentia hæc est propter usum belli: Bello autem ineptum est lignum, quia non durat; ideo videtur lancea lignea & chartacea non esse lancea; nec serra cerea esse serra, quoniam ad secandum non est idonea, magis autem erit si ærea. Codex quoque sit ex charta, ut scribamus & legamus: at si folia habeat ex corticibus arboris, aut ex ferri tenuissimis laminis, & inscriptus sit, utique codex erit ad legendum, non ad scribendum; quia forma ejus non est materiæ essentia, sed figuratio & usus.

Vnde videtur *Vsus* esse forma figuræ, sicut figuræ est forma artificiati: & ideo licet sit idem Carlinus æneus & argenteus in figura, quia tamen figura est propter usum, & argentum utilius re vel æstimatione est: ideo non videntur eadem esse moneta. At si similiter utilia sunt in diversa materia, utique nullam ob illam differentiam ostendeor. Vt lectica facta ex ære, & ex ligno; mensa ex ebore, & ligno cypressino, diversis specie in materia, sunt idem specie, & forma & usu. Triangulus, quadratus, circulus & cæteræ figuræ, eadem sunt in quacunque materia, quando non ad usum considerantur. Et quidem in Monetis identitas materiæ magis valet ob hoc, quam formæ, ut Philippitus & Carlinus admonent: sed non si habeat figuram Solimanni Regis Turcarum, quæ apud nos non expenditur, quamvis aurea.

Vsus ergo est artis forma postrema in multis. Quarum vero Artium usus est sola repræsentatio, differentias nullas a materia habeat, nisi quoniam formam bene, aut non bene suscipit. Philippi igitur imago in tabula, & in pariete, & in lapide eadem: similiter & D. Petri ubicunque, quoniam hæc ob memoriam & adorationem modo fit.

XLVIII. Hinc quæstio inter Platonem & Arist. vertitur: Ille enim materiam non pertinere ad essentiam putat, sed formam duntaxat. Iste utrumque. Vera est sententia Platonis, quando formæ solius est usus; ut forma literarum est propter significare: idcirco ubicunque fiant, a materia essentiam non habent. Vbi autem est solius materiæ usus, non est forma de essentia; ut si argentum informe in emptionibus appendi soleret, sicut fit in Æthiopia: ubi vero utrisque est usus, essentia est ex utrisque. Quapropter lancea chartacea non est lancea, sed ferrea: neque ferrum nisi formarum acuminato fastigio, usus enim lanceæ non est nisi ex utrisque.

Et quoniam naturalium quoque est finis & usus; idcirco forma & figura sic materiata, & materia sic figurata, essentiam conficiunt. Et sicut in Natura generat ignis ignem ex ligno, non educendo latentem in materiæ gremio, sed ipsum effundendo in lignum, & convertendo per sui amplificationem lignum in se, ut etiam Arist. coactus fatetur in 7. Metaph. 29. Ita Ars sui Ideam effundendo formas producit in materia; alias compositione, ut domum: alias mixtione, ut campanam ad formas in cavatas ex fuso ære: alias ordinatione, ut Exercitus formam: alias positione, ut superliminare: alias tractu, ut characteres: alias compressione, ut signum in cera. Omnes hæ figuræ formæque præexistunt in agente eædem specie; alias non fierent. Fieri enim est essentiam deduci ad existentiam. Vnde qui non habet scribendi artem ideamque characterum, aut ideam fabricandi gladium, etsi agat, non tamen

magis

magis scribet quam plantet. Et si scribendi artem habet, scribat autem absque certa idea, non faciet magis A. quam O, aut C. aut quamcunque aliam literam, dum facienda est A. nec magis faciet gladium carens idea gladii, quam ligonem aut sorficem. Et in incertum operabitur, vel nihil, sicut infans ducens calamum super chartam; scribet autem, sed non significanter: saltabit & cytharizabit absque idea & arte, haud tamen harmonice ut artifex. Nec ignis, nisi suam ideam effundat, faciet ignem magis quam terram aut aurum. Quidquid aotem effundit, habet & dat, non autem educit e materiæ sino: quomodo enim in re frigida, quam ignit, lauisset ignis, nisi simus Anaxagorei? Aut quomodo Sol ex terra obscura educet lumen tam subito, nisi ipse effundat lucem, quam tellus non dat, sed reflectitque rejicitque datam. Similiter ubi causa adjuvans est, non habens totam ideam, non dabit. Medicus ergo & Cocus non dant formam sanitatis & oculi, sed Natura. Nec enim Medicus præscit distincte, sed confuse quibus modis humorum particulæ quælibet, & pars corporis quælibet afficiendæ sint & contemperandæ, ut sanetur æger: Sicut nec qui ministrat ædificatori, scit quam dispositio nem lapides in fabrica sortiri debeant, sed ædificator.

Verum de Ideis ex professo alibi. Hic solum obiter referam, qualiter juxta Atomistas generatio ignis peragatur. Atomi, inquiunt, igneæ ex Igne A. evolantes subeunt per poros, & vacua spatiola ligni B. non sine aliqua violentia, & acuminibus suis (feruntur enim esse pyramidales) se intrudunt inter atomos ipsius ligni, velut coneus, atque ita continuo aliæ, atque ita de novo atomi igneæ subeuntes dissolvunt compaginem, tandem & texturam ligni: ita ut plurimæ atomi aqueæ (quæ feruntur rotundæ, vel spirales) item plurimæ terreæ (quæ cubicæ putantur) recedant, & remaneant plurimæ, & fere solæ pyramidales, quæ inerant in ligno, atque ita ex ligno fit ignis, si credere fas est, ait Ptolomæus.

Figuræ quæ casu fiunt habent ideam in primo Opifice, vel in anima Mundi, utente elementaribus ad formationem hujusmodi: quod enim est præter intentionem causæ particularis, non effugit intentionem Vniversalis: multa enim servo accidunt præter intentionem suam, putatque sibi casu fieri, quæ tamen a Domino suo fuerant ordinata, ut sibi acciderent, prout aliquoties monuimus.

Figuræ autem extrinsecæ natura efformatæ, non sunt essentia, nec pars essentiæ rerum naturalium, sed consequuntur essentiam & compositionem talis materiæ cum tali forma, propter ejus usum naturalem veluti artificiatæ propter artificialem: & quæ sunt ob eundem usum figuræ conformantur etiam in difformibus, ut nasus in homine & cane. Vsus autem est conservatio essentiarum in individuis; & insuper conservatio individuorum ad aliud ordinatorum propter illud aliud est; & quoniam Essentiæ datur essendi modus, Necessitate, Fato & Harmonia fluentibus a potestate, sapientia & amore, in rerum coëxistentias; otique & formæ essentiali, ut sic sit figurata & qualificata indidem eveniet omni.

XLIX. Quæres, an recte Atomis figura detur? sane punctus est aliqua figuræ formalitas, ut cum in angulum desinunt acutissimum. Democritus quidem atoma corpuscula figurat, facit enim ex eis angulosa, & rotunda & hamata, & aspera & lenia læviaque, ut apud Locretium videre est. Hinc Ptolomæus juxta Systema Epicuræorum secundam proprietatem Atomorum dicit esse Figuram. Omnes atomi, inquit, figuratæ sunt figura trine mensurabili; sed innumerabiles sunt species hujusmodi figurarum, non solum aliqua ratione regularium (quales cubus, sphæra, pyramis, prisma, conus &c.) verum etiam irregularium ut sunt figuræ sensibiles lapidum, arenarum &c. Nil quidem horom certi statui potest quoad certa quæque corpora naturalia; aut illorum atomos, nisi ex longe petitis conjecturis: quod tamen apud Epicuræos constat, illud est, non omnes atomos esse sphæricas. Ex occasione notandum quoque est, nullam esse speciem corporum naturalium sensibilium, quæ non habet figuram aliquo pacto diversam a specie alterius corporis. Vt patet primo in corporibus animatis: nullum enim est animal, nulla planta, quæ simillimam cum alterius speciei animali, vel planta figuram sortiatur. 2. In ipsis corporibus inanimatis mixtis, vel Elementis confirmatur id ipsum; & quantum ad ista securius dicitur diversam corporum figuram ex diversa atomorum figura profluere. At profecto Democritus non vere atoma sicuti puncta indivisibilia intelligit hæc sua semina, sed sensui nostro atoma & secundum nos ponuntur. Et hoc sane perperam: si enim angulum habet corpus minimum, non erit indivisibile: potest enim dividi angulus ab eo, ita ut remaneat rotundum, aut obtusum. Figura distinctionem requirit: distinctio autem non nisi in quanto; licet ergo nullæ vires sufficiant dividere atomum Democriti: ex sui tamen natura divisibile est.

Prædicta vero ratione figurarum io corporibus solidis, provenientibus ab atomis, per liquida, & quantum ad ista per sequentia experimenta probatur. Si in aqua vase contenta salem communem dissolvas, & deinde permittas aquam, vel ad Solem, vel ad tepidum ignem evaporari; deprehendes in fundo vasis subsedisse lapillos plurimos figuræ cubicæ similes talis lusoriis, qui dicuntur salis communis chrystalli: quemadmodum hujusmodi dicitur chrystallizatio apud Chymicos. Porro quo aqua io vase fuerit altior, ea evaporata relinquuntur cubi tanto majores; si vero fuerit minimæ altitudinis in vase relinquet cubos quasi insensibiles, quos si per engyscopium contemplens; esse compositos ex aliis minutioribus cubulis, & hos rursus ex minutioribus aliis comperies, ut quoque cubicam figuram in hujusmodi salinis chrystallis non esse perfectam; sed unam præsertim eorum faciem nonnihil curvatam, & angulis plus æquo obtusis plerumque esse.

Itaque ex hoc phænomeno recte inferre se credunt Epicuræi, salem velut ex primis Principiis constare ex veris atomis cubicis. Quod si dissolvatur Sal petræ simili pacto, aqua evaporata remanent pyramides: si alumen dissolvas, relinquuntur figuræ 8. facierum, hoc est figuræ octoedricæ, & ita de pluribus aliis salium generibus. Species tamen hujusmodi figurarum tametsi per combinationes diversas in tantum multiplicari possint, ut captum omnem & intelligentiam humanam superent: nihilominus infinitæ non sunt, sicut nec numerica Atomorum multitudo, quam infinitam esse immerito dixit Epicurus: possunt enim finitæ, sed innumerabiles sufficere ad constandum totum universum, etiamsi in quolibet corpuscula insensibili

sibili

ſibili plurima atomorum millia inſumi neceſſe ſit: neque hoc diſſonat pluribus Peripateticis, ſive enim ſint atomi ſive particulæ, profecto natura plures partes diſcernit in grano milii, quam homo poſſet in toto Caucaſo monte. Quod ut tibi perſuadeas,

L. Conſidera in minimo omnium animalium, qui dicitur *Acarus* (ciron gallice) ſive teredo mauuum, Syrm oder Raitlauß. Hoc ipſum quod idem græce ac inſectilis, & indiviſibilis, de quo Ariſt. Lib. 6. de hiſt. animal. cap. 32. Acarus igitur ſupra acumen acus vix conſpicitur; ſi tameu engyroſcopio contempleris, videbis acarum roſtrum habere cum proboſcide veluti Elephantem: item ſex illi eſſe pedes, & duo cornua ramoſa ad inſtar cervorum. Præterea cum vivat, debet ſenſibus ſuis & organis ad vegetationem & nutritionem neceſſariis inſtrui: quot igitur Atomi in uno ſolo acaro componendo impenduntur a natura! Ne tamen inde conficias dari Atomos infinitas, & vere innumerabiles: facile enim ſupputari poſſunt per regulam Archimedis, qui quærens quot particulæ minimæ continerentur in Mundo univerſo illis undequaqne confertisſimo, a firmamento Cœli usque ad Centrum Terræ, & particulæ hujusmodi eſſent, ut decem millia requirerentur ad minimum ſemen papaveris componendum: demonſtrat tot ſuturas hujusmodi patticulas, quot deſignaniur numero conſtante ex onitate, & una ſupra quinquaginta Ziris ſeu ceris. Vnde etiam ſi centum millia, vel decies centena millia &c. atomorum ad illud ſemen requirerentur, eadem regula numerari poſſent; quare ſunt finitæ atomi.

LI. Denique Figurarum aliæ ſunt Simplices, ut circulus: aliæ compoſitæ, ut rotunda pyramis: aliæ decompoſitæ, ut figura hominis & plantæ. Figurarum Elementa ſunt lineæ & ſuperficies: primi earum modi ſunt, rectitudo, curvitas & angulus. Angulus conſtat ex duarum linearum non in rectam conſequentiam contactu. Fiunt Anguli recti, cum linea ſuper lineam perpendiculariter cadit; obtuſus angulus eſt major recto; acutus recto minor; & fiunt in lineis & ſuperficiebus; non modo enim ſpina acuta eſt, ſed gladius quoque anceps, licet faſtigio careat. Datur ſuperficies lenis & aſpera, non modo curva & recta. Lenis nullos habet angulos; ſed omnes partes æque foras prominentes. Aſpera anguloſa eſt, partibusque elevatis & depreſſis conſtat. Magis autem, ſi duris crebrisque. Ex angulis fiunt trianguli, quatranguli, pentagoni, hexagoni &c. ſecundum numeros. Ex quorum compoſitione & circulis & ſemicirculis, & rectis & curvis innumerabiles conficiuntur figuræ decompoſitæ.

Quæcunque functionem unam modo habent, unicam quoque ſimplicem habent figuram, ſi unica operatione functio expletur, ut ſtella. Quæ plures habent functiones, compoſita terminantur figura, ut gladius utrique acutus & auleatus, & ſerra & falx. Quæ multiplices ob functiones ſunt, decompoſitas ſortiuntur figuras, juxta partium uſum, ut homo: cujus oculus eſt rotundus, ut undique videat, & facile circumvolvatur ad intuitum: naſus triangularis & deorſum ſpectans, ut odores obvii penetrent: pedes plani, ut iis firmetur: oſſa variis diſtincta ſectionibus, & configurationibus ad flexionem machinæ, & erectionem & motus. Et tandem viſcera & externæ partes omnes propriam nactæ ſunt figuram ad proprium uſum.

SECTIO X.

Propria criſis & opinio circa Formas ſubſtantiales & accidentales.

LII. Cum veriſſime, licet lepide, dixerit Seneca, *Citius inter horologia, quam inter Philoſophos conveniet*, id quod manifeſtum eſt ex prædictis: dum enim Principia Corporis naturalis inquirunt, unanimi fere labio loquuntur dicendo Materiam & formam omne conſtituere Compoſitum. Si petas quid nomine Formæ intelligatur, obſcuro termino *Actus* rem ignotam explicare conantur. Si quæras an forma importet entitatem a materia phyſice & abſolute diſtinctam, mox in diverſas abeunt partes. Peripateticum vulgus tenet dari formas abſolutas tam ſubſtantiales, quam accidentales; quæ ſaltem per abſolutam Dei potentiam poſſint ſeorſim a materia vel ſubjecto ſuo exiſtere, & quamvis de formis ſubſtantialibus materialibus experimentum nullum ſuppetat: de accidentalibus tamen putant non dubitandum ob communem opinionem, qua perſuaſum habent ſibi Catholici accidentia ſeu ſpecies (ut vocant Concilia) panis & vini remanere eadem in hoſtia & vino conſecrato, quæ prius erant in pane & vino naturali. At Nobilis Gallus Renatus Carteſius, ſeu *Des Cartes*, neque Ariſtoteli, neque Epicuro, neque ulli veterum ex toto addictus poeticam quandam (ut vocat Ptolomæus philoſophandi rationem inivit, & ſyſtema inexpectatum & improviſum invexit, quo Mundi exordia & corporis naturalis, principia clare & diſtincte explicari contendit. Audiamus celebrem Medicum Cornelium Boutekoe in ſua Oecon. animal. oum. 25. quid ſentiat de Carteſio: "Mens non ſentit antequam organa ſenſuum ſuo fungantur officio: hoc autem quodnam ſit officium, & quali id modo contingat, præter unicum Carteſium nemo, vel ſciviſſe vel quæſiviſſe videtur: ſed ingenio & fictione hic magis valet nobilis ille vir, quam vera explicatione, involutus enim veteri illi errori &c." P. Ptolomæus ait, utcunque nova videatur proferre, pleraque tamen ex antiquis, ac potiſſimum Epicuro decerpſiſſe; reliqua vero quæ de ſuo ſuperſtruxit veteribus, parum ſibi conſtare & ambigere in ruinam contendunt Gaſſendi & Huetius, & alii eruditiſſimi viri, quibus accenſet Franciſcum Brunaccium. Vtut ſit, cum plauſu excepta eſt a plerisque Galliæ Belgiiq; Doctoribus, quos inter hodie communior eſt Carteſii ſententia. Nos illam nec ex toto rejicimus, nec totam amplectimur, ut patet ex decurſu totius operis. Quare

LIII. Sentio 1. Non dari formam ſubſtantialem materialem, qualem ſtatuunt Peripatetici. Ita Ioan. Henricus Wiber in doctiſſimo ſuo opuſculo nuper edito Ratisbonæ Ao. 1707. Probatur hæc aſſertio, tum quia 1. Stando Principiis Syſtematis Epicurei juxta reſtitutionem Petri Gaſſendi, Corpus naturale non quidem ex ſola materia atomiſtica coaleſcit, ſed etiam ex forma: forma autem materialis (ſaltem inanimatorum) dupliciter exponi poteſt. Nam primo Formæ nomine intelligitur Spiritus quidam, ſeu ſpirituoſæ atomi, quæ ſunt quaſi flos ipſius materiæ, cujus analogiam exhibent ſpiritus illi, qui ex variis corporibus chymice extrahuntur, ut ſpiritus vini, vitrioli &c. Porro ſpiritus ille, quæ atomiſtis forma dicitur, pervadit & ſubigit reliquas partes craſſiores corporis naturalis, quæ habent rationem materiæ.

Secundo

Secundo formæ nomine intelligi potest diversa dispositio, textura, nexus & complicatio seu configurario ipsarum atomorum joxta diversas proprietates,& figuras, quas habent atoni secundum se, analogiam habes in forma retis, quæ nihil aliud est, quam certa textura filiorum, quæque textura modus est quidam explicandus juxta diversas sententias Modorum communes etiam Peripateticis. Per hujosmodi autem formam corpus naturale acquirit, ut sit radix & principium motus & quietis sensibilis juxta definitionem substantiæ. Eo pacto quo recte tali pacto textum ex filis cæteroquin indifferentibus ad rete, vel pannum componendum per ipsam texturam acquirit certam aptitudinem & facultatem e. g. ad piscandum potius, quam ad cooperiendum. Differentia autem specifica totalis corporum naturalium habetur tum per illam formam, tum per materiam, hoc est per texturam ipsam & per proporoonatas atomos ad hujusmodi texturam, sicut differennia retis linei a rete ferreo.

Tum quia secundo per formam intelligi potest vis illa activa & eoergetica, quam vocant nonnulli spiritum seu animam Mundi (alii quintam essentiam) uti P. Prolomæus differt. 9. phys. Gen. sect. 2. fuse deducit, concluditque num. 23. Probabilissimum videri hujusmodi virtutem (seminalem)rerum naturæ inesse, eamque accommodatissime significari vocabulo *spiritus mundani seu universalis* deducta analogia a spiritibus corporis animati, qui ab Aristot. L. de spu. c. 2. & a Medicis eruditis appellantur: *inorganicum animæ instrumentum* ad omnes omnino functiones io corpore peragendas, quique subtilissimi a corde vel a cerebro per totum corpus diffunduntur, quos equidem pro vehiculo subservire reor ipsi animæ, hoc est substantiæ illi æthereæ. Ipsam tamen animam non puto formam esse compellandam, cum velut nauta navi assistat, & verius propricque magis spiritus formans per virtutem plasticatu sibi propriam, quam forma dici mereatur. Ratio est, quia Forma qua talis non est activa, in ista autem substantia ætherea seu quinta essentia consistere videtur tota virtus & energia causæ secundæ materialis efficientis, ut recte ostendit laudatus Author ibid. sect. 3. in hunc modum: In collectione ex tali causa secunda entitative considerata, & ex quinta essentia (Spiritu universali) relucet fœcunditas, seu virtus ad eos effectus, quos omni videmus in natura, & relucet virtus & fœcunditas instrumeotalis respective ad Deum. E. prob. ant. a paritate spirituum animalium cum quinta essentia (spiritu Mundi): taota est fœcunditas & virtus in collectione data in ordine ad effectus naturales: ac in collectiooe ex partibus organicis animalis, & ex spiritibus animalibus in ordine ad functiones animæ. e. g. ad motum, ad sensationes: tanta item est ratio causæ instrumentalis in data collectione respectu Dei, quanta est, saltem analogice, in alia collectione respectu animæ: nam per illos spiritus oculus videt, itemque anima videt per oculum, ut per instrumentum vivum: sed clare & non superflue exponitur per spiritus animales virtus & fœcunditas quoad functiones vitales, ergo etiam &c. Quam similitudinem & paritatem bene notari vult, utpote quam rem peripatetice conficiat. Vide supra Tract. IX. sect. 1.

Tum quia 3. probabilios est formam substantialem corporis vitæ expertis & mixti esse ens duotaxat respectivum, quod ex variis proprietatibus ad certas operationes disponentibus emergit: aut certe si quæ sit vis aut qualitas corpoti vel simplici vel mixto essentialis, ortum trahit a primalitatibus. Planum id quoque est nec Musicam nec Ordioem, nec numerum esse formas absolutas, sed ex multis certa ratione dispositis ea profluere. Nomen ipsum formæ compositionem quandam in suo significatu includit. Sic Statua formari dicitur, atque ea forma resultat cum materia ipsa disponitur. Denique qualitatum sensibilium congeries est quid sensibile, qualis forma esse debet: cum Physica circa res sensibiles occupetur, ac denique forma est quodammodo indivisibilis, quamtumvis enim lignum in partes secueris, semper eadem ligni ratio aut forma remanet. Ex quibus efficitur hanc esse Aristotelis mentem, formas mixtorum non esse absolutas entitates, sed relativas, idque veteres Peripateoci & Platooici ut certissimum tenuere, ut patebit ex Tract. XXXI de Ideis.

LIV. Hic tamen observa. 1. ex Ptolomæo. Causam metaphysicam (sic vocat illam, quod vel inter formalitates versetur, vel inter merita objectiva rerum, ut cognoscantur per modum causæ & effectus, licet a parte rei non sint veræ causæ, nec veri effectus) esse quadruplicem. Prima dicitur materialis metaphysica, quæ est formalitas generica indifferens formaliter, & velut materia contrahibilis & determinabilis a differentia quasi forma. Secunda formalis, nempe ipsa formalitas differentialis vel attributalis determinans genus, unde resultat totum metaphysicum. Tertia est formalitas essentiæ quæ consideratur veluti Causa efficiens, ex qua profluant formaliter reliquæ proprietates & attributa. Quarta causa resultantiæ, quæ nihil est aliud, quam id, quo simpliciter posito, vel intellecto qood existai, resultat relativum aliquod prædicatum, quod prædicatum, vel realiter distinctum, vel indistinctum ab illo posito, in ordine ad scientias humanas ratione meriti objectivi cogitatur, ac si esset effectus illius positi, cum revera nec illud primum positum sit causa, nec istud resultans sit illius effectus. Et ideo dicitur resultare, non produci: videlicet illud est causa resulcationis relaoonum & denominatiotum extrinsecarum, ut cognitum, volitum &c. ex cujus positione datur fundamentum, & meritum objectivum ad explicandum relationes & reliquas denominationes per modum formarum & concretorum. Causam hanc resultantiæ diligenter vult notari ad plurimas tricas eventilandas.

Sane, qoantum capio, non aliter Thomistæ sua Rationis entia explicare solent, ut esse genus, speciem, prædicatum &c. quam per ejusmodi resultantiam fictam & imaginariam,& quid subsit realitatis physicæ non video.

Observa secundo ex eodem Authore, qui differt. 3. Phys. gen. sect. 3. num. 5. tenet, quod forma substantialis sit quid absolutum & modale simul; ideo, inquit, non dicitur *resultare*, sicut puri modi & relationes resultant, sed *educi*, de quo tamen æquivoco & obscuro termino supra jam mulos egimus.

LV. Quapropter ulterius probat Wiberus conclusionem nostram argumento secundo. Entia absoluta non possunt educi e materia, ergo formæ peripateticæ absolutæ non dantur. ant. prob. Non potest dici, quod effectus agentium creatorum producantur ex aliquo subjecto, ergo producuntur ex nihilo subjecti & sui, ergo creantur, quod agentibus creatis non

 competit.

competit. aot. 1. probatur. Si ille effectus producerentur (educerentur) ex subjecto, subjectum (seu materia prima) deberet illis (formis) aliquid de suo conferre: sed subjectum nihil potest illis de suo conferre. ergo. maj. patet: nam si effectus possent dici produci, sive educi, ex subjecto, etiamsi subjectum illis nihil conferret, ergo etiam anima rationalis, posset dici fieri ex subjecto, quod nemo Catholicus dicet. Probatur ergo minor. Si subjectum illis aliquid de suo confert, debet conferre suam entitatem; nam præter hanc nihil habet quod conferat: atqui hanc non confert, ut iterum patet. Aut dic quid plus conferat materia formæ, quam vagina gladio, scamnum sessori, cantharus vino &c. nempe recipiunt & sustentant hæc, nil dant sed recipiunt.

Nec dicas subjectum nil conferre *active*, sed passive conferre suam entitatem. Quæro ergo, quomodo passive conferat suam entitatem? respondes, dum patitur effectum ex se educi: sed qualis hæc responsio! nonne datur pro responso, quod est in quæstione? Manet itaque vis argumenti. Vt patiatur subjectum ex se educi effectum, debet juxta propriam tuam responsionem passiva conferre suam entitatem: quomodo ergo illam confert? redibit semper eadem responsio: & redibimus in circulum: nempe confert passive entitatem suam, dum patitur effectum ex se educi; & patitur effectum ex se educi, dum passive confert entitatem suam.

Impugnatur 3. Forma substantialis materialis absoluta. Omnis substantia spiritualis est spiritus, ergo etiam omnis substantia materialis est materia, ergo non datur forma substantialis a materia a materia realiter distincta. Si dicas disparitatem esse, quod non omnis substantia materialis habeat proprietates materiæ, sicut omnis substantia spiritualis habet proprietates spiritus.

Contra est. Omnia substantia spiritualis habet omnes proprietates spiritus, eo ipso quod sit substantia spiritualis, ergo etiam omnis substantia materialis, hoc ipso quod sit substantia materialis, habet omnes proprietates materiæ. An forte quantitatem formæ deesse causaris? quomodo ergo dabit materiæ quantitatem seu esse corporeum, uti docent Peripatetici, sive ipsa non sit quanta? Aut detur ratio, cur quantitas sit potius proprietas subjecti materialis, quam formæ materialis.

Impugnatur 4. Forma, quæ habet summam dependentiam a subjecto, qua majorem nequit habere ullum accidens physicum, vere est accidens physicum, nec meretur nomen substantiæ. Sed formæ materiales v. g. forma equi, lapidis &c. habent summam dependentiam a subjecto, qua majorem nequit habere ullum accidens physicum, ergo vere sunt accidentia physica. Major probatur 1. Accidentia physica per hoc ipsum, tanquam per propriam differentiam & proprium constitutivum constituuntur in esse accidentia, per hoc, inquam, quod habeant summam dependentiam a subjecto: sunt enim ex essentia sua *entia in actu*. Ergo forma, quæ habent summam dependentiam a subjecto, habet propriam differentiam & proprium constitutivum accidentis, ergo est accidens. Confirmatur. *Per se existere, & summe dependere a subjecto, sunt opposita.* Ergo forma, quæ ita dependet a subjecto non potest ens per se existens. Ergo non potest esse substantia. Probatur nunc etiam minor primi syllogismi. Formæ substantiales materiales dependent a subjecto in fieri & conservari: nec majorem dependentiam accidentia physica habent: quin imo justa communem accidentia physica saltem supernaturaliter seorsim & subjecto conservari possunt, quis autem docuit hactenus formam equi v. gr. taliter conservari posse?

LVI. Respondent aliqui, quod in fieri & conservari dependet a subjecto completo, id esse accidens physicum: quod vero in fieri & conservari dependet a subjecto incompleto, non ideo esse accidens physicum; & sic formas substantiales materiales non esse accidentia physica, quod dependeant a subjecto incompleto. Vere gratis conficta & straminea distinctio. Nonne secundum plures Quantitas est accidens physicum, & quidem materiæ ab illa fluens & dependens tanquam subjecto incompleto præviæ formæ, utpote dispositiva materiæ ad formam recipiendam?

Nec quidquam solidius afferunt alii respondendo, quod formæ substantiales materiales dependeant in fieri & conservari *a subjecto sustentationis*, quæ dependentia, justa illos, non obest rationi substantiæ; accidentia vero dependere solum *a subjecto inhæsionis*, quam dependentiam ajunt convenire solis accidentibus. Hæc responsio est illorum Philosophorum, ait scite Wiberus, volunt sibi a posteris credi citre hæsitationem. Sed revera vel una hac responsione palam omnibus faciunt, quam solide fundata sit eorum doctrina de Formis substantialibus materialibus.

Evertamus ergo hoc miserum diverticulum. Dicebas, quod accidentia dependeant a subjecto inhæsionis. Quid ergo est subjectum inhæsionis? Respondes, subjectum accidentium, quod est idem ac dicere, accidentia dependere a subjecto accidentivum. Ingeniosa & bella responsio! Sed quid nunc est subjectum sustentationis? Respondes, est subjectum formarum substantialium materialium. Iterum docte. Nunc ulterius. Iusta superiorem responsionem formæ tuæ substantiales non sunt accidenta, licet dependeant a subjecto sicut accidentia, quia dependent a subjecto sustentationis; accidentia vero sunt accidentia, quia dependent a subjecto inhæsionis. Ex hoc infero, Ergo formæ tuæ substantiales non sunt accidentia, quia illarum subjectum, a quo dependent sicut accidentia, non est subjectum accidentium, sed formarum substantialium materialium: & accidentia sunt accidentia, quia illorum subjectum est subjectum accidentium. Nunquid illatio hæc recte sequitur ex datis responsionibus tuis? Habemus ergo dignam tantis Philosophis solutionem, qua idem prorsus interroganti pro responso datur, quod est in quæstione.

Velim insuper audire, qui vocetur subjectum caloris, aut lucis quod est aër, aut aqua torrentia seu rapidissimi fluminis, aerisque vento commotissimi, inhæsionis, an sustentationis? non inhæsionis, alioquin cum aëre transiret lux, & cum aqua devolveretur? multo minus sustentationis dixeris, cum sublato sustentaculo videamus hæc accidentia persistere. Vides ergo frivolam tuam distinctionem!

Ergo vel dicendum est, cur calor v. gr. cum æque dependeat a subjecto ac forma ignis, & æque ex illo educatur, ac hæc, cur ille non dependeat a subjecto, ut a subjecto sustentationis, sed ut a subjecto inhæsionis & ut forma accidentalis; contra vero forma Ignis a subjecto ut forma substantialis, & tanquam a subjecto

jecto sustentationis? hoc inquam dicendum est; aut manet quod in data solutione adversarii nugentur potius, quam philosophentur.

LVII. Impugnatur 5. Substantia, quæ habet præcipuas proprietates substantiæ spiritualis, debet etiam habere naturam ejus, adeoque debet esse substantia spiritualis. Sed forma Peripateticorum substantialis materialis est talis substantia, ergo debet habere naturam substantiæ spiritualis, ergo debet esse substantia spiritualis, quod in terminis implicat. Prob. min. præcipuæ proprietates substantiæ spiritualis sunt indivisibilitas & penetrabilitas: sed forma tua v. g. equi est indivisibilis, uti omnium brutorum perfectorum, maxime secundum Thomistas Complutenses, & pariter penetrabilis cum materia, ergo habet præcipuas proprietates Spiritus. *Respondes*. Præcipuas Spiritus proprietates esse, quod sit substantia intellectiva, in existendo a subjecto independens, ingenerabilis & incorruptibilis: has autem proprietates non habere formam substantialem materialem. Sed Contra, quoad *primum* quæro, unde probes, quod omnis substantia spiritualis debeat esse intellectiva? argumentare, conclude, infer; nunquam mihi hanc consequentiam probabis: hæc substantia est spiritualis, Ergo intellectiva est. Quoad *secundum*, dic obsecro, cur substantia tua materialis non possit independenter a subjecto existere? possit tamen substantia spiritualis? misera substantia, quæ *per se* existere non potest. Quoad *tertium* & *quartum*, quæro iterum, quare forma substantialis materialis generari & corrumpi possit, non possit tamen forma substantialis spiritualis, anima rationalis scilicet? responde iterum; & iterum nihil afferes, quod satisfacere possit. Manet ergo quod Peripateticorum forma substantialis materialis non solum sit accidens & substantia, ut patet ex argumento quarto: sed quod etiam sit substantia materialis & spiritualis, hoc est idolum omni chymæra monstrosius. Ita Wiberus.

LVIII. Verum enim vero hæc argumenta si vim habent, non solum formas prædictas evertunt, sed & spiritum Mundi seu substantiam illam æthercam, quintam essentiam &c. (hi enim termini synonymi sunt P. Ptolomæo ut supra dictum). Illa enim substantia est ingenerabilis, indivisibilis & penetrabilis sive penetrativa omnium corporum, nec indiget poris, est tamen corporea, & simplex ut Cœli per Aristotelem. Nec puto deservire istam quintam essentiam ad impediendum vacuum in tubis Torricellianis, alioquin non solum Vacuum coacervatum (ut loquuntur) sed & disseminatum impleret, prout suo loco trademus.

LIX. Censeo II. Nec Animam Mundi, nec animas quorumcunque animantium formis accenseri proprie debere. Ratio est, quia Mundus, & animantia quæque sunt Decomposita, ergo unica simplici forma non informantur, sed decomposita. Quo sensu autem Anima rationalis dicatur forma hominis, declaravimus alibi.

LX. Censeo III. Formas materiales quascunque originem suam ducere ab Ideis, quas aut opifex per artem imprimit, aut agens ex rationibus seminalibus educit illas evolvendo & explicando virtute plastica, quam Animæ Mundi (in quocunque demum illa consistat) tribuimus. Adeoque formam substantialem constat esse in seminibus elementaribus. Declaratur hæc assertio. Omne quod fit, fit ex ente aliquo sui, non ex nihilo: sed ignis ex igne, os ex osse, animal ex animali: sed hæc entitas præcedens non est sola materia, quæ nimirum recipere tantum potest, non dare: sed est & vis activa causis præexistens activis, sui diffusivis, ac multiplicativis. Quod quidem mysterium est impenetrabile, uti suam ignorantiam viri doctissimi non verentur profiteri. Allego duntaxat duos. Thomas Campanella L. 1. Met. c. 8. ait: "Quid est calor? quod,, calefacit. Sicut enim patitur sensus, sic judicat, &,, quia calefacit omnia, & attenuat, & movet, & albe-,, facit, & illustrat, dico esse potentiam, vel principi-,, um calefactivum, illustrativum, attenuativum, mo-,, tivum: & ex multis actionibus agnosco esse princi-,, pium Naturæ activum. Verum *ipsam caloris enti-,, tatem, prout a Deo sit, nunquam intelligo*, sed quid,, faciat in nobis & ejus usum in Mundo. Cum enim,, ex quo calefacit, potestatem calefaciendi ipsum in-,, venero, nihil amplius investigare ultra possum, nisi,, quod potest hoc. Vtrum a Deo habeat ut possit hoc,,, vel ex sui natura, & *quid est natura, & qua potentia,, Dei in illo, scire non datur*.,,

P. Ioan. Bapt. Ptolomæus Dissert. 3. Phys-Met. sect. 1. num. 12. "Postulo inprimis non quæri ex,, me ut explicem, quomodo causa efficiens per produ-,, ctionem faciat existere id, quod nihil erat; vel per,, conservationem faciat, ne redeat in nihilum id, quod,, immediate ante existebat: quantum enim ad hoc,,, cui succubuit intelligentia omnium veterum Philo-,, sophorum, afferri nil potest præter admirabundum,, silentium.,, Vterque sapienter.

LXI. Quamobrem cum ex ligno fit ignis, fit ab alio igne, qui scipsum infundit in lignum multiplicatque. Non tamen creat, ut argumentatur Cajetanus, etenim ex sui essentia, non ex nihilo dat. Et quidem ad creationem potius accedit opificium: Scriptor enim ideat scripturam non ex aliqua scriptura, neque propriam essentiam largiendo, sed ex ideali similitudine effusa, multiplicataque per deductionem de essentia ad esse. Probavit etiam S. Iustinus, omnes formas materiæ ex incorporea emanare causa, etiam cum non creantur: multo ergo magis activæ res. Clarum est enim in simplicium generatione quod frigus a frigore, calor a calore, ignis ab igne fit, multiplicatione non creatione. Non enim lapis ex lapide fit, neque animal omne ex animali ejusdem speciei: sed ex rebus, quibus inest quidquid in compositis. Lapis enim duritiem habet a terra frigusque; calorem & alborem a Sole; formam vero lapidis a formatione, non quidem facta ab elementis per industriam, sed a causa principaliori, in qua lapidis idea est. Scriptura etiam fit ex atramento, & calamo, & pagina & homine lineante; at non modo habet in se atrum colorem, & lineationes & chartam, sed insuper formam & sensum significationis, non in gremio materiæ latentem, sed ab idea, non hominis, sed scriptoris hominis. Verum quidem est, quod aliqua materia ad suscipiendam ideam disposita est magis, aliqua vero minus: Non enim aqua est apta fieri arca, sed lignum. Has autem dispositiones ab elementorum congressu repetito diuturno & multiplici fieri putandum. Etenim Sol liquefaciens Terram, efficit fluores; indurando vero fluorem efficit lapidem: indurando vero & liquefaciendo, & spiritum ingenerando efficit animal. Sed quia hæc non sunt de intentione Solis & Terræ, quorum intentio est se ipsa solum multiplicare & ampliare, & contraria destruere; idcirco ad Ideam

alicujus

alicujus Mentis recurrendum est. Recte quidem Anaxagoras ad Mentem confugit Primam, sed non recte Ideas excludit. Neque enim oportebat præesse partes carnis & ossis & lapidis in Chaos, sicut in opificiis: sed sola Elementa, quæ se mutuo alterando in has veniunt dispositiones modificationesque, quibus utitur Mens ad mistorum compositionem. Vere ergo ex cibo, cum coquitur, aliæ partes fiunt os, aliæ nervus, aliæ caro, non casu & ex nihilo; sed quia præinerant cibo partes similares dissimilaresque, tenues scilicet, crassæ, lubricæ & molles, & aliæ plurimæ, quarum aliæ aptiores sunt ossi, aliæ carni; idcircoque in coctura accipiunt similitudinem quoque partium illarum magis, in quas distribuuntur. Flava enim bilis manifeste ad fel, fæces nigræ ad lienem eis similem, feruntur: unde judicandum de cæteris particulis, & particularum particulis idem. At non perpetuo & ab æterno præfuerunt hæ in cibo particulæ, & in terra, aliisque in rebus, ut Anaxagoras putat, sed a Sole factæ sunt variis agente viribus & actionibus frigoris & utriusque vicibus continuo ea variantibus, quæ facta prius erant.

Non ergo homiomeria semper fuit, sed a Solis & terræ vicissitudinibus fit; alioqui si præessent omnes partes & particulæ, ex quibus mixta, non oporteret Elementa perpetuo in invicem agere, seseque disponere ad secunda entia: sed sufficeret sensus rerum, & Mens supereminens ad ferendas similes ad similes, & componendas, quæ noviter fiunt, res.

LXII. At dices, quare ex hac tellure lapis, ex illa pepo, ex altera vermis fiunt, nisi præexistant partes ad hujusmodi aptæ? Resp. Ex actione prima Solis nunc usque semper variatas esse rerum dispositiones, donec ventum est ad hoc, ut alia pars terræ aliis fit apta rebus, & deinde aliis. Non enim ex aceto fit vinum, ut ex vino acetum; neque ex terra sanguis, sed ex pane qui prius fuit ex terra, quoniam series dispositionum ita percurrit. Siquidem calor & frigus amplius agentes in res actas, eas diversificare habent, & non instaurare, nisi per circulum quoad similes revertuntur vices. Pomum enim prius a calore fit stipticum, deinde ponticum, deinde acidum, deinde dulce, deinde amarum, deinde salsum, ubi fracescens uritur: non potest autem actio reverti retrorsum ut ex amaro dulcescat, ex dulci acescat, nisi per circulum, quoniam additur actio non demitur. Sic Iuventus est additio pueritiæ, sed mortuo juvene & converso in terram, & in cibum hominis potest fieri puer, & acetum fieri vinum: si prius vertatur in vaporem & aquam, quæ irriget vitem: sed nunquam forte eædem particulæ omnes redeunt ad idem vinum & hominem, quoniam fatum utitur ad commisturam istorum quadam perenni transpositione. Ex his tamen liquet, non præesse particulas, sed fieri a cœli & terræ pugna semper varias, eisque uti Mentem ad rerum constructionem, & fatalem ordinem in totius harmoniam.

Considerandum ergo erat Anaxagoræ, quod ex Idea Mentis fit forma, & sic non præposuisset latitationem in Chaos, sed in meote, ut Sacra docet Theologia. Quæ Mens ex nihilo materiali generat Mundum, & ex summo esse ideali per virtutem Agentis Causæ primæ. Siquidem & nunc, ut tales ac tales fiant dispositiones ex pogna Cœli & terræ ab aliqua Idea est potentissimæ causæ, quæ ex his Elementis contrariis construxit Mundum. Et quia in eosdem circulos & parallelos revertitur Solis actio, idcirco futura sunt similia præteritis, & poma hujus anni pomis præteritorum annorum; non tamen eadem quia non eadem prorsus actio, & materia & dispositio; quoniam annus anno additur, & non demitur, sæculum sæculo. Vnde oportet variari sæcula, & in circolos reverti, aut Mundi machinam dissolvi, sicut & aliorum animalium.

Vnde Peripatetici ineptissime ignorant, cur de privatione ad habitum non detur regressus, nisi per circulum.

LXIII. Sola ergo Elementa fuere in Chaos, non autem homiomeria, & ex his factus est Mundus, id est ornatus rerum per Sapientiam. Vnde S. Brigidæ revelatum est, quod Mundus vocatus fuisset *Sapientia Dei*, & Antonius vocat ipsum *Codicem Dei*, uti & SS. Bernhardus & Chrysostomus. Semina autem rerum, quæ ponit Augustinus in Elementis, non sunt ad asserendum dogma Anaxagoræ sed declarandum: siquidem ea primo ponit in mente Dei, hoc est Ideas, secundo in Elementis, tertio in Elementaris, quarto in seminibus. Hoc autem pertinet ad defluxum Idearum, ut dicetur suo loco; ut enim ex Cœlo terraque modificatis, fiat planta, & vermis & lapis, non sola modificatio actionis elementorum facit, sed etiam qui modificationem illam ordinavit fatali serie. Quapropter non est calor aut frigus illud semen & ratio seminalis, ut quidam interpretantur Augustinum: sed ratio illa, qua calor & frigus concurrentes faciunt hoc vel illud Ens. Quod si Anaxagoras intellexisset, non coactus esset ponere virtutes seminales in formatis particulis, sed in formatione earum, prout ab idea pendet, & sic Mentis dignitatem validiorem fecisset.

LXIV. Censeo IV. Rationes seminales, Entelechiam, Spiritum Mundi, non debere promiscue velut synonyma usurpanda: sed rationes seminales esse sub directione animæ Muudi, sicut in microcosmo spiritus vitales & animales subsunt animæ tanquam instrumenta vitæ: per quintam vero essentiam intelligo substantiam illam subtilissimam, ætheream seu lucem primigeniam, unde omnis motus descendit; formas autem mixtorum omnium nil esse præter Idearum Primæ Causæ seu Mentis participationes, quæ formæ per corruptionem Compositi in tantum pereunt ut redeant in suum chaos & statum potentialem rediguntur, uti erant prius in materia insensibiliter & potentia, non actu, antequam vi animæ Mundi & agentium aliorum evolverentur redderenturque sensibiles. Et hoc est Formam fieri ex Ideis, per quas ideas anima Mundi limitata constituit species physicas rerum, forma tribuente essentiam.

Si aotem petas cur formis substantialibus substituamus cum Ioan. Marco Marci ideas? Respondeo, quia experientia constat per solas ideas mutari & varie transplantari species physicas. Secundo eandem mutationem induci naturis & principiis internis actionum: ita enim ovem in lupum, honcin ovem mutari posse docet Ioan. Faber in suo Palladio. 3. Id convincunt metamorphoses non solum insectorum, sed etiam reliquorum animalium: in quibus idem numero animal in diversam speciem, & aliud genus entis transfertur; quin etiam individua sub eadem specie, magis quam ipsæ species a se differre noscuntur, uti supra ostendimus. Et qoid dices ad metamorphosin fœminarum in masculos, & quod mirabilius,

lius, horum in fœminas evanefcente fexu? an fine formarum mutatione factum? alterationem duntaxat vocabis, non fubftantialem mutationem. 4. Qui formas admittunt fubftantiales [quas Cofmopnevmatici ad unum omnes excludunt præter Spiritum Mundi,& animam rationalem] multa in convenientia afferere, in plurimis hærere neceffe eft, ut quod accidens producat fubftantiam. Deus in fterquilinio & putredine tanquam caufa proxima & immediata,defectu alterius naturæ operetur. 5. Hac idearum pofitione omnes difficultates, quæ de origine formarum & earundem fucceffione agitantur, evitamus; eaque omnia, quæ magnetifmum involvunt, fumma facilitate enodamus. De notitia & neceffitate Idearum vide Tract. XXXI.

LXV. Porro doctrina dogmaque hoc de anima feu Spiritu Mondi hypothetice a nobis tradita & affumpta non eft paradoxa adeo & quafi pro fatuitate habenda, prout vifa P. Arriagæ, fed vel ex hoc fatis probabilis cenferi debet, quod ex ea, fi non prorfus omnes (quod nulla Sententia nifi temere de fe jactare poteft) pleræque tamen difficultates enodari & explicari valeant, ut palam fiet ex dicendis Tract. XXXVII.

Cujufmodi funt influxus cœleftes, Magnetifmi, terum Sympathia & Antipathia &c. quæ omnia ex alia hypothefi folvuntur per *nefcio*, aut dæmonem accerfunt horum opificem, aut qualitates occultas hoc eft nulli cognitas. Et vel maxime hanc doctrinam capeu facilem reddit analogia petita ab homine feu microcofmo, in quo communiter unicam animam ut formam, diverfiffimas partes informantem, & in iis diverfiffimas operationes elicientem agnofcunt: cur ergo non fimilem præficere liceat Mundo Directorem, aut animam, quæ repit in verme, volat in aquila, fplendet in auro &c. ficut anima videt in oculo, audit in aure, ambulat in pedibus, non fentit in offibus, nec capillis, una eademque in omnibus forma, non tamen eundem tribuens effectum, fed pro diverfitate difpofitionum & modificationum diverfa operatur? Et hic eft ille Spiritus Mundi Polyphormus apud P. Ioan. Zahn tom. 2. pag. 45.

LXVI. Reftant adhuc duæ quæftiones circa formas, quas breviter expediemus. Prima eft, an formæ viventium recte dicantur educi de potentia materiæ, aut verius generentur & propagentur per traducem? altera eft, an poffint plures animæ rationales unum idemque corpus informare?

Ad primam Refpondeo, in omnibus viventibus ex femine genitis, animam cum femine propagari & per traducem. Hæc eft Themiftii vetuftiffimi Ariftotelis interpretis fententia, quam Iul. Scaliger & Sennertus acriter defendunt, nos autem in Tract. folide demonftrabimus: hic folum rationes Philofophiæ Burgund. adducam. Formæ viventium, præter effe refpectivum, quoddam habent effe abfolutum: id vero ut propagari & multiplicari probabilius, adeo ut eum glande forma quercus, & cum ovo forma pulli traducatur, atque omnia femina fint animata. Et probatur 1. Quia explicari nullo modo poteft, quo tempore, aut forma quercus glandi, aut forma pulli ovo adveniat: neque enim exfpectandum eft donec arbot fit in ramos effufa, aut pullus fit omnibus fuis organis inftructus: fed jam adeft vita, cum germen erumpit, aut cor in pullo, primo aut altero die incubationis micat. Ergo longe probabilius eft formam eum ovo traduci, quam eam e finu vacuo materiæ erui.

Confirm. Ex nuperis obfervationibus Marcelli Malpighii liquet, in ovo fœcundo, etiam ante Gallinæ incubationem prima pulli rudimenta microfcopii ope confpici, quæ in ovo fterili, aut fubventaneo non apparent. Sic prima arboris aut plantæ ftamina in ipfo germine diftincta plerumque cernuntur, quæ in faba, tulipa & plerifque aliis citra microfcopii opem intueri licet. Magno quidem argumento formam plantæ femini, ut formam pulli ovo jam tum ineffe, eum id fœcundatur: adeo ut vivens velut particulam fuæ formæ, ut materiæ proli fuæ communicet: quæ quidem velut fcintilla in majorem flammam paulatim explicatur.

Confirm. 2. Id minime probabile videtur plantas vivere, femina non item: cumque rami, aut radices excifæ in novas arbores adolefcunt, nihil eft caufæ cur vim prolificam in tota arbore diffufam effe inficiemur, aut cur vim illam a forma fejungamus. Neque enim quercus combufta alterius caufa princeps effe, aut dici poteft, nifi quatenus glandem emifit, in qua novæ quercus forma (idea) velut complicata delitefcit. Nec verifimile eft glandem effe tantum inftrumentum arboris, ex qua deciditur, ut femen ab animali: neque enim caufa primaria effectus dici poteft, quæ nihil agit, & jam forte combufta eft.

Refpondeo fecundo. Tametfi rationes feminales de facto ut plurimum ex pugna elementorum nafcantur, prout fupra declaravimus: nihilominus valde probabile eft in principio Genefeos ipfis Elementis concreatas fuiffe ratiooes feminarias viventium, quas Albertus M. actus quosdam initiales & inchoatos vocavit. Id ipfum paffim docet S. Auguftinus. "Nifi, ioquit, talis aliqua vis effet in iftis elementis, non," plerumque nafcerentur in terra, quæ ibi feminata," non effent: nec animalia tam multa nulla marium," & fœminatum commiftione præcedente five in ter-," ra, five in aqua, quæ tamen crefcunt, & coëundo a-," lia pariunt, cum illa nullis coëuntibus, aut parenti-," bus orta fint: & in iftis cafibus fano fenfu poffunt," dici educi.,,

Refpondeo tertio. Per modum Anacephalæofis, quo iis omnibus, quæ circa eductionem formarum afferri folent, facilius occurratur, id inprimis

LXVII. Notandum eft, tres circa eductionem formarum effe fententias, quarum duæ funt extremæ. Vna eft Philopponi vetufti Ariftotelis interpretis, qui formas creari autumat, cum fiant ex nihilo. Alia eft vulgo recepta formas non creari, fed educi e materia, in qua nullo modo funt, nifi potentia. Tertia inter extremas media, formas viventium educi quidem, non creari; eas tamen quodammodo vel in rationibus feminariis, vel in fpiritu quodam cuncta penetrante,& divinæ artis idealibus numeris inftructo in effe: qui quidem fpiritus eft quiddam materiæ inditum, & maxime actuofum, quod generationes omnes promoveat, & itidem primum motus & quietis principium; unde & Naturæ nomine folet defignari, quod fit naturæ archetypæ præcipuum inftrumentum. Multa de hoc Spiritu non Platonici modo, fed etiam Chymici difputare folent, prout jam egimus de eo in præced. Tract. IX.

Huius fpirituofæ & actuofæ fubftantiæ vim, non in viventibus modo, fed etiam in cæteris rebus domi-

nari colligunt ea constanti figura, quam res quæque sortiuntur quamque in plantarum seminibus, in salibus etiam, & nonnullis lapidibus cernere est. Sic sal maribus in cubicam figuram, salpetræ in pyramides concrescit. Vt nihil dicam de Chrystallo, quæ ubique exagonam figuram obtinet: quod utique a certa & constanti causa, non a tumultuaria elementorum mixtione proficisci videtur.

Neque ab hac sententia multum aberrant Albertus & Aureolus insignes Peripatetici: quorum ille viventium formas secundum essentiam materiæ inesse; hic formarum particulas in generatione ante dispersas colligi existimat. Non quod necesse sit earum essentiam ab existentia discernere: sed uterque formas quodammodo inesse materiæ arbitratur; quamvis sub alio esse sensibili appareant: ut forte particulæ ignis [prout Honoratus Faber existimat] in ligno insensibiliter tamen latent & sub forma ligni; dum autem accenditur, colliguntur in unum & fiunt sensibiles: & ignis actu, qui ante erat potentia, sive ignis potentialis: ita fere in semine est alia ratio trunci, alia ramorum, alia foliorum; sed illæ rationes nondum habent esse arboris, donec sint evolutæ. Ita author Phil. Burgund. tom. 4. pag. mihi 54.

LXVIII. Ast ego notabile discrimen observo inter particulas igneas, quas in ligno latitantes, & consequenter in quavis materia facile inflammabili, puta in sulphure, & pulvere pyrio adstruit Honoratus Faber: & inter lineamenta arboris in semine aut floris in bulbo, aut pulli in ovo fœcundo &c. Siquidem hæ posteriores ideæ per microscopium deprehendi possunt, ut testantur celeberrimi Viri fide dignissimi: prioris generis autem scintillas igneas, tametsi in silice & marchasita latitare non abnuerim, neminem tamen ejusmodi in ligno quantumvis arido, nedum in sulphure aut pulvere nitrato per ullum microscopium deprehendisse legi: hinc ignem illum potentialem assimilo igni imaginario.

Alterum est, quod summopere admiror, authores & Patronos præfati Spiritus actuosi non ostendere num sit cognitionis expers, & rudis, an vero gnarus miri artifici cujus ponitur director. Adscribere stupido & inerti, omnisque rationis experti creaturæ artificiosissimæ naturæ opera non solum in rebus inanimatis, verum etiam in brutis, videtur irrationale, maxime cum brutis non omnem abnegent sensum & cognitionem sapientissimi Philosophi [quidquid Cartesiani dicant, metaphoricis suis phrasibus]: & cum Spiritus ille Mundi vices animæ sensitivæ obire credatur, profecto animas omnium brutorum perfectione antecellat oportet. Hinc tametsi Campanella res omnes donet vita, & Primalitatibus Potentia, Sapientia & Amore: Spiritum tamen seu animam Mundi, Administratorium Causæ Primæ, unum ex Dominationum Choro excellentissimum esse arbitratur. Hæc tu, mi Lector, accuratius perpende.

LXIX. Altera quæstio erat, an duæ formæ substantiales totales v. g. duæ animæ rationales possint simul eandem materiam seu corpus informare? Quod unum idemque corpus ex integro duplicem habuerit animam, exemplum non habemus, cum altera foret superflua, Deus autem & Natura; ut tritum fert adagium, nil faciunt frustra. Attamen Monstrosos vidimus partus humanos, in quibus distincta capita, brachia pedesque, at thorax & venter communis & simplex duabus animabus, quas diversæ ac contrariæ operationes & affectus clare demonstrarunt, uno videlicet dormiente, vigilante altero &c. Super quo casu consultus P. Franciscus Bonæ Spei ab Illustrissimo D. Caramuele, recepit tenebras dum lucem sperabat. At P. Ptolomæus citra ambages rotunde respondet, non apparere repugnantiam, cur non possint de potentia Dei extraordinaria duæ animæ rationales idem corpus humanum informare. Si petas num inde evaderent duo homines, vel unus? Responde, fore duos realiter distinctos inter se, uti duæ collectiones partem unam communem habentes. Si rursus roges, quid si unus ex illis hominibus damnetur, salvetur alter, corpus quo ibit? quo Deus volet. Sed de his satis.

TRACTATVS XXVII
DE
GENERATIONE ET CORRVPTIONE.

SECTIO I.

Quid nomine Generationis intelligatur, & quæ circa illam Peripateticorum Sententia.

I. Omnis mutatio vel est de non-esse ad esse simpliciter: & hæc vocatur *Creatio* soli Deo competens, in qua nihil subjicitur, quoniam producitur esse prorsus; seu esse simpliciter; vel est mutatio de aliquo non esse in aliquod esse; & vocatur *Generatio*, quam Arist. partitur in simpliciter, & secundum quid: si enim generatur substantia, est simpliciter generatio: si accidens, secundum quid. Sed profecto non recte; de ratione enim generationis est, ut fiat quod non erat, sive illud sit substantia, sive accidens, sive nobile sive ignobile ens. Vnde τὸ *secundum quid* non cadit super generationem, sed super genitum, quod Ens secundum quid.

At si cadat τὸ *secundum quid* super τὸ *generationem*, dicimus, omnem mutationem esse generationem, vel simpliciter, cum totum esse rei mutatur in aliud, quod nondum erat: vel disponitur tantum ad mutationem, & sic vocatur generatio secundum quid, quia non totaliter. Quapropter si ex calido, fit frigidum, & ex non-homine homo, fit generatio simpliciter: si vero ex calido fit tepidum, & ex homine puer o vir, dicitur secundum quid. Itaque generatio *secundum quid*, est vere *Alteratio*. *Simpliciter* vero est complementum alterationis. Fit enim *aliud*, non *alterum* modo, ut cum fructus maturatur.

Aliter, Quando variatur denominatio primaria rei, quæ dicitur substantia, ita ut non possit amplius eodem nomine suo primario appellari: tunc mutatio est substantialis, & proprie stricteque dicta Generatio (siquidem esse novum producatur) ut cum ex ligno fit ignis:

ignis: cum vero mutantur denominationes secundariæ, permanente primaria, tunc mutatio est accidentalis, ut cum ex aqua frigida fit calida; secus si ex aqua fit vapor, aut aër. Omnis ergo mutatio est vel generatio vel alteratio tantum.

II. Porro mutationes corporum naturalium, quæ fiunt in Mundo, etiam substantiales, non ita fiunt, ut totum & totaliter id, quod fuit, pereat; & totum & totaliter id, quod oritur, fiat de novo: aliter. In cunctis hisce mutationibus subjicitur id, in quo fiunt; aut aliis verbis: in mutationibus aliquid ex eo, quod fuit, remanet in eo, quod oritur. Hoc ipsum inductione latissima patet; non quidem rerum ipsarum, de quibus tricari quis posset, sed Philosophorum, imo hominum ipsorum sanorum: Omnes enim omnium sectarum Philosophi antiqui & recentes (si unum vel alterum ad summum exorbitantem excipias) hoc ipsum postulant tanquam indubitatum. Vnde proverbium illud apud Poetam: *Ex nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti*, quod ut recte intelligatur, sensu prædicto sumendum est. Omnes item homines de hoc ipso conveniunt, e. g. quod in cinere remaneat aliquod, quod prius erat in igne, & in cadavere, quod prius erat in homine.

III. In omnibus tamen mutationibus corporum naturalium aliquid fit de novo, & aliquid perit. Hoc etiam est indubitatum apud omnes: de eo enim solum litigant, quid, & quomodo pereat id, quod perit; quid, & quomodo fiat de novo, quod de novo fit: utrum absolute vel relative: vel ratione collectionis, vel ratione etiam partis seorsim sumptæ.

IV. Celeberrimæ tres scholæ Philosophorum, nempe Pythagorica, Platonica, Peripatetica appellarunt illud aliquid, quod remanet, seu subjicitur, in qualibet mutatione *Materiam*; & illud aliquid, quod fit de novo, dixerunt *formam*, ducta metaphora & analogia ab artefactis, & præsertim ab arte lignaria. Reliquæ antiquorum & modernorum scholæ has appellationes minime respuunt, quia in num. II. & III. omnes conveniunt, & omnes bene loquuntur. Ad præsentem autem disputationem nil refert diversitas hujusmodi sententiarum, ubi tantum Materiam sub hoc conceptu consideramus, quod sit illud aliquid, quod fuit in eo composito, quod erat, & remanet in eo, quod de novo fit. Formam vero consideramus sub hoc conceptu, quod sit illud aliquid, quod de novo fit: nec multum distinguo formam substantialem ab accidentali in hoc negotio, ubi promiscue de mutatione tum substantiali tum accidentali agimus.

V. Illud quoque discrimen inter Mutationem & Motum probe notandum: nec non inter Quietem & Pausam. Mutatio enim videtur esse actus quidam existentis in potentia ad ulteriorem metam, ut Arist. docet, non autem Motus. Illa enim semper facit alteritatem & alienationem in subjecto, perdente aliquid, & aliquid acquirente; iste vero conservat subjectum in suo esse, non autem alienat. Quapropter non videtur actus entis in potentia, & in sui successiva alienatione: sed entis in actu, quo servatur & jocundatur: & iste quidem actus ab intrinseco est Natura; ille ab extrinseco causa activa, & suæ similitudinis effusiva, sive per se, sive per accidens. Quapropter imperite Aristot. motum cum mutatione confundit. Quapropter ad Motum non distinguitur Movens & mobile, sicuti ad mutationem; ut alibi jam docuimus. Manifestum etiam est hoc ex eo, quod Ignis natura mobilis, si motu privetur, extinguitur & perditum it: sic etiam quæ Natura quiescentia sunt, si moveantur, perduntur, & mutantur ex proprio esse.

At si solus motus esset mutatio & alienatio de subjecto in subjectum, & econverso, ut Arist. docet: tunc cum calor cogitur quiescere, servaretur. Motu enim mutantur, quiete ergo servantur Aristoteli. Quapropter motus localis non est mutatio, passioque nisi patientium illam, non autem edentium: neque enim locus mutatur, nec locatum a sui Natura, sed servatur cum per se movetur ab interno principio motus. Mirum ergo quomodo Arist. posuit loci mutationem, cum locus sit per se illi immobilis, nec locatum patiatur, nisi violenter moveatur præsertim cum circumfertur semper in eodem loco: & quidem partes mutant situm sursum & deorsum, & ad alias continuo Mundi plagas, non autem locum. Vnde ruditer Arist. motum localem ponit, & non situalem. Motus itaque opponitur quieti; mutatio vero immutabilitati: illa est Telluris; ista spatii. Torpor autem materiæ, quieti & motui opponitur. Pausa vero est impedimentum a motu, sive spontaneum, sive violentum. Hæc obiter & παρέργως.

VI. Vnde cum Arist. ait Generationem esse mutationem totius in totum nullo sensibili remanente; alterationem vero, remanente; intelligendum est de toto eo, cujus est per se corruptio & generatio principaliter, non autem de adjunctis & affectis: cum enim generatur frigus, tollitur calor totaliter in aqua. Si autem remanet calor, dicitur alteratio aquæ: sed tamen frigoris generatio adest simul: similiter & in aëre. Non enim requiritur contrarii perditio, nisi quatenus obstat alterius contrarii existentia. Non autem obstat, nisi quia illius non-esse in se continet. Si autem potest deleri non-esse sui non deleto esse contrarii, utique generatio fit; ergo in vino & in aëre generatur frigus non deleto calore prorsus, sed deleto non-esse frigoris: veruntamen aër manet, sed alteratus, & calor perseverat, sed oppugnatus, impeditus & ligatus, ne possit valenter agere, seque ipsum manifestare.

VII. Propterea notandum est, quod alia est generatio simplicis, ut caloris; alia est Compositi, ut ignis; alia est Decompositi, ut plantæ. Ergo alia insuper est Generatio totalis, & rursus alia partis. Potest quidem generari simplex activa forma, seu qualitas in subjecto, non deleta contraria sed remissa, ut eum generatur in aëre calido frigus per effusionem e terra in aërem; & hæc est vera frigoris generatio, aëris simul alteratio tantum: sed compositum non potest generari, nisi perdita forma præcedenti, ut cum ex aëre fit aqua. Et cum triplex sit formalitas in Composito, altera videlicet materialis, ut tenuitas in igne & aëre: altera formalis, ut calor; & tertia forma totius ex his duobus resultans, ut igneitas & aëreitas; ut ergo corrumpatur aër, oportet aëreitatem destrui, hoc est formam totius. Fit enim alterius rei generatio etiam manente forma partis, quod tunc verum est quando genitum & corruptum non carent symbolo, cum enim ex igne fit aër, sufficit ut igneitas destruatur, id est gradus suæ raritatis caloris, non autem oportet penitus perimi calorem. Aër enim calidus similiter est. Oportet tamen alterari calorem, non perdi; si enim penitus perdatur

datur, non fiet aër, nec aqua, ſed aliquod diſtantius. Similiter cum ex ſemine fit animal, remanet albedo ſeminis & corpulentia ſed alterata, non aurem penitus corrupta. Aliquando etiam ſufficit ad corruptionem, ſi partes ſeparentur, & forma proinde totius eſſe deſinat, ut patet in hominis morte, ubi ſola animæ, etiam ſervatæ ſeparatio facit corruptionem hominis, propterea quod bumanitas, id eſt forma totius perditur, & totalitas, non autem ulla hominis pars eſſentialis, ſicut optime docent SS. Ambroſius & Iuſtinus, alioquin mors Chriſti non eſſet vere mors corruptioque: non enim corpus, neque anima corrupta ſunt, ſed unio utriſque in unius Chriſti unitatem terminata & in entitatem tertiam.

VIII. Quapropter nimis addicti Ariſtotelis verbis quidam, præcipue Thomiſtæ, putant, nihil eſſe commune idem numero in corrupto & genito. Cum tamen clamitet experientia, quod eadem quantitas eſt in vino & in aceto, & eandem vitulinam manducamus occiſam, & idem numero eſt digitus amputatus qui erat in manu. Hæc opinio quoque & ſenſui & rationi repugnat:, ſenſui cum videamus & tangamus eandem carnem & oſſa, eaſdemque notemus cicatrices in homine mortuo ac vivo. Rationi, quis enim capiat in humano cadavere non remanere oculos, aures & organa priora, ſed in momento corrumpi & conſimilia generari inviſibiliter, cum & fatum inſtantaneas mutationes, & ſenſus & ratio negent, præſertim in Decompoſitis: nec ulla ſit nova forma cadaveris tam potens in inſtanti nova dare organa ac dimenſiones, ſed ſolum carentia ſeparatæ animæ. Illud ſane lepidum quod quidam Profeſſor Salisburgen. Anſelmus Scblager in ſuis theſibus de Ao. 1655. aſſerit redire hujusmodi accidentia, puta carnis, oſſis, nervi, in novo genito, quia per accidens ſunt impedita propter ſubjecti interitum: effectus autem per accidens impeditus redit, cum impedimentum eſt ſublatum. Putat forte reviviſcere uti bona opera mortificata, aut manere in ſuſpenſo de gratiæ ſacramentalis effectu docent Theologi, nempe tunc tranſibunt de ſubjecto in ſubjectum. Idem cum dixiſſet formas etiam accidentales deſinere, addit Cadaver ideo eſſe ſimile viventi, tum ob Neturæ inſtitutum ut eſſet ſimulacrum viventis, tum ob diſpoſitiones relictas. Sed quomodo, & ubi relictæ, ſi omnia accidentia intereant?

IX. Inſuper hæc opinio ab intrinſeco mihi ſemper improbabilis viſa, minuit quoque devotionem, & plebem, ſi e cathedra doceretur, non parum deterreret a cultu & veneratione SS. Reliquiarum: imo & perjuriis januam aperit, cum latro putare poſſet ſe hunc (numero) hominem non occidiſſe. Prius patet, Nos enim Catholici credimus Dominum Chriſtum idem numero corpus poſt reſurrectionem ſuis exhibuiſſe Diſcipulis, idemque numero Sanctiſſimum latus palpandum Thomæ, quod lancea Longini in cruce aperuit: ſicut & eadem numero corpora & oſſa nobis ab Eccleſia proponi veneranda, quæ SS. animæ, dum in vivis erant, incolebant, non tantum ſimilitudinaria, ut ovum ovo.

X. Verum cum jam alibi ſatis refutaverimus, hic plura non addo, præter unicum hoc argumentum ad hominem, ni fallor, irrefragibile. In ſententia thomiſtica concurrunt accidentia active ad formam ſubſtantialem novam producendam: quando ergo producitur forma ſubſtantialis, vel producitur a diſpoſitionibus immediate præcedentibus, vel a ſubſequentibus, quæ a nova forma emanant? Non ab his, quia poſteriores ſunt natura, ipſa forma, ſunt enim effectus formæ: non a præcedentibus, quia in eo inſtanti quo non exiſtunt, non poſſunt producere quidquam: ſed præcedentes diſpoſitiones juxta Add. in inſtanti productionis ſeu primo eſſe formæ non ſunt, alias non ſola materia tranſiret a Compoſito antiquo ad novum, prout illi contendunt: Nec bene intelligo materiam diſponi per certa quædam accidentia ad certam formam recipiendam, & tamen diſpoſitiones illas non recipi immediate in materia, ſed in Compoſito ſeu Toto qua tali; maxime cum Thomiſtæ non agnoſcant tertiam entitatem diſtinctam a partibus unitis.

XI. Advertendum tamen, quod qui generationem eſſe putant ultimum terminum alterationis, in quo forma præcedens deſinit (extrinſece) & forma nova perficitur, incipitque (intrinſece) v. g. ultimus terminus rarefactionis aquæ, quo adepto jam eſt aër: tunc verum eſt, quod generatio eſt in inſtanti, & ſimiliter corruptio: ſed hoc idem dicendum de augmentatione & motu locali. Non enim cum Saturnus ad horizontem accedit, ſolummodo localis motus eſt ejus ſola horizontis adeptio, quæ fit in inſtanti, ſed totus præcedens motus: ſic cum generatur homo non ſola unio animæ eſt generatio (alias homo non generat hominem, cum animam rationalem ipſe non uniat ſed Deus) ſed quidquid fit propter ipſam, ſpectat ad ipſam. Eſt enim quædam generatio totalis, quæ ex multis alterationibus & terminationibus & localibus mutationibus præcedentibus conſtat, præſertim in Decompoſitorum generatione, ut cum fit animal ex Elementis præcedit generatio fructus plantæ, vel animalis in cibum, deinde cibus corrumpitur & fit chilus, de chilo ſanguis, de ſanguine ſemen, de ſemine embrio, qui paulatim organizatus fit animal; non ſecus atque ex ligno & fidibus organizatis & ordinatis in unum ad finem melodiæ fit cythara. Verumtamen omnes illæ mutationes non ſunt de eſſentia generationis animalis, niſi remotiſſime & remote, ut dicebamus de Cauſis & cauſationibus: at quod fit in eo, quod eſt prope actum ut in ſemine, hoc eſt organizatio & animatio, dicitur animalis generatio, & quidem eſt ordo fatalis in rebus generationum & formationum, in quo formæ præcedentes ſunt diſpoſitiones ad ſequentes; nec niſi per certas vias poteſt deveniri ad eas, quæ plurimis artificiis conſtant, ſicut non poteſt veniri ad formationem navis, niſi prius ligna cædantur, & areſcant & dolentur & formentur. Ars enim eſt Natura extrinſeca. In omnibus autem his formationibus interveniunt generationes & corruptiones plures, quæ unam integrant: ſicut in nutritione animalis moritur panis ut generetur chilus, corrumpitur chilus, ex quo generatur ſanguis: corrumpitur ſanguis ex quo generatur caro. Et quidem vita hominis totalis ex multis vitis & mortibus partialibus conficitur; ſic etiam generatio hominis, nam nutritio eſt aggeneratio; genitis enim partibus, & per calorem reſolutis ex parte, aliæ ex cibo particulæ aggenerantur eadem ratione, qua in principio generabantur. Etenim conſervatio rerum eſt continuata creatio & regeneratio, & progreſſus & fines rerum in ſuis continentur originibus.

XII. Conſiderandum eſt autem quod in omni mutatione intervenit generatio & alteratio, & motus

localis,

localis, & omnis mutatio simul; nec ulla absque altera perficitur. Recte enim dixit S. Augusti. & cum eo S. Bernarius omnem mutationem esse aliquam mortem. In substantiali, mortem substantiæ, in accidentali accidentis, in motu locali est mors existentiæ in hac parte loci, vel situ, & generatio existentiæ in alio; & mors quietis, & vita motus: & in mutatione relativa moritur similitudo & dextreitas, nascitur dissimilitudo & sinistreitas: in quantificatione moritur parvitas, nascitur magnitudo, & econverso, & in transmutatione perditur informitas & præcedens forma, ut sequens nascatur. Hæc autem fieri non possunt nisi præcedat alteratio, & localis seu situalis mutatio.

Omnis enim mutationis opus fundatur in rarefactione & congregatione, ut Arist. cum priscis Philosophis docuit. Rarefactio autem & constrictio fiunt per frigefactionem, & calefactionem, quæ sunt alterationes materiæ, & generationis caloris & frigoris vel insuper compositi. Vnde non videtur verum, quod motus localis præcedat omnes, ut Aristoteles putat quando Democratizat.

XIII. Quæres: Quomodo differant Creatio, Generatio, Conversio, Transubstantiatio? Resp. Ex dictis patere quod Creatio significet productionem rei ex nihilo tam sui quam subjecti, hoc est, dum ex nonesse sui res transit ad esse, absque ullo subjecto seu materia præsupposita, prout Deus initio creavit Cœlum & Terram. Et hæc sumitur active & passive, active prout tenet se ex parte Dei creantis: passive prout ex parte effectus sive creaturæ. Quod autem producitur non creative, dicitur generari, quia necessario supponit aliquod subjectum, in quo vel ex quo fiat id, quod secundum se nihil erat; quod S. Ptolomæus Diss. 2. Phys-Met. sect. 1. num. XL exemplificat in aqua dum calesit, quia, inquit calor, qui secundum se nihil erat a parte rei, *fit ex ipsa aqua tanquam ex subjecto*: hoc autem ipsum fit ab aliqua causa efficiente seu calefaciente, quæ tamen non est creans calorem ipsum, sed *producens illum EX ipsa aqua*. Non capio, qui ex aqua frigidissima producatur calor ab igne aut Sole; sed calorem communicari aquæ ab igne aut Sole. Nec capio quid sibi velit Chrysost. Iavellus in Epitome sua L. 7. Metaph. c. 6. dum inquit: Constat solum Compositum fieri proprie, & per se, non autem formam, sed illam dicimus *fieri in materia*, id est, *introduci in materia per eductionem de potentia materiæ*. Amabo, quæ confusio & abusus terminorum! quid est introduci per eductionem? Peripatetici cum Arist. 1. de gen. tex. 25. definiunt Generationem (prout distinguitur ab Alteratione) quod sit mutatio ex substantia potentia, in substantiam actu. *Ex potentia substantia, in actu substantiam generatio est*. Quam quidem definitionem non omnes unanimiter intelligunt, quidam enim mutationem realem intervenire volunt ita necessario, ut privationem formæ substantialis introducendæ in materiam; aut ex ejus potentia educendæ velint tempore præcedere debere, nec sufficere prioritatem naturæ. Hinc negant ab æterno potuisse generari equum, eo quod generatio sit essentialiter transitus subjecti a privatione ad formam, qualis privatio eo casu in materia locum non haberet.

Opposito prorsus modo Generationi explicant *Corruptionem*, quæ definitur ex Arist. 5. phys. tex. 7. Mutatio ex substantia actu in non-substantiam actu, *qua vero ex subjecto in non subjectum corruptio est, simpliciter quidem, qua ex substantia ad ipsum non esse est*. Sicut ergo terminus Generationis *a quo*, privativus erat; terminus autem *ad quem* positivus; ita terminus *a quo* in corruptione est positivus & substantia actu, *ad quem* autem privativus, & non-substantia actu. Quod vero in eodem instanti ad corruptionem unius formæ inducatur alia forma nova, corruptioni per accidens est: sicut generationi per accidens est, præcedere aliam formam in materia.

Definit autem substantia naturalis, dum corrumpitur, extrinsece: si enim primum esse ignis, esset ultimum esse ligni; tunc simul in eodem instanti forma ligni & ignis coexisterent: si autem primum esse ignis, ne quidem foret primum non-esse ligni, tunc ante primum non-esse ignis, materia caruisset omni forma, ut patet consideranti. Cum igitur in materia nolint simul admittere duas formas, neque abesse utramque, necesse ut id quod corrumpitur, desinat per primum non esse, adeoque extrinsece, & quod generatur incipiat intrinsece per primum sui esse.

Ex quo sequitur in his idem esse desinere & desiisse, definunt enim cum primo non sunt, quemadmodum in quibusdam idem est incipere & incepisse, mutari & mutatum esse. Nec est quod Honoratus Faber in hoc casu fingat Instans medium, quod mathematicum vocat, inter instans A. desitionis formæ ligni, & instans physicum B. inceptionis formæ ligni. Sicut autem non est per se intenta ab ullo agente particulari, licet sit intenta ab agente universali, quæ omnia ordinat ad statum & bonum totius Vniversi pertinentia, ita etiam non habet per se causam efficientem particularem, nec proprie Vniversalem cum sit non ens.

XIV. *Conversio* definitur, quod sit transitus unius Compositi in aliud, sive Generatio Conversiva juxta Arist. Lib. 1. de Gener. *Est mutatio totius* (nempe Corporis naturalis *in totum* (sed non totaliter) *nullo sensibili remanente ut subjecto eodem*. Obscura definitio, ait Ptolomæus, nisi ab eodem Aristotele explicata fuisset, idque dum definivit alterationem pariter conversivam hoc pacto: *Alteratio est dum eodem sensibili remanente, ipsum* (subjectum) *transmutatur secundum qualitates*, hoc est secundum accidentia ut cum aqua ex frigida fit calida. Vnde datur intelligi, quod illud subjectum sensibile remanens in alteratione, & non remanens in generatione est ipsum corpus naturale in instanti antecedenti existens, quod est sensibile per accidens.

Differt a Generatione, quod hæc tantum dicat transitum a non esse ad esse in subjecto: Conversio vero ab esse ad esse, sive requirat Terminum *a quo*, & *ad quem* positivos.

XV. Notandum autem bene, Tam illud aliter, quod immediate antea afficiebat ipsum mutabile (quod est idem ac *terminus a quo*) quam illud aliter, quod immediate post afficit idem mutabile, & est idem ac *terminus ad quem*, dividi in *totale ac formale*, videlicet in terminum a quo, qui sit collectio ex ipso mutabili, & ex modo, quo se habebat in instanti antecedenti, & dicitur *terminus a quo totalis*. Terminus vero *formalis a quo* est ille solus modus seorsim sumptus ab ipso mutabili, qui modus erat immediate post item seorsim sumptus est *terminus formalis ad quem*. Hæc

trica terminorum a quo & ad quem memoriæ bene imprimenda est, & hi utrique denuo subdividuntur in positivos & negativos. Vnde fiunt istæ diversæ Classes mutationum. (1.) a negativo ad positivum. (2.) a positivo ad negativum. (3.) a negativo & positivo ad positivum & negativum. Exemplum primæ mutationis est, cum paries ex non albo fit albus. Secundæ, eum aqua calida fit non calida. Tertiæ, cum a privatione formæ ignis & a forma ligni mutatur materia, dum comburitur lignum, & transit ad formam ignis & ad privationem formæ ligni. Ita Ptolom. L. cit. num. 15.

XVI. Nota insuper Conversionem aliam dici *Totalem*, quando materia & forma (subjectum seu mutabile & modus) desinnnt in aliud totum; quæ quidem Conversio non est Generatio, sed supernaturalis metamorphosis in mysterio Eucharistico tantum reperibilis, in qno convertitur substantia panis in corpus Christi Domini: istaque Conversio vocabulo Ecclesiastico dicitur *Transubstantiatio*, in qua nil substantiale omnino remanet, sed solæ species panis & vini repræsentantur sensibus. Alia Conversio dicitur *Partialis*, quando vel sola materia est alia, vel sola forma. Si tantum sit alia materia, remanente eadem forma, prout contingit in nutritione & augmentatione hominis, dicitur *Conversio materialis*: si forma sit nova remanente materia antiqua, prout vulgo fieri dicunt in ignitione ligni, dicitur *Conversio formalis*.

Igitur ad Conversionem requiritur. (1.) ut fiat inter duos terminos positivos. (2.) ut id quod convertitur desinat esse secundum aliquid sui, & id in quod convertitur, incipiat esse, uti fit in conversione ligni in ignem. Dixi *secundum aliquid sui*, eum enim id quod convertitur, desinit esse secundum totam substantiam, tunc ea conversio superat naturæ vires, vocaturque Transubstantiatio. (3. ut sit connexio & dependentia inter terminum a quo, & positionem termini ad quem; alias non foret conversio unius in aliud, si uno incipiente alterum solum eoncomitanter desineret. (4.) ut remaneat aliquid commune utrique termino, nempe vel eadem materia, vel eadem saltem accidentia prout in Conversione Eucharistica. Circa quod tamen Mysterium adhuc inter Philosophos Catholicos disceptatur, an *τὸ remanere* tam stricte accipiendum sit, ut eadem accidentia numero & in individuo perseverent in pane consecrato, puta figura, albedo, calor, quantitas, gravitas &c. quæ fuerant in nondum cosecrato. Hæc enim ab Ecclesia necdum legimus definita, nec Concilia videntur hanc quæstionem philosophicam decidere aut examinare voluisse prout alibi jam diximus.

XVII. Vlterius, ne quandoque hæreas in isto termino *Generatio*: rursus illum divide in generationem corporis naturalis inanimati, v. g. mineralium, lapidum &c. & in generationem viventis, sive illud vivens sit corpus, sive spiritus. Interim

Nota *nasci* proprie esse Viventium, puta Plantatum, animalinm bturorum & hominum: improprie enim dixeris & rhetorice: natus est ignis.

SECTIO II.

Atomistarum opinio circa genesin refutatur.

Horum sententiam fuse refert & refellit P. Balthasar Stromayr S. I. ex cujus thesibus sequentia desumpsi. Non alia, inquit, in Atomistarum Principiis, naturalium rerum generatio est, quam atomorum diversa combinatio, atque coagmentatio. In simplicium equidem inanimatorumque productione non perinde magnas Democritus Cartesianisque occurrere difficultates, non abnuam; plantarum vero ac animalium genesis, quo pacto expediri per atomos possit, non facile quisquam dispiciat.

XVIII. De Plantis expendamus nonnulla. Est vero in illarum ortu, quod non parum atomistis favere possit. Quædam enim non raro plantæ sponte nascuntur, radice nulla, nulla stirpe, nullo semine prognatæ. Asarum, sive sylvestre nardum e muris nonnunquam excrescit. Quædam Adianti species prope puteos progerminat. In Lybia Laser, in Creta Cypressos, e diversis terris virginibus, ut vocant, nullo impregnatis plantarum semine, diversas tamen pullulare plantarum species, Theophrastus Author est. Farris spicame mulieris naso; hederam e cervi cornibus; platanum aliquando ex æneo tripode procrevisse Dioscorides, Plinius & Plutarchus memorant. Quæ vero tam fortuitæ generationis melior, quam fortuita causa, fortuitus nempe atomorum recte consentientium occursos, atque conjunctio assignari queat? Nempe ut ait Antonius le Grand hist. nat. part. 7. art 6. "Generantur plantæ absque radice aut semine, dum insensibiles terrestris materiæ partes in superiore terræ crusta a subtili materia agitatæ, talem figuram adipiscuntur, eumque situm & motum obtinent, quæ ad primam stirpis formationem requiruntur: quo veluti jacto fundamento cæteræ partes producuntur, dum succus nutritius per primum illud, rudimentum ascendens partes dilatat, eisque certam, figuram tribuit."

Enimvero imperceptibile atque a vera ratione alienum hoc ipsum est, posse sola subtilis materiæ agitatione, & varia, tam inconstanti, tam facile leves, si quos fecisset in materia terrestri delente ductus, tam nullam habente formatricem vim, efformari tam accurate, tam ad amussim, tam juxta certæ speciei exigentiam, corpus plantæ tanta partium varietate, tanto organorum apparatu instructum, fabrica forte fortuna resultante tanta, quantam ingenium absque humana, cui insuperabile prope nihil est, nisi quod supremum Numen suis abscondit in thesauris, nulla excogitare industria, ac conatus nullus queat assequi, vel etiam imitari. Tum, tametsi agitatione illa e terrestri materia effingi plantæ figura posset, quis illico plantam ideo fore credat? Mixtum sane hæc perfectum est; non terrenam solum præfert indolem. Vivens est, functiones certas vitales eliciendi vim habet, mira humanis corporibus medendi vi pollet. Quis hæc a sola terrestri materia, quantumvis mulrum exagitata a materie, nescio qua subtili proficisci posse somniet?

Rationalibus certe philosophantur, qui ad perficiendas exoticas istas geneses ac alto causam petunt, cœlestesque, Solis maxime ac cæterorum errantium siderum vires in subsidium vocant. Cum enim nobilissima illa corpora fœcundo complexu totam sublunarem naturam ambiant, luce collustrent, calore foveant, influxu stimulent corporeas omnes substantias: neque obscuræ sint, quæ ad diversos illorum situs, aspectus, conjunctiones oppositionesque in mundo hoc inferiore consurgere solent, mutationes; non leve utique duci solet ex illis argumentum, ad derivandam cœlestium virtutum in peragendis vegetabilium ac animantium generationibus operam.

Non

Nnn tamen ego hic assero totum sublunares procreandi substantias onus sideribus imponendum esse. Nec enim improbabilis est, nec aliena a Stagyritæ atque Angelici Doctoris mente Panspermia illa a Peripateticis non paucis asserta (de qua supra mentionem fecimus) qua putant, jam inde a sua origine impregnatam diversis plantarum seminibus a Conditore DEO tellorem esse, quæ, si benignus accedat siderum aspectus, nativas suas vires exerant, ac inopinato herbas plantasque omnigenas progermineet. Fieri quin etiam potest, ut elevatæ cum vaporibus seminales rationes, dehinc cum pluviis deciduæ, peregrinarum forte herbarum seminium regioni cuipiam impertiant. Atque inde fortassis est, quod Physiologi memorant, ut post imbres magnos in Cyrene quondam ingen sfubito e terra sylva pullulaverit.

Novi equidem Atomistas quoque Democriticos ac Cartesianos in explicanda plerarumque plantarum generatione ad seminariam virtutem recurrere. At enim qua via ex illorum principiis hanc extundas, non reperies facile. Quid enim aliud semen in illorum principiis & hypothesi esse possit, nisi coagmentatæ fortuito atomi, vim agendi sortitæ nullam, nullam figuræ certæ, certæ complexionis, nulla formatrice pollentes facultate, essentialem specificamque diversitatem inter se obtinentes nullam, nullam peculiaris temperiei, specialium proprietatum habentes radicem aut exigentiam. Verbo, fortuitis pene ac temerariis subtilis materiei subjectæ agitationibus minutiæ. Seminalis vero isthæc virtus quid ad plantarum genesin conducat?

Quid ad animalium? Age, imperfectarum etiam animantum spectemus genesin, quam apte consentiant illi Atomistarum principia, videamus. Generantur animalcula aliquammulta absque congressu, veluti sponte sua. Ex humanis corporibus pediculi, acari ac cimices; e vestibus tineæ; cossi ex ligno, ex caseo termites; blattæ ex libris, e pulveribus pulices, e quisquiliis enascuntur quandoque mures: ex fimo bubulco scarabæi; ex humore roscido papiliones ac locustæ; e putrescentibus aquis tipulæ; sui fere ex quovis pomorum genere vermiculi. Edicant Democritici ac Cartesiani, quænam atomorum moleculæ, quæ illarum figuræ, quis motus, quæ agitatio has animantes compagiœt animetque?

Audiamus prænominatum D. Le Grand Cartesii asseclam hic prope factum Peripateticum. Ita ille histor. natur. parte 8. art. 1. de hac geneſi disserit: Quidquid in natura gignitur, a semine promanat, & nihil casu aut ludente natura in terra producitur. Verum est, pergit, quod illa semina potissimum interna sint, & non semper oculis sese offerant, sed talia in corporibus latere negari non potest, cum videamus pediculos, erucas, tipulas &c. apprime elaboratas esse, & omnes inter se partium similitudine convenire. Quippe nihil illis ad perfectionem deest, & non minus quoad internas quam externas partes completæ dicuntur.

Belle omnino, sed pro Peripat. & contra se. Nam utut ejusmodi seminium negari non possit, a Cartesianis tamen nequit sustineri. Præter mobilitatem ac figurationem in moleculis suis agnoscuot ipsimet nihil, longissime vero hæc a virtute seminali absunt, quam suadente ratione convincente experientia statuunt Peripatetici.

Sed protestatur Cartesianus noster! ita enim pronuntiat: Non autem hic motus temere & casu perficitur, sed juxta naturales leges ac vires seminarias, ex materia scilicet idonea & calore determinato procedit. Quo fit, ut ita exagitatæ materiæ partes, non modo ad cordis venarum formationem, & earundem cum arteriis unionem cocurrant: sed etiam ad præcipuum cerebri sensorium, & fibrarum, nervorum & spirituum motorium concinnandum; quibus suppositis, ad perfectiora instrumenta fit progressus, ad ea nimirum, quæ sensationi, locali corporis motui inserviunt & famulantur.

Nempe historice narrata sunt hæc: fidem haberi postulat? sed rationem nos petimus. Motus hic seminalium particularum non temere, non casu perficitur, quia juxta Naturæ leges, juxta seminarias vires, directrice virtute blastica, juxta systema Idearum. Hic Rhodus, hic saltus! Id ostendant Cartesiani (quibus addo Thomistas ex sua materia prima denudata) oportet, si in censum Philosophorum admitti velint. Quasnam vero illi leges naturæ in suis principiis adducent? an intrinsecas illas atque insitas creatis rebus? at præter molem, figuram, mobilitatem nihil omnino, uti contendunt, inest; non exigentia, non agendi vis, non sese movendi virtus; operatio ab illis procedere potest nulla: nulla igitur naturæ lex, nec natura illis indita est; extremo subjacent moventis imperio & arbitrio. Non perspicimus quasnam Naturæ, & cujus Naturæ, leges crepent? An vero ad extrinsecam Naturæ legem subtilis Philosophi sese attollunt, quæ in mente ipsa ac providentia consistit summi omnium Conditoris? At non aliunde hæc Deo nomenclatio accedit, nisi quod activæ ejus ordinationi ac sapientiæ, passiva quædam in ipsis rerum diversis consistens exigentiis, respondeat: istam igitur si tollant, activam pariter naturæ tollant legem necesse erit: nullæ igitur naturæ leges in illorum principiis erunt, obtrudere illas nobis aut jactitare non possunt. Hucusque cit. Stromayr.

SECTIO III.

Sententia verisimilior circa Genesin proponitur.

XIX. Diximus alibi Massam illam Chaoticam (per quam intelligimus Materiam primam) quam in Principio creavit Deus, panspermia seu semine universali impregnatam fuisse: eique inditam Animam seu Spiritum Mundi, seu Entelechiam per modum formæ cujusdam universalis, quæ deinde variarum idearum evolutionem, juxta Archæi diversi ordinem determinetur ad diversas in particularibus compositis edendas operationes, ipse velut Proteus, cuique proprias. Supponimus ergo duo hæc Principia: activum unum, alterum passivum. Ex his, accedentibus Elementis in se invicem agentibus juxta Necessitatem, Fatum & Harmoniam, superfluas ducimus omnes formas substantiales Peripateticorum absolutas (animam rationalem semper exceptam volumus) iisque substituimus Ideas rerum evolutas. Animas autem brutorum præter Archæum agnoscimus nullam; cui facultatem operandi vitaliter tribuimus ex Primalitatibus sæpedictis, Potentia, Sapientia & Amore, sive Potentia, cognitione & appetitu. Ponimus enim sensum in cunctis rebus *Naturalem*; in Brutis sensum *animalem*; In homine præter hunc, *rationalem* quoque. In Angelis sensum intellectualem; in Deo sensum *Divinum*. Iam autem

 juxta

juxta ipsosmet Add. ut habet in terminis Author libelli La Recherche de là verité. Toute supposition, qui peut satisfaire à la resolution de toutes les difficultez, que l'on peut former, doit passer pour un principe incontestable, L. 2. c. 7. tom. 1.

Postulamus itaque concreatum Mareriæ Spiritum hunc (quocunque velis nomine vocari) cujus propria est virtus plastica sive formatrix singulorum individuorum partiumque organicarum, aliæque innumeræ virtutes invisibiles & proprietates, quas in Vniverso cernimus, veluti specula Omnipotentiæ sapientiæque Divinæ, juxta cujus ideas æternas hæ sunt formatæ. Quis enim gemmas pretiososque lapides tot coloribus, tot figuris, rotundis, angulosis, polygonis elaboravit, nisi seminis universalis vis plastica sociata magneticæ, quam & *corradiativam* vocamus, qua sola partes similes ad partes sibi similes miro quodam appetitu confluunt. Quis in vegetabilibus radices, scapum, ramos, flores, folia, fructus tanta varietate colorum partiumque distinxit? Cerre non nisi sola vis plastica seu formatrix? Quis in sensitivorum corporum fabrica extendit nervos, venas & arterias excavavit? ossa solida medullis implevit? quis canales pertudit, carnem reddidit spongiosam, cutem poris instruxit? quis totam denique tot differentium animalium constitutionem in tales figuras reduxit? Sola vis plastica, spiritus polymorphus, artifex Naturæ. Hæc & similia complura in favorem hujus Cosmo-pnevmaticorum sententiæ afferri possent: at unicum est quod desiderem dilucidari: Vnde Architecto huic tanta sapientia & judicium ad tam stupenda & artificiosissima opera elaboranda? Humanam excedunt longe industriam & ingenium hæc Naturæ phænomena, Angelicum, imo divinum quid sapiunt hæc portenta. At Spiritum hunc Mundi materialem volunt, nec excedere elementarem sphæram, longe infra dignitatem animæ rationalis, nemo enim libero eum donavit, quod sciam, arbitrio, nemo capacem meriti aut demeriti, rationis tamen non qualiscunque capacem quis neget? Hæc nisi declarent, malim cum Thoma Campanella, Officium tam nobile & excellens committere Angelicæ potestati, quam ignoto cuidam Polymorpho aut Proteo.

XX. Videamus nunc quomodo Semen universale ad genesin metallorum mineraliumque concurrat. Supponimus cum Athan. Kirchero, semen istud ex Elementis & ætherei ignis portione constitutum, (Spiritum Sulphureo-salino-Mercurialem ipse vocat) quo sensu alibi explicuimus, nempe non quod ex sulphure, Mercurio ut sale minerali actu constituatur, sed quod ejus virtus in sulphure, Mercurio & Sale tanquam ingenuinis subjectis potissimum resideat & elucescat: cum nihil sit in rerum natura quod *Ignem* sive *calidum radicale* magis redoleat, quam *sulphur*, & reliqua ex eo nascentia corpora, eo quod subito in flammam exardescat, exsiccativa & oleaginosa quadam virtute, reliquisque igni congruis virtutibus & proprietatibus polleat: Nil *humidum radicale* aquea & aërea sua substantia proprius referat, quam *Mercurius*, seu argentum vivum; in quo aqueum sicco, subtile grosso, leve gravi mira ratione conjunguntur. Quid tandem terrestris consistentiæ molem exactius exprimit quam *Sal?* qui omnibus rebus duritiem & soliditatem præbet. Attamen reliqua duo, Sulphur & Mercurium ita intra se complectitur, ut a se invicem nulla ratione separari posse videantur. Hæc enim Salis substantia virtute sulphurea & mercuriali quadantenus vestitur eo fine, ut cum ignis & aqua ex se & sua natura, illa tum ob levitatis, hæc tum ob fluxulæ naturæ conditionem subsistere non possint, a sale naturæ suæ nanciscantur soliditatem & consistentiam. Vnde in Sale illa ita includuntur, ut una res triplici virtute constituta videatur, in qua gloriosus Deus primordiali creaturæ suæ, veluti rerum omnium futuro principio sacrosanctæ & ineffabilis adorandæque suæ Triadis signaculum impressit.

XXI. Et quemadmodum hæc pro Principiis physicis: sic Primalitates (Potentia, Sapientia, & Amor) principia metaphysica, aut rectius Primordia statuuntur & vocantur, quoniam ex ipsis, quatenus unum sunt, Entia primitus essentiantur primo & prima, & præcedunt Principia, sicut essentialitas facultatem, quæ est principium, ut respicit ad extra: intus enim non est principiatio, sed essentiatio, & habet similitudinem cum omni causarum genere maxime autem cum materiali, sed materialitate longe divinioris generis: & non sunt partes sed quasi partes integrales, & simul potestativæ entis, divisæ rationibus formalibus fundamentaliter ex natura rei, non autem realiter. Elementa autem seminis hujus naturæ universalis seu Spiritus salino-sulphureo-mercurialis vult esse quoddam vehiculum & materia remota Kircherus. Et in Sale quidem naturæ triplex hoc principium latet, in quo terrenum elementum prædominium habet: in Mercuriali corpore pariter hæc tria latent, sed sub prædominio humidi; in sulphure vero eadem reperiuntur sed sub prædominio calidi & sicci.

XXII. Vnde a Philosophis unumquodque horum non incongrue *Ignis Natura* ab Alberto; *Semen Mundi* a Platone, ab Arist. ἐντελέχεια, sive rerum omnium vis motrix, ab Hermeticis vero *semen naturæ*, ex quo omnia sensibilia originem suam nanciscuntur.

In quo & hoc admiratione dignum occurrit: siquidem id terrestribus matricibus concreditum fuerit, id pro ratione matricis, aut minerale aut metallicum corpus, aut quodcunque tandem inanimatum corpus producit: hoc pariter a vegetabilibus attractum in semen vertatur animatum: hoc iterum a sensitiva natura in nutrimentum assumptum in id transmutatur, a quo primum ortus sui primitias obtinuerat: adeoque in fossilibilibus ejusmodi semen fit inanimatum; in vegetabilibus anima vegetativa; in animalibus denique virtute vegetativa & sensitiva, pro ratione mixti, cui jungitur, polleat. Mixtum enim qualecunque demum fuerit, nihil aliud in se ipso reperiemus esse, quam semen hoc universale, quod seipsum in individuum ac speciem in eodem mixto particulari, cooperantibus remote Elementis, redegit: forma enim ipsi illi inexistens hujusmodi semen universale ad individuum ac speciem traducit ex centro seminis, sub varia materiæ dispositæ combinatione egressa. Ita Kircherus.

Ex quibus observo Kircherum distinguere formam a semine hoc universali, quæ Ioanni Marco Marci est proprie Spiritus Mundi, quem determinant Ideæ ad certam speciem, operationesque cuivis convenientes exercendas.

Nota hic obiter quæ idem Author Lib. 12. Mundi subterr. sect. 1. cap. 9. de tubere cervino tradit. *Tuber cervinum* dicitur oriri ex semine cervino, Laterque

sub

sub terra, quod produnt cervi ibidem scalpendo, refertque figuram mentulæ.

XXIII. Ex quibus aperte conjicio, inquit, tuberis cervini exortum esse ab anima seu vegetabili sola, seu sentiente mirum in modum labefactata, quæ in semine Cervi projecto in terram, [masculi aut fœminæ sit] non amplius ut forma in materia [nam semen refrigeratum moritur & infœcundum redditur] sed ut in vase retenta, ab aliquo gradu caloris in ea viscida materia diutule conservato; dum scilicet a calore ambientis succus terrenus illi semini commissus apparatur ad vitam, & idem apparatus latentem in materia spermatica, velut in vase animam, accipit in formam substantialem, qua constituitur in *esse tuber* plerumque *informe*, nonnunquam etiam *virgam* referens, unde semen illud proxime diffluxit. Sunt enim, referente Matthiolo, qui genus aliquod reperiri dicunt erectæ virilis mentulæ forma, adeo ut in altera detecta glans, in altera globuli quidam, testiculos referentes conspiciantur.

Ex quo discursu habetur 1. animam cum semine decidi. 2. semen in animante animari. 3. posse animam in subjecto existere ut in vase, absque eo quod tribuat effectus suos formales, quæ omnia vulgaris Philosophiæ principiis non concordant.

SECTIO IV.

De Metallorum Genesi juxta mentem P. Athan. Kircheri.

XXIV. Vulgi fabula est Solem in intimis terræ visceribus excoquere aurum, quasi vero solares radii ultra reflexionis punctum tendentes intima terræ penetrarent, cum constet per reflexionem in superficie factam inde Atmosphæram calefieri. Campanella quidem L. XI. Met. c. 7. art. 5. putat ad duo circ. milliaria solis calorem penetrare superficiem Terræ, & ibi generare aquas, metalla & voragines ignis, si non ab inferis expirant.

Fit ergo Auri cæterorumque metallorum concoctio per alembicos subterraneos Aërophylacia, pro cujus intelligentia Notandum ex Itiner. Extatici 1 t. Dial. 3. pag. 663. Omnia & singula Elementa juxta Divinæ Sapientiæ leges archetypas purissimum sui ipsius, semen videlicet in alterum Elementum sibi inferius projicere. Hoc pacto semen cœleste primo communicat aëri, hic illud aquæ, hæc sibi illud intra terræ viscera traductum interioribus partibus varie digestum coctumque communicat. Ex hisce intra Geocosmi uteros varie commixtis, mediante igne, nascitur vapor, qui in liquorem tandem resolutus per poros & fibras terræ continua & iterata circulatione, veluti per multiplicata quædam Alembica depuratus defæcatusque unctuositatem quandam, seu aquæ viscosum, omnium metallorum materia proxima. Hoc itaque continua concoctione ac digestione depuratum tandem in terram salsuginosam convertitur, quæ continua liquoris sui irroratione soluta, per poros & fibras terræ quasi filtrata, sublimataque ab omnibus terrestribus lutosisque recrementis eousque depuratur, donec *sulphuris* cujusdam *candidissimi & incombustibilis* formam induat: quod sulphur hoc pacto lotum defæcatumque in concavis & saxeis telluris fibris conclusum, tum calore subterranea superveniente, tum sui ipsius proprio calore interno magis magisque decoctum tandem in Argentum fixatur.

XXV. Hic observa Expertissimum D. Boyle ridere prænotatos terminos inquiens, quando docent Chymici, Aurum (nonnullaque alia metalla) *incombustibili sulphure* abundare, ea dicto æque sana est, ac si dicas: *Nox Sole collustrata, vel glacies fluida.*

Si porro hæc eadem materia intra intima rupium, id est sulphur hoc candidum & incombustibile, eousque adhuc fortioris ignis æstusque vehementia concoquatur, donec rubedinem acquirat, venæque sint ex purissimo sine ulla lutosæ & argillaceæ materiæ mistura saxo: tunc longo temporis spatio, nec non proportionati teporis concoctione, tandem in Aurum purum degenerat, cujus venæ partim cæruleo, partim aureo colore coruscant.

Præterea si humidum illud unctuosum viscosumque aquæ lutosis excrementorum terrestrium quisquiliis vitiatum contaminatumque coctione diuturna figatur, necessario inde imperfectum metallum, & tanto quidem imperfectius ignobiliusque nascitur, quanto materia, cui miscetur, sordidior fuerit. Hinc cernere est virides strictasque mineras Cupri seu æris, quæ ex rubro quodam sulphure sed impuro & minime fixabili constant: hinc metallum imperfectum, videlicet *Cuprum* evadit, quod nihil aliud est, quam corpus metallicum durum ac solidum, fusibile & malleabile, quod ab humido viscoso aquæ & aëris lutulenta materia contaminato, nec non sulphure rubeo impuro & adusto infixabili delibuto producitur.

Iterum si intra humidum illud unctuosum viscosumque unicum metallorum semen inciderit in venas terræ innumeris heterogeneis excrementis refertas, cum sulphure crudo & indigesto turgeat, nec sese a tantis excrementis & scoria expedire possit; coctione tandem in metallicum corpus imperfectum congelatur, quod *Ferrum* dicitur. Quod vero difficilis sit fusionis, & durissimæ substantiæ, istius causa est, tum salis & sulphuris crudi abundantia, tum paucitas Mercurii hylæi: hinc maxime illud corruptioni obnoxium esse, rubigo sat superque ostendit. Si quis tamen id ab impuritatibus suis eximere nosset, is haud dubie inveniret sub eo, quod chymici tam anxie hucusque quæsierunt. Hoc minerali totam saxeam Geocosmi a polo ad polum compaginatam structuram Magneticam Natura voluit esse refertam.

Ex defæcatiore ferro fit Chalybs, quem Mechanici certa ratione norunt attemperare, ut glyphia, terebra, elastra &c. inde fabricentur: quam praxin hoc loco in gratiam curiosi lectoris (quamvis huc non pertineat) annectere volui. Est autem talis. Primo tenuis chalybs attemperandus durari debet, tantam ejus partem, ac requiritur in prunis ardentibus excandefaciendo; non tamen extinguendus est, quam primum tollitur ab igne (id quippe nimis fragilem illum redderet corrumperetque) sed tenendus super pelvi, cui inest aqua, donec candore ad rubedinem transeat, quam ut primum perceperis, extemplo tantum ejus, quantum durare cupis, in frigida extinguas. Chalybs hac ratione duratus (siquidem bonæ sit notæ colore erit ad albedinem vergenti, estque ad nitorem in extremitate poliendus, ut colorum in eo mutatio inibi sit conspicua; tum vero ipsum ita tenens in flamma candelæ, ut tersa ejus extremitas ad semi-pollicem circiter vel ulterius, extra flammam porrigatur, ne fumus nitorem illius inficiat oblinatve, videbis, aliquanto post, tersum illud extremum, quod flammæ fere est

contiguum, celeriter admodum ab uno ad alium colorem, a florido quippe flavo ad flavum magis faturum & rubefcentem, quem Artifices *fanguineum* vocant, indeque ad languidum primo, poftea ad faturiorem colorem cyaneum tranfire. Si tollatur a flamma & confeftim in Sebo extinguatur in quacunque fuerit temperie, in ea figetur. Quando colore eft flavo, talem habet gradum duritiei, qui aptum eum reddit glaphiis, terebris &c. fin vero per pauca quædam minuta diutius in flamma detineatur, donec colorem adfcifcat cyaneum, nimis mollefcet & ineptus reddetur ad prædicta inftrumenta, fed commodus erit ad elaftra pro horologiis conficienda &c. Si Inftrumentum conficiendum majus fit, poterit chalybs loco candelæ imponi vecti ferreo candefacto tamdiu, uti fupra &c. Ex Leone a Stipite. Si plura requiras, vide Phil. Burgund. tom. 4. tract. 3. cap. 4. De vi Elaftica.

XXVI. Stannum eft corpus metallicum durum & firmum, facilis tamen fufionis, ductilis naturæ & malleo obedientiffimum, ex abundantia five exceffu humidi unctuofi & vifcofi, puri tamen copia natum: quia vero cruditate & incocto fulphure exiguæ quantitatis conftat, & volatilibus fpiritibus, turget, hinc perfectam fixionem non fuftinet, fed ignis vehementia facile in auram evaporatum evanefcit. Unde fi fulphuris cocti perfectio refponderet perfectioni humidi, illud haud dubie cum tempore in argentum evaderet.

Plumbum in hoc folum differt a ftanni natura, quod uti hoc puro humido, unctuofo vifcofoque, illud ita impuro & fæculento fulphureque excrementitio ortum fit. Et hæc breviter de genefi metallorum.

XXVII. Argentum vivum vulgare, feu hydrargyrum (qui & Mercurius) nihil aliud eft Kirchero, quam humidum unctuofum vifcofumque aquæ & aëris leviter coctum digeftumque, quod quidem proxime non concurrit ad metallorum generationem, fed in centro ejus latet humidi radicalis vifcofi, ex aqueo & aëreo femine conftituta portio, qui verus ille a Philofophis intentus Mercurius a fulphure & fale naturæ infeparabilis, invifibilis & incorruptibilis dicitur, ad omnium metallorum mineraliumque compofitionem concurrens.

Eft tamen communis Mercurii hujus fubftantia miris naturæ dotibus inftructa, ex humido æque & ficco, ex calido & frigido pariter temperata: unde ob innati calidi in centro ejus latentis abundantiam in perpetuo quidem motu eft, ob ficcitatem vero ei concentratam nihil, quod tangit, madefacit: miranda quadam naturæ libertate gaudens: neque ad humidum magis quam ad ficcum; neque ad calidum magis quam ad frigidum determinatur, quamvis manifeftam qualitatem in humido, occultam in calido maxime exhibeat. De Mineralium lapidumque pretioforum productione in particulari videatur idem Author in fuo Mundo fubterraneo.

De Mercurio, qui proprie Metallicum principium & metallorum materia eft, negat Leo a Stipite reperiri in Vegetabilibus & animalibus; ficut nec fulphur. Secus fentit de Sale, quod principium vocat valde mirum, quidquid enim in plantis acidum eft, a Sale provenit: quod vero alcalicum, fal fixus eft ob compofitionem.


SECTIO V.

De Generatione Vegetabilium.

XXVIII. Mirificam plantæ generativam actionem concipere licet hoc modo: Cœlum in intima Terræ vifcera, ceu in Matricem quandam, fubtiliffimum fuum femen, mediante aqua, projicit, quod una Elementorum fubtilioribus particulis commixtum Archeus caloris nativi intra Geocofmum artifex (juxta phrafin Kircheri) vapore fublimat, qui per univerfos telluris poros delatus vapor, atque in aquam denuo frigore condenfatus, verum fit vegetantium alimentum, quod a plantarum radicibus attractum, coctum, digeftumque in fui fubftantiam convertitur & fit vegetabile. Ex alimenti vero hujus puriori fubtilioreque parte five femine anima exoritur intra intimos partium finus latentes diffufa: ex craffiori vero alimenti parte corpus exterius ac vifibile plantæ fit, videlicet fcapus, cortex, ramus: ex fubtilioribus vero effluviis in craffiore fedimento exiftentibus fiunt flores & folia, & ex foliorum florumque fubtilioribus particulis fit fructus; ex hujus tenuioribus partibus tandem fit femen, in cujus medio, velut in corpufculi centro latitat vis illa fpermatica vere admiranda & ipfa anima vegetabilis, quæ idealiter eft arbor virtualis cum radicibus, trunco, ramis, foliis, floribus, fructibus, quibus tota vegetabilium fubftantia componitur: ut proinde vel hinc divinæ potentiæ magnitudinem agnofcas, quæ tam exiguæ portioni, quæ vix octo millefimam ducentefimam feminis partem æquat, tantam ad fimile fibi producendam facultatem indiderit, & quæ vix atomi quantitatem ad fpermaticum fuum corpus comparata exæquet, in præamplas tamen & altiffimas arbores enafcatur. Quæ & fola fpermatica portiuncula in fua operatione incorruptibilis perennat, reliquis omnibus plantæ partibus corruptioni obnoxiis. Quod enim fpiritus vitales in Microcofmo, id in Phytocofmo id eft plantali Mundo fpiritus appropriati præftant, cum per univerfas totius corporis plantæ minutiffimas portiunculas virtutes & facultates vegetantis animæ deferant.

Hoc igitur modo concipiatur femen, quemadmodum aër plenus ejusmodi picturis, in quo radii, mille modis fe interfecantes, vario incurfu fimul confundunt & explicant non una ratione figuram. Et ut rem in τύπῳ ftatuamus, fit Figura plantæ ex femine recens ortæ, cujus centrum evolutionis in A. in quo neceffe confundi fpeciem totius plantæ: & non modo inde truncum, ramosque, verum etiam folia, flores, baccas, radicemque ac fibras fuam accipere ideam: neque poffibile folium aut baccam nafci, nifi illius fpecies eousque confufe delata, incipiat prius diftingui. Itaque omnium foliorum & florum & baccarum fpecies convolutæ latent in ramis: & non modo in his, verum etiam in trunco, ex quo germinant rami. Nam cum ex centro A. incipit fpecies efferri, primum quidem feminis pulpa fuam portionem inde capit, quæ protinus evolutione perfecta, confumitur in prima folia B. C. ex quibus five defluant, five perfiftant, nihil præterea figuratur; fiquidem fub illa portione fpeciei, non alia reftat evolvenda.

At



At vero species reliqua, nova evolutione funditur in radicem fibrasque; alia in truncum ramosque assurgit. Et licet illa pars, quæ truncum ramosque procreavit, in sua membra tum distinguatur: reliqua tamen, quæ folia, flores, fructus suo tempore dabit, confusissime defertur, quia nimirum ob mutuam colligationem nequit divelli, & ob ordinem, quem habent species, nequit evolvi prius, quam illa species,cui proxime unitur, sit evoluta.

Itaque idea fructus K. quia cohæret speciei I. non ante ipsam evolvitur; & I. non ante H. & hoc non ante G. & F. & sic deinceps; atque ita K. I, H. G. E. in D. & omnia simul in A. sunt confusa & convoluta. Dum vero aliqua species est in fine Evolutionis, ipsa quidem non transcendit hunc terminum: at vero tum aliam excitat proxime cohærentem, quæ & ipsa incipit evolvi. Igitur A D E. ex puncto A. in quo confusa latebat, facta evolutione ad E. pertinget. Et quia ad ipsum E. extremum dictæ speciei terminum, alia cohæret, nimirum E H. eousque aliis confusa, hæc dum dearticulatur in sua membra: nequaquam species H I. I K. siquidem nulla dictarum species proxima attingit ipsum E. tametsi simul confuse ferantur, quia nimirum K. I H. in E. continentur.

Hujus autem signum, quod rami ex arbore præcisi in novas abeunt frondes, & oculi avulsi in arbore peregrina producunt folia, flores & fructus avitos: quia nimirum in parte alias antecedente, omnium species latent convolutæ eorum, quæ postea inde enascuntur.

Verum dicet aliquis; si in semine plantæ illius species continentur, qua ratione eo se inserre potuerit? nam si a centro eousque se extendit, cum semen omnes alias partes sequatur, necesse omnes illas partes seminificas esse, atque ita non minus ex fronde, aut arboris trunco seminaris, arbores pullulare, quod non nisi in paucissimis fieri videmus. Tametsi enim salices & aliæ quædam plantæ hoc pacto ferantur, non tamen hoc omnibus est commune: sed aliæ quidem ex semine pullulant, aliæ surculis, aliæ radice aut propagine fœcundantur. Quæ itaque se totis, & non aliqua sui parte in novos abeunt frondes, ut salices, quarum exsucci atque usu attriti rami reviresc unt, enatisque frondibus late luxuriant: necesse non modo ex illo centro speciem evolvi, verum ipsum quoque centrum ad illas partes seminificas transferri.

An vero in omnibus plantis, an in quibusdam ea ratione centrum proferatur, est incertum. Nam quo minus ita sit, nihil obstare videtur, quin ratio id ipsum suadere. Etenim substantia seminis figuratur in singulas partes, non modo centro vicinas, sed etiam longe dissitas. Igitur unaquæque portio plantæ continebit aliquid seminis, ac proinde confusam speciem illius plantæ, quæ non minus est in uno puncto, quam in toto reliquo semine. Et cum partes postea extenduntur, non est existimandum, ex interpositis atomis alimenti, divelli a se, & veluti perforari partes speciei: verum sicuti ab anima, ita quoque a specie protinus insideri. At si ita, quid causæ quod non ex omni parte arboris sata novæ pullulant plantæ? An obstat species evoluta, quæ sicuti partes produxit, ita easdem tuetur & conservat? Et tametsi putrescant aliquæ, non tamen inde nasci contingit sui generis plantam; quia nimirum ob excessum caloris, a putredine ebullientis, expirat vis ætherea & seminifica; aut si superest, quia ad illam speciem, aliæ cohærent velut succenturiatæ, & ad novi operis fabricam destinatæ: ex quarum evolutione, aut novi generis planta, aut quid diversum a planta, pro ratione nimirum semini nascitur. Quod si non velis ad omnes partes plantæ speciem confusam sequi ex qua semina fœcundentur, dicemus ab anima speciem concipere & impregnari; etenim quousque procedit evolutio, potestas animæ radicalis determinatur per illas ideas, ad singulas partes, pro cujusque exemplaris natura, formandas: in termino vero evolutionis, cum jam desecit species in ipsum nucleum & seminis pulpam, colligitur in hujus meditullio humor viscidus ac lentus, sua pellicula veluti urceolo conclusus. Hic igitur ab anima concipit vim genitalem; quia enim tum non determinatur per ideas particulares, agit in quantum agere potest, ac proinde se totam exprimit confusa ratione.

Aut, si placet, dicamus illam speciem esse veluti circulum & in orbem revolvi. Itaque extremitas speciei attingit in ipso demum semine aliud extremum sive principium novæ speciei, quæ cum semine deciso postea evolvitur, & in novam generationem revolvitur.

XXIX. Si quæras, quid ergo tandem sit *forma* seu *anima* in Vegetabilibus? Respondet P. Kircherus, Est pura cœlestis Entelechiæ, sive seminis naturæ virtus in principiis vegetabilium radicata & implantata; ex qua omnes vites, proprietates facultatesque scaturiunt. Spiritus autem vegetabiles sunt partim quædam dictæ purioris cœlestis lucis portio; partim connexam permistamque sibi habent subtiliorem Elementorum portionis magnam quantitatem. Quemadmodum enim radii Solis veri sunt Solis spiritus per universum Mundum diffusi: itaque quod ab anima sive substantia illa fixa vegetabilium, in qua sedem suam posuit, effluit, lux videlicet cœlestis in plantis individuata (quem nos Spiritum Mundi vocamus) una cum tenuissimorum Elementorum portione, velut radius quidam effluxusque istius substantialis formæ, verus ille & proprius vegetabilium spiritus est.

XXX Nos

XXX. Nos autem inter Animam & formam discrimen facimus, prout declaravimus superius agendo de Formis, quas in simplices, compositas & decompositas distribuimus. Per Animam vero tum vegetabilium, tum sensitivorum Lucem primigeniam residentem & operantem in spiritus & per spiritus vitales intelligimus.

XXXI. Quæres denique, unde tanta in fructiferis arboribus varietas in figura, odore, sapore & colore originem suam ducat? Resp. id provenire non ex uno tantum capite. Primo enim ex vario situ & transplantatione, nune in hoc, nunc in illud solum differentibus qualitatibus imbutum, unde alimentum trahitur & cum eo temperies diversa. Quantum vero operetur nutrimentum & educatio sperte in hominibus ipsis deprehendimus. Hoc pacto Pomus Europæa in Indiæ solo plantata toto cœlo differentem fructum patit, sive figuram, sive colorem, saporem, odorem spectes. Hinc est quod arbor Persica in Persia veneni virulentia plena, in Europa tamen transplantata suavissimum saluberrimumque fructum producat. 2. Dicta arborum fructuumque diversitas causatur per insitionis artificium, dum diversæ arborum species in unum truncum transplantantur. 3. Summa hæc diversitas quoque ex multiplici principiorum naturæ (humidi scilicet radicalis, calidi innati & sicci hylæi, sulphuri, Mercurio & sali correspondentium) pro diversis arborum & herbarum speciebus in terreno solo permixtione provenit, pro quorum combinatione aliter & aliter ad naturæ leges facta, alia & alia nascitur fructuum qualitas, alia & alia herbis inditur victus & proprietas.

Accedit hisce Elementarium virtutum energia, ex quorum omnium complexu emanat illa qualitatum summa diversitas, ita ut ex calido innato sive sulphure naturæ, odores & colores; ex Sale vero naturæ, quod omnia sapida reddit, sapores proprie proveniant; cooperantibus in omnibus ad effectus diversos producendos elementorum qualitatibus primis & secundis. Natura vero ipsi aquæ implantata & plastica feminis facultate pollens ipsa potissimum est quæ mira hæc præstat: nam spiritibus suis architectonieis varie agitatam materiam disponit, & in differentes figuras diltendit, coloribus variis exornat, saporis odorisque diversitatem, mediante diuturna concoctione & digestione, quæ in ipsis plantis fit, imbuit. Concoctio enim, quod prius durum, tandem molle; quod acerbum, dulce; quod asperum erat, lene reddit, ut in omnibus immaturis fructibus experientia docet. Atque hæc in genere de Vegetabilium ortu, natura & viribus dicta sunto.

SECTIO VI.

De ortu & viribus sensitivæ Naturæ.

XXXII. Quadruplex novimus Animantium genus, quo totius sensitivæ naturæ ambitus concluditur, & sunt quadrupedia, volucris, natatilia & reptilia cum his quæ Insecta vocantur. Quorum omnium rationes non nisi in genere tangemus, singulorum autem investigationem ex allegatis principiis cujusvis ingenio relinquimus deducendam.

Curiosus Naturæ scrutator Athanasius Kircherus, quem hac in parte sequimur, L. 12. Mundi subterr. sect. 2. cap. 8. de genesi sensitivorum ita scribit: Sunt in rerum natura corpuscula quædam spirituosa, quæ in dissolutione corporum separantur ab aliis partibus, quæ non sunt homogeneæ seu ejusdem naturæ: sunt alia *mineralia*; *vegetabilia* alia, alia *sensitiva*, ita ut hæc unita cum materia, rem vegetabilem, alia sensitivam constituant; quæ primordiali chaoticæ massæ virtute spiritus supra humidum incumbentis a Divino Architecto admiranda sapientiæ dispositione fuerunt indita. Quandocunque enim spiritus hi vegetabiles cum materia proportionata uniuntur, mox vivens quoddam consurgit; & quandocunque animales Spiritus uniti fuerint dispositæ materiæ, tunc animal quoddam prodire necesse est. Neque tamen ad generandum, sive vegetabile, sive animal, quælibet horum spirituum conjunctio sufficit: sed ex se & sua natura requirunt conjungi tales & tales spiritus, in tanta copia & tali modo: cum enim dissolvitur aliquod vivens aut animal, id accidit, quod illi spiritus, qui conjuncti cum illo fixo formabant tale vivens attenuato humido separentur & avolent, non avolant autem conjuncti. Ex. gr. Corrupto equo, dici non potest, animam equi svolare, sed avolant spiritus animales divulsi & difflantur disperdunturque hac & illac: unde contingit, solam illam spirituum massam nunquam cum illa aut simili massa iterum conjungi: sed spiritus illi, in quibus nonnulla adhuc seminalis potestatis portio latet, permiscentur aëri captim & commixti cum aliis. Si itaque contingat, ut hi in tali copia cum fixo aliquo proportionato conjungantur, ut ex illis spiritibus, atque ex illo fixo possit constitui animal, seu in materia congrua illis spiritibus informata, organizatur formaturque illud corpus & consurgit animal a primo seminio, unde decisi erant spermatici spiritus, degener & alterius speciei. Atque hoc pacto generantur omnia ea animalia, quæ *ex putri* originem suam ducere dicuntur: & quidem pro dispersorum spirituum copia, majore vel minore, animalia magis minusque perfecta, aut solum plantæ, prout supra de Tubere Cervino diximus. Sed de his: [...]us agit Lib. 12. sect. 1. c. 6. p. 356.

XXXIII. Verum enim vero congruentius suis Principiis (quod salvo tanti Viri judicio dixerim) statui debere videtur, animam equi, (eadem ratio est de cunctis animantibus) cum spiritibus vitalibus non avolare, sed ibidem remanere in cadavere, tametsi nullam actionem vitalem eliciat similem prioribus, est enim eadem entitative anima in scarabæo & vermibus ortia ex corrupto cadavere equino quæ prius, quem ipse Kircherus alibi vocat spiritum Polymorphum, & Lucem primigeniam, cui Solem pro throno assignat, eo quod sydus illud maximam nactum sit de ea portionem. Qua ratione etiam, ait, Leo, qui inter cuncta animalia, maximæ dictæ lucis seu calidi innati portionem adeptus est in sui productione, ideo omnibus animalibus generositate, fortitudine & igneo quodam pollente vigore veluti Rex quidam quadrupedum anteponitur, una cum dictis dotibus diuturnitatem vitæ consecutus. Asinus vero, qui plus terrestris substantiæ, minus primigeniæ lucis adeptus est, ideo pigræ, lentæ & stolidæ naturæ animal evasit. Quod si ita, sane nobilior erit Sol Leone, nedum ranâ. Nam ipsemet Kircherus contendit nullum esse animalculum tam vile & abjectum, cujusmodi v. g. lumbricus aut eruca esse posset, quod non majorem lucis sive caloris primigenii ubertatem habeat, quam excellentissima quævis planta calore & luce turgens, eujusmodi piper, cinnamomum aut Cariophyllum aut crocus esse possunt: ergo proportionaliter de Sole respectu

Leonis

Leonis idem ſentiendum cum Marſilio Ficino, quem alibi allegavimus.

Sed & hoc obſervandum, cum P. Athanaſius in calido innato & humido radicali rationem vitæ conſtituat; ſicut mineralibus non denegat portionem ſuam lucis primigeniæ, cur vitam? Imo vitam eis concedit, ſic enim ait: "Lucis portionem pari modo mineralia adepta eſſe, nemo negare poteſt, cum & forma ſua conſtent: & conſequenter, non vitam illam animantibus plantisque propriam, ſed vitæ nonnullam ſimilitudinem, conditioni tamen eorum congruam, iis ineſſe pariter verum eſt; ſed lux illa terreſtris miſturæ fœculentia & craſſitudine ideo obtunditur & abſorbetur, ut in actum vitalem emergere non poſſit. Qui tamen actus lucis inter omnia mineralia potiſſimum in Magnete elucet, cum tractiva vi ſua neſcio cujus vitalis facultatis veſtigia pandat."

Conſonat ipſe Ariſt. lib. 3. de gen. anim. cap. 11. ſic loquens: *Generantur autem in terra humoreque animalia & plantæ: quoniam humor in terra, ſpiritus in humore, calor animalis in univerſo ineſt, ita ut quodam modo plena ſint anima omnia.*

XXXIV. Ex quibus patet quæſtionem moveri de nomine, an vita mineralium, Aſtrorum & Planetarum in ratione vitæ conveniant univoce, an analogice? Mihi certe videtur non minus rationem vitæ competere ſtellis & Planetis reſpectu plantarum, quam herbæ plantæque cæteræ participent vitam cum Leone aut homine comparatæ [loquor de ſenſitiva præciſe,] tametſi infinitis gradibus inferiorem: unus enim idemque ſpiritus in lapide, planta & bruto inhabitans pro diverſitate diſpoſitionum & organorum diverſas plane operationes cur edere non poſſit, cum videamus in Microcoſmo animam rationalem æque diverſimode operari in pede, oculo, auribus, carne, capillis, oſſibus, nec ſentire in omnibus, nedum cogitare aut diſcurrere.

XXXV. Quæres incidenter: Quænam ſit cauſa lapidum? Reſpondeo cum Kirchero L. 8. M. S. ſ. 1. c. 3. Cauſam materialem lapidum nil aliud eſſe quam Salem naturæ, quæ omnia ſubſiſtentiam ſuam ſoliditatemque acquirunt; *formalem* vero *cauſam* eſſe *vim lapidificam* ſalino generi inditam, indurativam atque coagulativam. Ille autem ſuccus lapidificus proprie eſt ſaxum nitroſum aqua eliquatum. Quod ſi ſaxum ſulphure & nitro abundarit, & aqua pluvialis id tranſierit, illa ramentis ſaxi abraſis mixta, generabit lapidem duriſſimum & prorſus adamantinum, loc. cit. ſ. 2. c. 1. Ratio, Nam ſal poros aperit ſubſtantiæ, nitrum eos implet, ſulphur calore ſuo, & humiditate expulſa, totum in ferreæ duritiei ſubſtantiam transmutat. ibid. can. 3. Cujus ſignum eſt, quando ferro percuſſa tinnitum metallo ſimilem æmulumque ediderint: cujus & hoc experimentum eſt, ſi ſulphur cum nitro concoxeris, totum in lapideam ſubſtantiam abire reperies. Plaſtica vero vis ſeminario Naturæ indita, ſive ſpiritus Polyphormus eidem junctus, unumquodque ſua forma & figura, eo, quo natura ejus exigit, colore inſtruit, quam & Efficientem formalem dicimus.

Sciendum autem quamvis plures ſint ſalium differentiæ (puta nitri, aluminis & vitrioli) ſunt enim *Sal marinum*, quod fit ex ſalſa maris aqua extracta & ſiccata; *terrenum*, quod vel ex montibus, arenis [quod Ammonicum ἀπὸ τῆ ἄμμου, id eſt ab arena; ab aliis Armeniacum, ſed perperam dicitur] *fluviatile*, *fontanum*, *urinarium*, *bituminoſum* &c. Vide Kirch. L. 6. M S. ſ. 1. c. 4. pag. 320. In duas tamen claſſes commode dividi poteſt: ita ut prior Claſſis ſit *Salis fixi*; altera *ſalis volatilis*, quæ ſalia tum in omnibus rebus, tum potiſſimum in omnibus vegetabilium ſpeciebus à Chymicis ubertim reperiuntur & colliguntur: fixum quidem in cineribus; volatile ex vegetabilium combuſtorum fuligine ſegregatum, utrumque tamen virtutes & proprietates vegetantis, unde extractum reſervat. Alcali vocant ſales aut fixos, ut ſalem tartari, aut volatiles ut ſalem ammoniacum, qui cum acidis permixti ebullitionem creant.

Eſt tamen & hoc admiratione digniſſimum, *Sal animalium* multo eſſe levius pondere *ſale vegetantium*; & hoc levius *ſale minerali*; quod utique ex alia cauſa non fit, niſi quod ſal minerale, cum ſit terreis quisquiliis commiſtum, neceſſario ponderoſius ſit; ſal vero vegetantium levius, eo quod, uti & animalium, vi caloris nativi magis depuratum ſit. v. gr. ſi fuerint in compoſitione ſalis vegetabilis 4. aquæ pondera; 3. terræ, 2. aëris & 1. ignis: erunt in ſalis animalis compoſitione [pro temperamentorum tamen in utriſque differentia plus minus] pondera fere contraria, puta 4. ignis. 3. aëris, 2. aquæ & 1. terræ. In minerali vero ſale erunt, 4. pondera terræ, 3. aquæ. 2. aëris & unum ignis. Unde Sal animale toto cœlo a minerali differre arte ſpagyrica comperitur, ut ſequitur:

Partes	4	3	2	1
In Sale Minerali.	Terræ,	Aquæ,	Aëris,	Ignis.
In Sale Vegetabili.	Aquæ,	terræ,	aëris,	ignis.
In Sale Animali.	Ignis,	aëris,	aquæ,	terræ.

SVBSECTIO VNICA.
De Nutritione Animalium.

XXXVI. Nutritio fit per converſionem alimenti in ſubſtantiam aliti. Cibus autem in ſubſtantiam aliti [v. g. in homine] convertitur hac fere ſerie: In primis cibus dentibus comminuitur, ut dein facilius in chylum quaſi in fluorem colliqueſcat, & ſaliva, quam tonſillæ ad radices linguæ affundunt, emollitur, partim ad faciliorem maſticationem, partim ad vitandam exaſperationem, quem membrana Oeſophagi duriore cibo pateretur. Cibus ita in ore præparatus deglutitur per Oeſophagum, quo nomine appellatur canalis ille, qui a faucibus ad ſtomachum usque deſcendit. Cibum ita ad ſe promotum ſuperiore oſtio reſorbet ventriculus, qui inſtar ſacci oblongi paulo ſupra umbilicum transverſo ſitu a ſiniſtra parte extenditur, cum aliqua depreſſione verſus dexteram. Recepto cibo ventriculus ſuperius orificium arte claudit, ne ſi hiaret, ex cibis corruptis male fœtentes vapores ſurſum exhalent, caput infeſtent, halitumque inficiant. Clauſo oſtio ventriculus ſe contrahit, & cibo undique compreſſo ſe arctius applicat, & 4. circiter horarum ſpatio in chylum transformat. Fit autem iſta transformatio potius ope acidi & fermentacei humoris, quam caloris. Rationes dant RR. Anatomici iſtas. (1.) Calor in ventriculo canis major non eſt quam in olla bulliente ad ignem; ſed in hac etſi pluribus horis elixes oſſa, nunquam in chylum rediges, quod tamen ſtomachus intra paucas horas præſtat. Idem accidet in ſtomacho ſtruthionis concoquente ferrum. (2.) In piſcium ſtomacho vix ullus eſt calor, & tamen crudiſſi-

crudissimam ciborum colluviem concoquunt. (3.). Calore potius cibus assaretur & siccaretur, quam in chylum solveretur. Nec dicas potum humectare, nam aves prædatrices, teste Aristot. 8. de hist. anim. c. 5. vix aut ounquam bibunt, & tamen earum chylosis est liquidissima. (4.) In stomacho est humor acidus, & utique noo frustra, ergo concurrit quasi ad macerandos cibos. ant. prob. tum saliva corrosiva, quæ farinæ massam fermentat, cutis vitia & vulnera sanat, gingivas exulcerat; tum fide Anatomicorum, qui ex ventriculi tunicis ac vesiculis acidum humorem expresserunt.

Postquam cibus ita mutatus est in chylum, qui pulmento fluido albi seu cinericii coloris similis apparet, tunc iste per inferius stomachi orificium seu pylorum in intestina aliquanto sursum propellitur: imo verius loquendo uoum solummodo est intestinum, seu membraneus canalis perpetuus, qui a pyloro incipiens per varios flexus, spiras ac volumina ad usque fuodum ventris descendit, in variis tamen suis partibus varia sortitur nomina. Prima pars dicitur Intestinum duodenum. Secunda Iejunum. Tertia Ilium. Quarta cæcum. Quinta cholon. Sexta rectum. Longitudo totius intestini humani dicitur septies continere loogitudinem humani corporis, ut adeo 12. ulnas cum dimidia complectatur, inquit P. Georgius Prugger S. I. in sua Epitoma Philosophica [de quibus autem ulnis loquatur, Brabantinis an Francofurtensibus, non exprimit]. Ratio tantæ longitudinis est, ut ex chylo cunctanter & peristaltice ioteslina permeante utile tutrimentum exsugendi venis lacteis spatiom concederetur, & homo rariore comestione opus haberet.

Cæterum oc intestina mutuo implicentur, eodem in situ servantur per mesenterium [das Kröß] cui lactes & omnia intestina quasi in circulum annexa sunt, ita ut licet mesaræi circumferentia trium duntaxat palmorum sit, omnia tamen intestina eodem sint adnata, & uni palmo mesenterii 14. palmi intestiororum sint concreti. Ipsum vero mesenterium firmatur ad lumborum vertebras. Præter officium sustentaodi intestina habet mesenterium illum quoque finem, ut dum chylus flexuosa intestinorum circuitione traducitur, per venas suas lacteas ab Asellio Anatomico deprehensas tanquam per hirudines purissimum succum ex chylo exsugat, transmittatque vel ad hepar, in quo juxta antiquiores, fit hæmatosis seu sanguificatio, vel ut alii recentiores volunt, ad stagnum chyli, quod ab Inventore Pecqueto, Receptaculum Pecquetianum audit, & jacet prope dorsi spinam fere inter renes medium. Ex hoc autem stagno chylus per venas thoracicas, quia oempe thoracem perreptant usque ad axillam sursum attrahitur, ubi in axillarem venam se exonerant, & una cum sanguine per venam cavam chylum etiam effundunt in cordis ventriculum dextrum.

Notandum hic, cordis cavitatem in dextram & sinistram disterminari per septum medium, quod adeo solidum est & compactum, ut teste P. Fabri ne flatum quidem perviom admittat. Secundo in cordis basi 4. terminari sanguinis canales scilicet venam cavam, & arteriam pulmonariam, versus pulmones directam in dextro sino cordis: sinistro autem inseri venam pulmonariam ex pulmonibus versus eos derivatam, & arteriam magnam seu aortam. Tertio siogulis istis 4. sanguinis canalibus in orificio cordis immerso apposita esse quædam ostiola, seu valvulas quasi janitrices, quæ in venis quidem sanguini ad cor tendenti cedunt, regressuro autem viam claudunt, sive obstruunt: In arteriis autem sanguini egredienti e corde cedunt, regressuro viam claudunt. His notatis pertexamus historiam nutritionis.

Quando igitur dexter cordis sinus per motum diastoles chylum hausit, eundem postea calore & colore sanguineo imbuit, & subinde per motum systoles per arteriam pulmonariam extrudit in parenchyma pulmoonm, qui instar cribri seu coli sanguinem repurgant a ooxia fuligine per respirationem exsufflanda, Sanguis ita per pulmones percolatus resorbetur ab aliis ramusculis venosis, qui dein io venam pulmonariam cöeunt, & per hanc transfertur sanguis ex pulmonibus in sinistrum cordis ventriculum, ubi tantisper detentus, & novo calore ac virtute auctus protruditur in aortam seu arteriam magnam, quæ ex corde ac pericardio exsiliens doos finditur in ramos, quorum alter est ascendens, alter descendens: horum uterque in plures dividitur minores arterias ad omnes corporis partes prorensas, donec tandem desinant in arterias capillares, per quas alendis membris sanguis suppeditatur.

Iam propius ad ipsam Nutritionem & Augmentationem accedimus. Sanguis enim, cujus genesim hucusque recensoimus, est proximom, & immediatum alimentum, prius tamen quam transeat in substantiam aliti, accidentaliter mutatur quadruplici modo, secundum quod diversa nomina sortitur. Prima mutatio est in arteriis capillaribus, in quibus sanguis albescit. Secuoda vocatur *Ros*, cum ingreditur membrorum soperficiem. Tertia dicitur *cambium*, quando concrescit. Quarta vocatur *gluten*, cum fit visco-sior: tunc volunt Peripatetici tandem destructa forma sanguinis substantiali, introduci animam: & siquidem illa materia sanguinis adgeneratur viventi in locum depastæ & deperditæ materiæ, vocatur *Nutritio:* si vero agglutinatur tanquam auctarium, uti fit in juvenibus, vocatur *Augmentatio*.

XXXVII. Quæres curiosius qui fœtus in utero materno outriatur? an io illo naturæ ergastulo respiret? Respoodet ad 1. Cornelius Bontekoe Oecon. anim. pag. 133. Fœtum nutriri in utero matris ex sanguine menstrui (qui eo tempore ut plurimum desinit) a multis sæculis, sed falsissime, creditum. Et mirum est eos velle fœtum outriri sanguine, quem aërem & veneno proximum autumant. Igitur fœtus a matre sic vivit. Formatur ex ovo (nam in coitu Ovarium aspergitur semine virili) Ovum geoeratur a fœmina, & ex chylo & succo nerveo per arterias alluente. Ovum a masculo semine fœcundum redditur, incipitque vivere (*per animam sensitivam communicatam a parte cum semine*) & partim a vitello suo, more pipionum, partim a chylo & succo nerveo ad Ovarium affluente sic brevi nutritur, ut ex Ovario descendat in tubam Fallopianam, & hinc in oterum; quo tempore tantum sumpsit incremeoti, ut non sufficiat vitellus: hinc arteriæ ex umbilico incipiunt propullulare & placeota [quæ instar hepatis se habet, estque congeries arteriarum, venarum, nervorum lymphaticorum] in quam sanguis maternus cum chylo per arterias excurrit, atque chylus per glandulas separatur, miscetur que cum illo fœtus sanguine, qui per arterias suas etiam

in pla-

in placentam defertur, & mox per venas redit in funiculum umbilicum & in hepar fœtus, dum sanguis maternus per venas itidem in cavam revertitur: & quia ex circuitu sanguinis, maternus cruor indesinenter affluit ad placentam, hoc modo commode nutritur fœtus, & quantum capere potest nocte dieque a matre sic succum accipit, ad vitam seu calorem & ad sui incrementum. Hinc præter chylum, quem sanguis maternus affert, & fœtus sanguis recipit, nec mater fœtui sanguinem dat, nec fœtus matri quidquam communicat. Nam ex ventre fœtus excrescit arteria umbilicalis, & in varios ramos dispergitur: vicissim ab uteri fundo hinc inde arteriæ expullulant, & in varios quoque ramos sparguntur: adsunt venæ tum matris, tum fœtus, ramulis suis arteriosis illis obviam euntes; sed arteriæ venæque fœtus, tandem in unum ramum arteriosum, & duos venosos sub membrana velut in capsula concluduntur, unde efficitur funiculus umbilicalis de quo supra. Hoc alimento usque ad partum alitur & adolescit, forte etiam ore aliquid sugit ex liquore cui innatat, unde mox ut editus in lucem, mammas novit surgere.

Quoad modum formationis membrorum, solus Malpighius detexit microscopio, membra alia aliis non esse priora, sed una esse, cor scilicet cerebrum cum vasis & succis, ut effusione seminis calidi motus atque calor succis illis imprimatur: atque hinc in ovo vitæ primordium, nempe in actu secundo: hinc nutritio & accretio &c. Cæterum genuina formatio fœtus adhuc ignota est.

Addidimus per parenthesim, *per animam sensitivam communicatam &c.* sunt enim duæ opiniones de numero animarum in humano fœtu, & multum refert, quam quisque sequatur. Nos supponimus, ut probabilius, præter animam rationalem, a solo Deo creatam, atque homini infusam quocunque tandem tempore id fiat) aliam eum semine paterno fœtum comitari, brutorum animæ similem, quæ cum impartibilis ex se sit, numerum & unitatem ex subjecto mutuatur. Cum itaque ab utroque Progenitore semen animatum infunditur utero mulieris, quia mutua permistione in unum subjectum coëunt, non est existimandum duas animas sensitivas superstites esse. Sicuti enim ad divisionem materiæ, per accidens resultat numerus animarum: ita facta parrium reunione, ad suam, quæ ipsi est propria, unitatem redit. Et quia femina non minus utero, quam inter se ex mutuo confluxu uniuntur, hinc est quod illa continuatione subjecti, veluti in unam animam coalescant tum fœtus, tum ipsius matris anima, vique hujus unionis inseparabiles sint affectus, qui proxime in anima recipiuntur: eaque ratione actus imaginationis, omnesque motiones appetitus sensitivi, non minus fœtui, quam Matri insunt. Et hanc sententiam valde probabilem faciunt communes perturbationes, quibus non minus in utero fœtus, quam illorum Matres percelluntur: nam eum irascitur, aut metuit, aut est in luctu mulier, simili modo afficitur corpus infantuli, atque si ejusmodi passionibus ipsum per se moveretur.

Neque tamen propterea existimandum fœtui adhuc in utero existenti, usum rationis convenire, cum hic non in sensitiva, sed in anima prædita intellectu fundetur, eujus affectiones ob differentiam numericam, quam ex se habet, sunt incommunicabiles; & quia species desunt imaginativæ, ex quarum compa-ratione oritur discursus, &c. desunt. Semen itaque humanum animam sensitivam habet ex traduce: habetque fœtus a genitoribus totum illud quod ab eis est communicabile seu generabile: nimirum materiam & formam, per ideas humanas limitatam ad individuum humanum inde constituendum.

Ad secundum Resp. negative, omnis enim aditus aëris interclusus est, imo si illaberetur, fatalis foret; non igitur respiratione opus habet prius quam edatur in lucem, & tunc auram haurire incipit.

SECTIO VII.

De Avium & Piscium Genesi.

XXXVIII. Non secus ac Solis lux ejusque radii in vitra diaphana diversis coloribus tincta incidentes & transeuntes in opposito muro aut pavimento non lucem limpidam, sed eo colore, cujus vitrum est per quod transit, imbutam reddit: sic semen universale conjunctum particulari miscellæ naturam variat. Sunt autem Aves primævam genesin ex aëre seu aquæ tenuioris parte sortitæ: propagantur vero ex semine, quod semen, ut diximus conficitur ex alimento: nutrimentum autem Avium duplex: Insensibile, aër virtute cœlestis seminis fœtus, quo carere minime sine ultro discrimine possunt: sensibile vero omnis esca, quibus aves vesci solent. Nihil in rerum natura occurrit seminali virtute admiratione dignius, maxime si virtutis plasticæ in eo latentis stupendum contemplemur artificium. Hæc enim in volucrum familia ovum fabricat, magnum naturæ arcanum, speciem plasmationis Vniversi, in quo ceu in cœlo quodam omne id fabricatur, quod admirandum in volucribus videmus.

XXXIX. Duplex autem Semen in volucrum genere considerandum est: prius competit maribus; alterum fœmellis, & ovum est. Prius nil aliud quam nutrimenti pars exquisitior ad generationem a Natura deputata, ad eum modum quo in homine & quadrupedibus fieri solet, in se continens idealiter totam speciem & corpus formandum, sive ipsam formam in actu primo; ea enim est quæ virtute plastica organizat materiam: hoc per naturalem congressum materiei fœmellæ inditum in ovum naturali matricis calore convertitur; seclusum vero caloris externi, sive avium sive hominis, aut alio modo prout in fornacibus Ægyptiis cum proportione adhibiti & gradu forum, tandem rupta testa in volucrem parentibus similem emergit. Et crassior quidem pars seminis in putamen & testam abit, aquosior vero pars in albuginem convertitur; pars vero quæ aëris & ignis subtiliores partes habet, in vitellum mutatur, cui germen supernatat subtilior efficaciorque seminis portio; atque huic vitalis & spermatica virtus omnis inest, ex quo solo vita pulli & multiplicatio dependet animæ & vitæ radix sedesque; reliqua omnia in alimentum cedunt, jamque maturo intra testam conclusio fœtui.

Et reliqua quidem animalia, sine ovo intra matricem contenta, per varios materni uteris ductus suum sibi alimentum ex toto corpore attrahunt: at solis volucribus Divina sapientia per artem suam, quæ Natura dicitur, peculiarem juxta Mundi formam, testaceam manfiunculam admiranda sane industria a matrice separatam sub Elliptice figura construxit, in qua tanquam in orbe suo seu Mundo, omnia illa, quæ quovis modo ad vitam necessaria erant, paravit. Ac primæ quidem volucris semen ex modicæ terræ portione, majori aquæ,

maxima ignis conflatum existimat Kircherus. II. parte Itiner. Dial. 2. c. 5. pag. 601.

Naturales autem proprietates avium non nisi ex anima earum, quæ aliud non est, nisi excellentissima lucis primigeniæ portio, cum nobiliori subtiliorique elementorum parte, juxta divinæ sapientiæ archetypum prodierunt, quæ in appropriatis materiis individuata, haud secus ac in quadrupedibus eam diversitatem, quam cernimus, efficit.

Ex quibus patet quantum Vir iste doctissimus a vulgari Peripateticorum sententia circa formarum substantialium eductionem e potentia materiæ discrepet, tametsi eorum labio solet sæpius uti: in eo solum nobis displicet, quod semen, & animam & formam promiscue eodem vocabulo indigitet, cum nobis realissime distincta eotia videantur.

XL. Inquires forsan, nec immerito, cur Natura ovum a fœmella volucre separatum, non vero reliquarum animantium more conjunctum esse voluerit? Resp. hujus rationem esse, quod id naturæ volucrum repugnabat. Cum enim humidissimæ naturæ sint, utpote ex aqueo-aëreo elemento productæ; contingit ut mox humiditas illa una cum excrementitiis fæcibus in necessariarum pennarum ornatum vestitumque, sine quo nec vivere nec volucres esse possent, perpetua exhalatione degeneret. Cujus quidem apertum signum est, quod nec per urinam quidem superfluam humiditatem exonerent. Tota itaque partim per excrementitias fæces, partim per cutis poros in pennas abit. Hinc si semen intra volucres fœminas multo maribus humidiores, ingestum sine ovi providentia extitisset, certum est totum id per halitum, haud secus ac reliquam humiditatem in pennarum apparatum degeneraturum fuisse. Nec itaque tanta naturæ inconvenientia contingeret, provida Natura illud intra matricem simul ac infusum fuerit, mox pellicula circumdare voluit, ne interno matricis calore conceptum semen, una cum cætera humiditate evanescente intento naturæ effectu exhalaret. Hoc enim pacto intra pelliculam conclusum conservatumque, velut intra peculiarem matricem, vires suas illæsas uniee conservat, donec paulatim turgescente seminali fœtura, & identidem dilata pellicula sub determinata extensione in testam induresecat, & sic veluti fructus quidam volucris debitam maturitatem nactus, excludatur, ac tandem fotu & incubitu volucris per calorem naturalem extrinsece applicatum (in quo latet ejusdem rationis lux primigenia, quæ in semine ovi) & excitatum, desideratum pullum rupta testa exhibeat. Atque hoc pacto ex ovis volucres, & ova ex semine volucrum nascuntur. Nunc aliqua de Piscium genesi subjungamus.

Piscium genera fere infinita ex nullo alio fonte, quam varia seminis universalis alteratione in aqueo Elemento originem trahunt, omnium fertilissimo juxta fabulam, quæ ex Saturni genitalibus exsectis & in mare projectis Venerem natam fingit: & sic analogice de horum genesi, prout de cæterorum animantium philosophandum est.

XLI. Illud solum observes velim, falsa persuasione duci eos, quicunque aquam homogeneis partibus præditam, ubique semper ejusdem rationis esse sibi imaginantur. Sicut enim terrestre corpus ex maxima partium diversissimarum commixtione conflatum est: ita & Elementum aquarum, tum in seipso cæterorum omnium elementorum mistionem continet, tum ex ipso fundo maris differentis constitutionis, tum naturalibus Insularum Regionumque, quas perpetua alluvione terit, proprietatibus imbutum, tum perpetua mineralium spirituum e fundo maris exhalatorum mixtura, corpus aqueum summopere redditur homogeneum.

Accedit hisce varia marinæ aquæ vi solaris æstus concoctio, ex qua diversissimæ inferuntur materiæ aqueæ dispositiones ad rerum adeo variarum productionem. Tametsi enim aqua maris videatur limpidissima, sub illa tamen limpiditate sulpbur, Mercurium, Salem, naphtam, bitumen, innumeras denique rerum species, sub insensibili tamen spiritus subtilis & tenuis vestimento coacervari, sola ratio & experientia spagyrica docet. Vnde mirum non est si cœlestis seminis portio in tenacem & viscosam bituminosis spiritibus turgentem materiam sese insinuaverit, tum ob copiosissimum semper præsens alimentum, tum ob tenacitatem & viscositatem, quæ facili negotio in omnem dimensionem diducitur, ingentis magnitudinis Balænas similesque pisces enasci: si verò dictum semen in excrementitias lapidosæ materiæ quisquilias inciderit, crustacea testaceaque inde enasci necesse est; quæ deinde eodem, ex quo coaluerunt, alimento vivunt. Hinc semper fundo hærent, id suctu in se & attractu quodam derivantes, ex quo constant. Ex mercurialis vero abundantia liquoris squamigeri gregis agmina nascuntur, quæ omnia peculiari indagini ulteriori relinquimus.

SECTIO VIII.

De Insectorum & ex putri nascentium genesi.

XLII. Verosimillimum videtur animantes omnes ex certis seminibus oriri: adeo ut ne musca quidem aut vermis ex tumultuario elementorum congressu prodire possit: sed ex semine, in quo vis formatrix, seu anima inest. Nam semen omne anima præditum suo loco demonstrabimus. Hanc veritatem multis argumentis probat Vir inter recentiores magni nominis Franciscus Redi. Primo enim exteriores causæ tam opportune convenire non possunt, ut animalium fabricent organa, quorum structura nullo potest intellectu humano comprehendi: nisi saltem vis quædam seminaria & plastica in elementis, aut in aliis corporibus delitescat. Alterutrum tamen admittendum, cum ex non vivente vivens nasci nequeat.

Inter cætera experimenta, quibus hic Auctor opinionem hanc firmare nititur est sequens: Cum vasis vitreis rite occlusis carnem corrumpendam conclusisset, ne vermis quidem ex ea putrefacta visus est emergere: cumque velo Neapolitano vas, in quo posita erat caro, sic obduxisset, ut aër quidam subire, muscæ vero aut vermiculi ingredi non possent, ex carne corrupta nullus vermis prodire visus est: tametsi muscæ vermes aut ova in velo ipso reliquerint. Itaque illud minus verum putat, quod vulgo creditum est, & exempli loco afferri solet, apes ex putrefactis tauri carnibus nasci. Ne illa quidem vera comperisse refert Anonymus Phil. Reg Burgund. tom. 6. circa fin. quæ de crinibus mulierum in vermiculos conversis, aut de serpentibus ex cadavere serpentis prodeuntibus refert Kircherus. Quin etiam negat ex cadavere vermes nasci, nisi forte eorum femina aliunde accesserint. Nos hunc

hunc Authorem suo abundare sensu permittimus, & quæstionem propositam in variis experimentis fundatam juxta nostra principia decidemus.

Quær. 1. Quomodo subinde una cum pluvia diversa animalcula decidere deprehendatur? Resp. Esse in aëre & oubibus omniúm rerum halitus, omnium que mixtorum seminia, & consequenter esse plurimos halitus animales, qui resoluó, si conjungantor cum aliqua materia congrua & proportionata, virtute plastica iis ioexistente, mox formabunt animalia pro ratione seminii ab halitibus ex resolutis animalium plaotarumqoe corporibus, sive vivis, sive mortuis decisi & in aërem elevati. Atque hæc est ratio, *cur aquæ pluviales tam facile vermes generent*, non vero fontanæ, quia illæ spiritibus seminiorum turgent, quibus hæ carent. Et patet ex ranis, quæ subinde extemporaneo ortu una cum roscida pluvia exurgont, non quod in aëre exelodantur, sed quod aqua seminio Βατραχογόνω, sive ranifico una cum pulvere limi palustris per halitus attracto fœta mox ubi in fervidum pulverem inciderit, ibi plastica vis statim ranuneulum efformat. Vnde patet mirifica vis seminis, quæ disposita jam materia tam exigui temporis spatio hujusmodi animalcula excludat: ut proinde frivola & ridicula sit quorundam Physicorum opinio assignantium nescio quod individuum vagum aut ranam in communi pro causa efficiente ranæ hojusmodi ex putri genitæ. Hinc fit

XLIII. Experimentum Βατραχογένεσις, seu Ranarum ortus.

Cum ranæ copioso sub initium Martii fuso spermate omnes fossas & lacunas expleant, fit ut exsiccatis fossis, limos in pulverem una cum ranis jam exclusis denuo resolvatur. Si itaque tibi animus sit, novam ranarum genesio exhibere, sic operare: Accipe palustris limi vel fossarum, tibi ranas nidulams fuisse nosti, pulveres, quos pluviali aqua subactos in terreo vase expones Soli mediocriter calido mane tempore æstivo, & identidem aqua dicta consperges, ne sole exsiccetur materia; & deprehendes primo quidem bullulas quasdam, ex quibus primo ranonculas candidas sine pedibus posterioribus, solis anterioribus duobus brachiis instructas, quas *graminulas* vocanr; deinde paulatim divisa in duos posteriores pedes cauda in ranas perfectas ingenó copia eonsurgent: quod coram multis se exhibuisse non sioe admiratione spectantium de se testatur Kircherus Lib. 12. MS. pag. 392. Qoo manifeste docetur latere in dicto limo seminium illud, quod cum humido junctum calore concurrente taodem pro ratione seminii novás ranas excludit.

Quær. 2. Quomodo subiode ex cadaveribos, eorumque recremeotis tam diversæ insectorum species nascantur? Dico id provenire ex differentis alimenti, quibus vescuntur, seminiis: herbæ enim quibus vescuntur, muscis, erucis, cæterisque vermibus cum scateant, ea una cum alimento assumpta varia fundant, tam in alini substantia, tum in excrementitiis sordibus seminaria. Dum eoim quædam ex carne, ex sanguine & sudore alia ex ipsis dilutionibus corporis excrementisque nascuntur, diversitatem quoque Insectorum inde provenire oecesse est. Quod sequenó Experimento osteoditur.

XLIV. Experimentum alterum Μυζογενετικὸν, promiscuam Insectorum progeniem ostendens.

Si hojus rei effectum videte desideres, sic age: Sume ex equorum, boum, asinorum simo, ex singulis unam partem, quam commixtam latiori conchæ committes: hanc irrigabis quotidie aspergine istius aquæ, quæ ex herbis, quibus vescuntur dicta animalia ona çum floribus & caljicibus diversorum vermium seminio contaminatis: deinde relinquatur Soli temperaro exposita, cooperta tamen, ne solis æstu arefiat: & videbis ex bac mistura statim velut bullulas quasdam ex fermeotatiooe materiæ cómmistæ resultare: quibus ruptis, successivis horis videbis exire apes, vespas, scarabæos, cymices sylvestres, vermes quoque seu erucas multis pedibus instructas & similia, qoæ sane aliunde originem suam noo habent, quam ex diversis animalium seminiis, non ut catisis instrumentalibos tantum, sed principalibus, calore solis moderato accedente & irrigaóone sovente, intrinseco motu agitata juxta Naturæ leges tandem io istiusmodi animalia consurgunt, qualia esse diversi seminis raóo postulat. Plura hujusmodi vide apud eundem Authorem.

XLV. Quær. 3. Num etiam aoimalia perfecta ex putredine generari queaot, ut Leones, ursi, boves, equi &c. Et si non, qoomodo ergo similes bestiæ in remotissimas Orbis regiones deveneruot? Ratio dubitandi est, si enim omnia hæc animalia seminis ope propagata sunt ab iis per geoerationem ordinariam, quæ in Arca Noë fuerunt, non apparet olla via, per quam ad Insolas, tanto ioutervallo a continente dissitas potuerint deferri. Natatu inquies. At immensa illa Oceani vastitas tales natarores irridet, ait Iosephus Acosta. Navigiis? sed iis temporibus adhoc incognitus fuit Magoetis usus, quem invenit Flavius Amalphitantis juxta Campan. Lib. XI. Met. cap. 6. art. 3. sioe quo tamen tanta maria vix trajiciuntur. Et quis transvexisset tam efferatas & immanes belluas? Resp. primo hoc ipso probari perfecta animalia non geoetari e putredine, alioquio tam sollicite in Arca noo fuisset necesse asservari, facillima enim fuisset eorum reparatio. Resp. 2. cum P. Acosta L. 2. de tiat. novi orbis. Lipsio L. 2. physiol. dissert. 19. non ubique adeo magnum trajectum Maris ex nostro Orbe in Americam olim fuisse, sicut hodie est, ut homioes proinde aut bestiæ eo vel oatando vel navigaodo venire facile potuerint. Credibile enim est, plurimum terræ, quod olim sicco pede transire licuit, a Mari nunc esse occupatum, post tam procellosas tempestates, terræque motus quam plurimos. Vnde Plato in Timæo scribit terræ motu Europam ab Africa immisso mari Atlantico divisam esse.

XLVI. Cæterum quo modo fiat in particulari Insectorum generatio, quis explicet? In universum tamen observare licet, in carne corrupta, æstate præsertim, aut vermes apparere, aut recrementa muscarum, quæ microscopio seu ova tersa, & suo potamine obducta cernuntur: hos vermes, exactis 4 aut 5 diebus nonnemo expertus est in ova, partim nigra, partim subrubra facescere. Ex rubris citius muscæ virides, ex nigris tardius culices, vulgo *des cousins* (Germanis Schnaken) emerserunt: sunt hæ muscæ noctu diuque permolestæ, fugantur tamen extemplo accensó funiculo militari, cujus fumum aversantur. Ex ovo musca prodit rupto putamine: segnis & torpida nascitur, sed illios alæ brevi explicantur; & ita est magna ut mirum fit tam angusto putamine eam potuisse compre-

comprehendi. Intra 8 dies ex nigris ovis culices prodire visi sunt.

Ovarium in muscis in duas veluti cellulas dividitur, idque magnum est usque ad miraculum. Ova araneæ pellucent, rotunda ad motum; ex iis araneoli qui statim ac nati sunt, telæ quoddam rudimentum texuere. Ex aranea quinquaginta araneoli prodire visi, quorum nonnulli in vase occluso ab initio Septembris usque ad octavum Februarii vitam sine cibo produxere. Visus est araneus in vase clauso exovias ponere: eas tamen non ab ore, sed ab imo ventre deducit. Nec verom est quod Aristot. ait, Araneam non esse oviparam, sed vivos fœtus edere, nempe caruit microscopio. Phil. Burg. tom. 6. parte 3. diss. 3. c. 1.

Papiliones coëunt, & ingentem ovorum multitudinem pariunt, ex quibus erucæ, vulgo chenilles (Germ. Raupen) oriuntur. Hæ foliis arborum, aut herbarum pastæ, plerumque sopore correptæ exuvias ponunt; quædam velut ex serico nidulum parant: aut aliæ sine nido aut serico involucro corruganturin chrysalides, quæ aliquot fila sericea emittunt, quibus arbori aut saxo adhærescunt; aliæ nulla texunt fila, sed a vento huc illuc aguntur. Ex chrysalide papilio, interim musca nascitur.

Apes ex bove nasci prodit Virgilius, dum canit:

Nonne vides, quacunque mora fluidoque calore
Corpora tabuerint, in parva animalia verti?
I quoque delectos mactatos obrue tauros
(Cognita res visu) de putri viscere passim
Florigeræ nascuntur apes.

Ex Equi putrescentis medulla vespæ surgunt & crabrones teste Ovidio:

Pressus humo bellator equus crabronis origo est.

Vnde Isidorus Crabronem a Cabo, id est caballo derivat. Ab asino putrefacto (teste Plinio Lib. II. c. 20.) ducunt ortum scarabæi, egregio parente digna progenies. Scarabæorum autem non una est species; sicut & seminiorum ex quibus profluunt: non enim ex Asino tantum, sed ex equorum & boum excrementis, ut diximus, nascuntur. Qui aureo viridique colore sunt, rosisque delectantur, *Chrysocanthari* vocantur. Qui ramosa cornuum forma majores sunt & nigri, *Canthareläphos*, *scarabæo-cervos*, vocamus. Curiosum experimentum se fecisse narrat Kircherus circa scarabæum nigri coloris, qoem ubi vitro ioclusit, spirituqoe vitrioli una ærugini mixto rigavit, statim colore mutato in aureum ex viridi tralucentem transiisse testatur.

XLVII. Quær. 4. Vnde vermes, qui in animalibus, potissimum hominibus, nascuntur? Resp. Certum esse ab experientia in hominibus, non solum in intestinis oriri lumbricos, sed & nullum esse hominis membrum, sive internum sive externum, quod vermes & cætera animalcula non producat: & ut eas, qoas homo per secessum emittit, omittam verminosas fœturas, inventi sunt primo *in cerebro* non vermes duntaxat, sed & cimices, scorpiones, Iuli &c. *in auribus, in lingua, in oculis, in cranio, naso* variis sane casibus observati sunt; in phthiriasi quoque seu pediculari morbo totius corporis massa in vermes resolvitur; in manibus, pedibus, coxis, pudendis ricini subinde fœturam suam exponunt, uti supra de acaris meminimus. Ferunt enim, ait Forerus in Disput. Phys. de Putrefactione, nostro ævo fuisse Cauponem Viennæ in Austria, qui artocreata & farrimina ex humanis carnibus, ut sapidiora essent, confecerat, quæ per plusculos dies servata, mox scatere pediculis cæperunt, & Authorem sceleris prodiderunt. De Lucio Sylla refert Plinius Lib. 11. cap. 3. ejus corpus putrefactum esse totum, & in pediculos versum, ita ut cum multi interdiu & noctu sublegerent eos, plures tamen semper succreverint.

Omnes morbi, sive externi sive interni, vermibus obnoxii sunt, si Kirchero fides. In sanguine vermes nasci, non solus Theophrastus Lib. 2. de plantis docuit, sed & experientia docet, ut ostendit idem Kircherus in suo Scrutinio Physico-Medico de Peste, ubi & omnem gangrænam, lepram, psoram, elephantiasin, luem veneream, pestem, nihil aliud esse quam verminaginem quandam insensibilem, quia bestiolæ continua corrosione vicinam carnem vivam in potredinem docunt: imo in interioribos vitalibus membris, stomacho, hepate, corde, renibus, pulmonibus, cerebro, vesica, liene vermes invenies, uti testantur Schenckius, Mercurialis, Pareus, Cardanus & alii Medici: imo ranas, serpentes similiaque tum intra cutem, tum vomitu rejectos legimus.

XLVIII. Quæ cum ita sint, quæritur unde hæc verminosa fœtura originem suam traxerit? & Respondetur causam esse alimentum, quo nutriuntur homines, hoc est cibum & potum; quod ut intelligatur.

Notandom 1. Duobus ali hominem: vel nutrimento animalium, vel herbarum plantarumque, vel quæ ad hæc quovis modo revocari possunt, ut sunt lacticinia, & omnis generis fructus.

Notandum 2. Animalia alimentum vegetabilis naturæ plerumque assumere, variis muscarum vermiumque differentibus seminiis infectum, quod deinde in hominum alimentum cedens una secum defert dicta seminia; alimentum deinde in aliti substantiam versum, ubi proportionatum humorem teperit, ibi calore intrinseco fermentatum tandem excludit pro qualitate seminii vermem, pristino vel similem vel degenerem.

Quod autem subinde ranas aut serpentes vomuerint, exinde ortum verosimile, qood cum aquæ haustu seminia illorum animalium deglutierint. Hoc pacto pueri, qui frequenti usu lactis (quod vermibus scatere compertum habemus) nutriuntur, ut plurimum vermibus lumbricisque replentur: lac enim primus animalium chylus; lacti veluti chylo animalium diversa herbarum seminia primo communicantur; hæc ab hominibus, præsertim tenerioris ætatis & calore blando pollentibus assumpta, facile in vermes animantur.

Quod etiam in hominibus adultis accidit, dum verminosam fœturam in herbis inseosibiliter latentem inconsultius sumunt; aut etiam carnes animalium non recentes, sed jam rancidas infectasque, & abditis vermibus scatentes in nutrimentum assumpserunt; quæ seminia pro membri, cui alimentum distribuitur, dispositione humorumque systasi statim sese exerens, vermem excludit, qui pro malignitate ejus vermis, a quo fuit decisus, malignitatem majorem vel minorem; aut pro veneni proprietate in vermibus latentis notabile damnum homini confert: cum nonnulli febres malignas & putridas; quidam internas membrorum corrosiones; aliqui symmathico quodam magne-

magoetismo, nunc ad hoc nunc ad aliud membrum infestandum ferantur. Hinc fit ut qui *cantharidum seminium* incautius sumpserint, vesicæ exulcerationes incurrant, sanguinem mingant, tentigine inflentur.

Non molestè ferat benevolus Lector, si de pediculorum, pulicum cimicumque genesi pro conclusione hujus tractatus quædam apponamus. Pediculi non ex carne humana, non ex sanguine corrupto, neque ex putrefactione in hominibus nascuntur: Non primum, ut Arist. putavit, quia sequeretur omnes homines pediculosos esse, cum tamen id solum fieri videamus in iis, qui paupertate pressi, multas immunditias in corpore colligunt, aut crasso, sordido & inquinato nutrimento utuntur, uti pauperes & multum sudantes, nulla indusiorum facta mutatione, ut milites, mendici, & fratres mendicantes, aliique honestum corporis cultum negligentes &c. Non secundum, quia experientia constat in firmos & malignis febribus decumbentes, qui prius pediculari fœtura onerabantur, statim ab ea immunes fieri. Itaque pediculi nascuntur ex spiritibus seminalibus in alimentu latentibus: ex homine enim, uti & ceteris animalibus constat, exspirare spiritus animales & sensitivos per continuam corporum transpirationem, quos secum deferre partes aliquas crassiores & sordidas certum est. Si ergo contingat, ut sordes illæ crassiores & unctuosæ inter carnem & cutem per sudorem coactæ hæreant, aut pilis; quæ sordes uti sunt aliquid ab animali decisum, ita ut aliquid natura sua idoneum ad excipiendos iterum illos spiritus animales exspirantes ex corpore, & hoc pacto vis in spiritibus latens format pro crassitudine aut subtilitate materiæ, aut *pediculum* ex sordido phlegmate, aut *pulicem* ex subtiliori sanguinis putrescentis portiuncula ex venis capillaribus in sudorem versa, aut *cimicem* (quem Græci ψύλλαν dicunt, Galli *les punaises*, Germ. Wantzen oder Wand-läuse) ex ejusdem crassioris inquinati sanguinis, quod phlegmati misceetur, halitu producit.

XLIX. Porro *Pulices* non solum ex sanguine putrescente, sed ex urina quoque pulveribus pavimenti commixtis, vel ex propriis quoque pulicis excrementis nasci compertum est. Coitu quoque se propagare eo modo, quo in cæteris insectis fieri solet, quotidiana experientia lendes pulicum nos docent, circa quod erravit Aristot. qui lib. 5. hist. c. 1. ait: "Coitu pediculorum procreantur muscarum vermiculi; pulicum genus vermiculorum ovi speciem referens, ex quibus nec ea, quæ generarint, proveniunt, nec aliud ullum animal, sed id quod sunt fordes tantum persistunt." Certe, inquit Kircherus, si is subi optici usum (cujus inventio nec Galilæo Italo, nec Mario Brandeburgico tribuenda, cum tempore Conradi, cognomento Philosophi, Monachi Scheirensis, qui obiit Ao. 1241 jam fuerit in usu: Imo Sylvester II. Papa, Monachus Floriacensis, (qui sedis circa finem sæculi decimi) conficiens horologium Magdeburgense jam eo usus est, teste Caramuele in Theol. Regul. num. 1780.) novisset, non id dixisset, cum sæpenumero ex ovis ingentem pulicum copiam emersisse observaverim.

SECTIO IX.

Opiniones Epicuræorum contra Harmoniam & Providentiam. Item Empedoclis, Aristotelis, Luciani, Ovidii & Mahometis variæ proponuntur examinandæ.

L. Epicuræi & nostri temporis Indifferentistæ, verius Athei, putant omnia casu temerario evenire, nulla duce Sapientia, & Ratione Mundum regente. Ergo nullam esse Harmoniam & bonum, gratia cujus res operentur: sed casu quodam impelli ob agitationem atomorum in Vacuo, & prout res feruntur diversimode copulari, & generationes fieri & corruptiones, ut fert Casus. Sapientiam quoque casu fieri in homine autumant, prout moderni Cartesiani volunt accedere in brutis. Et figuras, & colores, & actiones & passiones ex agitatione atomorum, quæ sunt semina rerum. Mundum quoque casu factum, nulla cum ratione aut harmonia. Et plures esse Mundos extra hunc Mundum diversarum figurarum, ex atomis in infinito vacuo exagitatorum, casu compositis. Nam si esset DEUS, aut vis aliqua sapiens effectrix rerum, non fierent Monstra ulla, neque permitteret tot mala, utque boni perpetuo affligantur, & parvi homines prævaleant.

Item ait Lucretius: *Cur genus horriferum profert Natura ferarum? Et culices, & muscas & pediculos?* Nonne videmus casu a calore æstivo gigni spiritum in crassitie ingenerante: & casu a frigore hiberno occidi: solem vero casu nasci & mori quotidie in diversis mundi partibus, unde calor multus exhalat: & casu fieri tempora & res? si enim, ut essent, fierent ab Artifice non statim morerentur. Sed omnis generatio est casualis corruptio: & animalia se mutuo comedunt quadam violentia compulsa. Itaque violentia stare Terram putat, & Cœlum verti a vaporibus, sicuti rotæ a fomo, qua verua circumvolvunt: & sicut casu natus est Mundus, casu corruiturum: & satis declaravi per pestes, bella, penurias & naturæ inconstantiam, quæ facit res, ut perdat: nam flores ante maturitatem cadunt, ut casus fert; & per hominum stultam temerariamque vitam, nihil fieri Numinis Decreto, sed casu.

Item si DEUS est, non solicitari cura rerum, sed extra Mundum seipso beari: quoniam stultus esset, tot curas suscipere sine causa. Et Aristoteles damnat Anaxagoram, quod Deum nullo proposito fine Mundum distinguere introduxerit.

Empedocles putat, res de materia necessitate ita provenire, & non ob certum finem. Non enim, ait, cadit deorsum pluvia, nisi quia gravis: quod autem terram reficiat, non est intentum, sed casu accidit. Similiter enim pluvia frumentum non maturum fovet, & maturatum collectumque in area dispergit, corrumpit obruitque. Et lapides crasi sunt in fundamento domus necessitate materiæ, quia graves in tecto non possunt sustineri, non autem propter melius. Et sic de cæteris philosophatur, teste Aristotele.

LI. Aristoteles autem hujus convictus rationibus putat, partim casu res fieri, partim propter finem, & melius; & conficit Philosophiam compositam ex Platonica & Empedoclea. Pluvia, inquit, fit ad frumenti generationem, ut in pluribus, sed interveniit aliquando in destructionem in area ut dictum est: similiter natura vult facere hominem, & facit monstrum: sed hoc præter intentionem raro; illum ex intentione & quasi semper; quoniam potest impediri a materiæ indispositione, vel contrario agente. At in 12. Metaph. putat, Deum nil curare inferiora: sed Mundum ordinatum esse, bonumque ejus esse ordinem ab intus, ab extra vero Deum: hunc autem ordinem esse sicut domus

mus, ubi filii patrisfamilias propinquiores omnia ordinate agunt, & nihil temere; ita & Cœlum & Orbes & Intelligentiæ moventes, ut illi assimilentur: inferiora vero esse similia servis, & bestiis in domo, multa præter intentionem patris familias agentibus, & a casu: quoniam ejus eruditionem a longe assequuntur. Non tamen Patrem familias curare inferiora, ne vilescat; sed res curare ejus assimilationem: & moveri ab eo, non ut ab influente, sed ut a desiderato objecto.

Mahometani vero & Calvinistæ, omnia curari a Deo dicunt; & peccata & mala fieri ab ipso ad sui gloriam. Alii vero ut Ovidius, Homerus & Lucianus Deum Fato supponunt. Nam dum tonat, ut interficiat impios, fulmen a Fato ducitur, quo non vult, scilicet contra templum ipsi Deo sacrum. Stoici apud Plutarchum, Deum curare magna, non minima. Plinius, non posse omnia ob Mundi immensitatem & rerum diversitatem, ubique & simul; sed redire nunc ad has, nunc ad illas, providentem.

LII. Hasce sententias confutare facile quidem est, non tamen ita facile respondere argumentis. Videmus etenim apes & formicas ratione gubernari, & plantas ratione efficere folia, fructus & spinas; & animalia ratione quadam oriri, non omnia ex omnibus, sed ex propriis quæque seminibus, imitantibus ideam generantium, & ratione quadam regi: similiter & homines in Regno & Repub. multo uti consilio, & in actibus propriis, ergo Ratio est in Mundo; ergo & prima summaque Ratio, unde omnes rationes derivantur. Et profecto recte dicit Tullius: si quis a Mundo Providentiam Dei tollat, is primo neget Athenas Areopagi consilio gubernari: stultum sane est tribuere partibus, quod non est in Toto. Mundi quoque constructio & animalis, in quibus singulæ partes propriis dedicantur officiis, & dum se servant, alias servant quadam necessitate harmonica, ut qui Architecti sapientiam neget, neget se in Mundo esse. Si enim hoc, quod dicit, res casu fieri, probat casu, non est illi credendum, ut temerario casui loquenti; si ratione probat, ergo datur ratio in eo, & in aliis, ergo & in Mundo est Prima Ratio fons omnis rationis, ut probat Ecclesiasticus & Seneca & Cicero.

Præterea Solis vicissitudines & anni tempora, stellarum ortus & occasus, non temerarii, sed ratione quadam facti ad Universi ordinem & conservationem, vel cæcis ostendunt Authorem rerum. Et Epicuræi putantes oriri & mori quotidie Solem casu quodam, non modo stulti apparent ex eo, quod intra Tropicos describit perpetuos ordinatim parallelos, quod casu fieri non posset: sed qui jam Mundi ambitum post Columbi navigationem cinxerunt experimento notissimo etiam bestiis, comperiere eundem Solem circumferri continuo, & rerum facere vices ea, qua cernimus, ratione.

Sed & hoc nunquam declararunt, qua ratione potuerint atomi conglutinari in temeraria sui agitatione ita, ut Mundi constructionem artificiosam produxerint. Videmus enim non posse hominem & arborem agitatione atomorum fieri, sed ex suis seminibus, propriisque temporibus & actionibus: & exemplum Lucretii de 24 literis, quibus vario ordine, situ & figura compositis fiunt libri multi, condemnat eum. Non enim Atomi millibus millium vicibus vitium agitatæ ad Mundi constructionem ordinatissimam venire potuissent: sicut neque literæ omnes, quæ sunt in Virgilii Æneade millies jactatæ casu potuerunt convenire, ut Æneidam componant. Sed ab Arte semel citoque fiunt, ut patet in Typographia. Quapropter stultum est, tribuere casui, quod summo constat artificio; & non arti: & multo stultius cum Casus non possit facere, quod Ars: quamobrem negare Mundi Artificem, est negare me scripsisse hunc librum, & Virgilium Æneidam, & Lucretium libros suos de Rerum natura. Multo autem stultius cum putat res non fieri propter finem: si enim ipse scripsit librum propter finem, ut doceat alios, & vivat in fama, ipse, ac gloria: & cum videat naturam similiter facere: nam planta facit spinas ut se defendat, sicut nos facimus gladios: & folia contra frigus & æstum; ut nos vestes & umbracula; & fructus contra mortem; uti nos filios, in quibus vivamus, & statuas & codices: utique Naturam agere propter finem dicendum erat.

LIII. Sed ajunt Epicuræi & Lutherani, nos casu compelli ad fabricandos gladios, & domos & vineas; & quodam casu hæc facere, ac deservire ad vitam: ita & oculum fabricatum esse non propter videre, sed casu, tamen animal uti illo ad videndum postea; sicuti planta casu facit fructum, nos tamen utimur illo fructu, qui non est factus propter nos. In hoc tamen differunt Lutherani, quod plantas necessario fructificare, & nos necessario uti fructibus, compellente Dei providentia, non casu putant: nec hunc errorem omnibus Lutheranis imputatum velim, liberum enim arbitrium hominis prudentiores ex illis hodie admittunt.

His autem reclamat Ars & Natura: palam enim est nos conficere gladios propter finem belligerandi & nos defendendi; quapropter non ex omni materia, ut ex ligno molli aut frangibili lapide, sed ex ferro duro & non facile frangibili illos cudimus & cudi facimus, & formam damus aptam ad perforandum in extremo, quo petimus hostem, & cum hac intentione & idea expressa in forma gladii & in usu comprobata, ipsos fabricamus. Dicere autem oculos non esse factos gratia videndi, est stupidi ingenii, ac ejusdem qui putaret, gladium non esse fabricatum gratia defensionis & offensionis: quod autem ait, nos uti fructibus arboris non factis propter nos, pauci est sensus. Ad quid enim tam multiplici fructu oneratur arbos, nisi ex confessi quasi causa, quod non solum sui intendit immortalitatem, in paucis enim ejus posteritas salvaretur, sed intendit animalium quoque alimoniam. Eadem ratio est de piscibus, ovibus & cæteris animantibus tantopere multiplicatis ad usum hominum. Quod si Epicuræi considerassent, quomodo natura non ob unum finem, sed ob multos, res efficiat, vidissent profecto Authorem Naturæ sapientissimum, & laudassent, ut decet.

LIV. Cum autem queruntur, cur fiant serpentes, muscæ & alia noxia animalcula: videntur loqui tanquam sui amantes nimis. Non enim Mundus, & omnia quæ in eo sunt, facta sunt propter Epicuræos, neque propter solos homines, sed ut alia aliis prosint rebus. Nonne napello, qui nobis & ovibus est venenum, coturnices vescuntur? Aviculæ autem moscis, araneis & vermiculis? Aquilæ autem, & Ciconia & Cervi serpentibus? Tolle omnia nociva, & nihil erit in Mundo: quoniam omnia nocent omnibus. Et quia ex prima contrarietate est omnis pugna, discordia & infeli-

infelicitas: si tollis primam contrarietatem, tollis prima Principia calorem & frigus, & Elementa, ergo Mundum corporeum: & quia contrarietas exercetur ex sensu contrarii destruentis, & amore propriæ conservationis, & potentia entis: tollemos mox Mundum mentalem & Deum. Quapropter nesciunt quid petant, ita peteotes.

LV. Sed rursus instare possent. Quare Deus non fecit, ut Mundus ex contrariis non componeretur: sed ex rebus diversis, & otirentur res absque discordia, & mutuo omnes amore fruerentur, & sicut de sæcolo aureo dicitur, nulla nocerent animalia, sed omnia omnibus proficua essent? Respondeo, ablata contrarietate Mundi, tollitur distinctio & omnia vertuntur in Chaos, Neque ignis iret sursum, nec gravia deorsum, neqoe venti in latera, nec homines in civitates: sed ubicunque reperirentur res, ibi manerent: siqoidem ad loca soa vadunt, quia fugiunt contrarium noxiom, & quærunt simile conservativum. Si autem nulla esset contrarietas, homo viveret cum draconibus, oves cum lupis, cum vulpibus anseres & gallinæ, & species rerum confunderentur, & mutuo coitu vulpanseres &c. procrearentur: ignis esser in aqua, & tellos in cœlo. Verbo, rerum facies periret. Ergo necessaria est contrarietas, & distinctio & ordo ad Harmoniam. Illa autem Harmonia quam Epicuræi excogitarent, esset Chaos rude indigestumqoe. Præterea nulla fieret corruptio, quoniam alterum alteri non noceret: ergo neque generatio, ergo quæcunque Deus ab initio entia fecisset, illa semper perseverassent, & nos nati non essemus.

LVI. Pacem istam & harmoniam in hac vita mortali, ut scilicet omnis absit contrarietas, error & mors, instinctu Dei omnes quidem optamus, sed finita hac Mundi periodo, facto cœlo Terraque nova juxta promissionem sacræ Scripturæ ad Rom. 6. Idcirco standum est in confessione divinæ providentiæ, quam omnis naturæ particula manifestat. Si enim intuearis muscarum compositionem, & pedes & alas & ventrem annulosum, & oculos & os, quamvis nullum ob finem facta esset musca, tamen a sapientia potentissima ipsam fabrefieti conspicies. Si ergo relocet sapientia in serpentis, & muscæ & pulicis constructione: & sapientia nihil casu operatur, utique fatendum est ad finem: quamvis nec finem ipsi pernoscamus.

Non enim omnis humani opificii instrumenta, & usus eorum novimus: quomodo ergo cognoscemus instrumenta & fines Dei? Sicut si rana ingrediatur domum nostram & ibi videat matulam, & cochlear & arcem, & ligonem & librum & lasanum, atque putaret vel non esse ad aliqoos usus, vel ad alios quam nos utimur. Siquidem mus cacat super libro tanquam in lasano; manducat merdam nostram taoqoam in patina: & in arca fopercurrit tanquam in deambulatorio; unde ad alios usus vertit omnia organa nostra: nam & rodit vestem, non induit. Ita sumus nos in Mundo, quod est Opificis summi laboratorium & Naturæ officina, & longe magis insipientes: unde usus rerum non intelligimus; & patet ad sensum ita se habere.

Fingamus enim omnia esse facta propter hominem, quod quidem verum est, sed non ob solum hominem. Sol enim circumvolvitur, non pro hominibus solum, sed pro cunctis rebus: & licet homo utatur cunctis & sit finis omnium quodammodo, ut dicit Arist. 1. Polit. homo tamen est & propter alia entia.

LVII. At dices, quid prosunt serpentes, muscæ, pediculi, araneæ, pulices & innumera animalcula noxia & inutilia? Resp. Multum per omnem modum, nec parva obvenit utilitas hominibus ex rebus hujusmodi. Si enim noxia illi non essent ulla animalia, tunc dormiret in nemoribus & campo, & nullo metu cogente, secum mutuo non communicarent, & periret politica. Item si muscæ & pediculi in politica adhuc non essent, perpetua pigritia tabesceret. Sæpissime (scribens de seipso Campanella L. 9. Met. cap. 9. art. 3.) muscæ & pulices me revocant ad studium, & de noxio excitant somno: pediculi in carne mea non nascuntur, quoniam absoluta puraque inest corpori temperies, odorosaque nulli subdita unctuositati & fœditatibus; & hoc mihi bonum evenit, ne in afflictionibus diris, qoibus me Deus per bis sexdecim prope annos subdidit, hoc cruciaret insuper stimulo. Et quoniam natura vigilanti donatus sum, pediculis non indigeo, sicuti viti pinguedine & phlegmate gravati & somnolenti: & quidem hæ bestiolæ quadam materiæ necessitate oriuntur, dum agitatus cum sordioe calor ingenerat spiritum & corticem vestit: & tamen ob melius est, quoniam sordities deficit, exercitium paratur; ars Dei relucet in omni re, vel tantilla.

Multos quoque harum rerum usus ignoramus: sicut enim cholera & bilis atra & sputum, & distillatio ex capite deorsum, & pili, sunt ob usus magnos, quamvis noxia videantur esse excrementa: sic animalia noxia videntur quasi Mundi excrementa; ad mirificos tamen usus, quorum plurimos scimus, & innumerabiles ignoramus. Macrocosmus ergo ex Microcosmo declaratur.

APPENDICVLA.

An vini mutatio in acetum fiat per putrefactionem.

LVIII. Ante resolutionem hujus quæstionis prænotandum est ex Leone a Stipire, de Religione Mentis Parte I. cap. 7. pag. 60. *Fermentationem, Putrefactionem & formationem* non esse confundendas, sic ut qui temere confunderet eas stupore sensuum laborare videatur. Confundunt autem, qui putredines eas, quæ febrium causæ sunt, vocant *fermentationes*. Fermentatio nil aliud est, quam partium diversæ naturæ dissociatio, alteratumve tum præhensio & mistio, tum expulsio & præcipitatio, quæ necessario debet fieri per medium quoddam valde activum, nempe per acidum succi. Est ergo tantum corporum mixtorum, maxime tamen liquorum, succorum, fæcum & massarum. Hinc aqua simplex pluvialis distillata per se caret potentia fermentationis, per se vero corrumpitur, putrescit aut condensatur; Corruptio autem, putrefactio, condensatio & fermentatio sunt actiones inter se disparatæ. Deinde oleum & simpliciter oleosum incapax est fermentationis. Liquor urinosus, qua talis, fermentationem non solum non suscipit, sed e contrario tollit. Lixivialis liquor est ineptissimus ad fermentationem, quia inimicissimus ei. Sic muriam unquam fermentatam aut fermentabilem factam non constat. Constet ergo nec ipsam aquam, quæ Salium vehiculum est, fermentabilem esse, nec sales in aqua solutos instituere solutionis fermentationem,

neque hos aliis liquoribus in fusos eam promovere, sed potius destruere. Id quoque dicendum est de Salibus siccis, id est non dissolutis, puta de sale salso, culinari, sale urinoso, sale lixiviali, tartari, cinerum clavellatorum, alcali & similibus: qui omnes sive per se, sive aliis rebus admixti, nec fermentant nec fermentantur: sed ipsos succos fermentabiles impediunt, quo minus queant fermentari, eam quidem ob causam, quod adversando naturæ acidæ, eam supprimant, a qua sola depĕndet fermentatio. Sic meminit prædictus Author, Cerevisiam ex acido vappescentem injecto a se Nitro fixato totam fuisse potabilem factam & saporosam. Hoc dixisse sufficiat, quod actio dissutionis in aptis materiis sequitur calorem pepanticum (quod in ovis subventaneis conspicuum est ad putrefactionem, & in fœcundis ovis ad formationem, in massa farinacea & Cerevisia ad fermentationem, imo & rarefactio & spumositas, si spatium datur: sed ejusmodi actio in genere considerata non efficit idenotatem alterationis, eoque non admittit eandem etymologiam, quoad subsimili actione diversa causa efficiens materiam diverso alterat, sicut finita actione longe diversa ratione effectus habeatur. Nam sub eodem gradu caloris fit cerevisia e polenta decocto, ex ovo pullus, ex aqua stagnante putridu amurca: quio & odor manifestat diversitatem actionum, qui odor in fermentat ne suavis, salubris est quadam fragrantia; in putredioe insalubris & fœtidus; in formatioe pene nullus; simile quid sapor indicat.

Porro sub fermentatione, qua tali, non generantur Insecta, sicut sub putrefactione: sic a calore aucto brevior redditur fermentatio, spumaque augetur; putredo vero spumositatem, si quam habet, amittit inde, sicuti & partes spirituosas: putridum quoque facile aduritur. Deinde sub Fermentatione exaltatur atque perficitur totum, quod sub putrefactione destruitur. In Fermentatione causa efficiens Acidum est; in putrefactione salso-aqueum. Sub fermentatione oriuntur partes nobiles, quæ sub putrefactione corrumpuntur.

LIX. Putrefactio ab Arist. 4. Metaph. c. 2. definitur: *Corruptio ejus, quæ in unoquoque humido propria & secundum naturam caliditatis, ab aliena caliditate, quæ est ambientis.* Cujus sensus est, Putrefactio nihil est aliud, quam resolutio mixti in Elementa. Sicut autem generatio mixti tunc fit, quando activæ partes obtinent certum dominium supra passivas; ita quando hoc dominium amittitur, mistum perit. Quia ergo per calorem ambientis partes calidiores & humidiores evocantur e misto, ita ut destruatur ille nexus humidi cum secco, calidi cum frigido, putrescere mixtum dicitur, & in Elementa resolvi. Et hæc putrefactio alia est perfecta, nempe secundum totum: alia imperfecta, quando id quod putrescit, vel non est perfectum mixtum, vel quando tantum accidentaliter mutatur. Ita P. Laur. Forerus thes. 3. de Putrefact. Iam Respondeo Acetum generari actione aquosarum partium in vinosas, frigidarum in calidas, donec hæ ab illis superentur: & hanc actionem juvat calor ambiens; dum enim partes vinosas & calidas rarefacit, & ad superiora vocat, colliguntur in ferius aquosæ & robur sumunt, ut fortius in vinosas agant: vinosæ autem ob illam ipsam raritatem minus resistunt. Unde fit ut ex mutua illa partium inter se actione, aceti forma resultet, victoriam obtinentibus aquosis partibus. Hinc acetum virtualiter admodum frigidum est. Quæ mutatio non est proprie putrefactio.

TRACTATVS XXVIII
DE
GRAVI ET LEVI, DENSO ET RARO, TENSO ET COMPRESSO.

Difficillimas hasce quæstiones sub uno Tractatu comprehendere suadet earum inter se connexio. Gravia descendere deorsum, experientia docet: hujus tamen motus causam adeo abstrusam esse fatetur Author Philosophiæ Burgund. tom. 4. Phys. Gen. Tract. 2. differt. 2. cap. 1. ut nulla fere sit occultior, nec quidquam de illius natura certi aut explorati nobis constet. De Raro & Denso doctissimus P. Honoratus Faber Tract. 1. Phys. Lib. 3. sic præfatur: "Nihil fere est "apud Scholasticos, in quo ipsi majorem difficultatem "patiantur, quam in explicandis rarefactionis & con"densationis affectionibus; vulgo in scholis nodus in"solubilis esse dicitur, difficultas insuperabilis, res de"mum tam occulta, tam abstrusa, ut nullii mortalis "hominis ingenio pervia esse possit." Difficultas oritur tum ex definitione Aristotelica, qua rarum definitur id, quod sub magis dimensionibus parum habet materiæ; tum ex diversis hypothesibus, quidam enim cum Democriticis omnia corpora ex meris atomis conflata, & vacuolis interpolatis volunt, alii omne vacuum excludunt: hinc rarefactionem proprie dictam (hanc vocamus cui definitio data competit) citra vacuum, & de condensationem absque punctorum penetratione inconceptibilem putant. Quamobrem negant absolute dari Rarefactionem proprie dictam, sed experimenta omnia conantur explicare per intrusionem corpusculorum alterius materiæ subtilioris, quam sententiam tuetur Phil. Burgund. dicitque jam pene vulgatam esse, quam tamen acerrime impugnat Honoratus Faber, Campanella, alii.

I. Cæterum quidquid hac in parte senserit Aristoteles, nos non urget, nec illios in verba juravimus: aliorum de eo judicia sufficiat attulisse. Mox cit. Honor. Faber propos. 38. hic: "Vt dicam, quod res est," in iis quæ pertinent ad gravium motum, non tam accuratus fuit Aristoteles, quam aliquis forte desiderarat, in quo sane multæ falsitatis a Galilæo convictus," est.... Adde quod in lib. de Cœlo habet multa," quæ jam vix ullus Philosophus probabit de quo alias," (ut quod Sol non sit calidus formaliter, uti mox dicetur). Nam ut summe revereor insignem illum," Philosophum, ejusque placitis insisto; ita, si quando," accidat, quod aliquando, raro licet, admittit, ut ea," dicat, dubitando scilicet, vel tantum proponendo," vel ex alterius sententia, quæ vel evidens ratio, vel," certum experimentum manifestæ falsitatis convin-," cat,

"cat, eo certe animi candore præditus sum, qui ea non dissimulet, sumque veritatis amantior, quam ut illam unquam sciens & prudens prodere, seu fallere possim. Eadem confirmat idem Author ibid. propos. 62. pag. 268. Equidem fateor Aristotelem nonnulla de gravitate scripsisse, quæ manifestis repugnant experimentis & rationibus; v. g. *Ex duobus corporibus inæqualibus, ejusdem materiæ, & figuræ, majus velocius descendere: ex duobus æqualibus, sed diversa materia, gravius in ea proportione velocius descendere, in qua est gravius: idem grave per diversa media, in ea proportione descendere, in qua unum medium alio densius est.* Sed hæc falsa esse omnino, jam alibi demonstravimus. Porro discedere ab Aristotele, si quando vel manifestum experimentum, vel evidens ratio cogit, nullum vitium est: & vero multa dicit, quibus vel divina fides adversatur„ v. gr. *Non posse esse plures Mundos; Mundum esse ab æterno, nec corrumpi posse, cum ortum non habuerit; cuncta, quæ ortum habuere, interitum habitura: Deum esse agens necessarium* &c. Vel manifesta ratio, & experientia, talia sunt ea, quæ habet de numero, & motu Cœlorum, de Cometis, de Galaxia &c.

II. Idem Faber tom. 4. Phys. Tract. 8. L. 1. de Planetis prop. 5. recte statuit, *Solem esse verum ignem* contra Aristot. Quam Propositionem sic stabilit: "Iam hoc tempore inter alicujus notæ Philosophos hæc communis est: pro qua Authores non adduco, quos vide sis apud Scheinerum, *in Rosa Vrsina*, Riccioium, Kircherum & alios, sunt enim plusquam 30, e SS. Patribus, qui huic sententiæ subscripserunt, quorum auctoritas eo in loco apud me est, in hac præsertim materia, ut Aristotelicæ (cui miror adhæsisse Card. Sfondrati in sua Philosophia) longe anteponenda esse videatur; nempe sunt fideles sacræ historiæ Interpretes, quam Moyses de rerum creatione nobis reliquit: nec quæstio Iuris est, ut vocant, sed facti, pro quo testes illi erunt omni exceptione majores. Et vero, neget Aristoteles, solem igneum esse; an forte negaret, fieri potuisse, ut igneus esset? cur igitur igneum potius, quam non igneum esse pronuntianti credemus? An forte creanti Deo Consiliarius assedit. Sed Sol est incorruptibilis, cum aliis cœlestibus corporibus: esto; erit incorruptibilis suo modo; quidni erit ignis incorruptibilis, in eo scilicet subjecto, quod ab igne destrui non possit, ut aurum, vel aliud simile, quod facile Deus creare potuit?„

Et difflatis ejus rationibus, denuo repetit ut supra: "Vt verum fatear, in his quæ ad corpora cœlestia pertinent, ab Aristotele discedere, nullum piaculum erit, nisi forte nonnulla, eaque pene multa, asserere velis, quæ jam manifestæ falsitatis convincuntur v. g. Cœlum esse solidum & durum: octo tantum Cœlos esse; Cometas esse infra Lunam; itemque Galaxiam; nihil de novo in Cœlo generari: Venerem & Mercurium semper infra Solem esse; & Martem semper supra &c.„ Sed his omissis, volui specialiter rationes validissimas Insignis hujus philosophi hic addere, ut appareat quantum hallucinetur. Cornelius Bontekoe, negans Solem esse calidum, & lucidum, minus igneum Lib. de Motu c. 6. edit. Lugduni Batav. Ao. 1688. cujus verba alibi jam adduximus.

III. Contra quem, ejusque similes sic arguit Hon. Faber:

(1.) Corpus illud igneum est, quod in summo lucidum & calidum est: Sol est hujusmodi, ergo igneus est: min. certa est; quin sit lucidus, nemo negat (nondum viderat modo nominatum Medicum, qui Physicam suam edidit ao. 1671.) quod vero sit formaliter calidus, patet, quo enim argumento probabis ignem esse formaliter calidum, quo ego æque facile non probem, Solem esse formaliter calidum? Ignis est calefactivus, inquies, ergo & formaliter calidus: pari modo, Sol est calefactivus, ergo & formaliter calidus, quid enim cogit aliam causam caloris adstruere? Si solem dicas tantum eminenter calidum, hoc est, non quidem calorem ipsi inesse, sed tantummodo vim caloris productivam: ego pari modo & jure, ignem calidum eminenter dicam: cur enim de Sole potius illud adstrues, quam ego de igne? Dices Solarem calorem diversæ rationis esse a nostro. Ego sane hanc diversitatem non sentio, & vix intelligo; equidem solaris calor longe purior est, hoc est in pura tantummodo qualitate diffunditur: nempe ignis noster multas igneas particulas cum calore simul emittit quarum scilicet admixtione calor impurus vocari posset: illa tamen caloris qualitas, quæ a Sole & ab igne diffunditur, ejusdem prorsus rationis est. Hinc Sol exsiccat, calefacit, rarefacit, liquat, accendit, urit &c. quæ nostro etiam igni competunt. Verbo, aut sensus nostri nos in omnibus fallunt, aut in hoc illustrissimo sensibili, ut sic loquar, minime fallunt; tam enim video Solis splendorem, & calorem sentio, quam video album parietem, qui modo ante oculos meos versatur. Iam ad maj. quod spectat, negari etiam non potest; alioquin si hanc negas, quomodo quæso probabis accensam lucernam ignem, seu flammam præferre? si enim neges hanc propositionem, illud scilicet corpus igneum esse, quod est lucidum & calidum in summo; ergo aliquod corpus, quantumvis lucidum & calidum in summo, non erit igneum; igitur de flamma, quod ignea sit, probare non potest. Sed in meridiana luce cur lucem præfero?

(2.) Sic argumentor. Vel probari non potest de igne nostro, quod ignis sit, vel de Sole quod igneus sit eodem argumento probatur: sed primum dictu absurdum est, quisquis enim sensibus non utitur, non modo inter brutas animantes, verum etiam inter ignavos stipites censendus est; igitur secundum admitti debet: aut si forte negat, profer amabo, aliquod argumentum, quod pro igne militet, quod pro Sole quoque non faciat. Plures rationes & Authoritates tum SS. PP. tum præstantissimorum Astronomorum, & S. Scripturæ Interpretum vide ibid. Hæc interim incidenter insinuata sufficiant Redeamus ad quæstiones de causa motus gravium deorsum, sitne ab intrinseco, an ab extrinseco? Quod enim Thomistæ volunt Grave a generante motum suum mutuari, merito a Scoro & Gregorio Ariminensi id rejicitur: cum effectus ad causam, quæ nihil amplius molitur, & sæpe jam extincta est, referri non possit.

IV. Vulgaris itaque opinio est corpus grave a sua forma, aut potius a qualitate quadam, quæ Gravitas vocitatur, deorsum ferri. Sed hoc omnino displicet, tum quia intellectu difficile est, quomodo forma illa omnis motus sit opifica, aut quo instinctu in Terræ centrum propendeat; tum quid sit illa qualitas corpori gravi congenita, & a generante profecta, quid il-

lam excitet? quo ingens corpus a re tam levi tanto impetu moveatur?

Omnes porro, cum veterum, tum recentiorum opiniones, ad duo velut summa capita referri posse videntur. Ii quippe principium hujus motus vel in ipso corpore constituunt, vel foris accessunt: sive hi gravia a terra trahi putent, ut Gassendus; sive a subtili corpore impelli, ut Cartesius, sive ex utraque sententia media quædam exsurgat. Nos priusquam in re tam ancipiti & obscura declaremus quid verisimilius nobis videatur, necessariam terminorum quorundam explicationem præmittemus, tum a generalioribus & certioribus ad particularia descendemus. Sit itaque,

SECTIO I.

De Centro gravitatis & reliquis centris.

V. Centrum gravitatis cuilibet inest corpori, & est pars seu punctum, cujus respectu hinc inde in eodem corpore æqualia momenta gravitationis insunt. Momentum autem gravitationis, est ponderatio & gravitatio in actu secundo considerata respective, vel ad aliam partem corporis ejusdem immobilem, vel ad aliud pondus & gravitationem in actu secundo. Aliter Momentum gravitatis vel gravitationis, est vis illa, quæ singulis punctis corporis gravis inest, quatenus hoc circa aliquod punctum immobile verti censetur, ut in vecte, libra &c. vel quatenus cum alia contra ponderante seu contraniteote comparatur: a quibusdam sumitur pro ipsa præponderationis exuberantia, vel ipso excessu. Hos terminos Nota magni usus, & caute distingue *Centrum gravitatis a centro gravium:* Illud inest singulis corporibus: hoc vero est punctum in medio Orbis terrarum, ad quod corpora tendunt, modo infra explicando. Ex. gr. si baculum filo suspendas ita, ut utrumque extremum sit, parallelum horizonti, hæreatque in æquilibrio, dicitur suspensus filo ducto per centrum gravitatis: hoc est, gravitatio partis dexteræ ipsius baculi comparata ad gravitationem partis sinistræ, seu momentum ad momentum inveniuntur æqualia.

Si baculus idem, aut lapis, decidat ex alto, centrum gravitatis per viam & lineam rectam (si nihil obstet) omnium brevissimam feretur deorsum ad centrum terræ, sive *centrum gravium:* inde dicitur via seu *linea directionis:* quia tanquam regula dirigit vias & lineas reliquarum partium ipsius baculi aut lapidis. Ratio hujus directionis est, quia in centro gravitatis cujusque corporis inest vis naturalis ad producendum ad extra maximum impetum, quem potest illud corpus: est igitur ibidem maxima gravitas & propensio tendendi deorsum per viam brevissimam. Prob. ant. quia ibi est maxima vis impulsiva ubi maximum impedimentum opponi potest motui locali corporis: sed contra centrum gravitatis opponi potest hujusmodi impedimentum: si enim per illud corpora detineantur aut suspendantur; moveri aut accedere proprius ad centrum terræ non possunt, nisi superato impedimento.

VI. Per occasionem disce hos terminos: *Centrum magnitudinis*, hoc est extensionis præcise, & est punctum in corpore, cujus respectu hinc inde æqualis est extensio partium corporis. *Centrum impressionis* est punctum, in quod si fiat impulsio hinc inde æqualis impetus ab extrinseco imprimitur dato corpori. *Centrum percussionis* est punctum corporis, per quod impingens corpus producit maximum impetum ad extra. Hæc porro Centra non semper sunt unum idemque punctum in quocunque corpore, sed pro ratione diversæ figuræ, & partium diversimode gravium, ex quibus componitur datum corpus; vel distincta puncta, vel unum tantum est pro omnibus illis centris. Inde si gladio vel fuste manu correpto infligatur ictus; centrum percussionis est post duas a capulo tertias partes longitudinis baculi, vel gladii.

VII. Centri gravitatis, de quo initio sect. Proprietates hæ sunt: I. Omnibus corporibus seorsum inest, quæ spectant ad Globum terraqueum. II. Determinat æquilibrium corporum, si ab illo puncto sustineantur aut pendeant. III. Regula est & norma non solum motus localis, sed gravitationis quoque & productionis impetus ad extra. IV. Inde qui sustinet vel detinet corpus per illud punctum, totum corporis pondus sustentat. Atque hinc ratio petenda, cur corpora quædam, licet satis oblique collata, non corruant, uti Turris Bononiensis: pondus enim totum a basi, licet obliqua sustinetur: nam linea directionis a centro gravitatis ipsius turris ducta transit adhuc per basim ejus: adeoque nisus a centro gravitatis urgens per eam lineam in basim tendit, quæ proinde sustinet turrim incumbentem, ac si hæc oblique & inclinate constructa non esset. Quod si linea directionis extra basim solo incideret; minime consistere posset sed prorueret turris, aut quodpiam aliud corpus similiter collocatum.

SECTIO II.

Atomistarum opiniones circa motum gravium referuntur & refelluntur.

VIII. Gravitatem levitatemque Atomistæ plerique in corporibus non nisi passivam agnoscunt, seu capacitatem quandam ad recipiendum in se a movente extrinseco impetum, a quo deorsum urgente gravitas, sursum pellente levitas appellationem sortiatur. Existimant igitur corpus omne natura sua ad motum quemlibet indeterminatum esse, adeo ut plumbea etiam moles, nisi ab externo impellatur, in aëre pendula persisteret. Istum autem motum extrinsecum diversi a diversis derivant principiis: in vortices cœlestes Cartesius; in Solarem virtutem Kenelmus Digbæus; in primi Mobilis impetum Fraocistus III. de lanis refundunt descensum gravium & ascensum levium.

At inprimis & vorticum Cartesianorum, & primi Mobilis motus circularis solummodo est. In orbem igitur secum rapiunt atomos; recta non ad terras usque detrudunt. Qui igitur perpendicularem per illas motum in gravia derivabunt?

Sol vero oblique ut plurimum terris plerisque imminet; recta radios non demittit, non reflectit recta. Quod si igitur radiorum, & impactarum ab illis atomorum impetum sequuntur gravia; leviaque reflexis obtemperaut, nec illa descendent recta, nec recta assurgent ista.

Primo vero etiam Mobili vastissima toto Cœlo, uti suda nocte conspicimus, subtexuntur sidera. Fieri qui possit, quin tot obices ejus in inferiores atomos impetum intervertant? Quid, quod P. Athanasio Kirchero visum, in rerum natura Machinam illam Peripateticorum nullibi reperiri.

In

In Digbæi vero systemate gravibus de noctu quid fiet? an suspensa fluctoabunt in æthere? Certe quæ deorsum urgeat flamma non imminet; vis ad centrum terræ agitans atomos tunc temporis non adest. Quod si, ut videtur quidem atomis ipsis vim tendendi pellendique deorsum alia pondera attribuit, suimet pene oblivifcitur.

Sed ut demus liberaliter deorsum a verticibus Cartesianis; deorsum a Primo Mobili imprimi substratis atomis impetum posse, an hic ad terras usque ac pene ad ejus centrum vires exeret? quæ id suaserit ratio? a pertica exemplum sumunt, cuius si impellas extremum unum, momento eodem impelles & alterum. Nempe atomorum sibi perticas a primo Mobili ad terram protensas non interrupto imaginantur ordine: impressus primæ impulsus momento uno in cæteras derivatur omnes, omniaque interjecta corpora commovet. Sed enim advertant oportet, non æque Fluitantes in æthere atomos, non æque ipsum tot atomorum myriadibus intersectum æthera ac perticæ puncta continua esse. Non igitur æque momento uno in atomos deinceps omnes a prima derivandum esse motum; nempe nec recto omnes situ dispositæ jacent, nec æquales; nec homogeneæ omnes; dilatari quædam amplius sustinent, comprimi aliæ. Vnde consequens omnino est, non nisi ad breve spatium, nequaquam ad terras usque propagandum, si quis imprimatur a Primo Mobili atomis impetum. Certe tametsi quietum injecto lapide paululom turbes æquor, non totum commovebis mare; aliquot definietur Circulis motus universus. Et profecto tidiculus haud immerito fias, si præferas te credere ad culicis volatum, omnem ad summum & imum usque mobile moveri aëra. Nempe densatione quarundam aëris partium propulsarum, motus aëris omnis ad breve spatium expirat. Idem de Cœlesti Imperu, si quis ullus esset, ad immensum pene ad terras usque comparato spatium, cogitare fas est. Non ille in sublunari hoc Mundo atomos, multo minus densa graviaque agitat corpora; non levia ventilat.

Quod si enim tanta agitatis, aut a Cartesianis vorticibus, aut a Sole, aut a primo Mobili atomis detrudendi vis inest, ut densissima humi affligant corpora, qui sustinere Mortales miseri deprimentis eam ponderis molem valerent salvi ac incolumes? Quin cur ne sentiunt quidem? Incumbens sane jugulo grave pondus sentimos admodum. At non ipsom deorsum urget, atomi urgent: urgent enimvero istæ imminentes cervicibus nostris, & magis certe, non interjecto corpore alio. Quidni gravent æque ac magis?

Nempe earundem subtilitate tenuitateque citra sensum penetrari dicunt corpora. Sed enim, si citra motum penetrarent corpora, non gravitarent utique. Gravitant autem, & animantes certe. Graves enim & ipsæ suot, ac si fulcrum subducas, pronæ cadunt, quin tamen ideo ab atomis se præcipitari, quin alia, quam insiti ponderis vi prolabi se sentiant. Nempo absque levibus atomis graves sumus.

Deinde etiam sensu fere deprehendimus, ratioque ipsa nobis demonstrat, non ea velocitate tenuissimas atomos, qua densa graviaque corpora deorsum tendere posse. Nempe validius ista, quam illæ renitens dirimunt permeantque medium. Inde vero concludamus necesse est, non ab irruentium atomorum ictibus gravium motum deorsum esse: prævertunt enim accelerata fuga graviora corpora insequentes atomos, manifesto utique argumento, insito ipsa pondere, non stimolo alieno, deorsum agi.

Porro densissimis quamvis sub rupibus, soluta nexu suo marmora, speluncæ infima petunt: qua vero tum atomorum impellente vi? Solaris flamma non premit, aditum enim non habet; atomi a vorticibus Cartesianis, aut primo Mobili impulsæ, interruptæ duris cautibus, rupium viscera utique non infestant.

Enimvero quæ hominum horum confidentia est, ajunt ab atomis illis penetrari densissimas rupes, nullasque tam abstrusas esse specus, quæ intestinos ab hisce atomis motus timere non debeant. Sed, licet hæc plus quam gratis & fere temerarie, absque ratione nempe & experimento sufficienti dicta sint: demus penetrari ab atomis durissimas cautes posse. Negari id nullo pacto potest, non libertate illa, non ea celeritate penetraturas atomos motus suos, ac peragunt nullis tardatæ obstaculis in aëre libero. Nempe aut excavati atomis subtilibus, per quas commeant, primum pori sunt, aut per anfractus varios iter assumendum longius, aut multis pervicaci cautis resistentia penitos intercludendus est aditus. Inde vero necessarium profecto esset, non æque facile, non celeriter æque, non recto semper motu intra montes ac cautes, intra ædificia ac laquearia interclusa pluribus conclavia, urgeri deorsum ab atomis densa corpora posse. At enim, intra montium cavernas, sub fornicibus densissimis, intra ædes liberum proscribentes aërem gravium eorundem idem, invariatus, æquabilis deorsum motus est. Non igitur ab atomis, sed ab intrinseca indole ac nativo impetu est.

Nullum vero incommodorum istorum premit hypothesin illorum, qui causam assignant intrinsecam, quæ aut deorsum ad centrum corpora propellat, aut sursum a centro sustollat illam motricem vim gravitatis, hanc vero levitatis nomine compellando. Quanquam sint non paoci, qui gravitate sola non descensum solommodo, sed ascensum quoque corporum, absque alia positiva atque absoluta levitate explicari posse putent. Profecto vim illam motricem corporibus intrinsecam rectissime statui, & demonstrat ratio, & pene convincit experientia.

SECTIO III.

Radicale principium motus gravium intrinsecum statuitur.

IX. Dicn 1. Datur aliquod principium per se intrinsecum quo gravia moventur deorsum. Ratio hujus est: Illi etim utique substantiæ, cui præfixus a sapientissima Vniversitatis hujus architectrice Natura finis certus est, insita pariter ab illa intime vis esse debet, obtinendi illum. Non enim æque ad fines suos naturales sobstantiæ, atque ad metam sagittæ feruntur. Alienum in bonum finemque alieno motore ac pondere res ferri, irrationabile non est. At vero proprium in bonum alieno agi debere impetu, aut improvidam, aut in suppeditandis necessariis parcam Naturam argueret, quæ in illam probra cadere nequaquam possunt. Oportet nempe inditam a natura rebus ipsis vim esse, qua suos conseqoi valeant fines, & sese in præstituto sibi centro constituere.

Enimvero præfixus sublunaribus hisce corporibus finis est, ut certo ordine situque elegantissimam hanc sublunarem & elementarem Sphæram compingant: necessarium proin ad id erat, ut certò quodam situ conquiescant corpora [omnium enim partium irrequieto motu non conjungeretur, dissolveretur potius inferioris hujus Mundi compages] eo vero per vim deturbatæ statu, eundem repeterent ac vendicarent: id quod absque motu ad proprias sedes, ac quiete in illis peragi non potest. Oportebat igitur insitam eam ipsam a corporibus a natura vim esse, qua debito sese situ componant, eumque, dum vis major cogit cedere, retineant. At enim vis illa interna ad centrum suum se movendi, linea quidem rectissima, ideoque via brevissima, naturæ vis inest, quam *gravitatem* appellamus. Cujus effectus, & quidem dispensabilis est *gravitatio actualis*.

Hanc vim internam vocant AA. Impetum innatum absolutum, & nisum congenitum corporibus tanquam ad finem, ut diximus, ad compaginandum globum elementarem. Patet ex inductione. Cui enim usui est in corporibus hic impetus, nisi ut non dissipentur partes Orbis Elementaris? (ad quem finem Epicurus infinitum; & Cartesius indefinitum Mundum adstruebant utque in orbem, & globum, quantum fieri physice potest, partes omnes conglobentur? Hæc porro conglobatio conditio est ad plures effectus naturales: uti e converso conditio quoque est ad plures alios effectus item naturales, quod gravia a conglobatione ista & loco sibi debito amoveri contingenter possint: hinc necessitas innati impetus apparet, ut gravia a loco debito remota illuc ferri possent.

X. D.co 2. Impetus iste innatus, & vis intrinseca gravium nil aliud est quam propensio rerum ad proprium bonum, vel quod habent in cognaro corpore, cum quo servantur: vel in fuga a contrario, vel in fugatione contrarii: & ideo idem est grave & leve. Quantitas ergo non est causa gravitatis & levitatis, nec plenitudo & vacuitas, multitudo & paucitas: sed causant robur ad motuum magnitudines: plenitudo vero tollit impedimentum tendentibus ad unitiora, & tenuitas ad divisiora.

Est autem duplex propensionum seu ponderum causa: Prima omnium corporum, quatenus sunt partes unius systematis erga unitatem, adeoque erga *centrum gravium*. Secunda omnium corporum, non quatenus corpora sunt, sed quatenus formata suis speciebus, ut sint apta in situbus certis ad sui & totius conservationem & ad functiones, ob hoc ipsum: & hinc non omnia ad centrum membra Mundi, nec membra animalis ponderant, sed ad proprios situs.

Similiter etiam duplex est divisionis odium: alterum quo sunt membra unius systematis corpora omnia, & sic abominantur vacuum systematis divisivum & divulsivum, & a propriis sedibus recedunt, ut vacuum repleant: unde aqua sursum, & ignis aërque deorsum ob hoc ipsum feruntur. Alterum vero quo sunt propriæ cognationis amica, & sic odio habent divisionem sui, hinc nec aqua vult dividi ab aquis, quamvis sciret vacuum non interponi sed aliud ens: & hac ratione guttæ conglobantur & aqua aggeratur super siccam laminam sibi impositam &c.

Probatur jam assertum nostrum divinis Oraculis. Deus enim dixit ad Iob: *Quis dedit pondus ventis?* Cum tamen nobis leves dicantur, & tamen ponderant quorsum impellunt, ut fugiant malum compressionis, & assequantur bonum dilatationis, quæ est vita tenuium, sicut compressio, mors. Item in 4. Esdræ dicitur: *pondera mihi pondus ignis*. Et quidem recte, nam sursum ignis ponderat adeo, ut ædificia subvertat, pellatque in aërem, sicuti lapis dejicit eadem in terram. Ignis alias ponderat in latera, alias deorsum, ubi descendit pascens fumum & pyrius pulvis ex auro conflectus deorsum ædificia demolitur, non sursum, ut Chymici experiuntur. Nec recte quidam putant, ponderari posse ignem, si cineres combusti ligni notæ gravitatis explorentur in statera. Non enim solus ignis, sed & aquæ partes & terreæ fuliginis cum flammis elevantur. Quod autem nec calor, nec frigus sint causa descensus & ascensus; indicant carbo accensus, & glacies, quorum utrumque deorsum tendit: frigidus autem aër sursum. Aqua etiam, ut vacuum rerum destructivum, impleat, sursum, ad certam altitudinem ascendit, dico *ad certam altitudinem*, observatum enim est, aquam in antlia sequi quidem motum Emboli, sed non ultra 31. pedes Hujus rationem dant quidam, quod aër innato suo pondere, citra condensationem, illam sursum propulerit; postea altiorem aquæ motum sustinere non valens, emboli motu solito vehementius concutiatur, & hoc pacto flectatur ac infrigatur: ac proinde materia subtili supra aquam in tubum expulsa ad unius & 30 pedum justam humilitatem deprimatur & subsidat. Sed de hoc alibi.

XI. Vacuitas item ac raritas non sunt causa ascensus, sed vis alia Democrito & Archimedi, nostrisque Staticis ignota; quæ tamen illis innotuisset, si Primalitates & Amorem rerum considerassent. Videmus enim amantem in amasium ponderare, ita ut propriis relictis sedibus surgat impetu ad illam. Et nos cum quidpiam projicimus, sive sursum, sive deorsum, sive in latera, damus projecto impetum & pondus erga locum, quorsum pellimus. Quod quidem nostri amotis est communicatio ac desiderii, ut est idem cum potestativo. Si igitur in Natura intimus sit iste amor & potestas (nunquam enim est amor absque primalitatibus cæteris:) palam sequitur, quod pondus sit ejus erga bonum suum propensio: bonum est autem cunctis propria conservatio, quam nanciscuntur petendo cognatum, & fugiendo vel fugando vel destruendo inimicum ipsorum destructivum.

Istæ autem propensiones corporum tendunt ad proprias universitates, non ad loca universitatum: & ad commodum esse, non ad esse; prout scripsit Aristot. Hinc falsum est partes telluris non ad tellurem sed ad locum telluris ferri, quod inanibus rationibus asseruit. Profecto scimus Ens unumquodque seipsum ante omnia diligere, proprium nimirum esse, tanquam sui bonum essentiale summum, ejus conservationem; fugere autem destructionem sui ac mortem tanquam sui malum summum: conservari autem omne ens stante sua forma in sua materia: & similibus servari atque augeri: contrariis vero destrui certum est, diversis vero prout commoda sunt vel incommoda. Igitur post seipsas nihil amant magis quam simile sibi, propriamque Vniversitatem essentialem, qua servantur, & a qua separata perduntur. Quamobrem videmus homines ad homines, & civitates; hominum congregationes confugere; aquas in mare reverti, columbas ad columbarum cœtum, aërem

aërem ad aërem, & unumquodque ad cognatum suum, ubicunque sit. Quapropter stupidi, vel impostoris hominis est, suadere velle, quod ignis tendit sursum, & non potius ad ignem: & telluris partes deorsum, etiamsi in medio non esset tellus: eum ignes plures ad pabulum, & fugam mali alio ferri etiam viderit, & res omnes amore suæ conservationis trahi.

XII. Ratio autem Arist. inanis est. Non enim sursum & deorsum contraria sunt, ut recte probant antipodes, quibus aliud deorsum est atque nobis: & natantia, quibus nunc hæc pars Mundi, nunc illa, si aquam subtrahas, fit locus. Si enim Sol esset, ubi nunc est Terra, partes Solis venirent ad Solem huc: sicut nunc vadunt illuc, ubi ipse est: & partes lunæ ad lunam, & uniuscujusque rei ad suam universitatem, nec locus est forma & finis, ut Arist. putat; sed forma est rei species, cui mox debetur locus iste, vel ille secundum naturam.

XIII. Maneat itaque firmum, omnium rerum finem esse sui ipsarum conservationem & immortalitatem, quocunque modo eam consequi possent. Omne autem totum constanti partium suarum perseverantia in suis sitibus sanaque virtute singularum ac functione servatur. Sic animal, si pedes, brachia, caput, cor, & reliquæ partes proprium conservent situm ac temperamentum ac functiones, servatur. Eadem ergo ratione & Mundus totus, longeque majori: partes enim sunt totius gratia, & non econtra. Quapropter in Mundo res omnes proprium sortitæ sunt situm, & propter sui bonum & totius, sicut in animali. Cum ergo extra proprium situm sunt, ad ipsum feruntur; non secus ac arboris ramus vi depressus deorsum ad sui positionem revertitur: & spiritus e capite ad strangulatum uterum vocatus, in caput, nacta victoria, redit.

XIV. Verum enim vero præter hoc conspirationem quandam habent omnes partes ad mutuam conservationem: conspiratio autem non fit, nisi unione; unio vero concentratione circa medium. Quapropter duplicem diximus dari propensionem omnium corporum naturalium nostri systematis: aliam videlicet ad totius unionem, quam habent quatenus unius coëxistentiæ corpora sunt: alteram ad sui situm proprium, quam habent non quatenus corpora, sed quatenus formata propriis ideis & viribus activis prædita propter certas functiones. Sic partes animalis omnes ad unitatem animalis amorem habent: & per hoc amorem alterum subsequenter ad proprium situm, in quo dum stant, functiones sibi ac toti proficuas edere queunt. Omnia ergo corpora, quatenus corpora, propendent ad centrum, ut dixit Archimedes: non quia centro gaudent indivisibili & nullius valoris, vel loco isto, cum omnis locus omnibus corporibus sit amicns, sed quia gaudent mutuo contactu; unde Vacuum prohibitivum contactus mutui abominantur, sicuti partes animalis divisionem ab invicem; & sequuntur unionem, Entirem conservativam; & aversantur dissociationem, Entium destructivam. Quatenus autem formata proprium appetunt situm: in quo quatenus ideata manent: & ad quem quatenus activa, calida vel frigida, feruntur; & quatenus amant & possunt, habent ut ferantur: sicuti in animali omnes partes tendunt ad centrum mundi animalis, quatenus corpulentæ sunt: sed quatenus ideatæ ad proprium situm: ut caput in sublimi, venter in medio, pedes in imo, manus ad humeros se habent, & sæpe quod gravius est, in superiore loco ponitur. Similiter quamquam partes terræ cunctis subsideant corporibus, quo systematis sunt unitiores partes: tamen quatenus in plantæ nutrimentum efformantur, sursum petunt ad truncos, & ramos & folia & fructus alendos causandosque, ductu caloris, fato, Necessitate & harmonia affectæ ad sic agendum, assistente ideatrice Anima aut Intelligentia, divinæ providentiæ executrice. Igitur Democritus primum amorem solum, qua corpora sunt, consideravit; Aristoteles solum quo formata. Plato nunc huc nunc illuc rapitur ob Primalitatum ignorationem. Nos omnia complexi sumus.

XV. Dico 3. Corporum gravium hic ordo est, ut in imo tanquam gravissimum, subsideat, quod densissimum crassissimumque est: Tellus nempe pura. Super densum unitum est densum disruptum comminutumque, ut pulvis & arena: super denso locatur lentum corpus; super lento molle: super molli viscosum: super viscoso lubricum: super lubrico fluor; super fluore liquor; super liquore fumus seu vapor; super vapore tenuitas invisibilis, ut probatur in distillatoriis semper; & hoc rationabiliter; quæ enim magis unita sunt, ea indivisa sunt magis, ergo unioni aptiora, ergo centro unitissimo indivisibili propinquiora. Quod si quandoque contrarium experimur, ex mistura horum graduum accidit, non per se: siquidem nubes aëre crassiores natant in aëre, quoniam plures habent partes ignis, quam aëris aut aquæ; quarum partium tenuitate & consimilitudine cum igne sive æthere sursum retinentur: etenim ubi in aquam concreverint, expresso igne, statim decidunt confitentes aliena vi detentas fuisse. Similiter ligna ponderosissima innatant aquis, quando plus aëris in eft eis, quam telluris & crassitiei, quod combustio declarat, ergo aliena vi detinentur. Verum excluso aëre cum putrescunt ligna, aquis imbibitis, non amplius natant, sed merguntur. Probatum quoque est carbones & pumices, qui in aquis natant, si conterantur in pulverem, non amplius natare, sed mergi; confitentes ab aëre intra spongiositates detento, prius detentos fuisse, quo privati pulveres minutissimi descendunt. Laminæ vero ferreæ & aureæ retinentur super aquas, præsertim si concave sint, tum adhæsu aëris & cognatione, & aquæ uligine dividi nolentis. Ovum in fundo aquæ salsæ positum, ascendit sursum; in dulcis vero superficie descendit deorsum.

Igitur verissimum semper est, quod corpora, quo densiora, eo unitiora & indivisibiliora; ergo ad centrum propensiora, eoque petendi potentiora sunt. Hinc patet quare aurum sit omnium metallorum & rerum, excepta terra purissima, ponderosissimum, quoniam videlicet est unitissimum, maximeque uniforme, cui succedit in pondere hydrargirium, ut videre est in tabellis infra dandis juxta proportionem cæterorum metallorum &c. Nec quia ferrum durius est etiam gravius: si enim esset unitius & uniformius auro utique sic eveniret: at quia non est uniforme, ut rubigo & porositas ejus declarat, propterea non est æque densum, nec ergo gravius. Similiter æramentum ex ære & plumbo confectum, est utrisque gravius & robustius, quoniam æstat plumbo nervositatem, plumbum vero plenitudinem æris porositati oportet ergo non modo unitius esse, sed etiam uniformius id quod debet gravius esse. En 2 tabulas Marini Ghetaldi Promoto archimeda.

L TA-

I. TABVLA.

XVI. *Ad comparandum inter se duodecim corporum genera secundum gravitatem & magnitudinem.*

	Aurum.	Arg. viv.	Plumb.	Argent.	Æs.	Ferrum.	Stann.	Mel.	Aqua.	Vinum.	Cera.	Oleum.
Oleum.	20 9/11	14 63/77	12 6/11	11 3/11	9 9/11	8 8/11	8 4/45	1 32/45	1 1/11	1 4/45	1 6/31	1
Cera.	19 17/31	14 32/147	12 5/31	11 43/63	9 9/31	8 8/31	7 59/105	1 109/310	1 1/31	1 11/450	1	
Vinum.	19 19/49	13 333/413	11 41/49	10 30/49	9 9/36	8 8/49	7 31/49	1 28/49	1 1/49	1		
Aqua.	19	13 4/7	11 1/3	10 1/3	9	8	7 2/3	1 2/8	1			
Mel.	13 2/29	9 73/203	7 27/29	7 11/87	6 6/29	5 15/29	5 3/29	1				
Stannum.	2 21/37	1 221/259	1 41/74	1 44/111	1 5/37	1 3/37	1					
Ferrum.	2 3/8	1 39/56	1 7/16	1 7/24	1 1/8	1						
Aes.	2 1/9	1 32/63	1 6/19	1 4/27	1							
Argent.	1 26/31	1 63/217	1 7/63	1								
Plumb.	1 15/33	1 20/161	1									
Arg. viv.	1 38/95	1										
Aurum.	1											

Quæro ex. gr. quam habeat rationem in gravitate plumbum ad aurum? Intelligatur plumbum, quoniam levius est auro, gravitatem habere 1. & in linea plumbi, in prima columna nominati, sub titulo auri quæratur auri gravitas; ea erit 1 15/33. Plumbum igitur ad aurum rationem habebit in gravitate ut 1. ad 1 15/33. Si enim sumantur duo corpora magnitudine æqualia, unum plumbeum, alterum aureum, sit autem plumbei corporitas gravitas 1. aurei erit 1 15/33. quare corpus plumbeum ad corpus aureum ejusdem magnitudinis, rationem habebit in gravitate ut 1. ad 1 15/33. Comparantur autem inter se genera diversa in corporibus magnitudine æqualibus.

Rursus quæro, quam rationem habeat in gravitate aqua ad argentum vivum? Intelligatur aqua, ut levior argento vivo, gravitatem habere 1. Et in linea aquæ, sub titulo argenti vivi quæratur argenti vivi gravitas, ea erit 13 4/7 Aqua igitur ad argentum vivum rationem habebit in gravitate ut 1. ad 13 4/7.

Eadem econtra est ratio seu proportio quoad magnitudinem. Ex. gr. Quæro, quomodo se habeant in magnitudine ferrum & aqua (eadem est ratio de ferro & stanno, vel auro). Ponatur ferrum utpote gravius aqua, magnitudinem habere 1. Et in linea aquæ sub titulo ferri, quæratur aquæ magnitudo, ea erit 8. ferrum igitur ad aquam se habebit in magnitudine ut 1. ad 8. (ferri ad stannum ut 1. ad 1 3/37. Ad aurum ut 1. ad 2 3/8.

II. TABVLA.

XVII. *Ad comparandum inter se duodecim corporum genera secundum gravitatem & magnitudinem.*

	Oleum.	Cera.	Vinum.	Aqua.	Mel.	Stann.	Ferrum.	Æs.	Argent.	Plumb.	Ar. vi.	Aurum.
Aurum.	4 47/57	5 3/50	5 10/57	5 6/19	7 12/19	38 18/19	42 2/19	47 7/19	54 22/37	60 10/19	71 2/3	100.
Arg. viv.	6 32/37	7 7/288	7 34/37	7 7/16	10 23/29	54 10/29	58 18/16	66 6/19	76 9/37	84 14/19	100.	
Plumb.	7 67/90	8 67/343	8 38/40	8 36/33	11 10/23	64 8/33	69 13/23	78 28/33	89 60/69	100.		
Argent.	8 27/31	9 91/341	9 16/31	9 21/31	14 1/30	71 19/31	77 13/31	87 3/31	100.			
Æs.	10 5/27	10 20/33	10 25/27	11 1/9	16 1/6	82 2/9	88 8/9	100.				
Ferrum.	11 12/24	11 41/44	12 7/24	12 1/3	18 1/6	92 1/3	100.					
Stannum.	12 43/111	12 365/407	13 32/111	13 9/37	19 27/37	100.						
Mel.	63 89/87	65 165/329	67 71/87	68 15/19	100.							
Aqua.	91 2/3	95 5/21	98 1/3	100.								
Vinum.	93 23/49	97 47/649	100.									
Cera.	69 2/31	100.										
Oleum.	100.											

Quæro ex. gr. quænam sit ratio in gravitate auri ad argentum. Intelligatur aurum, quoniam gravius est argento, gravitatem habere 100. & in linea auri sub titulo argenti reperietur argenti gravitas 54 22/37. Aurum igitur ad argentum rationem habebit in gravitate, ut 100 ad 54 22/37. Si enim sumantur duo corpora, magnitudine æqualia, unum aureum, alterum argenteum, sit autem aurei corporitas gravitas 100, erit argentei

argentei $54\frac{22}{47}$ quare corpus aureum ad argenteum ejusdem magnitudinis rationem habebit in gravitate ut 100. ad $54\frac{22}{57}$.

Quæro quomodo se habeat in gravitate aqua ad vinum, quoniam aqua gravior est vino, intelligatur ejusdem gravitas 100. & quoniam in linea aquæ sub titulo Vini datur gravitas $99\frac{1}{3}$, aqua ad vinum se habebit in gravitate ut 100. ad $98\frac{1}{3}$.

Contra quæro, quomodo se habeant in magnitudine argentum & aurum, intelligatur argentum ut levius auro, magnitudinem habere 100. & in linea auri sub titulo argenti, quæratur auri magnitudo, ea erit $54\frac{22}{47}$. argentum igitur ad aurum se habebit in magnitudine ut 100 ad $54\frac{22}{47}$. si enim sumantur duo corpora gravia æqualiter, unum argenteum alterum aureum; sit autem argentei corporis magnitudo 100, erit aurei $54\frac{22}{47}$. quare corpus argenteum ad corpus aureum ejusdem gravitatis se habebit in magnitudine ut 100 ad $54\frac{22}{47}$.

Quæro denique quomodo se habeant in magnitudine aqua & argentum vivum, quoniam aqua levior est argento vivo, intelligatur ejus magnitudo 100, & in linea argenti vivi sub titulo aquæ quæratur argenti vivi magnitudo & reperietur $7\frac{7}{19}$. Aqua igitur ad argentum vivum se habebit in magnitudine ad 100 ad $7\frac{7}{19}$.

XVIII. Interseram hic, quamvis huc impertinens, fragmentum curiosum, nempe Modum separandi argentum ab auro in una massa permixto. Sic operare. Massam hanc conjice in aquam fortem: tum argento soluto, aurum purum, arenæ vel fæcis forma in fundo vasis subsidet: quo leniter inclinato effusaque in aliud vas aqua forti, aqua argentum sibi assumit, remanente auro in fundo. Demum quo secernatur argentum ab aqua forti, sic procedes. Aquæ communis certam quantitatem affunde aquæ illi forti, quo minus corrodens evadat: tum immerge massam cupream oblongam, ad quam argenti particulæ a liquidi abreptæ partibus impingentes illi adhærescunt; non secus ac pulvisculus per cubiculum oberrans peripetasmatis, & suppellectili molliori affigitur, aut cum lapis ad luti occursum moveri desinit. Hoc pacto aurum & argentum ab invicem discreta extrahuntur in pollinem redacta, quæ seorsim postmodum in Crucibulo colliquantur, quo postea in massas separatas cogantur. Ex Jac. Rohault cap. 22. n. 9. Idem Author tradit Aquam fortem (spiritum nitri vocant Chymici) argentum solvere, non aurum. Econtra Aqua regia ad auri solutionem usurpatur, non autem argenti, quia partes ejus salinæ eo modo inter se conveniunt, ut corpora crassiora, quam quæ argenti poros subire valeant, componentes, superficiem tantum allambunt, sine divisione aut penetratione partium. Sed hanc rationem non capio, nisi poros argenti subtiliores persuaseris esse, quam auri.

SECTIO IV.

Expediuntur quæstiones utiles gravitati & levitati enucleandis.

XIX. Quær. I. Unde desumenda sit ratio gravitatis & levitatis in corporibus?

Resp. Quoniam unitas est divinissima rerum causa, necessario est & conservationis causa: quapropter ut systemata conserventur, omnia corpora tendunt ad medium, faciuntque circularem figuram, qua æque ad medium, & a medio se habent. Medium enim est unitas & centrum omnium. Igitur quo viciniora sunt centro, eo sunt quietis fruentiora; quo longius, eo motus indigentiora, ut ad centrum vadant, quietemque sui. Dico autem *sui*, quoniam totius deinde possunt motu affici. Id quoque probe notandum, prout sæpius monuimus, quanquam omnia appetant centrum, haud tamen appetunt centrum ratione centri, sed conservationis in suo toto, quod quo partes inter se habet unitiores, eo firmius & melius conservatur, spectata semper exigentia Naturæ & speciei suæ, cui violentæ sunt compressio & tensio, quibus cessantibus, vi elastica sibi indita in pristinum & naturalem situm sese restituit. Totum ergo servatur ea partium dispositione situque, quæ convenit unicuique ad suas functiones pro salute propria atque totius. Quaproter diversas formas sortitæ sunt res unius systematis, ad diversas functiones, quæ non nisi in diversis propriisque sitibus commode fieri queunt, ut partes animalis, quamvis omnes tendant ad unitionem in toto, tamen insuper ad proprium situm simul feruntur, quem requirit speciei & configurationis totius ordo.

Ratio ergo, qua quædam sunt specie erga centrum ponderosiora, est partium unitio, & uniformitas. Ratio vero, qua secundum molem sunt ponderosiora, est partium multitudo ejusdem speciei, & uniformitatis ad unionem collecta: nam si sparsa est, ad centrum tendit minus, quoniam a partibus laxioribus retinetur magis. Manifestum est enim, quod scobs plumbi & auri & pulvis terræ, non ita facile descendit in aëre, sicut lignum quod plus crassarum partium habet quam scobs auri: sed in aqua non descendit sicut scobs auri, quoniam habet inclusum aërem, qui submersioni repugnat, cognati aëris gaudens contactu & situ: qui nimirum major est quam crassities mersionem optans: unde expresso aëre per intrusionem aquæ, aut combustione ligni, & lignum & cinis ligni submergitur. Aër autem ligni non gravabat in sua sphæra, uti Arist. putat: imo potius gravaret deorsum, si vera esset positio Arist. quod propterea omnia Elementa, excepto igne, gravent in sua sphæra, quoniam sublata aqua & terra, descendit aër & aqua, non autem ignis. Ergo si gravat aër etiam in aquas, quando lignum ad superficiem aquæ pervenit, non amittet gravitatem per copulam aëris; a graviusculo enim aëre juvabitur potius crassities gravis ad submersionem. Ergo ratio qua descendit aër, sublata aqua, non est aëris gravitas, seu melius loquendo, aëris in aquam gravitatio, sed ratio prohibendi vacuum, & amplificandi naturam: & hoc idem faciet ignis. Similiter Democritici causam hujus accidentis ignorant. Dicimus itaque non retineri lignum in aqua a vacuitate, neque ab aëre intra poros quatenus est corpus grave, sed quatenus cognatione sua gaudet; ergo non materialis sed formalis causa ponderis valet in hoc asserto.

XX. Igitur ratio gravitatis & levitatis in corporibus sumenda est ab unione materiali & uniformitate formali: item ab expansione materiali, & difformitate speciali, & a mistura istarum affectionum juvantium vel impedientium propensiones ad centrum, & ad situm. Hinc ratio, qua ponderant magis in aëre & aqua, quæcunque sunt specie graviora, est unitas & uniformitas. Qua vero, quæ mole majora sunt, pluralitas unitatum unita. Nisi enim unita sit, aliquo

pacto non ponderabit. Vnde Ariſt. cum probat contra Democritum, quod plus ponderaret plurimus aër, quam modica aqua, ſi ſolidi copia plus gravaret, nulla eſt: hon enim gravat plus, niſi unita: quæ enim diviſa ſunt in atomas particulas, facile extruduntur a gravioribus, & retinentur ne deorſum eant a ſuppoſitis: non quidem unita ut nubes, ſed ſaltem ut nix: ex participio enim unionis habent, ut ad centrum unionis eant.

Et propterea antecedenter diximus denſitatem ſubeſſe erga centrum accurrentibus cunctis, & ſupra denſitatem poſuimus lentorem, ſupra lentorem mollitiem, ſupra hanc vero viſcoſitatem: dein fluorem, tum liquorem, poſtea fumum ſeu vaporem, & tenuitatem gradatim, prout plus recedunt ab unitate, quæ facit denſitatem. Hunc autem accidit non obſervari, cum aurum præponderat ferro denſiori ſe, quoniam ferrum non eſt ubique uniformius, ſicut eſt ex parte unitius. Similiter in ligno denſiori cum ſupernatat aquis mollioribus, quoniam lignum non eſt æque denſius, & aëre inſuper eſt plenum, qui tenuis cum ſit & plurimus, vincit corpulentiam admixtam ſeſe mergentem: at ebanum lignum denſum minimam aëris copiam in ſe includens ſubmergitur, & citra miraculum, quale adſcribitur merſioni lignearum crucularum S. Thuribii. Vnde intelligas ordinem gravium ſecundum acceſſum & receſſum ad unionem non ſervari in corporibus propter mixtionem multorum ſimul corporum diverſarum conſiſtentiarum; quarum quæcunque vicit, trahit agnatam ad ſitum naturalem proprium ſuum ex prædictis unum.

Vnde etiam cognoſcimus quare trabs lignea mille talentorum non ſubmergatur, in aqua 900. talentorum: non quia non ſit ſpecie, & mole gravior in ſua corpulentia, ſed quia continet in ſe plus aëris, quam craſſitiei. Craſſities enim trabis eſt etiam ſpecie ponderoſior craſſitie aquæ, nedum mole: ſed illa ponderoſitas retinetur a gravitate conjuncta formali incluſa aëris. Sic uter plenus aëre eadem difficultate retinetur ſub aquis ne emergat, ac plenus aqua retinetur in aëre ne decidat. Par quoque difficultas ad mergendum illum in aquam, & ad ſublevandum iſtum in aërem.

XXI. Itaque inventa eſt nobis via ad excludendas gravitates molis & ſpeciei Archimedeas. Idem enim eſt grave ſpecie atque mole, ſimpliciter conſideratum, ſed cum miſtione non idem. Quapropter talentum ligni gravius eſt ſimpliciter uncia plumbi, tam in aëre quam in aqua: attamen in aqua prohibetur gravitas ligni ab immiſto aëre ponderante erga cognatum amatumque aërem. Palam enim eſt quod etiam plumbum in laminas concavas ſparſum non ſubmergitur, quoniam aëris admiſtione prohibetur deſcendere, quod & Galilæus concedit: ſublato autem aëre ſubmergitur ſtatim repletum aqua, non quia aqua gravat in ſuo loco naturali, ſed quia plumbum unitius aqua, gravat magis, nec prohibetur. Similiter lignum imbibita aqua mergitur, Et omne Ens aqua unitius, ſi excludatur ab eo aër.

Pronuntiamus ergo, quæcunq; ſunt in aëre graviora, eſſe etiam in aquis, ſi pure & non miſtim conſiderentur: & quæ abſolute & ſecundom molem ſunt graviora, eſſe etiam ſecundum ſpeciem. Talentum ſtupæ gravius libra auri, ubique dicimus; prohiberi tamen, ne immergatur, ab imbibito aëre, & a partium diſſolutione, quæ ſparſim & non confertim, ſeu pluralitate & non unitate impetum faciunt ad ſcindendas aquas: ſublata autem hac prohibitione, facilius deſcenſurum oportet ad gradum ſui ſitus, qui nimirum debetur inferius lentori ſtupeo, quam liquori aqueo.

XXII. Quær. 2. Vter ex duobus globis ejuſdem materiæ & figuræ per idem medium celerius deſcendat v. g. globus plumbeus 8 librarum, & globus plumbeus unius libræ per aquam? Reſp. Me diverſa in diverſis legere Authoribus, qui tamen omnes Experimentis ſe tuentur. Thomas Campanella Lib. 2. Metaph. cap. 5. pag. 224. primæ partis ait: non quæcunque graviora ſunt mole aut ſpecie in ſtatera, eadem ſunt velociora in motu, tam in aqua quam in aëre. Imo probavimus unciam plumbi velociorem libra ferri, & libram ferri quatrilibri pila ferrea ejuſdem figuræ: ergo procul dubio aſſerendum ad motum requiri non ſolum gravitatem, ſed ſimul ſciſſionem medii, & extruſionem partium ſuppoſitarum ipſis mobilibus. Hoc autem facit magis, quod unitum ac uniforme eſt magis, atque minoris inſuper molis: ut enim ſcindat quod unitius & penetrantius facilius eſt: ut autem extrudat id aptius eſt, quod pauciores expellit partes: facilius enim eſt ſurſum impellere paucum quam multum, ergo quod ſpecie eſt gravius, hoc eſt, unitius & uniformius, id facilius ſcindit; propterea aurum facilius quam æs findit aërem. At pila ſemunciis auri facilius etiam findit, quam pila aurea quincuncis, quoniam ſtrictior & unitior eſt; ſicuti clavus acutus facilius penetrat minori vi adactus, quam obtoſus paulo majori. Minor enim pila ad acumen accedit magis: unde quo majores ſunt ſphæræ, eo obtuſiores, adeo ut eorum rotunditas non diſcernatur, ut patet in terræ rotunditate, ac multo magis in cœleſti, ſi quis ſuper cœlos tanquam ſolidos ambularet, eorum rotunditatem nullo pacto dijudicare poſſet, ſed planum eſſe putaret. Ergo ex hoc ſatis liquet pilam minorem penetrare facilius quia acutior eſt. Item facilius attingere terram ex alta turri præcipitatam, quam major, quoniam ſuper minus aëris ſurſum extrudit findendo, minusque impedimenti ſortitur. Hoc autem non diſcernitur bene niſi ex multa altitudine deorſum ferantur, ut excreſcentia appareat, quæ in medio motu apparentior, quoniam quo magis ab immoto recedunt, plus motionis acquirunt, ut in leva & in ſtatera manifeſtatur. Hæc ille. An autem verum ſit motum gravium in deſcenſu ſemper magis magiſque augeri, examinabimus in Tract. 36. de Motu. E contra P. Honoratus Faber Lib. 4. tract. 1. Phyſ. prop. 78. in Schol. fatetur quidem, ut certum, acuminata corpora longe facilius aëra vincere, patet enim experientia, & ratio eſt clariſſima, quia ſcilicet partes medii extrudunt per lineas, quibus facilius retroaguntur: analogiam clariſſimam habemus in navibus quæ ſubeant aquas, quarum eæ quæ in mucronem deſinunt, facilius aquas ſecant. Propter eandem rationem globus velocius deſcendit quam cubus, ejuſdem materiæ; item cubus velocius deſcendit in angulum, quam in planum ſeu faciem; & de hoc non eſt difficultas: in qua vero proportione una figura facilius deſcendat quam altera, non ita facile definitur. Mox ſubjungit & obſervat ſecondo, ex prædictis recte colligi duos globos ejuſdem materiæ, quantumvis inæquales, æque velociter deſcendere; nempe in ea proportione,

tione, major plus aëris & majori motu extrudit, (cum resistentia sit in ratione composita utriusque) in qua major est, & consequenter in qua plus virium habet extensive; præterea eadem ratio, quæ facit pro duobus cubis, etiam facit pro duobus globis; quam habes fuse propositam tract. de motu Lib. 2. thes. 112. Hinc errorem arguit Aristotelis asserentis ex duobus corporibus inæqualibus, ejusdem materiæ & figuræ, majus velocius descendere. En tres opiniones sibi adversas! Aristotelis, Fabri, & Campanellæ: equidem anceps hæreo cui assentiar. Tute experimentum cape, si lubet, & quod deprehenderis, tene.

XXIII. Quæritur 3. Cur ferrea pila in aere uncias decem ponderans atque novem, in aqua undecim solum ponderet, & sic de cæteris metallis pro sua rata? Resp. quod & aqua difficilius scinditur, difficiliusque extruditur ob sui crassitiem, & partes aereæ in poris ferri inclusæ seu implantatæ aliquo pacto repugnant descensui. Hanc rationem comprobat aurum, quod quidem in aere est 67. in aqua vero 66. & quidem præ cæteris metallis & lapidibus minus ponderis variat in aere & aqua aurum, quoniam uniformius cæteris: quod si detur aliud metallum unitius & uniformius, illud profecto variabit multo minus.

Hinc illa Archimedis sapientia, qua quantum argenti, vel æris mistum fuerit auræ coronæ, deprehendit. Fabricatis siquidem pilis duabus, altera argentea, altera aurea, ejusdem ponderis cum corona, impositisque singillatim in vase aquis pleno, mensus est quum minus aquæ aurea pila extrusit, & quam plus argentum. Mox repleto vice tertia vase aquis, imposita corona extrusit medium inter aquas utrasque ab argentea & aurea: unde quantum argenti additum fuerat, proportionaliter intellexit probavitque. Idem facilius agnosces si auream coronam mistam argento ponderabis cum alia corona de puro auro fabricata ejusdem ponderis in aere. Mox enim ut intra aquas eas ponderabis, invenies impuram minus gravare, quæ æqualis fuerat in aere: tune adde impuræ tantum puri, quantum sufficit ut fiant æquilibrio, mox ab aqua extractis, aurum illud pondera superadditum, & tunc intelliges tantum in Coronæ fabrica defraudatum fuisse, seu tanti ponderis fuisse argenti mistuiram. Idem in cunctis metallis ad misturas agnoscendas analogice experiantur prudentiores Mathematici.

XXIV. Hic notandæ veniunt duæ Regulæ Archimedis de his quæ natant in aquis, defensæ per Galilæum exemplis & rationibus (quem tamen solide impugnat Campanella loc. cit.). I. Eousque immergitur solidum, quod est levius respective, in medium gravius respective: quousque spatium occupet capax tantæ molis & portionis illius liquidi, quæ si appenderetur in bilance, æquilibraret totum illud corpus solidum e.gr. totam trabem: videlicet quia tantum gravitatis innatæ est in ea portione aquæ, quantum in tota trabe. II. Regula. Solidum respective gravius ipso medio tanto minus ponderat mersum, vel pendens in eo medio seu liquore leviore respective: quantum est pondus absolutum æqualis molis ejus liquoris. e.gr. si cubus palmaris plumbeus pendeat in media aqua, tanto minus ille ponderat, quam si in medio aere, aut potius in vacuo suspenderetur; quantum est pondus unius cubi palmaris aquei. Ex hoc Naturæ arcano plurima deducuntur physice, & plura supputantur geometrice.

At quoad primam Regulam, inquit P. Ptolomæus hic, ratio physica convincit, & plurimæ experientiæ, quod hujusmodi immersio trabis, & similium supernatantium non commensuratur ad eam regulam geometrice, hoc est exactissime: revera enim aliquanto minus spatii intra aquam occupat pars trabis immersa, quam occuparet portio æquiponderans aquæ. Ratio est, quia in tantum fit illa immersio, in quantum partes trabis actione communi impellunt quidem aquam, sed non secundum portionem æquiponderantem: alioquin æquilibraretur resistentia aquæ actione communi producta a totidem punctis aquæ cum impetu producto a totidem punctis trabis, adeoque partes aquæ non cederent locum trabi, & hæc nullatenus immergeretur. Itaque dicendum putat pauciores partes aquæ cedere & pelli, & plures esse partes ligni quæ pellunt; contra quas tamen partes ligni reliqua tota massa aquæ resistit, & facit æquilibrium sustinens trabem in certa immersione. Allegatque aliquot observationes ex Galilæo, quas apud eundem vide.

XXV. At quidem in multis videntur delinquere Archimedæi Democritici, propterea quod non agnoscunt pondus ad unionem, & pondus ad situm distinguere; putentque omnem emersionem & natationem esse extrusionem; verumtamen nec recte dicunt quod aqua sola nil impositum corpus minus grave formaliter expellat sursum: aqua enim cognatæ aquæ mista non tendit sursum, nec deorsum, licet tota moles aquæ semper deorsum vergat. Vnde ergo est quod impositum lignum sphæricum in medio aquæ altitudinis extrudatur sursum? Non quidem a partibus aquæ superioribus, quæ potius supergravant deorsum; nec ab inferioribus quæ etiam deorsum inclinant, nec pellunt; ergo ab his quæ ambiunt solidum, ut dicit Galilæus: sed hæ non quærentant amplius descendere, nec ascendere cum sint inter cognatas aquas, nec habeant sensum Galilæo, inimicum ligno, in quod merito agant; sed omnem extrusionem faciant gravitando magis, non autem premendo & impellendo sensualiter: ergo oportet aliquid tribuere subslaodæ ligni cupienos ire sursum ad cognatum aerem, faciens principium motus, quem tamen juvet mox aqua. Nam & natantes homines, cum faciunt impetum sursum ab influentibus subtus aquis statim sublevantur: si autem nihil per se operaretur lignum ad sui emersionem, non sublevaretur: nec enim homo non facto impetu a se, juvatur ab aquis ad emersionem, nec lapillus unius grani emergit, quia non habet aerem implantatum emersionis avidum.

XXVI. Stat igitur invicta sententia, quod plus ponderant, quæ densiora deorsum: quod si contrarium accidat, ab immisto leviore aere accidit, vincente per suam tenuitatem spissioris corporis crassitiem, cui debetur centrum ob sui majorem unitionem. Videmus quidem in salinarum aquis ovum non natare, quoniam compositæ sunt ex dulcibus & salsis; dulces autem superiores sunt, salsæ inferiores, mediæ utrarumque participant dispositionem: quapropter ovum non natat, sed immergitur usque ad medias aquas, ubi a salsis sustinetur, & a quibus subterpositum emergit, ut clare videas juxta crassitiei majoris ac minoris proportionem, locari corpora ad imum. Ovum vero elevari, quoniam album & luteum ejus sunt

 speciei

specie leviora salsis, & crassiora dulcibus: cortex autem contenti sectatur naturam; unde plenum rore putamen ovi positum ad solem per hastam sublevatur: attenuato enim rore superamque petente regionem, cum sit aëre tenuior ejus tenuitas, simul & putamen modico innixu hastæ elevatur.

Nubes dum natant in aere, si uniantur, acquirunt pondus, quo prævalente tenuitati ætheree, decidunt. Sic quando in Ebano tenuitas non superat densitatem, nascitur enim hoc lignum in terra minerali, qualis est Ager Stylensis, submergitur. Et corpus vivum mergitur, quoniam spiritus non est tantus, qui carneam molem osseamque sustineat. At cadaver natat, non subito, sed ubi cœpit putrescere: & concentratus calor tenuitates gignere plurimas in toto cadavere, membranæque distendi: & dum natat, servat situm, quem in utero accepit, sicut & bacillus fervens natans super subere, ad situm suæ originis se adaptat, cujus situs rationem physicam, qui dederit genuinam, Physicum deprædicabo.

XXVII. Quær. 4. Quæ causa, ut glacies, grando & Nix supernatent, an ex eo quod fiunt rariores aquis, an alia ratione? Galilæus & plures cum eo putant propterea glaciem esse rariorem & leviorem proinde aquis, ac supernatare, quæ dum glaciatur assumit majorem ambitum ac locum & levitatem. At frigoris opus est glacies, non caloris. Frigoris autem est condensare, stringere & immobilitare. Caloris vero rarefacere & movere: ergo non recte utrumque datur frigori agenti contrario. At si frigus Galilæo videtur esse privatio caloris, profecto idem sequitur, sicut enim præsentia caloris rarescunt aquæ, ita ejus absentia condensantur & glaciantur, ut patet cum liquescit metallum & vitrum & cera, abeunte enim calore densantur. Duritiés quoque idem Galilæo ostendere debuisset in glacie; propterea enim dura non cedunt tactui, sicut liquida molliaque, quod illa unita sunt, ut uniri plus non possint: constat autem glaciem duram a calore emolliri expandique ac rarefieri. Quod si Galilæus putat, frigus etiam esse atomorum obtusarum congeriem, uti calor videtur congeries atomorum Democrito, tunc sequitur quod & calor & frigus insinuata consolidant; replent enim vacuitates sua immistione, vel uterque rarefaceret, si intrando aperiunt, nedum replent. Ratio Galilæi universaliter vera non est: etenim Aristoteles narrat, piscatores aquam in arundinibus calidam congelare solitos, ut loco plumbi retia gravantis, non suberis levantis, serviret in piscatione. Galilæus autem respexit ad glaciem, quæ fit ex aquis superficialibus, quæ semper sunt leviores imis ob tenuitatem propriam, & aëris commercium & misturam: sed si arte aqua calida congeletur per expressionem aeris, & frigoris faciliorem intrusionem, erit ponderosior, non natans: Similiter si ima aqua glacietur.

Nix etiam propterea natat quod tenuitatis est plena, ut patet cum secatur fumescens, & ejus indicat albedo & mollities. Non ergo habet levitatem, ut putat Galilæus a raritate & a frigore, quod nimirum in aëre densat vapores leves in nives, & grandines redditque graves, quos potius leves faceret, si calori in rarefaciendo æquaretur.

Grandines quoque natant, sed non æque ac nix: gravitant enim magis, quoniam plus tenuitatis ex eis cum concrescerent, in tonitrua exhalavit, at quoniam in aëre gelantur, aëreæ tenuitatis expertos non sunt, imo ampollas aëris plenas infra glaciem inspicimus, ita ut quasi pumex fit, cujus est natare in sua mole; in pulverem vero redactum submergi.

Quod autem asserit Galilæus plus esse in congelata aqua quam in liquida, non recte dictum putat Campanella. Nam cera, & metalla & quæcunque liquescunt, manifeste docent augeri molem in liquidis per rarefactionem: imminui vero in congelatis. Sed forte Galilæus argumentum sumpsit ex eo, quod glacies dum liquescit a calore blando, minoris fit molis, ubi deceptio intervenire videtur: dum enim liquescunt partes crassiores aquæ, minus crassæ nedum liquescunt sed etiam rarescunt & attenuantur in aërem, ampullæ etiam sic evanescunt. Idem enim calor in dissimilare corpus, dissimilarem facit actionem effectumque. Quapropter crassiores videntur postmodum esse minoris molis, cum aliquanta mole privatæ sunt: quod & metallis evenit cum liquescunt, fiunt enim minoris ponderis, aliqua etiam molis, ut vicina hydragyro. Aurum vero auget molem, non tamen pondus, cum liquescit, nisi forsan ob calorem sic videtur, qui leve facit: nam cum rursus coierit in seipsum, pondus habet quod ante. Haud tamen concedam quod dum aqua glaciatur, assumat molem majorem: nam cum vapor fit aqua, minuitur mole, quo ergo plus glaciatur, plus minuitur.

XXVIII. Quær. 5. Utrum Elementa in propriis locis gravitent? Status quæstionis est, cum ordo cujusque globi hujus universi exigat, ut omnes ejus partes tendant sese conjungere & unire, ut per coadunationem partium conservetur totum, adeoque graviora densioraque contendant centro esse viciniora, & inferiore magis consistere loco; videmus enim leviora per descensum graviorum trudi sursum: quæritur an quando sunt in tali statu, quo infra se non habent levius, sive minus grave, nihilominus actualiter premant & impetum faciant sibi subjecta corpora v. g. partes extimæ terræ aut aquæ in partes inferiores? Ratio dubitandi est, quia jam videntur assecutæ suum finem ita ut conveniens sit ab ulteriore motu quiescere, adeoque dum aër incumbit aquæ, hæc terræ, non videtur ratio cur aër premat aquam, aut aqua terram, aut partes horum in suas inferiores?

Negant simpliciter Conimbricen. 4. Cœli. c. 6. q. 2. art. 1. estque recepta non solum vulgi opinio, ut vocat Phil. Burgund. sed insignium philosophorum quos inter noster Campanella; Ratio est, quia gravitas est impetus seu nisus eundi ad cognatum: dum ergo partes gravis corporis hunc finem assecutæ sunt, utpote constitutæ in suo loco & situ sibi debito non gravitant, teste experientia natantium sub aquis maximæ ponderationis: quin imo urinatores ad fundum imum descendere subinde nequeunt ob altitudinem aquæ, nisi ponderibus ad pedes appensis, quibus non indigerent, si ab aquis superioribus deprimerentur. Nec audiendus Arist. dicens in proprio elementa situ omnia esse gravia, excepto igne: non enim gravia sunt suis, sed alienis subterpositis, & Murcia Aristotelem errasse rotunde pronunciat. Idem probat situla plena aqua quando intra putei aquas sursum attrahitur, quamdiu enim est infra aquam non gravat: mox autem superficiem æquæ attigit superiorem, renititur: non aliam ob causam, nisi quia aqua in suo loco situque non gravitat, sed in alieno.

Con-

Contrarium tamen affirmat simplieiter Villalpandus, Vasq. & plurimi duce Arist. 2. Cœli. t. 39. & 107. Vasq. 1. 2. q. 81. c. 3. ait hanc doctrinam fuisse ipsius quoque Archimedis, nempe quod omnia gravia terræ innixa (ut ipse loquitur) & ponderibus librata suis ita appetant conjungi centro universi, ot sua gravitate semper eo conentur, ac proinde imprimere corpori sibi subjecto impetum, non tantum quando sunt discontinua, sed eriam partes ejusdem corporis inferiores a superioribus urgeri & premi versus centrum. Probant autem assumpto in exemplnm Elemento aquæ, de quo peculiaria experimenta controvertuntur. In dolio ligneo aqua perinde se habet ad gravitandi nisum ac in stagno vel in mari: sed in dolio gravitat, sensu mox explicando, ergo & in stagno vel in mari. Nemo enim dicet aquam in vase ligneo super rectum v.g. positum esse in proprio loco: nemo item phænomenum ullum aut proprietatem aquæ in proprio loco constitutæ ad rem præsentem adducet, cui simile reponi non possit in aqua illa doliari: sed plerique æquivocationibus ludent, si eruditi, vel hallucinabuntor, si in motu locali & gravitate rerum peregrinantur: dicent enim dolii lignei latera & fundum premi ab aqua, & quandoque disrumpi, sed non premi latera & fundum maris & stagni: addent vas ligneum plenum aqua super caput impositum bajuli gravitare, non item mare & stagna &c. Porro ad probandum quod Elementa in proprio etiam loco & situ gravitent, sequens facit experimentum, nempe si dolium plenum vino vel aqua inferius perforetur, impetu majori vel minus extruditur vinum aut aqua: hoc autem aliunde non proficiscitur quam quod gravitent & nitantur partes vini etiam superiores & deorsum feruntur. Ex quo tamen experimento non infertur (ut recte notat P. Ptolomæus) partes superiores vini impellere inferiores, cum enim duo pondera sibi imposita simul ruunt, superius non impellit subterpositum v. g. cubus ligneus impositus cubo ferreo, sed actione communi uterque movetur deorsum: sed quod infertur est, ante apertionem foraminis totum vinum quoque niti deorsum, adeo gravitare ut pondera in bilance, in qua si abscinderetur funiculus ponderis unius exemplum optimum esset ejus, quod contingit cum aperitur dolii meatus. Alterum experimentum: assume tubum oblongum utrinque perforatum, & occlude digito superius orificium & inferius in aquam immerge, quæ non subit in tubum (quod aër inclusus sursum exire non possit, & si violenter intrudas tubum in aquam aër comprimetur). At si tollas superne digitum subit illico aquam in tubum: tum quia proxima illa pars aquæ pellitur sursum ex impulsione reliquarum partium aquæ, non secus eo pondus majos lancis unius trudit sursum pondus minus alterius; tum quia aër ipse ab intrinseco impetu conatur se libertati restituere per vim elasticam & conjungere cognato aëri: unde concluditur etiam ante immersionem tubi partes aquæ niti negative ad similem trusionem, sicuti etiam quando pondera sunt æqualia, pondus unum nititur contra aliud lancis alterius ut elevet.

XXIX. Pro clariore tamen notitia & solutione quæstionis propositæ (quæ non solum de elementis, verum etiam de mixtis gravibus moveri potest) non paucis æquivocationibus involotæ, observa obscuritatem, quam faciunt hi duo termini: *gravitare*, & *propria loca elementorum*. Primus sic intelligendus est, ut distinguas gravitatem a gravitatione, quæ est actus secundus illius: quæque iterum dividitur in *merum nisum*, seu gravitationem negativam, quam vocare licet appetitum innatum descendendi deorsum: & in *impulsionem* seu actualem productionem impetus cum motu locali. In præsenti de prima potissimum gravitatione sermo est, vel esse debet. Evidentissimum enim est Elementa quandoque non descendere nec moveri localiter: adeoque non eo genere gravitationis semper & ubique gravitare, quæ conjungitur cum motu locali. Sed quæritur utrum nitantur saltem, vel resistendo contranitenti, vel conando quantum est de se exerere impetum & moveri localiter: Exemplum habes duplex. Primum in duobus ponderibus æquilibratis in bilance; utrumque nititur & gravitat, & contranititur etiam unum in alterum; unde neutrum movetur, aut quidquam impetus producit ne quidem in brachia bilancis suspendentis. Secundum exemplum est in fornice & in fabrica concamerata: lapides & cæmenta ex quibus constat fornix gravitant & nituntur, sed impetum non producunt ad extra in vicinos invicem lapides singulis singulorum descensum impedientibus. Itaque si perinde Elementa in propriis locis se habuerint, dicendum erit revera gravitare.

XXX. *Proprius locus* Elementorum facilius designaretur, si corpora omnia conglobata essent pro gradu gravitatis suæ: tunc tamen habenda ratio esset corporum mixtorum, quorum quædam graviora sunt, saltem impuris Elementis, ut aurum & plumbum. At inprimis illud ne credas centrum globi terrestris locum hujusmodi proprium esse, utpote punctum mere imaginarium. Nam primo illud commune est omnibus gravibus, non peculiare unius præ altero. Secundo, terminus quidem & finis, saltem æquivalenter, & modo nostro concipiendi, gravitationis cujusque esse potest, sed locus gravium esse non potest, quia punctum est, in quo locari innumera penetrabilia & extensa gravia non possunt naturaliter, nisi ad summum alternis & seorsum, distributive non collective. Itaque juxta communem hypothesin, cui adhærendum, locus proprius de facto (saltem proprius per accidens) Elementorum gravium est ille, ubi Elementum grave constitutum, non habet infra se, nec ad latera aliud in specie minus grave corpus se ipso Elemento. Sic aqua in mari & stagnis juxta hanc intelligentiam est in loco proprio: quia infra & ad latera habet terram elementum aqua gravius.

XXXI. Objic. I. Elementa gravia gravitant ut ad locum proprium perveniant, ergo in proprio loco non gravitant, quia obtento fine cessat nisi ad medium ponendum. Resp. cum Ptolomæo finalem istam causam rigorose, & in sensu formali acceptam esse falsissimam: non enim ut ad locum proprium ascendant aut descendant gravia vel levia, (qui nullus absolute est, sed omnibus Elementis communis, sed ut gravia conglobari possint circa centrum & reipsa conglobentur, ideo & ad proprium & ad alienum locum descendunt; levia vero ut ignis & aer ad sibi cognatum & simile. Ille ergo est finis naturalis gravitatis & gravium: quemadmodum enim materiæ primæ est componere corpus naturale, sic elementorum est compingere globum habitabilem. Hujusmodi autem finis recte componitur cum gravitate & nisu

 actuali,

actuali, etiam in locis appellatis propriis, quate dist. ant. gravitant ut ad locum proprium &c. tanquam ad finem ultimum. N. non ultimum. Conc.

XXXII. Objic. 1. finis aquæ non est conglobari immediate & proxime circa centrum sed supra terram; ergo eo fine obtento ulterius deorsum non nititur, consequenter mare in terram non gravitat. 2. Omne grave appetit quietem: sed ex dictis quies illa est impossibilis, ergo. prob. min. quia in centro terraquei quiescere non possunt; neque in ullo loco proprio extra centrum, quia ubicunque sint nituntur deorsum, adeoque non appetunt ibi permanere seu quiescere. Resp. ad I. Dist. ant. finos aquæ solius & seorsim sumptæ. N. collective sumptæ cum terra. Conc. si enim aqua seorsim consideretur, habet illa pro fine absolute conglobationem circa centrum tanquam conservativum unitatis, sic videmus guttas aquæ ex trabe & ramis arborum pendentes & in plano conglobari ad vitandam Divisionem quæ illarum mors est, ut sæpius jam inculcavimus. Quando vero terra & aqua simul comparantur, tunc non finis absolutus sed comparativus consideratur; qui est ut tali circa centrum conglobatione, nempe supra terram undique conglobatur; uterque autem finis facillime expeditur per nisum illum aquæ naturalem non attendentem aut examinantem, utrum sit vel non sit infra illam terra.

Resp. ad 2. Dist. ant. appetit quietem id est conservationem sui per conglobationem circa centrum, quæ est finis gravitatis. Conc. appetit quietem, hoc est cessationem ab omni nisu etiam negativo descendendi deorsum. N. Realiter quidem idem est tendere ad eam conglobationem, atque in hoc sensu ultro conceditur gravia appetere quietem: cæterum potius appetunt motum, quia appetitus hujusmodi medium est aptum tum remotum tum proximum ad finem possidendum: nisi enim niterentur ad motum, finem conglobationis non consequerentur. Quare ut corporum viventium finis est agere, & moveri vitaliter, aut saltem in actu primo proximo esse ad hujusmodi motum & actionem; ita gravium est finis niti ad motum & actionem localem: hoc enim recte instituta natura deposcit.

XXXIII. Quod autem Urinatores sub aquis non experiantur pondus aquarum superincumbentium; nec pondus situlæ repletæ infra aquas ab attrahente, & similia experimenta concernit, id provenit ab æquilibrio, cujus æquilibrii causas quinq; indicat Campanella Lib. 2. M. c. 5. art. 4. Nam alia est figura simul cum motu, præveniente ponderis majoris casum, ut cum aves volant in aere, & homines natant in aquis: siquidem corpus avis, & hominis ponderosius est medio in quo moventur. At dum avis incipit mergi, expandit alas in aerem alium, a quo sustinetur, & cum in alio incipit mergi, iterum antequam submergatur subamplectitur alis alium aerem, in quo innixus impetum facit ad ulteriorem aerem, ita ut nullo cadat. Sic etiam qui natant, levius reddit corpus retento intra se, quantum possunt, anhelitu, & aquam manibus comprimunt infra corpus, idque facilius præstant in flumine quam in stagno: & quanquam aves nonnullæ in eodem loco sustinentur, & similiter qui natant in aqua, haud tamen id fit, nisi moveant alas illæ, hi autem manus aut pedes, dum enim impetum faciunt, agitantque membra, novus aer, novaque aqua subterfluit accurritque vacui impatiens ad sustentandum, aut certe ob retentum in thorace inspiratum aerem, qui sustinet eos ne mergantur. Idem credibile est avibus, quæ aeris in medio pendulæ & quasi dormientes videntur immotæ, causam esse ne cadant, nempe retentus aer percalidus, qui & luces sustinet. Qualiter autem Regiomontanus aquilam ferream volantem exhibuerit, uti jactant Norimbergenses, examinandum doctioribus relinquimus.

XXXIV. Secunda æquilibrii causa videtur esse proportio accessus & recessus ab aliquo immoto, ut patet in statera, in qua si a centro ponderis una ferri libra appendatur in altero brachio in distantia decupla ad alterius brachii distantiam, in quo pendet pondus librarum decem, æquabuntur. Idem contra omnia præstant; elongatio enim a centro rotæ dat velociorem motum, & tamen æqualem in spatii transitu, quoniam dat expeditionem viribus mobilitatis, quas centri vicinitas immobilitantes minuit. Omne enim centrum unitivum est ac quietativum eorum quæ ipsi innituntur, quapropter minus motionis participant, quæ sunt quieti propinquiora, & sustentaculum minus quæritant, quæ sustinenti sunt magis propinqua. Id experiuntur qui gladiatoriam artem exercent; quod si hostis feriat gladium in parte propinquiore stringenti pugno, minus vacillat manus, & gladius minus fertur eo, quo cupit antagonista: si autem feriat extremitatem gladii a manu distantiorem, impellit facile gladium quocunque spectat ictus. Similiter & qui levant pondera pertica, quam vocant levam (des leviers gall.) seu vectibus subterpositis ponderi, premendo hinc levam deorsum, ut levet illinc sursum, paucioribus enim viribus sublevant si presserint extremum perticæ quam medium, quia medium vicinius est ponderi tollenti motum, extremitas vero distantior, cui proinde plus motionis potest communicari, est enim robur interpositum quasi centrum levæ.

XXXV. 3. Causa æquilibrii est additio ponderis in minori, vel detractio in majori, quanta superabat, vel deerat. Sic efficitur ut in aqua tantum tendat crassities deorsum, quantum tenuitas aeris sursum, & sic fit æquilibrium. Et hæc æquilibratio per mistionem alterogeneorum non est ubique, sed quæ æquilibrantur in aere, sunt inæqualia in aqua, ut patet de ferri & ligni talento utrimque uno in aere, nulla autem ligni in aqua: & de aurea lamina & lignea æquilibratis in aqua, non autem in aere. Hoc autem accidit, quoniam quæcunque sunt crassiora aquis & aere, ponderant in aquis & aere, sed additio aeris, sive implantati, sive adhærentis, in aqua minuit pondus, non autem in aere: similiter additio ignis utrobique. Propterea ferrum in aqua lb. 11. quod in aere erat 19. & aurum 66. quod erat 67. Probe ergo aqua declarat, quibus in rebus sit aliqua spiritus admistio, & quanta aeris, si plura meditetur.

XXXVI. 4. Causa est Vacui prohibitio, cujus ratione omnia æquilibrantur fere corpora conversim: omnis aer intra systematis nostri sphæram ad implendum vacuum non modo sursum levatur, ubi cum æthere æquilibratur: sed etiam deorsum intra aquas, ubi cum aquis; & intra terras usque ad centrum, si perforaretur tellus, descenderet, quasi æqui ponderis cum tellure factus.

Hanc tamen causam negant & explodunt plerique moderni, uti & Principium illud in Scholis tritissimum,

mum, *Naturam nil magis horrere quam vacuum:* quin imo contrarium, nempe Vacuum Naturam non horrere, Author Philos. Burgund. tom. 4. pag. mihi 327. homini omni ratione sua utenti manifeste putat a se demonstrari. Sic arguit: "Non possunt res omnis "sensus & cognitionis expertes, quidquam aut amare, "aut odio, aut desiderio aut fuga prosequi; atque ni-"hil æque rectam philosophandi rationem perturbat, "quam cum ea, quæ menti nostræ conveniunt, ut illi-"us ideas aut affectiones, in res naturales transferimus. "Deinde quod nihil est, ut vacuum, naturam ipsam, "aut potius res naturales, ut Elementa timore percel-"lere non potest.„ En arietem, quo tantam quantam molem Philosophicam Doctissimi Thomæ Campanellæ, Telesii, aliorumque uno ictu evertit! Nugantur nempe omnes Doctores, & inanes sine mente sonos proferunt com Sympathias & Antipathias inter res naturales agnoscunt docentque. Putarem ego omni homini ratione sua utenti manifestum esse discrimen inter sensum & appetitum naturalem, & sensum appetitumque animalem, aut turpiter hallucinatus est Doct. Angelicus alibi a nobis jam citatus, tribuens rebus inanimatis appetitum verum (naturalem) non metaphoricum tantum. Vide Eundem q. 23. de volunt. art. 5. ubi in resp. ad 13. ait: Res naturales, non metaphorice, sed vere delectantur fine acquisito, quem appetebant, & probat auctoritate S. Dionysii. Ibid. art. 1. negat quidem naturalibus sensum animalem, qui fit per speciem apprehensam, non autem naturalem, sicuti appetitum naturalem habent. Semper autem docet S. Thomas appetitum sequi præcognitionem, vel rationalem, ut in homine; vel animalem, ut in brutis, vel naturalem, ut in Elementis. Ergo res naturales, etiam inanimatæ, vere sentiunt, quem sensum habent ab impressione primæ sapientiæ; & propterea vere, non metaphorice appetunt & delectantur in suo fine adepto gravia & levia, & cuncta naturalia, ut probat S. Thom. q. 23. volunt. ergo vere sentiant oportet, ut ibid. q. 22. concludit: alioquin non vere appeterent, sed sicut sagitta ad scopum (ait) dirigerentur a Deo, & non irent appetendo, & periret Natura. Et Mundus esset statua Dei mortua, non viva. Si ergo amant & appetunt sibi utile & amicum, quid ni fugiant & horreant sui destructivum? quale est Vacuum. At hoc nihil est, ais. Cur ergo Epicurei & Democratici illud non tantum possibile, sed etiam omnino necessarium in rerum natura putant, adeo ut illud tanquam Principii loco sumere non reformident, testante ipsomet hoc Auctore? Vacuum vocamus locum seu spatium absque omni corpore: an locus & spatium dixeris nihil? Idque fatetur a Deo possibile puta si omnem aerem in hac aula annihilaret, nullo alio corpore succedente.

Terram tamen elevari ad vacui repletionem non sumus experti, nec gravia entia illi consimilia, nisi per quintam causam, quæ est non qualiscunque, sed valida sympathia & antipathia, per quas videmus ferrum ad superpositum magnetem elevari ac ex eo pendere. Minutias tamen terræ elevari vidimus, non autem terram nimiam, quoniam cum sit basis systematis, ejus permanentia utilior forsan est, quam modici vacui prohibitio. Adde quod tota terra non potest a loco suo dimoveri absque universitatis ruina: partes autem toti suo ita cohærent compactæ ut nulla ex utilitate meliori divelli velint.

Ex his palam fit quod nec violentia & casus, quo utuntur Democratici: nec vis Naturæ, qua Peripatetici, sufficiunt ad reddendam rationem eventuum naturalium, nisi primalitates Metaphysicæ consulantur. Cætera de velacitate motus ejusque incremento & similia vide in Tract. de Motu & Tract. de Loco, quantum pro modulo nostro indagare potuimus; Gravitatis enim naturam & causam adæqoatam investigare gravissimum Illustrissimo D. Boyle, Exercit. 4. p. 57. videtur pensum; cui solide & perspicue absolvendo, non obstantibus (ait) quæ vidi & didici, parem quemcunque hominem fore semper dubito.

APPENDICVLA.

Propositiones universales de Gravi & Levi Principia Mechanica.

XXXVII. I. Omne corpus unitius atque simul uniformius, ponderosius est corpore minus unito & minus uniformi in aëre & in aqua. Item ponderosius est æque unito, sed minus uniformi. Item ponderosius est æque uniformi, sed minus unito. Item æquale est æquiformi ac æque unito; loquendo de ponderositate secundum speciem, & de pondere deorsum.

II. Omne corpus æque ponderosum specie, sed non mole æquali, in statera plus ponderat, sive in aere sive in aqua, si est majoris molis: sed in motu deorsum velocius est, quod est minoris molis, sive in aëre, sive in aqua.

III. Quod est ponderosius mole, potest fieri æquale in statera cum minus ponderoso secundum molem & speciem in aëre tantum. In aqua vero ponderabit magis, quod specie est ponderosius, ut plus lapillus unius unciæ, quam navis mille talentorum.

IV. Ponderosiorum ejusdem speciei ponderabit sursum magis illud, quod est majoris molis: sed ascendet citius quod est minoris diametri ejusdem figuræ. Figura enim non confert corporibus ut ascendant vel descendant, sed ut facilius & citius ascendant vel descendant; Lata enim figura atque longe ascendit descenditque tardius: acuta, rotunda & stricta citius utrumque facit, & facilius, nisi mistura aëris, plus impediat. Omne unitius perforat & separat minus unitum, ut chalybs metalla, & clavus parietes, per se loquendo; sed per gravitatem acquisitam seu impetum a malleatore contrarium accidit: sicuti trochus per acquisitum impetum & vim movetur, donec resistentia aeris & ponderis aliorsum vim illam non perimunt.

SECTIO V.

De Denso & Compresso, Raro & Tenso.

XXXVIII. Difficultas hæc circa explicandam Rarefactionem censetur inter maximas totius Physicæ, teste Ptolomæo, quod magis patebit ex diversitate opinionum infra recensendatum; Dependet enim a compositione Continui, & quamcunque tenueris sententiam, parit tricas. Nos ob amplitudinem materiæ sectionem hanc claritatis majoris gratia subdividemus, & præmissis qoibusdam tanquam certis, terminorumque æquivocorum determinatione, statum quæstionis elarissime proponemus, quodque verisimilius videbitur exponemus. Et primo quidem de passionibus mediis materialis corpulentiæ inter unitatem & numerum; & qua ratione causaque fiant; & quomodo ex his fiant mista, & de passionibus 4. mistorum, ex jam dictis oriundis, agemus; hæc enim nosse Physiologum, utpote generalia & communia oportet.

SVB-

SUBSECTIO I.

De Passionibus materialis corpulentia mediis inter unitatem & numerum, & quia ratione causa que fiant, & ex eis mixta &c.

XXXIX. Quemadmodum perfecta divisio facit numerum, & unitio mensuram, seu magnitudinem & parvitatem: ita imperfecta utraque efficit aliquid medium inter numerum & magnitudinem, hoc est *dispositiones materiales*, quæ materiam signant ad aliquod graduale genus Entium & formam. Hæc autem imperfecta divisio vocatur *Expansio*, & *Explicatio*, & *disgregatio*, & *rarefactio*. Imperfecta vero unitio dicitur *constrictio*, *congregatio*, & *condensatio*; & fiunt partibus materiæ in aliqua distantia ad invicem positis, non tamen divisis prorsus, nec unitis prorsus nisi formaliter: & ideo vocatur *dispositio*, quoniam positionem distinctivam partium in Toto dicit, & quia a causis agentibus ad proprium commodum: idcirco vocatur *habitus* & habitudo partium, & non totius: quæ, si commoda est virtuti activæ, dicitur bona dispositio illi; si incommoda, mala.

Hinc sanitas & ægritudo dispositionis vocabulum mutuantur, & habitudines animæ. Ipsæ autem dispositiones interiores jam dictæ a configuratis & dispositis extra rebus acceperunt nomen. Vocantur etiam melius consistentiæ materiales, quoniam simul sistentiam partium & ordinem quendam dicunt in Toto: non autem ut in loco: quoniam hic ordo potius dicitur *positio* & *situs*.

XL. Omnes autem divisivæ dispositiones inducuntur a calore materiam attenuante, ut possit ipsam movere: contrariæ vero a frigore, ut immobiliare queant.

Hujuscemodi autem dispositiones sunt quidem innumeræ inter perfectam Densitatem & perfectam Raritatem; sed nominatæ videntur octo: Primus est *Lentor*, cum enim primo incipit densa moles dilatari & expandi: partes aliquo pacto dividuntur, vel instar earum, quæ divisionem patiuntur, se habent, & perdunt duritiem & robur, quod per summam unitionem tenebant. Divisio enim tendit ad non-ens, Unio ad Ens. Secundus gradus est *Mollities*, agente enim calora magis, moles dilatatur magis, ac mollescit, ita ut cedat tactui in profundum facilius. Mox explicata magis ac segregata, fit Tertius in ea gradus *Viscositas*, quæ est mollities nolens amplius explicari & humescere; vel *fluor* repugnans crassescere, ut patet cum ex farina sicca & aqua humida fit gluten. Hinc quartus gradus suboritur *lubricositas*, ex viscoso explicato magis, ita ut partes consistere simul nequeant, sed modicæ fluant ut cœnum. Quintus gradus est *fluor*, cum moles lubrica amplius dilatatur, ut agglobari in montem nequeat, sed in latera expandatur. Fluor autem attenuatus magis explicatusque fit *liquor* sextus gradus, quale est vinum, oleum, & quintæ Essentiæ vocati succi, qui a calore toti in fumum solvuntur: in fluoribus enim semper aliquid subsidet, quoniam non est æque similatis. Septimus gradus est vapor seu fumus, ex rarefacto liquore gradatim genitus, ita ut in altum attolli queat nedum fluctuare: & hic fumus cum accenditur, est flamma: quæ extincta, est fumus. Octavus gradus est fumi expansio in invisibilem exhalationem & ventum & aërem. Qui summe explicatus deinde est tenuissimum Cœlum motui perenni aptissimum, quem calor optat & facit, proptereaque attenuat.

Hos gradus facile agnosces, dum cera calefit, 1. enim lentescit. 2. mollescit. 3. viscoiescit. 4. lubricescit. 5. fluit. 6. liquescit. 7. effumat. 8. tenuesit, si calor moderatus applicetur: si enim vehementior sit ignis, gradus hi ob velocitatem effugiunt sensum.

XLI. Omnia corpora, quæ Chymicis & Physicis mista vocantur (ut lapides, metalla, plantæ & animalia) ex præfatis materiæ dispositionibus constare videntur, uti pulchre demonstrat Campanella Lib. 2. Metaph. cap. 5. art. 7. ad quem remitto Lectorem, sufficiat solum animal considerare, quod omnibus hisce dispositionibus constare patet: cernitur enim in Spiritu tenuitas, in emissionibus vapor, in pericardii & fellis vase liquor & in sero, in sanguine fluor, in pituita lubricitas, in nervo viscositas, in carne mollities, in cartilagine lentor, in osse durities, in pilo trahibilitas miscet duas, quod & in cæteris non vacat.

Hæc omnia dicta sunt, ut intelligant Peripatetici inanes ipsorum transmutationes, & opposita maxime esse ignem & terram; & ab hujus densitate facta uniente frigore ad illius raritatem factam dispergente calore, gradus esse plurimos: & nullum Symbolum in extremis; neque humiditatem esse aliquid activum, nec siccitatem: sed illam esse passionem materiæ explicante calore: hanc vero frigoris condensantis esse ejusdem materiæ constrictionem ac proinde passionem: terminari enim proprio termino, quod proprium est sicci apud Aristot. ex unione accidit: non terminari vero quod humidi ratio est, ex disgregatione advenit.

XLII. Contrariorum effectuum contrarias esse causas Aristot. sæpe inculcat: quo in dogmate si stetisset, omnia a calore solvi, & a frigore indurari per se secundum naturam agnovisset, ac rationem unde accidat, quod calor subinde induret, facile invenisset, si quæ indurat, & quæ emollit, inspexisset. Non enim omnia calor indurat, sed dissimilaria tantum, hoc est composita ex duris & mollibus partibus: quas tanquam minus resistentes suæ actioni, hoc est conversioni in ignem, statim immutat, attenuat elevatque; crassiores autem partes privatæ mollibus ac tenuibus sub quibus latebat earum siccitas & durities statim deteguntur, & quidem compinguntur etiam, dum divisionem, quæ rerum est mors, aversando, in seipsas coeunt magis, dumque veluti avolantes partes tenuiores quasi tenere cupiunt, noluntque separari. Quapropter durities a calore non fit, sed detegitur: & quod duritiei prius non inerat, ab amore coitionis fit. Quod in luto ex pulvere terræ & aqua genito experimur: unde ignis eliciens humorem aqueum, detegit terræ duritiem, quæ tamen fit major atque erat in pulvere, ob inseparabilitatis amorem: at in laterculis, magno correptis igne, fit etiam major, quoniam ignis liquefacit duriusculas particulas, quæ cæteris mistæ glutinis vitrifici obtinent vices. Vis autem rarefactiva & mollificativa ignis non in eo, quod remanet contumax actioni suæ inspicienda erat, sed in eo quod immutatum est, quod sane in fumum & liquorem & tenuissimas ac proinde humidissimas transivit in res.

Item in rebus similaribus, qualis cera & aqua dulcis, quæ a calore tota solvitur in fumum, nulla relicta indurata, vel in cinerem acta per se.

Hinc erravit Plato conspiciens terream illam partem, quæ remanet ab igne indurata, esse inconvertibilem, si enim

si enim vehementiori igne tentasset usque in finem: vidisset etiam cineres liquescere & vitrificari: ac deinde vitrum in sales solvi: qui iterum liquescant in oleum tenuissimum, vasa etiam vitrea penetrans, ac tandem in igneam invisilem partem gradatim pertransire.

XLIII. Igitur imaginatio quædam est inexpertorum, quod videlicet aculei aquei penetrando sal solvant, & terram. Non enim agit aqua per aculeos nisi materialiter nullam faciendo vim, nullamque transmutationem, sed se intrudendo in poros duntaxat terræ, adulteratæ, & panis & salis: quam intrusionem facilius sortitur oleum tenuiusculum, quod tamen sal non liquefacit: oportet ergo transmutativam vim inesse liquefacientibus: & hæc est in igne; in cæteris vero quatenus igne participant. Nam blandus calor aqua sal solvit compenetratum, non autem aculeus qui potius consolidaret replendo, quod vacuum erat: est etiam sympathia aquæ cum sale, qua facile commiscentur. Non autem cum aqua & terra & pane, qui aqua non fiunt solvente aqua, sed lutum & gluten, & lubricositas quædam ex mistura, addita modica actione. Et in hoc quidem Plato melius sensit quam Aristoteles, dedit enim saltem aliquam rationem eventus; Hic autem contrariam protsus: vult enim ab aqua quatenus frigida, solvi, quæ calore concrescunt: cum tamen frigoris sit indurate compingere & contrarium solutioni effectum facere: unde & ipsem & fatetur & homo genea & heterogenea a frigore congregari. Ratio ab oleo non dissolvente sumpta nil probat: oleum enim antipathiam habet cum sale: unde in sapone ponitur sal tanquam expulsivum olei: & in lucerna oleum, cui sal apponitur, durat longiori tempore, quoniam attenuatur, dum pugnat cum sale, nec confertim multum in flammam vorantem fertur.

LXIV. Falsa ergo est sententia, quod quæ calor indurat, frigus solvat: neque enim fictile, neque lapidem, neque vitrum, neque rem ullam frigus solvit, sed omnia cogit, copulat exsiccatque. Aqua autem si quid facit solutionis, non frigore facit, sed mistione sui & calore blando & sympathia, uti dictum est.

Falsum est etiam, quod calor per se induret: cujus nimirum est omnia liquefacere, humida & tenuia; per accidens autem aliquando quædam indurare; quod quidem per se faceret in cunctis, si ignis esset natura siccus densusque, ut Aristot. putat: terra in hoc Symbolicum sine aculeis ageret, ut Plato credidit & Democritus, aculei enim replerent vacuitates, ac proinde solidarent magis quodcunque corpus: imo ignis minus posset solvere quam aqua, quoniam constat Platoni paucioribus partibus triangulatis.

Quod autem putat ictibus aëris res concrescete, vanum est: exclusus enim aër e luto per calorem, non regreditur: & qui locum ejus reperit, non icit, ita ut induret, sed blande intrat, nec si iciat, duritiem adamantis & vitri, tam subito faciet abeunte calore. Neque enim per ictus & compressiones plurimas nos res induramus, aut commassamus, sed per gluten & calorem tenuitates molles educentem. Nec quidem farinam Plato ictibus compinget, sed aqua viscositatis participe & caloris actione, non ut intrantis, sed extrahentis foras mollitiem, & partium remanentium sympathia. Indicat enim metallum & vitrum præsentiam caloris intrusi in materiam, potius emollire quam indurare, ejusq; secessu duritiem succedere: non quia aer icit materiam, sed quia materia est pluris soliditatis, quam lentoris & mollitiei participes, ac sibi persimilis, unde absque frigore statim unitur. Vnitionem enim sui conservatricem appetunt omnia corpora consimiliarium partium, dissolutionem vero destructricem abominantur. Veruntamen planum est, quod concretionum & dissolutionum ratio, non ex sola locali positione particularum pendet, uti Lucretio placet: nec ex sola vi activarum & transmutativarum qualitatum, sed insuper ex primalitatibus indaganda erat & sympathia & antipathia rerum, ut sermo philosophicus sit plene verax.

XLV. Hinc etiam jure merito condemnatur Aristot. docens aquea esse, quæ ab igne solvuntur, ut metalla & vitrum & lapides pretiosi, multo igne eliquabiles: terrea vero, quæ a calore indurantur, ut lac, & sanguis & lutum. Ex hoc enim sequitur, quod metalla sint digestibilia magis a calore animalis, quam lac, sicuti aqua est vincibilior, quam tellus. ergo nos melius nutriremur metallo quam lacte, ovo, carne & sanguine: aliaque multa inconvenientia sequuntur ex hoc, quod nesciunt distinguere inter similare & dissimilare mistum, & actiones minores & majores ignis. Sanguis enim induratur a minori igne, quia ex mollibus & crassis constat; metallum, quia ex consimilibus: ab igne autem majori utrumque calcinatur; & mox vitrificatur & in oleum vertitur & in cælum seu æthera. Sed de his satis.

SUBSECTIO II.

Vtrum Rarefactio fiat interceptione Vacui, & localis sit partium dispositio, ut Democrito placet; an quæ Aristoteli, an alia ratione?

Restat nunc difficultas perpetua circa expansionem & constrictionem materiæ antedictas: num videlicet fiant sola locali mutatione, vel adjuncta: nempe num quando expanditur materia palmare spatium occupans v. g lac & admotum igni dilatatur ut occupat duos, tres pluresve palmos spatii, id fiat interveniente vacuo, vel ut sentiunt Democratici, vel quod subeat aliud subtile corpus puta aëris in locum, aut addatur lacti sic rarefacto nova quantitas ut Scoto visum, aut ut Aristoteles vult, eædem partes citra interventum alicui corporis, modo parum, modo multum spatii locive occupent: Et quidem non posse fieri rarefactionem, nisi qua partes materiæ a se invicem distantiores fiunt, (ut fatetur etiam Aristot. in Prædicamentis,) sensus attestatur; quæcunque enim rarescunt, spatii occupant concluduntque plus: unde Definitio rari est, quod contiuet pauciores partes in ampliori loco. Densi vero quod æquales vel plures partes io angustiori. Contrarium tamen suadet natura vacuo inimica.

XLVI. Quæritur itaque qui fiat, ut entitas seu materia unius grani bombardilis expandatur in spatium multiplex ducenties vicies quinquies millies illius spatii, quod occupabat granum non accensum, nec rarefactum: (quemadmodum ex F omondo ponimus accensum pulverem nitrium rarefieri)? Sane teste Sylvestro Mauro. q. 44. materia pulveris nitrati cum accenditur & in ignem abit, ita rarefit, ut occupet spatium plus quam decem millies majus, quam ante occuparat. Sed hæc quam certa, tam controversum est inter A.A. quomodo ista fiant.

XLVII. Aristoteles respondet, non fieri densitatem per additionem partium subintrantium, nec rarefactionem per partium extractionem, & dissociationem ab invicem; (quam sententiam tenuit P. Franc. Bonæ

ſpei, qui conſequenter docet illa corpora eſſe denſiſſima, quæ maxime poſſunt rarefieri, idque propter compenetrationem partium) ſed per hoc, quod eadem materia eſt rari & denſi, ſicut calidi & frigidi, quæ eſt ad utrumque in potentia, & nunc fit actu rara, nunc denſa: ſicuti nunc calida, nunc frigida. Nam & cum calida fit magis calida, non recipit novas partes, ſed fit actu majus (calidius,) quod erat potentia: ſimiliter nec circulus major cum fit mioot, recipit curvationem, quam non habet, ſed majorem curvationem actu, quam in potentia habebat. Sic etiam fit leve ex gravi, & econtra.

Sed profecto nil dicit, nil docet his verbis Ariſtoteles, niſi quod poteſt materia fieri rara & denſa ſicuti poteſt fieri calida & frigida, & ecootra: unde petit principium. Nos enim id inquirimus, qua ratione ex raro denſum fieri poſſit citra penetrationem partium, & econtra ex denſo rarum citra vacuum, aut ſubingreſſum alienorum corpuſculorm prout ſpongia extenditur per ingreſſum aquæ in poros: & ipſe reſpondet, quia poteſt, eludens argumenta pueriliter, ut ſolet. Sic noo ſemel audivi reſpondeotes 7. A. A. Lib. Magiſtros ad hanc quæſtionem, id fieri pet formam accidentalem ſeu qualitatem, quæ dicitur raritas, quæ cauſatur per rarefactiouem, cujus qualitatis effectus formalis eſt parum enutatis ſeu materiæ conſtituere ſub magna dimenſione, & præter hæc vocabula, nihil extuderis ab illis. Neſcio etiam quid ſibi velit additio illa de circulo majori & minori, & de calido in actu modice, quod potentia eſt ad majorem gradum: niſi forte intelligat in gremio materiæ latere rarum & denſum, & nunc hoc nunc illud in actum prorumpete, quam ſententiam a S. Guſtino & doctiſſimis enam Peripateticis ſæpius damnatam & nos nuper exploſimus, & paſſim Neoterici. Non enim dativa eſt potentia Mareriæ ſed receptiva. Aliud etiam eſt de activis qualitatibus, & de paſſivis dogma: eſto enim quod ſubjectum calidi poſſit fieri ſubjectum frigidi, non tamen in ſe & a ſe habet frigus, ſed recipit ab infrigidante cauſa: & cum receperit, poteſt frigus augeri, quoniam habet potentiam activam, ſuique amplificativam, & non ſolummodo receptivam. At rarum & denſum ſunt materiales paſſiones, quæ a ſeipſis oec fiunt nec augentur per amplificationem, ſed per diſſociationem & conſtrictionem, additionem & ſubtractionem partium, ergo materies rara non poteſt fieri rarior, niſi calor amplius ipſam rarefaciat: calida autem bene poteſt fieri abſque exteriori calefaciente. Niſi concedas rarum poſſe rarefieri, quia partes diſtantes poſſunt fieri adhuc diſtantiotes, uti ſenſu videmus ex uno pulveris pyrii grano fieri 7. ſere aëris per expanſionem. Plato autem ex una portione aëris duas facit ignis; & ex una aquæ unam & dimidiam aëris. Ariſtot. videtur ex una terræ decem aquæ, & ex una aqoæ decem aeris, ex una aeris decem ignis portiones facere. Ita veteres illi, ſed longe aliter moderni.

XLVIII. Rarum itaque a raritate dicitur, determinatur vel cauſatur ſaltem improprie a rarefactione mediante calore. Hæc autem tria diſtingvenda ſunt ſimili pacto, quo denſum, denſitas & condenſatio. Raritas (quam rarefactionem formalem quandoque vocant, cauſalis enim non debet dici) clarius ſenſibus percipitur quam definiri poſſit. Inprimis itaque adverte, hos terminos *rarum* & *denſum* eſſe comparativos: cum enim rem aliquam dicis *raram*, comparas tacite vel expreſſe aut cum alia re, aut ipſam cum ſe ipſa pro alio ſtatu. Sic aqua ex. gr. reſpectu aeris & terræ denſa dicitur & rara, hoc eſt inſtituta comparatiooe ad terminos diverſos.

XLIX. Definitur autem *Rarum* (de quo hic eſt ſermo) *eſſe id, quod habet parum materiæ vel entitatis corporeæ* (quod additur propter accidentia Euchariſtica, *& multum extenſionis, aut habet, aut exigit habere ratione principii intrinſeci, neceſſarii & per ſe.* P. Ptolomæus totam difficultatem hujus quæſtionis ſitam putat in intelligentia illius termini *entitatis ſuæ corporeæ.* Vtrum videlicet ſenſu phyſico an metaphyſico ſit intelligendus. Reliquæ particulæ ſic explicantur. Dixi, *aut habet aut exigit habere*, nempe corpus compreſſum poteſt diei *rarum*, licet non habeat multum extenſionis, exigit tameo habere. Dixi, *ratione principii intrinſeci, neceſſarii & per ſe*, per quæ diſtinguitur *rarum* ſtricte ſumptum a *Tenſo*, nam tenſionis principium eſt extrinſecum: per τὸ *neceſſaris* excluditur extenſio Angeli ad majorem locum, cum pro libitu occupat modo majorem, modo minorem ſphæram localem; quia neque eſt ens corporeum, neque ex principio neceſſario, ſed ex arbitrio occupat majorem locum adeoque non dicitur rarefieri. Per τὸ *per ſe* diſtinguitur rarum a tenſo, quia tametſi impetus ſit aliquando principium intrinſecum & neceſſarium tenſionis, eſt tamen per accidens, nam impetus eſt per ſe principium motus. Denſum eſt minus rarum.

L. Diligenter quoque diſtingues *raritatem, & denſitatem a tenſione & compreſſione* proveniente a vi elaſtica: plurimum enim diſtant hujusmodi affectiones, licet quandoque ſimul aſſocieotur, vel una aliam conſequatur. Vis enim elaſtica, juxta Ptolomæum Diſſert. 22. Phyſ. gen. ſect. 3. numer. 3. eſt in ordine ad recuperandam figuram naturalem partium inſenſibilium ex tenſione vel compreſſione immutatam: rarefactio vero & denſitas eſt ad majus vel minus ſpatium locale occupandum. Cauſa Elateris eſt durities, durities certa pororum conſtitutio & mutatio, ſubtilis materia, aut liberum aut impeditum tranſitum habens cum flexibilitate conjuncta. Hinc non niſi in certis corporibus datur, imo ſenſim amittitur, quia certa durities cum mollitie pororumque facilis mutatio incidere debent. Oritur autem Elaſtica facultas a particulis ſubtilioribus, quæ conantur reſtituere partes corporis in ſtatum priſtinum anteqnam contraherentur. Conſiſtit itaque in tanta exihuitate pororum duri corporis, ut particulæ ſubtiliores non facile tranſire queant.

LI. Compreſſionem vocamus, dum corpus (ſolidum aut fluidum) coarctatur ad minorem locum vi ſolius impulſus alterius corporis, aut vi ponderis comprimentis.

Preſſio dicitur cum manente eadem mole corporis, figora tantum mutatur: ſic in tubo vitreo aer a ſuper infuſo argeoro vivo comprimitur: cera autem impreſſione ſigilli premitur.

Compreſſio fit per extruſiooem alicujus ſubtilis materiæ iotra poros compreſſi corporis latitantis. Sic videmus ſpongiam comprimi extruſa aquæ aut aëris iotra poros latentis. Hic non obiter Nota cum quodvis corpus ſit poroſum, illique pori non ſint vacui, ut ſupponimus, ſed aere aut æthere repleti, quæ atomi ſuo

non

non carent qualicunque corpore: fit ut corpus quodvis in individuo pondus suum variet, aliter enim se habet ut repletum, aliter ut privatum per compressionem omni corpore extraneo & jam extruso ex poris.

LII. Notandum quoque Compressiones aliquas a Natura lente fieri, quæ ab arte validissimis machinis & impulsibus fieri nequeunt. Patet hoc in condensatione aquæ per frigus priusquam congeletur. Item in fibris radicum arboris insertarum fissuris marmoris, quas sensim sine sensu dilatant. Ratio petenda est a subtilitate instrumentorum, quibus utitur natura vid. corpusculorum subtilissimorum, quale quid experimur in motu machinarum, qui quo tardior, eo vehementior. Hinc pondus attolli potest, quod immediate centies fortius agens applicatum levare non posset: ad eum modum operatur in Terraqueo Natura, propagato forte motu a vehementissimis motibus Primi Mobilis &c. Vide plura de his apud Franc. de Lanis; qui totam rem tormentariam, quæ peragitur nitrato pulvere, vult dependere a Compressione. Vbi observa, inquit, Ignem non accendi, aut accensum statim extingui, nisi aëre circumfuso continuo nutriatur, & quidem in maxima copia successive suppeditata. Hinc est ut si post admotum ignem foramini igniario tormenti bellici, illico antequam sc. pulvis totus flammam concipiat, & antequam globus erumpat, foramen illud clauderetur, ne posset successive novus aer subingredi, statim extingueretur ignis. Cum igitur materiæ in tubo tormenti existenti eumque implenti nova aëris materia accedat, si consideretur tota per modum unius, non debet dici rarefacta, sed magis compressa & condensata: ex qua compressione dici potest pendere expulsionem globi: si tamen consideretur sola materia pulveris, illa quidem dicitur rarescere, dum plures onius & ejusdem grani particulæ a se invicem recedunt aut majus spatium occupant, aut alteri materiæ advenienti locum præbent. (juxta diversas AA. opiniones). Cæterum singulæ etiam illæ particulæ, dum sic recedunt ab invicem, comprimuntur, nec enim sunt indivisibiles, sed pluribus aliis constant: in quarum poris æther exerit suam vim elasticam, prout alibi dictum de aqua calefacta intra vas, quæ rarescit si partes a se invicem recedentes comprimuntur. Hæc ille

LIII. Circa pulveris nitrati, & hujus in ignem conversi miros effectus communis fert opinio causam esse rarefactionem. Rationem dat Ioan. Marcus Marci Lib. de arcu cœlesti pag. 41. Quia nimirum materia densa, cujusmodi pulvis, non nisi rarefactione in ignem mutetur: rarefactionem vero major moles, hunc majus intervallum sequatur. Verum tametsi rarefactio interveniat, ob quam corpora impelluntur; cum neque ob accessionem molis iisdem angustiis capi, neque in alia corpora penetrare possint, causam tamen cur rarefactio ex necessitate fiat, inquirimus. Hanc enim dicunt esse quendam motum quo major moles, aut nova ejusdem extensio acquiritur, quæ dispositio sit necessaria ad formam ignis. Erit itaque primum esse hujus formæ, primum non esse illius motus. Ita enim Conimbricen. Lib. 1. de generat. Q. 27. art. 5. ad secundum. "Respondemus, inquiunt, in instanti, "quo aër ex aqua generatur, & idem dicendum de i- "gne, non dari rarefactionem; quia tota raritas necessaria ad introductionem formæ aëris jam fuerit in materia aquæ tempore immediate antecedente pun- "ctum generationis."

LIV. Ex quibus ita argumentatur Marcus. Pulvis pyrius cum incenditur, habet omnia requisita ad formam ignis: igitur priusquam ignis fieret, materia fuit rarefacta; neque proinde ignis, sed materia ignis futura, ubi summam raritatem attigit, globos ejaculatur. In media autem rarefactione habebit dimidium illius molis, quam in fine obtinet; cui quia locus major competit, ex angustiis eluctando obices rumpit. Quod si absq; prævia rarefactione fit ignis, quem raritas comitatur, non erit ex dispositionibus necessariis ad hujus generationem. Et si in materia densa generatur, poterit in eadem conservari. Experientia quoque constat hunc pulverem igne absumi absque eo, quod major inde moles sequatur; atque etiam vasis vitreis ejusmodi rarefactionem cohiberi. Quod si enim globum ligneum hoc pulvere refertum & accensum in vas vitreum aqua plenum conjicias; obstructo confestim orificio, ne aer ingredi valeat: videbis in mediis aquis magno tumultu ignem ardere, absque ulla flammæ in majus spatium extensione. Ita vasis hermetice clausis res calcinantur, absque ulla inflammatione. Quod si minima rima spiraculum fiat aeri externo, protinus concepta flamma vasa rumpuntur, & frustillatim dissiliunt. Quod etiam contingit huic aquæ incluso igni. Si enim orificium patefiat, magno impetu aquam expelli, aerem vero introduci videbis. Ex quibus ratio elici potest illorum operum, quæ pulvis pyrius, dum accenditur edit. Siquidem ratio flammæ constituitur ex igne, in quem ustibile resolvitur; & ex aere ignito. Hunc vero ab igne sorberi, dum sulphur exardescit. Quia vero ignis natura sua sursum contendit, qui motus est ad dissolutionem, dum partes a se distrahuntur, illarum vero abscessu vacuum imminet; quod natura magnopere aversata, corpus circumfusum in hujusmodi spatia relicta compellit: cujus ingressu violento motus flammæ incitatur. Ignis ergo quia suo motu rarefit, aerem inspirat seu attrahit: hic vero irrumpens ignem magis impellit: atque ita causa fit majoris rarefactionis. Vbi vero vis major ad distractionem, magis quoque violenta fit aeris irruptio, a quo ignis inflatur. Talia vero sunt, quæ majorem copiam habent sulphuris defæcati & subtilis: & quæ contrarias simul naturas includunt, quarum aliæ ignem sequuntur: aliæ eundem aversantur. Quale nimirum est Sal petræ, cujus sulphur ignem concipit: Sal vero armoniacus eundem effugere festinat. Vnde magna & violenta fit distractio, & veluti hiatus ad aerem sorbendum. Quia tamen hic motus, quo ignis sursum festinat, & quæ hunc sequitur partium distractio, virtute procedit finita; poterit ab alia vi majore impediri. Vt si aer desit, aut minor hujus sit copia quam requiritur ad ignem inflandum: ex distractione vero ejusdem vacuum imminet, cum nihil sit quod occupet ea intervalla: quia nimirum partes solidæ, quæ circumstant, majorem vim habent ad resistendum, quam ignis ad easdem distrahendum, tum quidem generatio flammæ prohibetur, quemadmodum fit in Vasis hermetice sigillatis. Ita quoque in cuniculis magis solidis, si nulla sit rima per quam aerem inspiret, pulvis pyrius absque ulla percussione conflagrat.

Quod vero in aere libero tantillus pulvis tam stupendos effectus operetur, hujus rationem hanc assignat idem author. Supponamus unum granum pulveris

accensi, majus fieri seipso in ratione septupla; ac proinde illa extensione attingere sphærulam tertiam: & sit virtus unius impulsiva ut 4. Sphærula itaque secunda, quia & suo & sphærulæ primæ impulsu movetur, habebit impulsum ut 8. tertia vero sphærula impulsum ut 14. a prima quidem ut 2. simissem vid. impulsus, & a secunda ut 8. a se demum ut 4. Et sic deinceps quinta sphærula impulsum recipiet 37. sexta 56. septima 80. octava 126. nona 187. decima 275. vicesima 10806. trigesima 478203. Quid ergo futurum in centesima, & millesima, aut in tot myriadibus granorum? Ita hic Calculator, quibus tamen mysterium rarefactionis non sofficienter declarat.

LV. Illud certum, inter salem tartari, & salem armoniacum esse contrarietatem naturæ, qua mutuo in se agunt: quod si enim commisceantur, protinus odor gravis, qualis a spiritu urinæ, nares ferit, ab illorum putrefactione ebulliens: quæ contrarietas evidentior fit in confusione aquæ stygiæ cum oleo Tartari: nam subito magno tumultu effervescunt & ebulliunt.

Prædicti autem AA. eam tuentur opiniotiem, quæ rarefactionem ingressu corpusculorum: condensationem vero eorundem egressu fieri putat. Ex qua opinione sequitur condensationem solis corporibus mixtis & naturæ dissimilaris convenire, a quibus necesse corpuscula tenniora excerni. Quod si ergo daretur Elementum omnino simplex, consequenter extreme rarum, (cujusmodi perhibetur esse æther aut ignis) nulla ratione valebunt condensari ejusmodi corpora. Rarefieri autem possent tam hæc quam illa. Et quidem ex his Marcus Marci Aristotelem, qui densum definit multitudine, rarum paucitate materiæ sub eadem communi mole, atque ex una in aliam mutari; sic interpretatur, ab Aristotele per materiam non intelligi illam primam omnibus communem, sed secundam. Itaque cum ad ignem rarefit mel, cera, pix; major tum moles accedit ob ignem his admixtum & inflantem: materia vero & quantitas illorum propria eadem manet: non aliter atque in spongia, dum ex aere vel aqua tumet.

Similem torsionem aut verius elusionem profert P. Ptolomæus dum sibi eandem auctoritatem objicit; Respondet enim his verbis: quandoquidem Aristotelem accersis, audi illum (cap 8. de prædicam.) *Densum ex eo est quia partes ipsius propinquæ sibi sunt: rarum autem ex eo, quod inter se distent.* Item (4. Meteor. c. 4.) *compressibilia & densibilia ea esse, quæ possunt in suas ipsorum partes inanes, aut in suos ipsorum meatus coire.* Cum hoc Aristotele ego (inquit) sentio: habe tibi tuum, vel si placet, utrumque sic explica, ut sensu physico nonnunquam, alias sensu metaphysico eum loqui censeas, uti passim de rebus cæteris consuevit. Sic Ptolomæus Differt. 22. Phys. gen. pag. 455. Nempe nil rari est apud Aristot. quod sua dogmata evertat, sibique contradicat, maxime dum alios impugnat, prout ejus inconsequentias in statuendis Principiis physicis ostendit Campanella Lib. 13. Metaph. cap. 6. pag. 123. Item affirmat & negat, prout fert irrationalis ejus cogitatus, teste Lactantio & Iustino apud eundem ibid. pag. 117.

SUBSECTIO III.

Proponitur opinio negantium dari ullam rarefactionem proprie dictam.

LVI. Hanc præter plurimos alios tenet Phil. Burgund. tom. 4. Phys. gen. tract. 3. cap. 3. prob. cond. Rarefactio proprie dicta requirit, ut materia eadem, quæ modo est sub parva quantitate seu dimensione, postea sit sub dupla aut multo majore: at hoc non est possibile. prob. min. Quaotitas vel nullo modo distinguitur a substantia, vel est illius affectio aut proprietas, atque ut vulgo dicitur, materiæ coæva: ergo nihil ei addi potest, aut detrahi citra novum materiæ additionem aut detractiooem: nam omnis proprietas a natura profluit, non extrinsecus advenit.

Confirm. 1. Corpus ex punctis physicis, seu ex atomis solidis constat: sed puncta illa nec majorem nec minorem locum occupare possunt. Cum enim solida sint, & oullos intercipiant poros, condensari non possunt, aut in arctius spatium contrahi, ac suis quæque arctantur locis, unde nec spatia seipsis majora implent. Ergo nec corpus ipsum ex iis atomis conflatum majus aut minus spatium occupare potest; sicque omnis rarefactio aut condeosatio, non dimensionum ampliatione aut imminutione, sed meatuum seu pororum potius extensione (admissis vacuolis;) aut intrusione corpusculorum, aut contractiooe continetur. Non enim duo puncta in eodem puncto loci citra penetrationem, aut in mille punctis loci (ut cum aqua in vapores rarescit) esse possunt, nisi unum idemque punctum replicetur & simul in multis locis existat. Quare augentur quidem pori aut meatus corporis rarefacti, qui aut subtiliori corpore implentur, aut penitus inanes manent: sed eodem dimensiones, eadem extensio corporis manet quæ prius.

Confirm. 2. Omois rarefactio sensibilis, eo quo diximus modo, perficitur. Sic recte complicatum dum evolvitur, majorem locum occupat, tametsi soli meatus ampliantur. Cum in thermometro aqua vel alius liquor dilatatur, id accidit, quia partes aquæ vi caloris expansæ majorem locum exigunt: eadem est ratio aquæ ebullientis. Unde liquores oleosi & viscidi in majus spatium vi caloris explicantur, quod ignis atomi partes sibi cohærentes ægre divellant. Eadem vero est ratio rarefactionis, quæ fit subeunte corpore insensibili, & ejus quæ per manifestam intrusionem corporis sensibilis efficitur, ubi meatuum dilatatio, aut compressio sensu percipitur. Ergo nihil necesse est molis ipsius, aut dimensionum incrementa, vel imminutionem comminisci: cum res ipsa sit in medio posita & intellectu (si quæ alia) facilis. Facessat ergo fictitia illa qualitas, seu modalis entitas, quæ raritas aut densitas nominetur.

Sed, inquiunt, modus ille non est inutilis, qui explicat quo res modo, dum rarescit, majus spatium occupet. Resp. nihilo me doctiorem fieri, cum quærenti quomodo eadem materia rarescere aut majorem locum implere possit, mihi respondetur id fieri per raritatem, quæ est modus aut qualitas rei ipsi superveniens. Nam idipsum est quod quæro, qui fieri possit, ut modus ille sic partes corporis dilatet aut contrahat, ut eædem partes evolutæ adhuc se tangant, eæque cum prius spatium, tum novum & amplius occupent, nec tamen pars una & eadem sit simul in pluribus locis? aut quomodo in re condensata is modus, quo densitas dicitur, partes corporis quæ se antea tangebant, sic comprimat, ut plures sint in eodem loco, nec tamen sese penetrent. Jam enim sibi erant proximæ, sese mutuo & immediate tangebant, quomodo igitur magis ad se invi-

invicem poſſunt accedere? Et certe modus ille, quo denſitas aut raritas dicitur, non ſatis aperte explicat, quo id modo fiat.

Hæc ſunt quæ in favorem ſententiæ hujus jam pene vulgatæ afferri poſſunt, ſed & difficultates non minus graves patitur: quid autem ad eas reſpondere ſoleant, mox audiemus. Si enim

LVII. Opponas Primo: Extraneum illud corpus, cujus admixtione aut expulſione rarefactio fieri perhibetur, non poſſe deſignari, aut ullis experimentis demonſtrari; neque veriſimile videri extraneam illam & tenuem ſubſtantiam corpora ſolidiſſima penetrare. Sequeretur enim corpora duriſſima ut marmor & ferrum inſtar cribri eſſe infinitis prope foraminulis pertuſa nec occurrit cauſa quæ ſubtilem hanc materiam in ferreum vas v. g. impellat. Cur enim ætherea illa ſubſtantia, quæ libere in aere exſpatiatur, in eas ſe conjiciet anguſtias? quid eam cogit vas illud ſubire, & cœcos illius meatus aperire, eum a nullo corpore impellatur. Inſuper quæro, num illi meatus porive ante rarefactionem fuerint vacui, aut repleti corpore quodam, quod aliud non poteſt eſſe quam aer? Si vacuos dixeris, certe vacuola illa diſſeminata, facient revera vacuum coacervatum, hoc eſt multo majus in aqua rarefacta foret ſpatium vacuum quam plenum: Iterum cum aer ipſe ſit rarus & magis adhuc rarefactibilis, conſtabit & ipſe ejusmodi vacuolis, quomodo ergo replet vacuitates aliorum corporum? Eadem quæſtio movebitur de æthere an poſſit rarefieri?

Reſpondent, ſupponendo dari materiam aere, quem ſpiramus, longe ſubtiliorem (æthera vocant) eamque in jugi motu verſari, quæcumque illa ſit, cujus vis & pondus longe ſuperet communis aeris gravitatem; vel ætherea ſubſtantia omnis expers gravitatis [en hypotheſes e diametro ſibi oppoſitas!] utut ſit, inquiunt, longe facilius foret vacua ſpatiola agnoſcere, quam eas pati anguſtias, quæ rarefactionem proprie dictam conſequuntur. Nec mirum ſi ferrum & duriſſima quæque corpora tot poris ſint pervia, cum magnetica effluvia nullum corpus non penetrent. Quo autem ii meatus ſunt numero plures, hoc ſunt anguſtiores. Atque id in rerum natura conſtans videtur, ut fluida & tenuia corpora in jugi motu verſentur. Nam ab aliis corporibus facillime agitantur. Itaque ſubtilis illa materia omnes vel duriſſimi corporis meatus ſubit, nec neceſſe eſt ut quaſi invita ea corpora pervadat: corpus enim fluidum & tenue qua patet aditus, velut ſua ſponte irrepit, ut in aqua ipſa cernimus.

LVIII. Oppones ſecundo: Cum aqua in vapores, aut oleum in fumos rareſcit, vel remanet eadem qualitas abſoluta quæ prius, tumque in ſublimem aerem attolli non poſſunt, cum eo ſint graviores: vel non remanet eadem abſoluta & ſpecifica gravitas, quod utique dici non poteſt. 1. quia nihil occurrit, quod eam gravitatem iis detrahat: nam metalla in tenuiſſimum pulverem comminuta, ſuam retinent ſpecificam gravitatem. 2. Extranea illa ſubſtantia, quæ rarefacto corpori admiſcetur, vel eſt aer ipſe, qui efficere non poteſt ut conflatum ex aere & vapore ſit levius ipſo aere, aut ei innatet: vel eſt ſubtilior materia, quocumque ea nomine appelletur. Sed ne illa quidem ponderis vaporis abſolutum imminuit, cum ex Carteſio & recentioribus materia omnis ſit homogenea & ejusdem rationis, atque omnis diverſitas ex figura & magnitudine repetatur.

Huic argumento reſponderi poteſt 1. Neg. ſuppoſitum nempe atomos terræ & aquæ eſſe ejusdem naturæ. 2. Quidquid ſit de illa recentiorum ſententia, vaporem vi caloris in aere fluctuare, fere uti pulverem, quem equites ſolo motu in ſublime agunt. Deinde metallorum & auri ipſius corpuſcula aquis ſtigiis innatant, licet aqua ſint multo graviora. Quo enim corpus eſt minutius, hoc pro ratione ſuæ molis majorem habet ſuperficiem & levius eſt. 3. Fumus fortasſe ideo aſcendit, quod intra poros corporis accenſi ante coercitus, magna vi quoquoverſum protumpat. Vnde cum machinæ pnevmaticæ terra impoſita fuiſſet, & diu relicta, vapores e terra ſublati parietibus vaſis adhæſerunt, in guttas aquæ condenſati: quod ponderi aeris tribui non poteſt.

SVBSECTIO IV.

Singularis opinio P. Honorati Fabri proponitur.

Supponit hic Author 1. loco axiomatis Puncta phyſica (ex quibus omnia corpora componit) omnium Elementorum non eſſe ejusdem extenſionis, alioqui omnia corpora eſſent ejusdem denſitatis & gravitatis. 2. Dari motum naturalem ab intrinſeco: ſic glans plumbea per medium aëra motu ſatis accelerato deſcendit, igitur eſt longe gravior aëre, igitur denſior, nempe gravitas eſt ſemper cum denſitate conjuncta. 8. Non dari vacuum naturaliter quantumvis parvum. His ſuppoſitis

LIX. Dicit ſtatuitque 1. Licet aliquod corpus habeat intra poros vel intimas cavitates, aliquid ſubtilis & raræ materiæ, non tamen inde dicitur rarum proprie. Ratio a priori eſt, quia licet illa tenuis materia, quæ vel in vaſe, vel in illis cavitatibus continetur, ſit & vere dicatur rara, non tamen propterea vas continens illam dici poteſt rarum: alioquin propter eandem rationem, vas continens humorem dici poſſet humidum, molle, fluidum; & vas plumbeum vacuum poſſet dici leve, quia plenum eſt aere levi: imo vas nigrum plenum lacte candido, dici poſſet candidum, quæ omnia ſunt abſurda & ridicula.

Præterea ſunt alia nomina impoſita & propria v. g. quando vas eſt tantum aere plenum, dicitur vacuum; plenum vero ſi aqua vel aliud inſit, ſive ſolidum, ſive liquidum. Pari modo veſica, vel pulmo vel caro flatu intumeſcere dicitur & inflari; ſignum & pannus ſiccari; non vero rarefieri; aqua in glaciem congelari; vapor in nivem concreſcere, vinum vel alius liquor ſpumare, non rareſcere.

Nec dicas non dari aliam raritatem præter hanc; oſtendit enim P. Honoratus omnino dari aliam raritatem proprie dictam, de qua hic diſputatur, nobis autem cum AA. prioris ſententiæ non vacat contendere de nomine.

LX. Aſſertio 2. Corpus proprie non rareſit per introductionem tenuis & raræ materiæ (v. g. ætheris) vel ut quidam ſcholaſtici dicunt, per intruſionem corpuſculorum. Oſtenditur facile, quia per id corpus non rareſit proprie, quo poſito corpus non dicitur rarum: ſed poſita hac ſubtilis materiæ intruſione corpus non dicitur rarum proprie; ſic enim inflatur veſica; intumeſcit ſpongia, caro, pulmo, venter &c. igitur de re, quod ſit, non diſputamus, ſed tantum con-

contendimus, hoc non esse proprie rarefieri; alioquin aqua dum congelatur; lac, sanguis & oleum dum coagulantur; metallum dum concrescit, dum conglaciatur nix vel pruina, dum liquor in spumam abit, hæc & similia dicerentur proprie rarefieri; imo dum lapis tritus vel vitrum tritum, vel scobs ferri in cumulum congeritur, esset rarefactio, quia sunt cavitates aere plenæ: alia ergo tarefactio proprie dicta est quam inquirimus. Quare sit

Assertio 3. Præter hujusmodi corpusculorum intrusionem, datur alia rarefactio. Probatur 1. Quando aqua rarescit, quod fit dum fervet, non est tantum intrusio corpusculorum, sed potius extrusio, quia tota in auras abit & in vaporem resolvitur. Idem dico de aere in æolipila rarefacto, cujus vix tertia pars in eo vase remanet. 2. Cur aër cum aqua miscetur; cur sub graviorem aquam descendit contra nativam indolem; a quo principio movetur ut eo feratur? pari modo cur aer a frigore ambiente intra æolipilam ita contrahitur, & aquam exsugit? 3. Cur aqua rarefacta in auras abit, nec enim ab aëre deferri potest? forte a spiritibus igneis? sed Contra, volo aquam rarescere calore solari, collecto duntaxat lumine opera vitri, imo aquæ frigidæ intra ampullam vitream apprime sphæricam contentæ, imo opera sphæræ ex congelata aqua tornatæ, unde tandem hi spiritus ignei? 4. Materia rarefacta intra vasis angustias, cum maximo impetu inde erumpit, ut videmus in tormentis bellicis, catapultis, æolipilis, fervente aqua, tonitru, fulmine: nec motus utique est ab aliqua potentia; non extrinseca, ergo ab intrinseca. Igitur vel naturali vel vitali, vel media. Sane intrusis corpusculis adscribi nequit, sed vi elasticæ intrinsecæ ac fugæ naturali contrarii. 5. Quando aqua rarefit per intrusionem (ut dicis) corpusculorum, quis concipiat aquæ inesse poros quibus aer intrudatur? nunquid pori corporibus insunt ex tali partium durarum implicatione, quæ cum recte convenire non possint, cavitates & poros relinquunt: analogiam habes in cumulo arenæ vel lapidum vel sphærularum: atque cum aqua sit humida, omnem figuram facile induere potest, ac proinde ejus partes ita conveniunt, ut nullam relinquant cavitatem, nullumque porum. Idem potiore jure de aere dici debet. Et vero, ut ingenue fatear, nescio quomodo Philosopho peripatetico in mentem cadere possit, fingere poros in aere, & concipere atomos in aere fluitantes tanquam in poris. Dixi Philosopho Peripatetico; nempe alius saltem Epicureus v. g. saltem fingere & concipere posset vacuitates in aëre, omni sc. corpore vacuas; imo nisi vacuum natura fugeret, hoc dicere nullum foret absurdum. 6. Si aer poros illos aquæ occupat, cur non extruditur sursum? videmus enim si vel flatu vel quovis alio modo, vel minima aeris particula in aquam subeat, illam statim assurgere, & ad instar lucentis gemmæ sursum extrudi. Nec dicas esse tenuissimas illas aëris particulas, quia eo facilius ascenderent aut extruderentur, esset enim minor resistentia. 7. Si daretur aqua pura, haud dubie rarescere posset, imo facillime rarefieret & avolaret, quia ab uligine illa mixtionis, quæ aquæ usuali inest, non tineretur. Igitur ut rarescat, tuo modo, id est per aeris intrusionem, debent laxari pori, quod certe ut fiat, vel partes debent fieri majores; sic enim sphæræ majores unitæ majores cavitates & poros inter se relinquunt; sed partes fieri majores in propria extensione nullatenus concedes, quia tuæ sententiæ repugnat; igitur ad hunc effectum distrahi partes necesse est, quod ut fiat, opus est potentia motrice & nisu ad motum: non recurres ad spiritus igneos, nam purum lumen vitro collectum adhibeo. Diceret aliquis, lumen esse corpus tenue: sed absit hoc a te, qui es Peripateticus, & lumen esse meram qualitatem profitetis. At esto, demus ultro lumen esse corpus subtilissimum seu profluvium tenuissimum; certe per liquidam & limpidam aquam trajiciet. Præterea admoveo vas opacum, quod lumen nullo modo subire potest.

Dices hunc esse caloris effectum, resolvere, igitur non mirum est si partes aquæ distrahat. Sed non video qui calor distrahat partes sine motu & impetu, quem revera non imprimit. Præterea resolutio sequitur ex rarefactione, non vero rarefactio ex resolutione: quomodo vero ex rarefactione sequatur resolutio, facile in nostra hypothesi explicamus: imo contendimus rem aliter non posse concipi, nedum fieri; quomodo enim calor separet heterogenea, & congreget homogenea, per corpusculorum intrusionem explicari nequit.

Addit idem. In hac corpusculorum hypothesi non videri quo decenter satis possit explicari rarefactio specierum vini in Eucharistia sub quibus pretiosus Christi Sanguis latet; nempe si dicas, intrudi tantam corpusculorum copiam, quorum moles longe superet molem seu quantitatem accidentium, durum satis esse videtur; Scio quidem, inquit Faber, in speciebus panis esse poros aëre vel halitu plenos, quis hoc neget? at per rarefactionem accersere tantam vim peregrinæ, indecens est.

LXII. Observandum hoc loci, dari quidem in hac rerum Vniversitate corporearum, maximam atomorum & corpusculorum vim, & perennia corporum profluvia, quis hoc neget? Vnde qui recte hujusmodi corpusculorum vim, naturam, modum, institutum, finem, rationem, principia intellexerit, dubium non est, quin is singulari subsidio instructus sit, cujus ope innumeros fere eosque sensibiles effectus ad suas causas physicas reducere valeat, in singulis fere Physiologiæ tractatibus. At sine ductu rationis, & experientiæ, cæco modo (ut ajunt) hujusmodi corpuscula accersere, & in ea hos vel illos effectus referre, licet nescias, unde veniant, aut quo vadant (ut vulgo dicitur) certe si non parum prudentis, saltem parum accurati Philosophi est. v. gr. in hac quæstione de rarefactione, statim inclamas fieri per intrusionem corpusculorum; sed ubi quæro a te, a quo & unde sint moveanturque hæc corpuscula, cur modo avolent, modo involent, modo sistant, modo currant, modo subire possint per vasis poros, modo non possint &c. Illico obmutescis.

Dices forte cum P. Arriaga, constare experientia, bullas illas aquæ ferventis aëre plenas esse, igitur extrinsecus accersito & intruso. Sed, quæso te, admove oculos & recte judica, quasi vero bullæ illæ a vapore ex aqua erumpente intra uliginosam illam materiam contento, non tomentur, quem ex diffractis bullis erumpentem & sursum avolantem, multiplici sane sensu percipis. Præterea si de vi magnetica & electrica, sympathica vel antipathica agatur, & de innumeris effectibus, quorum causam ignoras; illico confugis ad corpuscula; commune est, ut plerumque accidit, inscitiæ asylum;

lum; & si nihil aliud doceas post hanc responsionem datam, certe interrogantem doctiorem non fecisti.

LXIII. Assertio 4. Rarefactio non fit per acquisitionem novæ quantitatis internæ, priori desinenti succedentis. Hæc est opinio Marsilii, Pomponii &c. Sed rejicitur facile, tum quia illa quantitas interna non distinguitur realiter ab ipsa materia, ut ostendimus Tract. XIX. sed in rarefactione proprie dicta non acquiritur nova substantia nec materia, nec prior desinit; tum quia quantitas interna, posito quod daretur distincta a substantia, posset adhuc rarefieri ut constat ex accidentibus Eucharistiæ, ergo per acquisitionem alterius, ut patet ex terminis. Præterea posito quod remaneat eadem quantitas interior sive interna, quæ prius, modo accedat nova & major extensio, certe dicitur rarefieri, licet nihil quantitatis internæ de novo accedat. Denique nulla videtur esse causa novæ illius quantitatis productiva & prioris destructiva, ergo rarefactio non fit per acquisitionem novæ quantitatis internæ &c.

LXIV. Assertio 5. Rarefactio non fit per acquisitionem novæ quantitatis internæ quæ priori remanenti accedat. Hæc est sententia Scoti, sed rejicitur iisdem argumentis quibus antecedens; tum argumento communi & efficaci, maxime in hypothesi punctorum physicorum; nam si priori quantitati, quæ puncto physico inest, dum hoc rarefit, nova quantitas accedit, certe illa vel in toto puncto inest, vel in parte; hoc secundum dici non potest, quia punctum caret partibus, ergo in toto puncto recipitur, cui etiam prior quantitas inest, ergo duæ quantitates naturaliter penetrantur, quia si penetrantur, adæquate cum uno tertio, id est cum ipsa puncti physici substantia, certe inter se compenetrantur, quod dici non potest, Ergo &c.

LXV. Assertio 6. Rarefactio non fit per extractionem seu evolutionem partium extra partes. Hæc sententia a quibusdam RR. excogitata, manifestæ falsitatis convincitur. Nam vel illæ partes compenetrantur priusquam extrahantur, vel non compenetrantur; primum dici non potest; nec est quod aliqui dicant compenetrari inadæquate, quia nulla penetratio corporum fieri potest naturaliter; adde quod magis unum penetrari posset cum alio naturaliter per condensationem: deinde esto, quod duo puncta vel duæ partes inadæquate compenetrentur, igitur secundum aliquid, ut certum est: fingamus esse subduplum v. gr. ergo ubi quantum per rarefactionem, acquisivit duplam extensionem prioris, ultra rarescere non potest; nempe si quantum palmare totum rarescat & fiat bipalmare, igitur illius medietas fit palmaris; & quarta illius pars semipalmaris; atque ita consequenter, donec ad ultima puncta physica pervenias, quorum quodlibet duplam prioris extensionem acquisivit, igitur ultra rarescere non potest. Quod si dicas puncta tantum distrahi, ita ut majores poros relinquant, incidis in sententiam, vel vacuitatum, vel intrusionis corpusculorum, quas jam supra refutavimus.

LXVI. Assertio 7. Rarefactio fit per eum motum, quo corpus transit ab eo statu, in quo vel non exigit, nec habet majorem extensionem; vel si habet, minorem exigit, ad eum statum, in quo vel exigit majorem quam habeat, vel simul exigat & habeat. Hæc assertio prius explicanda est, quam probetur.

Dicitur 1. Rarefactio fieri, *per eum motum quo corpus transit ab eo statu*, &c. nempe palam est rarefactionem esse motum; dixi *corpus* id est vel corpus vel entitas corporea; *transit ab eo statu*, omnis enim motus est transitus. Status corporis dicitur ille, in quo stat, id est modus ille quo est: v. g. humiditas est status corporis, quia corpus humidum stare potest. Idem dico de aliis: nam quemadmodum diversi gradus, diversos status faciunt, tum in Politica, tum Physica; sic dicitur status quæstionis, belli, vitæ, morbi, gentis &c. ita corpus diversis statibus sensibilibus subesse potest. *In quo vel non exigit, nec habet majorem extensionem*: sic aer non compressus, nec tensus, nec exigit majorem extensionem, quam, si rarescat, acquirere potest; majorem, inquam, comparative cum ea quam habet, priusquam rarescat, & qua majorem non exigit. Vnde dicitur utrumque *non habet, nec exigit*; si enim haberet, simul & exigeret habere, non esset status *a quo*, sed *ad quem* hujus transitus; si vero non haberet sed exigeret, esset status compressionis, in quo minorem habet, quam exigat: si vero haberet, sed non exigeret, ideo exigeret minorem, & hic est status tensionis, qui potest esse *terminus a quo* rarefactionis; ut patet ex altero membro; vel si habet, *minorem exigit*.

Dices, Statum compressionis etiam posse esse terminum a quo Rarefactionis. Resp. non esse terminum a quo Rarefactionis, in quantum comparatur cum illa majore extensione, quam non habet, & quam exigit, nempe sine ulla rarefactione illam potest acquirere; sed quatenus comparatur cum alia majore quam revera non habet, sed quam etiam non exigit: unde vides, *terminum a quo*, Rarefactionis, esse alterum e duobus statibus, scilicet, *vel habere majorem, sed minorem exigere*; *vel nec habere, nec exigere*: nempe *habere, & exigere*; *non habere, sed exigere*, pertinent *ad terminum ad quem*, qui duo membra continet; nam vel *exigit & non habet*, sic aer rarescit intra vasis angustias, quo certe motu non transit ad majorem extensionem, sed ad illius exigentiam; vel *simul exigit & habet*; sic corpus rarescit, quod sine impedimento vel obice rarefit. Hoc membrum duobus modis intelligi potest; primo, si quam habet, tunc primum acquirat, ut patet in exemplo proposito; secundo si jam prius illam haberet, licet non exigeret: ut accidit corpori tenso quod rarescit. His præmissis

Probatur assertio 1. quia juxta Philosophum L. 4. phys. cap. 9. textu 84 Rarefactio est motus ad quantitatem, id est a minus extenso ad magis extensum, saltem secundum exigentiam, manente scilicet eodem subjecto; nempe ut ipse ait, eadem est magni & parvi materia; sicut calidi & frigidi; vel minus calidi & magis calidi: ut si aer ex magna mole in minorem, vel e minori in majorem mutetur, nihil certe materiæ vel accedit vel detrahitur. Ita DD. communiter cum D. Thoma Thomistæ omnes, & Gregorius Ægydius, Conimbric. Suarez, Fonseca, alii.

Probatur 2. Quia puncta seu minima physica omnium Elementorum non sunt ejusdem extensionis, quis enim neget aerem esse rariorem aqua? Præterea non repugnat unum punctum aeris esse majus alio in extensione; cum non implicet unam extensionem etiam indivisibilem, esse majorem alia, nec quatenus punctum physicum est: alioquin omnia puncta essent necessario ejusdem extensionis; nec quatenus punctum aeris est; licet enim sit paulo majus vel rarius, non desinit esse aer, & nunquam probabis hanc extensionem tantum, esse ipsi essentialem; nec enim sensibilis seu notabilis est mutatio, igitur non repugnat unum

unum punctum aëris esse majus alio, ergo fieri potest majus. Supponamus igitur fieri majus, & esse aliquod ptincipium intrinsecum formale, ratione cujus punctum physicum aëris majorem extensionem exigat: hoc posito oprime explicantur omnes rarefactionis affectiones; nempe aër, ubi hoc principium majoris extensionis acquirit, statim illam exigit, id est exigit conservari per talem actionem, quæ ipsi conferat magis extendi, id est quæ sit perfectior in ratione extensionis. Igitur cum nulla ex hujusmodi hypothesi sequatur repugnantia, nullum absurdum, nullum incommodum: cum in ea tota res rarefactionis optime & facillime explicetur; cum ne minima quidem urgeat difficultas, sive in philosophicis sive in theologicis rebus explicandis, quæ ab hac materia pendeant: nec nulla alia via res hæc explicari possit; & frustra omnis alia ratio hactenus tentata sit; necessario tenendus est iste modus.

Probatur 3. Corpus, quod rarefit intra vasis angustias (puta materia sulphurea inter fistulam vel tormentum bellicum, vel fornacem; intra vas pnevmaticum; aqua intra hydraulicum, halitus accensus in nube &c.) cum maximo impetu vel inde erumpit, vel summo nisu erumpere conatur, atqui hic effectus tantum est a potentia intrinseca (quam vocat hic author *mediam*) motrice. Tum quia iidem prorsus effectus sequuntur, quando materia intra vas comprimitur, & compressa nititur erumpere. Nec est quod recurras ad corpuscula quædam excitata: quid enim est hæc excitatio? deinde cur hæc corpuscula moventur? & quo & cur in omnem partem? quid porro est excitari? num forte dormiunt? mera est metaphora.

Nec est quod dicas, vim hanc esse a corpusculis intrusis, sed a quo intruduntur? præsertim sine vi. Deinde cur non extruduntur pacifice eodem modo quo intruduntur sine strepitu & tumultu, cum æque facile per poros vasis exire & ingredi possint si vas obstructum est, igitur mera somnia. Vnde pronuntiat Faber hanc sententiam omnino falsam & minime peripateticam, hic propos. 5. Deinde recurrere ad Deum, ut ad primum Motorem, nimis pium est, & vix Philosophum decet. Igitur perspicuum est hunc motum vel nisum esse a potentia motrice media (melius a primalitatibus diceret) quæ tamen nunquam suas vires exerit, nisi quando vel a tensione vel a compressione aliqua sollicitatur. Igitur in hoc casu aliqua compressio vel tensio intervenit: non tensio, qua scilicet corpus non foras erumpit, sed introrsum adducitur, igitur compressio, igitur illa materia exigit majorem extensionem, quam haberet ante, igitur si tollatur impedimentum, eam acquirit; igitur transit ab eo statu, in quo minorem habebat extensionem, nec majorem exigebat, ad eum, in quo minorem quidem servat, quamdiu ab obice continetur, sed majorem exigit; vel certe si tollatur obex, majorem simul exigit, & acquirit; igitur hoc modo fit rarefactio. Hæc ratio huic authori potentissima esse videtur.

Probatur 4. Analogia, quæ intercedit tensionem inter & rarefactionem; compressionem & condensationem, tam evidens est & perspicua, ut nullum fere in hac controversia dubium relinquat. Si enim per tensionem corpus naturali virtute a minore ad majorem extensionem transfertur: non video cur etiam per rarefactionem traduci ad eandem non possit: pari modo cum a majore ad minorem transeat per compressionem; ad eandem per condensationem transire potest. Si enim impetus per accidens hunc effectum præstat, cur quæso alia qualitas, verbi gratia calor, eundem per se non præstabit? nempe tota difficultas, quæ contra hanc extensionis mutationem moveri potest in rarefactione, eadem prorsus facit contra tensionem & compressionem, ut consideranti patebit: nihil enim penitus aliud in hac materia difficile adversarii putant: quo semel admisso in tensione & compressione; in rarefactione & condensatione facile admittent.

Probatur 5. ratione non minus forti. Datur resolutio corporum, qua scilicet corpora in varias partes eunt; sic lignum dum uritur; aqua dum fervet; lutum dum siccatur; corpora nostra in fumum & halitum abire videmus. Porro hæc partium separatio non fit per scissionem, avulsionem, attritum &c. sed aliquæ partes sursum avolant, aliis decidentibus. Igitur quæso, cur hæ particulæ sursum avolant? Dices ferri sursum a calore; bene est, sed ideo calor illas elevare dicit quia illas rarefacit; nec enim citra raritatem calor elevat; alioquin ferrum candens cui multus calor inest, attolleret, quia plus caloris plus virium haberet.

Dices forte, ideo avolare has particulas, quia redduntur leviores; optime & ad rem omnino. Concipe, si potes, evadere leviores citra raritatem, nempe levitas ex raritate est. Diceret alius, attolli has particulas humoris a particulis igneis; sed quibus, dum scilicet tota aqua ex lebete avolat. Dices nostræ aquæ inesse aliquid ignis, nempe aqua nostra mixta est: esto: quomodo fieri potest ut paucissimæ illæ ignis particulæ, quas aquæ inesse supponitur, tantam molem attollant? paucas dico cum mole aquæ comparentur. Deinde cur prius non attollebant; cur illæ quæ insunt carboni accenso, licet longe leviori aqua, illum non elevant? Igitur fateor quidem particulam ignis liberam sursum attolli, & si tantulum humoris vel etiam terræ conjunctum sit, non est etiam dubium quin illud secum deferat, ut experientia docet in accenso vini cremati bene defæcati per distillationem repertam, imo nunquam vapor vel humor rarefactus sursum elevatur nisi aliquid ignis secum habeat adjunctum; sed nego a modico igne aquam cum suo pondere attolli posse.

Igitur cum nihil horum satisfaciat, juxta communem omnium, tum antiquorum, tum recentiorum bene philosophantium sententiam dicendum est, ideo particulas illas avolare, quia redduntur leviores; reddi vero leviores quia rarescunt; ex majori autem raritate non potest concipi quomodo fiant leviores, nisi magis extendi dicantur. Nam bene concipio eandem quantitatem materiæ magis extensam, sustineri a pluribus partibus medii; minus vero extensam a paucioribus: igitur magis extensa minus prævalet contra medium; plus vero prævalet minus extensa. Igitur ex corporum resolutione, & nova levitatis accessione, mirifice hæc sententia comprobatur, sine qua resolutionis ratio intelligi non potest, quæ tamen adeo necessaria esse judicatur, ut sine illa præsens rerum status subsistere non possit.

Assertio 8. consectaria ex præcedentibus. Motus Rarefactionis partim convenit cum motu tensionis & compressionis, partim differt. Explico.

1. Convenit cum Tensione in eo, quod tensio sit

ad

ad majorem extensionem, quod etiam rarefactioni competit; ab ea vero differt, quod rensio fit ad majorem extensionem contra corporis rensi exigentiam & inclinationem; rarefactio vero juxta ejusdem exigentiam. Hinc tensum, si tollatur obex, minori extensioni statim sese restituit, secus vero rarefactum.

2. Convenit rarefactio cum Compressione, quod scilicet si vel tantillum impediatur corpus rarescens, exigat majorem extensionem, quod etiam compressio competit: differt tamen, eo quod compressio terminetur ultimo ad minorem hanc extensionem, qua scilicet major exigitur: rarefactio vero ad majoris extensionis exigentiam, & hac mediante ad ipsam majorem extensionem.

3. Hinc simul esse potest rarum & compressum, rarum & tensum; licet multum differant, ut constat ex dictis. Nam tensum non potest esse sine exigentia minoris extensionis, cum majore violenta; nec compressum sine exigentia majoris, cum violenta minore: at rarum potest habere majorem non violentam, vel etiam illa carere: at nunquam dicit exigentiam minoris, quatenus scilicet rarum est; potest etiam carere extensione minore, quam exigat, & exigentia majoris, quam habeat.

Denique differt ab utraque Rarefactio, quod hæc habeat principium per se, scilicet calorem; illæ vero tantum per accidens scilicet impetum. Differunt etiam in fine. Sed

LXVIII. Quæres. An principium motus rarefactionis intrinsecum, nempe calor, recte dicatur forma accidentalis, seu qualitas absoluta? Rationem dubitandi movent Democratici moderni, qui formas omnes e medio tollunt, ut totam Philosophiam deforment; cujus sectæ dicteria in Peripatum sic depingit Honoratus: Formas (absolutas) deformes vocant veritatis larvas, germanas ignorantiæ tesseras, humanæ ludibria mentis, antiqua satis Scholarum infortunia, & Scholasticorum deliramenta. Veritatem puram putam e Democriti puteo sese jactitant exhausisse. Nihil admittendum volunt in re literaria, nisi quod accuratissime demonstraveris; reliqua ut scholasticas tricas explodunt penitus & exsibilant. Multa passim negant, quæ tu forte, juxta communem scholarum rationem, axiomatum & Pronuntiatorum loco afferres; quod si contendas esse principium certum & indubitatum, non sine contemptu rejiciunt, asseverantes tamen, nunquam fore, ut contradicant, si tantum evidentia obtuleris, quod revera ad unguem præstant. Cum hujusmodi hominibus agere difficillimum his, qui nunquam ex arena sua scholastica pedem extulerunt, in qua tantum aliquæ ex celebrioribus quæstionibus perpetuo discutiuntur, nunquam tamen ita solvuntur, quin suus adhuc disputationi locus relinquatur. v. g. *de præcisionibus objectivis, de Ente rationis, de Universalibus, de analogia, de materia prima, de Continui compositione, de Infinito, de formis partialibus &c.* Contra exoticos bosce Philosophos, qui formas omnes penitus negant, insurgit acutissimus noster author, contenditque ostendere in vera & propria rarefactione opus esse aliqua forma accidentali, quæ sit principium intrinsecum hujus mutationis.

Sic inquit. Ubi est aliquis effectus novus sensibilis, ac proinde, qui a nemine negari potest, debet dari aliqua illius causa: & hoc concedent omnes: atqui mutatio illa corporis rarescentis, qua scilicet ita mutatur, ex illo statu, in quo minorem extensionem exigebat, in illum, in quo majorem exigit, est effectus sensibilis, novus, qui habetur per rarefactionem, ergo debet dari aliqua illius causa. Porro illud principium, cum non sit ipsa corporis rarescentis substantia, sed illi accidat, debet insuper esse aliquid, quod ipsi insit, & in ipso hanc mutationem efficiat & præstet; si inest, ergo forma est, ut patet ex terminis; non substantialis, quia esse rarum non est esse substantiale, alioquin est quæstio de nomine, igitur accidentalis. Et vero formæ accidentalis non modalis, aliud munus esse non potest, quam ita afficere subjectum, cui inest, ut aliquam mutationem exigat, vel loci, vel extensionis &c. Ita prorsus impetus in mobili hoc efficit, ut mobile locum mutet, vel mutare exigat; nam eo ipso, quod ita afficitur mobile vel immutatur, statim loci mutationem exigit, ad quam impetus a natura est destinatus: ita prorsus hæc forma accidentalis, qua de agimus, ita afficit & determinat suum subjectum, ut statim majorem extensionem exigat, ad quam a natura est instituta; & tam est necessaria hæc forma accidentalis, quæ sit principium immediatum rarefactionis, quam impetus est necessarius ut sit principium motus localis; neque hæc mutatio est minus sensibilis & insignis, nec minus necessaria quam motus localis.

LXIX. Dices, non posse a te concipi quomodo illud accidens (nempe calor) magis extendat suum subjectum; nec etiam quomodo unum corpus contrahi possit & explicari, non excluso vel admisso alio. Resp. ad 1. sicut concipis subjectum indifferens determinari ab impetu ad motum localem, & sensus externus per species objectorum, sic concipe qualitatem rarefactivam determinare subjectum, quod afficit, ad majorem extensionem exigendam.

Resp. ad 2. pari modo, rem non posse aliter concipi, dum videmus v. g. 8. palmos aeris intra tubum pnevmaticum, ad digitalem extensionem comprimi. Si enim dicas inde exprimi tenuissimam materiam per poros tubi, quis hoc credat? nempe si hoc esset, igitur non ita facile exprimi posset per poros crassioris tubi; igitur intra crassiorem tubum non posset ita facile aer comprimi, quod tamen experientiæ repugnat. Præterea istæ crassiores partes aeris compressi, quæ remanent intra tubum, quia per poros exprimi non possunt, cum non habeant majorem extensionem quam antea, nec minorem: subtilis illa materia per compressionem expressa, totam reliquam extensionis portionem occupabat: quis hoc credat? 2. Expressa semel illa subtilis materia æqualem priori extensionem occupat, ergo si tubus immersus in aquam comprimatur, debet attolli & intumescere aqua, propter appulsum illarum particularum, quibus tota sua debetur extensio, quantam habuere ante compressionem intra tubum, jam etiam cum permiscentur aquæ. Nec dicas, statim ex aqua avolare, possunt enim cum aqua commisceri. 3. Quando aer in digitali illo carcere compressus restituitur, repulso scilicet embolo, licet tubus in aquam sit immersus, prædictus tamen aër reductus eandem quam prius extensionem occupat, scilicet 8. palmorum; quod certe fieri non potest, nisi per poros ejusdem tubi subtilis illa materia exugatur: quod cum æque facile fiat in aqua ac in libero aëre, sequitur necessario tantundem subtilis materiæ cum aqua per-

mixtum esse, quantum cum aëre; igitur nulla est causa ratione dicendas illas avolare ex aqua; sed remanebunt intra aquam cum sua pristina extensione, & quidem notabili vid. 8. palmorum minus digito, quod certe cum aqua penetrari non potest. Quando vero aër dilatatur, intra tubum pariter immersum, vel quando jam compressus pristinæ extensioni ibidem restituitur, deberet aqua subsidere, cum liberata ab eo corpore, quod notabilem extensionem occupabat. Ad hæc nihil omnino responderi potest.

Hæc & infinite alia prorsus evincunt compressionem illam non fieri per extrusionem materiæ subtilioris; nec dilatationem per intrusionem.

Attamen formam hanc accidentalem (nempe calorem) non vult esse principium efficiens rarefactionis, sed formale. Ratio primæ partis est, quia illa exigentia, quæ sequitur ex prædicta affectione, vel immutatione subjecti, non est aliquid realiter distinctum ab entitate ipsius corporis, sed est tantum ipsum corpus, quatenus tali dispositione affectum, exigit majorem extensionem; ipsa vero extensio, quæ est tantum nova actio conservativa, non est causæ efficientis effectus, seu hujus formæ accidentalis. Ratio secundæ partis, quia calor est principium exigitivum ut quo, id est, est id, quod ita determinat, afficit, disponit subjectum, ut exigat. Hinc illa qualitas, quam aliqui vocant raritatem, est superflua: quid vero sit raritas ipsa, dicetur infra. Hinc rarefactio dici potest effectus formalis secundarius hujus principii formalis; imo etiam finis intrinsecus physicus, nempe hæc forma a natura propter rarefactionem instituta est.

Assertio 9. Principium formale Rarefactionis est Calor. Probatur 1. Quia illa est causa, ex cujus applicatione omni alio remoto, semper sequitur effectus; atqui posito calore, in quovis subjecto, quantumvis omni alio remoto, sequitur semper rarefactio. Ergo. 2. Calor est qualitas, quæ congregat homogenea; juxta commune Peripateticorum effatum, sed homogenea non potest colligere nisi separet & segreget heterogenea, ut certum est; neque etiam hoc secundum præstare potest, nisi partes homogeneæ avolent; quæ certe avolare non possunt nisi fiant leviores, ut constat; nec demum fieri leviores, nisi rarescant. Hinc vides præter effectum primarium caloris (qui est producere sibi simile) tres alios effectus, nempe rarefacit, resolvit, congregat homogenea. Rarefacere est effectus immediatus, resolvere, mediatus, congregare homogenea, ultimus.

Dices. Glaciem a frigore rarefieri, quia aqua congelata habet majorem extensionem; itemque nivem; item manus & carnes, quæ sæviente bruma intumescunt: contra vero calore multa densantur, ut lutum dum exsiccatur, & reliqua quæ calore concrescunt. Resp. facile glaciem esse densiorem aqua liquida, modo singulæ partes aquæ congelatæ conferantur cum singulis aquæ liquidæ: quia tamen particulæ illæ duræ non possint ita componi in glacie, quin cavitates multosque poros relinquant, quod revera propter humiditatem partium in aqua liquida non fit, non mirum est aquam congelatam esse magis extensam, unde quoque supernatat. Idem potiore jure de nive dicendum: quod spectat ad manus, quæ ob frigoris sævitiam intumescunt, hoc quidem verissimum est, at accidit quia cum propter pressionem exteriorum partium, quæ ex condensatione sequitur, venæ & arteriolæ capillares ita obstruuntur, ut sanguis percolari non possit, carnemq; a sanguinis appulsu intumescere necesse est. De oleo quod præ frigore concrescit, idem prorsus quod de nive repono; idem quoque de butyro, adipe & aliis succis qui frigori concrescunt. Quod vero spectat ad lutum, quod calore exsiccatur, nemo non videt ideo exsiccari, quia partes humoris avolant, avolant autem quia fiunt leviores, & hoc quia rarescunt: cum autem succedat aer in cavitates luti ab iis relictas, non mirum est si totum illud conflatum ex terra & aere sit levius & rarius, quam ante esset. Idem dico de sale, idem de albugine ovi, quod calore concrescit, & de quoquo alio corpore caloris vi concrescente. Itaque cum nulli subjecto adveniat calor, quin illud rarefaciat: & cum nullum subjectum rarefiat citra calorem, quis non dicat calorem esse causam rarefactionis?

LXXI. Assertio 10. Rarefactio non est actio productiva raritatis: neque raritas est accidens absolutum, sed modale respectivum; adeoque rarefactio terminatur immediate quidem, ad talem corporis statum, qui revera non fit, scilicet ut terminus principii activi vel efficientis; sed ex tali dispositione resultat. Est ergo raritas modus; sive accipiatur pro illo statu, quo majorem extensionem exigit, quam tamen non habet, propter extrinsecam vim adhibitam (quæ posset dici raritas imperdita & cum statu violento) qualis inest aëri compresso: sive accipiatur pro illo statu, in quo majorem simul habet & exigit extensionem. Ratio est, tum quia repugnat omnin[illegible] illam exigentiam esse sine subjecto, quod exigit; igitur repugnat etiam vere concipi; tum quia ille status majoris extensionis connaturalis est etiam modus non secus ac extensio, quam sine extenso concipere non possumus. Spectat autem Raritas partim ad qualitatem, cujusmodi qualitates modales sunt humiditas, siccitas, lubricitas, lentor, flexibilitas &c. per quas apte respondetur ad quæstionem factam per Quale; partim ad Quantitatem, quia cum ultimo terminetur ad extensionem, reduci videtur ad quantitatem externam, crescit enim ad instar quantitatis, non tamen proprie intenditur, prout qualitatum ratio postulat. Finis autem rarefactionis immediatus est corporum resolutio, qua cum indigeret natura, faciliore & simpliciore modo prædictum illum finem obtinere non potuit: nec enim videtur fieri posse ut particulæ corporum separentur (magis minusve) nisi solvatur (saltem aliquatenus) unio continuativa, hoc est plexus ille & implicatio partium, consistitque in materia pingui & tenaci, quæ Honorato est ignis, ex quo vult singula mixta constare, quod nobis minime placet, ex eo quod ignis non possit esse simul resolutivus & compactivus.

SUBSECTIO V.
Respondetur Objectionibus.

LXXII. Oppones 1. Non potest raritas explicari per majorem extensionem punctorum (quæ *inflata* vocamus): quod probas, illa puncta non possunt magis intumescere, quam antea, nisi vel alia tantundem constringantur, quod tamen fieri nequit. Conferatur. Tali modo Angelus & anima etiam rarefierent, cum modo minus, modo majus spatium occupant. Resp. Neg. ant. ad ejus probat. concedo aliquam compres-

pressionem vicini corporis comitari rarefactionem, non tamen necesse tantundem comprimi, quantum alterum per raritatem extenditur, sed pro rata impetus & resistentiæ. Nec curandum, quod per sarcasmum puncta hoc modo extensa vocentur *inflata*; ille tantum loquendi usus ferendus est in scholis, qui est cum recta ratione conjunctus, alioquin nulla valet vera præscriptio apud Philosophos: igitur dicantur puncta physica, vel extensa, cum hæc nomina proprie illis competant; non vero inflata, cum per jocum tantum & ludibrium hoc nomen impositum sit. Ad confirm. Resp. Neg. paritatem. Licet enim Angelus explicetur & extendatur (prout anima rationalis eadem sine sui augmento coextenditur corpusculo infantis, & corpori virili citra inflationem aut rarefactionem) non tamen rarefieri dicitur, quia illa major extensio non est a principio debito, scilicet a calore; nec a principio necessario, sed libero. Idem dico de anima separata. Quin imo rarefactionem, quæ fit per intrusionem corpusculorum rectius vocaveris inflationem, nempe inflare est flatum injicere, immittere: sic inflatur uter, sic membrana &c.

LXXIII. Opponet 2. Experientia docet aquam ferventem habere bullas aere plenas, eoque majores, quo magis fervet: illas autem bullas sensus percipit, & internus esse aera, ita ut a nullo nisi a cæco, id negari queat, ergo ea raritas aquæ fit per intromissionem aeris in aquam. Resp. Hujusmodi bullas non esse plenas aere, sed vapore, id est, aqua rarefacta, cujus vi frangitur bulla, & vapor tepidus sursum avolat, quem multiplici sensu percipio, scilicet visu: video enim fumum; olfactu sentio halitum; tactu, nam manus per aliquod tempus admota madescit. Fit autem hæc bulla, quia cum vapor a tenaciore uligine, quæ in superiore superficie aquæ supernatat ad instar olei, retinetur, quid mirum si tornetur in bullam, quia quoquo versum pellit. Hinc quæ sunt pinguiora, ut lac butyrum, mel &c. magis in spumam albescentem intumescunt: constat autem spuma ex istiusmodi bullis collectis. Aut respondeant, cur oleum initio dum fervet, habet hujusmodi bullas, non vero post, licet revera fervidius? In nostra hypothesi facile datur ratio, eo quod partes aquæ facile rarescant, ac proinde cum ab uligine retineantur, tornari in bullas: at vero materia, quæ deinde rarescit, multum ignis habet, parum vero humoris; hinc facile claustra illa perrumpit, quod molliori & minus acri humori non competit; hinc aqua longe facilius avolat, quam oleum. Præterea video totam ipsam aquam sensim avolantem, igitur fit perpetua extrusio, non intrusio: imo evidens est, etiam cæcis, non modo nihil intrudi, sed perenni exhalatione totam aquam (ut ita loquar) extrudi. Taceo, quod aer frustra fingatur subiotrare poros aquæ, quibus aqua caret. Adde quod, dum aer vel aqua, radii solaris opera, inobstructo vase ita rarefit, ut vas quantumvis crassum & bene compactum diffringat, non videtur ulla esse corpusculorum intrusio. Deinde priusquam aer (ut dicis) in bullas ascendat, certe intrudi debuit per poros aquæ, igitur aqua illa, sive cum bullis sive cum aere intruso, priusquam in bullas spumescat, eandem extensionem habere deberet, quod est contra experientiam. Præterea totus ille aer, qui bullas implet, prius erat cum aqua commixtus, sed hoc dici non potest; nempe extensio bullarum est aliquando vigecupla extensionis prioris. Et hoc modo facile omnes istiusmodi bullas difflat Faber noster.

LXXIV. Opponet 3. Disputare & inquirere curiosius in duritiem, mollitiem, liquiditatem &c. corporum, parum utilitatis habere, nec nisi divinando de iis quidquam dici posse. Resp. Faber hisce: longe majorem utilitatem ex hac rerum physicarum scientiæ provenire, quam ex tricis quibusdam & subtilitatibus metaphysicis; ego malim scire quomodo creentur venti, formetur nix, accendatur ignis, natura Vacuum fugiat, gravia ferantur & projecta &c. quam utrum dentur genera & species entium rationis; an detur Universale a parte rei; an sint 5. Universalia vel pauciora &c. Dixi *quod sentio* nam aliis suum judicium relinquo.

Subjungit denique fortissimum argumentum, contra illos, qui raritatem per vacuitates aut poros explicant. Accipio, inquit, unum punctum physicum aeris, vel portionem aeris puri, sine poris, quod Deus haud dubie facere posset separando scilicet heterogenea: hoc posito, sic argumentor: Vel punctum physicum, seu portio pedalis v. g. aeris puri, est ejusdem densitatis cum portione pedali aquæ puræ, vel minoris, vel majoris. Hoc ultimum dici non potest, ut patet: nec etiam primum, alioquin aer purus esset ejusdem gravitatis cum aqua; nempe gravitas est a densitate: sed hoc sensui communi, totique adeo Physicæ repugnat. Ergo dicendum est esse majoris raritatis, & tamen caret poris. Hoc argumentum rem evincit. Et vero sub pedali quantitate aeris puri, exclusis omnibus poris & vacuitatibus, esse pauciora puncta vel pauciores partes materiæ, quam sub pedali quantitate aquæ puræ, tam certum est physice, quam certum est ignem esse calidum & lucidum &c.

LXXV. Hinc miror D. Marcum Marci Lib. de Arcu cœlesti pag. 52. dicere differentiam illam, quæ inest corporibus, quorum alia densa & minus pervia sunt; alia veluti materiæ experti a prompte penetrantur, non provenire ex eo, quod minus materiæ his, quam illis insit. Cum enim, inquit, omnia sint plena, nihilque vacui interfit, non plus materiæ inest uni sextario aquæ, quam ejusdem mensuræ aeri: verum hanc inæqualitatem inducunt qualitates reliquæ. Unde nihil repugnat aerem quoque illam corpulentiam quæ inest aquæ aut terræ assumere, nulla in quantitate facta mutatione. Dixerat autem prius ibidem, quantitatem esse accidens quarto modo & a materia inseparabile. Et cum materia pura non ex se, verum a quantitate sit magna vel parva; repugnat cum multa materia deficere quantitatem, vel contra. Et paulo infra. Qui itaque affirmant minus materiæ in esse cœlestibus, multum hallucinantur. Nam cum Cœlum sit corporeum non minus quam terra de essentia vero corporum sit materia, sine qua neque esse neque operari possunt illorum formæ, nequaquam illa parte, a qua omnis perfectio stat, destituetur. Hæc Marcus. At distinguere debuisset quantitatem internam ab externa, prout fusius habes in Tract. XIX. materia ex se habet corpulentiam & partes, extensionem autem & molem per accidens, densitatem & gravitatem a compactione plurium partium in spatio minore, levitatem earundem partium extensione majore. Et quænam sunt illæ qualitates reliquæ quæ inæqualitatem corporum inducant? Nam aurum juxta omnes omnibus corporibus mixtis? aquam aere, hunc igne densiorem esse constat, non per qualitatem, sed per substantiam materiæ: æque manifestum, corpusculum aeris rarius esse corpusculo aquæ vel terræ.

 LXXVI. Non

LXXVI. Non minus paradoxum eſt, quod nonnemo citatus a Fabro Lib. 3. de raro & denſo pag. 237. docuit aera ſcilicet parum, eſſe maxime ſubtilem & maxime denſum. Fateor, inquit, Faber, ſubtilem quidem eſſe, ſed maxima denſum eſſe, nedum concipere poſſum: ejus raritas ex pondere haberi poteſt; imo hoc magis mirum eſſe videtur, quod dicat eſſe communem ſententiam; legi aliquot authores, fateor, ſed qui dicat aera maxime denſum eſſe, præter hunc, & alium recentiorem, nondum legi. Sequitur tamen hæc theſis ex illo principio, quod raritas petatur ex pluralitate pororum, cum ergo aer purus ſupponatur carere poris, neceſſario maxime denſus dici deberet.

Cæterum eandem corpuſculorum intruſorum vel extruſorum hypotheſin ſequitur P. Oviedus, fatetur tamen nullum ex iis argumentis, quæ tum a R. Hurtado (qui ſententiam Honorati Fabri tanquam leviſſimam explodit) tum a P. Arriaga contra relatam ſubſect 4. ſententiam fiunt, adeo efficax eſſe ut rem conficiat: ipſe tamen aliud non affert, niſi quod cauſetur extenſionis mutationem non eſſe neceſſariam.

SUBSECTIO VI.

Criſis propria circa relatas ſententias.

LXXVII. Rarefactio eſt imperfecta ſeparatio partium materiæ; & Condenſatio major & intimior earundem unitio; utraq; affectio materialis. Cenſemus eodem argumento, quo probari ſolet Continuum permanens componi ex partibus actu, & quidem finitis; ita ut Deus ſciat quot numero partibus conſtet v. g. granum milii paucioribus quam bos; eodem, inquam, probari dari in Continuo atoma phyſica: non quaſi inter ſe diverſimode figurata, maxime in toto liquido, ſicut nec partibus tribui poteſt figura certa ſeorſim, ſed toti. Vide quæ de natura atomorum diximus Tract. XII. dum autem materia rareſit, licet dividi videatur, haud tamen dividitur, ſed extenditur undique: denſatio autem eſt quædam unitio materiæ, & ut Senecas ait, intenſio, id eſt, interna tenſio, non tamen atomorum coitio, ſicut nec raritas ſolum ab invicem elongatio: alioquin omne corpus foret quaſi congeries minutiarum inſtar farinæ, quæ quidem loco cedit, non conſtructione unionis, cum tangitur, nec ipſæ particulæ cedunt, ſed aer interceptus in farina, vel ſpatium vacuum Democraticum. Non ſic accidit in rarefactione proprie dicta, quam omnino admittendam cenſemus, ita ut materiæ parum vi caloris expandat ſe a minori ſpatio vel loco ad majorem citra intruſionem alicui corporis aut ullam vacuitatem: quomodo autem hoc fieri poſſit, præter illa quæ alibi de Continuo & de atomis docuimus, breviter hic adjicere voluimus ſequentia.

LXXVIII. I. Sententia docens minima phyſica ſeu puncta phyſice indiviſibilia, virtualiter tamen extenſa quoad ubicationem majorem minoremve non eſſe abſolute novam, ut vulgo appellari ſolet, minus jam exſoletam; nam ſi rem ipſam attendamus, non eſt ea tam nova quam putatur, utpote quam in Hiſpania traditam fuiſſe ante annos amplius 8. conſtat ex P. Hurtado Diſp. 15. Phyſ. num. 96. tribuente ejus inventionem ſuo Magiſtro. Eandem docuit Illuſtriſſ. D. Johannes Joanniz Epiſc. Calagurritanus. Quin jam tum Gregorio de Valentia aliquam illius lucem affulſiſſe conſtat ex confeſſione Eminent. Card. de Lugo, qui primum hujus dogmatis illuſtrandi fundamentum ex M. S. hujus Doctoris a ſe erutum teſtatur. Quanquam ſi eum ſplendorem cultumque, quem ſucceſſu temporis accepit, attendamus, non immerito novam quis eam dicere poſſet forſan, non alio tamen ritu, quam quo gladium vetuſti Herois arte atque opera ad inſignem nitorem expolitum, appellaremus novum. Quare hæc ſententia quæ componit Continuum ex indiviſibilibus finitis ſtantibus in ſpatio diviſibili, nullam graviorem meretur cenſuram, ſed potius præ cæteris commendatione digna eſt, ceu inventum ingenio plenum, atque unicum ad inexhauſtas ad hunc usque diem Phyſicæ difficultates expediendas mire felix atque idoneum. Qui enim hanc opinionem reprehendunt, non videntur eam ſatis cognitam perſpectamque habere, ut apparet in Hurtado & Arriaga illam proponentibus abſque ea tamen gratia quam a recentioribus D.D. præcipue Card. de Lugo accepit, prout alibi, allegavimus.

LXXIX. II. Hypotheſis, qua nititur, nempe rem materialem phyſice indiviſibilem virtualiter ſeu æquivalenter diviſibilem coextendi ſpatio diviſibili, non eſt improbabilis, hoc enim tota Schola Thomiſtica admittit in animabus brutorum perfectorum, & D. Auguſtinus in omnibus formis animantium. Item puncta permanentia ex natura ſua eſſe ordinata ad faciendam figuram &c. quibus principiis admiſſis difficultates alias inſolubiles commode explicantur, ut patuit ex ſolutione objectionum, cum contrariæ ob reverentiam Ariſtotelis paradoxa multa obtrudant, & abſurda cogantur devorare, & difficultates relinquant inſolubiles.

Analogiam habes 1. in æternitate Dei, quæ in ſe phyſice & realiter indiviſibilis, virtualiter tamen diviſibilis eſt, quia licet æternitas ſit phyſice & realiter unicum *Nunc*, æquivalet tamen omnibus durationibus temporaneis & ſucceſſivis etiam ævi. 2. Immenſitas Divina eſt realiter indiviſibilis, & virtualiter diviſibilis infinite: hæc enim eſt illud ſpatium infinitum, æquivalens omnibus ubicationibus creatis, capax locare corpora infinita. Tertio, Natura humana juxta Adverſarios in ſe realiter ſimplex & indiviſa æquivalet naturis brutorum cæterorumque entium corporeorum perfectionibus infinitis. 4. Unus Ducatus realiter ſimplex æquivalet 2. Imperialibus, tribus florenis, 180. crucigeris &c. 5. In Muſica nota unica ◆ æquivalet 2. 3. 4. 8. 12. & infinitis aliis. Pari modo unum punctum phyſice indiviſibile æquipollere ratione ubicationis pluribus punctis mathematicis, ſi darentur. Ne tamen hinc arguas unum punctum phyſicum poſſe occupare ſpatium ſenſu perceptibile, & inflari per modum ranæ æſopicæ: non enim tam rudi minerva noſtræ atomi fingendæ ſunt, cum minimum phyſicum, quod ſenſu per accuratum microſcopium perceptibile, multos milliones atomorum in ſe contineat, uti experimenta multiplicia manifeſtum faciunt. Quod aſſerimus, eſt, quamcunque atomum æquivalere certis & finitis tantum atomis mathematicis: hinc cum adæquatum & a natura determinatum ſibi ſpatii terminum ſemel attigerunt, nullis naturæ viribus ultra cogi poſſunt. Ad hoc ergo ut unicum indiviſibile phyſicum v. g. aeris dicatur eſſe in loco ſibi adæquato, neceſſe ut correſpondeat tot vel tot ubicationibus puncti ignei, puta 8. ſive ut ſit in 8. ubicationibus tanquam locis inadæquatis.

LXXX. III. Hinc ſequitur idem punctum indiviſibile

sibile quantitatis, quod potest naturaliter citra rarefactionem existere in uno indivisibili spatio A. adæquate; posse etiam naturaliter existere in spatiis B. C. D. E. F. G. H. indivisibilibus inadæquate. Patet, non enim plus est existere in 8. spatii indivisibilibus inadæquate, quam existere in uno tantum spatii indivisibili adæquate, ergo punctum quantitatis, quod potest simul naturaliter existere in uno spatii indivisibili adæquate, potest etiam simul naturaliter existere in 8. indivisibilibus spatii inadæquate. ant. prob. Idem punctum existere in 8. spatii indivisibilibus inadæquate, est tantum habere in se 8 partiales ubicationes in ordine ad illas, per quas existere posset adæquate in 8. indivisibilibus Zenonis, si darentur: quibus supponimus æquivalere unum punctum igneum citra rarefactionem: sed existere in uno spatii indivisibili adæquate, est etiam idemmet punctum habere 8. alias ubicationes partiales in ordine ad illud, per quas posset adæquate coexistere 8. indivisibilibus Zenonisticis, si darentur, ergo.

Notandum tamen bene, licet unica ubicatio sufficiat, ut dicatur punctum inexistere toti indivisibili spatii *ex parte termini*: non tamen sufficere ut illi coexistat *totaliter* & *adæquate*, sive *ex parte modi*; Sed ad id omnino necessariæ sunt plures ubicationes distinctæ, vel una illis æquivalent.

LXXXI. IV. Eodem modo dicendum, ad hoc ut aliqua res coexistat uni instanti temporis divisibili virtualiter, requiri v. g. 4. durationes seu instantia, vel unum illis æquivalens, quia unum temporis instans virtualiter divisibile æquivalet 4. instantibus Zenonis, ad quibus adæquate coexistendum 4. durationes, aut illis una æquivalens requiruntur.

Huic sententiæ nil solidi potest objici, nisi quod hypothesis videatur paradoxa & impossibilis, quasi tribuat rei corporeæ & materiali privilegium, soli spiritui competens. Cui respondemus Indivisibilitatem non esse propriam quarto modo substantiæ spirituali: imo juxta P. Suarez & Arriagam non implicat substantia Spiritualis constans partibus integrantibus: de facto autem D. Thomas indivisibilitatem tribuit animabus brutorum perfectorum, ita ut sint totæ in toto, & totæ in qualibet parte, non secus ac anima rationalis spiritualis, ergo non est inconveniens id quoque tribuere atomis, ut locum possint occupare divisibilem. Nihilominus enim distinguitur spirituale a materiali ex eo, quod spiritualia non dependeant in esse & conservatia materia? indivisibilia autem physica dicant ordinem ad corpus velut ejus partes constitutivæ &c.

TRACTATUS XXIX DE HABITIBUS.

Hic non est sermo de Habitu, prout constituit juxta Aristot. distinctum Prædicamentum, nempe prout Corpus connotat rem artificialem sibi adjectam: sed prout sumitur pro prima specie Prædicamenti Qualitatis, & opponitur Dispositioni, quæque facultatem ad agendum per se & immediate juvat, atque *facilitas* nominatur. Hinc nomine Habitus non veniunt qualitates illæ inertes & otiosæ, quæ nihil agunt, nec moliuntur, cujus generis sunt pulchritudo, sanitas, morbus, tametsi inter Habitus soleant numerari: sed eas qualitates hoc loco pertractamus, quæ facultati succrescunt, quæque ad agendum destinantur. Sit itaque

SECTIO I.

Quid sit Habitus & quotuplex?

I. In quo posita sit Habitus natura, magna contentione certatur. Definiri solet Qualitas facultatis adventitia, qua facilius operatur. Verum hæc definitio non competit nisi habitibus naturalibus & acquisitis, non autem supernaturalibus & infusis, cum hi non tantum ad facile, sed ad simpliciter operandum requirantur. Cum autem Qualitatis nomen latissime pateat, & id omne quod rem *talem* denominat, aut afficit, aut determinat, hoc nomine vulgo donetur, vaga quædam & confusa notio huic voci sobest, quæ rem ipsam plerumque involvit magis quam explicat. Præterquam si habitus instar luminis aut coloris concipiatur, intellectu arduum est, quomodo is produci, extingui, augeri vel minui possit: nec satis liquet, cui illa qualitas osui esse possit, aut cui subjecto insideat; ac multæ aliæ quæ inde emergunt difficultates.

Illud certum videtur facilitatem operationum non consistere in sola remotione impedimentorum, cum scientia aut virtus acquiritur: sed quiddam reale & physicum quodcunque illud sit, usu & exercitatione comparari. Id vero si dixerimus esse qualitatem quandam, nihilo forte erimus doctiores: vox enim illa vaga & indefinita nihil lucis affert propositæ quæstioni. Quid igitur, an modalis erit entitas, firma & constans, quæ certo quodam modo nos afficit. Sic communiter dicimur habere Habitum Logicæ? quid hoc? Est facilitas ob multiplicatas & ordinatas species de qualibet conclusione Logica ad easdem iterum cognoscendas & judicandas. Hoc utique probabilius videtur, quam absolutam quandam entitatem comminisci, quæ qualitas nominetur, quæque nos ad agendum determinet: sed quamdiu in iis vocibus adeo indefinitis sistimus, nullam rei ideam distinctam formamus.

II. Propius ad rem ipsam accedere videntur, qui Habitus, intellectuales potissimum, nihil esse putant præter rerum imagines, seu ab objectis impressas, seu a mente ipsa, cum percipit, expressas, quæque in memoria asservatæ, ubi opus est, sese offerunt. Sic ex receptis actibus manent quædam impressiones in voluntate tanquam actuum termini, quibus ipsa ad agendum promptior efficitur. Faciliore tamen & comprehendiosiore via rem hanc explicari posse arbitramur, si dicamus

Primo, Habitus intellectuales satis commode per impressa cerebro vestigia & expeditos spirituum animalium motus, impedimentorum denique remotionem explicari. Probatur Concl. Supponimus quædam ab objectis per exteriorum sensuum organa in cerebro imprimi vestigia, quibus certæ itidem ideæ ut mentis perceptiones ita sint illigatæ ut junctæ semper & simul sese

ſeſe offerant. Cumque illa veſtigia, quæ phantaſmata dici ſolent, facilius & diſtinctius imprimuntur, notiones quoque mentis aut diſtinctiores ſunt, aut magis expeditæ. Ex actibus vero ſæpius repetitis, illæ velut imagines melius delineantur; ſpiritus in eas faciliùs incurrunt, viam ſibi apertiorem muniunt. Hinc celeris & expedita cogitatio, quæ habitus nomine cenſetur.

Confirm. 1. Cum trita cerebri veſtigia, aut vi morbi, aut diuturnitate temporis expunguntur, ita ſe habet intellectus, ac ſi rem ipſam nullo modo didiciſſet: ergo ſignum eſt habitum ſcientiæ magis ad imaginationem quam ad intellectum pertinere. Quæ enim cauſa potuit ex ſubjecto ſpirituali, cui nihil eſt contrarium, qualitatem iterum ſpiritualem extinguere?

Confirm. 2. Habitus acquiritur, ubi quæ in ſubjecto erat oppoſitio, & velut rigiditas repetitis actibus ſuperatur: ut cum pueri literas formare incipiunt, & mille modis linguam inflectunt: idque in omni corporis facilitate acquirenda cernere eſt. At nulla eſt in ipſo intellectu difficultas, neque enim per partes perficitur. Atque ut artifex non artis, ſed organi v. g. cytharæ vitio artem ſuam non prodit; ita intellectus ſemper paratus eſt ad intelligendum; nihil ei deeſſe poteſt præter organum bene inſtructum. Vnde ſi hebes aut tardus habeatur, id tantum fit organi aut imaginis vitio: cum res incorporea vix fieri acutior aut mobilior poſſit. Sed cum veſtigia cerebro impreſſa confuſa ſunt & perturbata, cum Spiritibus per illa non ſatis trita veſtigia minus expedite diſcurrunt; cum facile deleri poſſunt, tum habitus aut nullus eſt, aut facile expungitur. Contra evenit, ubi veſtigia in cerebro ſunt inconfuſa, ex repetitis actibus alte impreſſa; cumque Spiritus per ea, fere ut aqua per tubulos quos ſibi aptavit, libere diſcurrunt.

Prob. 2. Eadem pene videtur ratio habituum, quæ memoriæ: cum habitus ipſi aut memoria contineantur & imaginum congerie, aut ex ea pendeant maxime: ſed memoria in parte animæ ſentiente, non in parte intellectuali (ſeu animæ ſenſitivæ non rationali) ineſt. Nam ubi abolita eſt, & veſtigia cerebri deleta, nullæ in ipſo intellectu remanent ſpecies: neque enim neceſſe eſt ad congenitas, aut alias ex rebus corporeis exſculptas imagines confugere: cum mens aut in æternæ veritatis luce res intelligibiles intueri poſſit, ut videtur S. Auguſt. vel ex naturæ lege, aut voluntate noſtra perceptiones aut ideæ certis cerebri veſtigiis ſint addictæ.

Secundo. Non eſt neceſſe in voluntate aut in appetitu ſentiente novas qualitates ſeu habitus ab ipſa voluntate diſtinctos comminiſci. Ratio eſt, quoniam voluntas non eſt vis ab intellectu diſtincta, neque appetitus eſt facultas ab imaginatione ſejuncta: ergo ſi nulli ſint in ipſo intellectu habitus acquiſiti, nihil nos cogit novas in voluntate vel appetitu qualitates tanquam diſtinctas entitates comminiſci.

Confirm. Ejuſmodi enim qualitates videntur penitus inutiles, cum voluntas a cognitione ipſa, aut a judicio intellectus, ut a conditione quadam determinetur, ac ſi quæ ſit difficultas ſuperanda, ea potiſſimum in organis poſita eſt. Atque ut ex repetitis actibus quædam ſit affectio aut propenſio in voluntate, quæ inclinationes ab Authore naturæ impreſſas determinet, illa tamen affectio aut inclinatio, aut pondus non eſt quiddam ab anima aut voluntate diſtinctum, Vide Honorat. Fabri Lib. 7. de anima ration. propoſ. 56. ubi leges ſequentia.

III. Tametſi ergo nihil magis tritum ſit apud Scholaſticos quam Habitum acquiri, intendique ac magis radicari per repetitos actus; hoc tamen non ita explicant, quin lux uberior deſideretur. Habitum ipſi in qualitate quadam eaque abſoluta conſtituunt, quæ potentiam, ut ajunt, ad agendum facilitat: ſed meram vocem eſſe crediderim: quomodo enim fieri poſſit, ut potentia matrix neceſſaria, eodem prorſus organo inſtructa; modo facilius, modo difficilius in actum erumpat, quæ ſcilicet pro diverſo determinationis gradu, quantum poteſt agit? Concurrit, inquies, illa qualitas ad motum vel ad impetum: igitur eſt potentia motrix; quod autem actus ſuam cauſam producat, id eſt impetus potentiam motricem, quis, amabo niſi ſomniando dicat?

Aliter ergo ſe res habet, nempe fibræ repetitis motibus facile aſſueſcunt; ſic pedes ad ſaltandum, digiti ad pulſandas fides, guttur ad canendum, lingua ad loquendum, aliaque hujuſmodi organa habilitatem acquirunt; ubi enim eadem determinatio ſæpius accedit, jus quoddam (ut ita loquar) in organum ſibi arrogat, id eſt illud fere affectum relinquit: ſic virga in eodem ſitu diu retenta, vix deinde ab eo removeri poteſt: ſic brachium in tali vel tali ſitu per vim adactum, in alium adduci non poteſt ſine dolore; ſic oculus qui viridem duntaxat colorem diu videret, eo quaſi dolure inficeretur. Ita prorſus fibræ, quæ paſſionum motibus ſerviunt, ubi ad talem vel talem motum iræ v. g. frequenti affectione traducta, determinantur, eam determinationem ſibi familiarem faciunt, ea quaſi imbuuntur, ad eam ſeſe componunt. Hinc facile, ſi vel modicum quid accedat, ad motum iræ determinantur, cum eam affectionem quaſi induerint, hinc modico afflictu excitatur &c.

IV. Objic. 1. Si habitus nihil ſunt præter trita in cerebro veſtigia, aut ſpirituum in certas partes ex uſu & aſſuetudine commeatus, nulli erunt habitus ſpirituales, nulli intellectuales, ſed omnes ad ipſum corpus referentur: ſic nulla erit ſcientia aut prudentia, nulla virtus in anima, quæ omnino videntur abſurda. R. Mentem ſcire una cum Spiritu (anima ſenſitiva) idcirco hoc deficiente aut immutato, intellectum quoque deficere & amittere habitum ſcientiæ, afficitur enim affectione ſpiritus. Sed cur in Mente non remanet ſcientia exhalante ſpiritu? quoniam eſt utriusque, non ſolius; remanet autem illa ſolum, qua a ſuperis defluit, & quæ abdita eſt; ſed ab infirmitate & ſpiritus abſceſſione, quo cum ſapiebat, amittit ſcientiam communem utriſque ex objectis corporeis partam. Scientiæ enim & artes quatenus operationum ſunt principia, dicendæ ſunt vires & facultates: ſed quatenus animam qualificant, dicuntur Qualitates. Eadem enim res eſt qualitas ad intra, & vis ad extra reſpiciens proprie. Sic Prudentia, fortitudo, Caſtitas & cæteræ virtutes dicuntur ſimul Qualitates & Habitus quatenus animam qualificant bonamque reddunt; ſed quatenus opus & effectum & greſſionem ad exteriora reſpiciunt, dicuntur Principia, & Virtutes & Facultates. Hoc eſt quod D. Thomas frequenter ait, omne agens agere per propriam formam, quod intelligit per qualitatem eſſentialem, aut accidentalem, non ſimpliciter, ut ſic, ſed quatenus eſt virtus activa & operativa. Non enim forma agit ut forma; ſic enim

ſolum

solum in format; sed ut virtus. Vnde S. Dionys. ait, ex substantia virtutem, ex virtute operationem egredi. Quæ omnia absque speciebus in ipso intellectu impressis aut relictis expediri possunt.

Instas. Illa cerebro impressa vestigia cogitationes nostras anteverrunt,& profluunt ab objectis, ergo non causant habitum. Resp. Non sola vestigia cerebri, sed ea trita & ex repetitis actibus inculcata habitus vocari: cum intellectum ad cogitandum excitent, & objecta ipsa cum facultate conjungant & sistant. Species vero quæ dicitur expressa, vel nihil est nisi cogitatio ipsa, vel tamdiu durat, quamdiu ipsa cogitatio: sed nomine habitus intelligimus quid fixum & constans, firmam nimirum facilitatem, quæ vix alibi inveniri potest, quam in ipso vis imaginatricis organo. Siquidem Menti ipsi imprimitur id non est imago rei corporeæ: sed res ipsa spiritualis, ut numerorum dimensionumq; rationes & leges innumerabiles, *quarum*, inquit August. *nullam sensus corpori impressit, quia nec ipsa colorata sunt, aut sonant, aut olent, aut gustata aut contactata sunt. Nec imagines earum rerum recondita sunt in memoria, sed res ipsa, cum eas nos intellexisse meminimus.* Verum nos hoc loco habitus ex rerum corporearum cognitione acquisitos persequimur, eosque in substantia cerebri potissimum vigere contendimus, & cum memoria pene confundimus. Vnde nihil æque vel augetur cura, vel negligentia intercidit.

V. Objic 2. Habitus infusi sunt qualitates absolutæ, quæ in Mente ipsa hærent; ergo & habitus acquisiti erunt itidem qualitates exercitatione & studio comparatæ. Resp. 1. Neg. conf. & paritatem. Habitus enim infusi per actus repetitos non acquiruntur, sed a Deo repente infunduntur, ut novum esse, & quasi lumen animæ imperiant. Neque enim sic potentiam adjuvant, ut dent aliquam agendi facilitatem: sed ad agendum absolute requiruntur, ac similes sunt potentiis, quæ, ut loquuntur, dant simpliciter posse. Habitus vero naturales ex actibus repetitis gignuntur, ac facilitas illa acquisita non est in ipso intellectu, qui abunde ex sua natura instructus est ut intelligat, neque per ipsum sit quo minus id fiat: sed vel desunt phantasmata, sine quibus corpori alligata non operatur, vel ea sunt admodum imperfecta. Itaque omnis facilitas in eo posita est, ut instrumentum animæ recte præparetur, quo prompte & expedite agat: domanda est cerebri quædam velut rigiditas, vestigia rerum apte sint disponenda, exercitatio adhibenda, ut spiritus cerebri fibrillas velut clavecymbali fides libere & expedite pulsent.

Resp. 2. neg. ant. ut ex professo declarabimus infra sect. 3.

Sed, inquiunt, habitus intellectuales sunt plane spirituales, ergo non sunt species superstites in organo imaginationis, aut trita in cerebro vestigia. Resp. Habitus esse spirituales, quoad usum C. nam iis mens utitur ad intelligendum. Quoad entitatem. N. Itaque ab iis determinatur occasionaliter animus ut percipiat: sed nihil sunt nisi ipsa phantasmata. Dicuntur enim Habitus intellectuales ii, quibus Mens utitur, quique ejus subduntur imperio.

Instant. Illi habitus producuntur per actus spirituales, ergo sunt itidem spirituales. Resp. Habitus intellectuales produci per actus intellectus, non primario & per se, sed ex occasione: quatenus mentis cogitationes consequuntur certi spirituum motus & cerebri impressiones.

Vrgent. Nulla in cerebro facta impressio exhibere potest res a materia secretas. Resp. has species cerebro impressas per se quidem non exhibere res spirituales, sed tantum per accidens, quatenus præbent occasionem intellectui cogitandi de iis, quæ sunt a materia separata: quemadmodum & voces, quæ nullam habent cum rebus ipsis similitudinem.

VI. Tertio. Habitus alii sunt supernaturales, qui scilicet vires naturæ excedunt: alii naturales. Illi dicuntur infusi, quod a Deo in nobis infundantur, ut fides, spes & charitas; quæ quidem infusio quomodo sit intelligenda, dicetur infra. Dari autem Habitus infusos manifeste demonstratur. Ait enim apostolus Rom. 9. *Charitas diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis.* Hanc vero justificatis inhærere docet Conc. Trident. sess. 6. c. 7. ibi: Vnde in ipsa justificatione, cum remissione peccatorum hæc simul infusa accipit homo per Jesum Christum cui inseritur, fidem, spem & charitatem. Vnde &: Joan. 3 Gratia Dei semen, non fluxum vid. sed permanens nominatur. *Semen ipsius*, inquit, *in eo manet*; tum subdit, *& in hoc scimus quoniam manet in nobis de spiritu quem dedit nobis*; hoc est, aliquid de spiritu, nempe ejus emanatio quædam permanens. Ita vulgariter Theologi.

VII. Habitus naturales, vel sunt nobis congeniti, vel studio acquisiti. Illi inclinationes aut propensiones naturæ dicuntur, quatenus ad appentum pertinent, atque omnes affectus ex iis tanquam principiis ducuntur. Hujusmodi propensiones ab authore naturæ imprimuntur, cujus generis sunt amor boni in universum, amor suæ integritatis & conservationis & omnium quæ ad perfectionem, aut felicitatem nostram videntur conferre, ut scientiæ & delectationis, & eorum quæ ab omnibus expetuntur. Sunt enim impressiones quæ a Deo jugiter manant & in eum tendunt. Atque eam fere in animis varietatem & pulchritudinem, quam diversæ motuum leges in corporibus efficiunt: eo tamen cum discrimine, quod motuum leges certæ sint & constantes, neque a fine suo deflectant; naturales vero & congenitas passiones ad nos plerumque deflectimus, dum in nobis tanquam in ultimo fine sistimus, idque ex pravo libertatis nostræ usu, non ex ipsa propensione naturali proficiscitur.

VIII. Vlterius dividuntur habitus acquisiti in habitus Intellectus & Voluntatis (omissa quæstione de nomine quoad facilitates phantasiæ & appetitus utrum sint habitus). Deinde intellectuales dividuntur in Virtutes mentales, in facultates, & habitus pravæ dispositionis. Primum nomen æquivocum *Virtus intellectualis*, ad rem præsentem exponitur, facilitas ad actus intellectuales in quibus perfecte quietatur intellectus *veluti in vero bono suo naturali*, unde dicuntur *perficere intellectum*, & quod sint boni & reddant intellectum bonum, & quod habitus illi inclinent intellectum ad actus semper veros: nam universaliter dicitur, quod *virtus rem bonam disponit ut sit optima*.

Cæterum in rebus moralibus magis proprie usurpatur nomen Virtutis sine addito, ut cum dicitur: *ille fecit actum virtutis*. Multa vero involvuntur in hoc dicto, scilicet *potentia, actus, facilitas ad actum*. Actus virtutis seu virtuosus est volitio seu nolitio conformis primæ regulæ honestatis. Potentia ad illos actus est ipsa voluntas cum omnibus ad agendum requisitis. Facilitas est habitus acquisitus repetitione actuum similium; & iste habitus proprie dicitur virtus moralis, ut cum

cum dico: Petrus est temperans, est justus &c. Ex hac porro communi intelligentia virtutis moralis facta est translatio ad appellandum habitus intellectuales primæ classis, virtutes mentales. Secundæ classis habitus, hoc est facultates, sunt facilitates ad actus, qui sunt mera supplementa, & media ad actus primæ classis ut opinio, fides humana habitualis. Tertio, habitus pravæ dispositionis sunt facilitates ad actus oppositos actibus primæ classis, ut ad errandum, temere judicandum &c.

IX. Virtutes mentales in quinq; classes secantur, sunt autem: *Sapientia, intellectus acquisitus* (nota æquivocationem) *scientia, ars, prudentia*, qui termini licet pro habitibus hic sumantur; pro classe tamen actuum respondentium, utilius intelliguntur. Sapientia est facilitas ad conclusiones plus quam scientificas, hoc est illatas per altissimas causas: quid vero sint hujusmodi altissimæ causæ, valde ignotum, nisi intelligas providentiam sapientiamque Dei rerum omnium conditarum ordines disponentem; aut influxus magnos Primalitatum, Necessitatem, Harmoniam & Fatum; hac occasione scis, quid sit Sapientia classica. Intellectus est facilitas ad prima principia scientiarum per inductionem colligenda. Scientia est facilitas ad actus qui conflant scientias classicas; & pari ratione ars habitualis & prudentia.

X. Facultates intellectuales dividi possunt in alias facilitates seu habitus, qui ad nullam mentalem virtutem pertineant.

Inde advertes, quod communiter nemo dicatur *Sapiens, intelligens, sciens* &c. nisi ille qui hujusmodi facilitates & habitus acquisiverit, nec sufficit unam actualem scientiam, aut sapientiam, hoc est conclusionem sapientem elicere, ut quis nomen sibi sapientis vendicet.

Habitus enim nomen non meretur, nisi cum veluti parturitur, hoc est evadit tam perfecta, ut crescere quidem possit, sed consistentiam aliquam habeat, sicuti homo infans dum nascitur.

XI. Habitus Voluntatis divide in Virtutes morales, in vitia & habitus neutros. Primæ dividuntur in Justitiam, Temperantiam, Fortitudinem (etenim Prudentia proprie pertinet ad Intellectum, licet præluceat omnibus virtutibus voluntatis) quæ virtutes in varias species subalternatas & atomas subsecantur a Philosophia Morali seu Ethica.

Denique Habitus neutri morales sunt facilitates ad actus voluntatis indifferentes ad virtutem & vitium: qui an dentur, acriter controvertitur.

SECTIO II.

De Causis & Subjecto Habituum.

XII. Ex dictis liquet, habituum causas effectrices esse tum objecta, quæ species imprimunt, tum facultates ipsas, quæ per crebras operationes facilitatem illam acquirunt, tum actus ipsos sæpius repetitos, ex quibus consimiles habitus generantur. Huc etiam pertinet Spirituum vis & mobilitas nec non cerebri temperies. Nam ut imaginis in cupro cælatura ex duobus potissimum pendet, tum ex materia ipsa, quæ docilis quodammodo esse debet & impressu facilis; tum ex cœlo, quod firmum & acutum lineas altius imprimit: sic fere Habitus, qui nihil sunt nisi rerum vestigia certo ordine disposita, substantiam postulant cerebri docilem, non crassiorem, non molliorem quam par sit; Spiritus uberes & vegetos, qui has sculpant imagines. Accedant etiam ex parte animi attentio seu studium acre, & magna voluntatis propensio: quæ si desint, vix distincta rerum vestigia cerebro imprimentur. Quare ut habitus facile comparentur, fibræ sint tenues & flexibiles & liberæ. Non tamen ea sit tenuitas, quæ citius frangatur, sed tenacitatem quandam habeant, qua impressa vestigia diutius conservent. Quo major erit tenacitas, hoc major adhibenda erit animi contentio, ut rei imago vel imprimatur, vel cum opus erit, eruatur: qui enim molles habent cerebri fibras, cito discunt, sed & citius oblivisci solent. Contra qui tenacioribus præditi sunt, formam habent memoriam, non facilem: si molles sint & tenaces, sed minus subtiles, tardiorem efficiunt memoriam, non celerem; nec quæ reposcuntur imagines ea facile exhibet.

XIII. Quod attinet Subjectum Habituum, Illi AA. qui habitus acquisitos esse qualitates physicas putant, eos fere in voluntate, intellectu, imaginatione & appetitu sentiente constituunt: quod eæ vires juvari possint ad agendum, idque directe & per se, non tantum per accidens, quatenus removentur obices, aut organa recte disponuntur. Nos vero qui habitus nihil esse arbitramur nisi affectiones in organo imaginationis superstites, ac velnti species rerum impressas, quæ usu & exercitio sunt comparatæ, nullam in appetitu rationali aut sensitivo aliam qualitatem admitti oportere contendimus. Nam voluntas, aut a seipsa, aut ab intellectu satis determinatur. In brutis quoque sentiens appetitus satis aliunde determinatur, adeo ut nihil necesse sit in iis novas qualitates, quæ habitus dicantur, comminisci; tametsi negare non possumus, quin usu & disciplina quadam, ut ita dicam, novam agendi facilitatem acquirant. Quod utique cum de brutis plerique fateantur Theologi, non apparet cur in hominis parte sensitiva novas qualitates præter facilitatem usu & exercitio comparatam agnoscant.

XIV. Quid, quod & Habitum dari in membris ab exercitio continuo provenientem, eo quod tanta motus velocitas atque diversa in ea applicatio non videatur tribui posse soli animæ directioni e capite mandantis, Philosophi non pauci cum Borello nostræ ætatis gravissimo authore statuerunt, id quod sic esse ratio ubique confirmat. Sic ebrius & semisomnians cytharista pulsat cytharam artificiose. Sic Gallus Indicus amputato capite currit, gyros miros faciens, alis stridet &c.

XV. Occasione hujus operæ pretium visum est adducere doctrinam S. Thomæ, quo scilicet omnia moveantur a Deo, ea tamen proportione, ut Angelus minus homine, homo vero minus quam bruta indigeant moveri, quod sic declarat Doct. angel. de Veritate q. 22. art. 4. o. " Quod natura aliqua quanto Deo est " propinquior, tanto expressior in ea divinæ dignita- " tis similitudo invenitur. Hoc autem ad Divinam " dignitatem pertinet, ut omnia moveat & inclinet & " dirigat. Ipse autem a nullo alio motus, vel incli- " natus, vel directus. Unde quanto aliqua natura " est Deo vicinior: tanto minus a Deo inclinatur & " magis nata est seipsam inclinare. Natura ergo in- " sensibilis, quæ ratione suæ materialitatis est maxime " a Deo remota, inclinatur quidem in aliquem finem, "

non

"non tamen est in ea aliquid inclinans, sed solummodo inclinationis principium, ut ex prædictis patet. "Natura autem sensitiva, ut Deo propinquior, in se "ipsa habet aliquod inclinans, scilicet appetibile ap"prehensum: sed tamen inclinatio ipsa non est in po"testate ipsius animalis, sed est ei aliunde determinata. "Animal enim ad aspectum delectabilis, non potest "non concupiscere illud, quia ipsa animalia non ha"bent dominium suæ inclinationis; unde non agunt, "sed magis aguntur secundum Damascenum. Et "hoc ideo, quia vis appetitiva sensibilis habet orga"num corporale, & ideo vicinatur dispositionibus ma"teriæ, & rerum corporalium, ut moveatur magis "quam moveat: sed Natura rationalis, quæ est Deo "vicinissima, non solum habet inclinationem in ali"quid, sicut habent inanimata; nec solum movens "hanc inclinationem, quasi aliunde eis determinatam, "sicut natura sensibilis, sed ultra hoc, habet in potesta"te ipsam inclinationem, ut non sit necessarium incli"nari ad appetibile apprehensum, sed possit inclinari "vel non inclinari. *Et sic ipsa inclinatio non determi"natur ei ab alio, sed a seipsa.* Et hoc quidem com"petit ei, in quantum non utitur organo corporali, & "sic recedens a natura mobilis, accedit ad naturam "moventis & agentis. Quod autem aliquid deter"minat sibi inclinationem in finem, non potest con"tingere nisi cognoscat finem, & habitudinem finis "ad ea, quæ sunt in finem, quod est tantum rationis. Vbi Nota quod voluntas non solum se movet ac determinat, sed etiam suam inclinationem habet in sua potestate, ergo cum inclinatur, dissentire potest de facto, ut definit Concl. Trident. sess. 6. can. 4.

Dependet ergo intellectio humana a phantasmate hoc modo & ordine. Objecta movent potentias externas. E. g. lumen, ab objecto modificate reflexum (quod speciem nominant) incidit in oculum per pupillam in retinam ocularem, ut in hac imaginem objecti distinctissimam, ope refractionum, exprimat; eamque retinam, cum sit substantia nervosa ac vivacissima, quodammodo faciat saltitare delicatissimis licet motionibus, minimarum partium, & tripudiantis in modum agitari: quæ agitatio est species impressa, & quatenus vitalis, eadem quoque expressa, uti placet nuncupare P. Aloysio Kimmet. Affectio hæc tripudiativa porro propagatur ad cerebrum, ubi est organum sensus interni: quod triplici modo fieri potest, vel quod nervi ocularis retinæ trahendo faciant similem impressionem in cerebro, tanquam funiculi; sicut funis tractus movet campanam: vel quod spiritus animales per vias nervorum, fulguris instar, velocissime explosi, cerebrum tenuissime concutiant, & similem figuram ibi describi faciant, uti Willis explicat: vel denique quod Causa Prima determinata per visionem, hujusmodi translationem absolvat & modificationem transferat: sed tertius hic modus parum videtur philosophicus.

Quæres, quomodo Habitus intendantur, remittantur & corrumpantur?

XVI. Resp. Circa augmentum qualitatum duæ sunt in Scholis multum jactatæ opiniones. Vna eorum, qui qualitates augeri putant, dum novus gradus (homogeneus aut heterogeneus) accedit: ut dum calor novi caloris accessione crescit. Altera Thomistarum, qui calorem & qualitatem, omnem intendi putant, cum eadem entitas, quæ initio producta fuit, altius in subjecto infigitur, quod sua phrasi vocant magis radicari. Vtraque sententia graves patitur difficultates. Neutro autem modo augeri habitus, cum non sint qualitates physicæ absolutæ, patebit ex mox dicendis.

Primo quidem, si qui sint habitus acquisiti in intellectu, ii non intenduntur per majorem radicationem in subjecto, nec per graduum additionem, sed per species magis claras & distinctas. Prob. & explicatur. Qualitas spiritualis quæ est omnino indivisibilis, quæque recipitur in subjecto itidem indivisibili & incorporeo, non potest ab eo magis & magis participari, aut in eo radicari: nam secundum id omne quod habet, in subjecto recipitur, cum nullas habeat partes. Atqui si sint habitus acquisiti in ipso intellectu, ii sunt indivisibiles, uti & earum subjectum, ergo habitus non possunt altius in eo infigi: ut radices arboris, nisi & suam longitudinem, & terra quoque suam habeat profunditatem, non possunt altius terram subire, aut magis radicari.

Sed neque habitus intellectualis per additionem gradus ad gradum, seu per novarum specierum additionem intendi potest. Quantumvis enim species aut imagines addantur, si confusæ sint & imperfectæ, extendetur quidem habitus seu cognitio rei acquisita; sed intendi aut perfici non poterit, donec species aliqua clara & distincta supervenerit: hæc enim omnem secum afferet perfectionem. Illæ autem species erunt perfectiores, & habitum intensiorem simul & magis extensum procreabunt, cum rem ipsam omni ex parte exhibebunt: tum enim ad assentiendum mentem inflectent, cum ea rem omni ex parte conspexerit.

Secundo, Habitus intellectus augentur, cum phantasmata in ipsa imaginatione, aut impressa ab objectis in cerebro vestigia clariora sunt, distinctiora & melius disposita, cum spiritus libere commeant, agiles sunt, & cerebri substantiæ attemperati; cum denique acrem adhibemus attentionem, & cætera adsunt, tum ex parte intellectus, tum ex parte organi, ac potissimum usus & exercitatio. Ea siquidem lex ab authore naturæ inter corpus & animam constituta est, ut certos corporis motus quædam perceptiones consequantur, ac vicissim. Nam omnis fere perceptionis initium ab affectione in sensus organo impressa ducitur. Est autem sensus cum motu fibrarum, quæ substantiam cerebri pertexunt, ita conjunctus, ut magnos fibrarum motus sensum vegetum, languidior motus sensum debiliorem efficiat. Quæ autem sensus attingit, eadem mens statim cognoscit; quæ confuse & imperfecte sensum afficiunt, eadem mens confusa quoque cognitione percipit; quæ distincte & validius sensum interiorem commovent, hæc mens distincte magis & clare percipit.

Sed tamen inter sensum & mentem hoc videtur esse discriminis, quod sensus ab ipsa affectione organi, quam alii speciem vocant; affectio vero ab objecto determinetur; nec possit ullo modo sensus ab ipsa affectione organi confusa ad distinctam progredi: Mens vero hanc habet prærogativam, ut ex confusa perceptione ad claram & distinctam sese promoveat, tumque distincta in organo imaginationis vestigia, aut phantasmata imprimit. Nam Mentis & sensus indivulsæ sunt functiones. Ex quibus efficitur habitus pene omnes in organo imaginationis porissimum inesse; sed usum eorum ad mentem pertinere.

 Vnde

Unde & facilius ratiocinatur, qui plura rerum simulachra aut phantasmata cerebro habet impressa: citius enim invenit quod quærit, plura confuse cognoscit, ex quibus distinctam adipisci cognitionem facilius potest. Nam hujusmodi simulachrorum phantasticorum apparatus non solum est effectus animæ sedulo sese exercentis, sed ejus etiam thesaurus & memoria rerum cognitarum; etsi nihil sint aliud quam figuræ cerebro impressæ, quales fere imprimuntur ceræ, insculpuntur plumbo, inscribuntur chartæ, sunt virtuales rerum similitudines ac ideæ: suo concausæ intellectionum, sunt species intellectuales, denique suo qualitas facilitativa sive habitus animæ, ut intellectivæ.

Tertio. Habitus isti augentur per actus repetitos, etiamsi sint remissiores. Probatur. Habitus est facilitas quædam, quæ usu & exercitatione acquiritur: sed facilitas illa crescit ex actibus repetitis, etiamsi minore contentione fiant: quod fibras cerebri quasi dociliores, & magis plicatiles efficiant, motum spirituum in certas partes determinant, vestigia cerebro impressa foveant, impedimenta & obices in organis tollant. Sic pueri multa discunt, licet ii nullam fere attentionem adhibeant. Impedimenta vero hujusmodi contingunt a grossa humiditate e multis fumis collecta, & ob transpirationem interceptam ibidem coagulata, & spiritus motionis authores gravante, quæ motione crebra sensim atteouatur & digeritur & demum reseratis poris exspirat. Experimentum habes in arte saltatoria & aliis quæ in expedita membrorum corporis dexteritate ac mobilitate: defectu cujus exercitii artus paulatim obrigescunt, & in extensione sentiunt dolorem. Sicut enim res materiales insensibiles usu frequenti conteruntur & consumuntur, & per usum redduntur minus aptæ ad finem suum, culter enim & ferra & securis cæteraque instrumenta redduntur obtusa: sic econtra potentiæ hominis internæ & externæ usu frequenti perficiuntur & habilitantur.

Hinc fit ut habitus minuantur & corrumpantur ob causas iis contrarias, quibus augeri aut procreari solent. Habitus enim, ut diximus, generantur, cum distincta in cerebro vestigia inuruntur, cum spirituum motus, tum in cerebro, tum in nervis & musculis prompte & expedite perficitur, cum musculi usu flectuntur, certa ratione modificantur, eaque omnia exercitatione firmantur: ergo tum corrumpuntur aut minuuntur habitus, cum cerebri vestigia obliterantur, aut confunduntur, aut eorum series perturbatur; cum spiritus alio divertunt, iique fiunt aut crassiores, aut hebetiores, aut parciores; cum peregrini humores cerebri meatus occludunt, cum exercitationis defectu musculi torpent.

XVII. 1. Opp. 1. Habitus sunt in ea facultate, cui facilitatem præbent, & augentur per actus repetitos illius facultatis, ergo habitus intellectuales intenduntur per actus intellectus, quibus species altius in mente ipsa imprimuntur, non per clariora aut distinctiora phantasmata, quæ sunt extra intellectum posita. Resp. Neg. ant. Nam prudentia, quæ voluntatem regit, & artes omnes vulgo in ipso intellectu collocantur, tametsi vires subjectas perficiunt. Itaque cum vires ita inter se sunt connexæ, ut simul eas agere necesse sit, (uti mens cum imaginatrice est conjuncta) habitum in altera ex iis potentiis inesse satis fuerit. Cum enim cerebri vestigia sunt distincta, non confusa; si mens ad ea diligentius attendat, distinctas perceptiones formabit, ex quibus & clara judicia efficientur: tum enim recte judicamus, cum res ipsas distincte percipimus, & unius rei ad alteram habitudinem perspectam habemus & exploratam; quod utique non per sola phantasmata, sed forte per lucem ipsius veritatis consequimur.

XVIII. Oppon. 2. Multa intelligimus, quæ in ipsam imaginationem non cadunt; ergo dum eorum reminiscimur, non vestigia solum cerebro impressa, sed species impressas aut expresas, seu ex iteratis perceptionibus superstites consulimus: quæ quo plures fuerint, & altius menti infixæ, hoc utique habitus major, tum extensione tum intentione futurus est, adeo ut necesse non sit ad phantasmata confugere.

Resp. Neg. conf. Nam vis imaginatrix ita cum intellectu cohæret, ut una feriari non possit dum altera occupatur. Sed tamen ita Mens est sui juris, ut eas reposcat species, quæ ipsi opus sunt, sese intellectui sistunt: adeo ut Mens ita phantasiæ sit illigata, ut seorsim agere vix possit. Sed tamen ita est sui juris, ut eas reposcat species, quibus indiget, & alias, quæ sæpe intercurrunt, amoveat, agitationem spirituum & fluxum coerceat; imaginationem alio excurrentem revocet, & jubeat phantasiam eo ordine, quo opus est, imaginari; species pene obliteratas & alte sepultas ratiocinatione quadam, & per eas quibus cohærent, eruit, dum imperat phantasiæ, ut eas sequatur specierum series quæ cum re quæsita connectuntur, & quasi gradatim ad illius recordationem nos ducunt, quod proprie est reminisci, dum una idea alteram evolvit. Quare habitus illi aut species ad mentem pertinent, quamvis forte in sola phantasia insint superstites, quod mens iis utatur cum libuerit, & phantasiam ad arbitrium regat.

Dices: Hanc doctrinam non habere locum in Theologia, nam Gratia habitualis, Fides, Spes & Charitas sunt habitus infusi & qualitates absolutæ; quod ita certum est apud Theologos, ut contrarium sine temeritate asseri vix possit, imo errori proximum sit. Pro Respons. sit

SUBSECTIO III.

An sit de fide gratiam habitualem, & virtutes theologicas (Fidem, Spem & Charitatem) esse qualitates absolutas & physicas?

XIX. Videtur neqaquam esse de Fide, nec contrariam sententiam modernorum mereri censuram temeritatis aut erroris; quin imo ex Scriptura, Conciliis & SS. Patribus probari Gratiam habitualem non esse qualitatem seu accidens absolutum, ita Joan. Henr. Wiber & P. Aloysius Kimmet. Probatur 1. ex Scripturis. 2. Cor. 6. 16. Justorum animæ propter gratiam sanctificantem vocantur templa Dei: ibi: *Vos estis templum Dei vivi.* Et Christus Joann. 14. v. 23. ait, *si quis diligit me sermonem meum servabit*, & Pater meus diliget eum, *& ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus.* Ergo tota SS. Trinitas per gratiam sanctificantem animas justorum velut Templa speciali modo inhabitat: sed si gratia sanctificans sit accidens absolutum non Deus & SS. Trinitas inhabitaret animas justorum, sed ens aliquod in fundamentali perfectione Entis imperfectius omni substantia etiam vilissima nempe accidens illud absolutum gratiæ sanctificantis. Ergo

XX. Nec dicas Deum in animas justorum venire per ipsum hoc accidens gratiæ: Nam Contra. Christus inquit: Ego & Pater veniemus: non vero ait mittemus Legatum aliquem: *nos veniemus*, nempe per imagi-

nem

nem nostram, quam inprimemus animæ, ut eam nobis consecremus in Templum vivum. Incredibile etiam est, quod sub nomine Patris & Filii æterni intelligatur ens aliquod tam imperfectum, quale est accidens.

XXI. Probatur 2. ex Conciliis Tridentinum quidem & Viennense in eodem etiam sensu definit, animam justi non sanctificari per meram imputationem justitiæ Christi: ergo adhuc minus sanctificatur per meram imputationem (impressionem) alicujus formæ longe inferioris justitia Christi. Jam sic. Tuum accidens absolutum Gratiæ est forma longe inferior justitia Christi: sed anima justi sanctificatur, ut vis, per meram imputationem aut inhæsionem hujus accidentis prob. min. Forma sanctificans est positiva & ingens perfectio animæ: sed perfectio qualibet positiva entis est aliquid entis, tangens ipsam substantiam entis: ergo forma sanctificans animam justi debet esse aliquid animæ tangens ipsam substantiam animæ, ergo non potest esse ens ab anima absolute distinctum: ergo si sanctificatur per formam, quæ est ens ab anima absolute distinctum: ergo si sanctificatur per formam, quæ est ens ab anima absolute distinctum, sanctificatur per meram illius imputationem.

XXII. Prob. 3. ex SS. PP. qui docent animam justi per gratiam sanctificantem fieri *Deiformem*: sed si gratia sanctificans sit accidens absolutum, per illam anima justi non redderetur Deiformis: quia enim dicet, hoc accidens absolutum gratiæ esse *formam Dei*, sic enim esset ens Deificatum, & subjectum habens formam Deitatis, adeoque Deus. Ergo sententia, gratiam habitualem explicans per accidens absolutum non est conformis SS. PP.

Prob. 4. Ratione. Nullum Ens creatum potest esse talis natura, ut per essentialem perfectionem suam Deum rapiat ad necessarium amorem sui; sed gratia sanctificana est talis naturæ, ut per essentialem perfectionem suam Deum rapiat ad necessarium amorem sui, ergo non potest esse ens creatum.

Rem totam magis illustrare placet ex discursibus R. P. Kimmet, qui anni sui frugiferi Mensem ultimum huic impendic materiæ, in quem casu incidi ipsis Calendis Decembris, quo hæc exscripsi Ao. 1707. Et quidem exorditur ab Amicitia Dei. *Est porro supernaturalitas modus, quo totius creatura jus & potentia superatur.* Quare est prædicatum cuicunque creaturæ contingens in quinta classe (prædicabilium) pnnendum: quia si in aliam quamcunque ex 4. classibus referretur, faceret creatutam substantialiter supernaturalem, quod in terminis ipsis repugnat, eo quod ista seipsam superaret. Quo circa supernaturalitas substantialis aliqua soli DEO competit respectu entium creabilium; quæ tamen eo ipso, quod ei substantialis est, etiam & naturalis prorsus est. Vnde patet amicitiam Deum inter & creaturam esse naturalem quidem, prout est Dei ad hominem; sed supernaturalem, prout est hominis vel creaturæ ad Deum; quia superac hujus omne jus & potenciam.

XXIII. *Est itaque Amicitia, duarum mentium inter se benevolentia mutua atque reciproca permanens de se & efficax.* Dicitur *Benevolentia*, qua scilicet amicus non suum sibi, sed amati bonum attendit. Mutua est ac reciproca; quia amicus amicum amat ea eo potissimum, quod ametur & ipse ab amico. Permanens est, quia verus amicus optat & conatur affectum amoris in alterum nunquam dimittere. Efficax demum, quia amicus amico de suis bonis sincere communicat. Hujusmodi benevolentia est Dei erga hominem, quantum in illo est; quia ei non tantum omnia ejus corporalia & spiritualia bona, vitam, sanitatem, gratias tribuit; sed etiam sua ipsiusmet bona, sibi intrinseca, lumen gloriæ, visionem sui & fruitionem, & supernaturalem beatitudinem præparat, suorumque secretorum. Patet autem creaturam per se naturaliter quidem esse Creatoris servam, sed non amicam, quia ad spacium tam felicem aspirandi aut pertingendi nec jus ullum habet nec vires.

XXIV. Porro Benevolentia illa amantis debet amato esse cognita; alioquin mutua & reciproca esse non posset. Constat autem creaturæ affectus ille Dei erga se, tum ex fide, tum ex conscientia propria, qua moralem certitudinem habet, se fecisse & facere, quæ Deo placent, juxta illud Joan. 15. *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ præcipio vobis.* Debet autem creatura Deo obedientiam & benevolam subjectionem tum ipsa per se præstare, tum procurare ut præstetur ab aliis: quia per hoc potissimum & unice quærit bonum Dei, cujus gloria sic propagatur, dum ejus beneplacicum impletur: prout Christus de se, Quæ ei placita sunt, facio semper.

Ex quibus patet, qua ratione homo Dei amicitiam colere atque augere; sed & quomodo perverse eam amittere & violare posit, peccando utique, & benevolentiam illam erga Deum nequiter abrumpendo; cum eam Deus ea parte sua desideret esse æternam, & nunquam prius dimittat quam homo. Proprium vero amicorum est, frequens inter se conversatio collocutio, communicatio, quod facit Deus multiplicibus illuminationibus, inspirationibus, inpulsibus ad æterna quærenda: homo vero frequentibus ad hæc auscultationibus, precibus, aspiratinnibus & mentalibus alloquiis: quæ quo magis industrie & assiduo fiant, eo magis amicitia crescit, colitur atque perficitur: deficit paulatim, dum ab homine negliguntur.

XXV. Porro hujuscemodi hominis erga Deum actus & exercitia mentis, multiplici titulo & motivo fieri possunt. Puta 1. tituln & affectu felicitatis propriæ, qui est *amor concupiscentiæ*, quo homo suam beatitudinem a Deo quærit; qui malus non est; quia Dei voluntati & legi conformia, estque affectin spei, qua vera bona sibi homo lucrari cupit. 2. tituln & affectu subjectionis, qui est servitutis & obedientiæ, etiam ipso utique bonus & a Deo præceptus, eique omnino debitus, & vocatur *servitium Dei*. 3. ea affectu erga Deum ipsum & bona ipsiusmet Dei. quo creatura amat Deum, eique bene vult, ac bona ejus desiderat ex eo, quod ipsam summe æstimet, ejusque dignitatem, excellentiam, sanctitatem & omnimodam bonitatem super omnia æstimet, omnibus præferat, & ideo procurare & quærere satagat; & hic affectus est charitatis. 4. denique *amicitia*, qua Deo creatura ideo bene vult, quia scit, eum etiam sibi bene velle: quod prædicat S. Paulus, qui prior dilexit me & tradidit semetipsum pro me.

XXVI. Similiter varii sunt Dei erga creaturam affectus. Dum enim amat hanc, quia scit & se amari ab illa, hæc est *affectio amicitiæ* Dei in creaturam. Dum eam amat, quia vel hæc ipsi servit, vel servitura est, vel ut serviat, vel gratuito, cum intentione eam perducendi ad gloriam, dicitur *gratia*. Quod si decernat Deus homini hujusmodi gratiosum affectum permanenter

ter & ad modum habitus, dicitur *gratia habitualis*, vel status gratiæ: idque vel simpliciter, quatenus decernit Deus homini gloriam dare titulo meriti & mercedis: vel adoptando in filium, sive statu filiationis, quatenus decretum nititur jure filiationis per merita Christi applicata; & gloria sic disposita habet rationem hæreditatis. Status hic gratiæ, ut obtineatur inchoari is debet a remissione peccatorum, si quod mortale habet homo. Nam ideo gratiosus hujusmodi status concedi non potest inimico, qualis est omnis peccator, quomodo enim inimicus Dei sit filius & servus fidelis? quomodo talis posfideat jus non tantum meritorie agendi, sed etiam exigendi vel supernaturalem mercedem, vel hæreditatem Christo debitam?

XXVII. Per hujusmodi Statum, ut congrue procedendo, tandem ad actualem supernaturalis vel mercedis, vel hæreditatis possessionem perveniatur, *Fides divina* necessaria est, quod est donum, per quod admittitur homo in numerum discipulorum Spiritus Sancti, consentiatque Deo revelanti propter auctoritatem docentis seu revelantis, qui nec fallere nec falli potest. Dignatur quidem idem divinus Spiritus, etiam infideles aliquando, sed quasi obiter alloqui; cum tamen fidelibus sui copiam quotidie faciat; eisque Jus conferat a se speciatim cœlestia lumina exigendi; eos cum speciali affectu ac inclinatione, & quodammodo ex obligatione officii instruat, & in omnem veritatem deducat. Atque ista *facultas discendi* & veritates cœlestes acquirendi, *nisa duplici quasi Contractu*, partim Dei se ad docendum obligantis, partim hominis ad auscultandum se adstringentis, prout homini permanenter & habitualiter conceditur, dicitur *Habitus fidei*. Qui certe supernaturalis est, & dicitur, quatenus acquiri & exigi a creatura non potuit, sed gratiose a Deo ad finem supernaturalem conceditur. Unde & *infundi* dicitur, quatenus liberali Dei Decreto & dono datur, quod fit in Baptismo titulo meritorum Christi: in adultis autem requiritur dispositio, quia æquum est discipulum admissionem petere, si ipse possit. Dicitur *inhærere* anima, quia Jus illud & facultas est forma relativa, quod non nisi in mente, tanquam subjecto necessario inexistere debet. *Influit* in actus fidei, quia nisi loquatur Deus, credi non potest, ut autem facile & prompte loquatur, ille habitus Deum inclinat. *Augetur* & crescit frequentibus fidei actibus: quod per hos homo amplius sibi Deum demeretur & inclinat. *Perditur* peccato infidelitatis, quia sic Contractus dissolvitur. Habet se *per modum potentiæ*, quia sine locutione divina, ad quam inclinat Deum, & sine cooperante Deo actus fidei dici non potest, maxime ut oportet ad salutem. Verbo, habitus fidei supernaturalis ad seriem entium moralium spectat, non qualitatum physicarum absolutarum. Denominatio est relativa, non absoluta.

XXVIII. Pariformiter sentiendum de Habitu *Spei*, per quem homo confortatur ad exspectanda & per ardua bona opera consequenda bona illa, quæ fides proposuit credenda: & sicuti difficultas fidei tollitur, quod nitatur divina auctoritate loquentis: ita difficultas altera Spei, dum sustinetur divina omnipotentia, sapientia & bonitate, quibus sibi certo præparatis confidit, se actiones convenientes omnino exercere posse, quibus vitam æternam re ipsa meriturum se esse existimat. Atque ita hic juvatur voluntatis audendum infirmitas, sicut ibi intellectus obscuritas. Cum igitur Deus ex infinita bonitate sua Christi fidelibus concedit titulum, jus, copiam & quasi potestatem tendi divina sua sapientia, potentia, bonitate, quibus ad finem prædictum assequendum adjuventur: hæc specialis assistentia Dei permanenter promissa, & homini obligata, prout parit eidem homini Jus constans, eandem assistentiam sic exigendi, vocatur recte Habitus Spei: qui perseveret, donec per peccatum oppositum amittatur, & a peccante velut impatiente tam felicis contractus improbe rescindatur.

XXIX. Denique Habitus Charitatis est facultas homini concessa ad Deum amandum propter se, & creaturas propter Deum, & consistit similiter in quodam Jure, quo homo ad hoc frequentia a Deo auxilia, lumina, impulsus expectare ac petere potest. Cujusmodi Jus debetur fideli, peccato carenti, titulo meritorum Christi.

XXX. Ex dictis colliges 1. Idem prorsus significare, aut certe reipsa importare has voces: *Gratia*, *charitas*, *amicitia*. Nam qui gratiam amisit, charitatem & amicitiam non retinet: & qui desiit esse amicus Dei, statum gratiæ quoque & charitatis perdidit. Omnia ista significant qualitatem supernaturalem, utique moralem, sitam in certa creaturæ cum Deo & Dei cum creatura cohæsione, correlatione, coobligatione, agendi jure & modo; in quibus reperitur quidem respectiva diversitas, ita tamen, ut simul in unum coeat statum.

XXXI. Colliges 2. Habitus prædictos non esse aliud, quam permanens possessio Jurium & prærogativarum, quibus homo certo modo se habeat ad Deum ejusque bona, sitque dignus a Deo certo modo juvari, amari, æstimari, præmiari: quo frequentioribus actibus istorum habituum homo Deo obsequitur: eo magis crescit ea dignitas, & sic intenditur habitus; qui & magis influit; nimirum quia dignior fit homo, ideo magis benevole eum Deus prosequitur, sæpius illuminat, impellit ad salutaria, adjuvat, solatur, roborat; & hoc est Habitum influere: his enim Dei favoribus & gratiis homo cooperando supernaturaliter agit, quia simul ipse ad Deum se convertit libertate sua, & simul Deus inclinatur gratioso affectu ad eum perficiendum, atque ad intimam demum secum ac beatam conjunctionem perducendum. Et in hac ipsa conversione mutua Deum inter & animam consistit *supernaturalitas* actuum bonorum. Actus quippe fidei, spei & charitatis naturales quoque esse possunt: sunt autem supernaturales, dum fiunt cum amicabili affectu Dei cooperantis & per eos homini beatitudinem intendentis. Dum ergo homo exercere conatur actum, sive fidei, sive spei, sive charitatis, sive virtutis cujuslibet moralis, potest quidem experimentaliter scire, se elicere actum talis virtutis: quis enim dum dolet, gaudet, sperat, desiderat, non experitur se dolere, gaudere, sperare, desiderare? Attamen scire non potest, an suus actus sit supernaturalis. Licet enim sciat, se converti sic ad Deum, non potest tamen scire, an cum eodem actu Deus se quoque convertat ad se; sive an Deus eum actum benevole suscipiat, eumque gratiose approbet, & dirigat ad perfectam conjunctionem hominis cum ipso Deo. Hinc nemo scire potest, an sit in gratia Dei, quia intimos Dei affectus erga se suosque actus ignorat.

XXXII.

XXXII. Colliges 3. Gratias, tam actuales quam habituales esse *entitates modales*, nequaquam *entia absoluta*. Profecto in hac doctrina nil continetur quod sapiat hæresim aut errorem in Theologia, ut perperam Peripatetici moderni calumniantur: quin imo si in Doctorum scriptis legeremus, Gratiam esse tale quid quod possit extra subjectum (etiam divinitus) existere: visionem posse esse in lapide &c. crederemus insanire hominem. Dic, sodes, ubi scriptura sacra, aut ullus SS. Patrum, aut aliquod Concilium, aut antiquorum DD. talem propositionem fecit? quasi vero gratia actualis non sit actus vitalis & immanens, essentialiter dependens a principio sensitivo. Quomodo amicitia potest creative existere, & sine ullo subjecto: quomodo gratia habitualis & charitas, si hæc ab amicitia non sunt distincta? Quomodo magisterium aut discipulatus existere potest, si nemo sit vel docens vel discens?

XXXIII. At inquies, sunt tamen accidentia, infunduntur, inhærent, mutant hominem & transformant in alium statum. Ita sane; sunt accidentia, & quinti prædicabilis, sed ideo minime entia absoluta: & quia absoluta non sunt, neque physica, ut calor, frigus &c. ideo necessario inhærent. Si quis de Rustico fiat Comes aut Princeps, nonne statum mutat, quis ideo dicat Principatum esse accidens absolutum?

XXXIV. Quæres, quid ergo dicendum de *Charactere sacramentali?* Resp. cum eodem authore, nec hunc esse Ens absolutum; nec enim apparet quomodo imprimatur, quomodo inhæreat, an creetur, an educatur e potentia animæ, ut quibusdam nugari libet, quid significet &c. Est ergo Character sacramentalis vulgo sic dictus, *Titulus spiritualis honoris, officii, vel potestatis, quo homo a Christo in sua Ecclesia insignitur.* Per baptismalem secernitur ab infidelibus; per chrismaticum adscribitur specialiter militiæ contra dæmonem; per sacerdotalem deputatur ad gratias dispensandas. Dicitur *indelebilis*, quia non repugnat peccato, nec eo amittitur sicut gratia: & quia sacramenta illa speciatim ad eos titulos & classes designandas instituta sunt, ideo reiterari non debent, nec possunt sine abusu. Nam titulus de novo nullus confertur; & gratia amissa aliis Sacramentis reparatur.

Quomodo autem significat si sit modalis tantummodo? Utique non significat ipsi suo subjecto, nec mortalibus, nec Deo, sed Ecclesiæ triumphanti, vel Angelis. An autem Josephi Pro-Regis Ægypti prærogativa & titulus non poterat innotescere centenis quotidie modis, etsi ens absolutum non esset? Quomodo singulorum peccata & conscientiæ singulis in Judicio innotescent? Dico ergo, Deum specialiter determinaturum intellectum Angelorum & hominum, ut talem hominem videndo videant & titulum eum talem ac potestatem habere aut habuisse. Cogita secundum analogiam, quid sit, & quomodo maneat character Legati &c.

Lumen gloriæ denique ipsum quoque non est aliud quid, quam plena possessio Juris ac plenissimæ potestatis fruendi summo bono, juxta mensuram gratiæ & meriti: quo determinatur Deus ad actus beatificos homini concedendos.

XXXV. Maneat ergo a nullo Concilio hactenus definitum esse, Gratiam sanctificantem, & virtutes infusas esse accidentia absoluta: solum enim definitum est, gratiam esse formam animæ intrinsecam, & infusam: imo, juxta multos, ne hoc quidem. Audiamus de hoc P. Mlodzianowski S. J. Theologum. Hic in assert. 3. de Gratia habituali non solum hæc habet: " Per multos non est de Fide, gratiam esse „ qualitatem physicam. „ Sed præterea quærit in eadem assertione: " Estne de Fide, quod justificemur „ per qualitatem vel habitum? Nam licet Tridenti- „ num agat (dicat) quod justificemur per aliquid per- „ manens, potest (tamen) nomine permanentis intel- „ ligi permanentia moralis, ad eum modum, quo dici- „ tur aliquis in peccato manere; diciturque Originale „ (peccatum) inhærere in non renatis, quamvis ista „ permanentia & inhæsio non sit nisi moralis. Circa „ hujus decisionem variant Authores: nam alii cum „ Scoto, Gabriele, Almaino, Vega, etiam ante decisio- „ nem Tridentini putant hoc fuisse de fide: alii id pu- „ tant, nec post Tridentinum de fide esse. Talis est „ Sotus. Medina, Bannes. Joan. Vincent. Canus, „ Curiel, Martinez. Mooterus, Henricus, Tannerus. „ Hactenus Mlodzianowski Tract. 4. Disp. 7. quæst. 1. difficult. 1. apud Joann. Heoricum Wiber in suo pereruditio Libello novissime Anno 1707. impresso Ratisbonæ.

Utut sit, profecto hi termini *infundi*, & *inhærere* nonnisi improprie & in sensu tropico sumi videntur, prout patebit ex dicendis, ubi de Modis & Relationibus sermo erit. Sicut & *Forma* in sua communitate analogica considerata, est modus seu qualitas cujusque rei. Unde dicimus omne Ens factum, habere formam, id est limitem seu qualitatem suæ essentiæ. Ergo forma seu qualitas reperitur in omni Prædicamento, ut alibi ostensum. Sed de his satis. Audiamus nunc Censuras in hanc sententiam. Vide Supplem. VIII.

TRACTATUS XXX DE HOMINE,

I. INter primas veritates merito hæc censeri potest: Nulla scientia melior est illa, qua homo cognoscit semetipsum. Apollinis enim judicio scientiæ humanæ atque intellectus summa perfectio in eo potissimum consistit, ut homo noscat seipsum. Cognitio autem sui ipsius sumitur diversimode; in termino autem Scientiæ latissime, quin & inclusive plures Scientias taliter in unam colligit. Hoc sensu cognoscere se, est noscere naturam hominis, quot nempe partibus describatur τὸ *humanum esse*, qualis nexus earum, quid pertineat ad corporis fabricam, figuram scilicet texturam, proportionem, temperamentum, symmetriam, usum, contenta & continentia, quid animæ subsistentia, & exortus, unde ejus officia, potentiæ, facultates, sensus &c. quæ & quales sint, qualiter moveant & moveantur organa, pluraque

raque alia qui fiant, Physica declarat scientia. Hæc primo noscenda sunt, tanquam rudimenta & primordia rei cognoscendæ: deinde noscenda est necessitas & modus conservationis, quæ aliam requirit scientiam, animæ quoque prolapsus cum statu æternitatis nixtus, cujus respectu requiritur ordinatio status vitæ, ut juxta honestatem ac necessitatem vitæ humanæ possit decurrere ad eum usque terminum, quem præfinivit Omniscientia ex revelatione cognita, quem etiam ætas humana experientiam tradens objicit sensibus. Noscenda hinc suadetur moralitas, prudentiam urget necessitas studere ocyus, quo tramite longius eat animula suo ægre exeedens tugurio. Hæc studia compensat Theologia, Revelatio promovet, & si quod addi potest, a posteriori sumendum, quod pauculum est nondumque satis certum, natura ascendendo & descendendo currens, imo & separando subiliandoque docet. Sed hæc sunt varia diversis scientiis complexa hic eruta & in unam conflata cognitionem, quæ multa dicit sub solo nomine *sui ipsius*. Nam sui ipsius cognitio est medium ad Timorem Domini; timere enim Deum & mandata ejus servare, hoc est omnis homo, teste Ecclesiaste 12. v. 14. timor Domini autem incipit a meditatione mortis (quæ S. Bernardo est Vera Philosophia) & vitæ æternæ.

Hoc argumentum doctissimo calamo pertractavit medico-ascetico Leo a stipite in præclaro volumine quod inscripsit: Religio mentis, e Scrinio Christianæ sapientiæ eruta, ad quem remittimus Lectorem. Nos hoc loco breviter tantum unam alteramve quæstionem circa Corporis humani constitutionem delibabimus.

SECTIO I.

Quid nomine Temperamenti intelligendum?

II. Respondeo cum Joan. Marco Marci Phil. Vet. Restit. Parte 2. sect. 4. pag. 133. Per Temperamentum intelligi debere non primas qualitates, aut harum symmetriam: sed constitutionem cujusque hominis radicalem, ex qua veluti effectus procedunt dictæ qualitates: cujus potissima vis in sanguine, qui est proximum subjectum animæ (sensitivæ) ac primum vivens; cujus gratia corpus universum videtur factum, vitamque ex eo participare. Humidum vero radicale, aut sanguis est, ut vult Harveus, aut certe in eo radicatur (de quo mox plura,) & corpus sanguine destitutum confestim stiget, nihilque in eo manet de temperamento. Sed & sanguis ex se calidus extra venas mox refrigetatur, unaque cum vita, quam ex alio principio habet, suum temperamentum exuit: quia nimirum anima, in omnibus una, per Archeum diversificatur; ad cujus solius mutationem, mutatur in singulis temperamentum. Est vero Archeus (NB.) idearum certo modo & ratione connexarum systema, fluens ab Anima Mundi, singulaque constituens in certo genere & graduentis. Hæ vero ideæ actiones determinant, non solum primas seu fabricam corporis organici; sed etiam secundas, seu earundem partium a se constitutarum usum. Eruca enim non prius volatum exercere conatur, quam enatis pennis mutetur in papilionem. Et Vermis sericeus non prius texit sibi Mansolæum, quam ubi continuo esu ventrem implevit materia velleris pretiosi. Succedit somnus lethæus & longa quies in qua in aliud genus animalis sibi dissimile mutatur, non jam cibi aut texturæ, sed duntaxat prolis suscipiendæ curam agens, ac velut œstro percitus alarum agitatione sociam ad prolificandum inquirens. Locustæ saliunt cruribus longis ex impulsu ad terram: neque idem facit genus araneæ, tametsi μάκροσκελέος. Vermiculus τυρογχύφος seipsum torquet vibratque; idem sibi sagitta & arcus. Neque solum ea quæ per transplantationem; sed etiam quæ aberratione, aut vi imaginationis monstrose fiunt verba, eorundem usum habent sibi notum. Ita quidem ante annos paucos Amsterodami puella, reliquo corpore satis elegans, capite vero suillo atque setis horrido, incessu ac conversatione mulierem; in cibo vero sumendo suem imitabatur, rostrum fœde immergendo. Aliud monstrum in eodem Belgio, uti retulit mihi (Marco Marci) qui vidit, cui pro capite ostreum, quod dum cibum appetebat, se pandebat. Quia itaque capitis suilli exemplar fluit ejusdem fabricæ; eadem quoque ad mores inclinabat porcinos. Ita si caput humanum, in tauri, leonis, canis, simiæ &c. caput degeneret, eorundem mores imitari necesse est. Quid idem de aliis partibus corporis dicendum.

Atque ex his veluti fundamentis Physiognomia ortum habet; satisque elucere videtur, qua ratione inclinationes in vitia & virtutes a cœlo inducantur. Licet enim Ideæ partium corporis architectæ ex imaginatione cœlesti haud concipiantur; materia tamen ab his diversimode affecta in tenuitate, crassitie, opacitate & aliis qualitatibus est in causa, ut idea seminis plastica ob ideam his analogam e chao tum evolutam degeneret a sua puritate & symmetria; vultusque quandoque magis ferino quam humano fit similis.

Secundo ob radicem temperamenti a cœlo varie affectam, quæ ab ipso ortu pro dominio stellarum nobis ingeneratur, juxta illud Aristotelis, sol & homo generat hominem; indeque alii Joviales, alii Martiales, alii Saturnini dicuntur: prout Archeus magis huic quam illi assimilatur; cujusq; temperamentum magis elucet. Cholerici quidem seu iracundi a Stella Martiali ejusque irradiatione, non vero a bile tales effecti; siquidem & bilis, hoc est sanguis calidior, & ira sunt effectus Archei, qui ab eadem stella ideam traxit opificem caloris excessivi.

SECTIO II.

De humoribus Corporis humani, maxime Sanguine.

III. Omnia quæcunque extant apud nos entia, a calore constituuntur variis modis recepto, atque agente, videtur non improbabile omnia sidera esse calida participato calore Solis, ipsorumque effectus esse calidos, & frigus quod præ se ferunt externum esse, ab ipsa scilicet Terra. Quare sicuti non est arbitrandum Solem, cum est in Aquario, facere frigus, sed calorem languidum, quia distat valde a nobis, & obliquos demittit radios: sed frigus a terra effundi & prævalere: ita non est putandum Planetas posse frigus dare, sed ita res afficere, ut a frigore facile patiantur; tali modo non aliud Elementum in cœlo ponendum erit præter ignem.

Item nec quia sunt quatuor anni solaris & lunaris & planetaris tempora, erunt 4. Elementa, ut videtur Hippocrates docere; nam ab ipso Sole quatuor hæc tempora, non ab Elementis, fieri dicemus. Vnde in

Vere

Vere prævalet sanguis similis tepori ejus: in æstate vero cholera, quæ per calorem cœli auctum, augentemque nostrum calorem adusto aliquantulum sanguine, fit. In autumno atrabilis, quantam valde adusti sanguinis fæx est; & non advenit a terra, sed a calore; nec est frigida & sicca, nisi respectu aliorum humorum; quoniam calor æstivus eduxit foras nativum. In hyeme vero pituita abundat, non quod Elementum Aquæ illam faciat, sed quia calor nativus non potest foras in tenuitatem educere partes vaporosas, quia a frigore coarctatur, necesse est eas intra cutem constipari in humores. Sic quia calor languidus solis vapores facit crassos non potens eos attenuare, contingit in aquas concrescere facile ab angustia loci, vel contactu mutuo, vel tenuium abscessu, vel frigore cogente e terra effuso: nunquam ergo aqua generat aquam, sed ipsa sic generatur.

IV. Æque probabile est (quidquid dicant Medici) unum unicum duntaxat in homine humorem esse videl. sanguinem; choleram vero ejus spumam; melancholiam fæcem; pituitam cruditatem. Item dari alios humores plures quam quatuor, ut sunt ros, urina, serum, sputum, & multiplex genus pituitæ & choleræ differens essentialiter, & omnes a calore effici; & tremores febris non a frigore, sed a spiritu fugiente morbificum humorem, sicut in aliis timoribus: & non esse quatuor febres, sed plures, ut quaternitas Elementorum sit voluntaria. Item in Elementis humor est aqua, ergo quatuor humores in corpore essent quatuor aquæ. Stultusque qui bilem vocaret ignem aqueum, id est calorem frigidum. Sed Spiritus igneus & solida moles sunt extrema corporis elementa duo; cætera mediant, ut in natura. Similiter ergo nec revera sunt 4. Anni tempora, sed duo; scilicet Æstas & Hyems: Autumnus namque & Ver sunt partes intermediæ illorum; sicuti dies & nox in diurno motu sunt duo tempora, sed mane & vespere, seu diluculum & crepusculum, sunt ipsorum confines & copulationes. Patet enim quod habitantibus sub æquatore sunt duæ æstates & duæ hyemes: nec tamen sunt duo ignis Elementa & duo aquæ elementa: qui vero habitant sub Polis habent duo tantum tempora ex motu annuo & diurno. Siquidem per sex menses semper illis est dies, perque alios sex semper nox. Ergo duo Elementa; ut videas quaternitatem fieti a diversa actione Solis in diverso situ; similiter & octualitatem sub Æquatore, & dualitatem sub Polis. Ut agnoscas ex duobus Elementis ita variaris posse tot diversitates oriri, ac si essent multa; & laudes ordinem fatalem, & noscas harmoniam a summo Bono; & ignorantiam eorum, qui ab unius Regionis affectione philosophantur, & non a toto Mundo. Sacræ quoque liberæ testantur duo esse tempora, æstas & hyems, cui respondent dies & nox, calor & frigus, ex Gen. 8. nullibi autem autumnus & Ver connumerantur. Ita visum discurrere ingeniosissimo Thomæ Campanellæ Lib. 11. Meth. cap. 8. art. 5.

V. Quæ doctrina non debet Criticis nostri temporis adeo videri exotica & culpanda ut singularis, sed potius ipsi, quod magis oculati sint & occupati in eruendis & arguendis defectibus lucubrationum Eruditorum, qui veritati investigandæ student, quam in formis adinveniendis fundamentis, queis ab aliis excogitata evertant, aut defectum suppleant, cum tamen facilius sit addere, quam proprio Marte quid invenire.

Juvat hic audire supra laudatum D. Leonem a Stipite, quid de Dualitate prædicta, quantum ad præsens & constitutionem hominis, sentiat; itaque P. I. cap. 7. sic scribit: Duo inveniuntur in corporibus animalium principia naturatenus sive ex proprietate mobilia & moventia, hoc est, quæ tam seipsa quam alias organicas partes in motum deducunt; eorum alterum calidæ siccæ, alterum humidæ frigidæ qualitatis deprehenditur. Quælibet natura ea elevatur e succis propriis, qui sibi invicem sic permiscentur, ut non solum tanquam una massa simul circulentur omnesque corporis partes perluant, sed & suis locis a se invicem secedant, diversis finibus præstituti. Uno verbo, sanguis vocatur hæc massa, estque scaturigo tum calidi nativi tum humidi radicalis, ob quorum diversam commixtionem multæ fiunt alterationes naturales, unde & Temperamenta ortum trahunt. Elaborantur quam exactissime quamdiu juxta statum naturæ est, excrementis rejectis atque per varia ostia exturbatis: certis quoque locis & officinis destinantur, ubi expurgantur, subtiliantur, atque vel asservantur tanquam in perfectiori forma ad usum specialem, vel assimilantur, partibus alendis, vel separantur in aporrhæam subtilissimam & materiam rejectitiam. Uti autem non unus sed duo diversi succi constituunt massam sanguineam, ita quoque eorum quilibet suam propriam reddit, diversamque aporrhæam subtilissimam, quarum natura non ad accidentia refertur, sed ad substantiam, eamque corpoream; & hinc eam Physici substantiæ spirituosæ nomine antonomastice indigitant. Utraque habet in se virtutem quandam elasticam, imo & affinitatem aliquam cum altera, per quam sentimus eas usque adeo se exaltare, ut inde perfectio suas nanciscatur in animalibus, præsertim in homine, differentias juxta magis & minus. Est autem succorum sive fluorum animalium pars rubicunda, quæ & pinguis & oleosa, id, cujus proprium est incalescere, calefacere, moveri & movere, alterare, separare & perficere, imo & destruere, hoc est, in quantum ejus particulæ seu globuli, propter admixtas alterius qualitatis particulas plures vel pauciores, aut a se invicem plus minus disjunguntur, aut exturbatis aliis vel quovis modo separatis conjunguntur. Pars ipsa sanguinis, quamdiu calet, semper de se exspirat aliquid oleosi, calidi perquam subtilis, volatilis, quo ipso calor augetur vitaque conservatur.

VI. Notissimum namque est, subtilissimam oleorum distillatorum partem esse prætenuem, sic ut elasticam vim utrinsecus ostendat, quatenus in aura libera se ipsam movet, totaque paulatim gressu invisibili aufugit; contra vero sub balnei calore, dummodo exacte claudantur rimæ vasorum, in fuga data nihilominus coercetur, coarctatur, frigorisque beneficio condensatur in liquorem levem conflagrabilem. Cum autem natura hæc talis sit, ut sponte moveat & moveatur; hoc quidem aere spatioque adminiculante; illud propria vi, sive etiam calore externo irritante, cui etiam accedit, quod post accensionem in flammam mutetur, rursusque ignem subtracto aere amittat; ideo hæc rarefactionis & condensationis, illuminationis & obscurationis actio & passio sufficiat elasticæ ejusdem probationi exaranda, ut plura verba dehinc præteriri queant.

Idcirco succis hujusmodi animalium inest natura & forma calidi, quæ soli debetur oleo, quod ratione vincu-

vinculi spissescit, aut ratione diluentis torpescit, aut denique ratione solutionis volaticum, ac inde valde subtile, mobile & motivum redditur. Hoc nominatur CALIDUM INNATUM, *spiritus vitalis, igniculus*, vel aliter: nec sic solum, sed sunt, qui sulphur nuncupare ausint, quo jure, nescio, cum tamen gaudeat proprio nomine olei. In hac etiam natura est permiscibile ardenti spiritui, quin & urinoso, hinc acido, hinc aqueo, hinc salso, hinc lixivo, hinc terreo, & pro ratione mixturæ & modi habet suas in partibus contentis & continentibus actiones, pariterque hinc passiones suscipit, e quibus etiam per ignis vim violenter expellitur, transeat ergo, si cui placeat, sub titulo principii.

VII. Si quæras quot partibus constet cruor sive massa sanguinea? Respondeo I. cum mox audito Authore. Duplici constat succo liquido naturali; quorum unus, quamprimum frigido aëri exponitur, concrescit in grumum sive coagulum purpureo-nigricans: alter ut Igni admodus lentescit & inspissatur, ita in frigido manet liquamen aquosum, quod vocatur SERUM sanguinis, *latex, lympha* &c. Hic succus multa perluitur aqua, eoque est vehiculum sanguinis, nec non diversorum salium inter se dimicantium & alterabilium sentina, unde colluvies, diluvies, illuvies, serosa sua deducunt primordia: quin & alter, rubeus scilicet, suscipit terrestres fæces sive corpuscula adusta & adustibilia inertia, quæ vel ab eo rursus separantur per vasa secretoria, vel a particulis, oleosis liquantur.

Vterque succus ignis examini subjectus exhibet phlegma, oleum, sal volatile & terram inutilem. Ast qui serosus vocatur, uti abundat sale volatili, ita parum olei continet: contra concretus longe plus olei, tantoque minus salis volatilis exhibet, quæ tamen ambo necdum comparari queunt cum portione terræ inutili, cujus tanta copia est, ut ei valde parum sub distillatione decessisse videatur. Hæc terra calcinata, sicut & ossa, nil salis fixi continent, sed in merum infusum facessunt cinerem, qui & ipse cum metallis & salibus fusus liquescit in vitrum. Id procul dubio inde fit, quod sal volatile (urinosum vocant) caret prehensionis potentia, quo fit, ut una cum oleo deflagret: secus fit in vegetabilibus, ubi adjunctum acidum habet, cujus ratione cum oleis fixatur.

VIII. Spiritus itaque sanguinis nil est aliud, quam subtilissima pars olei sanguinis & solis volatilis ejusdem: hic autem Sal, cum non sit acidus, vocatur communiter urinosus.

Resp. 2. cum Authore Phil. Burg. tom. 6. parte 3 cap. 4. Non probari vulgarem Medicorum opinionem qua Sanguinem ex 4. humoribus, bile, sanguine proprie dicto, pituita, & succo melancholico constare, ut indubitatum artis suæ fundamentum defendunt. Nam serum illud subflavum, quod sanguini innatat, nihil habet cum bile commune nisi forte colorem, neque instar bilis est amarum, nec ubique se prodit. Sic ater aut purpureus sanguis, qui in fundo lancis subsidit, melancholia dici non potest: cum sapore non sit acidus, sed dulcis, neque aliud sit præter fibrosam sanguinis partem. Quin etiam aeri expositus atrum illum colorem exuit, & rubro dilutiore tingitur. Deinde quo vase profundiore excipitur, hoc major est hujus subnigri sanguinis copia. In contrarium il peccant, qui in sanguine nullam esse partium diversitatem pertendunt: in qua sententia fuit Harvæus, qui nullum esse aliud calidum innatum, aut humidum, primigenium existimavit præter sanguinem, qui est uniusmodi & sui similis ex quo animal ipsum formatur. Nam eo, inquit, aliter unumquodque, ex quo ipsum gignitur. Idque, ut patet, non mistione quadam aut miscibilium congressu, sed vera unius in alterum mutatione perficitur. Primum enim, inquit, corporis rudimentum est similare quiddam & uniusmodi, ex quo velut divino jussu per divisionem, & mutationem substantialem sanguis, venæ, arteriæ, viscera, partes omnes finguntur; atque ex re similari fit quoddam dissimilare, & ex uno plura. Ac frustra ad Elementa confugimus, ex quibus non constituuntur corpora. Neque id ex omni parte est verum, ex iis componi corpora, in quæ resolvuntur, sic enim lignum constaret ex cineribus, vitro & fuligine.

IX. Attamen si cum Leone a stipite anatomen sanguinis instituere velimus, cum ex rubro & seroso humore potissimum constare comperiemus. Latex serosus & bilis, si quæ sit in sanguine, aut portio chyli, aut si forte sint alii humores excrementitii, vel nondum subacti, ii quidem sunt sanguini vehiculo aut certe succi nutritii. Ac si post cibum, aut sub primos febrium intermittentium insultus mittas sanguinem, is multo sero abundabit; non item post longam inediam, aut magnum urinæ profluvium, aut copiosum sudorem. Hinc tot morbosæ effervescentiæ: nullus enim est liquor qui citius fermentescat quam sangvis, ac merito cum vino ipso conferri solet.

X. Recte quoque dixit Hippocrates esse quiddam in sangvine, quod *impetum facit* (nempe Spiritus Salini, de quibus alibi) & est quasi flamma sangvinis: atque ut vinum suo Spiritu destitutum jam vappa est, non vinum, ita sanguis Spiritu exhalato, cruor potius quam sangvis dicendus est, tumque soluto suæ mixtionis vinculo in varias partes abit, quæ prius erant accurate permistæ. Quare Spiritus ille aut calidum innatum, aut humidum primigenium appellatur, & est omnino cœlestis, quatenus animæ & supremi numinis est instrumentum, isque est actu in sanguine, imo Campanella ipsissimam putat esse animam. Et hæc de Sangvinis parte rubea primariaque. Restat ut quædam de Sero addamus.

XI. Est autem Serum humidum illud, quod potius vicinum dici debet quam commixtum, fluor scilicet pellucens aquosus, qui non est parti rubenti sangvinis intime mixtus, sed tantum confusus beneficio motus & agitationis; procul dubio hac ratione ut facta temperatura excoquatur, purificetur & incrassatur serum a tabo, seu parte rubea sangvinis eoque magis perficiatur in succum alibilem. Hoc edocet separatio utriusque ab invicem facta statim, a quo emissa sanguinia e vena portio quiescit motu ablato; imo perspicaciores moderni sæculi Viri per mechanicam demonstrarunt rubeam sanguinis portionem fluctuare ad instar globulorum minimorum in sero, tamquam in suo Elemento. Hunc succum lubricum, quem Serum, laticem, lympham, succum lymphaticum, sanguinem album, albumen, succum albugineum &c. vocant, & aliter pro ratione admixtarum particularum heterogenearum. Exinde videre est, quod Serum hoc sive lympha, sit sola, unica & univoca materia qua (exulante hinc sanguinis rubra parte, vel qualibet alia impura materia) omnes corporis partes aluntur; e qua conficiuntur spiritus animales, imo quod ex ea sola fiat materia seminis, albuminis ovi, unde pullus, partus, omnia scilicet animalis mem-

membra, partes & succus uterinus alibilis gignuntur. Prout id abunde docuerunt eruditissimi nostri sæculi curiosi Harvæus, Glissonius, Malpighius, Barbatus, Warthonus, Willisiue, Charleton & alii, ita ut cum horum doctrinæ vix aliquid addi possit, sat erit vel ipsorummet opera, aut compendiosius apud authorem Phil. Burgund. tom. 6. legere.

XII. Id solum notandum, quod Serum, quia aquosior pars sanguinis, qua cruor diluitur, ac velut traha circumvehitur, ad omnes partes, est præstantissima ac depuratissima pars Chyli, tunc demum particulariter apta nutritioni, cum major aquæ portio cum immistis heterogeneis salibus & fæculentiis per urinam, sudores aut insensibilem transpirationem est ab eo separata: quo accedit opus esse, ut & sanguinis pars rubea e chylo excoquat sibique usurpet ole sas igneas particulas aptas fibrillationi in spiritum ardentem seu calefacientem, quem vocant VITALEM, crassioribus pinguibus in omenti & adiposæ membranæ pinguedinem cedentibus. Sic denique præparata lympha parum lentescit, similisque redditur albumini ovi quassato. Quod si quis eam admoverit igni, crassescendo paulatim acquirit lubricitatem, taliterque currit per gradus coagulationis & fit mucida; tum viscida, tum tenax ut gluten, tum coreacea sic ut nequeat disrumpi: continuato autem igne adeo siccatur, ut queat teri io pulverem, tandem comburitur in carbonem. Sed isthæc ejus portio est minima, minor adhuc in oleum distillationem; maxima vero in aquam, & non exigua in salem volatilem separatur, hinc frigida nuncupanda est.

XIII. Manifestum ex his redditur lympham 1. per calorem gradatim spissari. 2. eam hioc esse materiam omnis tenacitatis & siccæ incorporationis partium. 3. materiam quoque esse omnis excrementi mucidi, tam in massa sanguinea fluctuantis, quam vasa angusta & meatus obstructionis, tum etiam per loca excretoria emuncti, & hanc materiam excrementitiam vocarunt Veteres PITUITAM dulcem, tenuem vel crassam, viscidam, vitream &c.

Lymphaticus iste humor comitem habet humorem rubeum calidum, cujus ope incalescat, & sic in locis determinatis potest facessere in spiritum, vel in rorem alentem spissari & assimilari. Inde verificatur axioma quod inde constamus, unde alimur, & vice versa, imo & hinc facilius intelligimus ea, quibus alias notitia Nutritionis est obscurata; de quo mox plura.

Videtur porro hanc Lympham esse ex proposito Naturæ immediato; cruorem vero ex mediato: & sic fieri cuncta pro ea per essentiam, pro hoc autem per accidens; id quod in piscibus minoribus, qui sanguine propemodum carent, perspicuum redditur.

XIV. Quæres: An tota hæc lympha, cum exacte depurata est, careat excrementis, sitque apta ut tota vertatur in spiritum? Resp. Id quidem quodammodo videri explicatu difficile, quoad est alter, ut aqua, Protheus admirabilis, qui suo modo, suisque in locis totaliter fere in spiritum mutatur: contra vero iisdem aut aliis locis aliove modo in merum degenerat excrementum, quin etiam in hunc, vel illud separatur: alibi vero in forma liquoris impermutati persistit diutius, prout hæc omnia determinantur a calore, vel motu & qualitate rubeæ sanguinis partis, sive prædominantis sive deficientis, tum & a salium commistione. Sic observamus furiosos, macilentos, hecticos, atros, studiis impensè deditos carere Coryza, sputo, aliisque pituitosis excretionibus, cum totus fere succus nutritius eorum facessat in spiritum. Hinc viget phantasia; hinc vigilant, student, calent, contendunt, disputant, sunt iracundi, suspicaces &c. Econtra obesi, phlegmatici, ingluviosi contrario modo se habent, quatenus sputo & destillationibus sunt obnoxii, somnolenti, inertes, frigidi, pacati &c. vitam quasi mere excrementosam, non tam ducentes quam trahentes. Deinde utut Serum in sanis est exacte depuratum, atque in præfatis 1. Classis hominibus totum in Spiritus versum: nihilominus tamen in posterioris classis hominibus satis adhuc excrementosum apparet; qua ratione quæstio difficilis explicatu judicata est; nam in his facessit Serum in halitum nutrientem ex parte, sive in spiritum suæ temperiei; ex parte autem in excrementum: ast separatio ejus diversis modis fit, tum scopi, tum potentiæ ratione. Sic cum in hominibus atrabiliariis, furiosis, impenso studio deditis serum successive in merum vertitur Spiritum, non potest fieri ut hic sit purissimæ iodolis, sed potius halituosæ, & secus quam par est calidioris. Eo autem, quod id, quod excrementosum est, a nimio sanguinis calore, una cum parte subtiliori in halitum vertitur, fit, ut facta turbatione violenter moveatur spiritus: hinc mores vitiosi sequuntur vitiatum spiritus temperamentum, quod fusius AA. exponunt: quin etiam sic Spiritus halituosi difflantur patientibus cutis meatibus, unde sua corpus defraudatur alimonia, fitque macrum ac marcidum. Plura de his vide in Tract. 17. n. 36. de Nutritione.

XV. Est ergo Serum sanguinis materia corporis alibilis, cum adhuc fluor benignus ac purus est: secus fit si a calore immoderato, qui copiosiorem sanguinem sequitur, inspissatur, tunc enim fit excrementum pituosum, quod parit obstructiones, estque viscum sive materia salium, quæ in ea mutuo concrescunt in forma minimorum Chrystallorum aut granulorum alborum, vel tinctorum, quæ per ejusmodi mucum viscidum, tanquam cæmento ferruminantur in calculum. Quapropter qui sanguinis minutione plethoram tollunt, liberantur a fibrosa seri concrescentia, & fiunt agiliores, quia spirituosiores.

XVI. Serum quod crassum est, inidoneum est rarefactioni (sicut etiam quod nimis aquosum est) nec sunt ingeniosi qui muco abundant, quoniam simul sale salso saliuntur coagulaote, qui ob crassitiem mixturæ non potest subtiliari. Saliuntur, dico, simpliciter noo metaphorice, nam sapientes inde non redduntur juxta diverbium, siquidem sat sit volatilis necesse est, qui sublimatur in sapientiæ capitolium, contra sal fixum terram tantum sapit.

SECTIO

De Humido radicali.

XVII. Cum in prioribus sæpe mentio facta sit de Humido radicali & calore innato, hac sectione juvabit audire sapientissimum Episc. Abulensem, Alphonsum Tostatum, qui ob raram scientiam, pro ætate sua, Stupor Mundi dictus, aptiore elogio, quam quidam Amicorum hodie compellavit Zacchiam Omniscium: cum constet nullam mortalium reperiri, qui non millies plura ignoret, quam sciat. Hic itaque subtilissimus Doctor Alphonsus in cap. 22. Matth. q. 243. sic ait: *Humidum radicale est illa substantia, quam fœtus trahit ex*

parentibus: & vocatur *radicale*, quia radix est & fundamentum corporis, ex eo enim formatur corpus. *Humidum* vero dicitur, quia tota materia corporis humani habet quandam determinatam proportionem humiditatis, sine qua anima non posset informare illam materiam. Non ergo dicitur radicale ex eo, quasi semper maneat distinctum secundum materiam & proprietatem ab humido ex alimento generato; sed quia calor naturalis in illo humido tracto a parentibus prius existit, quam in humido ex cibo generato, cum illud postea adveniat. Et illud etiam quod permiscetur, non participat speciem, nisi ex virtute illius humidi, cui permiscetur, & ideo humidum illud primum est radix totius illius, quod ex alimento convertitur: non autem ita, quod utrumque humidum post finem digestionis ultimæ maneat distinctum, sed totum permixtum mixtione completa accipit unam proprietatem, & utraque materia scilicet illa, quæ prius suberat primo humido spermatico, & materia quæ subest humido cibali postea advenienti, æqualiter se habet, ad hoc quod fluat & refluat, & ad hoc quod virtutem speciei participet.

Quando ergo dicimus consumi humidum radicale, non est sensus quod fluat materia quæ subest humido, sed quod non manet proprietas, quam totum mixtum habet ex virtute primi humidi. Si autem illa virtus pereat, non potest restaurari, & dicitur tunc perire humidum radicale, quando virtus, quæ est totius mixti & tracta fuit in humido derivato a parentibus, perit. Hinc Medici dicunt, quædam membra composita ex humido radicali esse, ac ideo semel perdita restaurari non posse, quod sic intellige. Semen uniformat ad menstruum muliebre, quod est materia fœtus; & illud menstruum est homogeneum & uniforme, & tamen propter virtutem totius speciei derivatam in semine masculino formatur menstruum fœmininum ad omnes figurationes humani corporis, & tunc virtus illa est in semine masculino originaliter & virtualiter, & sicut in arte est, ita implicite in menstruo: causatur autem & manet explicite, sicut in artificiato. Nam ars existens habitus indivisibilis contine implicite omnes figurationes, quas format in artificiatis; nam si non haberet, non posset producere in artificiato, sunt tamen in artificiato explicite, quia una pars figuræ vel lineamenti est in una parte figurati, & alia in alia. Ita semen viri existens indistinctum in parte qualibet sua, quæ formativa est, habet totam virtutem formandi omnia lineamenta & figurationes corporis humani: Menstruum tamen non potest recipere omnes lineationes in una eademque parte; sed pars in parte est, & cum formantur istæ lineationes in menstruo non solum manent ibi per impressionem & quasi materialiter & passive, sed etiam manent virtualiter & effective, scilicet ad posse efficere similes lineationes: & quia in qualibet parte artificiati vel figurati corporis est unus modus figurationis, ideo in parte illa manet virtus ad efficiendum & continuandum illam figurationem, scilicet ut quando augeatur manus, augeatur secundum modum figurationis, quam accepit a principio & nil varietur: quod fieri non poterat, nisi esset ibi determinata virtus quæ hoc efficeret, ut puta quando manus formatur a principio, sunt radices digitorum crassiores quam extremitates, nec sunt digiti æquales grossitie & longitudine, & iste modus proportionis servatur in crescendo. Signum ergo est quod quælibet pars habet specialem virtutem, secundum quam reguletur ibi humidum ad faciendum augmentum, & quia quodlibet membrum habet multas partes dissimiles, uti apparet in manu, non solum erit una virtus quasi ejusdem rationis, quæ regulet manum ad augmentationem pro tota manu, sed in qualibet particula est determinata virtus, secundum quod illa est dissimilis aliis: & ob hoc si unus digitus vel pars digiti abscindatur, non renascitur; non quidem ex defectu alimenti, sed ex defectu virtutis formativæ & regulativæ pro illa parte alimenti convertibilis. Et hæc membra, in quibus est talis determinata virtus vocantur SPERMATICA, id est ex menstruo vel ex humido radicali, quod pro eodem sumitur.

XVIII. Hinc deducitur ratio, qui manere dicatur idem numero homo materialiter per totam vitam. Fit nempe sic: Quia statim ut fœtus conceptus & formatus est, incipit nutriri suscipiendo alimentum, & illud quod gignitur in corpore ex alimento, permiscetur, & quod prius erat ex parentibus tractum, & ex omnibus efficitur unum mixtum, cujus omnes partes æqualiter participant virtutem speciei; hæc est enim natura perfectæ mixtionis. Et de isto mixto fit deperditio continua per actionem caloris resolventis; & ista deperditio fit de utrisque partibus (nempe humidi radicalis & alimentitii) simul proportionaliter scilicet secundum proportionem magnitudinis partium tractarum ab illis. Quod sic intellige. Si in una die fit deperdino unius unciæ carnis vel sanguinis de corpore hominis, & homo habeat duplum de partibus spermaticis quam de advenientibus ex cibo, deperdetur duplum de partibus spermaticis, quam de cibalibus, id est, de materia tracta in semine; ratio est, quia ipsæ partes vel membra, quæ dicuntur spermatica, non resolvuntur, sed semper manent, sed aliquid quod in illis est secundum materiam perit. Et causa quare sic fiat, est, quia in eo quod nutritur & augetur, totum, & quælibet pars nutriti, proportionaliter nutritur & augetur, ut patet ex proportione remanente, facta quantacunque augmentatione totius, & similiter fit in diminutione.

Ex quo sequitur 1. quod necesse est, ut deperditio per actionem caloris in quolibet membro, & particula membri, fiat proportionaliter de eo, quod venit ex semine, & de eo quod ex alimento genitum est, quod illæ partes sunt jam permixtæ & reductæ ad eundem gradum virtutis, & ita recipiunt æqualiter actionem caloris.

XIX. 2. Quod quia semper minuitur proportio partium materialium spermaticarum, itaque minus manet de materia spermatica in homine circa annum vicesimum, quam in principio vitæ, quod, inquam, plus pereat de spermatico in omnibus resolutionibus, quæ fiunt in tenera ætate, quam quæ fiunt in adulta. Et ista est ratio, quare ægritudines, quæ adveniunt homine in parva ætate plus noceant & diminuant virtutem, quam morbi in adulta ætate. Nam quanto plus procedit ætas tanto est mixtum habens virtutem speciei in minori gradu perfectionis, & ideo etiamsi multum secundum materiam resolvatur in matura ætate, modicum de virtute perit; in tenera autem ætate, cum pauca resolutione materiæ fit magna deperditio virtutis.

XX. Sequitur 3. Cum resolutio fiat proportionaliter, non finiatur una pars, nisi finiatur & altera, quantum-

tumcunque unum ſit majus altero, & ita ante finitionem deperditionis omnium particularum materialium ſpermaticarum finitur vita. Vnde ſemper manet idem numero materialiter homo, quoad aliquas partes ſpermaticas, & quidem in quavis Spermatica parte aliquid quantumvis modicum.

XXI. Adverte tamen partibus ſpermaticis nunquam fieri additionem, ſemper tamen partibus alimentitiis. Hinc modica debebit eſſe deperditio partium ſpermaticarum quoad materiam, ſemper tamen major & major quoad virtutem & ſpeciem naturæ. Habet enim ſe homo per nutritionem & augmentationem ſicut mixtum ex vino & aqua; quo plus enim aquæ affunditur vino, eo redditur debilius & tandem tranſit in tertiam ſpeciem; ita per ætatem corpus humanum, ita ut per nimiam ætatem etiam diſpoſitiones pro anima pereant. Hinc colligitur partes aggeneratas in juventute plus participare de vigore & virtute congenita, ac conſequenter magis ſpectare ad veritatem naturæ hominis, quam aggeneratæ in adolta ætate: Vnde & in reſurrectione partes illæ reſurgent in eo homine, ad quem, aut in quo magis pertinebant ad veritatem naturæ: hinc caro pueri comeſta a viro reſurget in puero, non in Viro. Hucusque Abulen.

TRACTATVS XXXI
DE
IDEIS.

SECTIO I.

De quidditate Ideæ, & neceſſitate ad ſcientias & operationes, & de Idea Divina & naturali & animali & rationali: item de controverſiis inter Theologos non ſecus atque inter Philoſophos de Ideis differentes.

I. IDealis Cauſa eſt, per quam agens & cognoſcit effectum poſſibilem, & facit ad ipſius ſimilitudinem, ideoque non poteſt agens, niſi caſu & temere, absque idea operari; & ſic nec magis faciet A. quam B, ſi non habet ideam ipſarum. Sic Moyſes per exemplar, quod monſtratum eſt illi in monte, cognovit tabernaculum faciendum, ac ad illius certam ſimilitudinem fecit. Sic quilibet artifex primo concipit intellectu rem faciendam, deinde facit. Alioquin aut nihil, aut quod non vult, facit. Idea igitur eſt in intellectu agentis, non formaliter ſed objective; non enim quatenus intellectum informat, eſt cauſa, ſed quatenùs artifex in ipſam inſpicit intellectus, faciendi modum diſcit.

Poteſt ergo exemplar eſſe intrinſecum vel extrinſecum. Pictor enim vultum Papæ vivum inſpiciendo, noſcit Papam, & juxta illam notitiam depingit: has ideas extrinſecas negat S. Ambroſius in opifice Deo. At cum aliquid excogitat & adinvenit ad pingendum, cujus non habet exemplar in rerum natura, tunc Pictor intrinſecum habet exemplar a ſeipſo productum, quod inſpiciendo pingit. Et has Ideas intrinſecas Auguſtinus, Juſtinus aliique Theologi ponunt in Deo. Verum quidquid excogitant artifices humani, & quælibet cauſa ſecunda, non a ſe excogitant, ſed exemplaria naturæ componunt vel dividunt, vel ſimul componunt dividuntque in mente ſua, & ad illorum exemplaria tanquam nova, deinde extra operantur: at nova non ſunt, aliquo enim pacto præceſſerunt. At Primus rerum opifex exemplaria ex ſe produxit, alias non eſſet primus. Scotus arbitratur ab æterno Deum produxiſſe ſingula entia in eſſe cognito in mente ſua, & hæc eſſe exemplaria & ideas rerum faciendarum. Lapis ergo productus in eſſe cognito eſt cauſa lapidis producendi in rerum natura.

Hæc opinio valde convenit Platoni, qui Ideas non in cœlo, aut aere, aut terra ponit, ut Ariſtotelici falſo illi imponunt, ſed apud Regem Opificem omnium ut patet in Timæo, in Parmenide, & in Epiſtolis. D. Thomas neceſſario ponit Ideas in mente Dei, &, vitando multiplicitatem dicit, eſſe ipſam divinam Eſſentiam, non naturaliter, ſed objective: nam quatenus Deus cognoſcit illam pluribus modis participabilem & imitabilem a pluribus rebus, poſſibilibus ut ſint; eatenus eſſentia illa ſua eſt Idea, & tot ideæ, quot modis poteſt participari; quæ rationes ſunt cognoſcendi duntaxat earum rerum, quæ nunquam fuerunt, aut ſunt, aut erunt, & pertinent ad ſpeculativam ſcientiam Dei: rerum faciendarum vero ſunt etiam exemplaria.

II. Eſt ergo Idea eſſentia Dei, & relatio ſimul ad creaturas: non ut duæ res, ſed una res determinabilis, ac determinatio ejus. Nec prius intelligitur eſſentia ut imitabilis & determinabilis, & mox ſequitur reſpectus idealis: ſed ipſa intellectio eſſentiæ Dei, ut imitabilis, eſt conſtitutio reſpectus Idealis. Nec enim Deus intelligit res extra ſe diſtincte, quia ideas intuetur, ut artifices humani & cauſæ ſecundæ: ſed quia perfecte ſeipſum intelligit, intelligit etiam ſe omnibus modis imitabilem, & ita intelligendo conſtituit omnes ideas ſola intellectione neceſſario ante actum voluntatis liberum; a qua voluntate dein determinantur quædam ad opus: unde plures videntur ideæ ſpeculationis quam operationis; plura enim Deus poteſt facere quam fecit. Et hoc eſſe rerum objectivum, ut in Deo, eſt ens reale & idem cum eſſentia Divina, ut imitabilis eſt. Poteſt tamen dici entitas realis, Deus ad intra, at vero ad extra Rationis, id eſt, artis. At iſta identitas in cauſis ſecundis reperiri nequit; eorum enim verba & cogitatio erga objecta, accidens eſt, & quod facit vocatur ens rationis imaginativumque.

III. Et quoniam Deus intelligendo totam eſſentiam ſuam, & modos imitationis ejus, & non imitationis inſuper exprimit in ſe ipſo propriam imaginem, quam Stoici etiam, nedum Theologi Chriſtiani, vocant Verbum Dei, per quod omnia facta ſunt: ideo Thomiſtæ Verbum procedere ex notitia eſſentiæ & creaturarum, entium & non-entium, or cognitorum, & unicum eſſe; quoniam importat relationem ad cognoſcentem & dicentem, & exprimentem primo & per ſe, & ex conſequenti ad creaturas expreſſas.

IV. Plures autem eſſe Ideas in Verbo, quia idea reſpectum ad creaturas primo importat. Et quia hic reſpectus ſequitur ad cognitionem, & non actionem, ideo æterni ſunt hi reſpectus & non in tempore. Et quidem poſt Verbi productionem, ideas produci conſequenter, ut putat

 Scotus,

Scoms, non valde convenit, quoniam essentia antequam intelligatur est plurimis modis imitabilis & omniscia. Ergo sunt Ideæ fundamentaliter in essentia prius, sicut impressa in nobis notio ab objecto; sed constituuntur posterius ab intellectione expressiva. Hinc ex totali omnium possibilium & actualium intellectione simplici unica actuali, non procedente de potentia ad actum, nec discurrente, emanat Verbum, alioquin non toticiparet, sed participaret Divinitatis perfectiones. In quo Verbo, quia relucet scientia rerum, ut sic, & ut faciendarum, omnia per ipsum facta esse testatur Evangelium, & sine ipso nihil; quoniam non-entium est manifestativum tantum: entium vero manifestativum & factivum. Scotus considerat Verbum, qua Dei est Sapientia, non qua Ars. at D. Thomas utrumque. Sed hæc Theologis relinquamus.

V. Aristoteles quidem negavit Ideas, & putat esse metaphoricum dictum, transumptum ex artificialium factione, & sufficere putat, ut simile producat simile, homo hominem, ignis ignem: nam, inquit, si ita non esset, posset nasci virtute ideæ etiam homo ex non homine. Sed profecto impie stulteque loquitur. Cum enim neget Deum esse rerum Opificem, sed Mundum, & ea quæ in ipso continentur, æternet: consequens est ut nulla sit idea in Deo, neque extra, nisi in artificibus, qui naturam imitantur.

VI. Nos autem agnoscimus artem imitari naturam, & naturam Deum (quæ recte dicitur Ars Dei) & Deum excogitasse, quæ fecit, ac præsanum esse, ut ait Zeno & Chrysippus, & non quasi instrumentum inanime, non intelligens, quæ facit: nec sicut ignis ignarus ignificationis propriæ, temere diffusis usquequaque viribus, sed ordine certo, numero ac mensura opera sua edere, necessario ideas ponimus. Falsum quoque est semper a simili simile edi: namque animalia multa nascuntur ex terra humefacta sæpe sponte, & non ex animalibus; & plantæ multæ, & lapides & metalla, ut incessanter experimur, ex non plantis, nec seminibus, & ex non lapidibus, & ex non metallis: & primus homo, & prima ficulnea, & primus Elephas nequaquam sponte nasci potuere, nisi ab Artifice Deo. Imo nec nunc musca facit muscam, sed vermiculos; nec ex ranis semper rana oritur, neque pediculi & vermes in ventriculo, ex vermibus & pediculis fiunt, idea ergo dat similitudinem: causa vero univoca est quasi vas & siscella similitudinis in Compositis; in simplicibus vero est ut natura, quoniam calor facit calorem.

VII. Videmus præterea horum Elementorum concursum esse temerarium, nec unquam potuisse ex his, quæ propriam duntaxat amplificationem & contrarii destructionem intendunt, curantque, tam affabre elaborata entia summo magisterio, & propter fines & usus certos fieri, nisi ab Artifice longe potentissimo, longe sapientissimo, longeque optimo ad tales productiones corrigantur. Nec enim ignis & metallum & lima ad formam gladii ex se perveniunt. Et Arist. ipse deridet eos, qui Mundum & secunda entia casu fieri posse docent. Sed enim melius tantum opus opifici committitur sapientissimo, quam Fortunæ, & in hoc laudat Anaxagoram, qui præficit Mentem. Quomodo ergo nunc naturæ stupidæ & ignaræ, ideas respicienti nullas, ideatorum entium compositionem mirificam ipse committit? sicut qui juberet non præhabenti ideam A. & B. has scribere literas.

Cum autem Peripatetici ajunt, aliquid simile semini in putrefactionibus inesse; alii vero a Cœlo, vel cœli anima sponte nascentia efformari: nihil dicunt: etenim illud simile semini a quo factum est simile? Non ab alio simili: ergo si non a casu, a Cœlo, vel Deo. Si a Cœlo, ergo cœlum habet animam, ideis fœcundam. Et si est factum, a prima causa accepit animam, ergo in prima Causa præexistunt ideæ.

VIII. Stultum præterea est, putare, hominem per se generare omnino principaliter hominem, qui sane ignorat quot sunt partes in corpore fabricando, quot ossa, nervi, humores, quibus vinculis colligata, quibus usibus applicata insint. Quapropter concurrit homo ut instrumentum, respectu Dei, ad fabricam hominis, fabricam non intelligens, ut dicit mulier in 2. Macchab. & D. Hieronymus in Epistolis, & ab idea Dei fit formationis modus, sicut Stoici per Verbum hæc celebrant. Galenus etiam, quamvis Atheus in lib. de Sem. & in 17. de usu part. obstupescens confitetur Causam primam rerum formatricem, & Avicenna Cholcodeam; & Alexander Intellectum; solus Aristoteles stupido & inanimato summi opus summi artificii stupidus ipse committit.

IX. Platonici & D. Augustinus, & novissime Franciscus Patricius, nedum ideas, sed etiam virtutes seminales (de quibus alibi jam egimus Tract. IX. sect. 1.) ab ideis derivant in Mundum, ex quibus fiunt, & quæ sponte, & quæ ex certis formationibus nascuntur. D. Thomas virtutes activas Elementorum putat esse idearum semina; addit tamen cum Origene assistentiam Angelorum; & profecto propinquius ad veritatem, Angeli enim præsunt rerum generationibus & formationibus: unde Boetius dixit, formas materiales a formis immaterialibus oriri; non quidem (inquit S. Thomas) de ipsorum substantia, nec de nihilo, sed de concinnatione elementorum, ab Intelligentiis non errantibus ad certam formam exprimendam, quæ est participatio Divini esse. Fato enim supra Tract. XXV. exposito, Necessitate & Harmonia influentibus in rerum Universitatem a Conditore adiguntur Elementa ad rerum formationem: forma autem est modus ideæ respondens, ab ideatoribus per talia instrumenta impressa materiæ.

X. Præterea in cunctis rebus præexistunt similitudines propriæ, imo & entitates, quæ in eis sunt ipsa essentia, & cognoscitur a cunctis naturali cognitione abdita & innata. Ignis enim se ignem esse sentit, & vult, & consimiles ignes, ad quos fertur; sic & tellus tellurem; & inimica entia mutuo se feriunt, & tanquam nota inimica sibi invicem adversantur. Ergo producentes sibi similem qualibet res, ideam habent propriam essentiam, ad cujus similitudinem producunt; & sicut Artifex ideam propriam inspiciendo, id est excogitatam, architectatur artificiata; ita natura instinctu Dei qualibet naturalia. Ergo datur Idea naturalis, ut ignis in igne, quæ est sua essentia ut cognita, & ut possibilis multiplicari; & tandem ut volita multiplicari. Omne enim agens potest, sentit & appetit suam diffusionem, potestate, sensu & appetitu, aut naturalibus, aut animalibus, aut rationalibus. Unde datur & artificialis; sicut scripturæ hujus in mente mea, quam exprimo quatenus scriptor, non quatenus homo; ut homo enim bo-

minem, ut scriptor scripturam facit. Deus autem & Artis & Naturæ similitudines eminenter præhabet, & qualibet similitudo & Idea secundorum entium, a primis effluxis ideis & propagatur, & multiplicatur, mutabiliter apud nos juxta multiplicem participationem primarum: & sicuti Naturam diximus Artem intraneam esse, ita in ipsa ponimus Ideam. Semen enim ficus ficulneas & ficos edit: semen castaneæ castaneas, & frumenti frumentum, quoniam servat ideam, quam a generante frumento contraxit: & sicut ibi ramos, folia, stipitem & spicas efformavit & nutrivit, ita & in semine terræ commisso, facit, terram alterando, & in substantiam suam & partes, qualiter in patente fecerat, efformando & concinnando. Non tamen facit id, quod est alterius seminis, quoniam suam modo, & non alienam ideam & artem habet: sicut ferrarius ferramentorum habet artem, non vestimentorum. At Deus, qui omnium ideas habet non ex animali animal semper, sed undecunque vult producit: Ipse enim est forma omnium formatum teste Augustino Lib. de verb. Domini.

XI. Habet & Cœlum ideas, non primas, ut putant Ethnici Astrologi in suis figuris, sed quasi sigilla primarum, per quæ formæ inferiorum ab ideis & ideatoribus imprimuntur. Hoc autem sympathia inferiorum cum Asterismis cœlestibus & vultibus declarat. Propterea non intelligunt stellata signa quod faciunt: sunt enim sigilla instrumenta sigillantis, & ut sic virtus cœli ex non seminibus producit imperfecta. Quæ enim perfecta sunt, etiam proximis indigent causis seminibus & dispositionibus. Non enim homo nisi ex homine, sed non sine cœlo ut sigillo; nec sine calore & frigore, ut instrumentis activis, imo neque artes. Cœlum enim (ait D. Thomas in opus de fato, & de occult.) ordinem dat rebus, & naturalibus, & artificiatis.

XII. Ergo datur idea divina & intellectualis, & rationalis, & animalis & naturalis, scilicet in Deo, in Angelis, in homine, in ave nidificante, & in Igne ignem producente ad sui similitudinem, quæ etiam in homine cum agit naturaliter.

SECTIO II.

Doctrina Idearum amplius declaratur.

XIII. Prætermissis Ideis Theologicis, ad physicas & naturales Ideas, non Deo inexistentes, sed rerum naturæ a Deo ingenitas transeamus. Has aliquando Philosophi vocant *species insensatas* (hoc est non a sensibus externis haustas) easque in brutis animantibus admittunt, non sensuum ministerio, vel cujusquam instructione acquisitas, sed a natura impressas.

Quis enim (ajunt) lanæ conficiendæ bombycem, telæ contexendæ araneam apes favorum, formicas horreorum, hirundines aliasque aviculas construendorum nidorum rationes docuit? quis leporem instruxit timere canem & non cervum, etsi deformiorem? quis pullum timere milvum, & non pavonem aut struthionem etsi grandiorem? quis leoni unguium, bovi cornuum, equo calcium usum ostendit? quis rutæ & origani vim contra serpentes ciconiæ revelavit? quis palumbos, graculos, perdices, merulas lauri foliis annuum fastidium purgare; cuculum ova sua in nido alieno excludere testudines eadem arenis a sole calefactis excludenda infodere docuit? Leonem febricitantem esu simiæ medelam sibi quærere; ursos a mandragora læsos devoratis formicis sanitati consulere; anseres, anates cæterasque aves aquaticas herba sideritide sibi mederi, grues junco, gallinas & columbas alsine vel anagallide, canes gramine, busones salvia & plantagine contra aranearum venenatos ictus? quis chelidoniæ vim ad recuperandum pullis visum hirundini detexit? quis Cervis & capreis Cretensibus efficaciam dictamni ad sagittas e corpore extrahendas indicavit? quis muribus & formicis grana frumentorum præmordendi modum, artemque monstravit, ne forte germinent? quis alia hujusmodi plura brutas docuit animantes, nisi natura mediantibus speciebus, quibus instructi animantium Archæi suas ex illarum præscripto peragunt operationes, & *scire videntur qua agunt*, agendorum exemplares causas inspiciendo; *omnia autem per divinam necessitatem*, ut loquitur divinus Hippocrates, videlicet non arte propria, sed idea a supremo rerum opifice sibi implantata. *Scire*, inquam, *videntur*, eo imperfecto sciendi modo & ratione, quem concessimus brutis Tract. XIV. Ab his Ideis, quæ vocari possunt intentionales, transeamus ad seminales, sive panspermiam rerum in hoc Universo.

XIV. Sunt autem Ideæ seminales potissima seminum virtus, per quam rerum species multiplicantur. Imo illæ solæ sunt vera rerum omnium semina. Est autem seminum aliud visibile, alterum invisibile. Ideæ seminales invisibilia rerum sunt semina, de quibus Gen. I. ibi: "Germinet terra herbam virentem, &" facientem semen, & lignum pomiferum faciens fru-" ctum juxta genus suum, cujus semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita. Scimus autem multas herbas, ut filicem, aliasque plurimas, & mille fungorum genera; sicut etiam inter arbores salicem, ulmum, populum & fraxinum carere visibili semine, quod etiam potius ex herba, quam herba ex eo produr, ut solide ac subtiliter urget S. August. ergo aliud semen invisibile ipsis concreatum est, per quod species illorum multiplicetur. Quinimo ipsum quodcunque semen visibile, non nisi receptaculum esse videtur seminis hujus invisibilis, & visibili semine destructo, semen invisibile cum proxima ad evolutionem potentia in terræ glebis aliquando permanere, ac tunc quando semen visibile mori videtur, semen invisibile ad vitam surgere ac in lucem prodire. Et quamvis in iis maxime corporibus sint proxime habiles ad evolutionem, quæ vulgari seminum titulo appellamus. e. gr. in grano tritici vel hordei; nihilominus etiam per totum individui cujusque corpus sunt diffusæ, & in actu primo proximo vel remoto dispositæ, ut in suos numeros, pondera & mensuras evolvantur. Tale semen est in surculo, in quo idealiter tota arbor cum sua radice continetur. Hoc semen *quamvis oculis videre nequeamus*, inquit S. August. Lib. 3. de Trinit. cap. 8. *ratione tamen conjicere possumus.* Quod etiam ex eo probat, *quia nisi talis aliqua vis esset in istis elementis, non plerumque nascerentur ex terra, qua ibi seminata non essent.* Videmus autem ex terra virgine, multas herbarum species, sine ullo visibili semine pullulare, *& animalia tam multa, nulla marium fœminarumque commixtione præcedente, sive in terra, sive in aqua, qua tamen crescunt, & coeundo alia pariunt, cum illa nullis coeuntibus parentibus orta sint. Et certe apes semina filiorum non coeundo concipiunt, sed tanquam sparsa per terras, ore colligunt; invisibilium enim*

enim seminum creator, ipse Creator est omnium rerum. Quoniam quacunque nascendo ad oculos nostros exeunt, ex occultis seminibus accipiunt progrediendi primordia, & in crementa debita magnitudinis, distinctionesque formarum, ab originalibus scilicet ideis suis, tanquam regulis sumunt.

Omnium rerum, ait sapientissimus Doctor ibid. qua corporaliter visibiliterque nascuntur, occulta quadam semina, in his corporeis Mundi hujus elementis latent. Alia sunt enim hac jam conspicua oculis nostris ex fructibus & animantibus; alia vero occulta istorum seminum semina. (en quomodo semen verum sive philosophicum distinguat a semine vulgari seu sensibili) *Vnde jubente Creatore produxit aqua primo natatilia & volatilia; terra autem prima sui generis germina, & prima sui generis animalia. Neque enim tunc hujuscemodi fœtus ita producti sunt, ut in eis qua producta sunt, vis illa consumpta sit, sed plerumque desunt congrua temperamentorum occasiones, quibus erumpant, & species suas peragant.*

XV. Sunt quippe in omni materia rerum & specierum complurium Ideæ, non tamen sunt in omni materia evolubiles pariter. Semina quidem materiæ insunt, sed ob dispositionum requisitarum carentias non semper evolvuntur. Quas dispositiones qui debite nosset materiis applicare, miros profecto ac stupendos in rebus naturalibus effectus produceret. Novit optime Diabolus has dispositiones rebus adhibere, cujus mediánte opera Magi Pharaonis serpentes produxerunt, non phantasticos sed naturales, similes illi quem Moyses produxerat, uti ostendit S. August. Nec enim aliud requiritur ad productionem serpentis ex virga, quam ut quis norit Ideam, sive rationem seminalem, ipsumve semen invisibile serpentis ex virgæ materia evolvere, ot ex invisibili fiat visibile.

XVI. Audire juvat iterum S. August. qui Creationem a Generatione per hoc videtur distinguere, quod in generatione res idealiter præexistens ex materia evolvatur, adeoque non creetur, quia non fit ex nihilo, sed ex præsupposita idea sui; in creatione autem a Deo, absque ideæ concursu, immediate producatur. *Aliud est enim,* inquit Lib. 3. de Trinit. c. 9. *ex intimo ac summo causarum cardine condere atque administrare Creaturam, quod qui facit, solus Creator est Deus. Aliud autem pro distributis ab illo viribus & facultatibus aliquam operationem forinsecus admovere, ut tunc vel tunc, sic vel sic exeat quod creatur. Ista quippe originaliter, ac primordialiter in quadam textura Elementorum cuncta jam creata sunt, idealiter videl. sed acceptis opportunitatibus prodeunt. Nam sicut matres gravida sunt fœtibus, sic ipse Mundus gravidus est causis nascentium, qua in illo non creantur, nisi ab illa summa essentia, ubi nec oritur, nec moritur aliquid, nec incipit esse, nec desinit. Adhibere autem forinsecus accidentes causas* (sive dispositiones & conditiones ad idearum certarum evolutionem requisitas) *qua tametsi non sunt naturales, hoc est non a natura, sed a potentia libera rationalium entium applicata, tamen secundum naturam adhibentur, ut ea qua secreto natura sinu abdita continentur, erumpant & foris creentur quodammodo, explicando mensuras & numeros & pondera sua, qua in occulto acceperunt ab illo, qui omnia in mensura, & numero & pondere disposuit, non solum mali Angeli, sed etiam mali homines possunt. Sicut ergo nec parentes dicimus Creatores hominum, nec Agricolas creatores frugum, quamvis eorum extrinsecus adhibitis motibus, ista creanda Dei virtus interius operetur; ita non solum malos, sed nec bonos Angelos fas est putare Creatores, si pro subtilitate sui sensus & corporis, semina rerum istarum nobis occultiora noverunt, & ea per congruas temperationes Elementorum latenter spargunt, atque ita gignendarum rerum, & accelerandorum incrementorum prabent occasiones.* Hæc D. August. quem sequitur S. Thomas.

Vnum hic adverte, ex ultimo citatis S. Aug. verbis colligi posse, non necessario rerum omnium ideas in quavis materia ponendas, magna enim valde ac superflua videretur hæc entium multiplicatio: sed sufficit ad evolutionem cujuslibet ideæ ex quacunque materia, si dicatur ideam vel in illa materia repertam, vel aliunde allatam, adhibitis dispositionibus evolvi, quod illa verba indicare videntur *& ea latenter spargunt.*

XVII. Dices: Hoc modo eludi posse plurima miracula, maxime quoad subitas rerum generationes & metamorphoses, cum nihil fere sit quod non tali modo naturæ viribus adscribi possit. Quin & sagæ excusari poterunt, murium & aliorum insectorum, butyri ac lactis ex cœno ac sterquilinio procuratrices, tempestatum quoque ac ventorum excitatrices, quasi mediis naturalibus utendo ista producant. Resp. Dæmonem in conviviis sagarum non semper apponere fercula potumque extemporanee productum, sed quandoque fascinando sic immutare palatum gustumque sagarum, ut stercus sapiat velut saccharum: sæpe revera illas introduci in cellas vinarias aliorum & vino generoso evacuare dolia; sæpe emulgendo vaccas vicinorum suorum, exindeque butyrum conficere more ordinario: an autem ope Dæmonis ex quavis materia butyrum queant conficere quis definiet? De tempestatibus ventisque ciendis minus est dubium, sicut de innumeris malis morbisque in fligendis, a quibus tamen minime excusandæ, tum quia peccant contra Decalogum lædendo gravissime proximum, tum quia ex pacto cum Diabolo, vel explicito vel implicito certas conditiones ab illo præscriptas ponunt, nullam plerumque physicam connexionem habentes, quibus positis, Dæmon, permittente Deo, ad ipsarum sagarum voluntatem agit, & quidem naturaliter, activa, quorum virtutes optime novit, passivis applicando, & dispositiones pro novis specierum generationibus requisitas adhibendo. Nihilominus ejus opera in prædictis uti est illicitum, quamvis effectus ab ipso producti intra naturæ limites contineantur.

XVIII. Licet vero innumera, Dei permissu, operari possit naturæ miracula, cujus etiam auxilio Anti-Christus in fine Mundi signa & prodigia magna patrabit, ita ut etiam facturus sit *ignem de cœlo descendere in terram in conspectu hominum.* Apoc. 13. nonnulli tamen effectus Diaboli & naturæ totius potentiam excedunt; qualis est hominis defuncti resuscitatio, quæ per Idearum evolutionem adæquate non potest explicari. Dato etiam quod Diabolus dispositiones ad reunionem animæ cum corpore requisitas in corpore ponere posset, animam tamen inde non potest educere, cum nullam sui præsupponat Ideam in toto universo; nec etiam ipsi concessa est potestas a Deo defunctorum animas ad sua corpora reducendi, præsertim Electorum. Quod si posset

posset, omnino dicendum esset resuscitationem mortui hominis vires Dæmonis non excedere: & sane si ejusmodi potestatem haberet, concessisset quandoque mancipiis suis Hæresiarchis ad stabiliendas hæreses suas, quod tamen hactenus inauditum. Ad resuscitationem Samnelis, quæ vera fuit (nam Eccli 46. dicitur, Samuel post mortem notum fecisse Regi, & ostendisse illi finem vitæ suæ, & exaltasse vocem suam de terra in prophetia delere impietatem gentis) non Diabolus tantum, sed Deus ipse concurrit; unde etiam prævenit incantationes pythonissæ, & cum alii omnes ab illa suscitati pedibus sursum ascenderent, ille capite sursum ascendit: hinc est quod exterrita mulier dixerit: *Deos vidi ascendentes de terra* 1. Reg. 28. Omitto plures alios effectus, non tantum quoad modum, sed etiam quoad substantiam, supernaturales & miraculosos, qui in nullis omnino circumstantiis a Dæmone attingi possunt; non ob nuram Dei restrictionem, propter quam Magi Pharaonis nequiverunt producere cyniphes, sed ob naturalem Dæmonis impotentiam. Tales sunt rerum creatio & annihilatio, replicatio & plura similia.

XIX. Cæco visum reddere naturæ vires absolute non excedit, cum Dæmon dispositiones necessarias ad debitam Ideæ oculi evolutionem adhibere possit. Christus quidem ad suæ Divinitatis contestationem similia patravit, & de facto in contestationem veræ fidei similia eveniunt, quæ moralem gignere possunt certitudinem, quod non fiant a Dæmone, qui ad veræ fidei propagationem nunquam cooperatur, ad falsam autem fidem similibus mediis contestandam Deum cum ipso velle concurrere prorsus est incredibile. Non est autem opus ut illa media metaphysicam seu omnimodam pariant evidentiam: nam etiam Christi post resurrectionem manducatio in oculis Apostolorum non fuit omnino evidens redivivæ carnis indicium, cum etiam Raphael angelos visus fuerit manducare, qui tamen carnis & humanitatis fuit expers. Sed ad Ideas nostras revertamur.

XX. Conveniunt Ideæ quoad Entitatem atque naturam cum speciebus phantasticis; & sicut in cerebro plurimæ rerum species sopitæ latent, sic & in materia plurimæ delitescunt Ideæ, quæ tamen sicut species, certis temporibus, ad certos causarum secundarum concursus & subjecti dispositiones excitantur. Dum vero una species idealis ob majorem dispositionem suarum potentiam & apparatum capit materiæ dominium, eamque suis consignat accidentibus, quorum certas collectiones ad sui conservationem ex natura sua exigit; necessarium est ut aliæ Ideæ disparatæ vel oppositæ sub materia depressæ lateant, donec per alios accidentium concursus, idea veteri a satellitio suo deserta, & in pristinum chaos retrusa, ipsis quoque se in lucem pandendi tribuatur occasio.

XXI. Illud quoque notandum, Evolutionem Idearum quandam habere analogiam ad motum & impulsum. Sicuti enim corpus impulsum alia impellit; ita idea evoluta aliam ideam sibi annexam trahit & evolvit. Neque tamen semper illas ideas, cum quibus nexum habet, evolvi facit: prout neque species imaginativa sibi sociatas, v. gr. species leonis omnes leones, ut Herculis, Samsonis, Semiramidis &c. sed hanc illamve. Sicut enim impulsus proportionem habere debet ad corpus movendum; ita quoque idea ad aliam ex illa confusione evolvendam; fierique potest, ut aliqua idea moveri nequeat nisi ab alia certa & determinata. Secundo, sicut in imaginatione contingit, quandoque species, eidem impressas longa desuetudine obliterari; atque tum illarum rerum, quarum hæ sunt species, dicimur oblivisci; neque per ullam aliam speciem excitari valent: ita quoque ideæ seminales se habent ut a nulla idea, quantumvis sibi sociata, nisi cognata & ejusdem naturæ sit, trahatur ad evolutionem.

Porro ab his Ideis Spiritus Mundi (in Sententia Pnevmocosmicorum) determinatur, quæ principaliter etiam in ipso subjectantur. Et sicut Phantasia vel intellectus ex se, absque speciebus, est Indifferens ad cognoscendum hoc vel illud: ita Spiritus Mundi est ex se indifferens ad operandum hoc vel illud. E.g. latrandum vel hinniendum; ad quas tamen operationes, uti & ipsum esse canis & equi ab Idea canina & equina determinatur. Idem est spiritus, qui vegetabat in gramine, cujus materia per equum devorata, & post abolitam equino fermento graminis Ideam, substantiæ equinæ agglutinata, sentire jam incipit & hinnire: hujus iterum carnis idea in chaos suum resoluta, Ideis vermium ex eadem substantia pullulantibus, repere incipit in verme. Omnium denique suarum operationum diversitatem debet ideis, per quas in Archæos distribuitur, idem alioquin ubique futurus & operaturus, si ubique similibus Ideis esset instructus. Format vero ex Ideæ determinantis præscripto, nunc verum & solidum certe speciei corpus, aliquando vero non nisi umbratile, quale spectatur in herbarum palingenesia intra vitrum (qua de diximus Tract.) dum enim non potest quod facere vult, ex defectu solidioris materiæ, vel aliarum conditionum, facit quod potest. Si non possit producere corpus solidum, generat umbratile.

XXII. Præterea dantur in Materia Ideæ rerum omnium sub specie aliqua materiali contentarum. Etiam meteora, ut pluvia, nix, Cometæ, fulmina suas habent ideas sive semina; nec opus est recurrere in similium assignandis causis ad exhalationes, quibus licet augeri possint meteora, non tamen ex ipso tanquam unico principio constare. Nam frigidissimo tempore pauci vapores attolluntur, magna tamen vis nivium cadit; neque pro copia materiæ vaporosæ ubique pluit: nam Ægyptus vaporibus quidem abundat, pluviarum tamen est expers.

Dicendum ergo in aere Meteororum omnium latere semina, & sicut non omnis fert omnia tellus; ita quoque aerem habere regiones differentes, in quarum aliquibus hi, in aliis alii fructus aerei nascuntur, dum ideæ illorum a stellis vel aliis agentibus evolvuntur.

Accedit quod aliquando Cometæ supra Lunam, & altiores Planetas exoriantur, & valde modicam habent parallaxin; quod signum est ipsos esse a terra remotissimos, & vastissimis constare corporibus. Quæ jam tellus, quis Oceanus tali vel unico Cometæ materiam subministrabit? Quomodo exhalationes ex hoc Mundo inferiori ad loca tam alta pertingent? Ideis ergo, non exhalationibus ortum suum Cometæ, aliaque meteora debent. Sed de his ex professo Tract. XXXV.

XXIII. Quin etiam semina seu Ideas Astrorum dari convincit experientia. Scimus enim An. 1572. Mense Novembris in signo Cassiopeæ stellam quandam novam exortam per biennium fulsisse, ipsi Veneri claritate parem & magnitudine, cujus immensæ moli totius globi terraquei materia non suffecisset. Magnæ sunt etiam in cœlis & sideribus partium diversitates, ut

ut sufficienter probat via lactea, solares & Joviales maculæ, quæ pariter non nisi a certis Ideis ibidem evolutis ortum habent.

XXIV. Huc referri possunt Morborum Ideæ, quæ potissimum in Peste, aliisque morbis infectivis & malignis deprehendunrur, suntque ipsa morbi contagio, & semen quoddam, quod cum aere attractum, in morbum sibi analogum progerminat, & ideas vitæ humanæ abolet, nisi hæ sint potentiores. Dantur etiam similes Ideæ in ipsis mortalium corporibus, in quarum suscitatione mira est vis humanæ apprehensionis. Hinc est quod multi pestem, aliosque morbos sola interdum apprehensione & imaginatione incurrant.

Qua ratione vero Ideæ morbificæ, & ab his morbi producantur, declarat celeberrimus Archiater Pragen. Marcus Marci Part. IV. Phil. vet. restit. sect. 2. subsect. 3. contra Helmont. hoc modo: Cum processus Idearum sit vitalis, non potest produci ab Archeo externo. Quod si itaque ab ingestis proveniunt ideæ peregrinæ; necesse sane horum archeum nostro archeo commixtum & maritatum esse. Potest autem hæc commixtio fieri duobus modis: *radicaliter* & *radiative*. (quæ distinctio huic Authori solemnis est, & bene notanda) *radicaliter* quidem, cum ita inest subjecto, ut non requirat alibi sui ipsius existentiam; ut lumen in sole & igne existit radicaliter. *Radiative* vero, cum necessario pendet a seipso alibi existente; ut lumen in aere, in quo esse non potest, nisi a Sole huc continuetur. Et hoc quidem modo naturæ humanæ inseri potest archeus peregrinus; qui vel in ipsa parte, quam primum obsedit; vel demum in corde tanquam centro suas explicat & evolvit Ideas; ut in iis, qui a cane rabido aut tarantula sunt demorsi, quorum virus sensim provehitur quousque in vitæ focum perveniat. Vnde suas radiationes ideis seminalibus, a quibus corpus humanum fuit constitutum, permiscet: & non tam ipsam fabricam, quam hujus actiones transplantat. Ab hujusmodi enim Ideis natura universa in consensum trahitur novæ inclinationis; ita ut se canes aut lupos effectos opinentur, eorum actiones & mores imitando. Quia vero hæc radiatio idealis pendet ab illa radice, cui Archeus noster pertinaciter resistit, necesse ut ea radice sublata, una desinat. Itaque fit ut a tarantula demorsi, dum ope musicæ ad saltum concitantur, una cum veneno morbum exsudent. Quod non fieret si archeus veneni nostro archeo implantatus ejusdem subjectum radicaliter obtineret, ut voluit Helmontius.

XXV. Nihil tamen vetat aliquas partes corporis ab Archæo externo ea ratione invadi, atque tum corruptio accidit. Vti manifestum in urina rabidorum, in qua canum simulacra visuntur. Ita ex ictu Scorpii, aut morsu viperæ confestim pars inflatur & corrumpitur; neque nisi ablata ea parte corpus reliquum sanescit. Hujus similitudinem exhibet semen utero conceptum, quod primum mole exiguum, mox humorum affluxu incipit turgere & augmentari: dum Archæus suis radiis sensim promovetur; estque progressus hic ob præscriptionem figuræ ab Ideis limitatus: Archæus autem veneni, sicuti nullam figuram, ita nullum limitem habet præscriptum, omne humidum quam late patet, instar fermenti pervadens. Minus ergo recte asserit Helmont hujusmodi Ideam spiritui maritatam non posse deinceps separari citra subjecti dissolutionem: hac enim ratione nulla curatio adhiberi posset.

XXVI. Dicendum hic etiam aliquid est de seminibus metallorum, quorum mineræ fossionibus exhaustæ denuo certis annorum intervallis plenæ reperiuntur: unde alias, nisi seminalium Idearum beneficio? Videtur etiam hoc modo ignis æthnæi & flammarum subthermaliom perpetuatio posse clare satis explicari, si dicatur telluris materiam sulphuris atque bituminis fermento alteratam, continuum hisce ignibus sobterraneis alimentum subministrare.

XXVII. Lapis Philosophorum nihil est aliud, quam auri semen debite prolicitum, sive Idea Solis excentrata & ad sui evolutionem & dilatationem proxime disposita, quæ Archæos metallorum imperfectiores transmutat in perfectos. Sicut enim semen tritici convertit terram in triticum mediante seminali fermento, seu idea: sic semen auri, Mercurium, plumbum aliaque metalla imperfectiora convertit in aurum. Sed quis hoc semen adeptus est? multi adepti, & pauci adepti. Nullus est vel de infima Chymicorum plebe, qui non sciat de tabula Hermetis, de ramis metallicæ arboris, de radicali metallorum solutione, de Sole & Mercurio Philosophorum discurrere, in quibus totum esse debet, quidquid quærunt sapientes. Sed a paucissimis invenitur, quod a tot laborantibus magna cum auri fame, nec modico sumptuum atque laborum dispendio investigatur. Eminentiss. Card. Sfondrati scribit, cum aurum per causas naturales producatur; non esse dubium, cum, qui eas causas auri effectrices novit in loco proportionato & debitæ matrici applicare, aurum effecturum esse: sed nego, inquit, hominibus harum causarum notitiam suppetere, multoque minus modum, locum tempusque eas causas applicandi.

Sed velim scire, unde constet Cardinali, nulli mortalium hanc notitiam suppetere? Dæmonibus vix eam negabit; & cur hi non possent eam revelare & communicare hominibus? Et cum aliunde constet variarum rerum quintas essentias per artem Chymicam fuisse auxilio ignis erutas: multa quoque antiquis nota injuria temporum periisse oti exemplo sunt lampades perpetuæ, fatente ipsomet Authore, quam artem nostrates etiam ingeniosissimi alias ignorant, cur pronuntiabimus ejusmodi impossibilia esse? Et vero possedisse Theophrastum Paracelsum *Lapidem mirificum* Orbis clamitat, & ad nos vocem reflectunt Magni Rodolphi Aostriaci tempora, quibus hoc indubitatum apud omnes percrebuit. Habuit eandem notitiam Joan. Bapt. Helmontius, si fides illi habenda. Joann. Marcus Marci ait, Phil. Vet. restit. pag. 549. quod granum unum (pars est sexagesima unius Drachmæ) traxit libram unam Mercurii, prout Pragæ factum; aut libras duas, quale ab hospite unius noctis se habuisse ait Helmontins. Vide quæ diximus Tract. XII. de arte Chysopoeia. Hoc unum observatu dignum hic addo ex Marco Marci loc. cit. Non absque ratione quidem inferri summum arcanum esse in auro, quod præ omnibus aliis ab omni corruptione maxime alienum esse videtur; ut non immerito tot ingenia studio indefesso spes avaras in eo absumant: Nihilominus aliter longe visum huic expertissimo Archiatro, nempe medicinam & arcanum illud ex auro haberi non posse.

Et enim aurum illud, quod ars producit, per projectio-

ctionem tincturæ supra Mercurium aut metallum imperfectum, est ejusdem rationis cum auro naturali: illud vero ad hoc ut medicina talis inde fiat, est prorsus inutile. Nam & nitrum fixum per aotimonium vim tingeodi acquirit, ita ut in metalla imperfecta ipsumque Mercurium etiam absque fusione ingressum habeat, & in aurum transmutet. Quam vim Glauberus erronee ipsi oitro tribuit: siquidem illa vis tingens continuo minuitur; natura vero nitri, ut ipse fatetur, immutata manet. Necesse vero ut illud antimonium sit ἄπυρον necdum ignis tormentum perpessum; cujus vim ubi tinctura sensit, mox aliquam partem antimonii aut cojusvis alterius metalli in aurum tingit: atque ita nullam deinceps vim nitro conferre potest. Quod etiam de auro est intelligendum, quod per ignem vi illa seminali spoliatur, cujusmodi aurum improbans hujus artis periti. Plura qui desiderat, legat cit. auth. ubi memorat Viennæ filium Helmontii phlegma quoddam e Vitriolo distillasse, & per illius distillati reaffusionem, digestionem & cohabitatiooem non contemnendas eidem vires conciliasse. De quo cum per dies aliquot Illustri Heroinæ Luciæ de Kolovvrat viduæ (permittente D. Marci qui curam illius habebat) exhibuisset; (laborabat autem tabe ex vomica pulmonum) adeo vegeta fuit effecta; ut cum eousque lectulo affixa esset, assurgere & animi gratia domo & Urbe egredi non dubitaret. Verum a quibusdam qui dictum Helmont. aversabantur, & curam illam suspectam habebant, aliter persuasa, illud phlegma, quod nihil ab aqua differre videbatur, deinceps sumere renuit. Unde rursum relabi & deficere cœpit: & paucis post diebus rupta vomica cum pure fœtido & sanie cruenta, secutisque convulsionibus vivere desiit. Discant hinc infirmi plus fidere Medico, quam inexpertis & scrupulosis Confessariis, qui omne remedium efficax, cujus rationem vident nullam, superstitiosum clamant. Nos revertimur ad Ideas.

XXVIII. Tot denique sunt Ideæ seminales, quot rerum species vulgo putantur esse in hoc universo, sive ad quot actionum specificarum diversitates Spiritus Mundi determinari potest. Larent in materia, donec causatum efficientium vi evolvantur, & in suis ideatis reddanrur conspicabiles. Interdum etiam plane jam abolitæ & vix reducibiles videntur, cum tamen se paulo post conspicuas repræsentant. Quis semen ranarum per brumam in cæno manere crederet? uode veris initio ranæ reoascuntur. Quis crederet pisces ab avibus devoratos genituram suam servare incorruptam, a qua denuo piscinæ impleotur?

XXIX. Mirum est quod de sua Genitrice narrat Tackius, quod vice quadam in summitate pectoris a vespa ictum acceperit, ex quo usque in senectam obscuros senserit dolores, quibus ante obitum recrudescentibus, globulum veluti quendam sub cute læsa volutari deprehendit, & perfectum tritici granum inde postea extraxit, quod non nisi a vespa tritici granis pasta acceperat. Admiratiooe dignum est, potuisse virtutem seminalem totius grani adeo parva capi proboscide, atque in tantillum foramen transplantari. Transferuntur ergo ab animalibus huc illuc rerum diversarum semina, & aliquando etiam in aquis hauriuntur, quæ postmodum, ut frequentibus historiis est comprobatum, in stomacho aliisque visceribus evolvi incipiunt. Quin etiam alimentum ex heterogenea carne in substantiam rei alitæ jam conversum suam ideam non deponit. Hinc ardeæ luciis nutritæ in lucios, carpiooibus nutritæ in carpiones putrefactioois via solvuntur. Ægyptii, & Insulæ Madagascar incolæ locustis vescuntur, hinc ex carnibus eorum putrefactis denuo nascuntur locustæ.

XXX. Anates etiam Scoticæ, prout Batavorum experientia est comprobatum, non Oceano, ut quidam crediderunt, sed Ideæ pariter semioali suam debent fœcunditatem. Siquidem multa ovorum anatinorum millia reperiantur in glacialibus Insulis, quæ per sævitiam tempestatis mari permixta ventoque ad Insulas Scotiæ delata, ideas suas seminales adhuc retinent; hæ postquam in cariosis lignorum recessibus aptum locum invenerint, evolvuntur in anates.

XXXI. Ex his, quæ dicta sunt, intelligi potest, quid sint Rationes seminales, sive rerum semina in sensu Philosophico. Nihil enim sunt aliud, *quam Idea corporis organici, in hac vel illa specie, aut speciei sexu constituti*. Sexuum namque diversitas diversas saltem partialiter exigit ideas. Semen visibile, sive corpus e quo idea est proxime evolubilis definiri potest, *quod sit substantia, specie corporis, de quo dt sumpta est, proxime evolubili insignita*. In hac substantia inest species, seu idea corporis organici, actu & formaliter; organa vero, e. gr. radix, folia, flores & fructus solum in potestate seu radicaliter, summaliter, originaliter sive secundum quendam actum imperfectum, secundum quem fortasse Albertus Magnus docuit formas præexistere in materia.

Nec tamen in omoibus substantiæ illius partibus idea illa evolutionis æqualiter est capax. Verum semen quod in grano tritici proxime aptum est in germen evolvi, vix habet pro subjecto bis millesimam & octingentesimam partem sui corporis, quod ipsi ex potiore parte ad munimen ac defensionem, ab externis injuriis a narura est destinatum. Hanc optimam & fœcundissimam partem mures & formicæ in granis præmordent, ne in terræ penuariis recondita germinent in herbam.

Idea hæc seminalis diversis constat partibus, secundum diversitatem partium organicarum originem ex illa trahentium; consistere nihilominus potest in loco & subjecto indivisibili. Harum partium si debita secundum locum & ordinem fiat evolutio, prodit exinde corpus debite formatum; sin minus, monstrosum corpus nascitur. Qua in re acutissimus harum veritatum scrutator Doctor Marci plurimum tribuit diversis refractionibus Ideæ seminalis per materiam seminis in sua evolutione, eandemque exemplo luminaris refractionis explicat in Tract. de Ideis idearum operatricibus, edito Pragæ Anno 1635.

SECTIO III.

Quomodo Idearum doctrina in Sententia Pneumocosmicorum, seu Spiritus Mundi, debeat applicari, & explicari.

XXXII. Hactenus actum de Ideis, quas diximus non esse aliud quam Species rebus impressas, & causas exemplares spiritus Mundi phantasiam moventes, quibus ille determinatus diversa sibi imaginatur. Est vero mirabilis hujusce spiritus imaginatio. Nam sicut anima nostra rationalis, objectum, quod mediante phantasmate seu specie phantastica materialiter percipit, spiritualiter exprimit in specie intelligibili (loquendo cum Peripateticorum vulgo) tam impressa quam expressa: ita ille quamcunque rem in Idea in-

sensibili & incorporea perceptam, sensibiliter & corporaliter exprimit, partium numeros, magnitudines, calores aliaque accidentia, juxta Ideæ præscriptum in materia disponendo & formando. Et sic omnes rerum visibilium species in hoc Universo nil aliud sunt, quam actus phantastici Animæ Mundi, ab ideis suis ortum trahentes, seu vitales species, ad similitudinem sive physicam sive repræsentativam causarum Idealium sensibiliter formatæ & expressæ. Et hæ quidem Ideæ duplices sunt: quædam enim materiæ statim in prima Mundi creatione a Deo fuerunt concreatæ seu congenitæ. Tales sunt Ideæ vegetabilium, animalium, aliarumque specierum hujus Universi, quamvis non omnes primis illis diebus fuerint evolutæ; nam Ideæ animalium ex putredine originem traheutium tunc adhuc sopitæ manserunt.

Præfatæ omnes Ideæ Spiritum Mundi determinant ad certos Archæos, quibus non solum dat esse, verum etiam operari, secundum accidentales specierum differentias. ex. gr. Idea canis priusquam e suo chao evolveretur, non erat tantum causa exemplaris organici corporis, quod canem vocamus, sed etiam cursus & latratus, aliarumque operationum naturalium, eidem canis individuo per se competentium, uti & omnium qualitatum, sive manifestarum sive occultarum, sive aliis rebus familiarium, sive hostilium. Plerasque has Ideas initio Mundi saltem quoad speciem, evolutas fuisse, probabilius videtur.

XXXIII. Dantur vero & aliæ Ideæ, quæ materiæ post primam Creationem a Mundi hujus agentibus & diverso causarum concursu imprimuntur. Tales iterum sunt in duplici differentia. Quædam enim rebus dant esse, & constituunt quasdam species ex diversis jam præexistentibus permixtas. E. gr. speciem muli, aut Leopardi; quædam vero impressa sunt duntaxat ad aliquid operandum. Ideæ primi generis ortum habent ex ideis primogeniis seu originalibus, diverso modo permixtis & confusis. Sicut enim homo intentionaliter concipit hircocervum, montem aureum aut vitulum volantem, species diversas in phantasia vel intellectu subjectatas confundendo, sic etiam Spiritus Mundi in sua phantasia species diversas permiscere potest, earumque speciales ideas deinceps retinere, sicut nos in intellectu retinemus species rerum a nobis semel apprehensarum.

XXXIV. Nec tantum rerum omnium naturalium, sed etiam quorumlibet artefactorum, vel pure ab hominum instituto primitus dependentium ideas, Spiritus Mundi contrahit ex ipsis rebus. Ex hoc principio omnia illa Naturæ miracula possunt explicari, quæ in Tract. XXXVI. de Natura referuntur, e. gr. Novem Musæ cum suo Apolline lapidi a Natura insculptæ, Alphabetum in saxo, Pontifices & Sacerdotes marini, orchidum imagines, & infinitæ aliæ figuræ non tantum rerum naturalium, sed etiam artefactarum, & ab hominum præcise arbitrio dependentium. Huc etiam spectat Morgana Rheginensis de qua Kircherus, quamque historiam Italice refert Marcus Marci in sua Phil. Vet. restit. Parte 3. subsect. 3. pag. 284. & plura similia, quæ omnia quomodo fiant plenius adverte.

Multæ sunt rerum in hoc Mundo species, & specierum combinationes factæ sive per naturam sive per artem. Has omnes Spiritus Mundi concipit in animalibus, sensuum beneficio, maxime vero potentiæ visivæ. Rerum ita conceptarum formatam effigiem in phantasia retinet, nec tantum postea in ipsis animantibus, sed etiam extra ipsa similes rerum figuras & species producere potest, cum idem omnino sit qui hoc in loco aliquid concipit, & idem alibi pingit & format, & a propriis conceptibus facile ad productionem rei conceptæ determinetur, sicut determinatur anima in manu artificis, vel matris utero ad formandum, & in subjecto sive immanente sive extraneo pingendum, quod in capite concipiebat.

Ex hac doctrina colliges, nullum esse tam subtile, præclarum vel ingeniosum artefactum, quod non possit a Natura secundum figuram & alias qualitates exprimi, adeoque ars censenda est Natura longe inferior. Possunt etiam uni homini quandoque naturaliter patere cogitationes alterius, non quidem immediate ac directe, sed mediante phantasmate, in quo res ab intellectu cogitata materialiter semper exprimitur, si verum est illud commune axioma, quod intelligentem oporteat phantasmata speculari. Phantasmata enim unius Archæi, facile alteri Archæo ob identitatem principii possunt innotescere.

XXXV. Nunc veniamus ad Ideas, quæ rebus imprimuntur ad aliquid operandum. Talis est Idea furoris, a cane irato, lapidi contra ipsum projecto impressa; idea quoque timoris, cultro lanionum, & carni jumentorum, a morientium animalium Archæis ingenita: hæc pleuriticorum & arthriticorum furentes Archæos mitigat cultro potibus imposito, & carne locis dolentibus applicata; Illa vero Archæos etiam pacatos & mites concitat, & contra se invicem exacerbat, lapide inter convivas projecto. Per infusionem plumbi in aquam frigidam capiti superpositam, vel extinctionem carbonum, idea extinctionis non tantum aquæ, sed ipsi etiam capiti imprimitur, unde spirituum in corpore fervescentium ardores extinguuntur. Talem fortasse ideam sanguinis bullientis mitigativam habent illa omnia, quæ sola gestatione sanguinis fluxum sistunt.

Huc etiam pertinet inimica & maligna Idea, quæ ab animalibus ad iram concitatis, item a cane rabido, serpente, tarantula & similibus, corpori per morsum, vel aliam læsionem imprimitur, & sæpe causa est, quod homo demorsus aut læsus non tantum actiones illorum animalium imitetur, sed etiam species atque imagines eorum in vulnere atque urinis exhibeat, ut Archæus humanus, excepta corporis forma & figura, omnino videatur in alium transmutatus.

XXXVI. Mirabilis est Idea quietis, quam Echeneis pisciculus navi imprimit: hanc tantopere miramur, & non miramur qualitatem Impetus, quæ non minus forsitan est mirabilis, & nihil est aliud, quam idea motus, rei projectæ aut motæ, vel ad motum adactæ ab aliis corporibus impressa. Hæc aliquando sensum latet, sicut intenso arcu, arbore deorsum alligata, & in quocunque corpore ab aliis corporibus presso, nec adverti potest, nisi cum per effectum proditur. Hæc quidem communiter per vim elasticam solent explicare: at revera videntur petere principium: nec quidquam aliud aut plus dicere quam illi, qui ut explicent, qui fieri possit ut materia palmaris accedente calore occupet spatium duorum aut plurium palmorum, respondent fieri per Rarefactionem: quod obiter hic observo.

Latet similiter idea turbulenti motus in medicamento

mento somnifero motibus contrariis tusis seu pistato, quæ motum similiter turbulentum in spiritibus causat. Idea pariter motus deorsum vel sursum, sambuci frondibus vel asari foliis impressa, virtutem illorum ad superna vel inferna determinat.

XXXVII. Idea magnetica, solo affrictu Compassorum linguulis similiter natura magnetis subterranei, sive arctici, sive antarctici, ferramentorum extremitatibus, a terra, mediantibus atomorum effluviis, insensibiliter imprimitur. Sed plura de his alibi.

XXXVIII. Quæcunque tandem actiones & generationes, quas in hoc Vniverso miramur, per Ideas optime possunt explicari, ex. gr. quomodo in saxis diversa conchiliumgenera, in terra carnes fossiles, in homine ranæ, bufones, anseres, intra vel extra uterum nasci possint; In aere ferrum, lana, sanguis, ranæ, vituli, saxa & alia plura, quibus nonnunquam pluisse constat. Fulgosius Lib. 1. scribit, Anno Christi 1492. Non procul ab oppido Ensisheim 5. milliaribus dissito Basilea lapidem e cœlo decidisse crassum & triangulatem 300. librarum. Item grandines mirabiliter & uniformiter figuratæ, specie humana e. gr. insignitæ, & virilia capita cum crinibus & barbis, muliebria cum peplis referentes; cruces quoque prodigiosæ, & aliæ figuræ, non solum grandini ac nivi, sed obviis quibuscunque rebus insensibiliter impressæ, quod sæpius factum historiæ testantur.

XXXIX. Quamvis non semper operentur Idearum impressiones, nisi in corporibus ad evolutionem illarum dispositis, & Archæn per aliam fortiorem Ideam non præoccupato. Hinc etiam non semper imaginatio materna fœtum in utero mutat, nec semper cœlestis impressio effectum in sublunaribus sortitur. Ita doctis raro, stultis autem sæpe accidit ut futura præsagiant; quia mens doctorum speculationibus alio abstrahitur, ne idearum sentiat impressionem. Sic etiam illi, quibus mens ægrotat, dolorem non sentiunt; & lepus dormiens apertis oculis non videt, tametsi speciem habeat in oculo subjectatam: sicut nec nos sæpe videmus ante oculos posita, nec audimus sonum horologii, dum impense alieni rei sumus intenti.

XL. Videtur etiam ex dictis hucusque principiis via sufficiens pandi ad explicandos fulminum admirabiles effectus, si admittatur fulmen esse animatum, & per diversas nubium igniumque cœlestium collisiones Archæn ipsius potentissimo, diversarum operationum ideas imprimi, quarum directione ac impulsu adeo mirabiles producat effectus. Eadem via possent salvari mirabiles illæ virtutes, quas certis figuris & characteribus nonnulli attribuunt. Quomodo autem Antipathia & Sympathia, Magnetismus & similia per Spiritum Mundi explicentur, dicemus alibi.

SECTIO IV.

Exponuntur rationes, quibus ad rerum generationem & scientiam, Platoni ponuntur Idea.

XLI. Plato propter duo posuit Ideas. 1. ut fieret rerum generatio. Arbitratur enim quod nisi sint ideæ lapidis, hominis, plantæ, auri &c. ista non possent fieri, & ratione quidem. Quoniam Elementa hæc non intendunt facere, nec enim artificiose operantur, sed effusis temere viribus. Res autem multo artificio fiunt, ergo dantur Causæ Ideales utentes Elementis ab horum factionem, velut coquus igne ad præparandos cibos: nec etiam ego facerem magis circulum quam aliam figuram, nisi præhaberem ideam circuli. Sic nec natura certas species & individua nisi ideatione regularet Elementa. Quod putrefacta & sponte nascentia ostendunt, ex quibus fiunt absque simili præcedente, nisi in aliqua mente. Et hoc idem confirmant SS. Augustinus & Justinus. Formas enim rerum esse sicut numeros, quoniam distinguunt materiam ut possit multiplicari ideatum omne. Secundo ut fiat scientia de rebus: quoniam definitio circuli non convenit huic circulo semper: nam destructo circulo ipsa remanet, ergo datur idea circuli, cui convenit semper. Item, datur Scientia de homine, non chimærico, qualia sunt Vniversalia Aristotelis, ergo realiter est homo, etiam non existentibus individuis, quoniam est Idea, & quidem prior Ideatis. Non enim est Scientia de homine Ente rationis Aristotelico, sed ente reali, ideo realis. Item, nunquam videmus hominem perfectissimum undequaque, sed cuilibet aliquid deficit ad hominis perfectionem. Definitio autem convenit perfectissimo, ergo datur, & is est Idea & per se homo. Propterea omne ens per participationem pendet ab eo, quod est per se. At Individuum nullum est per se homo, sed materia participans hominem: idcirco datur homo idealis, sicut ignis per se calidus, quo omnia sunt calida. Idem, nisi daretur Idea hominis, a cujus recessu perfectiones & imperfectiones metimur, omnis homo esset perfectus. Neque differret Moyses a Thersite. Cur enim ille sit melior, nisi quia ad perfectum, & per se hominem accedit magis?

XLII. Præterea singularium non esse scientiam, sed Vniversalium. Si autem Vniversalia non sunt, nulla esset Scientia & definitio. Item res moriuntur & nascuntur, ergo datur idea ad cujus similitudinem fiunt, ait Augustinus. Quomodo enim semper esset generatio, nisi aliquod perpetuum eam perpetuaret? Ideo arbitratur Ideas esse species æternas & incorruptibiles, secundum quas fiunt, & generantur, & cognoscuntur. Vbi autem sint, contentio est. Nam aliquando ponit eas in Mente Dei: aliquando in Anima Mundi; aliquando in intellectibus separatis; aliquando per se existentia. si non mentitur Aristoteles. Sed profecto in Deo originaliter in anima vero Mundi sunt, ut in primo Dei Ministro, quem ex Choro Dominationum vult esse Campanella. In Angelis quoque participative, ut scientia in Discipulis, qui omnes sub Anima Mundi exequuntur Dei providentiam: in vultibus cœli, sicut in sigillis: in Elementis sicut in instrumentis: in seminibus ut in compendiis & receptaculis. Per se autem nullibi sunt: sed dicuntur per se, respectu individuorum participantium. Sicuti facies Cæsaris viva per se est ejus facies; imagines vero pictæ instar illius, sunt per participationem ejus. Quod Aristoteles noluit animadvertere: & fingit Angelos esse Ideas rerum corporearum quod sequaces ejus impingunt Platoni, vel esse in concavo Lunæ hominem magnum, quem singulares homines participent. Nec quomodo fiat ista participatio declaravit. Audiamus ergo Aristotelem impugnantem Ideas: e plurimis pauca.

XLIII. Objec. 1. 7. Metaph. lect. 9. Idea hominis

 non

non est homo per se; cujus participatione fiunt homines, quoniam materia sensibilis est pars definitionis, ut nasus ponitur in definitione simi, non intrat materia, neque communis, neque singularis. Homo autem non solum est forma, sed Compositum ex materia & forma, & corrumpitur ad corruptionem materialium: non autem ipsa forma seu idea. Materia est pars quidditatis, & formæ totius, & non formæ partis, ut simi, & non cavitatis, ut humanitatis & non animæ: & materia universalis, sive sensibilis ut nasus, sive intelligibilis, ut linea, ponitur in definitione, non autem individualis; quia Individuorum non est definitio, sed sensus, ergo idea non est substantia Compositorum utpote incorporea & æterna, & extra id, quod fit materialiter.

Respondetet Plato, quod materia non est pars quidditatis specificæ, sed individualis tantum. Non enim de ratione sphæræ est æs, neque de ratione hominis est caro & os, sed ipsa humanitas tantum.

Aristoteles autem instat, quod materia intelligibilis est de ratione Circuli, ut linea; & de ratione hominis est materia sensibilis, ut caro & os. Circulus enim non datur absque linea; neque homo nisi in carne & osse. Sed profecto linea non pertinet ad rationem materiæ circuli, sed ad formam, vel ceu dicit Plato, etiam Circulus sine linea est unitas; sicuti triangulus sine lineis intelligitur, & est ternarius. Hanc responsionem non satis impugnat Aristoteles, sed contendit, materiam esse de ratione Compositi, sed non formæ; & quando forma non potest esse nisi in una materia, tunc illam materiam esse de ratione totius; sicut humanitas non potest esse sine carne & osse: at linea & circulus potest sine carne, & ligno & charta, quoniam in omni materia potest signari. Nos autem reddimus horum causam ex fine & idea, dicimusque Mathematica non esse Entia nisi in spatio: in corporibus vero pertinere ad formationem. Idcirco cum omnia corpora formentur ad ideam, in omnibus reperiri posse. Sic enim & calor & frigus quæ instrumenta sunt actionum in omni corpore. Sed formam esse propter finem, ut gladii propter secare; & ideo non nisi in ferro & dura materia fieri: sic & ad finem hominis pertinere ut sit in carne & osse; & cum cessat finis, cessare hanc materialitatem, & fieri incorruptibilem ob alium finem.

Ad Aristot. dicimus, Ideam non pertinere præcise ad formam, nam idea ignis etiam in ferro servatur, & frigoris in aere sibi contrario. Ad Idea hominis est multiplex: alia animæ, alia corporis, alia manus, alia Iecinoris &c. Ex quibus omnibus fit unum Decompositum, cujus respondet Idea, quæ est Humanitas, non autem anima aut rationalitas. Humanitas autem dicit materiam & formam (corpus & animam). Differimus autem a Platone, qui ponit ideas duntaxat formarum, nisi intelligat *formatorum*, uti nos: sed quoniam materiam non a Deo facit, idcirco ideas formatorum ponit universales tantum. Nos autem particulares quoque, quoniam nulla entitas effugit Sapientiam Dei; & ipse est causa materiæ & formæ, & formationis, & compositi, & omnis horum idealitas relucet in Deo. Sed Materia formam respicit; Deus autem utrumque; sed constat materiam esse propter formam, & non econverso: idcirco essentiam ad formam, pertinere primo; formam vero ad finem; finem vero ad agentem causam principalem, quæ omnia propter se facit. Agens namque est ultimus finis & principium rei.

XLIV. Objic. 2. Ideæ sunt nobis ignotæ, & de eis operosa est quæstio utrum sint, ergo ad cognitionem sensibilium non conducunt. Resp. Ideas esse vel maxime necessarias ad notitiam rerum; siquidem res nulla cognoscitur nisi per assimilationem cognoscentis ad cognitum. Hæc autem assimilatio est idea & forma & simulachrum apud Aristot. quapropter sibimet plurius adversatur quam Platoni. Si autem de sola Idea abstracta contendit, nos quoque dicimus, eas non reperiri nisi in Deo & angelis, quos cognoscere ideata per ideas palam est. Nobis autem conferunt illæ ideæ, quoniam perfectissimam entitatem habent, qua carent individua. Nec sine cognitione Ideæ perfecta datur scientia: & licet operosa sit investigatio Idearum, quas abstractas Aristot. fingit, quas tamen ponimus nos, facillime invenimus. Ars enim nostra palam est idea artificiatorum, & divina Ars naturalium. Et licet quid sint non facile novimus, tamen non parit in nobis scientiam ut quod, sed ut quo. Imago Petri in oculo meo est quo video Petrum, & licet ignorem quomodo fiat illa imago, & quid sit: tamen & ego, & rustici & pueri non videmus Petrum nisi per illam imaginem. Idea ergo in omnibus licet ignota confert ad scientiam ut quo, non ut quod. Diximus ad scientiam perfectam, non ad scientiam utcunque, necessariam esse ideam, tunc enim de hominum natura, & de statuarum, & de poematum bonitate judicabimus, cum ideam hominis (licet definitionem, quæ ideæ hominis competit, adhuc ignoremus fatente Campanella Lib. 6. Met. cap. 2 art. 3.) & poematis pernoverimus. Harum autem & similium Idearum notitiam accuratam habeat oportet Criticum, qui opera aliorum præsumit censurare. Maxime quoque necessaria est idea artificibus, & scire quiditatem ejus Inventoribus: imperitis vero qualiscunque ideati notitia per exemplum quodcunque satisfacit: & quia prius nosse opus, deinde operari illud oportet, necessario dicimus Ideas ad scientiam & productionem requiri. Incipit ergo notitia a sensibilibus, sed perficitur idea. Angeli autem perfectius cognoscunt, quoniam ideis pleni sunt, ut dicebat Augustinus, & non accipiunt eas a sensibilibus, sed secundum eas judicant de sensibilibus; & sunt quasi inventores, non quasi imitatores, nisi respectu DEI. Plato ergo elevat hominem ad perfectam scientiam, & ad divinorum notionem a sensibilibus, ut S. Justinus in se experitur, & judicat de his in illorum celsitudine per scientiam methaphysicam: Aristoteles vero in sensibilibus hæret, tanquam semper addiscens, & nihil intelligens. Quod artificium studium ipsum monere potuisset.

Recte quoque Augustinus probat Ideas: si enim ego scio hominem secundum veritatem esse animal, & tu etiam scis hoc esse verum, quod homo sit animal. Tu autem hanc veritatem non habes a me: neque in me: neq; ego a te, neque in te; ergo utrique id novimus in Deo, & per ideam, & per naturam ideatorum solam. Verum enim est unumquodque simile esse suæ ideæ, alioquin non differret verum aurum a falso, quia & hoc est verum aurichalcum. Quia vero idea concurrit ut quo, ideo non capimus eam, & tamen per eam judicamus, sicut de visibili per speciem visivam. Istiusmodi autem species non tam sunt imagines (quis enim sibi fingat imaginem saporis aut soni?) quam similitudines.

Quid-

Quidquid enim immutatur a rebus, simile illis fit. scientia autem est immutationis, aut entitatis. Nam si est aliquid, non immutatur, sed novit quia est, per immutationem autem, quia fit, ergo quia est.

XLV. Objic.3. Quidditas est idem cum eo, cujus est quidditas, & hoc in omni ente: atqui idea non est idem re & ratione cum ideato, ergo idea non est quidditas ideati, nec de eo prædicabilis. Resp. dist min. Duplicem enim admittit sensum Vno modo secundum essentiam; & sic verum est: alio modo secundum participationem, & sic falsum. Nam ideatum est ipsa idea participata. Participatum autem addit participans. Quapropter idea est quidditas ideati, ut domus in mente, domui in re, sed secundum esse formale. Quapropter definitio ideatorum communis, convenit ideæ communi, non autem singularis. Et ipsa idea dat esse formale, & in tantum est homo, in quantum habet humanitatem. Est ergo idea tota in quolibet ideato, sed non totaliter, & sola; quia addit materiam. Quæ tamen in quantum est formata & idcata, habet unum esse cum forma: & tota ratio essentialis est a forma, ut putat Averroes cum Platone. Nos autem dicimus, etiam a materia physice, sed ut formata, quoniam damus ideam perfectam totius Compositi, ut Humanitatem. Hinc homo, qui non est ad ideam hominis, non habet essentiam & veritatem humani esse; sicut gladius si non respondet formæ in mente artificis, non est vere gladius. Veritas autem & essentia sunt idem, ergo participatio ideæ, est essentia ideati.

XLVI. Objic. 4. Idea si daretur, esset substantia Ideatorum: sed hoc est falsum. E. min. prob. Idea enim est universale, ergo si dicit substantiam, vel erit substantia omnium individuorum, vel unius. Si omnium, ergo omnia erunt unum. Si unius, ergo alia non convenient specie cum illo uno, & dicetur semper æquivoce τὸ homo, & quodcunque universale.

Resp. Quod idea est essentia, non substantia, individuorum omnium: & omnia individua esse unum unitate ideali specifica, ut ipsi Peripatetici fatentur, plures homines participatione Speciei esse hominem unum: quod tamen falsum est, si Idea non extat, quoniam Species abstrahitur ab individuis, ergo est participans & non participata. At si non abstrahitur, sed extat in causis agentibus, tunc vere est participata, essentiaque est in omnibus, & omnium participative, sicut essentia scripturæ hujus est in omnibus chartis, in quibus describitur. In mente autem mea idealiter: & ab hac idea capiunt essentiam. Sunt ergo Individua unum specie, non autem numero; quod magis declarabitur in Tract. XLIX. de Universal.

XLVII. Quæres: Quomodo ergo prædicetur Idea de Ideatis? Resp. prædicari essentialiter, in concreto tamen, non in abstracto: non secus ac universalia: sic paries est albus, non autem albedo. Sic Petrus est homo, non autem humanitas, Idea vero est humanitas. Nihil enim obstat, idem esse essentiam hominis, & Socratis participative, & Individuorum eandem esse specificam essentiam, non autem individualem. Nec inconveniens est, Individuum, (quod est unum unitate numerica) componi ex pluribus substantiis, ut ex Elementis, & ex materia & forma. Item dico, ideam hominis contineri in idea animalis; & ideam Socratis in materia hominis; ut unitas in binario, & binarius est in ternario, & fieri unum numero, non ex potentia & actu, sed ex compositionis & formationis unitate. Nonne Ars theriacam unum numero ex pluribus simplicibus facit? & natura mixtum ex Elementis, & compositum ex disformibus & actualibus? Quid mirum si etiam summus Opifex, cujus est unica Idea sui, & in ipsa relucent aliorum entium Ideæ universales, & partiales, facit individuum, participans plures idealitates formales. Item Idea differentiæ specificæ non est alia ab idea speciei, sed addit non esse aliud. Non-entis autem Idea non datur, nisi in Entis. Quapropter plures ideæ subordinatæ faciunt unum, & disparatæ non faciunt unum. Non enim equinitas, & bovinitas, & humanitas faciunt hominem: sed animalitas & humanitas & Martinitas faciunt Martinum. Nec quidem unitatem omnem facit actus & potentia, ut passim clamant, quoniam posse recipere & recipi non semper faciunt unum simpliciter, ut patet in amphora & aqua: sed finis & usus unitas essentialis faciunt unum. Vnum molendinum est sic ex multis: & ordo & forma, & compositio.

XLVIII. Itaque bene notandum pro similibus objectionibus, Animal v.g. in homine & equo esse sicut idem genere in diversis speciebus, participatum, ut domus in mente, in domibus extra mentem. Animal est totum in homine & totum in equo; differentiæ vero hominis & equi, puta rationale & irrationale, non esse in animali, ut genus est ideaque communis, sed in homine & equo: sicut differentia Socratis & Plat. non est in idea hominis, sed in individualibus. Homo enim dicit ipsorum similitudinem essentialem; ex eo quod participatur a dissimilibus; dicit & differentiam: sed omnes istæ ideæ subordinatæ sunt; sicut & scientia ipsarum, ut patet in artibus. Et quamvis sit totum animal in homine, & in equo, non tamen totaliter essentialiter, quoniam non posset in multis esse unum; sed participative, ut sigillum in sigillatis. Species ergo non sunt in genere, nisi unite; genus autem in speciebus est participatim. Et sic idem essentiam infinitis dare potest, ut sigillum sigillatis, quoniam omnis Idea est ab infinito Deo.

XLIX. Notandum 2. Non esse absurdum, admittere idem esse Ideam, & ideatum hoc sensu, quod homo ut participans sit ideatum, & ut participatum a Socrate sit idea. Sic quoque dicimus Ideam esse formam, non formatam sed formantem, id est cujus sit formatio, ideo separatur ab ideato, & est in ideato, non secundum totam sui essentiam, sed secundum participationem. Idea ut participata est forma Ideati; Corpus autem materia. Verbo, nisi Ideæ essent, nil fieret concinnum & ordinatum & formatum, sed temere omnia jactarentur vel quiescerent, sicut Instrumenta scribendi, & subjectum absque idea scribentis esset mera pollutio chartæ per atramentum. Aristoteles autem (cujus rationes numero sexaginta septem doctissime refutat Campanella Lib. 13. Met. cap. 2. art. 5.) tollit basim rerum & formam, relinquens tantum media formata, & quodam casu & insufficienti, Mundum format.

TRACTATUS XXXII
DE
LOCO, SEV SPATIO.

SECTIO I.
Quid sit Locus & quotuplex.

I. PEr Locum intelligimus id, per quod commode respondetur ad quæstionem factam per *Vbi?* Res enim quæcunque creata, ut existat, alicubi, & aliquando in certa differentia temporis existat necesse: Rem enim existere, & tamen nullibi, aut nunquam, oemo sani cerebri admiserit. Illud autem io quo res existit, vocamus *locum*. Et tametsi hæc ita sint obvia, ut labioteous docti & indocti conveniant: in reipsa tamen si petatur, quid sit illud, quod per nomen loci importatur, mire inter se discrepare video Philosophos.

Dignus est, qui primo loco audiatur, doctissimus Thomas Campanella, qui Lib. 2. Met. cap. 13. sie ait: "Omnis res eum ad existentiam exit in suam hæcceitatem, receptivum sui habet, qood vocamus *locum*, utilissimum ad essentiæ ideatæ naturam pernoscendam. Est autem Locus omnium divinitas substentans, portansque omnia verbo virtutis suæ, non qoasi subjecta materialiter, sed quasi active, & superpotentialiter daos esse, atque conservans; in ipsa enim vivimus, movemur, & sumus.

"2. *Locus* seu *Vbi* dicitur spatium incorporeum, stabile, aptum ad receptandum corpora omnia: nullis ergo contrarium, sed cunctis commensurabile, longum, latum, profundum, ad concipienda corpora longa, lata, profunda, qoæ penetrent incorporaliter, & a quibus penetretur corporaliter. Est ergo primus locus Entium basis; secundus corporum est basis.

"3. Locus est materia, non corporum, sed formarum activarom & passivarum, nullis contrarius, suscipiens omnes, non dans, maxime autem ac principaliter locus formarum substantialium, existeotiam illis, substando præbens.

"4. Locus est Compositum ex materia & forma, accidentibus solummodo substractus, ut homo albedini & Musicæ, & cicatrici &c. Omnesque hi loci, excepto primo, non dant rebus existentiam, sed porius excipiunt, sustentantque rerum existentias. Primus enim dat active, & cunctis modis.

"5. Locus dicitur corpus magnum adjarens parvo, vel intra quod est parvum, ur mare dicitur Locus piscium, Terra reptilium & gressilium: Aër volatilium: Italia Romanorum. Et iste locus plurimum valet ad notitiam essendi, & causandi & patieodi rerum, & est *communis*, ut mare pisci; & *particularis*, ut hæc aqua huic pisri.

"Sextus ergo dicitur locus Totum suarum partiom, ut locus manus est corpus animatum: Capillorum caput; Jecoris pars dextra sub diaphragmate, & sic de singulis; ergo situm habeot in toto suo. Sunt etiam Planetæ in situ suo respectu ad lorum, & ad Mundum, magnamque præstaot novitatem in sitibus novis, or euilibet Physiologo & Astrolgo compertum est.

"Sunt etiam regiones in cœlo & in terra, & in mari, ejusmodi locationem vel consimilem habentes erga corpora, & res apud ipsas existentes, quarum notitia magni resert, ut sciamus quas vires, a quibus causis vicinis vel remotis sortiuntur, & quæ in earum coexistentium habent usum."

II. Superficies extrema ambientis corporis, qui locus Aristoteli videtur (a modernis vocatur locus extrinsecus) locus oon est, sed corporis adjacentis extremitas, cui corpori convenir esse locum analogice. Physicus enim vere loeus, univocusque est, *spatium*, basis existeotiæ rerum corporalium a divinitate substentata. Ergo Divinitas metaphysicarum rerum & idearum locus analogice, vel metaphorice dici queat: sicut & intellectus humanus, dicitur locus specierum & notionum."

Lib. autem 11. cap. 3. art. 4. ait: In prinriplo successioois rerum, quando ex Non-esse successit Esse, ante quam corpora prima a primo Eote manareor in spatiositate mentali, quam susteotat spatiositas infinita supereminentialis supersubstaotialis Deitatis, *spatium universale mathematicum*, in quo ipsa locanda erant corpora, *factum est*, teste S. Ambros. epist. 31. tanquam basis & substaotia prima immobilis, idcirco longa, lata & prosunda incorporaliter, ot rorporibus longis, latis ac prosundis commensurabilis aptaque locandis forer. Idcirco sibi simillima, & omnibus, ut omnia posset concipere; differentiæ enim loco a corporibus locatis, oon a loco oriuntur: oportet autem origine præcessisse locum hunc locara, noo autem tempore, ut exprobrar Averrores. Nec quidem requirendum est, obi erat Deus ante locum? ipse enim solos in se, cætera io ipso sunt; siquidem locus est, non locatus: verbo namque virrutis Dei sustinetur intus, & ubique extraque: & neque eor non moveatur, ad locum enim moveretur: potest ergo & scit & vult locare, quoniam ad hoc factus est in Deo, & a Deo omnipotente, omniscio omnivoloque, & ipse est principium egressionum a Deo, & Fati, & Harmoniæ sedes & pars. Nec ex alio factus est loco, sed ex nihilo. Et extensum est super nihilo rerum; sed super esse divioo, sustentaore omnia intriosece subtus, & tameo eminenrer ut causa." Post locum, posterioritate saltem oaturæ, creavit Deus materiam primam, quæ est corpus rerum incoostructum, & informe & iners, absque numeris, aptum ad omnem, formam & artem, & operationem, & oumerom: idcireo suir divisibile usque ad atoma, & condensabile & rarefactibile, & terminabile ad omoes ideas, ur ex eo cuncta corporalia fieri possent; rem idcirco ex se passivam modo, non multiplicativam, ner geoerabilem, nec augmentabilem, nec miouibilem. . . . . Nos autem ex Arte & Natura didicimus præesse locum cuilibet effectui, & mox materiam in loco, sive in atomos divisam, sive in Chaos unitam, ut dicit Ambrosius, sed melius unitam, quoniam unitas præcedit numerum.

Et hoc est systema Viri doctissimi, juxta quod L. 7. Met. cap. 2. art. 6. refutat errorem anriquorum, qui Deum asseruerunt esse ipsam Materiam: & hi admittere debent ipsammet esse causam activam, vel activas causas esse ejus passiooes & affectiones, quod ipsum stultissimum est. Deus enim non est potestas passiva; pa-

ti enim

ti enim est recipere; Dei vero dare. Nec materia a se ipsa affici potest, sed ab alio, neque a seipsa moveri. Movens enim aliud est a moto semper: & quamvis naturalia moveant seipsa ab intrinseco; forma tamen movens est aliud essentialiter a corpore moto, ut calor ab ignis corpore: oporteret ergo asserere Deum esse compositum; quod facit esse ipsum non unum, neque primam causam: vel activitatem esse respectum & nihil, ut putant Epicurei & moderni Cartesiani, calorem frigusque a materiæ seu atomorum situ, & ordine, & figura oriri, quod non minus falsum est: & qui materiam activam faciunt, aut ex activitate & passivitate componunt, non intelligunt, quid nomen materiæ sonet. Sed de hoc alibi.

III. Sed nec Spatium, in quo sedet Mundus, Deum esse contendit Campanella. Vult enim Spatium istud esse creatum, incorporeum, penetrabile, indigens repletione corporis, & entitate, quam non habet. Deus autem omnia habet, secundum conceptionem communem omnium hominum, imo & omnium rerum: Est quoque spatium passivum &, receptivum, non dativum & activum: & licet omnia sustentet, & nullis sit contrarium, & præcedat omnia quoniam ante ipsum nihil: oportet namque in loco esse, quidquid est non tamen videtur posse dare calorem & frigus, aut materiam creare & secunda entia, & arte aliqua uti propria ad rerum compositionem. Sed est uniq: (inquit) nobilissimum Ens, & basis entium corporeorum, non tamen Deus, sed in Deo; imo & Mens ipsum præcedit: indicat enim calor, & frigus, & materia, & rerum colligatio, & ars, ordo & aliqua, non a spatio modo res habere, quod sint, sed ab aliquo longe priori, perfectiori, abundantiori, qui non indigeat spatio ad sui sustentationem, sed dederit spatium corporeis rebus ad sustentationem earum, & in eo ipsas increarit. Mens etiam subito infinitum spatium percurrit & complectitur & lineat: hoc autem non faceret si esset spatii pars & effectus. Quapropter Democritus & Epicurus, qui materiam & locum tanquam duo prima principia, quæ vocant solidum & inane, posuerunt, falluntur valde: quoniam sunt vere duæ substantes causæ, sed passivæ, non activæ.

IV. His accensemus Neotericos, qui cum R. D. Aloysio Timmek Kimmet) pag. 292. docent, quod *extensio* corporum sit ipsum spatium corporis, & dicatur *locus intrinsecus*, quem corpus non invenit & occupat, tanquam aliquid præexistens sibi, ut vulgus imaginatur: Sed adfert ipsum sibi illud spatium & locum; imo *est sibi suum spatium*, cum sit ejus perfectio specifica & constitutiva; sic ut recte definias corpus ut sic, *Res extensa, ens spatiosum, substantia locabilis*, sive potens esse in loco extrinseco, *res mensurabilis*, longa, lata, profunda; quæ omnia in idem recidunt. Non igitur potest corpus illud suum spatium alienare, nec unum corpus expetere spatium alterius intrinsecum, quia natura nihil expetit impossibile; nec potest unum corpus extendi per extensionem alterius; sicut spiritus unus non potest intelligere per intellectum alterius. Sed nonne duo corpora invicem penetrata v. g. corpus Christi cum janua clausa, sunt in uno eodem loco? Respondet, dici tunc esse in eodem loco respective ad corpus extrinsecum continens, & habere eundem locum extrinsecum, eandemque commensurationem ad extra & figuram eandem; specie scilicet eandem, non numero. Ita Kimmet.

Verum enim vero hæc omnino gratis dici videntur, & male confundi spatium seu locus intrinsecus cum ipsa extensione corporis locati; tum quia sequeretur, duo corpora penetrative in vacuo posita esse nullibi, quod implicat in terminis: essent enim alicubi, nempe in Vacuo puta in Recipiente, cujus aer omnis supponitur extractus, & si quod aliud corpus ibidem remansisset, a Deo annihilari. Et essent nullibi, quia nec in loco extrinseco, cum corpus ambiens hoc casu adsit nullum; nec in loco intrinseco eodem, quod secundum adversarios repugnat, utrique enim ut propria est extensio, ita & locus suus intrinsecus alteri incommunicabilis, tum quia nullum corpus de loco in locum esset transferibile, suum quippe locum secum portat ubique, quod absurdum est: aut considera totum Universum, quod, uti fatentur, in loco extrinseco non est positum; nec transferri alio ne divinitus quidem posset, quia extensionem sibi essentialem mutare nequit, nisi per rarefactionem aut condensationem vel compressionem, tum quia esse hic vel ibi est prædicatio accidentalis quinti prædicabilis: esto prædicata universalia sint universalibus essentialia; sic homo est essentialiter coloratus, accidentaliter tamen albus aut niger: sic essentiale est illi esse alicubi; quod tamen sit Romæ vel Venetiis, pure accidentale.

Constat sibi Kimmet in erronea sua opinione, dum pag. 121. num. 208. ait: "Error est in eo," quod supponas, esse locum & spatium, antequam" ibi corpus sit; locus enim est superficies corporis," complectentis aliud corpus, intra se, & intra spa-" tium suum, sua superficie terminatum: spatium vero" vel extensio, potius est in corpore, quam corpus in" spatio; cum extensio sit perfectio corporis, sicut in-" tellectivitas, Angeli." Hæc ille.

V. Strident hæc omnia. Quid est dicere, *spatium potius est in corpore, quam corpus in spatio*, quam locus potius est in locato, quam locatum in loco? non modo Vulgus hæc non intelligit, sed nec Philosophus; alter loquitur S. Thomas cum Aristotele, Lib. 4. phys. sect. 6. sic explicans naturam loci extrinseci: "Vas & locus in hoc differre videntur; quod vas," transmutatur, locus autem non. Unde sicut vas," dici potest locus transmutabilis; ita locus potest," dici vas immobile, q. d. locus ex natura sua non," petit cum locato transferri, ideo immobilis dicitur: vas autem cum contento transferri petit, cum enim in finem inventum esse videtur. Applicet hæc Kimmetius suæ definitioni, si potest.

VI. Locum itaque sic definitum (nempe, *superficies prima & immobilis corporis, aut rei corporeæ:* [quod addunt quidam ob species Eucharisticas] *ambientis locatum*) non esse in corpore locato, manifestum est: hinc ab omnibus vocatur *locus extrinsecus*. Quia vero *esse in loco*, vel esse locatum videtur quædam denominatio intrinseca corporis locati: hinc multi ex RR. (inquit P. Carolus Schrenck Professus ad S. Petri Salisburgi & Anno 1690. Professor Phil. ibid. in suis thes. phys.) etiam Thomistis putant debere adhuc dari aliquem modum vel formam intrinsecam in Locato, per quam formaliter determinetur ad esse locati in hoc loco, quod vocant *locum intrinsecum*, vel in concreto *Ubi intrinsecum*.

VII. Hunc locum intrinsecum quidam putant cum Campanella esse spatium reale, prout mox audi-

divimus, incorporeum, creatum tamen. Alii complures vocant *Imaginarium*, in quo quasi penetrative corpora locentur, probabiliter quidem, judicio Card. Toleti & aliorum. Quod tamen, licet dicatur *Imaginarium*, non tamen esse fictum & ens rationis mordicus contendit P. Joan. Bapt. Ptolomæi.

Omissa interpretatione definitionis loci extrinseci Aristot. 4. phys. quam ut tueantur Peripatetici quoad immobilitatem, in omnes partes se versant, quam tamen sine scrupulo, facilius ut ineptam nobiscum rejicerent: Rectius loqui & sentire censemus illos, qui præter locum extrinsecum statuunt locum intrinsecum & immobilem, spatium nimirum, quod res unaquæque occupat. Sit itaque

SECTIO II.

Nostra sententia circa naturam Loci.

VIII. Conclusio 1. Datur locus rerum intrinsecus & immobilis, spatium nimirum, quod res unaquæque occupat. Est communis. Probatur 1. cum Authore Phil. Burgund. tom. 2. Met. tract. 1. q. 6. pag. mihi 132. Cœlum Empyreum est in loco: nam impossibile rem esse & nullibi existere sicut non potest esse, quin aliquando existat. Sed Cœlum illud ultimum non est in loco extrinseco, ut ab Arist. definitur, cum nulla sit superficies quæ illud ambiat, nempe alieni corporis. Ergo est alius locus præter eum qui ab Arist. definitur, quique extrinsecus tantummodo est, nec revera immobilis. Nam circumfusus aer, in quo sumus, continuo mutatur, neque adeo est immobilis, nisi, ut ajunt, æquivalenter. Deinde res in Vacuo posita, est in loco, non enim est nullibi. cum sit demonstrabilis: sed nulla est ibi superficies corporis ambientis. Ergo &c.

Probatur altera pars facile & simul explicatur. Concipimus enim totum locum quem occupat Universum, tanquam spatium per omnia diffusum & extensum, permanens & immobile, in quo tamen omnes motus perficiuntur; in eo quippe rerum distantias & motuum quantitates dimetimur. An autem hoc spatium sit imaginarium, an reale? controvertitur.

IX. Conclusio 2. Spatium imaginarium merum nihil, & figmentum rationis est. Ita P. Andreas Capittel S.I. in thesibus Dilingæ editis Ao. 1619. num. 70. Huic assentitur Illust. D. Caramuel Lib. 8. Phil. Disp. 2. de Loco, art. 1. n. 3029. "Ego (rem fateor) judico imaginatias & chymericas contemplationes esse, "quæ in Philosophiam intrudunt Rationis entia, mo-"dos concipiendi, nec non spatia imaginaria. Hæc "quid sunt? Reale, aliquid? aut imaginarium? si reale "quid: aut productum erit, aut improductum: erit "mere chymericum, si mere imaginarium. Doceri "velim, cur in spatio chymerico non debeant corpora "esse chymerice, aut moveri ficte? Certe in imagina-"rio spatio corpora erunt imaginarie, vere non nisi in "vero. Puer subjectus ferulæ docentem spatia imagi-"naria audire dedignabar: videbar enim intueri ma-"nifestissimam contradictionem, quam senior nunc re-"spicio clarius. Albedo existens constituit actuale "album, futura futurum; intensum profunde radica-"ta: albedo ficta constituet album fictum, imaginaria "imaginarium, ergo similiter Ubicatio seu spatium fictum, locatum fictum & imaginarium.

X. Conclusio 3. Datur spatium reale, a quo sortiuntur omnes creaturæ denominationem locati, quod vocamus apte locum intrinsecum; quod tamen non est creatum, ut vult Campanella. Prima pars constat ex praeced. concl. 1. secunda probatur. Illud spatium vel esset finitum, vel infinitum. Non infinitum, quia omnia creavit Deus in numero, pondere & mensura. Nec finitum, quia ultra terminos Universi non extenderetur, nec assignari rationabiliter alius ejus terminus poterit: adeoque si Deus alium Mundum creare vellet, novum spatium prius pro eo recipiendo necessum haberet condere. Manebitque semper phantasia concipiendo extra Empyreum Spatium imaginarium, quod modo explosimus. Deinde illud spatium nec esset corporeum, nec substantia corporea sive corpus, nec tamen Spiritus, sed tertium quid hactenus inauditum, nec ulla ejus necessitas sustentandi substantias corporeas, cum per se subsistere natura sua veleant, & absque ejus adminiculo natura loci intrinseci, qui terminus est motus localis, explicari commode queat, ut patebit ex mox dicendis.

XI. Conclusio 4. Datur spatium reale & physicum a corporibus participale, quod est increatum, nempe Immensitas Dei undique diffusa sine mensura. Hæc Immensitas unum & simplex *Ubi* est; extenditur tamen virtualitatibus infinitis. Animam rationalem virtualiter extensam dicimus; sed quia finite tantum, virtualitatibus non nisi finitis constat: si extensionis ejus terminus non daretur, infinite extensam virtualiter diceremus: At talis soli Deo competit. Virtualis ista Dei quatenus immensi præstat tantundem, quantum spatium corporeum realiter divisibile præstaret. Sicut ergo in Oceano ideo unus piscis non est in loco, in quo est alter, quia iste correspondet tali parti maris, alius alteri: ita Immensitas Dei facit, quod unum corpus aut substantia creata sit potius hic quam alibi.

XII. Conclusio 5. Cum hoc spatio increato hoc est cum Deo machina Mundialis penetratur. Ita loquuntur SS. PP. Damascenus 1. de Fide *Deus, ut qui materiæ ac circumscriptionis expers sit, haud quaquam in loco est, ipse enim sui ipsius locus est.* Accinit Augustinus Lib. 83. qq. q. 20. & huic Theophilus Antiochenus L. 2. ad Autolycum non longe a principio. Idem D. August. 7. confess. c. 5. Mundus in Deo velut spongia parva in Oceano immenso. Spongia penetratur aqua, continetur unda, superexceditur abysso immensa; sic Mundus penetratur, pervaditur, continetur, undequaque exceditur immenso Deo.

XIII. Conclusio 6. Locus intrinsecus est creata & finita participatio Immensitatis. Ita plerique recentiores teste Phil. Burgund. q. 6. Tract. 1. Met. tom. 2. quamvis illi multiplici nomine displicet, cui tamen satisfaciemus inferius. Explico. Participatio duplex est: intrinseca & extrinseca. Intrinseca, receptionem sonat, extrinseca respectus. Participare formam extrinsecam, connotare est. Res ubicata immensitatem intrinsece non recipit, sed ei inexistit, illam connotat: ideo Immensitas non est rei ubicatæ forma intrinseca, sed extrinseca seu Connotatum. Me itaque esse in hoc loco, & non alibi, est me inexistere & intime penetratum esse cum hac virtualitate immensitatis. Tolle polos Mundi, & centrum non tantum Terræ sed & totius Universi, annihilentur omnia, ego solus permanens locum non mutavero meum. Valeant igitur spatia imaginaria, & entitates modales: posita

sola

sola relatione intimæ præsentiæ eum tali vel tali virtualitate immensitatis divinæ rationem loci habemus.

XIV. Conclusio 7. Vbi, seu esse in loco, non addit rei ipsi, quæ est in loco, modum aliquem positivum, sed denominationem tantum extrinsecam. Ita Phil. Burg. loc. cit. conclus. 2. Probatur. Vbicatio adæquate distincta (talem hic intelligimus per modalem absolutam, entitative distinctam a locato) si daretur, deberet produci aut emanare a corpore mobili mediante motu locali, & tamen non posset sic produci, ergo. 1. pars ant. est Add. 2. in qua vis est, ostenditur: si corpus mobile produceret per motum localem, ubicationem, produceret illam tunc, cum est in termino sive spatio A. v. gr. vel cum nondum est in spatio A. Neutrum dici potest, ergo. min. prob. non potest dici quod producat tunc, aut quam est in spatio A. quia in aliquo instanti ubicatio modalis esset producta & existeret sine suo subjecto, quod juxta ipsos Add. implicat; vel certe idem mobile naturaliter haberet duplex ubi adæquatum simul & semel, quod etiam non concedunt. Nec secundum dici potest, quia prius natura intelligeretur mobile præsens in spatio A. quam produceretur ipsius præsentia localis modalis in eodem termino sive spatio, ac sic jam in posteriori naturæ ubicatio modalis frustra supervenires mobili, quia sine illa jam intelligeretur corpus seipso ubicatum & coexistens huic spatio A. sequela probatur. Omnis causa, quæ necessario est subjectiva & effectiva supponitur prius natura esse ante effectum: sed corpus mobile est causa subjectiva & necessario effectiva suæ ubicationis, ergo prius natura supponitur esse in hoc spatio, in quo debet producere suam præsentiam. Hoc autem implicat, sicut ante albedinem nihil intelligitur album; ante unionem nihil unitum, ita ante præsentiam localem nihil præsens. Hoc argumentum ni fallor, quemvis intellectum bene dispositum convincit persuadetque omnem hujuscemodi superadditam modalem entitatulam esse superfluam & inutilem.

XV. Dices, in illo priori abstrahi ab ubicatione. Contra est, Causa in actu primo proximo debet concipi cum omnibus ad agendum requisitis: atqui in illo priori subjectum mobile est in actu primo proximo, ergo debet concipi cum omnibus ad agendum requisitis. Assumo, esse debite approximatam causam, & consequenter in loco est unum ex necessario prærequisitis, ergo sine ubicatione non potest concipi causa in actu primo proximo, sive in illo priori naturæ.

Nec dicas, hoc verificari in aliis effectibus, sed non de effectu ubicationis, quia hæc est evidens petitio principii, aut assignetur disparitas.

Inquies: Sicut ante albedinem nihil est album; ita sine ubicatione nil potest concipi ubicatum. Resp. Instantiam hanc nullius esse valoris, quia albedo non est unum requisitum ex parte actus primi, sicut ubicatio & approximatio: læta ergo est disparitas.

XVI. Objic. 2. Deus idem est Romæ, qui Neapoli, ergo qui coexistit Deo Romæ, coexistit eidem Neapoli, ergo qui est Romæ, erit quoque Neapoli. Resp. N. ultimam consequentiam. Est uique Deus totus Romæ, & totus Neapoli, sed non totaliter seu secundum omnes virtualitates immensitatis suæ, qui ergo existit Romæ diversam relationem dicit ad virtualitatem immensitatis, seu immensitatem virtualiter sumptam, quam ille qui existit Neapoli: sicut anima rationalis prout in cerebro, non existit in pede, licet realiter sit eadem.

XVII. Objic. 3. Spatium est quid fictitium, locus autem est quid reale: sed quod est reale & physicum, non pendet ab eo quod est fictitium, ergo. Ad hoc argumentum Resp. Author Phil. Burg. cui concordare videtur P. Ptolomæi, cum dist. immobilitas spatii imaginarii est quid fictitium, seu non est quid positivum. C. est fictitium, ut ens rationis, quale chimæra. N. Nam revera, inquiunt, concipimus hoc spatium ut privationem, seu capacitatem corporis excipiendi; ac locus concipitur immobilis per solam abstractionem, fere ut numerus. Sed Contra. Nulla privatio concipi potest sine subjecto, ergo si spatium imaginarium concipiunt ut privationem, quæ sit capacitas corporis recipiendi, sane subjectum aliquod concipi necesse, in quo capacitas illa fundetur, & quodnam illud? Idem Author observat, de loco eadem fere dici posse, ac de relatione: locus enim & locatum sese mutuo respiciunt, & sese denominant, cum sunt simul, non autem cum separatim sumuntur, idque citra ullius formæ (intrinsecæ) vel entitatis additionem. Nam ut fundamentum potest esse sine relatione, ac terminus quoque seorsum citra relationem esse potest, non tamen simul & conjunctim; ita de loco & re quæ est in loco dicendum est. Hæc ille, & quidem recte & conformiter nostræ sententiæ: at non videmus fundamentum reale in spatio imaginario, nec quomodo in privativo constitui possit relatio realis ubicationis. Manifestum autem si Mundus corporeus auferatur, remanere spatium seu capacitatem, prout de facto extra Empyreum, in quo infiniti Mundi sunt locabiles, non quidem creatum, sed increatum, nempe Dei Immensitas. Sic omnes mensuræ, cœlestium, terrestrium per Mathematicam factæ, in spatio sunt, essentque falsæ demonstrationes, nisi fundarentur in spatio. Nec imaginaria tantummodo linea est, mathematice sumpta: nam Mathematica esset de imaginationibus, non de rebus. Vide Campan. L. 13. Met. cap. 2. art. 6.

XVIII. Objic. 4. Vbicatio non potest consistere in relatione, quia ad relationem non datur motus: datur autem ad locum. probatur hoc; quia per motum localem debet acquiri terminus novus. Resp. si *acquirere* sumatur pro *producere*, tunc motus localis non est productivus, sed adductivus, per quem nihil de novo producitur, sed tantum corpus ad alium locum adducitur vel traducitur. Fundamentum autem loci extrinseci seu relationis est superficies locati commensurabilis superficiei ambienti. Loci vero intrinseci ipsa entitas locati ut respicientis talem virtualitatem Immensitatis Dei.

Et hæc de Loci natura, & quid a nobis loci nomine concipiatur. Nunc quomodo res quæque sint in loco, breviter videamus.

XIX. Ac primum quidem duplex vulgo existendi in loco modus afferri solet; *circumscriptivus* nim. & *definitivus*. Res priori modo est in loco, cum ita corporis ambientis superficie continetur, ut tota totum occupet locum, & pars illius parti itidem loci respondeat. Sic que omnia quæ sunt corpora naturaliter

liter suis locis continentur. Res vero definitive est in loco, cum extra eum non extenditur, sed tamen tota concipitur esse in qualibet parte loci. Sic anima dicitur esse in corpore, & res omnes spirituales suis locis definiuntur. Jam quomodo res spirituales sine in loco, intueamur.

Ac primo quidem Angelos esse alicubi negare non possumus, cum rem nullibi esse, omnino sit impossibile; ac si res esset nullibi, hæc quodammodo extra sphæram, ut ita loquar, immensitatis divinæ, quæ est ubique, consisteret. Quod non minus absurdum est, quam rem creatam extra omnis temporis, aut æternitatis ambitum contineri. Nec minus absonum est rem esse nullibi, quam eam nunquam existere. Habent autem Angeli definitam suam activitatis sphæram, majorem vel minorem juxta cujusque perfectionem naturalem. Si enim ab ortu in occasum Mundi posset Anima vel Angelus moveri non transeundo per medium, tunc posset similiter in infinitum, quod Dei proprium est. Quod enim a nulla distantia impeditur, sed simul est in omnibus, potest ubique esse, & infinitis in locis. Exemplo sit Lux, quæ subito est in Oriente. Attamen quoniam lux transit per medium, utique & Angelus per medium transit; lux autem non in instanti indivisibili id facit, quoniam nulla mutatio physica est atoma, sed nobis videtur in indivisibili, qui cum simus successione temporali multa affecti, velocitatem lucis sine tempore esse putamus, quia est in minimo tempore. At si non movetur lux ab ortu in occasum, sed generatur educta de sinu materiæ aeris, ut Peripatetici volunt, longe magis in tempore fiet ab Ortu in occasum. Omnis enim generatio, præsertim in tanta mole, quamvis dispositia plus temporis requirit, quam loci mutatio, cum præsertim fiat in tota aere per partem post partem; neque enim sol oriens movet aerem in occasu ad generationem lucis, sed in ortu, quæ motio communicetur ad occasum. Fatemur tamen Angelum moveri, non modo quia operatur in re, quam movet, ut eum corpus circumfert: sed quia etiam substantia sua mutat situm spatii non tangendo corpora physica, sed virtualiter: spatium tamen permeando ea velocitate, qua corpus movet. Essentia enim movens est cum ipsa actione motiva. Quando vero per se movetur, velocius quidem transit spatium, quam lux aerem: sed nos crasso corpore prædi, & motu pigro, hos motus sine successione reputamus, sicut & atomos in solis lumine indivisibiles. Sed quoniam Angelus voluntate operatur, potest concitare & tardare motum. Absolutus quidem est Angelus a lege loci corporei, non autem a spatii continuitate, dum in Mundum corporeum progreditur a mentali, quoniam finitæ potestatis est: non enim dat motui temporalitatem solum impedimentum corporis medii, per quod fit motus; sed etiam limitatio ipsius virtutis ipsius mobilis, & incompossibilitas terminorum spatii, in quo fit motus. At in Mundo mentali non est motus ejusdem rationis, sed superioris a lege corporum & spatii absolutus: quales sunt humanæ mentis cogitationes & applicationes.

XX. Neque dubitandum angelum seu Dæmonem in eo spatio, quod æquat illius virtutem (sphæram vocant activitatis) posse vel in toto simul, vel in quibusdam partibus, etiam non continuis, operari, puta cum organa musica ab illo moventur: aut dum in columna ignis & nubis contrivit castra ægyptiorum. Dubitari autem potest, an ejusmodi operationes simul fieri possint in locis valde distantibus, quæ tamen simul sumptæ non excedant virtutem a sua sphæra definitam. Ut si in eodem loco demus movere posse 1000 libras. Moveat vero in Calecut libras 300. In Iapone 200. an in Mexico possit movere libras 500? Id quidem ratio videtur suadere: siquidem spatia corporea Angelos non tangunt, qui semper in eodem *Ubi* manent: neque in Mexico operans distet a seipso in Iapone aut Calecut, quantumvis effectus corporei a se distent.

Verosimile tamen videtur non posse nisi intra sphæram suæ virtutis agere: ut si illius sphæra sit eadem cum orbe Lunæ, poterit simul in luna & in centro terræ operari: nequaquam vero si in centro hujus agat, simul in globo Mercurii aut Veneris agere valebit: quia licet Angelus ratione suæ essentiæ sit in eodem *Ubi*; hujus tamen virtus ad extra operans ratione subjecti & recipientis limitatur. Verum ista spectant alio, videriquæ potest Tract. XXXVI. de Motu.

XXI. Cæterum cum res spirituales sint partium expertes, ex quidem sunt in loco: sed indivisibili modo; extensionem habent, sed virtualem, sive sit penetrabilis sive impenetrabilis, ut angelo libuerit. Quo major, hoc erit perfectior, & divinæ Immensitati vicir. Sunt igitur res spirituales in loco *definitive*: nam rum extensio virtualis suis terminis continetur. Sic anima extra totum corpus non extenditur.

XXII. Dices, aliam esse rationem angeli, & agentis physici: hoc siquidem a centro in orbem se effundit, agitque uniformiter difformiter; Angelus vero non habet actionem separatam a seipso; nec magis est præsens medio quam extremo: estque conceptus illius determinans indivisibilis. Unde totus simul & æqualiter recipitur in singulis partibus subjecti; atque ita nullus actioni eidem præfixus limes. Resp. licet in qoavis parte sphæræ angelicæ conceptus, per quem determinatio fit, sit idem & a se indivisus; quia tamen ut hic vim habeat ideæ, requiris unionem cum subjecto, quæ aliquam perfectionem affert; & eo majorem, quo pluribus uniri potest; necesse sane hanc sphæram pro cujusque essentiæ gradu esse finitam, nihilque extra eam posse agere, nisi prius illam deserat.

Instabis. Anima rationalis non habet sphæram suæ unioni definitam, hoc est, non potest assignari moles, qua non majorem valeat informare; eum ergo hæc unio sit major, quam Intelligentiarum, aut animæ separatæ, neque illa dici debet limitata. Major videtur constare ex ea corporum mole, ad quam Gigantes pertigere: qualis fuisse perhibetur Orestes & Anteus: cujus ossa detecta erant cubitorum 40. & quo majora sunt corpora, eo magis quoque robosta. Si ergo cum corporis mole vires ab anima provenientes augentur; extensio illa nullum finem habere videtur.

Resp. cum Marco Marci Phil. Vet. rest. parte 3. pag. 264. Animam sensitivam in homine esse eandem cum Anima Universi: unde eandem molem pro sua unione habet definitam. In singulis vero speciebus, ipsoque homine pro ratione idearum ad hane illamve corporis molem limitari; easque ideas sequi alias cujusque actionem determinatrices. At vero anima rationalis, tametsi sphæram extensionis habet qualem Angeli, unio tamen corporis ad illam non pertingit; verisimileque longe majorem esse cujusvis animalis mole: mino-

minorem vero extensione quam habent angeli, a quibus deficit perfectio ejusdem essentialis.

Dæmones ergo spatium, in quo operari possint, habent definitum, magis minusque pro cujusque perfectione: neque in locis ultra diametrum suæ sphæræ distantibus per suam operationem simul adesse possunt.

Unde Energumenis subinde quies ob absentiam dæmonis alibi occupati. Qui cum aliquando staret in medio filiorum Dei (Job. 2. v. 2.) ad illum Deus dixit, unde venis? respondit a circumeundo in terra, & perambulando in ea, a similitudine omnium ambulantium, qui successive in alio atque alio sunt loco; neque dum moventur in eodem perstare possunt. Ita ergo dæmon non potest omnibus locis esse præsens, agendo aut notitiam inde assequendo; sed velut Leo rugiens circuit quærens quem devoret (1. Petri. 5.) sa alligando modo his, modo illis objectis, quorum corda explorat & varie tentat. Atque inde patet qua ratione Dæmones a cœlo exclusi maneant, neque ullam operationem in eo loco exercere valeant, quia nimirum illa distantia immensa omnium dæmonum sphæram longe excedit. Mundum vero hunc sublunarem pro carcere habent, prout Asmodeus desertum Ægypti, objectis pœnalibus ea ratione alligati, ut cessare nunquam possint ab illa passione; unde suum Infernum secum ferre dicuntur. Qua lege si solvi & se expedire valerent; eodem momento in cœlo Empyreo suam præsentiam exhibere, & notitiam earum rerum, quæ ibi aguntur, obtinere possent: modo vero in perpetuum ab illa beatorum sede & societate exclusi manent.

SECTIO III.

De Vbi Sacramentali Eucharistico.

XXIII. Præter Ubi circumscriptivum & definitivum, speciali modo existere credimus Corpus Christi Domini sub speciebus Eucharisticis panis & vini, quod nos Catholici Ubi sacramentale Eucharisticum appellare solemus. Quod de Mysterio (quantum Philosopho convenit) hic agere mens est. Quod igitur attinet Sacram Eucharistiam, post verba consecrationis a Sacerdote legitime ordinato, & debita intentione prolata, sub speciebus panis & vini revera corpus & sanguinem Christi, non quidem seorsim aut separatim, sed sub utraque specie unita adesse, non potest esse dubium homini Christiano. Neque enim credendum Magistrum veritatis, in cujus ore non est inventum mendacium, voluisse nugari in re tanti momenti, accepit (inquit S. textus Matth. 26.) Jesus panem, & benedixit ac fregit, deditque discipulis suis & ait, accipite & comedite *Hoc est corpus meum.* Vbique particula illa (*hoc*) non cadebat nisi in illam rem, quam tenens in manibus porrigebat. Et quia Christi sermo erat verus quando loquebatur, illa particula (*est*) de præsenti, coexistentiam requirit corporis Christi sub speciebus panis (eadem ratio est de calice) independens a fide aut ore sumentis.

XXIV. Dicimus ergo 1. Esse sub speciebus panis & vini verum corpus & sanguinem Christi ut credamus, ad salutem est necessarium: qua vero ratione ibidem contineatur, ut sciamus, ad salutem necessarium non est: alioquin nemo salvus fieri posset, cum nullius intellectus hunc existendi modum assequatur. Quia tamen veritas veritati contraria non est: modus hic, licet supra naturam, non tamen contradictionem aut impossibilitatem affert: ac proinde *vera philosophiæ* principia minime tollit: meraque sophismata sunt, quæ contra hæc mysteria adduci solent. Dixi *vera* philosophiæ, an autem talis sit vulgaris? Peripateticorum, an Antiperipateticorum, sub judice lis est. Nostram mentem infra aperiemus. Maxima difficultas est, quo pacto materia & forma panis abesse possit, cujus omnes proprietates, omniaque accidentia, quæ effectus sunt formales, judicio sensus adesse nosceretur. Vt enim sessio separari nequit a sedente ita ut seorsim existat, figura a quantitate; ita accidentia reliqua a substantia, cum de essentia illorum sit accidere ac inhærere alicui subjecto. Videmus autem sacram Hostiam variis mutationibus subjectam esse, generationes in ea fieri & corruptiones, quæ citra materiale subjectum fieri non possunt. Quæ quidem moverunt nonnullos, ut majorem rationem haberent Philosophiæ, quam fidei Christianæ. Hi nempe Sectæ Lutheranæ licet Corpus & Sanguinem Christi præsentem agnoscant & a fidelibus assumi (saltem in ipsa manducatione & usu) simul tamen manere volunt substantiam panis & vini. Verbo, negant Transubstantiationem. Contra quos, & Calvinistas simul

XXV. Dicimus 2. Tametsi Christus SS. Sacramentum potuerit trifariam instituere. 1. Per modum figuræ, (uti contendit Calvinus) ut panis & vinum indicarent solum verum Christi corpus & figuratiyor, quomodo dicitur Christus petra & vitis &c. 2. ut realiter quidam & substantialiter præsens esset, sed cum substantia panis & vini, ut volunt Lutherani, dicti Impanatores. 3. ut post verba consecrationis desinente substantia panis & vini, solum corpus & sanguis Christi substituatur (quod Transubstantiari dicimus) prout tota Romana credit Ecclesia. In quæstione tamen facti omnino tenendum hoc tertio modo, non alio, Christum instituisse præfatum Sacramentum. Et quia aliter credit, errat; & si errorem suum pertinaciter defendit, formalis Hæreticus censendus est. Vis tibi hanc veritatem Catholicam probari? Non solum probabo, sed solidissime demonstrabo. Ambas arrige aures, sed deposito præjudicio.

Per præjudicium intelligo falsissimam hypothesin modernorum Lutheranorum, & Calvinianorum sibi persuadentium, ultimam credendi normam, ad quam omnes fidei articuli inter Christianos controversi reduci debeant, esse Sacram Scripturam, Pro primo. Pro secundo, notas infallibiles Ecclesiæ visibilis esse: Pura Verbi Dei prædicatio, & Sacramentorum recta administratio. Sed

Contra est: Cæci, illiterati, legere nescii, ex Scriptura sola doctrinam salutis haurire non possunt, utpote lectionis incapaces; neque securi, licet Ecclesiam & Doctores vestros audiant, quia omnes, & simul, & seorsim, cum sua Ecclesia sunt fallibiles, prout partim ipsimet fatentur, partim deceptos esse infra convincemus in puncto & articulo Ubiquitatis. Electi autem vestri latibularii, nihil faciunt ad rem, imo etiam ipsi sæpissime falluntur & fallunt. Cum autem Prædicatio pura & legitima Sacramenta sine conformitate cum Scriptura non subsistant, illam vero cæci, illiterati, legere nescii infallibiliter ponderare non possint: sequitur maximam partem humani generis notas illas Ecclesiæ assignatas discernere non posse, & aditum ad salutis viam, non minus quam ad ipsam Scripturam ipsis clausam, atque Andabatarum more a fallacibus & fallibi-

libus

libus Pastoribus ac Doctoribus privatique spiritus vertigine hinc inde circumagi.

Ex dato, omnes fideles esse literatos, omnibus Scripturam esse ad manum, omnes legant illa verba supra ex Matth. allegata, an omnes eodem sensu intelligent? cum Doctores (Lutherani, Calviniani, Romani &c.) magis inter se discrepent in illorum interpretatione (ut taceam sexcenta alia loca) quam Horologia, quid fiet de plebeis indoctis?

XXVI. Norma igitur credendi suprema & recta Catholicorum hæc est, videlicet ECCLESIA. Scriptura vero habetur pro Jure & lege divinitus data, cujus interpretationem genuinam, & alia Christus ipse reliquit Ecclesiæ suæ. Nomine autem Ecclesiæ venit Summus Pontifex, tanquam hujus Corporis mystici Caput, cum Conciliis, velut Ecclesiæ Senatu supremo. Clarius, Ecclesia est Societas fidelium, Christi fidem sub uno summo Pontifice, aliisque pastoribus suis & Doctoribus profitentium. Neque alio sensu sacra Scriptura pro norma admitti potest, nisi prout per Ecclesiam declarata & interpretata. De hac loquitur Christus Matth. 18. qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus. Hæc Ecclesia jam a tempore apostolorum per sæcula 17. decidit controversias fidei motas ab Hæresiarchis Anio, Nestorio, Eutychete, Sabellio & sexcentis aliis, novissime autem in Oecumenico Concilio Tridentino *resuscitatas* per Calvinum & Lutherum hæreses, contra quam Portæ Inferi non prævalebunt usque ad finem Mundi. Hæc ipsissima Romana Ecclesia, una, sancta Catholica definivit Christum Dominum instituisse sic & ea intentione Sacramentum altaris, ut per Transubstantiationem transeat panis & vinum in verum corpus & sanguinem remanentibus solis speciebus ad sensum externum: quod autem Ecclesia ut credendum fidelibus proponit, id infallibilis est veritatis, utpote vice Christi sancitum, ergo. Dixi *resuscitatas*; nil aliud enim sunt Reformatorum istorum Dogmata quam Errorum jam dudum ab Ecclesia damnatorum centones, ut patet legenti annales Ecclesiasticos Baronii aliorumque, & Conciliorum acta. Ex. gr. Ao. 1147. in Provincia Tolosana Henricus Monachus Apostata (qualis plane Martinus Luther) sectator Petri de Bruis Hæretici flammis addicti, veluti Johannes Huss a Concilio Constantiensi. Hi negabant baptizandos esse Infantes, ædificanda templa, orandum pro defunctis cum Vigilantio, adorandam crucem, cantandos psalmos, & Corpus Domini (NB.) esse in Sacramento altaris &c. Quos impugnans S. Bernardus in Concilio Parisiensi, cum Sarlati oblatos sibi panes benedixisset, subjunxit: "In hoc (notate Hæretici!) scietis vera esse, quæ a nobis (catholicis); falsa, quæ ab Hæreticis suadentur, si infirmi vestri, gustatis panibus istis, adepti fuerint sospitatem. Quod cum Gaufredus Episc. Carnotensis quasi nimis crude dictum, limitari vellet, dicendo, *si bona fide sumpserint, sanabuntur*. Subjecit S. Bernardus rejiciens hanc clausulam: "Hoc ego non dixi, sed vere qui gustaverint, sanabuntur, ut cognoscant nos esse veros Dei nuntios." Tam ingens autem multitudo languentium ex iis panibus convaluit (teste oculato Scriptore hujus historiæ in vita S. Patris) ut ob intolerabilem concursum populi declinandum fuerit, & per occultos tramites regrediendum. Quid ad hæc Benevole Lector? an evidentius desideras Veritatis orthodoxæ testimonium?

XXVII. Dicimus 3. Eadem ratione qua tum in ultima Cœna Domini, in manu Christi continebatur corpus & sanguis Christi sub speciebus panis, & in Calice benedicto sanguis, eadem, inquam, ratione contineri hodiedum in manu Sacerdotis. Erat autem corpus tum vivens, cum anima & Divinitate, cui inseparabiliter est hypostatice unita; habens omnes partes integrantes, cum debita magnitudine & figura; ac proinde partem extra partem citra confusionem. Non possunt vero partes Corporis Dominici in ordine ad partes hostiæ distingui, ut singulis singulæ respondeant, huic quidem caput, illi manus, venter, pedes &c. Nam fracta hostia Corpus Christi discerpi esset necesse. Manet ergo sub qualibet (sensibili) particula panis totum ac integrum Corpus Christi, ita ut sit totum in toto, & totum in qualibet parte hostiæ. Qui modus existendi profecto est admirabilis, omnem captum intellectus ipsamque Philosophiam Aristotelis longe superans; & tamen firmiter creditur a Christianis, doctis pariter & indoctis.

XXVIII. Dicimus 4. Corpus & animam Christi unita Divinæ naturæ, nec ante nec post glorificationem & in Cœlos ascensionem, esse ubique: sed in Cœlo circumscriptive, in terris in Ven. Sacramento definitive aut eo quo diximus modo Sacramentali. Est contra Novatores quosdam Lutheranos, quos vocant Vbiquistas, quorum Author Brentius. (fuit Joannes Brentius semi-Lutheranus circa ann. 1540. & præter alios errores docuit Trans-substantiationem esse nullam: sed Corpus Christi, post ascensionem esse *Vbique*, unde orta secta *Vbiquetariorum*. Prateolus. Sanderus hæres. 205.) Hoc dogma noviter in veotum passim a Lutheranis, ut hæreticum fuit rejectum, successu tamen temporis inter articulos fidei insertum Libro (ut vocant) Concordiæ, de quo Hospinianus in sua Concordia discorde fol. 39. sic scribit: Doctorem Cracovium in Carcere, Doctorem Thalmannum in exilio mortuum, quod *Vbiquitati* non faverint: eandemque ob causam Casparum Peucerum Medicum deceoni exilio multatum a Saxone. Multos contra voluntatem suam Libro Concordiæ subscripsisse fatetur etiam Neshusius in literis ad Ducem Brunsvicensem anno 1567. Idem factum esse in Coburgensi, Vinariensi & Brandeburgensi ditione ex variorum epistolis affirmat idem Hospinianus fol. 127. & seqq. ubi addit Magdeburgenses Theologos quoque coactos subscripsisse, uti & Mompelgardenses. Idem Hospinianus ex epistola Dni Peutheri, qua ad Argentinensium Agendam respondit, germanice subjungit:

Es haben nit allein etliche hocherleuchte Christliche Fürsten in ihren Schrifften an beede Chur-Fürsten Brandenburg, und Sachsen geclagt, wie jämmerlich die Kirchen und Schulen in denen 3. weltlichen Chur-Fürstenthümern, und andern Herrschafften, durch das NB. fälschlich also genannte und vermainte Concordi-Buch zerrissen und zerstöret worden: Wie erbärmlich man hin und wieder mit armen Kirchen und Schul-Dienern ist umgangen: Was für scharpffe Inquisitiones man wider Sie, und ihre Bibliothecas angestellt: Wie tyrannisch aus Anstifftung der Authorum dieses Buchs gegen denen fürnehmsten und getreuesten Kirchen-Schulen- und politischen Diensten gehandelt: Wie gar unmenschlich ihrer etlich viel Jahr in schwerer Gefängnüs gepeiniget, aufgehalten und gemartert worden rc.

En

En Lutheranorum & Libertinorum tantopere deprædicata libertas Conſcientiæ! Hoc nempe dogma fidei ad normam illorum ex claris & expreſſis Scripturæ textibus demonſtratum, vid. *Chriſtus aſcendit ſuper omnes cœlos, ut impleret omnia*, teſte Apoſtolo ad Epheſ. 4. v. 10. Ad eandem normam Arrius Dei filio ademit divinitatem. Pater major me eſt. Joann. 14. 29.

XXIX. Dicimus 5. Non eſſe de Fide, poſt conſecratiouem & tranſubſtantiationem remanere eadem numero accidentia panis & vini, uti putavit & ſcripſit D. Marci P. II. Phil. Vet. reſt. pag. 127. aut oſtendatur locus alicujus Concilii id definiens. Nam Ecclesia non intendit definire, num accidentia panis exiſtant revera abſque ullo ſubjecto; ſed tantum ea exiſtere ſine pane. Scilicet intendebat definire, quod negabant hæretici; qui dicebant panem manere, cum ſenſibus noſtris pateant accidentia panis, quæ ſine pane eſſe non poſſint, & ideo tranſubſtantiationem negabant. Contra hoc Concilium definiebat, utique tranſubſtantiari panem in Corpus Chriſti: nam accidentia panis (circa quod vocabulum fruſtra tricas movent Carteſiani, quaſi aliud ſint ſpecies panis, aliud accidentia) eſſe & remanere ſine ſubjecto *ſuo naturali panis* aſſeruerunt quidem Patres in Concilio; an autem non ſubjectentur in corpore Chriſti, explicite non aſſeruerunt, licet implicite hoc ipſum forte intellexerint, dubium, cum dicant in locum panis ſuccedere corpus Chriſti. Certe, inquit, P. Kimmet pag. 707. novum non eſt apud Orthodoxos, accidentia conſervari, ſuſtentarique per Corpus Chriſti. Allegatque Lateran. IV. ſub Innoc. III. An. 1215. can. 1. Quod quidem juxta doctrinam illorum, qui quantitatem diſtinguunt realiter a ſubjecto, ipſamque ſtatuunt ſubjectum immediatum omnium accidentium reliquorum, puta ſaporis, odoris &c. minus difficultatis habet. At juxta alios, qui magis tenaces doctrinæ Ariſtotelicæ, quibus quantitas minus habet entitatis, quam ut per ſe eſſe poſſit, a qua magis differre videntur reliqua accidentia, cujusmodi color, ſapor, tenacitas &c. quam ipſa differat a ſubjecto materiali, non ita. His ergo divinitus a quantitate ablatis, manebit longitudo, latitudo, profunditas abſque omni accidente, cumque hæc ſit aliquid, nempe entitas ex ſe habens longitudinem, latitudinem & profunditatem: ac tale ipſi definiant vacuum, vid. intervallum relictum a corpore, in cujus locum nullum aliud corpus ſucceſſit, quod negat Ariſtoteles eſſe poſſe; multo minus admittet longitudinem realem abſque re: tangere enim & tangi, niſi corpora, nulla poteſt res. Præterea, quod alteri ineſt, denominat ſuum ſubjectum, non e contra. Nam materiam dicimus extenſam, non vero quantitatem materiatam. At vero longitudo nequit dici alba, ſed albedo in longum extenſa, atque hæc longius quam illa producta, non ergo longitudo eſſe poteſt ſubjectum albedinis. Juxta hanc ſententiam (quam ut veroſimiliorem tenuimus in Tract. XIX.) quantitas eſt inſeparabilis a materia, non minus quam ſimitas a naſo. Prærer rationes ibidem adductas.

XXX. Nota 1. Accidens, tam proprium, quam extraneum, definiri quidem & per conceptum Ideam eſſe formari poſſe: ſed quia accidens non ſibi, ſed alii eſt accidens, quando ut accidens definitur, ponitur in ejus definitione illud, cui accidit; ſive fluat ab eſſentia, ſive ab extra, ut ſimitas eſt concavitas naſi. Quies eſt operatio frigoris. Sed quando definiuntur ſecundum illam entitatem, qua poſſunt extra cauſam & ſubjectum conſiderari, tunc forte differentia eorum non erit ſubjectum ipſum, ſed actio vel paſſio vel quid competens eis per ſe. Vt lux eſt calor vivus diſgregans viſum, ſed *τὸ diſgregare* eſt caloris actus; unde calor ſubintelligitur in tali ratione. Quare forte impoſſibile eſt hujusmodi entia abſque cauſis definire, & eſſe. Oportet enim dicere tenuitatem eſſe materiæ expanſionem: & gravitatem eſſe paſſionem condenſatæ molis. Quare nihil non ſubſiſtens, & per aliud exiſtens, videtur poſſe per ſe definiri. Mathematica vero ſine materia aut cauſa particulari definiuntur, quoniam non habent propriam alicujus generis materiam, ſed in quolibet genere fiunt, & in vacuo intelliguntur, ideo & ipſa definiuntur per materiam communem. Nam Figura eſt terminus materialis quantitatis; omnia autem Mathematica ad figuram pertinent.

Non tamen te prætereat, omne accidens propriam habere cauſam: ſed aliud fieri ex materia, ſicut materiales formæ, ut tenuitas, raritas, aſperitas, mollities, figura, ſimitas, angulus: Aliud ex cauſa agente, ut calor, motus, quies, actio: Aliud ex utriſque, ut ſapor, odor. Et propterea alia accipere in ſua definitione materiam; alia agentem cauſam, alia utrumque. Nam quies eſt frigoris operatio: mollities eſt materiæ expanſio, donec cedat tactui: ſapor eſt caloris cum ſua mole ſimul agentis in lingua manifeſtatio. Quare non ſemper per ſubjectum accidens definitur, & per materiam, ut dicit Ariſt. de ſimitate. Similiter enim figura eſt & pertinet ad materiam naſi determinate: non autem calor & albedo & motus. Nec tamen hæ definitiones ſunt aliud a definitis, quamvis extraneum recipiant: quoniam definita ipſa ſuæ non ſunt entitatis, ſed aliorum: debent, veluti ſunt, & quorum ſunt, definiri. Penitus autem ſpeculando, Mathematica (quoniam formarum agentium commoditati natura aptantur) non pertinent per ſe primo ad ſubjectum, nec ad cauſas agentes, ſed ad idealem: & ideo per formalitatem idealem rectius & frequentius, quam per alias cauſas palam definiuntur: & quæſtio de numerorum definitione ſic terminanda videtur. Thom. Camp. L. 3. Met. c. 4. art. 8.

XXXI. Nota 2. Cum in Hoſtia conſecrata juxta ſenſus noſtros percipiamus calorem, frigus, duritiem, figuram rotundam, albedinem, gravitatem, ſaporem &c. inter quæ nemo negat entitates modales reperiri, quas impoſſibile eſt reperiri abſque omni ſubjecto, quam parum ſcriptio ſine ſcribente, ſeſſionem ſine ſedente, expanſionem ſine expanſo, quæritur quodnam ibi ſubjectum? Non quantitas; cum & ipſa ſit modus. Non calor; quia in frigida hoſtia eadem reperiuntur accidentia quæ in calida. Nec aliud aſſignabile. Quantitatem autem non eſſe accidens abſolutum tenent celeberrimi Doctores Orthodoxi, tantum abeſt ut dicatur eſſe de fide. Inquirenda ergo via, quo meliore & Philoſophiæ convenientiori ratione Myſterium hoc tremendum defendi & ſuſtineri poſſit.

XXXII. Sunt ex PP. Societatis qui Neotericorum Carteſianorum argumenta utpote evertentia communia eorum Principia, quæ authoritate & recepta potiſſimum fundata ſunt, ne audire quidem in ſcholis dignentur: ſed inſulſe (ut mihi videtur) & contra præ-

ceptum apostoli. 1. ad Titum. 9. ubi vult Episcopum (& Doctores Ecclesiæ) adeo in lege & doctrina sana esse doctum & fundatum, ut eo, qui contradicunt, sciat arguere, retundere, sophismata diluere. Res autem nobis non est hic cum beterodoxis, sed cum Viris vel maxime Catholicis: quæ ergo vesania horum rationes nolle andire, cum PP. Tridentini nec hæreticos non auditos tiec cidatos ad disputandum, & hnmanissime invitatos condemnare voluerint: an non deterioris conditionis forent Doctores domestici, ipsis contumacibus Hæresiarchis? Quid si viceversa Adversa pars in suis Academicis palæstris nec Iesuitas audire dignarentur? Claudendæ forent Scholæ, Dispntationes tollendæ. Nil alind hoc est, quam aut hostem contemnere, aut causæ suæ diffidere declinando congressum. Conferamus manus, & in eventu ancipiti, si veritas erui nequeat, Judicis universalis Ecclesiæ (siquidem Fidem concernat) judicio ac definitioni, ut par est, nos submittamus.

XXXIII. Nota 3. Certum est, Vinum esse corpus mixtum naturale; panem similiter mixtum sed artefactum, & ideo utrumque non esse divisibile in infinitum; sed divisiooe vini deveniri ad ultimum indivisibile, quod dividi quidem possit in sua miscibilia, quæ autem non sint vinum: panem similiter ad minimum paois; quod si dividas, partes divisæ non erunt panis, sed farina, aqua, aer &c. sive jam hæc deinceps & eorum prima mareria dividi adhnc possit in infinitum, sive non, hoc enim ad præsens negotium nihil omnino facit. Certum etiam est, si minimum sive naturale vini, sive artificiale panis sit ita modicum, ut sensu non possit percipi, illud non esse consecrabile, quia Sacramentum est signum visibile; unde conficitur, materiam consecrabilem non constare minimis infinitis, sed finitis. Certum proinde est, corpus Christi existere sæpius replicatum sub speciebos, toties scilicet, quot sunt minima consecrabilia in pane, ita ut sub specie panis minima existat totum corpus cum sanguine, anima &c. Porro vide in Tract. 1. sect. 3. quæ hic repetere supersedeo.

Verum enim vero hæc omnia absurde dici ait P. Ptolomæi. Ita quidem illi videtur, secus autem 24. Doctoribus illis Sorbonicis, qui Philosophiam Nobilissimi D. Renati des Cartes suæ Censuræ commissam unanimiter approbarunt, si fides habenda Wibero in præfatione suorum Principiorum antiperipateticorum. Quæ nooeo dicta velim, quod Dogmatis Cartesianis absolute adhæream, arbitror enim omnia accidentia activa esse entitates suo sensu absolutas, hoc est non in meris relationibus consistere, nt calor, frigus &c. quæ sibi simile prodncunt seipsa communicando & amplificando, prout alibi declaravimus. Deinde animas brutorum in mera atomorum textura & combinatione positam ut improbabile semper mihi visum. Nihilominus ad probandum dari accidentia absoluta, argumentum ex mysterio Eucharistico non utor, tanquam debili & elumbi: multo tamen infirmius judico illud, quo Peripatetici se tuentur velut scuto, nempe possessione suæ sententiæ, quam hoc ipso ulterius probare (demonstrare enim omnino impossibile) non teneantur: quasi vero omnis possessio sit tuta, & omnis error communis Jus faciat: cum constet plures sententias tiovas & singulares successu temporis prævaluisse factasque communes; & quod erronea consuetudo non faciat Jus. L, *quod non ratione*. ff. de LL. ubi dicitur, quod errore introductum est, per consuetudinem servari non debet.

Esto contraria sententia careat demonstratione, non tamen sua probabilitare (intrinseca, extrinseca): & cum in moralibus & directione Conscientiæ tutum sit omnibusque licitnm sequi opinionem vere probabilem, cur in Philosophicis interdici debeat Cathedra iis, qui sententiæ novæ adhærent, non video.

XXXIV. Præterea assentior anthori Phil. Burgund. tom. 2. tract. 1. met. Disp. 3. q. 2. cond. 3. sic scribenti: Qui in ea sunt opinione, ut putent exteusionem oihil esse præter modum corporis, ii fatentur eandem numero extensionem, quæ fuit in panis snbstantia, post consecrationem non remanere; sed eandem dnntaxat physice loquendo & æquivalenter, ut ajunt, seu in ordine ad sensus nostros ..... Nec dubito (subjungit) quin hæc sententia optime defendi possit. Fateor tamen mihi durum videri & difficile quæ interponit, nempe accidentia, quæ remanent, jam esse in statu corporis, hoc est, idem præstare ac si sobstantia panis adesset. Num accidens migrat in substantiam? Ex ente in alio, in ens per se? an forte & corpus in Spiritum? & quomodo Modales formalitates, qnalis ipsa quantitas, sine modificato? aut quodnam tunc modificatum?

Hinc [subjungit] Quod si tamen ea alicui displiceat, per me licebit, exteosionem corporis, ut accidens reale a substantia distinctum concipere. Nam extensio intelligi potest, imo & esse sine corpore, ut in Angelo, & In spatio inani: effectus illius secundarii erunt impenetrabilitas, figura, situs, & alii forte plurimi, tumque intelligimus, qui fieri possit, ut extensio panis in Eucharistia remaneat, & reliquorum sit velut subjectum accidentium; nec dubito quin hæc opinio facilius defendi possit, præsertim cum Theologiæ rationes adhibentur. Vera vero opinio sit veritari propior, decernere non possumus, sed liberum cuique & integrum judicium relinqoimus, cum utramque salva fide tueri in proclivi sit. Hæc ille, & nos more Eclectico. Restat adhuc alia diff. quare sit

SECTIO IV.

Vtrum supernaturaliter possit unum idemque corpus circumscriptive bilocari?

XXXV. Ratio dubitandi est, quia Doct. Angelicus Quodlib. 3. art. 2. expresse ait: "Dicendum quod aliquod corpus esse localiter in aliquo loco nihil est aliud, quam corpus circumscribi & comprehendi loco secundum commensurationem propriarum dimensionum: quod autem comprehenditur a loco aliquo, ita est in ipso loco, quod nihil ejus est extra locum illum. Vnde ponere, quod sit localiter in hoc loco, & tamen sit in alio loco, est ponere contradictoria simul. Vnde secundum præmissa hoc a Deo fieri non potest." Et ideo Thomistæ unanimiter cum multis aliis mordicus tenent negativam. Ante decisionem nostram, qui in verba S. Thomæ non juravimus.

XXXVI. Nota 1. Dupliciter rem dici existere in loco, *definitive* & circumscriptive. priore modo dicitur esse in loco, quod ita est totum in toto loco seu spatio, ut etiam sit totum in qualibet parte loci: sic vulgo anima rationalis, Angeli, & animæ brutorum perfectorum secundum SS. August. & Thomam, & juxta multos Anima Mundi. Circumscriptive in loco

loco est, quando totum in toto, & pars in parte loci est.

XXXVII. Nota 1. Vbi circumscriptivum multifariam sumi, unde potest oriri quæstio de nomine. 1. enim hoc nomen *Vbi circumscriptivum* significat ita loci circumferentia circumscribi, ut nihil corporis sit extra, pront videtur intelligere S. Thom. in tex. cit. 2. Ita circumscribi ut totum sit intra. Si sumanus juxta primam significationem, nullus remanet locus difficultati, quia si Petrus est Romæ ita ut non sit extra, est impossibile ut simul sit alicubi extra, extra Romam: sic ubi circumscriptivum exponunt Thomistæ, cum torquentur nostris Syllogmismis. Ita responderunt olim P. de Valentia & Suario, quorum hic asserit hanc responsionem & acceptationem vocis omnino esse voluntariam ac fundamento destitutam, alter nimis frigidam esse. Ergo ut sit quæstio de re, in secunda acceptione sumendum est.

XXXVIII. Dicendum rem eandem non modo definitive, sed etiam circumscriptive in multis locis per divinam potentiam esse posse; quin imo sæpius id accidisse exemplis & historiis fide dignissimis constat. Ratio est, quia difficilius est idem corpus in pluribus locis definitive poni, quam circumscriptive. Atqui nullus Catholicus negat esse de facto corpus Christi miraculose in pluribus locis definitive, nempe in pluribus hostiis consecratis, ergo a fortiori, Deo concedi debet virtus constituendi idem corpus circumscriptive in multis simul locis. maj. prob. Christi corpus in hostia consecrata duas habet prærogativas, præter communes regulas quantitatis, vid. esse in multis locis, & esse totum in toto, & totum in qualibet sensibili minima parte: si autem esset circumscriptive in hostia pront in cœlis est, haberet unam solam prærogativam, quia esset uti alia corpora totum in toto spatio, non tamen totum in qualibet parte spatii, differretque solo replicationis privilegio, ergo &c. Quæ autem adversus multiplicem corporis in variis locis circumscriptive positi præsentiam difficultates afferuntur, nullius sunt momenti, cum simul id posse fieri, ut eadem res, aut idem corpus definitive in multis locis existat, concessum est.

XXXIX. Objectiones igitur facile dissolves, si memineris 1. nec divisionem, nec distantiam proprie dictam esse nisi inter res diversas; cumque eadem est res, nulla est proprie distinctio, divisio, aut distantia. 2. nihil absurdi esse si idem corpus reproductum contrarias qualitates excipiat, calorem v.g. & frigus. 3. Accidentia propria & absoluta, quæ conveniunt corpori, non qua locato, utrobique competere ejusmodi corpori replicato, secus illa quæ dependent a loco, qualia sunt videre, audire, spoliari, moveri &c. sic circa A. 995. S. Adalbertus Episcopus Romæ coram summo Pontifice legens Missam, potuit ibi videre Papam, non autem Pragæ ubi sepelivit fratres suos eodem tempore. Vide Suppl. X. 4. Virtutem activam & passivam nullatenus per replicationem augeri vel minui. hinc non poterit alibi intense frigere, & hic intense calere: alibi vivere, hic mori. Bene tamen hic definire esse, & alibi perseverare. Nec unicus panis sufficiet 5000. hominibus famelicis saturandis; nec unica gutta aquæ quantumvis replicatæ, vel parvulæ naviculæ sustentandæ &c. Quidquid contendat Major & alii. 5. Contradictoria de eodem dici, & secundum idem: cum autem secundum diversas rationes afferuntur, proprie non sunt contradictoria. Cum igitur

Opponis 1. Esse in loco circumscriptive, est ita esse in loco, ut illi sit æqualis: sed corpus quod est Romæ, si idem sit Pragæ, suo loco non æquabitur.

Resp. Neg. min. Est enim utrobique æquale suo loco.

Contra inquies: Illud est circumscriptive in loco, quod extra hunc locum non reperitur. Resp. id falsum esse, & supponere quod probandum est. Nam id in loco est circumscriptive, quod sic totum locum replet, ut partes illius partibus loci respondeant, sive extra eum locum per reproductionem fiat, sive non. Hinc Corpus Christi est circumscriptive in cœlo, licet simul sit in sacro altaris Sacramento.

Oppon. 2. Idem esset divisum a se ipso: item distaret a seipso. Resp. Negando utrumque. Cum divisio sit unius ab alio; unum vero in nostro casu idemque esse supponimus. Sic quoque distantia est rei unius ab alia. Quare loca quidem distant inter se, non res locis diversis contenta a se ipsa. Vide Suppl. XII. Sed de Loco tantum.

TRACTATVS XXXIII
DE
LOGICA.

De Logices utilitate ac ad alias Scientias perfecte acquirendas necessitate non atinet multa hic congerere. Apud imperitos triumphat ipsa Ignorantia, omnium malorum Mater, & doctrinæ contemptus in leporem transivit. Musis loqui videri volunt, dum dicunt: Logica pertinet ad Summalistas. Pinguis Minerva sufficit, ut tractentur Moralia &c. Longe aliter & multo melius sensit Illust. D. Caramuel, cui plurimum debet de suo, quo hodie splendet, decore, hic non dubitavit affirmare, quod ne unus quidem casus conscientiæ possit decidi sine Logica. Vt plausibiliter impugnes Logicam, indiges Logica. Vt pulchro ausu persuadere coneris inutilem esse Dialecticam, debes uti Dialectica. Hinc utilius impendes tempus eam discendo, quam de ejus necessitate & utilitate disputando. Modo Logicus sis, non est cur homines timere debeas; tu enim ratione uteris, qua si regatur bene, nihil robustius est. Logica persuadet potentissime: & a sola persuasione pendet totius humanæ vitæ administratio: cum certum omnino sit, id unicum a singulis fieri, quod sibi opportunius persuadent. Logicæ correspondere debet Logica; verbum verbo, rationi ratio: dedecet enim vi aut armis viros agere, cum verbis possunt: & dedecet verba profundere, ubi Ratio abest. Logicam itaque manuteneas, quæ invadi non potest nisi a Logica: contra cujus leges, si aliquam positionem admiseris, aut dimiseris; juxta leges ejusdem subigeris, nec animos permitteris resumere. Verbo dicam: Dialecticam nemo sapiens unquam neglexit, nec nisi ignavus contempsit.

tempsit. Dialectica enim vox græca est ἀπὸ τοῦ διαλέγειν, hoc est a disserendo. Hæc volet solet stricte, solet laxe sumi. Liberiore acceptione usurpata toti respondet Logicæ trium intellectualium operationum, queis modum tradit præscribitque sciendi, directrici: at vero in acceptione rigorosa, tertiæ tantum ejus parti responder, estque facultas argumentativa: quæ mentem in discursu dirigit, & methodum argumentandi edocet. Nonnunquam pro Sophistica, tantum sumitur, ubi scilicet de ejus vituperio agitur: alias pro Topica, prout condistinguitur ab Apodectica seu demonstrativa parte. Præter ea quæ Tract. XII. tradididimus, hoc loco agemus de Quiditate Logicis, ejusque divisione. de Modis Sciendi sive objecto primario ejus.

SECTIO I.

Quid sit Logica & quotuplex?

I. Logica juxta Etymon græcum, ait Caramuel Log. voc. art. 1. dicitur a λόγος, quod sermonem & rationem significat. Et si vocum derivationem aut harmoniam speculari placeat, affirmare poterimus λογικήν (lege Logicen, non Logixin, nam græca vocalis H, exprimi sic debet: eta, non ita. Nam Plato in Cratylo disette testatur, η & ε idem sonare. Estque ητα non solum vertendem in E longum, ut omnes docent, sed græce etiam pronuntiandum ut duo ee, sive e longum, uti docte ostendit, præter alios Laurentius Ramirez in Pentacontarcho cap. 34.) dici, quasi λογχικήν Bellatricem: & merito, estenim militaris facultas, sine qua in Scholis nullus conflictus generose instituitur, nulla victoria gloriose reportatur. Ipsa enim apprehensionum clypeo munita lanceam syllogisticam torquens, propugnat veras, & falsas positiones expugnat. Anagrammatice LOGICA fit CALIGO. Hoc conqueruntur & experiuntur Juvenes ex Humaniore literatura transeuntes ad Philosophiam, quibus, ut plurimum offunditur caligo ab imperitis Magistris & Professoribus sine methodo docentibus. Hinc (inquit P. Kimmet pag. 657.) omnia confundunt, miscent, turbant: sine filo, sine ordine, sine luce; jam quæ Metaphysica sunt, in Logicam; jam quæ Logica in Metaphysicam inculcantes. In Logica nihil minus quam logicalia, sed mera metaphysica tractant. Ridiculum & absurdum est dictu, verissimum tamen, quod in fine Logicæ adhuc nesciunt objectum Logicæ, sed in thesibus disputandum exponunt. Docuerunt anno toto, neque tamen adhuc sciunt, quid docuerint. Quis mechanicus Opifex nescit materiam & objectum artis suæ? Nostri tamen Philosophi, nesciunt quid proprie Metaphysica, quid Physica quid Logica spectet? Hæc ille, & non abs re. An non Logica tradit Modum sciendi, & methodum fugandi tenebras? an non est ad obscura rerum penetralia illustranda divinitus accensa fax? quam studium & vigilantia perficit & mungit? Et si hoc, unde exacto literarum præcipitio incidit in caliginem? Nulla est litera in *Logica*, qua careat *Caligo*, & ideo commune sortitæ sunt vocabulum. Causam hujus metamorphoseos audivimus ex Kimmetio. At melius: Logica est facultas, quæ literas in lingua (sermocinalis) & ideas illis correspondentes in mente (intellectualis) coordinat. His addere licet scriptam. Quamdiu servatur ordo a natura præfixus, & a magnis ingeniis illustratus, LOGICA scientiarum erit fax; Controversiarum Lux; Disputationum Sol, & transcendentalis quædam claritas. At si vocum aut conceptuum invertatur ordo, si audacia exlex, aut subjectum in prædicatum, affirmationem in negationem, majorem in minorem, consequentias in præmissas indiscriminatim convertat, erit nox, erit obscuritas, & ut dicam convenienti vocabulo, erit caligo tenebrosa.

II. Celeberrima & notissima Logicæ divisio apud Caramuelem in Metalog. Disp. 3. art. 1. est, qua in *Naturalem & Artificialem* dispescitur. Utrique tertium membrum adjungit, vocatque Logicam *Usualem*. Aliqua enim videmur scire solius naturæ ductu; quædam consuetudine & usu; arte & regulis alia. Nec hæc divisio soli Logicæ propria æstimari debet, nam & Grammaticæ aliisque artibus convenit. Grammatica naturalis est huminibus congenita, cujus prima vocabula *mamma & tetta*. Et si duo infantes, absque ullo instructore, sibi solis relicti educarentur, idioma quoddam invenirent, quo conceptus suos invicem sibi eummunicarent: prout de duobus adultis naufragio ad Insulam quandam ejectis, quorum neuter alterius callebat linguam, successu temporis per cohabitationem novum idioma composuisse narratur in Relationibus Indiæ Americæ.

Usualis itaque Logica dicitur, quæ usu acquiritur; qualem habent omnes, qui tantum maternum idioma callent, aut etsi quoque peregrina, rationem tamen sui dialecti seu modi loquendi dare nequeunt; nempe hæc non regulis sed usu discitur.

Artificialis est, quæ Regulis & præceptis traditur, qualis est latina, græca & peregrinæ omnes, quarum grammaticas Institutiones addiscimus, ut ejusmodi linguas exacte & perfecte sciamus.

His tribus Grammaticis adhuc addi potest quarta, quam scholasticam sive speculativam vocamus, & meta-grammaticam possemus, cujus est Regulas ab artificiali datas altiore indagine examinare & propugnare. Sine hac secure & fine lapsu loqui potes: scientifice vero non potes. Exemplum cape. Ut dicas quercum *magnam*, & non *magnum*, sufficit scire nomina arborum, juxta Regulam generalem, esse gen. fœm. & quercum ab hac lege non eximi: licet ignores, cur arbores fœminis adnumeratæ sint, & cur transfugiente ad marium censum *Oleastro*; (remanente *Pinastro*) & ad neutrorum classem *Acere, subere* & *robore*. quercus hæreat, & immunitatem a regula generali non petat.

III. Eodem modo de Logica philosophabimur. Est enim triplex, ut diximus, *Naturalis, Artificialis & Usualis*. Logica naturalis est huminibus universis congenita: putamus enim huminem, si quem crearet Deus rationis compotem, antequam alium vel videret, vel audiret, apprehensiones & judicia & discursus aliquos formaturum, etiam certissimos; sed paucos, quousque usu vel arte modum intelligendi addisceret.

Ut rem hanc clarius capias: ingrediamur artificum officinas & Aurifices, Lapidicidas, Lignarios, Ferrarios, & centenos alios observabis ferreis uti instrumentis. Et si inquiras unde illa nacti sint? Ad fornaces chalybum & Banausorum Cyclopumque amandaberis, qui malleo & lima omnibus alus artificibus malleos, limas, forcipes &c. instrumenta conficiunt. Hic iterum quæris, undenam hi inquisierint Instrumenta sua, queris aliorum fabricarunt? Hanc quæstionem sibi propo-

propositam olim Rabbini mirabili, ut solent, commento exposuerunt dicentes: Deum primo homini, quem omnium Artificum voluit esse Magistrum, cœlitus facta donavisse instrumenta, quibus ipse (Adam) paulatim alia multiformia conficeret, & nepotes, pro singulorum captu & genio diversas artes ingeniose doceret. Sed relinquamus hoc dubium in medio, & ab artibus ad Scientias revertamur. Vtuntur hæ instrumentis plurimis (quæ Modos sciendi vocamus) præcipue Definitione, Divisione & Argumentatione. Et unde quæso hæc potentissima Instrumenta sunt nactæ? a Logica. Ergo Logicæ adeamus officinam, & quo ipsa modo hæc formet instrumenta, videamus. Deprehendimus autem quod hæc ipsa formet definiendo, dividendo & argumentando. Quid sit Definitio (in actu signato) dilucide & clare definit (in actu exercito) Divisionem in genera & species dividit; & argute probat argumentationum formas esse legitimas & efficaces. Vt ergo definitionem, divisionem & argumentationem aliis tradat, prius habuit. At unde? Si sibi confecit, utique aliis instrumentis, de quibus quæram, an sint facta vel data? Et sic in infinitum: aut, si processum velis esse finitum, asserere omnino debebis prima instrumenta non fuisse humanitus confecta, sed divinitus data, nempe a Logica naturali nobis congenita originem ducere, qua instructi artificialem acquirimus, & secretas omnium scientiarum abyssos penetramus, & hujus clavis adminiculo arcana reseramus. Poterit igitur Vsualis & artificialis dici acquisita, ad distinctionem Naturalis congenitæ.

IV. Vsualis autem Logica est illa, quæ usu acquiritur: qualem habent innumeri Jurisperiti, Medici &c. qui non didicerunt Dialecticam; qualem aulici & Politici plurimi, qui bene de plurimis discurrunt, nunquam licet dederint operam Præceptori dialectico.

V. Artificialis Logica est, quæ Regulis & præceptis traditur, qualem habent hodie Philosophi, Theologi, JCti & Medici, omnesque illi, quibus contigit in Scholis communibus audire Magistros hac in arte probe versatos & methodice docentes audire, qui tamen rari sunt, aut certe perfunctorie nimis facultatem tam utilem tamque necessariam tractare solent.

Tu, mi Adolescens quicunque hæc forte legis, audi Parmenidem, qui apud Platonem sic hortatur Socratem: "Collige te ipsum, & cum juvenis es, diligentius "exerce te in ea disciplina, quæ multis videtur garru"litas. Alioquin enim Veritas fugiet te. Eodem sensu intelligendus est Galenus, cum adversus Erasistratum Logicæ necessitatem probat, hoc Dilemmate. Vel quodlibet, inquit, sequitur ex quolibet, vel non? Si posterius, ergo opus est at te quæ doceatur quid sequatur, & quid non. Si vero prius, Ergo ex eo quod corvus sit niger & cygnus albus, sequitur quod Erasistratus sit stultus. Sed prosequamur analogiam.

His tribus Logicis addenda est quarta, quam vel Scholasticam, vel Speculativam, vel Meta-logicam vocamus: cujus est Regulas ab artificiali Logica traditas altiore indagine examinare & propugnare. Et quidem sine hac secure & sine lapsu dialecticari poteris: scientifice vero non potes. Sane sine lapsu & secure. Vt enim Vniversalem affirmativam in particularem, & non in aliam Vniversalem convertas, sufficit illam regulam scire:

Simpliciter f EcI; convertitur EbA per accid.
Ast O per contrap. sic fit conversio tota.

Licet cur hæc sit pronuntiata, nescias: id enim Metalogica docet.

Eadem Analogia discurres de Arte Musica, & Musurgia: non enim omnes Musici sunt artificiales; nec omnes Mosici artificiales (Virtuosos hodie vocamus) sunt Musurgæ, quorum Phœnix erat celebratissimus P. Athanasius Kircher Vrbi & Orbi notissimus.

Quæ omnia confirmantur auctoritate Hugonis a S. Victore Lib. 1. didasc. erudit, ubi ait: "Omnes sci-„ entiæ prius erant in usu quam in arte. Sed consideran-„ tes deinde homines usum posse in artem converti, &„ quod vagum fuerat ac licentiosum prius, certis re-„ gulis ac præceptis posse restringi, cœperunt consue-„ tudinem, quæ partim natura, partim usu exorta fue-„ rat, ad artem reducere: quod pravum habebat u-„ sum emendantes; quod minus habebat supplentes;„ quod superfluum habebat resecantes, & de cæteris„ singulis certas leges & regulas ac præcepta præ-„ scribentes.„

Nos impræsentiarum Artificialem Logicam tractandam suscipimus, ostensuri quid proprie loquendo sub Objecto Logicæ contineatur, & quodnam officium sit Logici, ultra cujus cognitionem & exactam notitiam non sit quod a Logices studioso requiras.

SECTIO II.

De Objecto Logicæ proximo & adæquato.

VI. Priusquam naturam Logicæ declaremus, ejusque statuamus objectum formale & proximum: præmittenda sunt quædam de objecto scientiarum in genere, succincte tamen. Meminisse igitur oportet objectum dici id omne, circa quod facultas vel Habitus versatur. Illud est materiale, aut formale. Objectum materiale dicitur subjecta facultati vel Habitui materia: sic res quæ videntur, puta Sol, homo, equus &c. sunt objectum materiale visus. Formale vero objectum est ratio, secundum quam aliqua a facultate, vel ab habitu considerantur, aut modus ipse considerandi, vel id quod facultas attingit in objecto. ut calor est id ipsum quod oculus videt in rebus, non enim videntur corpora nisi quatenus colorata. Sic corpus humanum est objectum materiale tum physicæ, tum Medicinæ: sed quatenus sanabile, est objectum formale Medicinæ, quatenus mobile, Physicæ. Et quia contingit objectum formale subinde adhuc limitari magis per diversas considerationes & formalitates sub quibus attinguntur a variis facultatibus, per quas specificantur & ab invicem distinguuntur: hinc Thomistæ & Authores communiter per *rationem formalem sub qua* intelligunt ultimam actualitatem & scibilitatem objecti, per quam determinatur ad unam potentiam aut scientiam potius quam ad aliam, quæque repetitur in omnibus actibus ad eandem potentiam aut scientiam pertinentibus. v. gr. Color albus, niger, ruber conveniunt in ratione coloris, & sub hac ratione pertinent ad objectum potentiæ visivæ. Hæc tamen ratio coloris non est ultima & specificativa objecti visibilis: cum color ut appetibilis, ad voluntatem; ut verus, ad intellectum; ut effectus qualitatum miscibilium, aut luminis reflexi, ad scientiam naturalem; ut denique per lineas rectas, reflexas aut refractas ad oculum perveniens, ad Opticam pertineat. Cum ergo color, ut color, ad tot alias scientias potentiasque pertineat, quærenda est aliqua ultima formalitas, per quam tantum ad poten-

tiam visivam, non intellectivam pertineat, & hanc dicimus esse *rationem formalem SVB QVA.* Formæ enim est materiam ad plura indifferentem determinare, & unum ab alio distinguere. Visibilitas ergo coloris & modus oculum per radiationem specierum seu luminis & lucis immutandi, constituet *rationem sub qua* colut ad solum visum, non ad alias potentias pertineat. Vide S. Thom. 1. 5. q. 54. art. 5. ad secundum. Sic Principia cujusque Scientiæ, quibus tanquam lominibus conclusiones illustrantur, sunt objectum *sub quo* cujusque disciplinæ. Subjectum conclusionis est ubjectum materiale; attributum seu prædicatum est objectum formale, vel quo.

Quod nos vocamus *Objectum*, id Veteres *Subjectum* dixere: quod sit subjecta facultati aut Scientiæ materies. Duplex autem id statuere, *attributionis* unom, cui proprietates omnes, quæ tractantut in Scientia, tribuuntut; *Operationis* alterum, idque in disciplinis practicis: sic cotpus humanum est subjectum operationis Medicinæ; ferrum est sublectum opetationis artis ferrariæ, cujus objectum formale in Serraria est forma clavis.

VII. Præterea objectum materiale dividitur in adæqoatum, & inadæquatum (sive totale & partiale). Hæc est pars objecti, quod a Scienria consideratur, sicuti anima est pars objecti Physicæ. Adæquatum est totum & aggregatum ad quod umnia, quæ in Scientia aliqua tractantur, vel ut causæ, vel ut partes, vel pruprietates vel uppoſita teduci debent. Sic ens mobile aut corpus naturale est objectum totale Physices; numerus objectum arithmeticæ, Modi sciendi objectum Logicæ &c. Et sic Inadæquati ubjecti species est objectum Primariom & Principale. Thomas Mlodianovvski Prælect. Log. Disp. 1. q. 3. diff. 2. & 3. Aliter, objectum inadæquatum est objectum partiale nun adæquans latitudinem Scientiæ. Adæquatum vocat Ockamus ubjectum continentiæ. S. Bonaventura Objectum integrale. S. Thomas objectum commune: alii Universale.

VIII. Quæres, quid sentiendum de objectu *Attributionis*? Resp. Varie de eo loqui AA. esseque quæstionem de nomine. P. Thom. Mludzian. Objectum adæquatum vocat illud, quod iucludit in se totalitatem omnium scibilium, & est æque primu de umnibus in illa Scientia contentis prædicabile. Et per tale prædicari distingui vult ab objecto *attributionis*, quod est illud, ad quod omnia, quæ tractantur in aliqua Scientia referuntut. Hinc si detut Habitus, in quo singula considetabilia possunt transire in speciem pet se objecti, in tali Habitu objectum adæquatum & attributionis coincident.

Alii, quos sequitur D. Sfondrati, dividunt objectum inadæquatum, ut aliud sit *attributionis*, aliud *attributi.* Objectum attributionis est pars principalis objecti scibilis, ad cujus contemplationem, aut etiam formationem, omnia alia objecta partialia, corumque cognitiones ditiguntur. Cum enim scientiæ sint ordinatæ, videtut ad earum perfectione pertinere, Objecta ita connecti, ut in unum colligantur. Quemadmodum umnes lineæ a Circulo iu centrum, quod tantum est pars minima circuli, colliguntut. Et in Logica omnes 3. Mentis operationes, & modi sciendi illarum directrices tandem in Demonstrationem, quæ est pars Logicæ nobilior concurrunt. Quidquid de Terminis, ptopositionibus, definitionibus, syllogismis &c. in Logica disputatur (de quibus vide Tract. - & -) id omne Demonstrationi deservit. In hac quæstione de nomine parum refert, quibuscum sentias, dummodo consequenter doceas. His præmissis, genus proximum Logicæ seu Dialecticæ inquiramus.

IX. Vtimur promiscue his terminis, *Logica & Dialectica*, Est enim facultas (hoc nomine intelligimus Habitum, seu facilitationem potentiæ intellectivæ ad actum perfectum) sermocinatrix, disputatrix, argumentatrix & dissertatrix. Eam vocat P. Ptolomæus (& judicio Phil. Burgund. satis apte) artem recte cogitandi, aut potius artem dixeris recte utendi ratione, præscribendo certas & infallibiles regulas, tradendo Modum sciendi, & viam monstrando, qua tuto & citra errorem in rerum quarumcunque indagatione progrediamut, ne veritatis specie decepti aberremus. Perficit ergo Retionem & conceptus Mentis dirigit & varios dicursus edocet, utiturque sermone tum externo (& hæc est *Logica vocalis*) tum interno (& hæc est *mentalis*). Quæ distinctio bene notanda, pro conciliandis Sententiis, quarum una pro objecto Logicæ statuit Voces cum Nominalibus, altera operationes intellectus cum communi.

X. Hinc uterque finis Dialecticæ, proximus scilicet & remotus, innotescit. Nam *proximus*, qui ab ejusdem artis officio non differt, est duplex: nempe cognitio Modotum differendi, & traditio præceptorum ad rite differendum. *Remotus* & mediatus, est ipsa regularum applicatio ad aliarum scientiarum materias, maxime probabiles. Etsi autem Logica in fine remoto conveniat cum aliis scientiis (omnes siquidem veritatem inquirunt differendo) in fine tamen proximo dissidet ab omnibus, quia ipsa sola contemplatut Modos differendi; & docet quo pacto sine ullo errore differatur. Sic qua *Docens*, vocatur avulsa a rebus; *Vtens* vero, concreta rebus. An vero finis ille, quo præscribit regulas differendi, debeat dici practicus, videtut quæstio de nomine, quid nempe per praxin importetur.

Regularum ergo omnium bene differendi comprehensionem qui probe callet, Logicum dicimus. Noverit is, ad rite definiendum, dividendum, discurrendum Leges; acutus sit in inveniendo Medio; expeditus in distribuendo & ordinando inventa, severus in arguendo. Huic nemo impune audebit concessis præmissis negare consequentiam: mox enim per viam Reductionis (de qua alibi jam egimus) ad tales redigetur angustias, ut aut concessa retractare, aut repugnantia simul admittere cogatur.

Cum igitur & bene differendi cognitio, & cognitionis hujus executio seu exercitium & applicatio requitatut: duplex nascitur Habitus Logicæ. Alter vocatur *Docens*, cujus est dissertationis naturam & proprietates cognoscere, ejusque conficiendæ regulas præscribere: Estque Habitus inclinativus ad faciendum v. g. Syllugismum, facilitans præceptive. Alter appellatur *Vtens*, cujus est juxta Docentis præscripta, quæ sunt cognoscendi instrumenta, dissertationes construere, tum in propria, tum aliarum scientiarum materia, & definiri potest Habitus inclinans & facilitans ad discurtendum per modum principii executivi; & hic quidem perfrequens exercitium acquiritur; non secus ac Habitus Oratorius; qui enim ex rostris sive cathedra nunquam: aut raro dixerit, oratoris nomen adquiret nunquam, ita nec Auditor Logices, qui argumentando, oppugnando, propugnando non fuerit exercitatus.

Hoc ipsum accidisse legimus Oratorum Principi M. Tullio, nempe illum anno jam ætatis suæ decimo sexto Docentem oratoriam, sed circa annum 26. modu Uten-

Utentem sibi comparasse. Sed quid in re tam clara nos detinemus? Unicum adjicio, non quemcunque usum aliarumScientiarum in differendo adscribendum Logicæ, cum enim in materia necessaria & cuivis Scientiæ peculiari ac propria discurrimus, definimus, dividimus, illi actus adscribuntur illi Scientiæ, cujus est materia de qua differitur, & non simpliciter ad Dialecticam, quantumlibet ex hac, ut regulante seu dirigente procedat ille usus, idcirco Dialectica ab usu tali nequit appellari Utens. Aliud dicendum de Usu, qui cernitur in materia probabili a quibusdam Habitibus opinativis elicitus, directus tamen a Logica. Talis enim usus differendi ex probabilibus, non simpliciter adscribendus videtur Habitibus illis opinativis, a quibus elicitur, sed Logicæ, a cujus doctrina & imperio dirigitur: idcirco Logica propter ejusmodi usum disserendi probabilem vocatur a quibusdam Utens. Ratio hujus est, quia talis usus hoc ipso, quia est artificiosus debet arti cuipiam sive Scientiæ adscribi; idque vel ratione materiæ, vel formæ, siquidem hæc duo tantum in eodem usu reperiuntur: sed ratione materiæ non potest ulli attribui, cum hæc materia (probabilis) eo ipso quod omnibus patet, aut certa nullo negotio inveniri potest; item quia mutabilis & incerta est, non possit esse cuidam Scientiæ propria, ergo ratione formæ attribuendus est velut proprius Dialecticæ, quæ sola tradit formam differendi, tam ex probabilibus, quam ex necessariis, eamque formam scientifice demonstrat, & huic aut illi materiæ imprimit.

XI. Cum Philosophi omnes pene circa Logicæ præcepta consentiant; de illius tamen Objecto & natura plurimum altercantur. Hæc autem opinionum diversitas hinc oritur, quod res, quæ tractantur in Logica; instrumenta quibus utitur ad veritatem eruendam, definitionem videlicet divisionem & argumentationem, actiones ipsius Mentis; signa denique quibus mens utitur, ut suos conceptus exprimat, non satis accurate plerique distinguant.

Cum igitur tria potissimum spectari possint in Arte differendi, (Logica) nimirum res, de quibus differitur; cogitatio ipsa vel mentis operatio; & signum seu vox, qua mentis cogitatio exprimitur. Quidam Res omnes quatenus a cognitione nostra nomen suum accipiunt, ac definitæ, aut divisæ, aut ratiocinio evolutæ dicuntur, ut Logicæ Objectum considerant. Alii (quos Nominales vocamus) voces ipsas aut signa, uti Grammatices, Poetices aut Rhetorices, sic Logicæ objectum (materiale) constituunt. Communior sententia, velut in extremas media, Mentis operationes ad verum dirigendas aut conformandas (dirigibiles ajunt alii) esse objectum Logicæ (adæquatum) decernit.

His ita positis, tandem ad decisionem quæstionis veniamus, certa ab incertis primo separabimus: dein sub distinctione litem dirimemus.

XII. Conclusio 1. Certum nobis videtur, non recte statui pro objecto Logicæ Res omnes, nisi materiale & quidem remotum intelligas. Ratio, quia Res omnes bifariam considerari possunt. 1. Intrinsece & secundum propriam quidditatem, & sic nihil de rebus tractat Logica, sed Physica & Metaphysica. Secundo prout respiciunt actum rationis & sub conceptibus nostris stant, & secundis intentionibus, ut vocant, substant, sortiunturque denominationes esse cogniti, esse generis, speciei &c. Sub qua consideratione dicuntur conceptus objectivi juxta phrasin Thomistarum, & de his controvertitur an sint objectum Logicæ.

Jam vero aliud est objectum proximum, aliud remotum. Proximum est, quod primo & immediate tractat facultas. v. g. Medicina Modum sanandi. Remotum vero illud est, cui ipsum proximum applicatur, v. g. homo respectu Medicinæ, cui applicat Medicus Modum sanandi, curandi, præservandi &c. Res autem sive conceptus objectivos non esse objectum materiale Logicæ, ostendit Eminent. Card. Sfondrati prælud. Log. §. 3. & quidem

Primo. Objectum materiale, seu potius Subjectum operationis Scientiæ practicæ illud dicitur, cui scientia vel Ars formam suam imponit, adeo ut tota Scientiæ operatricis cura sit in eo, ut materiam forma aptet & formam materiæ, omnesque difficultates superet quæ huic adaptationi obstare possunt: sed res ipsæ non sunt illud cui Formam suam v. g. syllogisticam Logica aptare laborat, ergo. Maj. videtur certa. Sic enim ferrum est materia artis fabrilis, marmor statuariæ, corpus Medicinæ, colores pictoriæ &c. Minor æque constat: res enim ipsæ nullam formam logicam recipiunt, nec ab illa diriguntur aut perficiuntur. Cum enim Logica præcipit definitionem hominis ex genere & differentia componi, aut risibile per rationale demonstrari, quid per talem definitionem homini aut risibilitati accedit præter denominationem extrinsecam definiti, demonstrati &c.? Si ergo rebus forma logica non imponitur, ergo non sunt materia circa quam Logica versatur.

Secundo. Logica triplex est: Vocalis, Scripta, Mentalis. Nulla ex his versatur circa res, sed vel circa Voces (ore prolatas, aut scriptas) aut conceptus formales, ergo. min. patet, quia quæ traduntur in Logica, de rebus verificari non possunt: agit enim de Terminis, de Enuntiatione, de definitione, de Syllogismo, & ait Logica, quod hæc omnia sint aut dictiones aut orationes &c. res autem prout substant intellectui, nec sunt termini, nec orationes. De definitione docet, quod explicet naturam rei, quod ipsum rebus tribui nequit. De Enuntiatione docet, quod neget vel affirmet: hanc vim autem affirmandi aut negandi absurdum est in recto tribuere rebus quomodocunque consideratis.

XIII. Conclusio 2. Objectum adæquatum & proprie dictum Logicæ non est Ens rationis (sive chymericum, sive logicum hoc est intentiones secundas objectivas intelligas). Est contra Thomistas citantes S. Thomam 4. Metaph. lect. 4. & opusc. 42. c. 2. & opusc. 56. & opusc. 70. q. 7. a. 1. & 3. præter multos alios quos citant & sequuntur Complutenses Disp. 1. Log. q. 2. n. 17. asserentes, se ne vel unum legisse Thomistam, qui hanc sententiam non habeat. Juxta quos AA. Logica nil aliud est, quam Ars fingendi Entia rationis, qua inutili arti tempus impendere profecto non est operæ pretium. Quod attinet mentem S. Thomæ, illam sat expressit 1. Poster. initio dum ait: "Ars quædam necessaria est, ut sit directiva ipsius „ actus rationis, per quam homo in ipso rationis actu „ ordinate, faciliter & sine errore procedat. Et hæc „ est ARS LOGICA, id est RATIONALIS SCIEN- „ TIA; quæ non solum rationalis est ex hoc, quod „ est secundum rationem, quod est omnibus Artibus „ commune; sed etiam ex hoc quod est circa ipsum „ actum Rationis, sicut circa propriam materiam. Quæ „ verba ita clara sunt (ait Trismegistus Noster Caramuel) ut in Thomistarum præd. sententiam retor-

queri non possint. Sæpe quidem contingit a D. Thoma aliisque DD. asseri Logicam versari circa Entia Rationis; sed tunc Entium Rationis nomine intelligunt illa, quæ Ratio concipiendo producit, puta operationes intellectus, apprehensiones, judicia, discursus, quæ dicuntur a Logica dirigi & gubernari: minime vero fictitias illas secundarum intentionum formas, quas in objecto cognito resultare, & in illis intrinsece quasi inhærentes fingunt. Vide Tract.

Nempe Thomistæ tunc putant se bene exponere Angelicum Doctorem, cum durius difficiliusque, tametsi ipse protestetur contrarium. Caram. Logicæ Vocalis art. 3.

Si enim sincere loquamur, D. Angelicus potius favet AA. mox referendis, qui statuunt pro Objecto Logices Operationes intellectus ut logice dirigibiles. Hæc opinio est valde communis in Scholis, quæ & arrisit S. August. 2. de doctrina Christiana cap 37. Conimbricen. Murciæ, Hurtado, Fonsecæ, & novissime illam tenuit Card. Sfondrati. Contra quos nihilominus sit

XIV. Conclusio 3. Operationes intellectus, ut logice dirigibiles non recte statuuntur pro objecto Logicæ in genere. Dixi *in genere*, hoc est Logicæ prout abstrahit a Logica Vocali, Scripta & Mentali. Ostenditur hæc veritas 1. Quia Logicam Vocalem non tractare de Conceptibus formalibus, sicut nec de objectivis palam est, sed de vocibus, ergo non omni Logicæ objectum statui possunt actus intellectus. 2. Logica agit de Definitione, divisione, Enuntiatione, Syllogismo & demonstratione: sed ista omnia, esto sint objectum Logicæ mentalis prout sunt operationes Mentis, non tamen ut sunt operationes dirigibiles: sed sunt Modi sciendi & Regulæ quibus dirigantur operationes. 3. Operatio ut dirigibilis dicit carentiam rectitudinis; atqui Demonstratio, Syllogismus &c. tantum abest ut directione careant, ut etiam in omnibus scientiis & facultatibus instrumenta, idea, regula & forma sint directionis. 4. Quæ de definitione, divisione &c. tradit Logica, nullatenus aptari possunt operationibus intellectus ut dirigibilibus, quod ostendo. Definitio dicitur explicare rei essentiam, facere apprehensionem quiditatis, constare genere & differentia, prædicari de definito & cum eo converti. Divisio dicitur totum in suas partes exacte distribuere, mentem a confusione liberare: Enuntiatio aut affirmare aut negare, significare verum & falsum &c. Quæ omnia licet sint Ideæ & regulæ seu Maximæ pro operationibus rectificandis, Logicus tamen de illis non tractat quatenus operationes dirigibiles sunt, sed quatenus directivi Modi sunt. Declaratur idipsum ulterius: Nam prima Mentis operatio (quam apprehensionem dicimus) si bene consideretur secundum suam entitatem, non constat genere & differentia; sic enim jam esset directa, & non dirigibilis: ac proinde nec explicat naturam rei, nisi ipsi adjungatur Regula logica, quæ docet definitionem debere dari per genus & differentiam, si rei quiditatem velimus explicare. Idem secunda Mentis operatio (Judicium) non continet sub ratione formali dirigibilitatis, alicujus rei veritatem: hanc enim habere non potest, nisi per rectam quandam modificationem sive dispositionem, ut v. gr. sit affirmativa vel negativa, universalis aut particularis: quæ autem id habet, non amplius est dirigibilis sed directa. Item 3. Operatio (Discursus) ut dirigibilis nihil probare potest, nullam gignere scientiam, opinionem nullam facere; sed ut dirigibilis, potentiam ad hæc omnia habet, cum possit directa fieri per rectum ratiocinandi modum. Cum igitur constet hac ratione omnia illa circa quæ versatur Logica, per se & immediate, non esse operationes Mentis ut dirigibiles, imo nec de his verificari posse, consequens est operationes intellectus ut dirigibiles pro objecto materiali, proximo saltem, non recte statui.

XV. Concludimus itaque 4. cum Illustr. D. Caramuele Disp. 2. Metalog. in fine Modum sciendi esse Objectum generale Logicæ, nim. Modum sciendi mentalem esse Objectum Logicæ Mentalis: Vocalem vocalis & scriptum scriptæ. Idem docuit Salisburgi Insignis Philosophus P. Maurus Tantuccius, alii complures. Probatur 1. ex Arist. 2. Metaph. text. 15. ubi ait: *Turpe est quærere scientiam, & simul Modum sciendi.* Quo in loco omnes ferme AA. & Interpretes volunt Aristotelem per *Modum sciendi* intelligere ipsam Logicam. Ex hoc igitur supposito ab omnibus recepto, pro nostra sententia sic arguimus. Vel Logica appellatur ab Arist. Modus sciendi, quia ipsa est Modus sciendi; vel quia Modus sciendi est finis ipsius Logicæ; vel quia est objectum ipsius. Neque enim videtur superesse alius illum textum explicandi modus. Non potest dici primum, quia ipsa Logica est facultas & Habitus: unus autem Habitus non potest esse Modus sciendi aliarum facultatum & Habituum. Non secundum, quia Add. ipsi dicunt finem Logicæ esse dirigere operationes intellectus, ergo ipsæ operationes directæ erunt finis, & non Modus sciendi. Restat ergo ut dicatur tertium, nempe ideo vocasse Modum sciendi, quod sit ejus Objectum. Sic quoque colligit Suarius Disp. 1. sect. 4. num. 23.

XVI. Probatur 2. ratione. Quia Modus sciendi habet omnia requisita ad integram & perfectam rationem objecti adæquati, quod ostendo. Est enim inprimis unum quid, nempe unum genus scibilis, quod sic una descriptione potest declarari. Modus sciendi est ratio & methodus qua in unaquaque facultate recte & sine errore per quamcunque operationem intellectus procedimus. Vel ut alii definiunt, Est illud quod facit venire de notitia noti ad notitiam ignoti; aut brevius cum Caramuele, Est lux, quæ tenebras Mentis excutit, & ignota dilucidat. Est triplex: videl. Modus apprehensivus, judicativus, discursivus. Subjungamus, inter apprehensiones excellentissimas Definitionem & Divisionem numerari: inter Judicia non debere infimo loco recenseri Propositiones definitivas & divisivas: inter discursus, nobilissimos esse evidentes & demonstrativos. Deinde per istum Modum sciendi distinguitur Logica ab aliis quibuscunque facultatibus. Item de eo demonstrat passiones, ut facere scire, esse aptum dirigere operationes intellectus &c. habet quoque suas partes sive species, quæ sunt jam sæpius mentionatæ Definitio, Divisio, Argumentatio omnesque ejus Modi: totam quoque Logicæ sphæram comprehendit, ergo habet omnia ad rationem objecti proximi, formalis *quod* seu adæquati requisita.

Confirmatur. Omnia quæ traduntur docenturque in Logica, dicunt ordinem & attributionem ad Modum sciendi? In tota enim Logica nil aliud explicatur

plicatur (aut saltem deberet juxta rectam methodum) nisi modus definiendi, enuntiandi & argumentandi, variique syllogizandi modi, & severe arguendi Regulæ; quæ omnia clarissime referuntur ad Modum sciendi: cum econtra de operationibus Mentis ut dirigibilibus, sicut nec de arte conficiendi Ens rationis in tota Logica vix verbulo fiat mentio. Vide Suppl. XI.

XVII. Petes. Cur assignemus Modum sciendi in communi pro Objecto, & non sigillatim, aut collectim sumptos? Resp. quia sic melius apparet Objecti unitas: quo modo videmus alias quoque facultates, ut Physica v. g. unum habere objectum. Licet enim Physica varias consideret corporum naturalium species; pro objecto tamen correspondente toti facultati habet Corpus naturale, omnibus corporibus (animatis, in animatis, cœlestibus, terrestribus) commune; non autem ipsa corpora particularia. Similiter Metaphysica Ens in communi, abstrahens ab omnibus in particulari. Quin imo hæc doctrina obtinet non solum in scientiis speculativis, sed etiam urget in operativis & artibus. Nam Statuaria ex. gr. licet in actu exercito non nisi particulares modos pertractet conficiendi statuam: In actu signato tamen objectum statuariæ est Modus communis omnibus particularibus elaborandi statuam. Idem dicimus de cæteris artibus, Sartoria tradit Modum conficiendi Vestimenta, Architectonica ædificium &c. Specialiter autem Logica dicitur & est scientia modalis, & licet in actu exercito non tradat nisi particulares Modos [de quibus infra,] in actu tamen signato objectum ipsius est Modus recte cognoscendi communis omnibus Modis sciendi.

SECTIO III.

Satisfit objectionibus.

XVIII. Oppon. 1. Nulla Ars sive facultas præceptiva seu instrumentaria & directiva, quæve tradit modum aliquid faciendi, habet pro suo objecto Modum rei, sed rem cui ille modus applicatur. At Logica est hujusmodi Habitus præceptivus, ergo. Maj. probatur inductione & exemplo aliarum Artium: Faber enim lignarius aut Scriniarius habet pro objecto lignum, non modum conficiendi Mensam aut scamnum. Statuarius æs aut lapidem, ebur &c. non formam statuæ.

Resp. in hac objectione tangi radicem totius diff. inter A. A Sententiæ de operationibus Mentis ut dirigibilibus, & de Modo Sciendi. Illi enim nituntur principio mox dicto: nos vero opposito. Volumus enim facultates instrumentarias & directivas habere pro objecto proximo & immediato Modum siva Ideam, non rem aut opus. Artem v. g. fabrilem non habere pro objecto lignum aut ferrum, hoc vel illo modo accommodabile: sed modum accommodandi aptandique lignum aut materiam quamcunque. Sic objectum artis nauticæ non esse mare vel navem, sed Modum navigandi seu dirigendi navem. Ars etiam saltandi agit de proportione quadam & modificatione motus tibiarum, & non de tibiis. Objectum quoque Ethices non est homo, sed modus operandi ex virtute. Neque objectum Medicinæ est homo, sed modus medendi & sanandi. Frænofactoriæ, non equus regibilis sed modus faciendi frænum esto frænum sit instrumentum aptum equo regendo. Sic objectum Logicæ est Modus sciendi, licet hic operationibus dirigendis deserviat ut instrumentum, quod quidem breviter sic suaderi potest. Cum enim ad Scientias hujuscemodi Instrumentarias duo potissimum spectent: Modus nimirum & res cui modus applicatur. Ex his illud videtur dicendum objectum proximum, & in recto, quod immediate & proxime consideratur & tractatur ab Habitu. Hoc nos in Logica dicimus esse Modum sciendi: illi autem qui rem modificabilem, seu operationes ut dirigibiles a Modo sciendi assignant pro objecto, obtruduot aliquid remotum, & confundunt finem Logicæ extrinsecum (qui forte est dirigere operationes) cum objecto ipsius, quod est objectum accipere in sensu metaphorico & minus proprio.

XIX. Hic tamen bene notandum, Logicam diverso modo dici directivam, quam cæteræ artes. Nam aliæ sic dicuntur, non solum quia considerant directionem & modificationem, sed quia eandem inducunt in materiam. Quare objectum earum non videtur Modus præcise, sed modus inducendus in materiam v. g. modus conficiendi frænum & inducendus ferro dicitur objectum frænofactivæ. At Logica directiva tantum est, quia præcise tradit Modum directivum, non applicando illum operationibus: hanc enim applicationem faciunt aliæ scientiæ juxta propriam materiam. Dici ergo debet directiva in actu primo, quia tradit modum, quo quilibet scientificus in actu secundo dirigere habet operationes intellectus, ne erret circa proprium Objectum. Cæteræ vero facultates Instrumentariæ non solum sunt directivæ in actu primo, tradendo directionis modum, sed & in actu secundo eandem formam induunt.

XX. Oppon. 2. In Objecto adæquato debent posse assignari duæ partes, materialis, & formalis: sed hoc nequit fieri si Modus sciendi in communi statuatur pro Objecto adæquato Logicæ, ergo. 1. Tunc assignandam esse partem formalem distinctam & materiali in objecto adæquato, cum in eo reperitur aliquid commune pluribus habitibus, & indeterminatum: At vero quando Objectum est per se determinatum, nec ab alia facultate consideratur, nulla opus est ultra parte formali. Sic Ens consideratur a Metaphysica simpliciter ut ens, sine alia formalitate, ut docet Arist. 4. Met. tex. 5. Sic in proposito, quia nulla alia facultas considerat Modum sciendi, nisi Logica, non erit necesse ipsum aliqua formalitate ad Logicam determinari.

Resp. 2. Modum sciendi dupliciter posse considerari. 1. Secundum rationes quasdam generales, ut si quæramus an Modus sciendi sit Ens aliquod reale; an distinguatur re vel ratione tantum a suo modificato, & sub tali formalitate non considerabitur a Logica, sed a Metaphysica, cujus est omnium entium quidditates rimari secundum conceptus generales. Secundo considerari potest ut est quoddam dirigibile a recta ratione per Scientiam moralem vel Prudentiam; ut, quantus conatus sit adhibendus in Scientiis, ne impediantur negotia civilia; & ne inferatur damnum vitæ aut sanitati, vel quo tempore quove ordine vel quomodo sit operandum per illum &c. Et neque sub hac consideratione Modus sciendi est objectum Logicæ, sed pertinet potius ad moralem facultatem. Alio adhuc modo considerari potest Modus sciendi, quatenus est directivus operationum intellectus, & sub ista formalitate seu ratione formali est proprie Objectum Logicæ, & a nulla alia facultate consideratur, dicique potest Modus sciendi qua talis, ita quod illa reduplicatio sit ratio formalis.

XXI. Oppon. 3. Id per quod Ars consequitur suum finem, non est ejus objectum: at Logicæ finis est dirigere operationes intellectus, quod præstat per Modum sciendi, ergo Modus sciendi non est ejus objectum. Maj. est commuois. nim. prob. authoritate S. Thomæ sup. allegati.

Pro solutione hujus objectionis notanda quædam veniuut circa finem & officium Logicæ, alibi jam quidem obiter insinuata. Quare

Notandum 1. Communiter 4. assignari omnium rerum causas (nos dedimus 6.) Materialem, Formalem, Efficientem & Finalem; quæ analogice Moralibus quoque, puta Sacramentis &c. applicantur. Logica quidem cum sit Habitus, caret causa materiali & formali, nisi velis per causam formalem ipsam essentiam Logicæ intelligere, & per materialem, ejus subjectnm cui inhæret, quod sine controversia est potentia iotellectiva: habitus enim in ea resident potentia, quam perficiunt. Efficiens vero Causa Logicæ, velut interna & proxima est ipsemet qnoque Intellectus, qui cognoscitivos actus de Modo sciendi in seipso producit, a quibus promanat Habitus. Quædam vero Efficiens extrinseca est, ad quod genus Causæ revocamus Inventorem, amplificatorem & modum Inventionis. Hic de Finali inquirimus, de qua

Nota 2. Finem tres habere proprietates. I. ut sit bonum quid & amabile. II. ut sit postremnm, nempe cujus gratia cætera fiunt. III. quod de fine nulla est consultaoo: nec enim consultat Medicus sitne sanandus Infirmus nee ne, sed quibus mediis. Nec Dux Belli de Victoria, sed quibus viribus & stratagemaris obtineri queat. Hinc finis definitur esse id, in cujus gratiam omnia præcepta artis seu facultatis tractantur.

Nota 3. Artes sive Scienoas Instrumentarias duos habere fines: unum intra, alium extra artem. Et in hoc differont a Scientiis non Instrumentarias, quæ unicum tantum finem propositum habent intra se. Finis intra artem est opus vel Instrumentum, quod conficitur: finis vero extra artem, est finis illius facultatis, cui instrumentum vel opus illud coofectum accommodatur. Exemplum familiare præbet frænofactoria, quæ pro fine sibi intrinseco habet confectiooem fræni seu frænum sabrefactum. Pro fine extrinseco regere equum, qui est proprie finis equestris.

XXII. Jam ad finem Logicæ veniendo, fuerunt qui cum Græcis rati sunt esse Demonstrationem: alii cum Janduno conteoduot finem ejus esse discernere bonnm a malo. Alii cum Averroe, discernere verum a falso: alii disputare de quavis re proposita probabiliter. Sed his missis

Resp. 1. Finem proximum, seu intra ipsam Logicam Docentem esse cognitionem Modi sciendi, qua Gnostica; eumque tradere, qua Didactica. Quod probatur argumento desumpto ab Inventione & necessitate Logicæ. Ideo enim Logica quæsita est, & inde necessitatem illius habemus, ut emendentur nostræ Rationis vioa, quibus a sciendarum rerum captu retardamur. Hoc autem præstat monstrando viam, & tradendo methodum ac rationem recte operandi: ergo nihil aliud formaliter intendit Logica, qualem talem Modum sciendi contemplari & tradere. Confirmatur: assecuto fine cessat actio artificis: at assecuta cognitione Definitionis, Divisionis & argumentationis aliorumque modornm mox cessat Logicæ Docentis actio. E.

Ex quo colligere licet discrimen inter Logicam, & alias facultates præcepnvas & Instrumentarias, v. gr. fabrilem. Illæ enim ita considerant modnm, ut eundem etiam operentur & inducant in materiam seu opus intentum: ut faber lignarius considerat formam cathedræ non solum inducendam in lignum, sed præterea artificiosum cathedræ opus efficit. Logica vero ita Sciendi modum pertractat, ut illius cognitionem ad nullam operationem deducat, sed veritatis illius tantum speculatione contenta est: unde scientiis speculativis oon immerito a multis annumeratur.

Resp. 2. Finem remotum Logicæ Docentis esse dirigere Intellectum, ne erret in suie operationibus in ordine ad rerum omnium cognitionem. Ratio est, quia Logica dicitur Rationalis, & hoc non ex eo, quod intellectui sue Rationi insit: nam hoc pacto omnes Scientiæ dicendæ essent rationales: sed quia vitia corrigit rationis in ordine ad cæteras facultates. Quod ipsum disertis verbis tradit Doct. Angel. initio posterior. ibi: Ars quædam necessaria est &c.

Quando autem idem S. Doctor 1. 2. q. 90. art. 1. ad 2. Operatiooes intellectus vocat entia rationis. Et 1. post. Lect. 1. dicit Logicam esse de operationibus rationis; seu intentionibus rationis. Et alibi 4. Met. Lect. 4. desertis verbis edicit: "Ens rationis proprie dicitur de illis intentionibus, quas raoo adinvenit, quæ quidem non inveniuntur in rerum natura, sed considerationem rationis consequuntur, & hujusmodi scilicet, ens rationis est proprie subjectum Logicæ. Interim in 1. sent. dist. 33. q. 1. ad 3. ita se explicar. Ens rationis, seu ratio dupliciter sumitur: quandoque enim ratio est in ratiocinante scilicet ipse actus rationis, vel potentiæ, qoæ est ratio. Quandoque ratio est nomen intentonis sive secundum quod significat definitionem rei, prout ratio est definitio, sive prout ratio dicitur argumentatio. Idem D. Angel. aput Sanchez. 9. Procem. L. 7. tit. Decisio quæst. expresse ait: "Quemadmodum Ratio artem fabrilem invenit, ut actus, qui per manum exercentur, secundum rationem dirigantur: eodem pacto ratio ipsa invenit artem Logicæ, quæ directiva esset ipsius rationis actuum, per quam homo in actibus rationis ordinate & faciliter & sine errore procederet. Hinc quando ait 4. Met. lect. 4. Et opusc. de natura generis c. 4. assignat pro objecto Ens rationis Logicum, hoc intelligendum, quod operationes intellectus intenderit cum illæ cum entibus ratioois logicis apud eundem, sint idem. Ita P. Thomas Mlodzianovvski prælect. Logic. Disp. 2. q. 3. num. 164. Ego litem hanc non faciam meam, qui de genuino sensu D. Thomæ hac in parte non sum sollicites, sed id negotii relinquo Thomistis, quos libenter in suo sensu permittam abundare. Ad nostra redeo, &

Resp. 3. Officium Logicæ Docentis est tradere præcepta Modi sciendi, vel cognitiooem horum instrumentorum. Vtentis autem est definire, dividere & argumentari, quæ tot fines habet, quot sunt scientiæ & facultates quibus inservit applicando debite præcepta regulasque Docentis.

XXIII. Ex his omnibus bene notatis patet directa Responsio ad object. tertiam, nimirum duplex esse Instrumentum in Arte: Alterum quo immediate & quasi

forma-

formaliter Ars attingit suum finem, ut figura scamni est velut instrumentum intrinsecum, quo utitur faber ad finem suum assequendum, qui est facere scamnum, vel præbere commoditatem utendi scamno. Melius dixeris causam idealem, quam Instrumentum. Alterum est instrumentum quoddam extrinsecum, ut serra, dolabra &c. De hoc verum est quod dicitur in argumento, falsum vero de Instrumento intrinsecæ seu Ideali. Nam revera idea scamni est objectum fabri lignarii, & tale Instrumentum intrinsecum est Modus sciendi in nostra Logica.

Vrgebis: Instrumentum est *id quo*: objectum autem facultatis debet esse *id quod*, ergo nullum instrumentum potest esse objectum, ergo nec modus sciendi Logicæ. Resp. Esse *id quo*, vel accipitur respectu scientiæ, vel respectu alicujus extrinseci, quod non tractatur in scientia. Applicando in casu nostro. Modus sciendi potest considerari respectu operationum dirigibilium, & potest considerari respectu ipsius Logicæ. Si consideretur priori modo, est *id quo* nempe diriguntur operationes: at si consideretur posteriori modo est *id quod*, nempe quod a Logica tractatur & consideratur. Operationes vero ut dirigibiles sunt *id quod* respectu Modi, non autem respectu Logicæ, quia non tractantur a Logica, sed ab Animastica & Metaphysica.

SECTIO IV.

De Modo sciendi in genere, & specie.

XXIV. Modus sciendi idem sonat vocetenus, ac Modus acquirendi Scientiam. Potest autem Modos sciendi aut acquirendi Scientiam tripliciter sumi. Latissime, late & strictissime. Latissime accipitur pro omni eo, quod quomodo conque inducit & juvat ad Scientiam acquirendam, & in hoc sensu universa Logica dici solet Modos sciendi, quia conducit & juvat ad alias scientias acquirendas. Hac ratione etiam studium & lectio, & disputatio literaria possunt dici modus sciendi, quatenus ad comparandam scientiam suo modo contribuunt. Strictissime vero accipitur Modus sciendi pro eo quod immediate generat Scientiam proprie dictam, & sic Demonstratio sola erit Modus sciendi. Tertio demum sumitur pro eo quod affert clariorem rei notitiam & cognitionem, ut possimus rem clare & distincte cognoscere, & quidem sine errore, quæ ante non sine errore, aut certe non nisi confuse cognoscebatur, aut cognosci potuit: id ergo quod affert clariorem hujusmodi cognitionem immediate, vocatur Modus sciendi.

Accipitur igitur in Logica Modus sciendi pro aliqua Oratione rem ignotam vel obscuram clarius exprimente, & in hac acceptione communiter solet definiri: *Oratio ignoti manifestativa*. Dicitur *Oratio*, quia una vox non est sufficiens ad explicandam rem ignotam distincte. Deinde per hanc particulam *Oratio*, excluditur fumus v.g. manifestans ignem latentem aut pallor indicans morbum occultum, qui dialectice non dicuntur modi sciendi, imo vero fumus & pallor morbum potius significant, quam manifestant. Pro quo

XXV. Nota. Aliud esse *significare ignotum*, aliud *enuntiare ignotum*, aliud *manifestare ignotum*. Significare aliquo modo ignotum, convenit cuivis signo & omni termino dialectico ducentis nos in cognitionem alicujus objecti, quod ante nobis non repræsentabatur. *Enuntiare ignotum* convenit omni propositioni significativæ, cum qualibet enuntiet aliquid, quod potuit alicui fuisse ignotum, ut: Blictri non est terminus Dialecticus, homo est animal. *Manifestare vero ignotum*, proprie loquendo, est non quomodocunque aliquid significare per modum termini complexi, ut homo albus; aut enuntiare aliquid quomodocunque per modum propositionis, sed afferre notiora, quibus res obscuræ magis dilucidantur. Licet enim *τὸ manifestare* possit duplicem habere sensum; primo prout manifestum opponitur incognito, & tali modo hedera vinum venale, & quævis signa aut dictiones suum significatum manifestant, etiam extra propositionem, hoc tamen non est manifestum, sed solum significare, ut diximus. Vnde etiam interpretatio alicujus idiomatis ignoti per aliud notum, non est modus sciendi, de quo Dialectici agunt, quia latinum vocabulum *homo* non explicatius rem seu naturam hominis, aut ejus partes sive proprietates declarat, quam græcum ἄνθρωπος. Quod vero quandoque quis unum vocabulum intelligat & non alterum, sive quod intelligat rem significatam per hoc vocabulum, & non per aliud idem significans, hoc per accidens est, quatenus non est nisi vernaculæ linguæ peritus. Alio ergo modo & proprie seu stricte accipitur *τὸ manifestare*, prout manifestum opponitur obscuro, sicque manifestatio hæc fieri debet per aliquid notius & magis clarum, quo tollatur obscuritas illa, evolvendo prædicata ejus essentialia, vel partes aut proprietates, vel etiam accidentia, quæ erant ignota, puta cum definimus individua v. g. Julium Cæsarem. Et hac ratione manifestare nostro intellectui aliquid ignotum, est Modus sciendi; sciendi, inquam, id est cognitionem aliquam claram acquirendi de re aliqua, etiamsi non sit cognitio aliqua proprie dicta scientifica. Et de Modo sciendi in communi tantum.

SVBSECTIO I.

De Definitione.

XXVI. Definitio est *oratio explicans naturam rei*. Quod Græci & Aristot. ὅρον nominant; Cicero Definitionem; Quintilianus finem sive terminum, & argumenta a fine ducta esse scribit, quo ex loco deprompta sunt. Ὅρος autem metaphoricὰ *terminus* dicitur, ab agris sumpta similitudine; quia definitio paucis verbis, tanquam limitibus, totam rem ejusque finem includit & circumscribit; extra quos veluti cancellos ac carceres, qui egreditur, hosque terminos excedit, transitum facit ad accidentia, & ea quæ non sunt de rei essentia, quod describere potius dicimus quam definire. Et quia inventa rei definitione seu idea, omnis de natura rei dubitatio desinit, idcirco apto vocabulo ὅρον tanquam finem appellarunt: continet namque causam finalem; plurimum autem prodest in omni cognitione rei finem nosse. Qui enim hunc scit, is etiam facile ea omnia intelligit, quæ ad eum sunt necessaria, quod moralis definitio præstat.

In data superius definitione *τὸ oratio* ponitur loco generis, quia per hanc particulam convenit cum aliis Modis sciendi: reliqua ponuntur loco differentiæ.

XXVII. Est autem Definitio multiplex: Alia *essentialis* (& hæc proprie stricteque sumpta) alia accidentalis, quæ & *Descriptio* dicitur. Essentialis est, quæ explicat rem per suas partes intrinsece constitutivas:

tutivas: quæ si fuerint physicæ, & a parte rei distinctæ, ut cum definio hominem esse compositum ex corpore & mente & spiritu, erit *essentialis physica*. Si per subsistentiam & naturam, erit *definitio hypostatica*, quæ & *metaphysica* dici potest. Hæc, ut sit legitima, debet importare in recto ipsum *habens* seu *suppositum* aut *hypostasin*, & *naturam*, quæ habetur, *in obliquo*. Patet in his: *Homo est habens humanitatem: animal est habens animalitatem. Deus est habens Deitatem*. In quibus omnibus *τὸ habens* sumitur pro supposito seu hypostasi. Eodem modo definies accidentia in concreto: ut, album est habens albedinem, ubi *habens* ponitur pro subjecto sive parhypostasi.

XXVIII. Vnde colligitur, qui verificetur hæc propositio: *Christus fuit ab aterno*, quam non solum veram & propriam, sed etiam de fide esse dicimus. Quippe io Lect. II. Nocturni in festo S. Ioann. Evang. ex libro S. Hieronymi de Script. Eccles. desumpta legimus Ebionitarum (Hæreticorum) dogma fuisse negantium Christum fuisse ante Mariam. Et alibi Joan. 8. Christus eandem veritatem de semetipso confirmat disertis verbis: *Amen amen dico vobis: antequam Abraham fieret, ego sum*. Non solum ergo ante Mariam genetricem suam, sed & ante Abrahamum Christum fuisse credimus, sed & ante Adamum (nec enim initium aliquod ejus assignabile) ab æterno. Accedit testimonium S. Joannis Præcursoris Domini (Joan. 1. v. 15. & 27. & 30. tertio asserentis idem; quæ tamen verba *ante me factus est* caute intelligenda, ne cum Arianis Christum creaturis factis annumeres. Sensus itaque genuinus & proprius datæ Propositionis est iste: Persona Christi (quam unicam, non duas fuisse Ecclesia Orthodoxa tenet contra Nestorium) fuit ab æterno: Quare hæc propositio: *Christus fuit ab aterno*, sic resolvitur: Christus, id est, habens (persona) naturam divinam & humanam, fuit ab æterno, utpote Verbum Patris æternum, quod in tempore assumpsit humanitatem. Minime autem verificaretur, si tam persona, quam naturæ importarentur in recto: nec enim unio illa hypostatica fuit ab æterno, ut constat.

XXIX. Si in Definitione ponas ob oculos partes logicas, hoc est genus & differentiam, dabis *Definitionem logicam*. Debet autem genus assumi proximum, & differentia proprissima seu atoma. Hujusmodi autem definitiones esse rarissimas patet ex eo, quod differentiæ ultimæ nos lateant, hinc a tot sæculis nec hominis quidem definitionem talem invenire potuerunt Philosophi, quæ ab universis citra contradictionem reciperetur. Nam quæ communiter circumferri solet, vid. *Homo est animal rationale*, ex multis capitibus mendosa videtur Criticis. Quidam enim (cum P. Valeriano de Magnis apud Caram. Theol. Regul. edit. 4. Disp. 37. num. 418.) cum brutis sub eodem genere proximo animalis collocari in Prædicamento Substantiæ dedignantur, & rejecta Categoria communi aliam coordinant, hoc modo:

Substantia
- Spiritualis — Huc Angeli, & Animæ rationales.
- Corporea — Huc Elementa, metalla, plantæ & Bruta.
- Mixta — Huc Homines spectabunt.

Hanc substantiæ Categoriam approbare videtur S. Augustinus serm. 18. in Joann. ubi inquit: "Alii est vita pecorum, alia hominum, alia Angelorum. Vita pecorum, terrenis voluptatibus æstuat, id est, sola terrena quærit. Vita Angelorum sola cœlestia; vita hominum media est inter vitam Angelorum & pecorum. Si vivit homo secundum carnem, pecoribus conjungitur? si secundum spiritum (Mentem) Angelis sociatur. Consentit S. Gregor. homil. 10. quæ legi solet ad Evangelium Epiphaniæ Domini, ubi ait: "Judæis tanquam ratione utentibus RATIONALE ANIMAL, id est ANGELVM prædicare debuisse."

Si ergo convenit Angelo esse animal rationale, profecto definitio hominis esse nequit, utpote non conveniens soli definito. Quare aliqui addunt MORTALE, ut discernant hominem ab Angelo. An bene? tu considera.

Alia est definitio *artefactorum*, quæ *artificialis* dici poterit: qualia sunt Palatia, Arces, domus, pyramides, Mausolæa &c. Item Civitates, Respublicæ, Regiones, Exercitus &c. quam Rhetoribus atque Poetis: item *Definitio Moralis*, quæ analogia servata Physicæ conformari debet, quam facultatibus Moralibus relinquemus; unico contenti exemplo desumpto ex Mellifluo Doct. Bernardo: "Septem, inquit, sunt de essentia hominis, quæ si homo consideraret, in æternum non peccaret, scilicet materia vilis, operatio turpis, exitus flebilis, status instabilis, mors tristabilis, dissolutio miserabilis, damnatio detestabilis, & consideratio gloriæ ineffabilis.

Hæc bene considerata perfectissimam pariunt sapientiam, & veram solidamque scientiam, quæ consistit in hisce duobus: NOSSE DEVM, ET NOSSE SEIPSVM. Si enim te nescieris, eris similis ædificanti sine fundamento, ruinam, non structuram, faciens. Quidquid exstruxeris extra te, erit instar congesti pulveris ventis obnoxium. Non enim sapiens, qui sibi non est. S. Bern. Lib. 2. de consider.

XXX. Alia porro est Definitio *Literaria*, qua utuntur subinde Concionatores. Exempla sunto:

A	Animal.	C	Calor.
D	Divinum.	H	Humor.
A	Angelicum.	A	Algor.
M	Mortale.	O	Olympus.
		S	Siccitas.

M	Miles.	Mens.
O	Obediens.	Os.
N	Nudus.	Nox.
A	Amans.	Auris.
C	Continens.	Cor.
H	Humilis.	Honor.
V	Verax.	Vox.
S	Simplex.	Sol.

Priorem Definitionem literariam Monachi P. Hermannus Wœstenraedt Ord. S. Crucis his versibus comprehendit:

Mente Elementa sui Monachus si singula penset,
Nominis attente, inveniet sibi quid sit agendum.
Militat, Obsequitur, Nil possidet, Ardet amore,
Continet, est Humilis, Verax, in Simplicitate.

Poste-

Posterioris definitionis voces ingeniosissimus Noster Caramuel ad disticha sequentia reduxit:

Mens est plena Deo Monachus: nam criminis expers:
Si curet Mundi phasmata; Mente caret,
Os est divinis addictus laudibus ipse:
Proximo & ut laudem detrahat; ore caret.
Nox est luce carens, dum quærit: dum invenit Agnum
Divinum, lux est fulgida, nocte carens.
Auris divinis subjecta est legibus; & si
Contra Orci Princeps obstrepat: aure caret.
Cor populi est. Cordi illi sit componere cunctos:
Si populo dederit scandala, corde caret.
Est honor Angelici & laus Mundi; ubi criminis honores
Et Lauri vitiis dantur, honore caret.
Vox est, qua ad Christum vigil omnes ducit: ut illum
Arceat a Christi limine, voce caret.
Sol est dum solus splendet virtutibus: & si
Res Monachis careat-publica, Sole caret.

XXXI. Etymologica definitio hudie non magni fit, quia multa nomina consilio; multa casu imponuntur: unde sæpe nec prubabilis quædam notitia inde erui potest. Legi non sine admiratione Etymologicas quasdam apud Authores cæteroquin doctos, valde (meo quidem judicio) ineptas: quale apud Carthagenam *Castellum* quasi *castum lilium* dicatur Luc. 10. v. 38. Apud Casp. Bruschium Hemmenrode (Monasterium est Ord. Cisterc.) quasi Himmelroth. His adde Carmelitam illud apud P. Henschenium tom. 1. April. in Actis SStorum, de voce *Carith* (torrentis in quo se abscondit Elias) volens, inquit, eo nomine moneri Monachos, tunc perfectos se fore, quando in *Carith*, hoc est, in charitate illa absconditi erunt, de qua sapiens ait, universa delicta operit charitas quæ Græcis ἀγάπη, nec quidquam cum hebraica voce *Carith* commune habet. Sed hæc παρεργως.

XXXII. Definitio Accidentalis seu descriptio est, quæ naturam rei explicat per aliquid quod est extra ejus essentiam; idque fit tripliciter. 1. Quando naturam exponit per ejus proprietatem, ut homo est animal risivum (supposito quod animali præter hominem competat) tunc dicitur definitio descriptiva.

2. Quando natura rei exponitur per Causas ejus extrinsecas: videlicet Efficientem, Exemplarem, finalem: ut homo est animal creatum a Deo ad ejus imaginem & similitudinem, adque beatitudinem æternam consequendam &c. & hæc vocatur definitio *Causalis*. 3. Quando exponitur per accidentia quædam communia, quorum tamen collectio soli definito conveniat & vocatur definitio *pure accidentalis* aut *Connotativa* quando fit per extrinseca accidentia & circumstantias, hoc est per res quæ sunt extra definitum. Vt, Christus est filius Virginis; Mercurius est Argicida, Eva mulier ex costa ædificata, adamus homo non natus &c. Vniversalium, ut canis est symbolum fidelitatis &c. Si accidentia sint minus nota, transibit descriptio in latebras, & *Ænigma* vocatur. Hujusmodi descriptiones Rhetoribus perquam familiares sunt, & orationi plurimum contribuunt splendoris, dum rem per Causas, per operationes, per passiones, per relata &c. depingunt. Placet exempli loco descriptionem hominis subjungere.

I. *Per Causam materialem*. Homo (inquit S. Bern. lib. medit. c. 3.) nihil aliud, quam sperma fœtidum, saccus stercorum, & cibus vermium. Post hominem vermis: post vermem fœtor & horror; sic in hanc speciem vertitur omnis homo.

II. *A Causa efficiente*. Agit prava quibus Deum offendit, offendit proximum, offendit seipsum: agit turpia, quibus polluit famam, polluit personam, polluit conscientiam: agit vana, quibus negligit sana, negligit utilia, negligit necessaria. Innocent. Lib. de miseria hum.

III. *Per Causam finalem*. S. Gregor. Moral. 8. Homo est animal ad suum Creatorem contemplandum conditum. Hugo a S. Vict. in didasc. L. 1. Vide homo, dicit mundus, quomodo amavit te, qui propter te fecit me. Servio tibi, quia factus sum propter te. Si sentis beneficium, redde debitum. Si accipis benignitatem, redde charitatem.

IV. *Per operationes*. S. Bern. Lib. Med. c. 9. Cor hominis sicut Molendinum volvitur velociter: & nihil respuit, sed quidquid imponitur, molit. Si autem nihil apponitur, seipsum consumit. Semper est in motu, nunquam quiescit: sed, sive dormiat, sive vigilet, somniat & cogitat quidquid illi occurrit. Et sicut molendinum arena, si imponitur, exterminat, pix inquinat, palea occupat: sic cor cogitatio amara perturbat, immunda maculat, vana inquietat & fatigat, & dum futurum non curat gaudium, nec divinum quærit auxilium, ab amore cœlesti elongatur, & involvitur in istis vanis: vanitas illud recipit: curiositas deducit, cupiditas allicit, voluptas seducit & polluit luxuria, torquet invidia, cruciat tristitia.

XXXIII. Porro ut Definitio aliqua bona sit, quatuor observari debent conditiones. 1. ut constet genere & differentia, vel aliquo quod sit loco generis & differentiæ: & quidem, ut diximus supra, genere immediato & differentia atoma. Intelligimus autem per genus aliquid commune, per differentiam aliquod distinctivum particulare, ut sensus sit, quod omnis bona definitio debeat explicare rem per id quod ei est commune cum aliis, & per id quod est ei proprium, & per quod a cæteris distinguitur. 2. Quod Definitio debeat esse clarior definito, id est distinctius significare & exprimere naturam definiti, alias non esset modus sciendi, sive oratio ignoti manifestativa.

Contra hanc legem objiciet nonnemo: Si quis quærat ex rustico num viderit in sylva unum animal rationale congregativum visus quod fugit? certe minus re intelliget, quam si quæras, an viderit aliquem Carbonarium fugitivum, ergo falsum est quod definitio sit clarior definito. Resp. Neg. conf. & ajo esse intelligendum de illo, qui novit terminos, hocque esse per accidens in rustico; nam non intelligenti verba, omnia sunt obscura.

3. Definitio debet esse convertibilis cum definito, ita ut ab uno ad aliud valeat consequentia.

4. Nihil in ea debet deesse; nihil abundare; si enim habeat plus quam definitum, vel minus, hoc ipso naturam ejus non explicat; aut si expresse ponat tam generalia prædicata, quæ alias subintelliguntur & nihil explicant de natura rei.

Ex his colliguntur duæ Regulæ pro bona argumentatione a Definitione.

I. De quocunque affirmatur vel negatur definitio, affirmatur vel negatur definitum. II. Quidquid affirmatur vel negatur de definito, (Intelligendo de prædicatis realibus & primæ intentionis.) Vnde non

 valet

valet: Definitio est oratio explicans naturam rei, ergo & definitum est oratio &c.

Quæres: Vnde ordiendum est, a Definitione, vel a Divisione? Resp. si objectum, quo de agitur, sit Univocum: prius defini, dein divide. Si æquivocum, a Divisione commodius ordieris.

Si interrogeris, quænam sit hæc aut illa Definitio? Resp. esse logicam, physicam, metaphysicam, moralem aut artificialem.

Si interrogeris qualis sit? ne dicas esse veram aut falsam, sed esse bonam, aut malam. Ratio est quia non sufficit propositionem esse veram, ut bona sit Definitio.

XXXIV. Illud denique notandum, accidentia universalia esse de definitione Universalis, quoniam essentiale est homini esse coloratum. Et quamvis non ponatur in ejus definitione explicite, ponitur implicite, cum dicitur quid est animal. Clarum enim est, animal esse corpus organizatum a calore, & coloratum, & in loco, & in tempore, & ideo subticentur accidentia, quæ nihil notificant, tum ratione brevitatis, tum quia subintelliguntur. Accidentia vero particularia sunt de essentia individui, non tamen ponuntur in definitione, Cæsaris v. g. omnia, quoniam nec possunt ob infinitatem, & præsupponuntur ipsa communia tanquam nota; particularia vero exprimuntur, quæ ipsum maxime clarificant & distinguunt ab aliis, ut patet in Epilogo descriptionis vitæ illius. Et quidem bene dicunt Thomistæ, existentiam esse de definitione Individui, si definiretur: sed perperam dixit Aristot. quod non definiatur. Hæc autem asserimus cum Campanella Lib. 6. Met. cap. 2. art. 3. physice loquendo de homine, & de cunctis speciebus notis apud nos. Definitionem enim, quæ Ideæ hominis competit, ignoramus. Et Plato laudandus, quoniam adspiravit ad illas, non quia pervenit. Et quidem subscribimus & nos, existentiam facere compositionem cum essentia illa ideali, non ut ideata. Non enim componit Petrus cum sua existentia intranea, licet cum extranea componat: sed componit cum homine, quoniam addit homini existentiam individualem accidentibus plenam.

XXXV. Quæres denique, an Definitio sit pars Demonstrationis? Resp. cum P. Henrico Heinlein, Ord. S. Bened. & quondam insigni Professore in Universitate Salisburgen. Disp. 1. proleg. Log. art. 2. §. 8. num. 166. negative, non enim nisi per accidens Demonstrationem ingreditur. Ratio est, quia illud, quod est per se pars alterius, acquirit, dum componit, suam perfectionem completam, ut videre est in materia & forma respectu Compositi: Sed Definitio dum componit Syllogismum, non acquirit suam perfectionem ultimam & completam, sed tantum ponitur ut conclusio reddatur clarior, ergo. Neque refertur essentialiter ad Demonstrationem, quia sufficit ejus differentiam aut genus ingredi; tota autem superflue poneretur, est namque modus sciendi per se scitu dignus. Vide Comptorium Disp. 7. Log. Sect. 5. num. 3. & 4.

SUBSECTIO II.

De Divisione & Methodo.

XXXVI. Divisio est oratio totum in suas partes distribuens. Solet autem Totum, quod dividitur, appellari *Divisum*, partes vero in quas dividitur, *membra dividentia*; & oratio, quæ tales partes explicat, *Divisio*. Cum ergo proprium divisionis sit, distribuere totum in suas partes, juxta multiplicitatem totius, quod dividitur, multiplex quoque divisio est; nempe quia *Totum* aliud est *potentiale*, aliud *actuale*, aliud *accidentale*. Potentialis est divisio, qua res aliqua dividitur in partes potentiales, hoc est, quas actu non habet, sed tantum potentia. Et si divisum sit univocum, dicitur divisio unius Vnivoci in suas partes subjectivas v. g. generis in species, ut animal aliud est homo, aliud brutum. Si autem partes deficiant in uno vel altero prædicato a rigore generis, vocantur partes potestativæ, v. gr. Virtus Pœnitentiæ est pars potestativa Justitiæ, non subjectiva. Vel Speciei in individua, ut, homo, alius est Petrus, alius Joannes. (huc reducitur quoque divisio generis in suas differentias, ut animal aliud est rationale, aliud irrationale). Si vero divisum sit Analogum, dicitur divisio analogi in sua analogata, ut Ens aliud est substantia, aliud accidens.

Divisio actualis est, qua totum dividitur in partes quibus actu constat; quæ si fuerint physicæ & realiter distinctæ, dicitur divisio actualis physica, ut hominis alia pars est corpus, alia anima. Si fuerint distinctæ formaliter ex natura rei, ut sunt formalitates seu diversæ notiones objecti, dicitur divisio actualis metaphysica. Si partes fuerint integrantes, dicitur divisio actualis integralis, ut corporis alia pars caput, alia pectus, alia manus &c.

XXXVII. Divisio accidentalis est, quæ datur per accidentia, & communiter triplex censetur. I. Divisio est subjecti in accidentia, ut hominum alii sunt boni, alii mali. II Accidentis in subjecta, ut alborum aliud est nix, aliud lac &c. III. Accidentis in accidentia sibi adjuncta, ut album aliud dulce, aliud amarum. Verum hæc divisio, si divisum sit de essentia dividentium, reducitur ad divisionem Generis in species, ut coloratum aliud album, aliud rubrum &c. Si vero Divisum accidentaliter conjungatur membris dividentibus, reducitur ad divisionem subjecti in accidentia.

XXXVIII. Ex his deducuntur aliquot Regulæ pro bona argumentatione formanda.

I. Pro Divisione potentiali: A diviso ad omnia membra dividentia, sub disjunctione; & econtra, valet consequentia, tam affirmative quam negative, ut, est animal, ergo vel homo, vel brutum. Est homo, vel brutum, ergo est animal. Dixi pro *potentiali*, quia in Divisione integrali & actuali hoc non valet, ut est homo, ergo vel caput vel pes &c.

II. A membro dividente ad divisum valet consequentia affirmative, ut est homo, ergo est animal: non vero negative, ut non est homo, ergo non est animal. Econtra a diviso ad quodlibet membrum dividens valet consequentia negative, ut, non est animal ergo non est homo. Non valet autem affirmative, est animal ergo est homo.

III. A positione divisi, & negatione aliorum membrorum valet consequentia ad affirmationem membri restantis, ut, est animal, non rationale ergo irrationale. Nunc ad Methodum.

XXXIX. Methodus, secundum notationem nominis, via brevis est & expedita. Ab hac autem significatione traducitur ad significandum doctrinæ ordinem. Nam ut via brevis & aperta cito & tuto nos ducit quo tendimus: sic apta rei in disciplinis dispositio efficit ut eas multo facilius comparemus. Hinc

Me-

Methodus definiri potest ordo sermonis accommodatus ad illustrationem veritatis, captumque discentium. Vel, ut alii, est oratio res ordinate pertractans. Differt ab ordine, quod hic sit dispositio partium secundum prius & posterius, abstrahendo an id inserviat vel non inserviat ad majorem rei cognitionem: an deducat aut non deducat ex notis ad notitiam ignoti. Ordo enim ad plura conducit, puta ad rei pulchritudinem, ad delectationem spectantis, ad commoditatem, ad victoriam, ad doctrinam &c. Methodus vero, juxta Galenum, est modus a ratione ordinatus procedendi in veritatis indagine. Aliter, Methodus est ratio & via tradendarum artium & disciplinarum: Ordo autem est apta atque concinna a prioribus ad posteriora progressio. Est ergo Methodus species ordinis, a quo eatenus distinguitur, quatenus ad solius veritatis indaginem refertur; & quia ex notis ad cognitionem deducit ignoti; ac tandem, quia ordo est etiam in rebus & artefactis; methodus vero tantum in cognoscente & artifice. Finis ergo methodi est, facillime & clarissime rem aliquam cognoscere, aut scientiam acquirere, aliisque cognoscendam tradere.

Advertit tamen Hippocrates Lib. de hom. nat. non opus esse methodo in iis, quæ experientia discere volumus: nam sine alia methodo tacto igne cognoscis esse calidum. Si autem ratiocinando probare de igne velis, quod sit calidus, quia rarus, subtilis, lucidus &c. methodo locus erit.

Varia & multiplex est Methodi divisio. Vniversim tamen duplex: una prudentiæ, artis altera. Illa certis constat legibus, quæ variari possunt pro varietate locorum, temporum, personarum aliarumque circumstantiarum; eaque ad Oratores, Poetas aliosque Artifices potius pertinet, quam ad Philosophos, ac plurimum pendet a judicio, loquentis, scribentis, aut aliud quidpiam agentis.

Methodus Artis, quæ etiam vocatur Dialectica, certis & concussis constat legibus. Hæc itaque duplex est, una particularis, altera generalis. Illam sequimur in tractanda parte aliqua scientiæ vel artis; ut in explicanda aliqua parte Logicæ. Methodus generalis ea est, quam sequimur in tradenda arte aliqua vel scientia integra, quæ & proprie Ordo vocitatur.

Datur etiam Methodus arbitraria & inartificialis, quæ non tam ex ordine naturæ & regulis artis constituitur, sed pro variis discentis & docentis circumstantiis captui aut delectationi accommodatur. Est enim quædam ars artem negligere; & quidam ordo ordinem confundere. Vt patet in remediis empyricis; in orationibus patheticis, & in aliis quibusdam, ubi ipse neglectus ordinis est quidam ordo, hoc est dispositio ad finem aliquem apta.

XL. Denique Methodus ratione divisionis duplex est: synthetica nim. & analytica: sive compositionis & resolutionis. Methodum compositionis eam vocamus, qua progredimur a simplicioribus ad composita, a partibus ad totum; ab iis quæ magis sunt universalia, ad particularia, a causis ad effectus. Sic Logicus procedit a nomine & verbo ad orationem, ab oratione ad enunciationem, ab hac ad argumentationem. Sic Physicus a materia & forma ad Compositum, a corpore universim sumpto ad Elementa; ab his ad mixta.

Methodus resolutionis ea est, cum a posterioribus magisque compositis ad priora magisque simplicia procedimus, a toto ad partes, ab effectibus ad causas. Sic Logicus argumentationem in propositiones, & propositiones resolvit in terminos.

Ad Methodum resolutivam (quam exactissime servavit S. Thomas in Theologia practica 1. 2.) revocari potest *Methodus definitiva:* cum a Auri de aliquo objecto v. g. Medicina, ejus definitionem ponimus: dein singulas ejus partes explicamus. Sicut enim a centro duci possunt lineæ ad totam circumferentiam circuli, quia totus circulus virtualiter est in centro: ita a definitione duci potest tota aliqua & scientifica disputatio: quia definitio est virtualiter tota scientia utpote ideam ejus repræsentans.

Cum autem præstet ortus interitui, methodus compositionis nobilior est methodo resolutionis: nec tamen ea semper est ad docendum magis accommodata. Quo si enim Doctore careas, usurpanda tibi erit methodus resolutionis. At si Doctoris utaris opera, præferenda ut plurimum erit Methodus compositionis. Vide Sfrondatum prælud. 9. Log. & Thom. Campanellam L. 3. Met. cap. 1. art. 1.

De tertio Modo sciendi egimus Tract. XII. De Propositionibus earumque proprietatibus vide Tract. XLV. de Terminis Tract.

SECTIO V.

Prædicta declarantur discursu parallelo ex fundamentis Grammaticæ.

XLI. Ad te mihi sermo, bone Juvenis, qui modo ex Rhetorica, transire paras ad Logicam; tibi hæc scribimus. Noli mirari, cum vides Vocalem Logicam a Mentali aut etiam Scripta distingui a nobis eum Ingeniosissimo Caramuele, & Augustino Hunnæo: Edidit hic aute annos centum Prodidagmata de Dialecticis vocum affectionibus & proprietatibus; Isagogen de multipli vocum apud Dialecticos usitata divisione, & Erotemata de disputatione Vocali, quæ Hunæi opuscula tam libenti animo orbis literarius suscepit, ut fuerint impressa Lovanii sub annum 1552. recusa Romæ 1553. recognita ab Authore, & castigatiore typo iterum edita Lovanii 1554. & tandem quarto Antuerpiæ 1619. Tanti sub illud tempus fiebat iste liber, qui proscriptis Mentalibus ingenii monstris, quæ terrebant tyrones, Dialecticam restituebat Vocalem. Obiit Hunæus, & Dialectici ad veteres abusus regressi, Logicam Mentalem, exclusa Vocali, restituerunt; & ne terrori deficeret terror, quo magis tenera torquerent ingenia, in illam (Logicam suam) totam Metaphysicam & libros de anima imprudente manu convasarunt. Prooemiales etiam quæstiones addiderunt, quibus difficiliores Vniversitas literaria non habet: & nihilominus volunt illas ipsas primo loco, & audiri & addisci, cum tamen singulæ a tot aliis dependeant, ut a rudi ingenio & altioris Philosophiæ imperito capi non valeant.

Hinc fuit centum fere ab annis prodiisse multos libros Dialecticos, in quibus conceptus confunduntur cum vocibus, ita ut discipuli ducti per tenebras, quo pedem secure ponant, aut non ponant, vix habeant.

Quis inde profectus? Frequentant discipuli per annum integrum, & e cathedra declamanti ambas arrigunt aures: egrediuntur autem ut ingressi: nim. æque docti, aut, ut verius loquar, æque ignoraores. Multa dixit Professor, & si omnia, quæ dicuntur, &

tamen

ad genus &c. Grammatici certant, & adhuc sub judice lis est? circa hæc nil statui certi potest, tantummodo enim probabiliter possumus philosophari.

Resp. cum Caram. Grammaticam esse pure Scientiam, non opinionem, illa enim A. A. varietas non inducit probabilitatem, sed libertatem, ut voces sint ancipites, & bifariam possint exprimi aut construi. Cæterum ex suppositione, quod esset vel ex parte probabilis, hic obiter notari oporteret, vocem, quæ speculative esset probabiliter congrua, eandem practice esse congruam certissime; quoniam evidens est, ut quis loquatur bene, sufficere sequi Authores graves, & propter ipsos habere opinionem probabilem.

Et tandem ut Grammaticæ ingenium penitus innotescat, eandem esse practicam dicamus, hoc sensu: Scientias *Speculativas* vocamus illas, quæ suum objectum ab alio factum contemplantur; *practicas*, quæ illud efficiunt. Cum igitur Grammatica suum objectum (Dictiones videl.) conficiat & congrue disponat & ordinet, sequitur esse practicam, non autem pure speculativam. Aut congruentius ad nostra principia dic objectum Grammaticæ esse Modum recte loquendi scribendique. Quid enim aliud est nostra Grammatica latina, quam Ars docens seu tradens Modum recte loquendi scribendique latine. Estque quadruplex: *Orthographica*, quatenus docet sine errore exarare literas & scribere dictiones, easque commatis, punctis &c. interpolare, syllabas disjungere &c. *Etymologica*, quatenus Nominum genera, & declinationes, Verborumque conjugationes, præterita, & supina docet. *Prosodiaca*, quatenus Syllabarum & incrementorum quantitates tradit. *Syntaxis*, prout congruam partium orationis constructionem præscribit.

Talis est Grammatica. Et ex istis notitiis facili modo instruere poterimus adolescentem in humanioribus probe versatum, qualis sit Logica & aliæ scientiæ. Porro sicut Grammaticam speculativam a practica (quatum ista dat loquendi scribendique regulas, & illa has easdem regulas oculis Philosophicis recognoscit & examinat) ita & Logicam dispescere possumus in Docentem & Utentem, quæ tamen multum quæstionis da nomine habent.

Parallelon Logicum.

XLVI. Dictionibus, quas confecit Grammatica, Logica Vocalis utitur: illa Modum tradit sine errore loquendi, Rhetorica ornate apteque ad persuadendum, Dialectica Modum disserendi & veritatem in forma syllogistica eruendi. Hinc patet Logicam Vocalem esse Artem directricem dictionum ad hos fines, ejusque objectum esse Modum sciendi, aut si malis, Dictiones dirigibiles. Si scire velis quid sit Mentalis Logica, observa analogiam, & dic illam esse facultatem tradentem Menti seu Intellectui Modum definiendi, dividendi & argumentandi, sive, Modum recte cogitandi hoc est, ne erret in apprehensione judicio vel discursu, adeoque operationum intellectus directricem, ejusque objectum esse intellectus operationes ut dirigibiles, si nobiscum sentire ac loqui displiceat. De Logica Scripta pariformiter philosophare. Si tamen differentiam inter Vocalem & Mentalem Logicam melius nosse cupias, Lege Sect. 6. mox subsequentem.

Logica est triplex. Naturalis, Visualis & artificialis: Hæc ultima libris & præceptis acquiritur, prout jam sup. diximus; usu & exercitatione penultima, Prima hodie sine Visuali aut etiam Doctrinali reperitur in nullo: at eam haberet, qui crearetur a Deo arbitrii capax, & nondum exercitio industria componendi usum, judicandi aut argumentandi adquisivisset. An-non puer primo instanti, quo utitur libero arbitrio habet Logicam pure naturalem? Minime. Nam ad scientias addiscendas arbitrii libertas non requiritur, & multa sciri a pueris ante annum septimum experientia quotidiana testatur.

Ex hypothesi quod homo adultus adspirare debeat ad beatitudinem, debet sibi persuadere hanc esse consequibilem, ergo in tali casu simpliciter eget Logica. Si alias artes scientifice acquisiturus sit, simpliciter indiget Logica, nisi forsan exceperis illas, quæ ex usu & observatione magis, quam ex argumentatione fluxerunt: ad eas enim Logica naturalis plerumque sufficit ut dijudicemus an experimenta sint rite facta, an per inductionem conclusio recte deducatur, neque opus est Syllogismorum Regulas consulere. Vide Phil. Burgund. tom. 1. pag. mihi 109. edit. altera.

Cum aliquis dialecticatur seu disceurrit de Musica, hoc modo: *Voces distantes quinta consonant: VT & SOL distant quinta. E. consonant.* præter Grammaticam & Musicam etiam concurrit Logica. Musica examinat an Præmissæ sint veræ? Grammatica, an oratio sit congrua, & tabulis Prisciani correspondeat? Logica an argumentatio sit legitima, hoc est an in Figura & Modo juxta Regulas &c.

XLVII. Si de Logicæ certitudine agamus, scientia est. Et si forte objicias, in Logica agi de Syllogismo demonstrativo & topico. Resp. agi de utroque demonstrativé; adeoque etiam quatenus agit de probabilitate (imo & quatenus de Sophismate) esse scientiam. Cæterum ex suppositione, quod esset vel ex parte probabilis, hic notari oporteret vocem (notitiam, rem) quæ speculative loquendo esset probabiliter bona: eandem, practice loquendo, esse certissime bonam. Qui enim probabiliter dialecticatur in Ethica speculativa, idem certissime dialecticatur in practica: quoniam evidens est, ad securitatem Conscientiæ sufficere opinionem vere probabilem.

De Logica scripta sicut de vocali discurre proportione servata: sicut enim indigemus vocibus, ut cum præsentibus agamus; sic etiam scripturis ut cum absentibus dialecticemur.

Mentalis etiam Logica analogiam servabit, Est enim facultas Modum sciendi præscribens intellectui, vel ut alii loquuntur Mentis operationum directiva: dividitur in Naturalem, Visualem & Artificialem, Docentem, Vtentem. Est necessaria ex suppositione, & ad melius.

Plura parallela inter Grammaticam, Logicam, Metaphysicam & Theologiam producemus alibi, nunc ad notitiam Logicæ Mentalis nos conferamus.

SECTIO VI.

In quo differat Vocalis Logica a Mentali.

XLVIII. Λόγος sermonem rationemque significare diximus; nunc addimus priore sensu Vocalem Dialecticam; posteriore Mentalem indicari. De Vocali egimus Tract. XII. & infra Tract. 38. de proposit. & prædicabilibus, nec non Tract. 45. de Terminis. Nunc de Mentali (omissa scripta de qua per omnia analogice prout de Vocali discurrendum) nonnulla subjungemus. Et quia termini vocales

correspondent primæ mentis operationi, sive apprehensioni, cujus sunt signa, ordo postulat ut quædam de Intellectione, de natura signorum præmittamus. Quare sit

SVBSECTIO I.

Vtrum in Apprehensione detur veritas & falsitas?

XLIX. Quod Lynci oculus, id animo rationali Mens. Mens, Intellectus, Ratio, tria sunt nomina, res una. Intellectum realiter ab Anima distingui asserit S. Thomas; negat Scotus. Dialectico perinde est, quemcunque sequatur. Intellectionem aliquid importare ab Intellectu distinctum, certum est; non tamen æque certum ab omni actu mentem aliquando cessare. Incertum, an illud ipsum quod importat actus sit intrinsecum extrinsecumve. Si intrinsecum, est adhuc obscurum & incertum, an intellectione in actione, an in passione & unione qualitatis consistat? Sed in his permittitur Dialectico opinandi libertas. Species impressas neget aut asserat, adhuc intellectus operationes diriget.

Dicamus interim Cognitionem mentalem, quomodocunque illa fiat, & in quacunque re consistat (de quo viderint Animastici) esse objecti incorpoream notitiam, & *Intellectionem* vocan. Addamus esse triplicem: Apprehensivam, Judicativam & discursivam, de quarum directione & dirigibilitate in Logica disputatur.

Nulla est *dictio*, cui non possit in mente correspondere sua *intellectio*: & vocabulorum defectu, quia voces significantes *verba* dicimus: intellectiones verbis correspondentes etiam *verba* appellamus. Et cum distinctius loqui volumus, dictionem vocamus *verbum oris*, seu linguæ, & intellectionem *verbum mentis*.

L. Triplex itaque est Intellectio: *Apprehensio, Judicium & discursus*. Conveniunt in ratione intellectionis & logice sic explicantur. Apprehensio est intellectio simplicibus dictionibus æquivalens. Judicium est intellectio æquivalens propositioni; & Discursus est intellectio æquivalens argumentationi.

LI. Porro analogiam Dictionem inter & intellectionem, non autem inter voces & intellectionem ponimus; quia sicut nulla datur dictio, quæ non sit significativa, bene autem vox, ut Blictri &c. sic nulla datur intellectio significationis expers. Tenendum enim firmiter nullum dari actum Mentis, qui careat objecto; quia quicunque ille sit, erit conceptus, & conceptus significatione carere non potest, nec idea. Esto, sicut lingua & calamus, proferre & scribere possint vocem nihil significantem, sic intellectus possit producere qualitatem nil significantem, puta habitus seu facilitates, uti & experientia teste, ex nimia speculatione qualitates corporeæ disconvenientes proveniunt. Conceptus tamen omnis est objecti sui expressivus. Addo repugnare mentis conceptum, qui totaliter confusus sit; debet enim aliquid habere, quod confundat, & cum pervenit ad ens latissime sumptum, ibi sistit. Nunc ad quæstionem propositam

LII. Dico 1. Etiam in simplicibus conceptibus primaque mentis apprehensione, extra judicium & propositionem datur aliqua veritas. Ita expresse S. Thomas 1. p. q. 16. art. 2. & 1. contra gent. c. 59. & 9. Metaph. c. 7. lect. 11. Ratio est 1. Quia apprehensio est cognitio, ergo est imago objecti. atque imagines sunt veræ, etiamsi nihil affirment, sed tantum simpliciter repræsentent. Sunt veræ, inquam, respectu sui objecti quod repræsentant: nec refert, an ad intentionem apprehendentis conformentur illi, quod apprehendendum erat, nec ne. Sic qui vult apprehendere Angelum, & efformat sibi ideam formosi Juvenis, non apprehendit nec concipit Angelum sed juvenem, est tamen apprehensio conformis suo objecto (juveni) & vera imago. Et hæc veritas consistens in repræsentando vocatur *formalis*, estque immutabilis. 2. In Deo & Angelis sunt soli conceptus simplices & non compositi, & tamen in illis est perfectissima veritas.

Quamvis autem hæc ita se habeant, & in apprehensionem & sensationem cadat aliqua veritas: speciali tamen modo Veritas est in judicio & propositione vocali tanquam in signo; tum quia nemo proprie dicitur falli decipique & a vero recedere, quamdiu non judicat: si enim apprehendas cœlum stare, nec dicas Cœlum stat, non censeris errasse. Et si hanc propositionem ab Hæretico scriptam autore prolatam apprehendas: *Christus non est realiter in Eucharistia*, non ideo es hæreticus, donec assertive judices, non esse in Eucharistia. Tum quia in simplici apprehensione veritas objectiva necdum apparet tam clara, ut intellectum convincat, vel saltem in unam potius partem rapiat, quam in alteram; & ideo intellectus cunctatur suspenditque judicium, hoc est, non audet prædicatum cum subjecto conjungere; & ideo stante apprehensione objecti etiam ut est, potest sequi judicium negativum, non ita esse: & ita potest stare cum apprehensione vera judicium falsum: sed non potest cum judicio vero falsum consistere. Hinc est quod dicitur veritas magis esse in judicio quam in apprehensione.

LIII. Dico 2. In apprehensione simplici in complexa non datur proprie dicta falsitas. Ratio est, quia apprehensio simplex est repræsentatio simplex objecti (nihil aliud enim est cognitio quam idea & imago intentionalis & repræsentatio) vel ergo objectum repræsentat ut est, & erit vera: vel non repræsentat objectum ut est, & tunc non est hujus, sed alterius objecti imago & repræsentatio. Vt si pictor indoctus canem volens coloribus exprimere, pingat animal referens simiam; vel volens quis apprehendere aurum, concipiat Aurichalcum. Vide S. Thom. 1. p. q. 17. art. 1. 2. & 3.

Adverte tamen pluribus modis posse falsitatem apprehensioni attribui.

(1.) Apprehensioni complexæ: ut si Angelum apprehendas tanquam animal immortale: hæc enim apprehensio est virtualiter judicium, & conjungit aliqua, quæ conjuncta a parte rei non sunt: conjungit, inquam, non judicando sed apprehendendo; nec enim a parte rei conjuncta est Natura Angeli animalitati.

(2) Est etiam in apprehensione *falsitas negativa seu privativa*: apprehensio enim & cognitio Leonis, non est conformis & repræsentativa equi. Sed hæc falsitas negativa non proprie denominat cognitionem falsam, (alias omnis cognitio, & omnis imago esset falsa, cum imago unius non sit imago alterius) sed tantum imperfectam & finitam, ut quæ non sit imago omnium objectorum.

(3) Da-

(3) Datur etiam falsitas *occasionalis* & *per accidens*; nam ex imperfectis apprehensionibus rapitur intellectus ad falsum judicium. Ita contingit sæpe in sensibus, quorum sensationes nunquam sunt *formaliter* & *proprie* falsæ. Sunt enim sensus intuitivi, & de objecto præsenti; ergo de objecto ut est: nam quod non est, non est præsens. Sic lingua bile infecta amaritiem sentit, quæ bili revera inest: sed intellectus ansam præbet, ut judicet falso, illam amaritiem cibis, non linguæ inesse. Sic dum cœlum intuendo judicamus illud cæruleum esse, dum sudum & serenum est: quod inde provenit, quod infinitæ aeris superficies densitatem aliquam efficiant, quam lux Solis aliorumque astrorum continuo aspergens colorem nobis Sapphirinum exhibeat, decepto intellectu; nam oculus lucem refractam videt, & hanc propter omnimodam similitudinem intellectus colorem verum & genuinum æstimat: quod si hæc instantia non placeat, sume baculum rectum aquæ ex dimidia parte infixum, qui fractus apparet.

(4) Est etiam improprie dicta falsitas, cum intellectus in iis circumstantiis, in quibus deberet apprehendere unum, apprehendit aliud. v. gr. transeo sylvam, video aliquod animal inter dumeta sentesque se movere, quod revera est homo, ego autem apprehendo cervum aut aprum, cum tamen consideratis omnibus circumstantiis oportuisset hominem apprehendere. &c.

SVBSECTIO II.

De Iudicio & discursu mentali.

LIV. Dixeram voce, *homo est animal*: idem repeto mente, & inquiris, an in ista propositione mentali dentur termini? an ipsa simplex sit & realiter indivisibilis? an vero sicut vocalis composita ex subjecto, copula & prædicato? Sententia affirmativa, nempe judicium mentale esse compositum instar vocalis est intra sphæram dialecticam facillima. Secunda negans est hoc ævo valde communis & tenetur a P. Comptono Disp. 21. de anims sect. a. num. 5. Card. Sfondrati Lib. 2. Log. §. 2. n. 9. citante S. Thom. 1. contra gent. c. 55. & 1. p. q. 85. a 4. & q. 58. art. 9. Addit tamen in propositionibus hypotheticis, & in Syllogismo, in quibus una propositio infert aliam, & una est causa alterius, non videri esse unam & simplicem cognitionem, sed plures ordinatas.

Quod si tenere velis judicium esse simplicem qualitatem, debebis dicere hanc ipsam qualitatem, intrinsece consideratam virtualiter aut formaliter esse compositam, hoc est non esse compositam realiter, ita tamen se habere ac si esset realiter composita. Et debebis addere eandem qualitatem esse compositam realiter extrinsece, hoc est, æquipollere vocibus realiter distinctis. Velut quando quærenti ex me, num Johannes mihi fuerit locutus? Respondeo, sic. vel fuit. quæ particulæ æquipollent integræ propositioni: sic mentalis indivisibilis & simplex.

LV. Ex quibus infertur non dari in mentali judicio subjecti & prædicati distinctionem, cum non detur ordo & successio partium, adeoque unam eandemque propositionem mentalem duabus vocalibus, conversæ & convertenti, æquipollere. In mente non dari subjectum nec prædicatum inde patet: Nam vel propositio est simplex qualitas, quod multi probabiliter asserunt; aut est composita, quod etiam probabile est: & tamen alterutro modo philosopheris, cum mens concipit omnem hominem identificari alicui animali, tam dicit aliquam speciem animalis esse omnem hominem, quam omnem hominem esse aliquam speciem animalis. Ergo sic discurrendum est: Propositio mentalis dicit duos terminos unitos, quorum neuter potius quam alter subjectum aut prædicatum est, quia utrumque simul concipit & significat. At lingua, prius unum profert, & posterius alterum; & quem prius pronuntiat, *Subjectum*, & quem posterius, *Prædicatum* appellat. Quod illustratur & confirmatur hoc exemplo. A-B respicis. a parte rei non est nisi unum totum. Intellectus totum concipit, quod est a parte rei, nec duos actus efformat, alterum quo cognoscat A. uniri ipsi B. alterum quo cognoscat B. uniri ipsi A. At lingua tres actus formamus videl. *A. & B. uniuntur inter se, A unitur ipsi B, & B. unitur ipsi A.* posteriores clauduntur in primo; & primus mentali propositioni æquivalet.

Mentali Logicæ discursus idem, quod Vocali Argumentatio, licet vocum abusu, & argumentari mente, & discurrere lingua dicamur. Tunc autem discurrimus, cum ex una aut altera præmissa legitime conclusionem inferimus, ut cum dicimus: Omnis homo est animal; omne risibile est homo, ergo omne risibile est animal.

Sed inquiris an totus iste discursus sit una simplex qualitas: an vero tria judicia realiter distincta complectatur? Resp. illæso rigore dialectico alterutrum posse teneri: prout mox de judicio diximus.

LVI. Quæritur ulterius, An eo casu quo Syllogismus mentalis e tribus mentalibus propositionibus coalescat, sicut Vocalis, quid nomine discursus aut Syllogismi (si loqui velimus rigorose) intelligendum sit? An Præmissæ solummodo, an sola conclusio, an utrumque?

Resp. Caramuel videri quæstionem de nomine: Placet nobis resolutio Phil. Burgund. in cujus P. III. Logicæ hæc habentur. Syllogismus est argumentatio quædam: hæc vero est oratio logica, seu instrumentum quoddam sciendi, quod scilicet eam vim habet, ut veritatem manifestet, & quasi in lucem proferat, dum rem ignotam per notiorem explicat. Est igitur Syllogismus oratio logica ex tribus propositionibus composita, in qua præmissis concessis conclusionem sequi necesse est. Quæ quidem necessitas dicitur consequentiæ, quod a forma ipsa syllogistica, & ex connexione conclusionis cum præmissis oriatur: necessitas vero consequentis ex ipsa materia Syllogismi ducitur, atque ad demonstrationem proprie pertinet. Dum autem quæritur, An Conclusio sit tota ipsius syllogismi essentia, an pars illius? Respondet quidem Conclusionem esse totam Syllogismi essentiam, si formaliter, ut ajunt, & pro tertia mentis operatione accipiatur. Maxime si judicium sit simplex qualitas non composita ex multis ideis, quas tamen præsupponit & connectit: ita de ipso discursu sentiendum, quod non ex diversis confletur judiciis, sed in judicio illativo consistat, seu in ipsa Conclusione ut exprimi solet per particulam illativam ERGO, aut aliam huic similem.

Cum igitur rem nude & simpliciter percipimus, tum prima dicitur Mentis operatio: sed ubi unum cum altero conferimus, tum fit secunda mentis actio; dummodo mens aliquid affirmet aut neget. Vt si dixerim, bis 4. esse 8. tum enim percipio habitudinem

nem quæ inter extrema propositionis, aut distinctas ideas intercedit. Sed ubi non solam relationem, quæ inter res ipsas v. g. 4. & 8. sed relationum, ut ita dicam relationem vel habitudinem mens percipit, tum dicitur ratiocinari: ut cum judicavit octonarium minorem esse denario, & bis 4. æquari octonario, statim concludit & percipit bis quatuor esse minora decem. Cumque Mens iis quæ percipit, assentitur, tum judicat aut concludit: quod forte voluntatem non perficitur: illius enim est decernere an in rebus perceptis sit acquiescendum nec ne?

Quod si igitur pro ipsa ratiocinatione Syllogismum accipiamus, illius natura in sola conclusione versatur, quæ est judicium ex aliis judiciis deductum aut illatum. Quod si autem Syllogismi nomine intelligamus orationem, in qua quibusdam positis aliud sequitur, non dubium est quin conclusio pars sit illius artefacti, cujus quasi forma est particula *erga* & copula, ubi præmissæ non tantum præsuppositive; sed velut partes requiruntur.

Postremo si accipiatur Syllogismus ut instrumentum sciendi, quo in cognitionem conclusionis ducimur, conclusio habet se ut effectus magis quam pars. Sic igitur Conclusio est essentia Syllogismi formaliter sumpti, quatenus est tertia Mentis operatio. Est etiam pars integralis Syllogismo contenta, est denique effectus, non pars syllogismi, ut est oratio quædam logica, seu veri manifestativa: nisi velimus dicere, syllogismum esse causam scientiæ formalem, non efficientem, uti color est causa colorati, anima causa vitæ &c.

LVII. Sed alia restat difficultas a paucis examinata, Quot nempe sint species argumentationis Mentalis? Argumentationum species vel quasi, Mens non differt a Lingua, sunt eædem, quas alibi recensuimus. Sicut & eadem Oppositionum doctrina quæ debet omnino sustineri. Conversiones autem, ut modo diximus, mere sunt vocales, & a Mente dum concipitur unum terminum identificari alteri, quam e contra; adeoque una eademque propositio mentalis æquivalebit conversæ & convertenti. Hoc posito

Veniamus ad Syllogismum, & assero, Vocalem habere duas Præmissas successive, quarum prior vulgo dicitur Major, & posterior Minor. At in Syllogismo mentali dari quidem duas præmissas, at neutram esse intrinsece, *majorem* vel *minorem*; & extrinsece utramque esse majorem æque, ac utramque minorem, determinatione sumpta a lingua: utraque enim potest prius, utraque potest posterius pronuntiari vocaliter.

LVIII. Hinc sequitur ulterius, non dari varias Syllogismorum Figuras in mente, nec plures Modos, quam in *Barbara* & *Darii*, quod cum Caramuele ostenditur demonstrative. Igitur

Attende. Omnes vocales Syllogismi II. & III. Figuræ (exceptis illis in quibus est C.) reducuntur ad hos 4. Modos perfectos, nim. *BARBARA*, *CELARENT*, *DARII*, *FERIO*, propositionum conversione, & præmissarum commutatione. Ergo eorundem discrimen a 4. perfectis in mera conversione ac præmissarum transpositione situm est. At in Mentali Syllogismo, nec conversio, nec commutatio locum habet, ut supra diximus, ergo reliqui non distinguuntur in mente ab bis 4. perfectis. Progredior. Ideo *Celarent* distinguitur a *Barbara*, & *Ferio* a *Darii*, quia propositio negans distinguitur ab asserente infinito prædicato prædita: atqui duæ propositiones (negativa scilicet & infinita) coincidunt; ergo Celarent & Ferio coincidunt cum Barbara & Darii. Vide Tract. XXXVIII. de Propositionibus. sect. 1. subs. un. *an detur Propositio negativa?*

Venio ad Modos infectos CC. qui per impossibile reduci solent, quales sunt: *BAROCCO, DOMACOR, BOCCARDO & DACOCOR.* Cum igitur mera præmissarum commutatione Domacor transeat in Barocco & Dacocor in Boccardo; isti 4. Modi reducentur ad duos tantum Barocco & Boccardo, quos ipsos claudi quoque in perfectis inferius ostendetur. Quanta vero ex his suppositis sequatur ubertas Syllogismi mentalis curiosum schema subjectum exhibet. Ad cujus intelligentiam

LIX Nota. 1. Omnem mentalem propositionem universalem continere in se particularem. Sic, omnis homo est animal, continet hanc: aliquis homo est animal.

2. Unam eandemque propositionem mentalem esse Conversam & Convertentem; eumque qui videt Petrum distingui a Paulo, videre etiam Paulum distingui a Petro; & eum qui mente videt hominem identificari animali, videre necessario animal identificari homini.

3. Non posse unam propositionem intelligi, quin ejus opposita intelligatur; adeoque unam & eandem propositionem mentalem seu assertionem, quæ asserit hominem esse rationalem, negare irrationale esse hominem: eodem enim actu quo ego intelligo corpus uniri animæ, intelligo esse non-corpus, quod non unitur animæ; & esse non animum quod non unitur corpori: adeoque sicut coexistunt corpus & animus, ita etiam non-corpus & non animus. Imo Duce Valeriano Magno omnes propositiones identicæ sunt mere vocales; in intellectu autem simplices apprehensiones.

4. In Syllogismo mentali non dari primam & secundam Promissam, Majorem & Minorem, sed utramque esse simul. Et infer, Syllogismos qui mero præmissarum ordine in lingua differunt (cujusmodi sunt in I. Figura Aristot. & Forma Platonica seu Galeni. In II. Figura Cesare, Camestres, Festino, Frimesor, Baroco, Docamor. In III. Figura Disamis & Datisi, Felapton & Fapelmor, Boccardo & Dacocor, Ferison & Fismeror) non posse differre mentaliter.

His ergo positis sequamur syllogismorum ordinem, & exploremus an sit in toto abaco aliquis vocalis syllogismus qui non contineatur in hoc Mentali.

Considera appositum ΣΧΗΜΑ.

FORMA.

LX.			FORMA PLATONICA.	Præmiſſa altera.
BAM-	N	A	Omne non-vivens eſt non-animal.	I. nulli. non vivens eſt animal.
MA-	E	B	Aliquid non-vivens eſt non-animal.	I. A. non-vivens non eſt animal.
DA.	W		Convertuntur hæ duæ.	
BAM-	A	D	A. non-animal eſt non-vivens.	
MA-	I		Hæ tres. A.B.D. contraponuntur.	
DA.	R	E	Omne animal eſt vivens	
CA-	A	F	Aliquod animal eſt vivens	
ME-	I	H	Aliquod vivens eſt animal	
NE.	R		PRÆMISSA ALTERA	
DI-	O	I	Omne non-animal eſt non-homo	I. N. non animal eſt homo.
MA-	E	K	Aliquod non-animal eſt non-homo	I. A. non animal non eſt homo.
GNI.	X		Convertuntur hæ duæ.	
DI-	B	M	Aliquod non-homo eſt non-animal	I. A. non homo non eſt animal.
MA-	I		Hæ 3. I.K.M. contraponuntur	
GNI.	S	N	Omnis homo eſt animal	
FIG-	B	O	Aliquis homo eſt animal,	
ME-	I	Q	Aliquod animal eſt homo,	
NO.	S		Conſequentia illata ERGO.	
FE-	W	R	Omne non-vivens eſt non-homo.	I. N. non-vivens eſt homo.
SA-	A	S	Aliquod non-vivens eſt non-homo	I. A. non-vivens non eſt homo.
POR.	K		Convertuntur hæ duæ.	
FES-	A	V	Aliquod non-homo eſt non-vivens.	
IS-	Q		Hæ 3. R.S.V. contraponuntur.	
OR.	X	W	Omnis homo eſt vivens.	vel Nullus homo eſt non-vivens.
		X	Aliquis homo eſt vivens	vel A. homo non eſt non-vivens.
		Z	Aliquod vivens eſt homo.	

Puto equidem ſingulis Mentalibus propoſitionibus ſenas ut minimum reſponde vocales inter ſe non æquipollentes: æquipollentes enim ſunt innumeræ, quarum nulla habenda ſit ratio. Hoc autem inde contingit, quod mens terminos ſimul concipit, & lingua ſucceſſive pronunciat, & in ſucceſſione ſumma poteſt eſſe varietas. Qualiter autem omnes Modi figurarum Ariſtotelicarum contineantur in unico Syllogiſmo mentali, quem exhibet ſchema hic appoſitum; & quomodo Syllogiſmi Modique Galenici, ut vocant, in eodem comprehendantur, indicant literæ ſingulis propoſitionibus adjunctæ, facileque deprehenditur ex ſubjecta combinatione.

Figura I. Ariſtotelis.

Converte majores in minores, & econtra; & habebis *Barbara*, *Celarent*, *Darii*, *Ferio*, *Fapeſmor* & *Fiſeſmor*. Modos *Baralipt. Celantes*, *Dabitis* poſſem omittere, (cum non ſint niſi Submodi ſive ſecundarii, non Indirecti) ſed ne quid deeſſe videatur, ſubſcribo.

Ba-	E.		I.	Ce-	I.	Da-	E.		Da-	I.
ra-	N	vel	A.	lan-	A.	bi-	O.	vel	bi-	B.
lipt.	Z		V.	tes. -	W.	tis. -	Z.		tis. -	V.

Eodem jure poſſemus in aliis Figuris ponere Modos Indirectos, prout fecimus Tract. XII. Sed tantum ponemus illos, qui directe non poſſunt concludere; reliquos autem remittemus ad Modos ſecundarios.

Figura II. Ariſtotelis.

Ce-	A.	Ca-	N.	Feſ-	A.	Ba-	N.
ſa-	N.	meſ-	A.	ti-	O.	roc-	B.
re.	W.	tres. -	R.	no. -	X.	co.	S.

Ex Feſtino & Barocco, mera præmiſſarum commutatione, Indirecti ſecundæ figuræ eliciuntur.

Figura III. Aristotelis.

Da-	A.	N.	Fe-	A.	Di-	B.	O.	
rap-	R. vel	W.	lap-	R.	sam-	R. vel	W.	
ti. -	M.	H.	ton.	M.	is. -	M.	H.	

Da-	B.	W.	Bo-	B.	Fe-	A.
ti-	R. vel	O.	car-	R.	ri-	S.
si. -	M.	F.	do. -	M.	son.	M.

Subjungo Indirectos.

Fa-	R.	Fis-	S.	Da-	R.
pel-	A.	me-	A.	coc-	B.
mor. -	M.	ror. -	M.	cor. -	M.

Ecce quot Syllogismi Vocales in unico Mentali contineantur!

Ex his patet (ut plures differentias prætereamus) quantum differt Logica Vocalis a Mentali: & quam necessarium sit eam præmitti & explanari ante Mentalem: quod tamen pauci observant; & dum utramque confundunt, neutram docent defectu Methodi.

Nunc a Logica ad Metaphysicam transilimus, saltum hunc exigente sic ordine Alphabeti, non enim nisi Abcedarios nos profitemur.

TRACTATUS XXXIV DE METAPHYSICA.

1. HOc nomine apellamus illam Philosophiæ partem, quæ tractar de rebus divinis & maxime recooditis, quæqne physicam contemplationem superant, ut de Ente ipso & illius affectionibus, de Deo & Angelis pertracter: quamvis hoc nomen Metaphysicæ ab Aristotelis Sectatoribus inductum, antiquis Philosophis, imo & Aristoteli ipsi fuerit penitus incognitum. Rationalis Philosophia aut Dialectica, si credimus Authori Phil. Burgund. a Platonicis dicta est, quod ratione & intellectu, non sensu & experientia percipiatur. Non temere ramen a vulgari Dialectica aur Logica, hæc Scientia, quæ universam Entis rationem & illius affectiones contemplatur sejuncta fuit: quod prima omnium disciplinarum principia complectatur, & quasi summa capita, in quæ omnium scientiarum conclusiones & principia tandem resolvantur. Vnde & Primæ Philosophiæ nomen obtinuit, & a nonoullis Scientia generalis appellatur; ut pars illa quæ de Deo, angelis & anima separata differit, Theologia naturalis appellatur. Præripuit omnibus hac in re palmam (ut mihi quidem videtur) Thomas Campanella ex Ord. S. Dominici, qui Aureo suo volumine Parisiis edito Ao. MDCXXXVIII. sub titulo Universalis Philosophiæ Libros 18. rerum metaphysicam cemprehendit. Sic autem præfatur:

"Ego Thomas Campanella postquam omnes Sectas "Philosophorum & Sophistarum, & religiones, & le"ges divinitus & humanitus traditas, & ab impuro "dæmone hominibus pravis insinuatas, & scientias & "artes cunctas rite percurri; statui de vera Sapientia "sermones scribere, unde quilibet posset, & scientias ex"aminare ex libro Dei, & connexiones earum per Eo"cyclopædiam introspicere, & falsitates & veritates de"prehendere. Idcirco de Principiis rerum primis & fi"nibus, adque de Scientiarum Fundamentis erit do"ctrina hæc, quam Metaphysicam appellamus: propterea quod physicas excedit, & commonem Philosophi" am, propterea quod circuit omnes, & ad primas" causas erigitur & ad supremam, unde causationem" & cognitionum omniom gradatim contuemur." Hæc ille de se ipso.

Nemo enim putet hæc cum supercilio esse dicta: non enim mioor fuit io isto Viro humilitas, quam eruditio: major autem utraque animi constantia & fortitudo, qua gravissimas persecutlones triumphavir.

Quod autem ibidem quibusdam interjectis subjungit de Aristotele, quod cum voluerit Metaphysicam tradere, nihil minus ea docuerit: uti fusius ostendit; Mitius agendum cum Aristotele fuisse discimus ex Phil. Burgund. tom. 2. dum in Præfat. sic ait: Id observatione dignum videtur, quod Strabo, Plutarchos (imo ipsusmet Campao. in Lib. de Gentilismo non retinendo) & alii referunt, Theophrastum Aristotelis discipulom, & suæ & Aristotelis Bibliothecæ hæredem Neleum quendam reliquisse: ac post Nelei obitum, Aristotelis & Theophrasti libros mero Attalicorum Regum in terra diu defossos jacuisse; donec post multum temporis eruti sunt, sed blatis & tineis exesi, & pene corrupti. Hos quidam nomine Appellicon Tejus cum emisset, proprio marte emendare & in ordinem digerere conatus est; ac brevi post tempore Sylla hos libros ex Græcia Romam devëxit, Tyrannioni cuidam Grammatico cura demandata, ut eosdem corrigeret. Andronicus denique Rhodius eos recensuit, atque, ut fieri solet, quæ sibi visa sunt, adjecit aut detraxit. (non secus ac Lutherus SS. Bibliis.)

Cum itaque hi Correctores, quæ ad Dialecticam, Moralem Philosophiam, & Physicam pertinebant, in suum qooque corpus redegissent: quæ reliqua fuerunt, & minus digesta & abstrusa, Physicis subjecere, eaque Metaphysica dixere, quasi μετὰ τὰ Φυσικά, quod post physica essent collocandæ. Quo id minus mirandum videtur si textus Aristotelis adeo corruptus & vitiatus, præser-

præsertim in his libris, ad nos pervenerit; cum ob temporum injurias, tum maxime ob pravas imperitorum emendationes, aut potius mendosas divinationes, adeo ut ordo, perspicuitas, rerum connexio plerumque desiderentur.

Neque id verisimile credit idem Author (12. vel ut aliis placet, 14.) Metaphysicorum libros ab Aristotele eo consilio fuisse conscriptos, ut naturalem Theologiam aut primam Philosophiam seu Metaphysicam complecterentur. Cum enim, ut optime a Gassendo fuit observatum, ex 141. capitibus, quinque duntaxat postrema ultimi libri capita de rebus divinis, & a communi materia remotis pertractent, ac toto fere opere res plane disjunctæ & male cohærentes, ut sese dat occasio, explicentur, palam est id ei non fuisse propositum, ut partem Philosophiæ, eamque præcipuam, & a cæteris sejunctam traderet.

II. Vt ut sit, nos in Aristotelis verba, nec in ullius Doctoris verba juravimus, sed ratione liberæ doctu veritatem venamur: referimusque ad hanc Scientiam considerationem Entis, ejusque in Prædicamenta distributionem: prima Principia & Primalitates & influxus generales Necessitatis, Fati et Harmoniæ: nec non Universales naturas. De prædicamentis in genere egimus alibi. De Relatione loco proprio. De Primalitatibus supra. Hoc loco duo duntaxat attingemus vid. Propositiones per se notas, quæ vocant Principia, voluntque supponi debere, nec trahi amplius in quæstionem: deio Symmetriæ specimen inter Grammaticam, Metaphysicam & Theologiam ex Illustrissimo D. Caramuele.

SECTIO I.

Symmetriæ specimen inter Grammaticam, Metaphysicam & Theologiam.

III. Præmisimus Logicam Vocalem, ob eam quam habet cum aliis vocalibus facultatibus vicinitatem, conatique sumus ex notioribus Grammaticæ principiis, velut per gradus faciliores ad sublimiora conscendere: quod ipsum præstabimus in Tract. de Universalibus. Monstravimus quoque notabilem discrepantiam inter Logicas Vocalem & Mentalem. Nunc gressum promoturi videamus teneamusque rem in minimo maximam, & in infimo summam, hoc est Deum, cui nostrum esse, & totum quidquid sumus, quidquid scimus, quidquid habemus, debemus, in Abecedario contemplemur: subtiles enim Theologorum conceptus logicalem nostrum intellectum longe transcenduot.

Notum est Abecedarium latinum 23. literis constare. Facilioris eruditionis gratia supponamus duo. I. Præter hasce 23. (aut 24 si mavelis) nullam aliam literam esse possibilem. II. Easdem esse invicem identificatas, adeoque unam simplicem entitatem sive Geniom constituere, qui *Abcdarius* vocetor. Genius iste producat & proferat ad extra aliquas voces. Quomodo id fiet? Non aliter qoam emergendo in illas easdem literas, voces seu dictiones, quas proferet. Illum ergo Genium an sit substaotia interrogo? Et respondet SVM, & vere, quia constamus hypothesi. Sed ipsam responsionem considero. SVM ait iste Genius. Sed quid est SVM? Una dictio. Anne 'Abcdarius est dictio SVM? aut dictio SVM est Abcdarius? minime. Et tamen dictio SVM, est in Abcdario, & Abcdarius est in dictione SVM: sed diversimode. Dictio SVM tres habet literas, & 20. literarum carentias. (omnis enim creatura constat ex ente & non-ente, ut alibi ostendimus.)

NB. Literæ sunt perfectiones positivæ, quibus dictio componitur: carentiæ sunt imperfectiones negativæ, quibus inficitur & limitatur. Abcdarius igitur in tota dictione *Sum* est inadæquate (imo totam dictionem *Sum* est inadæquate) *esse* enim *active*, est *emergere* seu communicare (quamvis stricte loquendo latius pateat quam actio, quod hic noo attendimus) & aliquid sine extrinseca materia condere. At ipse non est dictio *Sum*: & hæc dictio tota (nimirum istæ tres literæ prout infectæ carentia & negatione reliquarum) non est *formaliter* in Abcdario, in quo nullius literæ carentia est. At eadem dictio est in Abcdario *eminenter*, quoniam istæ 3. literæ eminentius existunt identificatæ reliquis, quam ab illis distinctæ.

Sed consideremus has tres literae SVM, præscindendo a carentia & positione cæterarum: & dicam in hoc conceptu non intelligi vere & adæquate dictionem *Sum*, quæ essentialiter dicit omnium aliarum literarum carentiam; addamque hanc eandem dictionem concipi inadæquate, vid. præcisis omnibus negationibus: vel (ut alii loquuntur) præcisis omnibus limitationibus. Et subjungam, hunc conceptum tantum inadæquatum totum reperiri in Abcdario, totum in dictione *Sum*. Et si hoc dicatur ad univocationem sufficere, utrobique reperiri univoce. At erit lata in contractione differentia: quoniam illæ 3 literæ in Abcdario erunt integer Abecedarius, quia identificatæ reliquis, & extra Abecedarium in dictione *Sum* erunt realiter distinctæ a cæteris, & non erunt Abecedarius.

Parallelon Theologicum.

IV. Nunc ad modum literarum omnium possibilium nostri Abcdari contemplemur thesaurum perfectionum possibilium. Is præter *Existentiam*, quæ est commune Attributum, tredecim alias nobis notas continet, ut sunt: *entitas, vita, intentionalitas, spiritualitas, supernaturalitas*, & *infinitas*. Item *Magnitudo* seu quantitas, *attributum* seu qualitas, *Relatio, actio, passio, duratio, ubicatio*.

Supponamus similiter duo I. præter enarratas perfectiones nullas esse possibiles. II. Easdem, sublatis omnibus imperfectionibus, esse identificatas, adeoque constituere unam realiter simplicem entitatem, quæ DEVS dicitur.

Hinc patet quo modo possit describi DEVS, nempe Entitas, viva, intentionalis, (intelligens) spiritualis, supernaturalis, infinita. Nim. *Immensa* seu infinite magna, habens perfectiones & attributa infinita, habens suas relationes activas & passivas, omnes nobilitatis infinitæ: est *æterna* hoc est infinite durans; est ubique, hoc est in infinitis locis intrinsecis, in nullo extrinseco, adeoque est immensa &c.

V. Et Notandum est in Deo Quantitatem & Vbi coincidere: idem enim est habere immensam seu infinitam magnitudinem, quam esse in omni loco intrinseco. *Dixi* imperfectiones omnes debere excludi a Divinitatis conceptu: modo proscribo aliquas, quoniam ex Vbiquitate sequitur immobilitas: nam sine Vnde & Quo, sive sine termino a quo & ad quem intelligi motus non potest. Immensitas excludit *figuram*, quia ultima superficie caret.

Quando excludit Æternitas, hoc est infinitæ durationis simultas; non enim est præteritus aut futurus, qui

qui omni tempori coexistit simul. Situationem excludit ubiqueitas: nam si singulæ perfectiones immensæ sunt, singulæ ubique sunt, non ergo poterunt inter se ordinari & situari.

Parallelon Metaphysicum.

VI. Sicut de dictione *Sum* fuimus philosophati, sic possemus de quacunque alia. Quod si nulla alia esset creatura possibilis, præter literas; Abcdarius esset DEVS, & idem illi esset producere, quod loqui; & idem loqui, quod emergere. Analogice discurramus de DEO. Igitur ipse Deus dicat, & proferat ad extra aliquas perfectiones, aliquas entitates. Quo ergo illas modo producet? Non aliter quam emergendo in illas ipsas entitates, quas profert. Sit planta v. g. Quid est planta? Vna Dei creatura. Anne Deus est planta? aut planta Deus? minime. Et tamen planta est in Deo, & Deus est in planta: sed diversimode. Duas perfectiones præcipuas habet planta (entitatem & vitam) & undecim perfectionum carentias. (stando in hypothesi.) Nota id bene. Perfectiones sunt formalitates positivæ, quibus planta componitur: imperfectiones vero sunt carentiæ & formalitates negativæ, quibus inficitur & limitatur. Deus igitur in tota planta est inadæquate (imo totam plantam *est* inadæquate) at ipse non est planta. *Dixi* quod Deus *est* plantam inadæquate.

Hinc lux illi Epigrammati Ænigmatico, quod Proculus in Ægyptiorum Historiis Minervæ templis inscriptum memorat. *Ego sum, quæ sunt, quæ erunt, & quæ fuerunt.* Velum meum revelavit nemo. Quem ego fructum peperi, Sol natus est. Marsil. Ficinus in Compendio ad Timæum Plat. c. 5.

Et Planta tota [nimirum istæ duæ perfectiones, entitas & vita] prout infectæ carentia & privatione reliquarum, non est formaliter in Deo, in quo nullius perfectionis carentia est. At vero eadem planta est in Deo eminenter, quoniam istæ duæ perfectiones eminentius existunt identificatæ reliquis, quam ab illis distinctæ. Sed consideremus has duas formalitates, *entitatem* & *vitam*, præscindendo a carentia & positione cæterarum, & dicam in hoc conceptu non intelligi vere & adæquate plantam, quæ essentialiter dicit omnium aliarum perfectionum carentiam; addamque hoc conceptu plantam intelligi inadæquate, vid. præcisis omnibus imperfectionibus, & subjungam hunc conceptum inadæquatum totum reperiri in Deo, totum in planta; & si hoc dicatur sufficere ad univocationem, utrobique reperiri univoce. At erit lata in contractione differentia: quoniam illæ duæ perfectiones in Deo sunt identificatæ reliquis, & hanc ob rem in Deo sunt totus Deus; at extra Deum, nempe in planta sunt realiter distinctæ a cæteris, & non sunt DEVS.

Ex hoc discursu Caramuelistico colliges has propositiones: *Deus est creatura*, &, *Deus est creaturam*, toto cœlo differre. Prima enim exprimit esse identificativum, quod Deus respectu creaturarum non habet: secunda exprimit esse activum, quod Deo respectu illarum competit. Ipse enim est Ens essentians, substantia substantians, Natura naturans &c. Ipse Abcdarii α & ω. Ipse est nostri operis principium; Ipse finis, cujus

Gratia sit pluris, quam tota scientia Iuris.

Ab eo quippe omnis radius scientificus derivatur, veluta Sole: uti non minus docte quam pie demonstrat in aureo suo opere, intitulato *Sol Sapientiæ* R. P. Ananias Juvenalis ex Ord. Capucc.

Restat ut videamus quibus fundamentis insistat nostra Ontosophia sive Metaphysica, seu Entis Scientia.

SECTIO II.

De Principiis per se notis, seu primo-veris.

VII. Nomen Principii bifariam sumitur: physice & logice. Causas enim, internas maxime, Corporis naturalis prima Principia vocant Physici: at Dialectici hoc nomen attribuunt Propositionibus, quæ in Demonstrationibus solent assumi: quas latini Dignitates & Maximas; Græci axiomata vocant. Dogmata vero idem sunt ac Decreta Sectæ.

VIII. Sed quid est Principium per se notum? Respondebit Peripateticus, Principium esse id quod supponi debet, probari non potest. Forte hoc sensu inter Thomistas Principii loco habetur dari Entia rationis, quia omnes supponunt illa dari, probat nullus, nisi ab experientia, nempe suorum capitum: cum tamen viri doctissimi acerrimique ingenii simile quid se experiri negent. Melius definies Principium per se notum, quod sit assertio quæ per se evincitur probaturque. Scientia autem est, quæ [mediate aut immediate] principiis per se notis paritur. Sed quid est Sapientia? Scientia excellens. Strictius autem sumitur 6. Ethic. c. 3. pro cognitione rerum altissimarum, ut Dei, Intelligentiarum &c. Per causas altissimas. Quo sensu non vocantur sapientes Exod. 26. Opifices & Sartores apud Alph. Tostat.

Cum igitur Metaphysicæ finis & scopus alius non sit, quam cognoscere res ut sunt in se. Solus enim ille vere sapit, cui res sapiunt ut in se sunt. Non ergo a nostro concipiendi modo rerum naturæ sunt metiendæ, sed a genuina rerum idea, in cujus cognitione consistit Scientia. Debet ergo Metaphysica in traditionem illius cognitionis collimare, quæ intelligit res, ut sunt in se. Quam ut attingamus, sat erit pro basi inconcussa supponere significationem unius vocis: nil aliud.

HYPOTHESIS.

IX. *Impossibile dicitur illud, quod in instanti in quo asseritur impossibile, excludit omnem contingentiam & potentiam ad essendum.*

Differunt Principia per se nota in eo a demonstratis conclusionibus, quod hæ a priori vel posteriori; illa autem ex terminorum connexione, ostendantur. Præmissa prothesis Principium per se notum est, imo primum principium; & quia primum est, ostendi a priori nequit; & quia nihil omnino supponimus, nequit ostendi a posteriori: debet igitur vel non cognosci vel esse per se nota.

Vt igitur hæc prothesis per semetipsam innotescat, supponendum est homines indigere vocibus, ut suos conceptus manifestent (signa & nutus æquivalent vocibus) cum enim Angeli non sint, nec aliorum mentes intueantur, signis externis indigent conceptuum significativis & expressivis.

Ens igitur quod vel per se, vel ex suppositione, caret omni potentia ad existendum, aliqua voce indigitandum est. Hæc vox sit *impossibile*; quæ si non

non placeat, per me ftatut fubftituas alteram æquivalentem, non enim de vocibus eft difputandum. Ergo admiffa voce *impoffibile* ftat prothefis, nempe *Impoffibile dicitur illud, quod in inftanti in quo afferitur impoffibile, excludit omnem contingentiam & potentiam ad effendum.*

PRINCIPIVM I.

X. *Impoffibile eft dari duas contradictorias fimul veras.*

Quis neget hanc Ecthefin? Non defuit qui cum Heraclito deliraret Joan. Bapt. Helmontius, qui curiofum fcripfit libellum, quo repugnanda fieri poffe divinitus oftenderet. Nulli tamen id perfuafiffe credo. Contra talem enim quifcunque fuerit, fic arguere licebit. Juxta te duæ contradictoriæ fimul poffunt effe veræ: ergo hæc propofitio Petri, dum ait: *Ifta propofitio, impoffibile eft dari duas contradictorias fimul veras, eft vera.*

Quam tu exiftimas falfam, veram tamen effe poffe fateris. Ergo poffibile eft quod fit impoffibile dari duas contradictorias fimul veras; ergo in conceptu rei impoffibilis, capitur poffibilitas & contingentia. Ergo impingis in primam Prothefin, cui fubfcripfifti afferens: *Impoffibile dicitur illud, quod in inftanti in quo afferitur impoffibile, excludit omnem contingentiam & potentiam ad effendum.*

PRINCIPIVM II.

XI. *Impoffibile eft dari duas contradictorias fimul falfas.*

Nafcitur ex antecedenti, & oftenditur difcurfu omnino parallelo. Dentur duæ pofitiones fibi contradicentes, v.g. *Petrus eft albus, Petrus non eft albus.*

Confultus de veritate harum pofitionum dicis *Hæ contradictoriæ funt fimul falfæ.* Diffentio dicens: *Hæ contradictoriæ non funt fimul falfæ.* Si mihi acquiefcas, habebo intentum, & non erit argumentationi locus. Si diffentias, Inftabo. Ergo tuum affertum verum eft, & meum falfum: igitur utrumque non eft falfum, atque affertum meum & tuum erant contradictoria, ergo duæ contradictoriæ non funt fimul falfæ.

Nec juvat dicere, non effe quidem fimul falfas, poffe tamen: quia affumam propofitionem affectam modo impoffibilitatis, nempe *Impoffibile eft Petrum quiditative effe album*, vel aliam fimilem, quia fi hæc afferatur effe de facto vera, poffe tamen effe falfam, admittetur aliqua poffibilitas in impoffibilitatis conceptu contra fundamentalem hypothefin. Ita Caramuel.

Addo ego, dicere duo contradictoria poffe effe fimul vera, aut fimul falfa, eft idem ac dicere: Contradictoria non effe contradictoria: cum contradictoria vocemus illa, quæ adæquate fibi repugnant, hoc eft, quæ nec fimul vera, nec fimul falfa effe poffunt: ergo vel negandum dari contradictoria vel alia definitio Contradictoriorum affignanda, quod hactenus a nullo tentatum.

PRINCIPIVM III.

XII. *Impoffibile eft duas formalitates contradictorias effe fimul in eodem fubjecto. Aliter, Impoffibile eft eandem rem fimul effe & non effe.*

Formalitates contradictorias dicimus Formam & Privationem ejus; atqui forma & Privatio non poffunt coexiftere fimul in eodem fubjecto fingulari, ergo impoffibile eft duas formalitates contradictorias effe in eodem fubjecto. Min. probo. Si poffent coexiftere in eodem fubjecto forma & ipfius privatio, poffent dari duæ contradictoriæ fimul veræ: atqui oftenfum eft has fimul verificari non poffe: ergo & oftenfum formam & privationem fui non poffe fimul coexiftere in eodem fubjecto. Maj. prob. Si in Petro, v.gr. effet exiftentia & non-exiftentia, effet verum dicere: *Petrus exiftit, & Petrus non exiftit.* Hæ duæ pofitiones contradictoriæ funt: ergo darentur duæ contradictoriæ fimul veræ. Q. E. D.

PRINCIPIVM IV.

XIII. *Impoffibile eft duas formalitates contradictorias fimul abeffe eidem fubjecto. Aliter, Impoffibile eft candem rem nec effe, nec non effe.*

Hæc affertio eft Ecthefis antecedentis. Privatio nihil aliud eft, quam abfentia formæ. (fubintellige in fubjecto apto recipere illam formam) Et forma importat abfentiam privationis, ut lux tenebrarum: ergo cumprimum forma abeft, abfentia formæ (hæc eft privatio) adeft; & cumprimum privatio abeft, adeft privationis abfentia, quæ eft forma. Impoffibile igitur eft duos terminos contradictorios aut fimul abeffe aut fimul adeffe, aut fimul abeffe eidem fubjecto indivifibili.

Diximus in Principio III. Duas formalitates contradictorias non poffe fimul effe in eodem fubjecto: fubintellige *fecundum idem.* Nam omnino poffibile eft, nec repugnat, duos terminos ex fe contradictorios verificari de una eademque entitate reali fingulari: Item de eadem formalitate univerfali: non vero de eadem indivifibili formalitate fingulari. Aliter repugnat eadem formalitatem fingularem, fimul effe & non effe talem.

Hic nota. Thomiftas ad falvanda hæc prædicata contradictoria: *communicari* & *non communicari*, inter Naturam Divinam, & Relationem Paternitatis admittere diftinctionem, quam vocant *Rationis ratiocinatæ* Sconcos formalem ex natura rei: fed Arriagam cum aliis, utraque negata, *virtualem*, ut vocat, *minorem*, folum agnofcere, velleque naturam divinam & Paternitatem effe unam eandemque fimpliciffimam inter fe Divinitatem, feu formalitatem; quam fententiam fic aggreditur Nofter Caramuel. Opinio, quæ non aliter defenditur, quam committendo circulum, falfa eft: at talis eft Arriagæ fententia, ergo falfa. prob. min. quia quærenti cur in divinis hæc diftinctio virtualis detur, quæ in humanis non datur: aut, cur in humanis nunquam de eadem fingulari entitate falventur duo prædicata contradictoria, & tamen falventur in Divinis? Refpondes, quia in Divinis datur hæc diftinctio virtualis, non in humanis. Quærenti iterum, cur in Divinis hæc diftinctio virtualis detur? & cur in humanis non detur? Refp. quod in Divinis duo prædicata contradictoria falvari debeant, quæ in creatis non debent. Ex quibus conftat has duas caufales (ideo ponimus diftinctionem virtualem in Deo, & non in creaturis, quia in Deo & non in creaturis falvandæ funt duæ contradictoriæ: & ideo falvantur in Deo duæ contradictoriæ, quæ non falvarentur in creaturis, quia hæc diftinctio virtualis (major vel minor) in Deo reperitur & non in creaturis) effe veras; & per confequens circulo vitiofo

vitioso laborare hanc sententiam. *Circulus* enim *vitiosus* dicitur ille, cum conclusio tantum ex Præmissis nota, & non aliunde, assumitur ad probanda principia: & sic idem per idem ignotum per æque ignorum probatur.

PRINCIPIUM V.

XIV. *Quodlibet est, vel non est, aliter, Ex duobus terminis contradictoriis alteruter de omni re debet verificari.*

Quod sic intellige, non quod alter determinate sumptus debeat omni Enti competere, sed quod alter disjunctive sumptus, hoc est unus vel alius. Hurtadus in *Logica Disp. 10. §. 118.* hoc Principium adjungit Principio nostro III. vel quia Synonyma ipsa sunt, vel quia necessario connexa. Et in lib. *de anima Disp. 8. §. 22.* asserit hoc axioma imbibere evidentiam Metaphysicam, quia objectum tam clare conspicitur, ut omnino repugnet aliter se habere. Addit esse id tam evidens, quam hoc *Deus est*, & hoc *Ego sum*, quia si dubites debeasne mihi credere dicenti *me esse*, arguam sic: vel mentior, vel verum dico, si hoc ultimum, ergo sum: si primum, ergo etiam sum, non enim possem mentiri, si non essem. Et ibid. §. 45. affirmat id esse multo clarius & infallibilius quam hoc: *Angelus est substantia completa*. Et tandem idipsum principium pulchre explicat *Disp. 3. Metaph. §. 21.*

PRINCIPIUM VI.

XV. *Impossibile est assentiri simul duabus Positionibus contradictoriis.*

Demonstratur. Assentiri est judicare propositionem esse veram; dissentire, judicare non esse veram. Ergo impossibile est assentiri propositioni quam judicamus esse falsam; dissentire, eum judicamus esse veram. Atqui ostensum clarissime est duas contradictorias non posse simul esse veras, ergo ostensum est hominem non posse assentiri duabus contradictoriis. Confirmatur. Qui duabus contradictoriis assentiretur: deberet admittere hanc propositionem, *Possibile est dari duas contradictorias simul veras*, quod est contra superius demonstrata.

PRINCIPIUM VII.

XVI. *Si Petrus contradicat Joanni, nemo poterit ab utroque simul dissentire.*

Est Ecthesis Principii VI. quia si per se notum est non posse dari duas contradictorias simul falsas; impossibile est hominem judicare utramque esse falsam, nemo enim falsa judicat principia per se nota: ergo impossibile est utriusque contradictionis parti simul præbere dissensum; quia dissentimus cum falsum dici judicamus. Quod si asseras dari Principia per se nota, quæ tamen non sint omnibus æque nota; ac ideo posse ea ab aliquibus aut falsa credi aut ignorari. Subjungit Caramuel, ergo ille saltem qui concesserit non posse dari duas contradictorias simul veras, debebit necessario sexto & septimo assentiri Principio.

PRINCIPIUM VIII.

XVII. *Impossibile est concipere duos terminos contradictorios coexistentes simul in eodem subjecto indivisibili.*

Hæc thesis evertit aliquorum præsumptionem, qui dicunt se concipere quæ revera non possunt. Semper judicavi, ait Trismegistus noster, esse impossibile has apprehensiones efformare, nempe concipere *album carentem albedine, Creaturam independentem, existentem carentem existentia.* Improbavi hos assensus; *album non est album, Creatura non dependet. Qui existit non existit*, & similes. Credidi repugnare hos discursus; *Est album quia non est album. Est creatura, ergo est a se, Si existit, caret existentia.* Cæterum com reperiantur ingenia, quæ quasi e quercu excisa (qualia tamen non sunt Querci campani) in primas Veritates impingant ne debilia videantur, opus est illa dolare & polire cœlo robusto & pertinaci. Id ministrabunt Ecthesες huc usque explicatæ.

Analogizo sic: Qui potest concipere duos terminos contradictorios in eodem indivisibili subjecto, poterit etiam assentiri duabus contradictoriis; hoc secundum non potest, quia propositioni falsæ cognitæ ut falsæ assensum præbere non possumus, ut constat ex Ecthesi VI. ergo nec primum. Maj. prob. quia si concipis *Petrum album & carentem albedine*, poteris elicere hos assensus, *Petrus est albus*, & *Petrus non est albus*. Primus est verus, quia album est album; secundus est etiam verus, quia carens albedine non est album. Ergo darentur duæ contradictoriæ simul veræ, & hoc contra Principium primum.

PRINCIPIUM IX.

XVIII. *Impossibile est concipere duos terminos contradictorios simul abesse ab eodem subjecto.*

Hoc Principium nascitur ex præcedenti, & eisdem prorsus ratiociniis firmatur. Arguo enim sic. Qui possit concipere in eodem subjecto absentiam duorum prædicatorum contradictoriorum, (talia sunt *esse album, & non esse album*) poterit etiam dissentire simul a duobus sibi contradicentibus contra Principium VII. sequelam persuadeo. Si conciperem Petrum carere simul albedine & privatione albedinis posse negare simul duas contradictorias, atque hoc non possum, ergo. Patet prior sequela, quia in tali casu possem negare hanc assertionem *Petrus est albus*, quia concipio ipsum carere albedine: possem etiam negare hanc, *Petrus non est albus*, quia concipio ipsum carentem privatione albedinis.

PRINCIPIUM X.

XIX. *Abstrahentium non est error, neque mendacium Arist. 2. phys. t. 18.*

Hoc axioma videtur priori non congruere, quia tunc dicimur concipere subjectum sine contradictoriis sed si bene expendantur non se evertunt sed mutuo fundant. Ut igitur rem bene capias

Notabis idem esse in Logica Mentali *abstrahere*, ac *tacere* in Vocali. Possum vocaliter exprimere unum, tacendo aliud; adeoque potero mentaliter dicere seu concipere unam formalitatem, mentaliter tacendo alteram, hoc est possum unam concipere, non concipiendo alteram. Abstractio autem est duplex: Realis & Mentalis. Illa fit independenter ab omni humano intellectu, ut eum digitus præscinditur a manu: hæc fit ab intellectu, qui abstrahit unam formalitatem ab altera. Et hoc ipsum bifariam. *Præcisive* & *negative*, ut observat Hurtado *Disp. 3. Log. §. 5.* Abstrahere dicimur *præcisive* cum concipimus v.g. animal non concepto rationali: *negative* cum concipimus animal carere rationalitate. Si agamus de abstractione negativa necessario concedenda sunt aliqua, quæ ex positis Principiis exoriuntur.

Primo

Primo enim debemus dicere in abstractione posse subesse errorem; mendacium non posse. Errorem quidem, quia male rationale conciperet, qui ipsum intelligeret affectum carentia animalitatis. (loquor in communi opinione). Non vero mendacium, quia non quæcunque falsitas mendacium est, sed quæ in judicio (sumimus hic mendacium late pro judicio falso) & apprehensiones fiunt a prima Mentis operatione.

Secundo deberemus similiter asserere non posse eandem formalitatem negative abstrahi a duobus terminis contradictoriis; quia idem est eam abstrahere negative, ac concipere duos contradicentes terminos simul abesse ab eodem subjecto indivisibili. Quod est contra Princ. IX.

Cæterum cum abstrahimus *præcisive*, non concipimus rationale esse sine animali; sed concipimus rationale; quin concipiamus animal, & in conceptu nulla omnino falsitas, mendatium aut error reperitur.

Quæres hic incidenter, quid proprie sit mentiri? Respondet S. August. *Lib. contra mendac.* c. 10. Non est mendacium cum silendo absconditur verum: sed cum loquendo promitur falsum. Quod tamen cum grano salis intelligendum: Nam quandoque uterque reus est, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit: quia ille prodesse non vult, iste nocere desiderat. c. 80. XI. q. 3. ait idem S. Doct. ad Casulanum, & repetitur in C. 1. X. de Crimine falsi. Et qui tacet, dum loqui deberet, pejus agit quam male loquens. Dico itaque quod mentiri est contra mentem ire: adeoque aliud est mentiri, aliud falsum dicere. Possumus verum dicendo mentiri, & falsum dicendo non mentiri. Qui aliter, quam sentit, loquitur, ut decipiat audientem (sive dicat rem esse ut est, sive ut non est) mentitur; & non qualitercunque, sed *formaliter*. Dantur enim mendacia *virtualia*, quæ formalibus æquivalent, & committuntur ab illo, qui ignorantia crassa & peccaminosa labotans loquendo, licet non impingat in mentem, quam habet, impingit tamen in mentem quam habere deberet.

PRINCIPIVM XI.

XX. *Omne quod est, dum est, necesse est esse.*

Nec putes hoc axioma obesse libertati, non enim importat necessitatem nisi hypotheticam. Sane necesse est, omne quod est, quamdiu est. Non tamen necesse est aliter esse quam est, seu potius opus est esse ut est. Album quamdiu est album, est necessario album, non vero nigrum. Vivum, quam diu vivit, necesse est vivere, non tamen est necesse id mori. Non aliter, necesse est actum liberum, quamdiu libere exercetur, esse liberum; non tamen est necesse non liberum. Atqui actus liber ille est, qui elicitur cum indifferentia, ille inquam qui potest non esse: ergo quam diu est, necesse est quod cum indifferentia eliciatur, hoc est necesse est, quod eliciatur ita ut possit non elici, quod ita fiat ut possit non fieri, quod ita id fit ut possit non esse.

Hæc necessitas in omnibus identicis assertis reperitur: quia sicut necessarium est hominem esse hominem, & equum esse equum; ita etiam necessarium est actum liberum esse liberum, & contingentem esse contingentem. Omne igitur quod libere est, dum est, necesse est esse libere, hoc est necesse est ita esse ut etiam ab intrinseco possit non esse, & penes elicientem sit cessare ab actu.

PRINCIPIVM XII.

XXI. *Impossibile est eundem hominem simul dissentire & assentiri eidem propositioni.*

Quod sic demonstratur. Esse propositionem veram, & non esse veram sunt termini contradictorii: sed impossibile est concipere terminos contradictorios coexistentes in eodem subjecto indivisibili, ergo & concipere veritatem & non-veritatem in eadem simplicissima propositione. Atqui cum concipimus veritatem in propositione, concipimus eam non esse veram; cum in illa concipimus non-veritatem, concipimus eam non esse veram: ergo est impossibile simul concipere propositionem esse veram & non esse veram. Tunc iterum: concipere eam esse veram est assentiri; concipere eam non esse veram, est dissentire: sed non possum simul concipere propositionem esse veram & non esse veram, ergo neque simul assentiri & dissentire.

PRINCIPIVM XIII.

XXII. *Imprudenter procedit, qui multiplicat entia sine necessitate.*

Nil frequentius auditur in Scholis hoc axiomate, sicut & illud: frustra fit per plura, quod æque commode fieri potest per pauciora. Sint Poetæ conceptuum Prodigi: Metaphysicus imitetur Naturam-Deum qui nihil facit frustra.

PRINCIPIVM XIV.

XXIII. *Si affirmatio est causa unica & adæquata affirmationis, negatio erit causa negationis, & econtra.*

Est communis argumentandi modus apud Heterodoxos ex affirmatione affirmationem inferente, ad negationem inferentem aliam negationem; aut econverso. Verum quia illationes illæ sæpius non sunt adæquatæ, exorbitant a fide Catholica non raro. Talis est hæc argumentatio. *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Act. 13. 48. Ex quibus verbis sic arguunt: Hæc consequentia est bona; est præordinatus, ergo credet. Ergo & hæc; non est prædestinatus, ergo non credet. Inferunt, ergo si nullus non prædestinatus credet, nos qui de facto credimus, vere sumus prædestinati. Addunt, atqui non est possibile quod non crediderimus, siquidem jam de facto credimus, ergo non est possibile quod condemnemur. Respondetur enim Prædestinationem non esse causam unicam & adæquatam fidei, & illum discursum esse similem huic: Si est homo germanus, est risibilis; ergo si non est homo germanus, non est risibilis.

Præterea notandum hoc axioma: Sicut affirmatio est causa affirmationis, ita & negatio negationis, habere tantum locum in convertibilibus, cum agitur de causa & effectu formali. Vt, habet albedinem, ergo est albus; non habet albedinem, ergo non est albus. Claudicat cum a genere ad speciem, aut a specie ad genus discurritur. Qualis est hæc illatio. Hæc est fides Catholica, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur: ergo quicunque credit Deum esse unum & trinum est Catholicus, seu tenet fidem Catholicam. Simili scipione nituntur cœci illi Evangelici (ut dici amant) Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit. Marci 16. quasi vero in his duobus tota lex penderet & Prophetæ; an non & illi credunt & baptizati sunt, de quibus Apostolus ad Corinth. 1. cap. 6. v. 9. & 10. Nolite errare: neque fornicarii, neque adulteri, neque

que molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt. Verbo, nullus transgressor mandatorum Dei; sed solus ille, qui in observatione mandatorum Dei perseveraverit usque ad vitæ suæ finem, salvus erit. Matth. 10.22. Quo ergo devenient illi, qui observationem Decalogi æque impossibilem esse censent ac cœlum tangere digito? Condoleo miseris! si tamen commiseratione digni sunt, qui sponte claudunt oculos ne videant lumen orhodoxæ veritatis.

Omitto plura axiomata æque vera & generalia, ut, *Non datur processus in infinitum*. Arist. 2, Metaph. 5. In his, quæ sunt a natura, finitum melius est, si esse possit. Dari processum in infinitum in Causis materiali, formali, Efficiente aut Finali improbabile judicant universi: sed utrum in genere causæ integralis procedere sit in infinitum, an vero definiendum ad partes tandem primas & atomas, quæ Continuum componant, & a nullis aliis componantur, non ita liquet. Nos consequentiæ causa illum negavimus, dicimusque sicut totum Metaphysicum non est divisibile mentaliter in formalitates & gradus infinitos: ita nec physicum physice in partes integrantes infinitas.

XXIV. Quæres: Quid sentiendum de vulgatissimo illo Peripateticorum Principio: *Quacunque sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*. Pro quo citatur Arist. 3. phys. tract. 21. & videri possunt Conimbric. cap. 6. q. un. art. 1. P. Joann. de Mag. 1. Prior. q. 2. concl. resp. Respondeat Ingeniosissimus Caramuel, cujus verba Rationalis & realis Philosophiæ pag. 72. adnumero. "Ego quidem, cum supponi videam axiomata, quæ probari oporteret, condoleo humano generi captivo vinculis authoritatum. Vidi in florentissimis Academiis aliquos isto principio armatos potius ob Respondentis pusillanimitatem, quam ob rationum efficaciam triumphum adeptos. Malunt propugnantes succumbere, quam defectionem facere a Stagirita: sed perperam. An non ipse amavit Socratem, & Platonem, sed magis veritatem? Cum assertum audis, quod non pertinet ad materiam fidei, non proderit scire quis dicat, sed quid dicat. Propositiones falsas ipsimet Platoni, Socrati, Aristoteli denega: concede veras invitis quibuscunque. Sæpe in Academiis excellentissimis negari absolute hoc axioma, & quidem feliciter, quoniam nondum probatum. Nolui haberi tam scientiæ inops, ut teneret admittere hujusmodi propositiones. Assumuntur leviter; & ne levis similiter appareas, oportet absolute negare. Hæc ille.

Audacter quidem, non tamen temere. Vt Propositio mereatur inter Dignitates, Axioma, Maximas & Principia infallibilia numerari, necesse est Immunis sit ab omni exceptione & limitatione, universaliter verificetur, in Divinis æque ac in creatis, nec enim verum vero opponitur: At si hoc Principium: *Quacunque sunt eadem uni tertio* &c. deberet sustineri, Trinitatis mysterium non deberet: huic enim ex diametro opponitur, ut conspicit in hoc Syllogismo: *Quæ sunt idem uni tertio, sunt idem inter se: Paternitas & Filiatio sunt idem uni tertio nempe Natura divina, ergo sunt idem inter se*. Hoc itaque axioma directe militare contra Trinitatem docet Theodorus Smisingus Lib. de Deo Trino Disp. 1. q. 2. num. 20. asserens ingenium humanum relictum viribus naturæ judicaturum fuisse Deum non esse trinum: hujus erroris expendit causam, sed inter alias hanc præcipuam: nempe quod Rationalis Scientia pro primo Principio habeat; *Quod illa quæ sunt eadem uni tertio, sint eadem inter se*.

Videntes ergo alii hoc axioma sic universaliter acceptum sostineri non posse, limitationem adhibuerunt: admiserunt illud in creatis; negaverunt in Divinis. Sic P. Suarius & alii. At hoc non est philosophari, sed fingere, vel Metaphysicam contra rationem, vel Fidem contra rerum naturam. His annumera illos qui in Divinis non admittunt formam Syllogisticam, de quibus doctissime Vasq. in 1. p. q. 28. Disp. 122. c. ult. num. 14. quod nostram fidem catholicam ludibrio exponant: (quos imitantur illi ex Societate, qui modernis Cartesianorum argumentis dedignantur respondere:) quia illa, quæ necessaria sunt, hoc est æternæ veritatis, etiam in Deo debent habere locum: vel si inibi locum non habeant non necessaria dici debent, sed a vero deficere.

Interim juxta Principium istud, argumento, ut vocant, ad hominem convinci possunt Peripatetici illi, qui negant Propositionem negativam finitam æquipollere affirmativæ de prædicato infinitato, sic enim arguo: Quæcunque æquivalent uni tertio, æquivalent inter se; atqui hæ propositiones: *Aliquod animal non est homo*; & hæc, *aliquod animal est non-homo*, æquivalent uni tertiæ, ergo & æquivalent inter se. Maj. est tua. min. probo. Hæc propositio: *aliquod animal non est homo* æquivalet suæ conversæ per contrapositionem, *aliquod non-homo est animal*: & huic æquivalet sua conversa simpliciter, *aliquod animal est non-homo*, ergo etiam æquivalet primæ. Q. E. D.

Fallit quoque evidenter in moralibus: quid enim frequentius, quam duos Procos uni Amasiæ agglutinatos, quorum animæ ibi magis sunt, ubi amant, nempe in centro objecti amati, quam ubi animant, inter se tamen vel maxime discordare? Unde ICtum Ulpian. lib. 30. ad Edict. ex tit. de Mandat L. 2. Socii meus socius, meus Socius non est, ergo falsum quod qui sunt Socii uni tertio, sint socii inter se.

Sed audiamus crisin Doct. Angelici super isthoc Principio Peripat. videtur enim judicasse illud esse merum verborum lusum, nihilque solidi continere; cum enim 1. p. q. 28. art. 3. sibi objecisset similem Syllogismum, respondet: "Ad primum ergo dicendum quod secundum Philosophum (3. phys. text. 21. tom. 2.) argumentum illud tenet, quod quæcunque uni & eidem sunt eadem, sibi invicem sunt eadem, in iis quæ sunt idem re & ratione, sicut tunica & indumentum; non autem in his, quæ differunt ratione." Hoc est, hoc axioma esse verum solummodo in Synonymis, ut si diceremus: *Marcus est Tullius; Tullius est Cicero, ergo Marcus est Cicero*. Vel in exemplo posito a D. Thoma: *Hæc vestis est indumentum; indumentum est tunica, ergo hæc vestis est tunica*. Eodem modo philosophatur Thomistarum facile Princeps Capreolus in 1. D. 2. q. 3. art. 1. in fine ubi dicit, illa∫ quæ adæquate identificantur uni tertio, esse idem inter se: identificari autem adæquate, est non distingui re, nec ratione, sed habere solummodo diversa nomina. Hoc assertum sic exponendum esse credunt recentiores innumeri: & novissime ita defendere conatur Hortadus in Log. disp. 10. §. 127. Canariensis in 1. p. d. 28. art. 3. & alii.

Sed

Sed quis videat, inquit Caramuel hoc assertum sic expositum esse indignum non solum Aristotele, sed etiam tyrone qualicumque? Exuat verborum phaleras, & nude proponatur, & apparebit quid significet hoc axioma: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*, dicitur stylo laconico: adhibita expositione remanet, *Nomina quorum significata sunt adæquate unum & idem tertium, habent significationes quæ sint eadem inter se.* Vel clarius: *Nomina quæ habent eandem significationem, habent eandem significationem.* Hoc est idem per idem sive per circulum. Ergo Divo Thoma interprete nihil in re docemur hoc axiomate, sed solum instruimur, ut sciamus cognoscere voces Synonymas, & illis non abuti. Cæterum cum Philosophi incipere debeant ab ea parte, in qua desierunt Grammato-Sophi, oportet hoc axioma a suis Scholis ablegare, & tot fulcris grallisque limitationum suffultum potius permittere emori, quam remediis nil profuturis curare.

Nec capit subtilitatem Scoticam in exponendo isto axiomate Caramuel, dum argumento supra posito num. cum distinctione respondent cum Scoto in 1. d. 2. q. 4. *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.* Dist. sunt eadem inter se in illo tertio. Conc. in seipsis. Negant. Atqui *Paternitas & filiatio sunt idem uni tertio*, nempe Naturæ divinæ, concedunt minorem. Ergo *sunt idem inter se.* Dist. consequens, in illo tertio nempe Divinitate, concedunt consequentiam; in seipsis, negant.

Doceat obsecro cum Caramuele: quid est esse eadem inter se in illo tertio? an non est esse eadem uni tertio? Quid esse Titium & Cajum esse idem in Bertha amasia, quam illos amare unam tertiam?

Ergo idem est, *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se in illo tertio*; ac si diceretur, Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem uni tertio, quæ est puerilis potius quam philosophica enuntiatio.

Fatetur tandem Vasq. 1. p. disp. 122. cap. 2. §. Nihilominus, hoc axioma esse idem cum illo: *Dici, de omni, & dici de nullo.*

XXV. Quod supra meminimus quosdam admittere quædam Principia generalia in creatis, negare in Divinis: idem faciunt, qui Infinitum Categorematicum creatum possibile tuentur, cum ipsis opponitur: *Omne totum est majus sua parte.* Distinguendo, si loquamur de Toto finito. Concedunt, si de Infinito, Negant. Sed hæc aliaque axiomata particularia non referemus, non tamen omittere possum, quæ contra præfata generalissima Principia movit Rev er. D. Hieronymus Hirnhaim Abbas Ord. Præmonstr. Pragæ in Monte Sion vulgo Strawhow in Tract. brevi de Typho Generis humani, edito ibidem Anno 1676. ubi cap. 3. pag. 21. ita scribit: "Credebantur prius Physica & Metaphysica multa principia, tanquam divinitus infallibilia, & credebantur "fortasse prudenter, quamdiu intellectus lumini suo "naturali insistens, defectu propositionis veræ divinæque fidei, nullius ex ipsis labefactationem contigisse unquam cognovit. At nunc induci non potero, ut ullum etiam ex certissimis Philosophorum "axiomatibus, ea certitudine qua ipsi, credam esse infallibile ..... Postquam in rerum creatione falsificatum est illud axioma: *Ex nihilo nihil fit*, contra subsequentes Philosophos, qui ex nihilo aliquid fieri posse lumini rationis humanæ violentum esse, "credebant; ideoque Mundum increatum esse & æ-" ternum cum Aristotele profitebantur. Postquam, "in Verbi æterni Incarnatione satua ostensa est eorun-" dem doctrina, qua docebant DEVM corpore, loco, "tempore, nullatenus esse arctabilem, & omnem sub-" stantiam completam, maxime rationalem, per se sub-" sistere, nec in compartem ullius Compositi assumi" posse."

Postquam in mysterio Eucharistiæ Christianis revelato, plura veterum & nostrorum quoque Novatorum male stabilita Principia videntur labefactari & concidere, ut: *Accidens non potest ullo modo esse sine subjecto. Accidentis esse est inesse Corpus nequit esse in puncto. Duo corpora non possunt esse in eodem loco &c.* ---- Postquam denique vim intellectui meo in ferre cogor, & credere, quod nisi sanctæ matris meæ Ecclesiæ juberet auctoritas, non crederem, in Deo trino, & uno posse esse tria eadem uni tertio, non tamen eadem inter se; nullius Principii veritatem atque certitudinem eas figere sinam in animo meo radices, quo minus quandocunque sim paratus ad æternæ veritatis contrariam revelationem, & Ecclesiæ propositionem, illud confestim repudiare.

Quapropter (pergit) & illud Principum Principiorum: *Implicat idem esse & non esse*; &, *omne est, aut non est; omne totum est majus sua parte*, & alia hujusmodi, multoque magis scientiarum ex similibus principiis deductas conclusiones, etsi non credam falsificari posse, eam tamen illis fidem nunquam tribuo, ut adversariorum dicendi libertate usus, & solo intellectus mei imbecillis judicio fretus, etiam divinitus infallibiles esse pro certo contendam, & infinitam Dei potentiam velim humano captu circumscribere, quod magnæ temeritatis est.

Posito quod Deus alicui Axiomatistæ diceret; Sentī quod liber; si tamen sensu tuo, quem de infallibilitate primorum Philosophiæ principiorum hucusque habuisti, a veritate aberraveris, salutis æternæ jacturam incurres: ille profecto satis timide de illorum infallibilitate metaphysica sentiret, eidem licet ratione, tam objectiva in illis, quam subjectiva in ipso manente.

XXVI. Ex qua videtur colligi de facto, dum sine salutis periculo de primis principiis multa proponuntur & statuuntur, non tam abesse, quam non æstimari erroris periculum. Ego in quibuscunque omnino rebus ponderandis, nisi prius in divini judicii statera fuerint appensæ, periculosam & fallacem judico humani intellectus trutinam. Suadeo tibi, Candide Lector, sentire mecum, nec alas nimium liberas tribuere intellectui, sicque in obsequium fidei illum reddere parariorem; cum hæresis vel maxime insidiari soleat iis, qui & sua principia, quorum veritatem perspicacissime cognoscere sibi videntur, mordicus tenere consueverunt, & sententiis suis pertinaciter adhærent, ingenioque suo nimium confidunt. Vt bene propterea Tertullianus pronuntiaverit, Philosophos *Patriarchas esse Hæreticorum*. Hucusque verbotenus doctissimus pientissimusque iste Præsul.

Verum enim vero scrupulose nimium suadenti ne consentiam, credamque Deum posse facere ut sim & non sim in uno eodemque temporis instanti, non possum persuaderi. Dicit quidem gloss. in tit. de SS. Trinit. Non esse inultię dubitare de singulis.

Dubitent Sceptici an vere existant, dum disputant, ne forte somniando id faciant? Equidem id in sanum cerebrum cadere posse non credo. Nec arbitror temeritatis notam mereri qui multa Deo impossibilia profitetur, nec per hoc ullatenus potentiam Dei infinitam restringi aut circumscribi, quam parum limitaret potentiæ visivæ sphæram, qui Spiritus esse invisibiles asserit, aut colores audiri posse negat. Omnipotentiam Dei rite adorat & credit, qui ex serie possibilium subducit nihil. Defectus nempe non se tenet ex parte Dei, sed objecti, cum hoc vel illud asserimus a Deo produci non posse. Hypothesin illam, qua fingit hic Author, Deum alloqui Axiomatistam, inter impossibilia numero: etsi enim dominium in creaturas absolutissimum Deo concedam, obstat tamen ejus Justitia, ne condemnet puniatque quempiam innocentem: qui autem citra inhibitionem legemve divinam ductum sequitur rationis, quis culpæ arguat? Id non diffiteor plurima circumferri axiomata falsissima, ea namque est humanorum ingeniorum varietas, ut quod uni certissimum, alteri vix probabile videatur: fateor quoque diffinitiones Ecclesiæ circa articulos fidei moresque, utpote auctoritate Dei revelantis nixas certitudine superare omnia Principia humanæ rationis, non tamen inde sequitur omnem certitudinem & evidentiam metaphysicam e mundo & Philosophia exulare. Quod attinet dogma illud de accidentibus Eucharisticis, quæ fuerit mens PP. & Conciliorum, alibi jam diximus. Nunc nonnulla pseudo-axiomata proferamus.

SECTIO III.

De Pseudo-Principiis quibusdam, inter Axiomata tamen passim referri solitis.

XXVII. I. Vanissime cum Aristotele ajunt, *quod omne quod movetur, ab alio movetur* tanquam a distincto separatoque motore: quod axioma assumpsit Arist. Phys. 8. ad probandum, cœlestia ab Angelis moveri; cum illa propositio sit solum vera de his, quæ violenter aut artificialiter moventur; & falsa prorsus de Naturalibus, si ejus definitionem de Natura quis expendat, quam naturam ponit esse principium intraneum motus & quietis, contra Democriticos, cuncta violenter moventes. Natura autem Aristot. in 5. Metaph. & 2. Phys. est materia vel forma. Ergo Cœlum movetur naturaliter illi a propria forma intrinseca, non a separato motore. Nec materia præstat naturalitatem motui, quippe cui non magis naturale est moveri, quam quiescere: nec moveatur ab anima, ut secunda pars inductionis ab eo factæ in 8. Phys. suadet, insidente, ut nauta navi. Cum tamen in lib. de anima velit esse formam intrinsecam corporis, non separatum motorem, contra Platonem. Sed ait, negatque prout præsenti commodum est positioni, Cœlum præterea cum Organicum Aristoteli non sit, ab anima, quam definit actum corporis organici, moveri non poterit. Similiter tertia Inductionis pars, qua gravia & levia non a seipsis, sed a generante moveri dicit, stultissima est: potuisset enim sibi etiam animal sic moveri: at si generans mortuum est, quomodo movebit? Præterea genitum a suo generante separatum, nequaquam ab ipso moveri valent, non tangente, etiamsi vivat. Nempe non distinguunt Peripatetici inter actum & actionem, motum & mutationem. Ignis enim manifeste movet seipsum a se, & non a generante mortuo; & calor ignis movet materiam ignis dum movet seipsum; & quia ejus motus non est passio, sed actus innatus, non requirit motorem externum, veluti ædificium ædificatorem, & Discipulus Doctorem, ut stulte Arist. argumentatur. Campan. Lib. 8. Met. cap. 5. art. 2.

Hunc in scopulum impingunt Democratici, qui negant substantias immediate operativas, sed volunta solo Deo immediate moveri non secus ac sagittam a Jaculatore. Vbi enim manet cooperatio creaturæ cum Causa prima, si hæc sola movet? ubi libertas? Vide Camp. L. 9. c. 6. art. 4.

XXVIII. II. *Potentia est ad esse, & ad non esse.* Arist. 9. Metaph. Nam, inquit, quod potest esse, contingit non esse, & contingit esse. Nam si non contingit non esse, necesse est esse per æquipollentiam, & si necesse est esse, impossibile est non esse, sed ad possibile esse non sequitur impossibile non esse, quoniam ea erat ratio possibilis, ut ad ipsum non sequatur impossibile. Negatur enim assumptum manifeste falsum. Potentia enim est ad esse. Impotentia vero ad non-esse. Et hoc patet, quia dicimus lapidem non posse videre; oculatum vero animal posse videre. Ratio est, quia habet esse animal ipsius visionis in potentia visiva. Lapis vero habet non esse visionis in Impotentia visiva. Et cum ait: *quod potest, contingit non esse.* Negamus hoc axioma fallax. Non enim eo quod potest esse aliquid, potest & non esse, aut contingit non esse. Et cum subdit. Nam si potens esse non contingit non esse, ergo necesse est esse, ergo impossibile non esse: totum est verum ex ea parte, qua potest esse, & exemplo suo probatur. Petrus enim potest sedere, & quatenus potest sedere, non potest non posse sedere, ergo necesse est sedere secundum potentiam quam habet ad sedere. Igitur si contingit ipsum non sedere, hoc non advenit ab ea potentia, qua potest sedere, sed ab alia, vel ab exteriori impedimento, quo cogitur non posse sedere; vel a voluntate non sedendi, quæ facit impotentiam sedendi. Vide Campan. Lib. 6. c. 6. art. 4. ubi profundissime hoc explanat. De libero etiam arbitrio, subjungit: quod ejus potestas data a Deo est homini ad bonum & esse, non autem ad malum & non esse, seu peccare, quod est deficere, non efficere. Vnde S. Anselmus dicit, liberum arbitrium posse peccare quatenus est ex nihilo, non quatenus ex ente, ergo ex impotentia, non ex potentia. Et S. Justinus in q. 9. ad Orthodoxos ait: Accepimus a Deo faciendi, & non faciendi potestatem: faciendi, inquam, justa: non faciendi injusta. &c. Vnde liquet potentiam esse solum ad bonum, & impotentiam ad malam. Nam & a potentia est non facere malum.

XXIX. III. *Sensibile positum supra sensum non sentiri* ajunt Peripatetici; sed contrarium omnino verum est. Neque enim odor neque sapor, neque sonus, neque calor, nisi intrinsecus recipiantur, sentiuntur. Cum vero a longe in nos agunt, ab aere deferuntur, si aerem afficere potentes sunt. Palam enim ignis calefacit nos non tactu modo immediate, sed per intermedium quoque aerem calorem effundendo; magis tamen cum sine medio tangitur.

Sed quidem Visus decepit eos, propterea quod colorem non videmus oculo superpositum, & ratio deceptionis est, quia putant colorem & colorata Objectum visus esse, quod tamen non est. Objectum enim est, quod per se ait in potentiam & per ipsum alia, & ipsum

ipsum non per alind. Cum ergo lux per se visibilis sit, & omnia videri faciat, & ipsa ab aliis non fiat visibilis, palam quia objectum est verum, primum, universaleque visus. Quando igitur hanc aspicio chartam, oporter illam distare ab oculo, ut possit ex ea lux in oculum resilire: nam lux tincta charteo colore insilit in oculum, movetque spiritum ad coloris notionem & per consequens & colorati. Si autem chartam oculis superponas, lux non potest in chartam insilire intermedia, idcirco non videtur. At ipsa lux oculis superposita magis videtur, quam remota, licet ob sui robur oculum destruat: sicut & ignis magis sentitur, dum tangitur immediate, quam per aerem, licet destruat suo robore tactionis organum; & vitrum & aqua natantis oculum tangentes, quoniam transpicua sunt, & lucem intermediare non impediunt, bene videntur. Ergo objectum proprium, nisi tangat, non sentitur. Color ergo non solum debet resilire a colorato, sed ingredi oculum, ut patet. Nam in pupilla cernitur color Petri & simul figura colorata, sed non nisi per lucem intrantem delata: sic in speculo non recipitur imago, nisi in tanta distantia quanta opus est, ut lux imagine tingatur, & ab imaginato resiliat, & in speculo sic tincta recipiatur, unde ad nostrum oculum, ut ad secundum speculum reflectitur. Patet autem quod lux speculo proxima plus splendet in eo quam remota; ac proinde si speculum videndi sensu polleret, diceret, sensile approximatum sentiri magis. Et qui per Telescopium sidera aspiciunt vitrum corneæ tunicæ superponendo, sententiam Peripateticorum vanam ostendunt. De sonis vero & saporibus id ipsum est manifestum, quoniam objecta sunt per se propria dictorum sensuum.

XXX. IV. Indivisibile seu atomum additum indivisibili non facere quantum, falso asserit Aristot. Ex duobus enim fit unum majus, quam ex uno; & quidem non se possunt tangere partibus quantitativis (quæ enim atoma sunt, totalitate & partibus carent quantitativis) tangunt tamen sese situalibus & respectivis: idem enim atomum respicit hinc ad Orientem, illinc ad Occidentem, & respectus infinitos habet undique; ita ut undique illi posit fieri aggregatio. Patet quidem hoc in puncto centrali ex quo ad peripheriam infinitæ undique ducuntur lineæ.

XXXI. V. Omnis distinctio, quæ occurrit in rebus, vel est realis, hoc est, ante opus mentis, vel rationis, h. e. per opus mentis. Hanc positionem inter palmares Peripatus errores numero primum collocat P. Aloysius Kimmet in suo CribroDogmatico. Vide sup. Tract. XXI. Sect. 1. subsect. 2. quæ omnia stabiliunt distinctionem mediam Scoti, formalem ex natura rei.

Omissis multis aliis hujusce modi pseudo-maximis, unicum placuit hic subjicere Theologicum valde Notabile.

XXXII. VI. *Homini facienti quod in se est, h. e. ut moto a gratia Dei, Deus non deerit.* Hoc axioma involvit contradictionem in adjecto. Gratia enim dat meritum actui, non substantiam & esse, hæc enim a libero arbitrio se determinante est, ut docet D. Thom. in 2. Dist. 5. q. 2. art. 1. & D. 25. q. 1. art. 1. ad 3. Tollenda ergo illa clausula, *ut moto a Dei gratia*, sed simpliciter & absolute loquendo verum est, quod homini facienti quod in se est, hoc est ex viribus naturæ, & juxta dictamen rectæ rationis præparanti se ad gratiam, detestando & devitando peccatum mortale, Deus non denegabit Gratiam; non quidem ex obligatione absoluta, & vi meriti talium operum mere naturalium, sed ex pacto sive liberalissima promissione sua *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Isaiæ 21. v. 12. Quoniam Deus, ait S. Doct jubet omnibus facere, quod in se est, & sese præparare ad gratiam. Mandata autem ejus gravia non sunt teste Apostolo Joanne; nec impossibilia, ut dicitur in Conc. Trident. Ergo vel omnes possumus, vel omnibus dat posse cum jubet, sicut idem Concilium docuit, & S. Leo dicens, *juste instat præcepto, quia prævenit auxilio.* Ergo, inquam, vel generali, vel speciali, dummodo sufficiat de facto, nedum de possibili. Alioquin esset injustus Deus, ut concludit Augustinus, Leo, Thomas & alii.

Nec Concil. Trident. ut quidam putant, aliter sapit, cum & ad gratiam præparari hominem posse, & oblatam respuere docuerit in sess. 6. & impetrare non datam. Vnde cum de Matrimonio loquitur contra Luther. dicentem cœlibatum esse Clericis impossibilem si non habent gratiam specialem; ait sess. 24. c. 9 quod si non habent, debent orare, quoniam dabit ipsam Deus, quæ responsio Concilii esset nulla nisi possent ex naturalibus se præparare licet remota præparatione acceptabili a Deo, quia promisit ut bonus, non quia dat ut justus.

Iterum D. Thomas in 1. Sent. dist. 48. q. 1. art. 3. o. dicit: "Ad aliquid tenemur directe, quia scilicet pet„ se est in potestate nostra, & sic tenemur ad conformi„ tatem, qua voluntas, id quod congruit nos velle, & se„ cundum rectum finem vult, quia in utrumque isto„ rum per naturalia nostra possumus. Ad aliquid ve„ ro tenemur indirecte, sicut ad habendam gratiam, „ quod secundum se non est in potestate nostra, sed in„ potestate nostra est facere aliquid, quo facto habebi„ mus gratiam. Et sic tenemur etiam ad illam confor„ mitatem, quæ est secundum formam charitatis."

Vbi sane potentiam recte operandi dat homini per se & directe ex naturalibus, & sic bene operari est per se in præcepto, non enim potest præcipi quod non possumus. Præcipitur autem nobis operari juste ex Dei charitate, sed hoc possumus indirecte quatenus constituit Deus facienti quod in se est, adjungere gratiam & charitatem. Ergo possumus indirecte etiam habere gratiam. Et propterea Conc. Trid. ait, quod tenemur facere quod possumus, & petere quod non possumus.

Item ostendit satis superque in 3. contra gentes c. 159. ubi non solum facienti quod in se est, sed etiam non repugnanti contrarie gratiam docuit. Et hoc nos posse probavit ibi & in aliis locis, quæ vide apud Campan. De prædest. &c. c 13. art. 1.

Præterea in 2. sent. Dist. 29. q. 2. a. 1. probat naturale esse homini secundum intellectum & voluntatem ferri in bonum. Prupendere tamen in malum, quod apparet bonum ex sensualitatis incentivo impediente non autem cogente accidit &c. Vnde concludit omnes homines posse bene operari, ac proinde præparari ad gratiam, absque auxilio supernaturali.

XXXIII. Maneat ergo inconcussa in omnibus codicibus D. Thomæ tanquam Dignitas, seu Maxima Theologica, quod Deus insallibiliter cunctis sese ex auxilio generali per vires liberi arbitrii præparantibus, dum faciunt quod in se est, dat gratiam gratum faci-

facientem, alioquin falus deficeret ex defectu Dei non nostri, contra Eccl. 15. *Non dicas per Deum abest* &c. Ar cum hac differentia, quod facienti quod in se est ex viribus liberi arbitrii, Deus dat gratiam necessario, necessitate bonitatis & promissionis, non autem justitiæ & obligationis: sed facienti quod in se est ex viribus naturæ, & motione supernaturali, etiam sola, datur gratia de justitia, etiam infallibiliter.

Sed de his satis, ne mittere videamur falcem in messem alienam Theologorum.

TRACTATUS XXXV
DE
METEORIS.

I. INstrumenta, quibus utitur Natura in causandis Meteoris, vulgo ad duo capita referuntur, nempe Vapores & Exhalationes. Exhalationes, quæ ex aqua prodeunt, vapores; quæ ex terra & succis oleaginosis, fumi seu specifice exhalationes nominantur: his addi potest tertium genus, quod e succis acrioribus exhalat, & spiritus vocantur. Vaporum particulæ a corporibus facile separantur, & in guttulas aquæ coeunt; sive sint longæ & lubricæ, sive aliam nactæ sint figuram. Fumi & exhalationes vi caloris æquius attolluntur: quod forte partes habeant ramosas, & alias aliis implexas; sunt tamen molliores quam spirituum particulæ, quæ instar cuspidum plerumque duræ sunt & acutæ.

Hinc plus nocet valetudini exhalatio spirituosa quam vapor, quod illa particulis terrestribus, & acrioribus abundet. Vnde morbi innumerabiles ex halitu venenato propagantur. Cumque e succis mineralibus illi erumpunt fumi, majorem edunt stragem: nam corpusculis acrioribus quasi morborum seminariis & ideis fœti, sanguinis massam & spiritus vitales inficiunt. Vnde venenatus aer e subterraneis locis multus exhalat; ut in agro Puteolano est lacus, qui fumos emittit sulphureos avibus ipsis perniciosos. Sic multis in Campania locis ex antris subterraneis fumi sulphurei aut bituminosi exhalant, tum mortiferi, tum salutares.

II. Si quæras unde tanta halituum vis, quæ causa illos excitet, aut sursum emittat? Resp. Cum Terraqueus seu Geocosmus innumeris, præter receptacula, quæ Pyrophylacia, Hydrophylacia, Aerophylacia dicimus, etiam cryptis, antris, spatiisque in immensum exporrectis refertus, meatibus deinde cuniculis, Typhonibus, rimis fissurisque pertusus sit, in quibus perenni legum constitutione dominantur vapor & exhalatio, quorum ille ab aquis, hæc ab ignibus originem trahit: hinc omnium Meteororum abundans materia subministratur. Motus autem celeritas, undecunque accidat, plurimum auget vires effluviorum aut halituum; sicut in pulvere pyrio, in auro fulminante, & in fulmine ipso videre est.

III. Illud quoque notandum Halitus quantumvis subtiles propriam naturam non exuere, ut in peculiari tractatu fuse demonstrat D. Boyle: idque vapores ex aqua, & ex hydrargyro sublati ostendunt. Hinc qui Mercurium sæpius tractant, ut qui inaurandis metallis, aut chymicis operibus dant operam, aurum plerumque ore teocnt inclusum, cui Mercurii fumi sæpe adhærescunt. Idipsum ex sulphure sublimato in vasis occlusis liquet: nam fumi in flores, hoc est in sulphur redeunt. Sic e vegetabilibus distillati liquores, corporum ex quibus prodierunt, sapores plerumque retinent, idque fit luculentius in ipsis odoribus, qui tam longe lateque diffunduntur. Vt nihil dicam de contagiosis effluviis, quæ tot strages edunt; nihil de atramento Sympathetico, & innumeris experimentis, quibus planum fit magnam esse vim in effluviis, quæ non solum e locis subterraneis, sed etiam ex aliis corporibus emanant: horum vires integræ perstant, licet pene in atomos sint concisa. Agemus autem breviter 1. subterraneis, dein de sublimioribus Meteoris.

SECTIO I.
De Meteorologicis subterraneis.

IV. Et primo quidem subterraneas dari pluvias, nullum est dubium: sicut enim in Alembico elevati vapores, & frigore condensati resolvuntur in aquam & guttatim decidunt, ita quoque in subterraneis cryptis idem contingere: unde & fontium causam eam assignavit Arist. licet partialis tantum sit, non universalis.

2. nec dubium esse debet, quin nix & grando in iisdem antris subterraneis generentur. Si enim vapor in cryptas frigidas nitrosis spiritibus refertus inciderit, spumosa vaporis substantia, antequam in aquam vertatur, ambientis aeris frigore in niveos floccos contrahitur: si vero in guttosam aquæ substantiam resolutus fuerit, vehemente superveniente frigido vento, tum etiam in grandinem glaciemque eam condensari necesse est. Sic testatur R. P. Kircherus se vidisse in Monte Soraoo cryptam veluti glacie incrustatam, ingentibus in fornice hinc inde stiriis dependentibus, e quibus vicini montis accolæ pocula æstivo tempore conficiunt, aquæ vinoque, quæ ex iis infunduntur & propinantur, refrigerandis aptissima, extremo frigore in summas bibentium delitias commutato.

3. De Ventis subterraneis res æque manifesta est, ex plurimis montibus cryptisque æolus eorum exitus obturari nisum fit. Quorum quidem Ventorum multiplex est origo. 1. Spiritus salnitrosi vi ignis rarefacti, qui dum angustia locorum meatuumque pulsi premuntur, dum cavernas vastiores jam majori libertate prædiri subeunt, inclusus speluncis aer irruentium spirituum vehementia excitatus, dum non nisi per angustissimos meatus exitum reperit, inde sese una cum spiritu maxima cum rabie evolvit. 2. Ventorum subterraneorum causa sunt Catadupæ fluminum subterraneorum, quæ ubi per scopulosa præruptaque loca sese præcipitaverint; mox intra catarractæ cavernosum tractum ingentem lapsu ventum efficiunt suo, qui deinde per meatus abditos & montium spiracula evolutus miras strages edit. 3. Causa esse potest liquefactarum in montibus nivium, quarum resolutæ aquæ concava montium penetrantes, lapsu suo ingentes ventos subinde intra montium viscera causant: quæ quidem non differt ab ea, quæ fit in Catadupis subterraneis flumi-

fluminum, nisi quod hæ perennes, illæ certis in anni temporibus sæviunt.

4. Tonitrua præcedere Terræ motus testes sunt accolæ Montium ignivomorum, qui eructationum horribilium & terræ motuum prodromos experiuntur mugitus illos horrisonos intra terræ viscera, qui tum ex varia spirituum tumultuantium illisione, tum reciproca balituum effervescentium colluctatione oriuntur.

5. Ex his quoque paret, Exhalationes cum in cryptis subterraneis sulphure, nitro, carbonibus similibusque combustibilis materiæ fomitibus confertis accendantur, horrenda quoque fulmina, & multo truculentiora frequentioraque aereis fabricari: exhalationes quippe aereæ omnem fulminum procreandorum materiam non aliunde habere vulgo creduntur, quam a subterraneis halitibus, extra Terram una cum vapore in sublime elatis, ibidemque in fulmen elaboratis: ubicunque enim eædem causæ concurrunt, ibi eosdem effectus produci necesse. Eandem ob causam neque subterraneis antris fulgura & corruscationes deesse, ipse solus novit, qui causas singulorum percepérit.

Fulmina itaque in subterraneis territoriis tanta abundantia nasci, ut ea gurgustia illa incapacia subinde foras quoque protrudant, & nonnulli montes id luculenter docent, qualis Mons Tola in Mauricus Insulis, de quo vide Horat. Tursellinum in vita S. Franc. Xaverii.

6. Plures sunt terræ motuum species, aut diversi potius effectus. Cum enim exhalatio accensa, ut fit in cuniculis, antri interioris fornicem sursum ejaculatur, adeo ut instar arteriæ alternis erigatur ac subsidat, tum *pulsus* ab Arist. nominatur. Cum autem latera illius cavernæ, quæ spiritum velut captivum retinet, alternatim & subsultim vibrantur, *tremor* est, qui inclinata cito restituit. Sed ubi non ita libratur hinc atque inde terra, ut loco suo celerius reddatur, inclinatio est ædificiis perniciosa: nam parietes & tecta extra perpendiculum suspensa collabuntur. Inclinatio longe est periculosior, cum terra nutat navigii more; nisi enim motus ex altera parte inclinata restituat, ruina sequitur. Cum cavernæ intus sunt ampliores, tum aliquando urbes integræ absorbentur, nullo sui vestigio relicto. Interdum accidit ut spiritus in vorticem actus terræ loca commutet, quod ultimo Neronis anno contigisse Plinius refert.

7. De Thermis quæritur unde tantus illis obveniat calor? Cum hoc argumentum olim in Academia Regia tractaretur, pluribus ostendit D. du Clos hunc calorem non ab igne subterraneo, qui tamen diu vigere citra aerem non posset, sed ex vapore calido proficisci. Hinc thermarum aqua igni admota non facilius ebullit quam aqua frigida. Quin & linguam non sic adurit aqua thermarum, atque aqua communis, quæ ex igne eundem caloris gradum nacta est: quod hujus caloris subjectum sit tenuis vapor, qui non tam alte linguæ aut oris partes penetrat. Sic teneriores herbas, ut acetosam non emollit aut coquit eadem facilitate atque aqua communis, cui idem caloris gradus insit. Hinc sæpe thermæ calidiores sunt nocte quam die, quod ii vapores externo aeris frigore coerceantur, & aeri expositi diutius calorem suom tueantur quam aqua igni admota. Ac plerumque hæ aquæ sunt minerales: Unde illud non abhorret a vero fumos e sulphureis mineralibus sublatos hunc aquæ calorem impertiri. Sic prope Aquisgranom, ubi plerique fontes calidi & purei occurrunt, sulphuris & lapidis calaminaris multæ sunt fodinæ. Nec mirum si diutius calorem suum tueantur, cum aeri non exponantur; nam quasi vasis occlusis continentur. Intensum vero calorem pleraque mineralia simul mixta procreant. Sic antimonium cum sublimato contusum impense calet; si floribus sulphuris & limaturæ chalybis aquam frigidam affuderis, magnum calorem excitabis. Aquisgrani & in puteis vicinis ova intra aliquot minuta coquuntur. Secus accidit in thermis Borboniis, ubi herbæ teneriores virorem suum tuentur.

8. De Aquis mineralibus quæritur, unde tantæ illis vires? hoc autem nomine donantur, quæ ex admixtione mineralium insignem habent qualitatem, quod solidas & fixas fossilium particulas contineant, ut fontes sale, vitriolo, alumine imprægnati. Idque vix credibile est aquas esse in terræ visceribus adeo acres, ut metallorum particulas dissolvant instar aquæ fortis; nisi forte aqua jam vitriolo, aut alio sale armata metallorum velut atomos decerpat. Verum id raro accidit.

Resp. Prima metallorum exordia, quæ vaporum specie lapidibus adhærescunt, cum aquæ vaporibos aut rivulis etiam in terra manantibus misceri posse; cumque prima metalli rudimenta sint molliora ea qooque possunt ab aqua præterfluente decerpi. Sed mineralia imperfecta, ut sulphur, vitriolum carbones fossiles, in fumos persæpe resoluta aquam imprægnate solent.

Hinc aquæ minerales aliæ sunt acidæ, quædam amaræ, quædam salsæ, aliquæ oleosæ & pingues. Acidulæ passim occurrunt, ac teste Varenio, in sola Germania ad oumerum millenarium accedunt. Quædam adeo sunt acidæ ut iis utantur homines aceti loco, ut in Sicilia fons qui est in Nicana Provincia. Alii fontes vinosam habent aciditatem ut in agro Lugdunensi ad oppidum S Baldomari, ait idem Varenius, & alibi passim. Alii sunt adstringentes, quod alumine aut vitriolo, aut ferri etiam particulis impinguentur: & ubique fereprope illos fontes acidulos reperiuntur fodinæ, aut vitrioli, aut aluminis, aut salis. Cum ferrum aut vitriolum aquam imprægnat, colorem ex rubro in atrum colorem degenerante gallæ infusione induit. Plura vide in Phil. Reg. Burgund. tom. 5.

SECTIO II.

De Meteorologicis impressionibus quæ in sublimi nascuntur.

V. Peripatetici & cum iis Thom. Campanella opinantur Terram esse Elementum natura sua frigidum & siccum: aerem humidum & calidum. Unde juxta hanc sententiam causa frigiditatis, quam in hyeme sentimus provenire a Terra (quam Campanella contendit frigidissimam) quam Solis calor inæqualiter intensus noo eodem modo posset superare, in hyeme vero quasi ex toto ab illa separetur.

Verum cum nec Terra nec Aer, nec aqua sint Elementa pura, sed corpora Elementata, & aeri insit quid Terræ analogum, & ipsi terræ aeris & aquæ Elementum. Oporteret quoque Terram, quo magis recedit a Solis radiis, eo magis frigidam sentiri: & profundis-

Mercurii frigiditas fit manifesta. Separari vero contingit per resolurionem Mixti: tum enim ex uno fiunt plura, idque mediante putrefactione, per calorem quendam debilem, & non naturalem, maturationi contrarium. Vti manifestum in operationibus chymicis. Vt enim distillatio fiat, necesse prius fermentationem fieri, per quam divortium fit inter partes essentiales. Atque tum omnium primo natura mercurialis ab aliis segregatur.

Ita ergo in Aere contingit; quem Sol radiis magis rectis tota æstare percoxit, ubi illius digressu & ob radios magis oblique iocidentes in athmosphæram, calor sensim remittere cœpit: idque magis in locis polo vicinis ob radios maxime obliquos; tum quidem defectu caloris reincrudatio fit aeris, & pro ratione Mercurii erumpentis frigora intenduntur.

Simile quid accidit in febrium paroxismis: nam erumpente spiritu mercuriali e materia per putredioem resoluta, illius frigiditate nimia corpus universum efficitur ita gelidum, ut mulus tegumentis, & ope caloris externi recalefieri nequeat, quousque alterum principium igneum, hoc est sulphur a mixto resolutum & succensum, calido innato non aliter quam igni oleum se iofuderit. Ejusmodi autem frigora & rigores, si in febribus continuis fiant, periculo noo vacant, siquidem ipsam corporis substantiam liquari & resolvi docent. Ita quidem stati, & qui ordinario modo fiunt aeris paroxismi se habent: at vero quod hyems in æstatem, hæc vero in hyemem mutetur, non jam ad easdem causas referri debet; uti supra declaravimus: ita enim Ethesiæ a locis frigidis & nivosis spirantes æstatis fervorem temperant: & quæ zonæ torridæ substant regiones, suam temperiem sortiuntur a flatibus marinis. Vti econtrario qui e locis aridis & sabulosis perflant, cujusmodi in Caramania & Arabiæ desertis, suffocationem adducunt: rapit enim secum vis spiritus uti aerem, ita ea quæ aeri misceri solent, cujusmodi pulvis & humor: unde etiam lintea madida vento exposita velocius quam a sole siccantur. Plura de Calore & frigiditate vide in Tract. 39. Quia vero ad aeris salubritatem non parum faciunt imbres, venti ac reliquæ tempestates, a quibus causis hæc fiaot, & quædam aliæ meteorologicæ impressiones, paucis considerabimus, non quæ certis experimentis & demonstrationibus muniuntur, sed quæ nobis vero propiora videotur prosereodo. Ac primo quidem

DE PLUVIA.

IX. Pluviam fieri ex nube in aquam resoluta, & guttatim decideote; nubem vero colligi ex ejusdem aquæ vaporibus vi caloris in sublime attractis, eo prorsus modo, quo in distillatione per artem fieri videmus, communis est opinio.

Verum licet demus ex omnibus locis & corporibus humidis specie vaporis non parum exhalare & aeri permisceri; posse tamen ex solis merisque vaporibus ita attractis colligi tantos imbres, quibus immensa flumina, cujusmodi Nilus, impleotur lateque stagnant, prorsus ἄλογον. Quin magnam hæsitationem adducit ipsa plovia saporis omnis & odoris expers, quod minime fieret, si e vaporibus coaluisset. De Nilo quidem, ejusque fumri incrementi experimento hæc affert Prosper Alpinus Lib. 1. de Medic. Ægypt. cap. 8. “Mense, inquit, Junio ante Solis ad Tropicum accessum multis diebus Ægyptii terram ipsius fluminis toto anno asservatam & siccatam arefactamque accipiunt, quam lance expendunt; faciuntque ut ponderum numerus addentes ac subtrahentes drachmis sedulo respondear, quam in loco sicco undique concluso reponunr & conservaot; quotidieque librantes ipsam observant nihil auctam, nihilque minutam pondere esse usque ad diem VI. mensis Junii, in quo die auctam ipso pondere inveniuot: ex cujus pondere multum vel parum aucto, multum vel parum illud flumen auctum iri cognoscunt; a diligentique præaucti illius ponderis notitia, quotis etiam cubitis ipsum sit augendum certo præsciunt. Quod experimentum nulla ratione ad vapores videtur referendum; sed quia Archeus pluvius, qui aeri præstat densitatem, quo in pluvias imbresque resolvatur, idem quoque illius terræ pondus incipit augere. Cum enim aquæ ejusdem sit sedimentum, hinc sympathia & communes affectiones ob radicem unius essentiæ nascuntur.

Præterea cum claro ac sudo cælo, ut inquit Wendelinus, repente exspirat ex miravalle tenue filamentum veluti de camino exurgentis fumi; mox tempestas desævit fulmine, tonitru, grandine, pluvia. Quod idem cootingit additus Monomotapæ: ubi nebula exigua e mari consurgit, quam oculum bovis oppellant. Neque minus mirum quod refert Petrii Ceiza Leon Lib. 1. hist. Peruanæ cap 3. “Insula, inquit, Gorgona dicta est sublimis; in qua nunquam cessat pluere & tonare, ita ut videantur ipsa Elemeota inter se confligere. Continet in circuitu leucas duas, plena montibus & torreotibus aquæ bonæ atque dulcis. In arboribus multi conspiciuntur pavones, phasiani & cercophiteci variarum colorum, ingentes quoque serpentes, atque aliæ aves oocturnæ.„ Frustra hic quoque ad nescio quos vapores temere assurgentes recurremus. Sunt eoim hi fructus aerei, noo minus quam terræ nascentia: quæ nemo fortuito, verum ex seminio nasci opinabitur. Necesse ergo aeri quoque inesse rationes seminales, quæ in hujusmodi fructus maturescant: ab exspiratione vero terreo ceu fermento ad operationem incitentur; ab hujusmodi enim illicibus, cœlestes influxus trahi vetustissimi Philosophi testantur. Nugæ ergo sunt quæ de fuga calidarum & terrearum exhalationum a frigidis & aqueis somniant: omnes enim vapores a calore igneo rarefacti suspenduntur; a frigore vero rursum condensantur; neque minus terrei quam aquei nativam densitatem recuperare cupiunt. Semen ergo cœleste ipsum sibi uterum fabricat, prout fœtus secundinas: in quo pluviæ, venti atque fulmina concipiuotur, atque inde accensa effulminant.

Est igitur materia proxima pluviæ, aer humidus terræ circumfusus, quem athmosphæram vocamus, qui talis a conditore est effectus, ut enim alia, quæ in eo degunt; respirare valeant. Sed & reliquos planetas, potissimum vero lunam, habere ejusmodi corpus reliquo aere densius sibi circumfusum, accuratiores observationes testantur. Quæ quidem opinio in hoe differt a communi, quod vapores calore sursum evecti, ubi calor eorundem vectur destituit, deorsum labuntur; prout in vasis destillatoriis accidere videmus. Vnde nisi a ventis dissipentur, rorem subsidere contingit; idque potissimum ante Solis ortum, quando radiis solaribus superior athmosphæra incipit laxari:

tum

tum siquidem necesse aerem inferiorem constringi & densari: cujus indicium frigus magis intensum, a quo etiam cogi incipiunt guttæ roridæ, formaque chrystallina e foliis dependere. Quod si ergo caosæ pluviæ concurrant, fieri potest, ut hujusmodi vapores, qui aerem obtinent, eandem augeant. At pluvia seu nix ex his solis esse non potest. Nam frigidissimo tempore pauci vapores in aerem evehuntur; magna tamen vis nivium tunc cadit. Sed neque ea loca, in quibus aquæ abundant, & a quibus vapores magis copiosi exhalant pro ratione hujus pluviæ fiunt. Neque enim in Ægypto pluit; in aliis locis pluviæ sunt statæ, certaque lege provenientes. Vnde necesse ad causas certas & stabiles referri. Quia nimirum in aeris chao illarum semina, non minus quam vegetabilium in terra delitescunt. Sicut ergo non omnis fert omnia tellus: ita quoque aer suas habet regiones natura a se differentes, in quibus hi fructus aerei nascuntur, licet illorum principia a nullo sensu percipiantur.

An non idem fit in aqua palustri? quæ quantumvis a sensu æstimetur simplex ac prorsus homogenea ob pellucidam naturam visum undique admittens: Vere tamen novo varia insecta & corpora heterogeoea deteguntur, & quandoque tota vireotibus herbis ex se enatis vestitur. Habet ergo hie aer sicuti pluviæ, ita nivium, grandinis, ventorum & procellarum ideas a naturæ Authore Deo sibi inditas; quæ suis quæque locis & temporibus maruritatem consequuntur, juxta illud script. Qui profert ventos de thesauris suis, & iterum: ignis, grando, nix, glacies & spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus, jubentur laudare Dominum. Quid vero aliud hoc verbum, quam idea operis faciendi a Deo impressa? ergo juxta hujus ideæ rationem magna est varietas pluviarum. Et licet materia, ex qua pluvia fit, nullibi desit; non tamen ubique, neque eodem tempore pluit; sed pro idearum, quæ tum in aere commoventur, ratione, a quibus illa quoque vicissitudo mitanda hyemis & æstatis procedit in India Orientali, inter utrumque latus Montis Balagate. Sed

X. Quæres, qua ratione ejusmodi Ideæ aereæ stabiliri possunt in aere natura sua mobili? qui ex uno loco in alium continuo pelli, suasque ideas secum trahere consuevit. Resp. Atmosphæram esse veluti terræ appendicem; hujusque ideam ex illa evolutam Habet ergo se hæc idea ad fructus aereos, prout radius solis ad aquam fluentem, continua radiatione partes sibi succedentes, non aliter quàm si immotæ manerent, afficiens. Licet ergo Ager Goæ imminens ad partes orientales movetur; nequaquam tamen ideæ pluviales eundem comitaotur, verum in aere qui successit, maoent. At

Instabis. 1. Aer universus, qui atmosphæram constituit, materiam continet generationis pluviæ idoneam; si ergo hujus semina in eo fixa manent, quid causæ quod non omni rempore fructus ferat? 2. Si aer hie humidus contiouo resolvitur in pluvias, neque aliunde humiditas aquæ succedit, necesse a tot sæculis continuata pluviarum effusione materiam deficere materiam pluviæ gignendæ.

Pro responsione ad I. Nota: Sicuti ventorum ita pluviæ, aliarumque tempestatum causas in cœlo contineri: esseque stellas alias ploviæ, alias ventorum causas & opifices; atque etiam ex his longe ante posse prædici. 2. pluviam, ventos & tempestates quandoque independenter a Cœlo fieri. Quod manifestum in Insula Gorgonis, in qua continuo pluit tonatque. Quin etiam specus subterranei esse feruntur, e quibus omni rempore, si lapillum injicias, tempestates cientur. An ergo eadem vis nubicoga & fulminatrix in specubus & stellis? Handquaquam: verum ex illis locis subterraneis & lacubus aeri miscentur halitus, qui instar fermenti ipsum a natura sua abducunt, non qualitate aliqua manifesta, quæ enim hæc esset? verum ideali ratione. A stellis vero nihil exspirat aut segregatur substantiale quod aeri misceatur: verum mediante lumine hæ mutationes fiunt, ita nim. ut in iis locis, quibus dictæ stellæ fiunt ortivæ incipiant. Non quod ipsum lumen stellæ proxime efficiat hane in aere mutationem, sed quod ejusdem uterum disponat, quo idea imaginationi stellæ cognata, a qua tempestates proxime cientur, resultet. Qua ratione autem hæc fiant ex dicendis magis elucescet.

De coruscatione, tonitru & fulmine.

XI. Opinio vulgo recepta est, materiam fulminis esse exhalationem calidam & siccam, vi caloris a terra in nubem sublatam, quæ accensa coruscationem; & si e nube majori vi erumpat, fulmen: sin minus virium habeat, fulgur parit. Est autem coruscatio ejusdem luminis ab exhalatione accensa tremula quædam vibratio (Germ. das Wetterleuchten.) A quo vero hæc exhalatio accendatur, & imperum habeat ut deorsum feratur, hæreot. Aliqui cum Seneca opinantur, ignem cum exhalatione una ascendere; neque mirum videri in humore tenui nubium posse contineri, cum etiam e mari ignes erumpant. Alii vero per antiperistasin in nube frigida eundem suscitari volunt, quia nim. nube illa se constringente multæ particulæ igneæ halitus dispersæ recolliguntur, seque mutuo atterentes incalescunt, formamque ignis demum recipiunt. Tonitru demum seu fragorem illum horrendum fieri a nube dirupta ob erumpentem exhalationem in ignem eonversam.

XII. Verum si accuratius ea, quæ circa fulminis naturam fiunt, expendamus, non posse resolvi in jam dicta principia, erit manifestum. In considerationem autem hic veniunt materia, ejus accensio seu flamma, sonitus & effectus. Materia fulminis dicitur exhalatio calida & sicca de narura sulphuris & bituminis vi caloris in eam regionem evecta, unde fulminare contingit. Tametsi ergo demus halitus inflammabiles in eam sublimitatem posse attolli, cui experimenta chymica reclamant: quia tamen hujus quantitas est exigua, si ad vapores aqueos comparetur, qui ejusdem caloris vi sursum tendunt, seque mutuo involvunt: unde non nisi ex nube aquea fulmina erumpunt: & ubi, inquit Fromundus, fulmen est sine pluvia, tum ictus sunt languidiores, & tardius tonitrua sequontur coruscationes, qua quæso ratione ignis in mediis aquis conservari aut succendi potest?

Respondent particulas inclusi halitus se colligere, mutuoque attritu rarefieri, ita ut forma ignis iis debeatur. At principium hujus mutui incursus unde? siquidem vi caloris sorsum tendunt. Observatum quoque, ejusmodi nubem atram & tempestate fœtam incipientem jam tonare prorsus immotam stetisse: aeremque a ventis ita liberum, ut ne unum folium in arbore moveretur.

Deinde

Deinde si exhalatio ob rarefactionem summam efficitur ignis, ulterior rarefactio illi non debetur, ergo nec ob angustiam loci e nube erumpere, eaque eruptione violenta aerem discerpi continget, unde fragor iste horribilis, qualem fieri videmus in pulvere nitrato, qui succensus mox in majus spatium anhelans vi erumpit. Necesse vero ignem e nube erumpentem multo majori vi fieri, quam e tormento bellico: cujus indicium fragor atque impetus ex tanto intervallo multo major, potissimum vero in locis ad aquilonem, in quibus, ut refert Olaus cap. 6. formidabiliora sunt tonitrua, coruscationes ac fulmina; *montes enim a fulmine tangi marmoream duritiem superantes, eorumque ictibus formari tum pyramides, tum columnas, quæ non minori arte excisæ videntur, quam humano labore.* Præterea claritas flammæ, quæ fulguri cernitur inesse, non potest ab exhalatione terrena suscitari, utpote tenuissima multumque aquæ circa se habente. Accedit exhalationem ignitam ea ratione e nube erumpentem, quemadmodum e cylindro ignis pyrius erumpit, non nisi per lineam rectam ferri: quod ab igne fulminis est lunge alienum, cujus progressus est valde tortuosus. Reclamant demum effectus mirandi, quæ in naturam exhalationis eo modo succensæ minime resolvi possunt. Quid enim a lauro hunc impetum, cui rupes invictæ cedunt cohibere aut alio divertere queat? Durmientes quoque magis securos ferunt ab ictu fulminis: unde cuipiam fulmen pecuniam in crumena fuisse conflatam ipso illæso, quod etiam Mydridati parvulo evenit, cunis ejusdem flamma tactis. Neque alia causa dormienti securitatem præstare videtur, quam carentia metus, qui vigilantibus obversatur: consternatio siquidem illa cum imaginatione forti veluti magnes ferrum ad se trahit.

XIII. Videtur ergo motus fulminis non ex impulsu simplici, qui lineam rectam sequitur, fieri; verum in eo mixta esse principia ejusdem motus, unde modo hujus, modo illius vis præpollet. Quod quidem fit ob contrarietatem naturæ eidem inclusæ: non aliter quam si oleum carbo ignitus, a quo resilit fugitque, in fuga comitetur, continuo eidem plagæ instans. Quia enim motus motui supervenit, illam fugam magis magisque incitari necesse est. Ita ergo in substantia fulminis contrarietas inclusa, dum hæc ab illius impetu se subducit, & priusquam finiat motum, continuo alius impetus supervenit, ea incrementa motus in immensum augentur: quod exhalationi fumosæ e nube erumpenti eo modo quo pulvis pyrius erumpit, convenire minime potest. Licet enim in locum suæ rarefactioni debitum anhelet, non tamen ultra metam illius rarefactionis procedit. Quod manifestum in aere libero, ubi resistentia exigua vel nulla. Simili ergo modo exhalatio ignita in nube haud multo aere solidior, eandem cum nebula habens naturam, motum illum cum rarefactione igni debita terminabit.

Cum itaque ea, quæ a terra sublimantur, materiam ignitis meteoris præstare nequeant: reliquum est, ut in ipso aere eam contineri dicamus, ut hæ sint velut plantæ aereæ ex invisibili principio in eam speciem nascentes: quemadmodum in ipso æthere quandoque stellas de novo fuisse ortas constat, qualis in Cassiopea biennio fulsit anno 1572, magnitudine & claritate Veneri par. Nisi forte stellæ ejusmodi certis tantum temporibus nobis fiant visibiles, tametsi semper in firmamento steterint. Quidni ergo in aere hoc crasso, minusque simplici quam sit æther, multarum rerum seminia contineantur, quæ in suos ortus statis temporibus maturentur?

Et hæc quidem congruenter Chymicorum opinioni, si dicamus illam partem aeris, ex qua meteora segregantur, prius dissolvi in sua principia, Mercurium, Salem & Sulphur, atque his connexa 4. Elementa, sine quibus nulla fit mutatio. Ex hujus ergo dissolutione varia, pro ratione fermenti, enascuntur. Nam Mercurius in ventos & procellas abit; aut cum sale in pluvias liquescit. Sulphur meteora ignita producit: estque tardioris hoc, quam reliqua duo, segregationis: unde etiam minus frequentia, quæ ex illo ortum habent.

Et siquidem sulphur purum & defæcatum accendi contingat; fulgura & coruscationes fiunt absque tonitru: quod si mercurium permixtum habeat, quia hic ignem effugere festinat, ignis vero una cum sulphure illum sequuntur, ex vehementi aeris distractione fit fragor ille horrendus, quem tonitru appellant. Cujus exemplum affert Paracelsus c. 8. de Meteoris. *Sumite*, inquit, *terrenum sulphur, Sal nitrum mercurialeque; & hæc tria per artem in unum corpus redigite: ita pro modo terreno admirabilem impetum in natura terrena observabitis, qui tamen respectu firmamenti nihil est.*

XIV. Posse vero ex ipso aere simile quid Mercurio secerni, fidem faciunt quæ tradit Dion; sub Impetatore Severo pluviam argenteam Romæ in forum Augusti depluisse, qua nummi æreì obliti in diem quartum illum colorem retinebant. In Persia ferrum pluisse refert Avicenn. Alibi æs, quod etiam anno 18. sæculi 17. in Bohemia cœlitus fuisse delapsum refert D. Marci. Tametsi enim aer ad sensum simplex & homogeneus æstimetur: magna tamen partium varietas sub illa invisibili specie occultatur: eamque ratio & quandoque odoratus manifestat. Vnde non idem aer omnibus conducit; sicuti neque omnis fert omnia tellus; & non solum animalia, sed etiam plantæ in aerem diversum translatæ pereunt, neque in quovis servari possunt.

Quod si itaque mentis oculo hanc Atmosphæram, qualis in se est, intueri liceret, non minor varietas in ea cerneretur, quam in globulis vitreis, cum prope oculum luce implentur, plenum aereis figuris, & veluti stellis, quæ quandoque suos fructus visibiles producunt; suntq; aliæ fixæ & immobiles, aliæ vero erraticæ. Verisimileque illas phases, quæ stellas cadentes imitantur, non alia ratione fieri, quam quibusdam globis aereis inter nostrum visum & illam stellam, quæ loco moveri & cadere videtur, velociter delatis; refractione enim lucis ob figuram sphæricam ex loco in locum transferri existimatur.

De Grandine, nive, glacie, pruina, rore, nebula &c.

XV. Vti subterraneæ cavernæ vi ignis vulcanii perpetuo & perenni exhalationum motu agitantur; Terra quoq; tota spongiosa, innumeris hiatibus, tam in planis, quam in montibus fundoque Maris perfossa fit: fieri non potest, ut illæ continuo exspirantes, & humido, sive Maris sive lacuum fluminumque, sive Terræ humido maceratæ commixtæque, in formam vaporum non

exaltentur; & exaltatæ, ubi mediam regionem aeris attigerint, frigore condensatæ in nubes non convertantur quæ tamen humore gravidæ, & ab haliobus ad altiorem regionem vi suæ naturæ aspirannbus separatæ resolutæque in pluviam convertantur suæque origini, unde emanarant, postliminio restituantur.

Si vero nubes nitrosis salinisque corpusculis foetæ spumosam indolem induerint; tum mox etiam frigidiore accedente vento, in niveam floccescunt substantiam. Si vero nubes jam in guttas resoluta fuerit, illæ frigoris circumstantis vehementia ex nitri virtute in ipso lapsu præoccupatæ in grandinem conglaciantur, atque hoc pacto grando fit.

Nihilominus verum est, Solem, Lunam, stellas plurimum ad hoc cooperari. Sol enim exhalationes vapidas, salnitrosas, sulphureas, aluminosas, bituminosas, quas ignis subterraneus emisit, æstu suo mox atteruat, & attenuatas in sublime educit; unde ex ingenita virtute denuo in id convertuntur ex quo extiterunt. Vapor vero subtilior dum ex terræ visceribus exspirat, suis tamen salnitrosis corpusculis constans, nocturno tempore, frigore ex absentia Solis causato condensatus, in terram gravitate sua rediens *Ros* evadit, aptum omnium vegetabilium nutrimentum; hic vero nitrosa vi pollentibus appropriatisque arboribus insidens miro quodam magnetismo reciprocoque attractu in *Manna* decoquitur, hoc pacto: Cum nonnullarum arborum folia aluminosam quandam, sive mavis nitrosam pinguemque substantiam in intimis suis recessibus contineant, fit ut hæc fervidis Solis radiis percussa nitrosa vis e centro ad circumferentiam ducatur: nocte vero illa cadente rore velut macerata, dum nitrosa roris corpuscula subdulciusculis foliorum calycibus junguntur, mox ad proximum Solis æstum omni rejectio humore excluso in niveam substantiam efflorescant, quod *Manna* dicimus.

Rursus si vapor impuris quisquiliis fuerit permistus, & crudus adhuc & immaturus & fuliginosus proxime ad ortum solis tepido aere rarefactus ob sulphureo-bituminosæ materiæ adustæ & crudæ intermixta corpuscula in *nebulam*, non hominibus tantum sed & vegetabilibus caustica sua vi perniciosissimam evadit: quæ si æstu Solis sic præveniente in sublime evolatit, *pluvias*: si vero gravitate corpusculorum, humido consumpto, descenderit, cœlo quoque a molesta isthac fuligine immuni serenitatem adducet.

De quibusdam aliis igneis impressionibus.

XVI. Quæres 1. Cur fulmen metalla liquefaciat mollibus inoffensis?

Resp. id fieri propter radium igneum & sulphureum auri spiritum, ejusque virtutem summe penetrativam. Experimentum analogum adducit Kircherus dum artifices vitrum ad lampadem conflant, ubi flamma flatu in summam & longitudinem & subtilitatem traducitur. Ubi cum admiratione videre est, illud, quod sine flatu flamma efficere non poterat, conflatoria flamma effici, id est, vitrum & omne metallum, vel in momento, simul ac flamma ea attigerit, liquefieri: quæ tam apposite fulmineæ flammæ effectibus adaptantur, ut nihil in natura rerum sit, quod melius fulminis naturam exprimat. Nam

Mirantur multi, cur fulmen ensem illæ sa vagina, vinum illæso dolio consumat? hoc inde fieri optime comperies, si flammæ conflatoriæ corium, aut tenuem ligneam tabellam interposueris; videbis enim flammam, mirum dictu! virtute sua penetrativa mox us inoffensis pertransire, atque ex opposita parte in metallica & vitrea corpora solummodo agere.

Si vero in cochleari aquam aut vinum exceptum radio igneo apposueris, videbis cum admiratione vix spatio dum quis *Pater noster* recitat, totum liquorem consumi evaporarique. Cur vero flamma flatu agitata tantas vires obtineat, ea causa videtur: quod spiritus ignei flatu agitati, cum a suo, cui insunt, subjecto, sese expedire non possint, summo impetu in ultimum flammæ apicem conjunguntur, ubi pressi condensatique, & ad minutissimum spatium redacti, dum flamma prohibente ulterius evadere nequeant, ibi nova semper & nova spirituum accumulatione aucti incredibili æstu ferveant, mirum non est, eos tam insolitos effectus combustionis liquefactionisque causare. Experimentum hujus vide apud Kircher. Lib. 4. Mundi subterr. pag. 245.

XVII. *Stellæ cadentes* duobus modis fiunt. (1) Halitus sulphurei in sublimia aeris exaltati, si nullum obstaculum repererint, quantum possunt, regionem eorum naturæ maxime consentaneam appetentes ascendunt; qui, uti natura sua facile inflammabiles sunt, ita vel ad proximam dispositionem accenduntur; & siquidem Spiritus istiusmodi halituosi in longum extensi sunt, tunc fascia illa fumea mox ubi obsistens sibi aeris superioris frigus attigerit, extremus ejus halitus ex nimio luctu & attritione accensus apex, raptim serpendo totam illam vaporosam sulphuris materiam usque ad finem successiva quadam accensione inflammat, & sic illa ex alto, vel in imum, vel in obliquam mundi partem pro fumeæ fasciæ dispositione ruere videtur. Experimentum simile præbet fumus ex extincta candela assurgens, cui si aliam candelam accensam applicueris, tunc statim fumus ille reaccensus recurret ad principium suum, unde exhalat, & una candelam jam extinctam reaccendit.

(2.) Modo fieri potest ea prorsus ratione qua ignes missiles, quos pyrobolos vocamus, qui accensi rarefactique ignei corporis violentia summo impetu in altum sub lucidæ lineæ specie, quantum possunt, ascendunt, donec tandem deficiente impetu consumptoque igneo vapore descendendo deficiant.

XVIII. Meteora vero, quæ Græci καῦματα, id est, ascensiones vocant, hoc modo accidunt. Exhalationes sulphureæ in nubibus disgregatis collectæ, ubi accensæ fuerint, nunc has nunc illas corripiunt prioribus extinctis. Unde, coruscationes illæ nascuntur, quas sub forma præliorum, caosæ rei ignari, magno cum stupore velut portentosum mali præsagium intuentur.

XIX. *Ignem fatuum*, & qui in remis & temone navium deprehenditur, pariter nil aliud esse quam exhalationem subterraneam dicimus sulphure & bituminoe mixtam, quæ extra Mare evoluta ligneis corporibus adhærens, tandem vel motu maris vel agitatione accenditur.

XX. *Cometa* ex omnium globorum cœlestium exhalationibus oriuntur. Quod autem nonnulli prælonga distensi cauda, quidam figura rotunda & jubata instructi, alii barbati appareant, Ratio est, cum figura

guraCometarum non nisi a fumidæ exhalationis dispositione dependeat, ideo quia alia in longum ad instar machæræ extenditur, alia in orbem convolvitur crinium, alia in radiosam stellarum figuram discurrit, aut in barbam densatur, variæ oriuntur eorum figuræ. Cur vero caudam semper a Sole aversam teneat, istius hæc est ratio, quod uti corpus fumidum subtilissimum instar nubis tenuissimæ constituitur, ita radii solares id facile penetrare queunt: in medio vero rariore refracti lucem intendunt, unde caudata videtur. Subinde quoque fumosam exhalationem in globum condensatum pervadens ex opposita parte barbam seu caudam exhibet, non secus ac in pila chrystallina Soli exposita fit, quia radii transeuntes in conum lucidum terminantur.

XXI. Quær. 2. Quid Castor & Pollux? Respondent Conimbricenses, esse exhalationem quandam accensam Nautis in mari apparere solitam: quæ si duplex appareat, ab illis nomine Castoris & Pollucis indigitantur, & fausto pro omine habentur: si autem unica, Helenam vocant, & infaustum omen dicunt.

XXII. Quær. 3. Quid sint Parelia? Resp. παρήλια Græcum nomen derivari ἀπὸ παρὰ & ἥλιον, quasi juxta Solem, cum nempe per reflexionem in nube aquea diaphana, ex altera tamen parte terminata imago Solis velut in speculo repræsentatur, ita ut duo aut plures Soles esse appareant, prout accidit Viennæ in Austria Anno 1520. 20. Januar. ubi 3. Soles visi ab Historicis referuntur. Prætendunt autem parelia pluviam futuram.

XXIII. Quæres denique, quid de *Iride* sentiendum? Iridem definiunt Conimbricenses, *Arcum multicolorem in nube rorida, opaca & concava ex radiorum Solis oppositi reflexione apparentem oculis spectantium.* Sed male. Tum quia licet in Iride rorida, quam videntur definire, reflexio radiorum Solis interveniat; non tamen iridem ab hac generari contingit. Tum quia nimis coarctant definitionem cum dicunt illam nubem, in qua conspicitur Iris opacam aut concavam esse debere. Nihil enim attinet cujus sit figuræ, dummodo hujus diameter non sit minor basi coni colorifici. Præterea cum Iris in guttis roridis concipiatur per refractionem, non potest hæc nubes esse opaca. Sed neque Iridi magnæ seu Universali hæc definitio potest convenite. Tametsi enim radii Solis quandoque terminantur ad partem nubis concavam, hoc tamen non est necessarium: quin imo figuram circularem suosque colores melius distinguit hæc Iris in plano, quam concavo. Parum etiam refert roridane sit & in pluviam solubilis hæc nubes, dummodo sua opacitate terminet radios, quod non minus ab aere certa ratione affecto fieri potest. Ita Excellentissimus D. Joan. Marcus Marci, qui insignem Tractatum de Iride (quam Plato Taumantiam seu admirationis filiam nominat) conscripsit dicavitque Ferd. III. Imperatori quem legisse juvabit, nos brevitatis causa ea solum referemus, quæ P. Grimaldus S. J. propos. 47. n. 4. habet, ubi Iridis naturam sequenti Experimento dilucidat:

XXIV. Accipe, inquit, scopas, quibus vestes a pulvere purgare consuevimus, easque aqua pura imbutas fac ut aliquis excutiat in aere libero & illuminato a Sole per fenestram cubiculi, in quo alioquin obscuritas procuretur: tu vero dum minutissimæ guttulæ sic excossæ decidunt per aerem illuminatum, statue te in situ ex quo linea directa ad illam pluviam faciat angulum fere semirectum cum radiis solis ad eandem pluviam allapsis: videbis tunc iridem pulcherrimam in illis guttulis exhibitam: præsertim si extendas pannum nigrum in loco contra quem spectare debes.

Porro Iridi vulgo hæc tribuuntur. I. Figura Iridis nunquam nisi circularis apparet, in similitudinem arcus situata. II. Non est semper eadem magnitudo Iridis; sed quandoque major quandoque minor portio circuli. III. Iris habet latitudinem dissectam in plures gyros, & veluti zonas coloribus a se differentes. IV. Colores semper eodem situ & ordine spectantur: ad ambitus quidem minores & partes concavas, purpureus; & ad partes convexas & ambitus majores, puniceús. Zonas vero medias color viridis & cyaneus distinguit. V. Iridis, sicut & lucis exortus est ad sensum momentaneus. VI. Iris quandoque tota simul, quandoque per suas partes & segmenta nasci, atque iterum denasci & interire videtur. VII. Iris plerumque pluvia imminente, aut eadem jam cessante exoritur. Vnde utriusque, & pluviæ & serenitatis diverso tempore nascens dicitur index. VIII. Vt Iris conspiciatur (maxime rorida) plerique optici hunc necessario constitui volunt in eadem linea recta cum Solis & Iridis centro. Vnde inferunt mutari locum Iridis ad oculi motum, totidemque irides esse quot oculi intuentium. Verum hoc non est ita, constat enim etiam prope alterum cornu constitutum iridem cernere, quæ subinde usque in terram se demittit, ut arboribus & collibus insistere videatur, & homo intra iridem constitutus ab aliis cernatur, licet ipsi dispareat. IX. Iris ab æquinoctio autumnali, & brevissimis anni diebus frequenter; æstate vero, præsertim post meridiem, non nisi raro conspicitur. X. Iris hæc primaria quandoque aliam Iridem habet sibi concentricam & majori gyro ambientem. XI. Colores in Iride secundaria ordinem inversum habent, & purpureus quidem convexam, puniceus vero concavam partem constituit. XII. Iris secundaria nunquam absque prima, aut non ambire illam est deprehensa.

SECTIO
Anacephalæosis circa meteora ignea juxta principia Cartesiana.

XXV. *Fulgur* est ignis subito accensus intra nubem materia inflammabili constantem; sed statim rursum extinguitur, quia nubes aquosa & crassa agitationem particularum sistit, præsertim ventis impulsa. Hyeme raro fulgurat, quia tunc aer particulis aquosis frigore concretis & crassis plenior est, quam agitabilibus. Vulgaris error est arbitrantium non fulgurare sæpe per diem: fulgurat enim sæpius quam nocte, sed ignis non videtur: nam per diem magis dispositæ sunt nubes. Vnde incendia sæpe oriuntur per diem, nemine incendente, in sylvis & oppidis.

Fulmen vel tonitru est fragor, quem e nubibus audimus: quem male quidam putant resultare ex scissione vel collisione nubium; neque enim nubes competentem spissitudinem & crassitiem, vel tam arctam plexuram habet. Sed oritur ex succussione aeris per nubem ruptam subito propulsati a subtili materia. Quod ut intelligas, audi sequentia.

Verum est materiam subtilem facile posse penetrare nubem secundum partes instar rivulorum distractas, sed non secundum totum flumen. Analogiam habes

in aqua per pontium fulcra fluente, quæ dum fecum rapit ligna, trabes, virgulta, ftramina, quæ confiftant ad pontem, per partes quidem adhuc tranfitum inveniti; integrum tamen flumen cum transcurrere nequeat, attollitur in ftagnum, & fi propter altitudinem riparum non poffit ad latera defluere, tandem impetuofe rumpit pontem, & omnibus obftaculis amotis, priorem fibi alveum pandit. Sic materia fubtilis (nempe æther) ut non tranfeat fecundum particulas, ubicumque poros invenit, fieri non poteft; ftubem vero porofiffimum effe corpus & laxiffime plexum quis non videat? Attamen fieri poteft, ut totum ejus flumen non reperiat tranfitum. Absque dubio ergo fubtilis materia ficut principium eft omnis extenfionis & loci, ita ut nullum vacuum ullibi effe poffit, ita pariter principium eft omnis motus quorumvis corporum, maxime motuum globorum totalium. Ipfa proinde (primum Elementum) ceu Oceanus quidam univerfalis, cui totus Mundus innatat, a Creatore determinata fuit ad certos fluxus (fic enim fupponunt hi AA.) per certas vias cœleftes, a quibus neque ceffare unquam, neque deflecti per ullum obftaculum poteft. Non enim poteft retrorfum ire, cum a tergo femper aliud fui flumen obftet, quo vehementiffime urgetur & pellitur. Neque poteft furfum attolli velut in montem, ficut poteft aqua: quia aqua fupra fe babet aerem fe leviorem, qui aquæ cedit in altum fe comprimi patiens: fubtilis autem materia vel ejus portio fluminalis non habet fupra fe corpus fe levius, quod poffit attollere, & fic viam fibi parare ad ftagnum; cum portio ei incumbens æque fit tenax fuæ viæ & pariter refiftat. Similiter ad latera non poteft defluere propter eandem caufam, quia & ibi refiftentes fibi partes invenit, maxime fi etiam difpofitio nubis lateralem fluxum impediat.

Quando igitur ingens nubes colligitur per hujusmodi cœleftem alveum & aer eft gravatus partibus terreis, fulphureis, nitrofis, piceis, aluminofis, aqueis & aliis filamentofis, materia fubtilis juxta curfum & fluxum fuum, accenfis præfertim ignibus, projicit verfus nubis fuperficiem ingentem hujusmodi materiæ cumulum, quo nubis filamentis cohærens, quodammodo incruftatur, ficut afpectui etiam noftro apparet nigra, opaca & lumini impervia. Quare flumen cœlefte impediretur, etfi per partes adhuc poffet tranfire nifi viam fibi aperiret. Cum igitur flumen illud ftagnare non poffit, neque aliorfum deflecti, neceffe eft, ut rupta per impetum nube fibi exitum pandat, vel deorfum verfus terram, vel verfus latera, ubiubi minorem refiftentiam nubes habet. Antequam vero nubes frangatur, prius ipfo flumine urgente fuerat extenfa & excavata quafi in ollam, intra quam cum igne & inflammabili materia plurimum aeris compreffi ftabulabatur. Effracta igitur nube non folum materia inflammata, fed etiam compreffus aer erumpit: quo fimiliter premitur occurrens aer verfus terram, & alius affurgit prioris locum occupans. Vnde per naturalem elafmum aeris fit ingens concuffio aeris, & ejus fæpe fæpius reciprocata turbatio, quaqua verfum, furfum deorfum, & ad latera ruptarum nubium: quæ tremula agitatio atque crifpatio aeris prout organo auditus allabitur, eft ille ingens fragor tremulus, iteratus, difcurrens, quem auditu percipimus. Simile eft in tormento bellico explofo.

Eadem nubes, cum partibus heterogeneis conftet, non tota eft inflammabilis: nam ex quibus crufta interior eft congefta, funt multæ craffæ, tenaces, vifcofæ & quafi lapidefcentes: hæ feparantur ab aliis hoc ipfo, quod agitabiles reliquæ abripiantur; agitatione vero ignis & concusfionibus cum nubis tum aeris, ad fefe invicem compulfæ uniuntur, & vi ignis liquefcunt in fluorem fimilem illi maffæ, ex qua vitra coquuntur: qui fluor rupta nube cum intenfiffimo igne evibratus, arctisfime compactus atque conftrictus in via addenfatur in lapidem, quem *cuneum fulminalem* appellant, fimili actione, quali vitrum indurefcit ex liquida maffa.

Fertur fulmen oblique: partim ex determinatione concusfi aeris, partim quia ignis inferiora petens ab obvio aere impeditur a recta linea, ac deflectitur hac illacque. Decumano flumine facto mitefcit tempeftas, quia minus materiæ torutruofæ, faltem in eadem nube, reftat.

Sequitur poft fulmen nimbus, quia concusfionibus vehementius nubium coeunt guttæ. Si nimbus præcedat æftum graviorem, non metuendum eft fulmen incendens, quia copia aquæ accenfionem nubis vehementem impedit. Fœcundant tonitrua, quia materiam pinguem advehunt. Corufcatio & fulminatio fiunt fimul; videtur tamen prius ignis, quam fonus audiatur, quia hic moram requirit ad propagationem, lumen non ita. Dum fulminat vel intonat, fulgure non notato; accenfio facta fuit fupra nubem opacam & craffam. Quando nubes torutruofæ plures funt, plura etiam fuccesfive, vel fimul tonitrua fiunt. Cuneus tamen non femper conficitur, defectu apræ materiæ.

Effectus fulminis & proprietates funt admirandæ. Nam aliquando vaginam relinquit intactam, gladium tamen intus abfumit: quando fcilicet partes ignis funt valde fubtiles, ut per poros grandes corii fine impedimento tranfire posfint, ejus plexum non folvit fulmen; ferri autem poros intrare quidem poteft, fed quia funt in directum, & ampla intus fpatia non reperiunt, ut circuitionem fuam peragere non posfint, impetuofe plexum & unionem continuativam partium ferri rumpunt & folvunt, eisdem fecum abreptis, quod eft comburere: Contra vero fi partes ignis fulminei funt valde craffæ, fimiliter intrant quidem poros corii, fed circuitionem cum inter peragere nequeant, folvunt nexum corii & comburunt vaginam; ferrum autem finunt illæfum, quia intrare penitus nequeunt. Similiter interdum confumunt offaturam corporis humani, carne falva; interdum offatura falva carnem devorant. Interdum etiam abfumpto dolio relinquit vinum; quia ignis ille tunc multo bitumine conftat, quo circumdat vinum loco dolii, facta pellicula circumcirca. Propter quam caufam etiam difficulter per aquam extingui poteft; quia ob bituminofam tenacitatem non facile disjunguntur ejus particulæ, earumque motus fiftitur: fed potius aqua, cum tenuis fit, disjicitur, & in fumum convertitur, ejus partibus igne raptis & agitatis. Vinum in vappam convertit; partim quia concusfione doliorum illud mifcet fæcibus, partim quia particulas fuas per dolii poros eidem vino immittit. Sed de his fatis. Tu felige ex his, quæ tibi verifimiliora videbuntur.

TRACTA-

TRACTATUS XXXVI
DE
MOTU.

I. DUæ sunt Corporis naturalis præcipuæ affectiones, ex quibus reliquæ profluunt: Extensio nimirum & Motus. De priore egimus Tract. XIX. Hic de Motu, qui dupliciter considerari potest, vid. methaphysice & physice, sive in abstracto & in concreto, seu ut in rerum natura reperitur: & hæc est Physicæ pars præcipua, quæ mechanica recte potest appellari, cum primaria motus species, seu motus localis ad mechanica principia & certas naturæ leges dirigatur. Nec mirum si neglecta per tot ætates motuum scientia nullos pene Physica progressus fecerit: nostra autem ætate, qua nulla fuit ante in inveniendo felicior, hæc motuum scientia ab insigni Mathematico Galilæo fuit excogitata, & ab omnibus fere qui Physicam cum Mathesi conjunxerunt, uti Gassendo & Cartesio excolta: sed geometricis demonstrationibus eam scientiam sic illigarunt, ut harum scientiarum ignaris omnem pene aditum intercluserint. Quamobrem Author Phil. Burg. Regiæ hanc scientiam, quam totius Physicæ caput vocat Tom. 4. Tract. 2. Disp. 2. Philosophiæ naturali reddere conatus est, quem & nos hac io parte sequemur. Sit itaque

SECTIO I.

Quid sit Motus in genere.

II. Ab Arist. 3. phys. t. 6. definitur motus a natura causatus: *Est actus entis in potentia, prout in potentia.* Cujus sensus iste solet dari, quia mobile, dum movetur, jam quodammodo in actu est, idcirco motus non potentia sed actus est: quia vero etiam quod movetur, dum movetur, non omnino & perfecte in actu est, idcirco motui potentia admixta, & motus actus imperfectus est, sive tendentia ad actum perfectum. Movetur itaque mobile per motum, cum inter puram potentiam & actum perfectum in medio est, non omnino actu, nec omnino potentia: quod enim omnino actu est, non movetur, sed jam motum est; quod vero omnino poteotia, nondum movetur, sed moveri potest. Vnde motus entis *actus* dicitur, & ante motum, & sub motu existentis in potentia.

Considerandum est, inquit S. Thom. hic lect. 2. quod aliquid est in actu tantum, aliquid io potentia tantum, aliquid vero medio modo se habens inter potentiam puram & actum perfectum. Quod igitur est in potenoa tantum, nondum movetur; quod autem est in actu perfecto, non movetur, sed jam motum est. Illud igitur movetur, quod medio modo se habet inter puram potentiam & actum, quod quidem partim est in potentia & partim in actu. Sic per calefactionem manus non est, sed fit calida. Est igitur motus *actus*, qui omnem potentiam non explet.

III. Paulo aliter hanc motus definitionem Aristotelicam interptetatur Burgnndica. Motum Arist. considerat in physicis, ut ad rerum productionem aut ad mutatiooem sensibilem confert, & potentiam appellat omne agendi, aut patiendi principium. Hinc Mathematici solent vim omnem motricem *potentiæ* nomine designare. Est igitur motus, *actus* seu principium quoddam agendi, *entis in potentia*, quod scilicet ad aliquid producendum conferre potest: Sive enim ad agendum, sive ad patiendum sit illa potentia, ea nihil sine motu potest efficere. Si quid v. gr. potest globus bombardilis ad murum evertendum, hoc plus poterit, aut major erit illius potentia, quo plus habebit materiæ. Sed illa potentia ad actum non reducitur, nisi per motum: nam si globus quiescat, nihil efficiet. Quamobrem recte intelligitur motus ut actus entis in potentia, quatenus est in potenna, hoc est quatenus aliquid procreare potest, aut resistere. Non etiam Aristoteles solam corporis translationem, quæ plerumque nihil efficit, considerat, verum id maxime spectar, quod potentiam, quæ est in corporibus, excitat & in actum redigit. Ac vix, inquit, crediderim intimam motus naturam alia ratione intelligi posse. Econtra

IV. P. Joan. Bapt. Ptolomæus Dissert. 2. Phys-metaph. num. 22. Adnotari jubet hunc terminum *motus*, tanquam magni momenti in schola Peripatetica, designare idem ac moveri passive. Et licet proprie loquendo de solo motu locali intelligendus esset: perinde tamen usurpatur, ut significet idem ac quamlibet mutationem. Definitur autem obscurissime hoc pacto: *Motus est actus entis in potentia, prout in potentia*; hoc est, variatio, mutatio & transitus passivus: qui transitus dicit necessario successionem & seriem, & duo ad minus instantia temporis, nec assignari potest ullom ex illis instantibus seorsim sumptis, in quo existat ille motus, sed in utroque instanti simul: quia vero nunquam illa instantia simul existunt, utpote successiva, ideo motus, *est actus quidam in fluxu & potentia* consistens, & non est *actus in actu*: quod tc- tum verissime dicitur tum de mutatione, tum de motu. Ita quidem P. Ptolomæus. Ne vero, pergit, phrases diversas ignores

Adverte dari *motum ad locum*, qui proprie dicitur *latio sea translatio*: *Motum ad substantiam*, & dicitur *generatio*: motum *ad qualitatem*, & dicitur *alteratio*: motum *ad quantitatem*, & dicitur *augmentatio*, præter rarefactiones, intensiones &c. quæ etiam appellatione generica motus appellantur: sed motus localis seu latio, qui vere est motus, clare & distincte definitur sic: *Est mutatio loci continuo fluxu, seu immediata successione ad exigentiam aliquo modo intrinsecam ipsi mobili.* De quo mox plura.

V. Circa prædicta Observa I. Quod, qui motum instantaneum etiam in definitione data volunt comprehendi, dividant instans reale in duo naturæ seu rationis, ut salvent rationem potentiæ & actus. Quibus favet S. Thomas q. 3. de potentia art. 1. ad r1. "Dicendum, inquit, quod illud, quod fit ex nihilo," simul fit & factum est; & similiter est in omnibus," mutationibus instantaneis: simul etiam aer illumina," tur, & illuminatus est: ipsum enim factum esse in," talibus dicitur fieri, secundum quod est in primo," instanti, in quo factum est," Atque adeo in instantaneis ipsum factum esse, quatenus est in primo in-

instanti aute quod non fuit, vocatur fieri; & sic in instantaneis fieri non præcedit factum esse, sed est ipsum primum factum esse; adeoque subjectum per hoc fieri, non est in potentia ad factum, sed est in actu primum facti: & sic ipsum primum esse luminis in aere, est fieri luminis in aere, quod fieri aer habendo non est in potentia ad lumen, sed jam actu habet lumen.

VI. Observa 2. Excludi ab hac definitione Creationem & actus immanentes. Licet enim videantur transire de non esse ad esse, secundum diversas prioritates & instantia naturæ, non temporis, sicque rationem motus participare: ex alio capite tamen a motu physico deficiunt. Creatio quidem, quia deest illi subjectum sine quo non detur actus existentis in potentia. Dicitur tamen mutatio non ex parte subjecti, sed ex parte termini transeuntis de non-esse ad esse, quod est significari per modum actus, ut habet Doct. Angelic. 1. p. q. 45. art. 2. ad 3.

In actibus immanentibus autem ex eo præcise quod immanentes sunt, non fit transitus de potentia ad actum circa objectum cognitum. Alia est hæc species motus, inquit Arist. 3. de anima text. 28. Motus enim actus erat imperfecti: simpliciter autem actus, qui perfecti est, alius est. Omnes itaque mutationes instantaneæ, quæ vel omnino independentes sunt a materia, ut volitiones & intellectiones Angelicæ, vel etiam sensationes, intellectiones & volitiones nostræ, licet quoad modum dependentes sint a materia, a motu tamen physico hic definito excipiuntur.

VII. Porro dum dicit Philosophus Motum actum entis esse, certe alterius actus non est, nisi Mobilis. "Motus, inquit text. 16. est actus mobilis, quantum "mobile existit, & quidem ita actus mobilis, ut vere in "mobili sit a movente. Et quod dubitatur, etiam "manifestum est, quod motus est in ipso mobili; actus "enim est hujus, & ab ipso motivo, quia in mobili a movente causatus est.

Manifestum est, inquit Doct. Ang. hic lect. 4. quod actus cujuslibet est in eo cujus est actus: & sic manifestum est, quod actus motus est in mobili, cum sit actus mobilis, causatus tamen in eo a movente. Ita tamen ut idem omnino motus sit actus moventis ac mobilis; moventis ut *a quo*; mobilis vero ut *in quo*. Movens enim est mobilis movens, ergo mobile movetur illo, quo movens est muvens: sed movens est motu suo movens, & sic idem mobilis & moventis est motus & actus.

Vnus est amborum actus: sicuti enim idem spatium est unum ad duo, & duo ad unum, & acclive & declive: hæc enim unum quidem sunt, ratio tamen non una est: similiter quoque est & in movente & in motu. cit. tex. 18.

Hectenus allati Authores in favorem Aristotelis varie explicarunt definitionem Motus in genere, in quibus non pauca displicent.

VIII. Quare definitio Arist. multipliciter peccat contra proprias ipsiusmet Regulas, sicut & illæ, quibus animam, & lumen & calorem definit per *actum*, 1. quia *τὸ actus* est genus extraneum ab anima & non essentialis, motui autem fortasse, quatenus est actio, conveniret. At insuper æquivocationem sapit magis quam analogiam hæc vox *actus*. 2. quia *τὸ actus* est prima Entis differentia. Dividitur enim Ens in potentiam & actum: cum ergo sit adeo remotum genus nihil declarat. Præterea videtur esse transcendens: quoniam ait D. Thomas cum Arist. in 9. Metaph. omne genus circuire actum & potentiam, & Ens divisum in actum & potentiam, simul partiri iu decem Prædicamenta. Quo pacto igitur essentiam animæ & motus & caloris positorum in diversis generibus, *τὸ Actus* declarabit?

Præterea Authores prænominati perperam cum suo Arist. confundunt Motum cum mutatione. Mutatio enim est actus quidam existentis in potentia ad ulteriorem metam, ut Arist. docet, non autem motus. Illa semper facit alteritatem & alienationem in subjecto, perdente aliquid, & aliquid acquirente: iste vero conservat subjectum in suo esse, non autem alienat. Quapropter non est actus entis in actu quo servatur & jocundatur, & iste quidem actus ab intrinseco causa activa & suæ similitudinis effusiva sive per se sive per accidens. Quapropter ad motum non distinguitur movens & mobile, sicut ad mutationem. Hoc manifestum fit ex eo, quod ignis natura mobilis, si motu privetur, extinguitur, & perit: sic etiam quæ natura quiescentia sunt, si moveantur, perduntur, & mutantur ex proprio esse. Hinc motus localis non est mutatio, passioque nisi patientium illam, non autem edentium: neque enim locus mutatur, nec locatum a sui natura, sed servatur cum per se movetur a principio interno motus. Mirum ergo quomodo Arist. posuerit loci mutationem, cum illi locus sit per immobilis, nec locatum patiatur, nisi violenter moveatur, præsertim cum circumfertur in eodem semper loco: & quidem partes mutant situm sursum & deorsum, & ad alias continuo mundi plagas, non autem locum; unde ruditer Arist. motum localem ponit, & non situalem. Sed de his alibi jam egimus.

Vnicum hic addo Motum motui tioti contrariari, sed quieti: motus enim fit ab activo calore, quies a frigore, quatenus privationem dicit. Calor motu, frigus quieti servatur. Hinc Arist. non recte ex motuum oppositione probavit 4 Elementa opposita, & Cœlum esse quintum corpus eo quod circulo fertur. Ens enim omne natura mobile, omnibus potest moveri motibus, ut patet de calore & igne, qui deorsum fertur ad combureudos suppositos fomites, & sursum ad deferendam devictam materiam, & ad dextram & lævam fugiendo inimica entia frigida & quorsum impetus rapit, uti declarant ignitæ impressiones. Spiritus quoque animalis ad omnes posituras locales movet corpus, prout necessitas & utilitas dictant. Quapropter non ex naturarum diversitate est in motibus contrarietas, cum in cœlestibus etiam tam multi unius Planetæ sunt motus, sursum, deorsum, ad Boream, ad Austrum, & anomaliæ multæ; ut intelligamus, locales motus a causa, cognoscente finem & opus edi vel præordinari, prout mox patebit cum de motu Orbium & corporum cœlestium agemus.

Cum autem Arist. probat motus esse contrarios quia tendunt ad quietes contrarias, magis fallitur: non enim contrarias quietes appetunt, qua mobilia sunt, sed potius semper moveri, sicut Cœlum & Spiritus animalis probant. Quod si, quia ad opposítos terminos vadunt, contrarii sunt, non mobilia, sed motus: tunc sequitur, quod motus calidi ad tepiditatem, & frigidi simul ad tepiditatem essent unus, quia in unum terminum deveniunt. Sic etiam ex nigro & ex albo deve-

devenitur ad rubrum. Et hoc argumentum valet, quoniam Aristoteli omnes motus & mutationes sunt eiusdem essentiæ, ut definitione una docentur in 3. Phys. & in 5.

At etiam in motibus localibus idem probatur. Ex circumferentia enim ad centrum plures lineæ concurrunt & plures motus per eas ad eundem terminum fieri contingunt, etiam ex oppositis partibus. Vnde mirum quomodo Arist. id non intelligat. Præterea in circulo ex eodem puncto ad situs alios progressa mobilia possunt ad diametrum usque moveri, & eundem terminum sortiri. Hoc volens effugere Arist. ait, quando habent eundem terminum *ad quem*, contrarietatem sortiri a terminis *a quibus*: sed in circulo est idem terminus *ad quem* & *a quo*, sive mobilia ferantur usque ad oppositum punctum diametraliter, sive revertantur etiam ad prius punctum, unde progredi cœperunt, quo in motu est idem terminus a quo & ad quem. Hoc videns Arist. negat contrarios esse motus in quacunque linea præterquam in recta, quoniam in cæteris ita contingit, ut argumentabamur. Sed profecto si sic est, tunc idem mobile posset moveri duobus motibus ad situs alios, dummodo utrimque revertantur ad idem punctum, unde incepit, quod est omnino falsum.

Ergo motus motui non contrariatur, sed mobilia opposita, habentia appetitus & fines, & propterea in diametro videntur contrariari, quoniam dum moventur ex diversis viis, se invicem colliduntur & impediunt. Vbi ergo non est impeditio & pugna, ibi non est motuum oppositio, nec mobilium per illos motus declarata; licet possint esse per alios. Est ergo sola varietas & differentia numeralis his in motibus, ideoque simul in eodem mobili esse possunt.

Eisdem rationibus nulla quies ulli quieti est contraria: lapis enim & gleba in omni Mundi situ quiescit: neque quies termini a quo & ad quem contrariæ sunt in motibus, quemadmodum in mutationibus, cum præsertim possit motus eundem habere terminum a quo & ad quem, & duo motus simul. Quies præterea consetvativa ac naturalis non contrariatur quieti naturali, sed motui vel violentiæ quieti, non qua quies sed qua violenta. Mutationum autem termini sunt oppositi. Quidquid enim mutatur io esse, in non-esse it, vel ex non-esse ad esse, sive simpliciter, sive aliquo modo. Vbi autem hanc radicem oppositionum habes, ibi & aliquam oppositionem, sive privativam, sive contrariam, sive differentem, sive numeralem, sive relativam. Inter diversa enim & disparata non datur mutatio.

IX. Porro ad unitatem numericam motus tria requirit Aristot. Vt mobile sit unum numero, & tempus unum absque interruptione, & ad unum terminum numero. Addunt alii spatii, in quo fit motus, continuitatem. Sed hæc non requiritur nisi ut tempus non interrumpatur, nec quies interponatur.

Quod vero dicunt, quod si homo de turri cadens in medio motus moriatur, licet motus continuetur; non esse eundem numero (quoniam mobile vivens est aliud numero a mortuo) nil veritatis habet, movetur enim deorsum quatenus grave. Gravitas autem & corpulentia perseverat eadem numero, licet alterata, ideo non variatur singularitas motus, nisi aliud mobile illi succedat, & videtur unus successione per relationem ad totalitatem successivam. Sicut dicitur una numero Roma & una Ecclesia, quamvis aliis morientibus alii nascentes continuo succedant. Vnus quoque est numero Petrus, quanquam aliæ partes ejus in vaporem versæ evolent sursum, aliæque ex cibo sufficiantur, quoniam sub una forma individuali succedunt.

X. Quæres incidenter: An concludenter probarit Arist. dari Deum ex eo quod Mundus sit ab æterno? sic enim ait: Omne quod movetur, ab alio separato distinctoque Motore movetur: alias idem esset movens & motum, in actu & potentia simul: ergo oportet devenire ad primum movens immobile; si enim illud movetur, ab alio movetur, & illud ab alio, ergo in infinitum. Ergo nullus motus, quoniam primum movens non dabitur, a quo secundi motores moventur, per infinitos enim non pervenitur ad primum &c. Respondeo esse vanum argumentum & multipliciter peccare, tum quia quæ gestantur aut ab extrinseca vi moventur, ab alio quidem moventur, non autem quæ natura moventur principio intrinseco motus, prout infra ex professo contra Cartesianos ostendemus: & sic idem est agens & patiens, potentia & actus: quoniam operano non est, passio, sed actus entis in actu, & potentia quæ dicit activam vim: tum quia nec ratio probat dari movens immotum: sit enim ipsum non movetur, nec movebit. Non enim dat, quod non habet: & si movet ut desideratum, non ipse movet, sed desiderans movet se ipsum: at specificat modum motus per apprehensum objectum, non autem habet ab illo vim motivam. Vide quæ diximus Tract. XX. sentimus enim dari motum corporum ab intrinseco & ex natura rei provenientem vi primalitatum.

SECTIO II.

De Motu locali.

XI. Hactenus de motu in universum: nunc quid sit motus localis, quem omnium motuum vult esse primum Aristot. & in quo potissimum illius essentia posita sit, videamus. Et quidem recte definiri videtur cum Epicuro: Migratio de loco in locum. Tria itaque involvit, quæ ejus naturam conficiunt. Terminus a quo, terminus ad quem, & velut via aut fluxus ab uno ad alium terminum: sive aliter, locus qui relinquitur, locus qui de novo acquiritur, & fluxus seu via ipsius mobilis, per quam ab uno ad alium terminum fit mutatio: neque enim locus deseritur, quin novus acquirarur; sicut nihil recte dicitur mutare absolute suum locum seu moveri localiter, quamdiu locum in quo est non deserit.

Est ergo motus localis nihil aliud quam transitus mobilis a loco in locum fluxu continuo: nam citra illum fluxum continuum & successivum motus localis concipi nullo modo potest. Quod si enim Corpus quod Romæ est, reproducatur aut replicetur Pragæ in Bohemia, quamvis sit loci mutatio suo modo, non tamen est motus localis, quia deest continuitas fluxus. Itaque mobile per motum mutat locum continuo fluxu, vel secundum se totum ut cum currus movetur; vel secundum partes ut cum rota circum suum centrum immobile fertur. Sed cum id non satis constet, quid loci nomine veniat, an spatium illud quod corpus occupat (quod imaginarium vulgo dicitur) ao superficies corporis ambientis; an forte ad partes Mundi immobiles sit confugiendum: ut omnem in re notissima cavillationem & superfluam diligentiam vitemus, id statuen-

tuendum rem moveri, quæ successive ad vicina corpora applicatur.

Motus itaque quo de loquimur hic est applicatio continua & successiva ad diversas partes corporum quæ illi sunt vicina: adeo ut motus fit cum quadam actione & conatu conjunctus. Neque ille conatus omnem motus rationem in suo conceptu includit, nisi fiat ea, de qua diximus, ad vicina corpora applicatio.

Qualiter autem motus distinguatur a mobili, dicemus inferius.

XII. Illud hic observandum ducimus, Cartesium existimare, Quietem non esse motus privationem, sed quid reale & positivum; Quod dogma putat Burgundus non a reliquis modo Philosophis, sed etiam a communi omnium Philosophorum sensu multum recedere. Nos autem Aristoteli omnino consentaneum existimamus, qui in 5. Metaph. & 2. Physic. docet expresse, quod Natura sit Principium intrinsecum motus & quietis.

Quamvis in 3. de Cœlo statuat Terram quiescere propterea, quod demortua res est, remotissimaque a Cœlo motum pro vita habente. Si autem Natura est etiam principium quietis, dicendum erat tellurem per quietem vivere sicuti cœlum motu; & contrariorum contrarias esse vitas & operationes. Contradicunt itaque Aristoteli, qui Privationem esse dicunt Quietem & nihil: si enim natura est activum principium Quietis, non minus ac motus; utique quies ens est: non-entis enim non est causa ac principium influens ullum.

XIII. Juxta nostra principia Motus localis est effusio ipsius mobilis in locum. Vnde manifestum fit actionem esse ipsum agens. Cum enim eo in plateam, paulatim sum in ea, acquirendo semper successive existentiam in illa: in via vero sum, quando vado, & paulatim discedo ab loco in quo eram, & perdo existentiam in eo, & acquiro existentiam in alio: igitur moveri est esse seu existere hic, & hic, & hic. Quid autem est nisi quod movetur? Fluxus autem requiritur in motu ob repugnantiam medii aëris aut aquæ per quam fit motus, aut propter debilem potentiam mobilis, aut propter distantiam & partibilitatem loci acquisibilis. Non autem est præcise de ratione motus, ut putat Burgundus, alias instantanea illuminatio non esset motus: nec localis Angelorum subita applicatio.

XIV. Quær. 1. An globi cœlestes moveantur ab intrinseco, an ab Angelis seu Intelligentiis ut vocat Aristoteles ab extrinseco? Resp. cum Honor. Fabro Globos cœlestes ab intrinseco moveri active, ab extrinseco directive. Hæc assertio stabilitur multorum Philosophorum, Astronomorum imo & Theologorum auctoritate. 1. loco sit Gulielmus Parisien. vir admodum pius & doctus, ut ait Bellarm. L. de Script. Ecclesi. L. de universo p. 2. c. 152. qui oppositam sententiam vanam & frivolam putat. Hunc sequitur Joann. Major, Albertus de Saxonia & alii apud Bassolium. Adde Thom. Campanell. Lib. 9. Met. c. 6. art. 5. & Tellez. Disp. 44. sect. 3. his adjunge Suar. qui concedit motum cœli tribui posse propriæ formæ, & Theoph. Raynaudum in Theol. natur. dist. 2. q. 1. art. 1. qui vult non esse damnandam temeritatis illorum sententiam, qui volunt astra moveri ab intrinseco.

Probatur 2. ratione. Cum motus Solis v. gr. sit naturalis, non minus est ab intrinseco, quam motus lapidis deorsum: quod autem naturalis sit, quis revocet in dubium? nempe corpus illud nobilissimum tamdiu motu violento rapi absurdissimum esset, nullum enim violentum durabile: cum enim motus lapidis deorsum ideo sit naturalis, quia est secundum naturæ institutum, hoc est ut lapis per illum motum in eo statu collocetur, in quo suo munere defungi & situm suum obtinere queat &c. certè non minus Sol, dum circulari motu circa terram fertur, suo munere defungitur & suum situm obtinet, quam lapis dum deorsum fertur ergo non minus motus Solis est naturalis ac lapidis. Sed si naturalis est, ab intrinseco est: in eo enim motum naturalem a violento distinguimus.

Dices, Violentum esse contra inclinationem mobilis; sed aliquis motus ab extrinseco non est contra inclinationem mobilis ergo non omnis motus ab extrinseco est violentus. Resp. Neg. min. Omnem enim motum pure violentum dicimus, qui mobili infertur ab extrinseco nullam vim conferente passo, dum enim projicitur lapis deorsum, aut sursum per inclinatam, aut volvitur in plano motus mixtus est.

Dices, Moveri lapidem deorsum, ut ad quietem perveniat, quod de Sole dici nequit. Resp. Motum rectum terminari ad quietem, ut patet. Alias finis motus lapidis deorsum ut suo globo totali conjungatur; ad eum enim finem lapis creatus est, ut cum aliis partibus illud totum componat: sive deinde globus ille totalis moveatur sive non; unde non minus lapis in terram descenderet, licet terra moveretur, quam nunc descendit per se versus terram immobilem. Igitur non descendit per se versus terram ut quiescat, sed ut suo toti conjungatur. At motus circularis non tendit ad quietem vel ad unionem; non est enim partis sed totius; & licet respiciat centrum, ad quod omnis circulus respectum dicit, non tamen ut eo tendat, sed ut circa illud eat.

Et vero non minus Sol ad eum finem institutus est ut totam superficiem terræ illuminet, calefaciat, foveat &c. quam lapis ut simul cum aliis partibus terrestrem globum componat; & non minus circularis motus est necessarius Soli ut suum finem consequatur, ergo, non est major ratio dicendi motum lapidis deorsum esse naturalem & ab intrinseco, quam Solis motum circularem.

Confirmatur. Quia motus Solis non opus habet accersere motorem extrinsecum, cum possit habere motorem intrinsecum: & falluntur in hoc peripatetici, dum considerando vocem moveri passivam, quasi motus necessario importet passionem, quod non ita est. Cur enim negabis solem producere posse in se impetum quod etiam imperfectissimis competit corporibus, puta lapidi: præsertim cum hæc vis motrix non minus sit necessaria Soli, orbique universo quam saxo. Et vero mihi sane mirum accidit. Saxum vides aliquando moveri, statimque exclamas a se ipso moveri: Solem autem nunquam vides immobilem, & statim motorem extrinsecum accersis, & ad Intelligentiam recurris.

Sed inquies, nulla est ratio, cur Sol sese determinet ad motum circularem, dextrorsum potius quam sinistrorsum; nulla etiam ratio Apogæi & Perigæi, nulla determinationis; & alia multa, quibus tamen expe-

expedite docteque satisfacit Faber, quem vide tom. 4. Phys. Lib. 3. de motibus Tract. 8.

XV. Oppones varia loca Scripturæ, & SS. PP. Dionys. Augustini, Gregorii &c. qui volunt inferiora per superiora moveri, regi, gubernari &c. corpora per spiritus: dicuntur quoque Angeli virtutes cœlorum. Præcipue S. Thomas q. 6. de potentia art. 3. vult esse fidei sententiam, quod Angeli non solum cœlestia corpora, sed etiam alia suo imperio moveant: igitur doctrina fidei est corpus grave deorsum ab Angelis moveri. Tannerus tom. 1. disp. 16. q. 4. dub. 3. illam clausulam *sed etiam alia corpora*, reticuit. Itaque cum in prædicta quæstione S. Doctor quærat, utrum Angeli possint patrare miracula? Respondet posse res multas mirabiles efficere, scilicet per corporum motum; unde vult esse fidei sententiam, quod corpora possint movere, & de facto aliquando moveant: quod enim Sol regressus fuerit vel steterit, illud certe operæ Angelicæ adscribendum est. Vbi tamen observea velim, motum illum Solis, Josue c. 10. v. 13. sic explicari & iotelligi, ut sententiæ Copernici non officiat, alias Hæresis nota non vacaret, cum tamen Thom. Campanella aliique Viri doctissimi ex S. Scriptura eam evidenter refelli posse negent, prout nec Ecclesia eam hactenus ut hæreticam declararit. Imo (pergit Faber) S. Thomas opusc. 10. expresse habet non esse fidei sententiam, sed quæstionem physicam.

Equidem noo diffiteor S. Thomam in hac sententia fuisse; cum enim agnosceret cœlos solidos, aliter sentire non potuit: propterea dicit hoc demonstrative probari posse (in ea scilicet hypothesi) quod ultro concedimus; non tamen in nostra hodieque recepta sententia, eaque verissima, quæ cœlestes globos in aura cœlesti moveri vult.

Adde quod D. Thomas semper supposuit moveri non potuisse a seipsis, nisi animati essent, anima scilicet intellectiva (prout Origenes docuisse traditur) quod tamen absurdum est & erroneum. P. Faber licet moveri ab intrinseco admittat, nullam tamen animam vitamve illis tribuit. Nos animatos coocedimus cum Marsilio Ficino aliisque, negamus tamen esse animalia, multo minus animam intellectivam illis tribuimus. Vide quæ tradidimus Tract. IX.

Prædicti SS. PP. recte sentiunt, præsunt nempe Angeli corporeo Muodo, ipsique invigilant; ut scilicet res quælibet corporea ad eum finem tendat, ad quem a natura destinatur. Hinc omnia ita regunt ac moderantur, ut tamen eadem virtutis suæ usum habere sinant; & ut gravia deorsum ire sinunt ab intrinseco, ita & cœlestes sphæras in orbem ire. Sic equestris palæstræ Magister ita equum regit atque exercet, ut tamen equus ab intrinseco moveatur. Et vero rectores tenebrarum barum non parum rerum corporearum ordinem perturbarent, præsertimque cœlestes motus, nisi ab Angelis, quos Deus huic rerum ordini præfecit, prohiberentur. Adde alios casus, quos Aogeli avertuot: in quo revera munera ita versantur, ut vere dici possint *formæ assistentes, cælorum virtutes & moderatores*; sic enim Dux Exercitus totum exercitum dicitur movere, & Rex totam regni molem; & hoc est Angelos movere Solem & astra directive. Ita doctissimus P. Fabr.

Huic adjungo Thom. Camp. cujus Lib. 9. Met. c. 6. art. 5. hæc sunt verba: “Cœlos ab Angelis non moveri, sed a proprio calore, in Physicis ostendimus; & fundamentum Aristotelis, quod omne quod movetor ab alio separato motore moveatur, falsum esse, omnia naturaliter mota declarant, & Philosophi & Theologi præstantiores. Altera mihi ratio suadet *Animam Mundi* sumpta ab homine. Si enim homo non modo spiritum corporeum, sicut bruta, habet sui habitatorem & rectorem verum etiam a Deo aoimam inditam longe diviniorem & immortalem, ut ejus intellectio & volitio infinita, & dominatus super rebus & cœlestium intelligentia, & religio, & prophetia rerum noo corporearum modo, qualis est brutis, sed etiam pertioentium ad alteram vitam meliorem post mortem, & communicatio cum superis & conversatio manifestant: multo magis ipsi Mundo præter sensum communem partibus cunctis, adscribenda est Aoioia divinissima. Non enim Pars Toto melior est, neque homo Mundo: unde & Soli & stellis peculiares quoque animas dare non Aristotelico modo, sed Assistentes sicot D. Hieronymus & Origenes & PP. alii docent, congruum est.„

Dices. Tam regulares motus supponere vim intelligentem. Resp. supponi utique semper illam quæ primo ad talem finem distinarit & instituerit, & tali loco, tali tempore creaverit. Itemq; deinde dirigentem & gubernantem. Concedo. immediate moventem localiter. Neg.

Cæterum cum motus localia nunquam fiat sine impetu, & impetus sit duplex: alius iotrinsecus seu a principio intrinseco naturæ profectus, quo de egimus Tract. XXVIII. sect. 3. Alius extrinsecus, seu ab extra impressus corpori mobili, de quo quæritur quæ sit causa productiva talis impulsus, quomodo propagetur, intendatur & remittatur & intereat?

Priusquam hisce q q. respondeamus, nonnulla circa motuum causaa præmittenda sunt. Quare

XVI. Dico I. Primaria causa motus est DEVS, hoc sensu, ut tamen causæ secundæ itidem agant & moveant, sed motu a prima omuium causa profluente. Sic in horologio portatili rotæ aliæ alias movent: sed motus omnis ab Elaterio dimanat: non quod rotæ cessent, aut nihil agant, sed quia movent dependenter a convoluto chalybe, qui tympano concluditur. Absurdum enim est dicere Deum omnia creata movere uti per arcum jacitur sagitta, absque ulla cooperatione causarum secundarum, frustra enim tanto artificio, tot organis instruxisset animantium corpora, si ad exigentiam solum oescio quam moveret Deus ad visum, ad auditum, ad cognitiones &c. Sicut saxa, habeantque se mere passive, ut vult Wiber. part. 3 princ. 4. §. 2. ubi etiam substantiis spiritualibus & Angelicis non nisi *remotam* virtutem movendi corpora tribuit, consistentem in nisu voluntatis ad motum, ita ut causa proxima motus sit solus Deus.

XVII. Sed quæritur ulterius, unde io ipsis corporibus motus oriatur: cum enim alia sint dura, alia liquida, merito dubitatur, an quæ dura sunt & firma fluidis motum communicent, an vicissim? Respondeo, motum omnem a fluidis corporibus initium ducere. Ita Phil. Burg. tom. 4. Tract. 2. dissert. 2. cap. 1. Hæc conclusio, quæ permagnæ est in Physica utilitatis præsupponit non aliud inter dura & fluida corpora intercedere discrimen, nisi quod in duris corporibus partes insensibiles sint immotæ; in fluidis vero eædem partes in perpetuo motu versentur. Vnde si minutæ aquæ partes præ frigore rigeant, jam aqua fit glacies & dura. Cum autem fluida est, illius particulæ suo motu salis

aut gummi partes exsolvunt: adeo ut hic motus non a duro corpore, sed a fluido, nempe ab aqua ducat initium. Sic motum aquæ aut aer ipse, aut corpus aere subtilius, quod meatus aquæ subit, quocunque vocetur nomine, aut æther aut cœlestis materia efficit.

Quo autem id corpus est subtilius, seu in minutiores partes concisum, hoc facilius motum ab aliis excipit & magis tuetur. Nam minuta illa corpora occursu majorum facile agitantur, & aliis corporibus non adhærescunt; per angustiores enim meatus raptim diffugiunt, nec facile in majora corpora motum suum transferunt. Quamobrem si quæ sit prima causa motus in materia ea quidem non alia videtur esse nisi subtilissima substantia, qualis est in igne plurima, in lucidis corporibus, in aere ipso, in liquoribus, & eo magis, quo sunt teneriores, ut in spiritu vini copiosior est quam in aqua. Quod patet, cum ponitur in machina pnevmatica, dum velut sponte sua effervescit.

Vltro itaque fatemur Cartesianis motum illum quantumvis subtilissimi corporis, & motum cujusvis naturæ (spiritualis, corporeæ) aliunde non proficisci quam a primo Motore, cui placuit has vires movendi semetipsa & alia primitus indere; præter solam materiam primam, quæ est omnino iners & otiosa, pure receptiva non activa juxta Peripateticos.

Quocirca in horologio portatili, ut exemplum maxime usitatum adhibeamus, motus quo index horas designat, ex rotis oritur, quæ sese mutuo stingunt: prima omnium rota, circa quam funiculus involvitur, quique paulatim sese explicat ex lamella chalybea, quæ sese evolvere nititur, motus sui initium capit. Lamella porro non ex se, sed a tenui & fluidissima substantia agitatur, prout infra de Elaterio dicemus. Hæc denique substantia a primo omnium authore motum ac omnem vim suam repetit. Ergo motus a Prima & omnium Principe causa in fluidam substantiam, hinc in dura quæque corpora proficisci videtur: adeo ut fons & origo motus a duris & solidis corporibus repeti non potest.

Nunc quæ jugis & continuati motus sit causa, indagandum est. Est autem inter quæstiones physicas vix ulla difficilior solutu quam ista: nec est quod in re tam obscura demonstrationes expectes.

Status autem quæstionis versatur in hoc, quid in projecto lapide, aut in Sagitta emissa, aut in turbine circumacto motum jam cœptum continuare possit? Causa porro illa continuati motus vel est intrinseca vel est extrinseca: utraque admodum videtur obscura.

XVIII Qui intrinsecam hujus motus causam agnoscunt, ii in 3. partes scinduntur. Epicurei ad atomos, aut Spiritus per se mobiles confugiunt, qui a motore in mobile commeant. Cartesius ad legem naturæ, qua res quæque in eo statu, in quo sunt, omnino perseverant, nisi ab eo statu ab extranea causa dimoveantur. Alii impetum admittunt, seu qualitatem impressam, quæ motum vel exigat vel efficiat.

Qui causam motus continuati foris arcessunt, in tres itidem opiniones dividuntur. Nam Cartesius ejusque sequaces, Deum solum ut motus omnis auctorem & conservatorem agnoscunt: adeo ut corpus tantum sit occasio quædam cur aliud moveatur, non causa. Aristoteles corpus ab aere retro pelli existimat. Multi recentiores ad vim aeris elasticam confugiunt cum doctissimo P. de Chales.

XIX. Dico 2. Neque aeris recursus, neque illius condensatio vel rarefactio aut Elaterium est causa continuati motus. Prob. 1. pars, tum quia non minus resistit aer, quem lapis ante se propellit, quam lapidem pellat aer, qui a tergo urget; tum quia in rota, aut in turbine circumacto nullus est aeris recursus. Deinde si sagittæ aut globo emisso corpus flexibile adjungatur, ut pili aut lana, tum certe recurrens aer pilos in corpus ipsum propelleret, cum tamen illi fluitantes & disjuncti videantur. Quæ omnia persuadent lapidem manu emissum ab aere retro urgente non moveri, præsertim cum nulla causa illius impulsus appareat. Prob. 2. pars, condensatione & rarefactione aeris motum sagittæ non continuari. Primum enim in machina pnevmatica evacuato aere corpora celerius moventur: ut pendula citius ibi vibrationes suas absolvunt; neque hic ullus videtur esse condensationi aut dilatationi locus. Deinde eadem quæstio de aere, seu de medio recurrit, quid isti motum imprimat; quæ causa efficiat ut motus illius tamdiu perseveret? aer enim movetur a sagitta, ergo æquali ad summum motu, non celeriori, non potest igitur sagittam a tergo impellere. Nemo enim alium stricto ense confodiet qui æquali velocitate fugit, qua alter insequitur. Vim elasticam non esse causam continuati motus in projectis, manifestum est consideranti. Non enim alia est vis elastica aeris, quam ea quam esse restituit pressum & dilatat, sed ea vis non sufficit præsenti instituto, ut ex dictis constat, ergo.

XX. Dices. Experimentis constare aerem condensatum (quæ condensatio ad centesimam partem fieri potest) resistere corpori moto, pari vi qua condensatur, ergo aer a corpore projecto densatus eadem vi se restituendo, retrorsum per circularem motum subiens dim corpus propellere potest in tantum, in quantum antrorsus fuit condensatus. Item constat maximos naturæ motus ex aeris concussione seu undulatione, aut vi elastica proficisci. 1. In sonoris corporibus: sonus enim nihil aliud est quam aeris densati & dilatati tremor: 2. eadem vi elastica non solum tormenti bellici aut tonitrui motus vitreos cancellos ad aliquot milliaria succutit, sed etiam campanæ, jubæ, tympani sonus corpora solidiora commovet. Sic ubi scyphi vitrei labra digito celeriter moto premuntur, liquor scypho contentus subsultat, & interim guttulæ extra vitrum prosiliunt. Ex quibus licet conjicere a presso aere & vehementius moto emissam sagittam antrorsum propelli. Quin etiam hunc aeris motum, cum paulo celerius progredimur, sensu percipimus, hicque motum suum corpori duro potest imprimere. Sic pueri inter currendum aeris ventum excitant, qui chartaceas & versatiles rotulas baculo affixas circumagit. Neque hæc ad impetum, vel ad qualitatem impressam referri possunt: vix enim id mente concipimus, qua ratione qualitas, quæ facilius nominatur, quam intelligitur, tot & tantos effectus procreat.

Respondeo, prædictos motus vehementes a rarefactione & condensatione aeris & elastica vi oriri, non diffitemur, sed quod negamus est eam sufficere projecto saxo aut globo deferendo: sed aliam causam certiorem inquirimus.

XXI. Dico 3. Impetus a projiciente rei projectæ impressus est motus continuati causa, quicunque ille sit. Hinc navis celerrime acta cum in arenam impingit, & repente sistitur, tum stantes in ea ut plurimum cadunt, eo quod impressus a navi impetus adhuc perseveret. Simili ratione cum sagitta in navi sursum emittitur,

mittitur, quantumvis citissime agatur navis, in eam tamen sagitta recidit: quod impetus ab ipsa navi impressus sagittæ communicetur.

Probatur assert. Hoc ipso projectum movetur, quo a projiciente determinatur ad talem velocitatem & directionem: sed eam determinationem vocamus impetum impressum, ergo is impetus est causa motus continuati. Major prop. explicatione magis indiget, quam probatione. Cum projectum moveri incipit, jam determinatur, non modo ad præsentem, sed etiam ad sequentem motum, donec contraria ad quietem determinatio accesserit: ergo vel hoc ipso quod non adest contraria ad quietem determinatio, motus qui ante fuit, adhuc perseverat: quemadmodum res, hoc ipso quod quiescere incipit, jam determinata est, ut semper quiescat, donec contraria ad motum determinatio accesserit.

Confirm. Cum corpus seipsum, aut aliud movet, actio illa nihil est aliud quam exigentia creaturæ, eum divino concursu conjuncta. Rem enim a se moveri, non est aliud quam rem diversis locis se communicare successive & continue, Deo illam conservante: dum vero movet aut projicit aliam determinationem motus mobili impressam in eo relinquit. Vt vero naturam Impulsus hujuscemodi sive impetus extranei naturam melius capias,

Dico 4. cum D. Joan. Marco Marci, Impulsus dicitur ab impellendo: impellitur autem mobile, dum loco suo expulsum in alium transfertur, aut *simpliciter* aut *secundum quid*, seu per commutationem, dum loco totius immoto partium situs & loca permutantur: quod ipsum duobus modis fieri potest, *inchoative* & *perfecte*. Inchoative dico, quæ secundum nullam partem sensibilem, sed per atomos insensiles vibratione quadam moventur: cujusmodi sunt corpora sonora, quæ dum sonant, motu quodam tremulo subsultant; & quæcunque corpora minorem habent impulsum, quam ut loco moveantur: ut eum tellus, aut saxum malleo percussum tremit quidem ex illo impulsu, secundum nullam vero partem sensibilem loco movetur.

Quod si neque sonum edant corpora, neque tremula vibratione motum testentur, non videntur recipere impulsum, puta si granum milii terræ incidat, aut pulex saltet: minorem enim habet talis impulsus proportionem, quam ut aliquam, quam partem loco moveat, aut aliis avellat.

Tremor autem a percussione non videtur fieri absque distractione atomorum dum minor est impulsus quam ut totum moveat: major vero quam illa vis partium unitiva, qua inter se continuantur. Illa ergo corpora quæ uniones habent solubiles absque reunione, fragilia sunt, cujusmodi vitrum, lapides, gemmæ: quæ iteratis percusionibus, ob plures uniones solutas demum franguntur & dissiliunt. Metalla vero tametsi tremunt sonantque a percussione, ob atomos tamen reunibiles, non nisi cum impetus longius abduxerit, franguntur. Sic aqua in calice vitreo subsultat, & veluti æstu agitur ad motum digiti circa margines circumacti: motu vero accelerato extra calicem salit, suaque aspergine etiam longius adstantes attingit.

Itaque hic Impulsus a principio quidem non nisi secundum quid & inchoative, solum tremorem inducendo: inde commutatione partium, qua in gyrum aguntur, perfecta; demum motu simpliciter movent.

Vt igitur impulsus loco moveat mobile, necesse illam resistentiam, qua in loco suo aut alieno detinetur, superare. Secundum quid autem inchoative movetur, cum æquatis viribus inter se luctantur virtus partium unitiva & impulsus; qua quidem ratione cymbala, chordæ atque æra tinnula moventur. Lapides vero & quæ fragilia sunt, quæ ex impulsu uniones semper depereunt, neque renniri possunt, demum a percussione continuata pluribus unionibus eversis, seu quia impulsui necdum exsoluto alius supervenit impulsus franguntur.

XXII. Manifestum ergo ex his, Impulsum esse virtutem finitam, quæ non quamlibet molem, sed finitam loco movere & impellere potest. Et quia motus ex uno loco in alium non nisi per medium intervallum defert mobile, ejusmodi motum non posse fieri in instanti, sed in aliquo tempore, nec enim simul in pluribus locis adæquatis esse potest.

Porro Impulsus est agens necessarium, motumque producit sibi æqualem. Necessarium dico, non solum quoad exercitum actus, quo modo omnia agentia, quæ non libere agunt, necessaria dicuntur; sed etiam quoad perfectionem actus, hoc est agere secundum totum posse, seu summam perfectionem tribuere suo effectui: quod non faciunt reliqua agentia naturalia, quæ non nisi a levibus initiis ad summa evadunt incrementa, ut patet in calefactione. At vero impulsus statim a principio motum velocissimum producit, qui demum spatii tractu languescit & emoritur. Cujus ratio est, quod impulsus sit qualitas transiens, quæ non potest in subjecto conservari absque motu: quod si enim mobile ad motum concitatum vel uno momento detineas, nullus ex illo contactu sequitur motus: nisi ergo a principio, priusquam virtus exsolvatur, agat, nunquam suum finem assequetur. Vnde a velocissimo & sibi æquali motu exorsus, quantum virium deperit, tantum de celeritate motus remittit.

Neque hic nobis adversantur, qui nescio quas morulas inducunt dicentes velocius moveri illud mobile, quod paucioribus morulis quiescit: nam ex illorum quoque sententia impulsus id quod potest summum operatur, & a principio quidem paucioribus morulis quiescit, inde velut ex illo motu lassatus longiora ducit intervalla.

XXIII. Præterea Impulsus quicunque non nisi per lineam rectam movet suum mobile. Ratio est, quia cum motus sit via ad conjunctionem seu unionem cum suo termino ad quem movetur, erit non sui sed finis gratia, ac proinde sicut nihil deficere, ita nihil abundare debet: at vero sicut in via recta nihil deest ad finem consequendum, ita omnes reliquæ abundant; abundare enim dicitur, absque quo finis potest obtineri. Deinde cum Impulsus sit agens necessarium, habebit & actionem & modum agendi determinatum. Determinatio autem, non nisi linea recta potest esse, cum hæc sit una, lineæ vero obliquæ infinitæ.

XXIV. Vtrum autem ille Impetus aut determinatio sit qualitas quædam a projecto distincta, quæ motum ipsum aut efficiat, aut exigat, magna contentione certatur: neque id magni est momenti ad explicanda motus phænomena. Pars affirmativa apud

Peripateticos communior est, quibus hac in parte consentit Faber, alias inimicus qualitatum absolutarum. Negarivam propugnant Cartesiani, qui volunt ad motum nec plus nec minus requiri quam duas causas partiales coeuntes in unam totalem, quarum altera est causa efficatrix, altera determinatrix. Quæstionem hanc problematice sustinet Phil. Burgund. tom. 4. Tract. 2. Phys gen. cap. 2. cond. 3. ad quem remittimus Lectorem.


SUBSECTIO I.

De variis motus affectionibus.

XXV. Cum motus sit ex earum rerum genere, quæ crescere aut minui, plus minusve suscipere dicuntur & de quibus quæri potest, quantæ sint, suam is habet quantitatem, quæ ex duplici potissimum capita desumi debet, ex materia tum, aut pondere ipsius corporis, & ex velocitate motus. Quo enim corpus majus est, hoc etiam habet majorem motus quantitatem. Corpus, quod alterius est duplum, si utrumque eadem velocitate moveatur, quod majus est & alterius duplum, duplam itidem motus quantitatem est habiturum: nam in ejus parte dimidia tantum erit motus, quantum in minore corpore.

Non dissimili ratione si duo corpora æqualia inæquali velocitate cieantur, adeo ut unum duplo velocius, quam alterum moveatur, quantitas motus in velociore dupla futura est. Nam si eam habeam vim, qua globum intra minutum unius horæ usque ad centum pedes projiciam: ut eodem tempore usque ad 200. pedes eum impellam, vi motrice seu potentia dupla mihi opus erit: & dupla quoque in velociore corpore erit motus quantitas. Sic igitur minoris ponderis vis majori velocitate pensari potest.

Atque ex hoc velut principio Mechanica omnis & Statica, quæ circa rerum pondera versatur, omnino profluit. Eo quippe Machinas adhibemus, ut earum ope magna attollamus pondera, ea tamen lege ut eadem proportione minoris corporis velocitatem augeamus, qua illius pondus aut materia minor est. Id igitur commune est principium totius Mechanices, ut inæqualia pondera sint in æquilibrio, cum inter pondera & velocitates motuum est reciproca proportio, hoc est, si pondus C tanto sit majus pondere D, quanto velocitas corporis D, major est velocitate corporis C, tum fit æquilibrium: quantum enim unum corpus vincit alterum pondere, tantum velocitate motus superatur. Velocitatem motus determinat recta linea a centro immobili A. ad corpus ducta: tum enim pondus D majus spatium DE eodem tempore decurrit, quo pondus C ascendendo conficit spatium C B.



Hinc in infinitum vires possunt crescere: quo enim pondus D, longius a centro immobili A recedet, hoc majorem circuli portionem DE describet; major adeo erit illius velocitas & potentia, quam Mechanici *momentum* appellant. Atque hæc vera est & physica ratio illius Principii, cui machinatrix omnis innititur: id quidem per longas & difficiles ambages demonstrant Mathematici, sed physicam rationem non afferunt.


Ex his efficitur dari motum continuum, nec tarditatem motus ex interceptis moruulis repeti oportere. Cum enim movetur corpus D, & descendit ad punctum E, simul corpus C. tardius quidem, sed minime interrupto motu ad punctum B ascendit: atque ut augeri in infinitum potest motus corporis D, sic & minus in infinitum potest motus corporis C; nec tamen interrumpitur. De velocitate motus infra recurret sermo, nunc ad aliam motus affectionem transeamus, nempe ejus Determinationem.

Est autem Determinatio motus qualitas, nec cum ipso motu confundi debet. Cum enim pila reticulo (vulgo raquetta) in parietem projecta resilit, manet idem motus, sed determinatio mutatur. Quantitas autem a vi impellente pendet; determinatio vero varia pro situ parietis & ipsius reticuli, adeo ut diversæ sint motus & determinationis causæ. Vna quidem est & naturalis cujusque motus determinatio, nempe in rectam lineam, quam ubique natura affectat. Nec corpus, quod recta movetur eam mutat determinationem, nisi aliqua causa exterior eam motus directionem immutet. Ac sæpius quidem in circularem lineam deflectit, cum scilicet circumfusa corpora ubique obstant; ut cum injectu lapidis plures circuli in stagnante aqua describuntur: aqua quæ a lapide loco suo pellitur, in rectam lineam moveri nititur, sed ubique aqua circumjecta obstat: Hine motus fit in orbem, quod ubique motus rectus occursu corporum alio deflectitur. Id tamen liquet omnem motum in rectam lineam tendere, cum motui nihil obstat. Sic in circumacta funda ubi lapis non amplius retinetur, in rectam lineam projicitur, quæ quidem recta cum circulum contingat, *tangens* vocitatur. Sic rotæ agitatæ, aut arenulæ grana, aut aquæ guttæ impositæ motu ipsius rotæ impelluntur, & tangentes lineas motu suo describunt.

XXVI. Ex quo fit ut in motu etiam circulari, quod movetur, rectam lineam affectet, & quantum potest a centro recedat. Vnde quo celerius funda circumagitur, hoc funiculi magis tenduntur. Cum igitur corpus mobile in unam partem potius quam in aliam tendit, ea dispositio aut tendentia aut determinatio dici solet, quæ formaliter, ut ajunt, ab ipso motu distinguitur. Est enim quædam illius modificatio, nec tam motus inter se sunt oppositi, quam ipsæ determinationes. Nam ubi pila in parietem impacta reflectitur, verosimile est eundem esse motum, sed contraria est ejus determinatio.

Simili quidem ratione motus omnis simplex est: unam enim describit lineam aut rectam aut curvam, & ab uno in aliud punctum tendit. Sed Compositus dicitur motus, cum duæ aut plures causæ mobile seorsum movere conantur, idque in diversa trahunt. Sic autem id movetur, ut determinatio ipsa utrique vi motrici satisfaciat. Cum v. g. tormenti bellici globus exploditur, hic uno quidem motu fertur & lineam describit: sed duæ sunt tamen potentiæ aut vires, quibus

bus satisfaciendum est: una quæ ab accenso pulvere, altera quæ ab ionata gravitate oritur. Illa in scopum dirigit; hæc deorsum urget; adeoque motus fit compositus ex horizontali seu parallelo, quo in scopum dirigitur, & perpendiculari deorsum. Quod cum permagni sit usus, ut motuum natura perspecta habeatur, non erit alienum rem ipsam velut oculis subjicere.



Corpus A duplici motu in duas partes feratur; in E motu horizontali, seu ad libellam, & in N motu perpendiculari: adeo ut si duo illi motus essent separati eodem tempore lineam AE & AN duo corpora mobilia decurrerent. Ponamus utrumque motum esse & æquabilem & uniformem; sic tamen, ut alter sit major, quantum scilicet recta A E, major est recta AN.

Quæritur 1. Quam viam insistat mobile A, neq; enim per lineam AE, neque per lineam AN ferri potest. Quo igitur utrique satisfaciat, lineam inter utramque mediam seu diagonalem A G, motu suo composito describet. Sic eum motum est habiturum, quem utraque causa, aut vis motrix exigit.

XXVII. Quæritur 2. Quomodo definiri possit quo loco mobile singulis momentis aut minutis futurum sit? Resp. utramque lineam in partes æquales dividamus, AB, in B, C, D. Similiter rectam AN, in I, L, M, ita ut mobile, si solus esset motus horizontalis, primo minuto temporis in B, secundo in C, 3. in D existeret; & si solus esset motus perpendicularis AN, primo minuto esset in I. secundo in L. &c. Palam itaque est, mobile, quod motu ex utroque mixto fertur primo minuto futurum in puncto 2, tum secundo minuto in 3, tum in 4. Nam propter motum horizontalem primo momento temporis erit in linea B O, sed propter motum perpendicularem erit eodem tempore in linea I S. Sic ergo in utriusque concursu 2, reperietur. Similis est ratio de reliquis.

Rem vero ita se habere exemplo familiari demonstrandum. Ponamus navem ab A, in E. ferri motu horizontali, ac simul globum ex summo mali A deorsum mitti. Globus ille motu composito agitatus, per diagonalem sic feretur, ut malum nunquam deserat. Cum enim malus ad B pervenerit, globus erit in 2. Cum ad E. navis lata fuerit, globus erit in G & ad pedem mali decidet. Imo si e pede mali sagittam sursum emiseris, quantacunque celeritate moveatur navis, sagitta ad pedem mali recidet, neque eum unquam decidet. Quod duplici motu fertatur, uno communi & horizontali, quem a navi mutuatur, altero sursum qui ab alto imprimitur. Cum tamen motus deorsum non sit æquabilis, sed per numeros impares acceleretur: globus aut sagitta motu composito non rectam lineam A G, sed curvam describit. Hoc ipsum Gassendus Massiliæ coram Illustrissimo Præfecto Provinciæ variis experimentis comprobavit.

XXVIII. Nota hoc phœnomenon explicari debere tam in sententia communi statuente terram immobilem, quam in Copernicano Systemate, quod omnes pene Astronomi hujus ætatis sequuntur, qui Sole in centrum Mundi relegato, terram inter sidera consecrant. Nicolaus iste Copernicus Turonensis Canonicus Fruemburgi in Vuarmia provincia Russiæ natus A. 1472. vel 73. 10. Febr. obiit 19. Jan. septuagenarius: nempe A. 1543. Discipulus Dominici Ferrariensis celeberrimus suo ævo Astronomus vocatus fuit ad Concilium Lateranense in negotio concordandi annum civilem cum Astronomico, fuitque præcipuus auctor cur sub Gregorio XV. A. 1582. decem dies expuncti fuerint e Kalendario mense octobri: & quamvis Acatholici pertinaciter agnitæ veritati repugnantes errorem suum ex odio potissimum in Pont. Rom. prosecuti fuerint, Anno tamen 1700. plerique Reformationem eandem admiserint, decendio eliminato ex Februario, ita ut Martii calendas nobiscum inchoarint. Hæc παρεργῶς.

Inter Recentiores des Cartes, vulgo Renatus Cartesius Copernicanum Systema multum illustravit, in varios velut vortices aut turbines totum hoc Universum distribuens: ita ut tot sint magni vortices cœlorum liquidorum quos stellæ, & Sol una sit ex stellis. Hic adeo ceotrum sui vorticis occupat. Solem efficit materia primi Elementi tenuissima, quæ est quietis impatiens: hinc Sol rapidissime circa se vertitur, atque eodem prorsus motu cœlum Planetarium & Planetas ipsos circumagit, eo majore impetu, quo Solem vicinius petunt.

Alii autem vortices minoris notæ, circa terram, Martem, Venerem, Jovem, Saturnum & alios forte Planetas torquentur: adeo ut Terra 365. vicibus circa suum centrum volvatur, dum semel circa Solem communi vertigine circumvolvitur. Satellites Jovis peculiarem cum Jove ipso vorticem constituunt, ut Saturni satellites cum Saturno. Sic Luna circa terram duodecies & amplius volvitur, cum telluris globus semel circa solem gyrat. Vide Phil. Burgund. tom. 5. c. 5.

XXIX. Contra quam quidem sententiam, quatenus Terræ motum inducit, opponi solet 1. Terram esse corpus gravissimum, & ad motum minime idoneum. 2. Quod si ea spatio 24. horarum circa suum centrum ageretur, fore ut ædificia brevi corruerent, ac terra ipsa tanto impetu agitata dissolveretur. Nam ut rota citissime acta globulos sibi impositos procul expellit; sic terra tanta incitatione mota turres & ædificia excuteret: non secus atque is, qui secundo flumine & velis passis devehuntur, hunc motum minime sentiunt: sed ubi navis in orbem gyrat: tum qui stant vacillare incipiunt, & proni cadunt. 3. Nec demum gravia ad perpendiculum deciderent: eum enim cadunt, jam longius terra provecta est, neque corpus grave in id terræ punctum, unde emissum est, relabi potest. Ad hæc

Respondent Copernicani, has & similes rationes ex falsis sensuum præjudiciis duci, neque eos qui populares has afferunt ratiunculas, satis advertere telluris globum una cum aere diurna vertigine abripi. Cum itaq; ædificia ipsa una cum terra & æquabili motu defe-

 ran-

rantur, nec telluris motui resistant, non est quod metuamus ne corruant, aut terra ipso tanto motu dissipetur, nisi forte in corpus aliquod solidum offendat, vel repente sistat. Exemplum totæ prorsus est dissimile: nam motum terræ circumfusus aer & corpora terræ imposita ex æquo participant.

XXX. Sed gravia, inquiunt, ad perpendiculum non reciderent. Respondetur motum gravium absolutum esse curvilineum, tametsi motus respectivus quem solum percipimus, sit rectilineus. Vt sagitta e pede mali in navi magna celeritate acta ad pedem mali relabitur, quique in navi vehuntur cum motum perpendicularem decernunt: licet ii qui stant in litore, aliter dijudicent: Atque hanc similitudinem non prætervolant. In navi, inquiunt, tam facile versus protam, quam versus puppim ambulamus: licet is qui versus puppim progreditur, majus spatium in aquæ plano conficiat: Sed motus relativus idem omnino est: ac pisces in pelvi positi in omnes partes eadem facilitate natant; nec bombardile longius versus puppim quam versus proram globum emittit. Sic licet Terra citato cursu ab occasu in ortum promoveatur, nihilominus eadem prorsus accidunt, ac si immota consisteret: nam gravia cadere videntur ad perpendiculum; in omnem partem libere & æqua facilitate ambulamus, nec motus terræ vel incessum animalium vel avium volatum quicquam morari potest: quod communis motus imprimatur terræ, aeri & omnibus quæ terra & aere continentur.

XXXI. Sed, instant, vix credibile est aera ipsum eodem cum terra motu abripi: nam illius partes sunt male inter se colligatæ, ac motum reluctantis aeris non sub æquatore modo, ubi motus terræ est concitatissimus, sed etiam in aliis regionibus nullus non perciperet.

Respondent Cartesiani Solem circa suum centrum agitari, atque hoc motu expansum in Mundo planetario æthera impellere, quo agitato terra & cæteri planetæ, tanquam naves in medio mari cientur, eo tardius quo longius a centro distant. Sed interim in hoc magno vortice sunt alii minores, in quibus singuli planetæ circa suum centrum gyrant, & minores interdum planetas, secum abripiunt. Sic Luna circa telluris globum Jovis & Saturni satellites circa Jovem & Saturnum aguntur, eo celerius quo Planetæ Principi, Jovi nimirum aut Saturno sunt propiores. Motus vero terræ inter Tropicos utcumque percipitur: quandoquidem in ea regione perennem ventum ab ortu in occasum perflare experiuntur, qui in Indias navigare solent.

SVBSECTIO II.

Aristotelis fundamenta quibus Mundi æternitatem superstruxit.

XXXII. Arist. in 5. Phys. fundaturus dogma impium, quod motus & tempus semper fuerint, Mundusque sit æternus, has ponit Conclusiones vid. ante omne *nunc* præfuisse tempus: & ante tempus, *nunc*, hoc est indivisibile temporis instans: & ante omne mutatum esse, præfuisse mutari: & ante omne mutari, præfuisse mutatum esse. Vnde opus habuit in linea præponere lineam, & ante omnem lineæ partem, præsupponere punctum (in quo incipit detegere ipsemet suas fallacias). Jam sic arguit: Omne quod movetur in aliqua parte temporis, motu uno movetur in qualibet parte illius temporis & spatii. Et quod mutatur non potest esse in eodem loco & statu per duo nunc: alioquin intercideret quies: nam quiescere est per aliquod tempus esse in eodem loco. Similiter quod quiescit in uno tempore, quiescit in omni ejus parte, nec per duo nunc posset esse nunc quiescens.

Iterum, non datur motus in mobili indivisibili, neque in indivisibili temporis, h. e. neque in atomo, neque in *nunc*. Dantur tamen termini motus in nunc.

Probat. autem Arist. primam conclus. quoniam omne quod movetur est inter terminum *a quo* & *ad quem*: & non in *a quo*, alioqui nondum se movet: nec in *ad quem* quia motum jam esset. Ergo partim est in a quo, & partim in ad quem; sed quod habet partem est divisibile, ergo non est atomum, ergo atoma & puncta non moventur nisi per accidens ad motum corporis quanti & partibilis.

2. Contra Democrit. arguit Arist. Si atomum movetur, vel movetur in spatio majori, quam ipsum mobile, quod est falsum, (Commensuratur enim spatium & locatum,) vel in minori, & non datur (nihil enim minus indivisibili) ergo in æquali; Sed æquale est punctum, ergo transibit & tanget omnia puncta spatii. Sed spatium est divisibile in infinita puncta, ergo infinita pertransibit actu, quod est impossibile, quoniam nunquam ad finem motus perveniet.

Probat secundam conclus. nempe dari terminos motus in nunc. Quoniam idem *nunc* est finis præteriti, & principium futuri, sicuti punctum in medio lineæ, ergo indivisibile, alioquin pars præteriti esset in futuro & pars futuri in præterito. At si aliquid moveretur in instanti, sequitur quod instans, scilic. *nunc*, esset divisibile. Nam idem spatium, quod pertransitur ab aliquo mobili tardo in uno *nunc* pertransibitur a velociori in minori tempore, ergo *nunc* divideretur, quia in dimidio *nunc* velox, in toto *nunc* tardum mobile transirent.

Quod autem motus terminetur in *nunc* & non in tempore, sic probat. Tempus enim divisibile est, ergo si motus terminatur in tempore divisibili, hoc fiet vel in partibus utrisque ipsius divisi, ita quod in utrisque mutatum est perfecte: & hoc non potest dari, quia non est mutatum primo in toto tempore, sed in partibus; vel in utrisque mutabuntur, sed non mutatum est, & hoc etiam impossibile, quia supponitur, quod motus sit omnino terminatus. Ergo necesse est quod in instanti: neque enim in una parte mutatur, in alia parte mutatum est, cum supponatur in tempore divisibili terminatus esse motus.

XXXIV. Deinde hoc Dogma statuit Arist. Non potest dari prima pars temporis, in quæ incepit motus: nec prima pars motus, in quo incepit moveri: nec prima pars spatii, super quo cœpit motus. Sed ante omne tempus est *nunc*, & ante omne *nunc* tempus, ut ante omne mutatum esse mutari, & ante omne mutari, est mutatum esse: & ante omnem lineæ, in qua fit motus, partem, est punctum; ut ante omne punctum est linea.

Putant autem hæc probari posse ex eo, quod nullum Continuum componitur ex indivisibilibus & punctis: Etenim ea continuantur, quæ extrema habent simul, vel quorum extrema sunt unum. Sed puncta non habent extrema, quia carent partibus: extremum enim præsupponit partem priorem, ergo non possunt continuari, neque se tangere: neque enim pars

pars puncti tangit partem alterius puncti, alioquin non esset indivisibile: neque totum punctum: si enim esset totum, haberet partes: Neque se habent consequenter, ea enim se habent consequenter, inter quæ non mediat aliquid sui generis, ut duo milites, aut duæ arbores ordinarim positæ: sed inter duo puncta semper est aliquid medium ejusdem generis in linea, id est linea media, probatum est enim quod duo puncta non possunt se tangere, ergo distant, ergo aliquod inter ipsa est medium. Hoc autem non potest esse nisi linea. Nam si esset punctum, redirent eædem difficultates, ergo necesse Continuum non componi ex atomis, ergo neque tempus ex *Nunc* seu instantibus, ergo nec motus ex momentis, sed ex partibus minoribus & absque fine divisibilibus.

Sicut autem motus non componitur ex momentis, ita nec spatium in quo mobile movetur, ex punctis. Patet, si enim motus componitur ex momentis, ergo mobile mutatum est super totam magnitudinem, super quam nunquam movebatur; vel pertransivit magnitudinem nunquam pertransitam. prob. consequentia, quoniam momentum est mutatum esse, non autem moveri. Si ergo motus constat ex mutatis esse absque moveri, sequitur quod mobile pertransierit magnitudinem nunquam pertransitam, & mutatum esse super magnitudinem, super quam nunquam movebatur.

XXXV. Ex his deducitur in Aristotelismo, quod si spatium, & tempus & motus non constant ex indivisibilibus, ergo non datur prima pars temporis in quo incepit motus, ut ait in 6. phys. Nam si illa pars prima esset indivisibilis, ergo tempus constaret ex indivisibilibus *Nunc*, cujus contrarium probatum est. Si autem divisibilis, ergo dividitur in priorem & posteriorem partem, ergo prima pars temporis, in quo motus incepit habebit priorem, quod implicat.

Et in 8. Physic. Ex hoc quod ante omne instans *nunc*, est tempus, quoniam non datur *nunc*, quod sit principium futuri & finis præteriti, concludit tempus esse æternum & motum, ergo æternum mobile Cœlum & Mundum &c.

Rursus probat, quod ante omne mutari præcedit mutatum, hoc est momentum. Antequam enim fiat aliqua pars motus, jam mobile mutatum est. Nam nunc in tempore, & punctum in linea, & momentum in motu proportionaliter sese habent. Sicut ergo ante omne *nunc* est tempus, & ante punctum omne est linea, ita oportet ante omne momentum præsens præcedere moveri, & econtra.

Ex erroneis hisce principiis varias deducunt Peripatetici consequentias, v. g. successivorum & permanentium pendentium a successivis non dari primum nec ultimum esse &c. Contra quos

Asserimus cum S. Thoma in 1. Dist. 1. q. 1. art. 5. ad 6. *Dari primum & ultimum momentum in quolibet motu.* Quemadmodum sensus contestatur in datis lineis, & alterationibus & motibus: stultum est autem relinquere sensum propter rationem opinionis diffidentem. Hinc

Solvuntur objectiones.

XXXVI. Zeno ex iisdem principiis, quibus Aristot. negat dari primum momentum, & nunc, & punctum in continuis, probat nec dari motum, & quidem efficacissime. Nec rationes ejus Aristoteles solvere potuit; quod ut manifestum fiat, & ex hoc Aristotelis sententia, ejusque asseclarum Peripateticorum per propria dogmata evertatur, argumenta Zenonis examinabimus.

Ait Zeno & arguit (1) quidquid movetur super aliquod spatium, antequam transeat de uno in alterum extremum, transit per medium; & antequam transeat medium, pertransire debet dimidium medii, & ante dimidium adhuc aliud dimidium illius dimidii. Cum autem media sint infinita, quia omne continuum dividitur in infinitum per Aristotelem sequitur quod non possit transiri, ergo non terminatur motus, neque fit.

(2) Si datur motus, sequitur quod tardissimum mobile non potest attingi a velocissimo mobili incipiente moveri post ipsum, ergo neque canis assequetur testitudinem currendo. Si enim testudo transierit duos passus viæ antequam canis incipiat moveri, tunc certum est quod antequam canis transit spatium duorum passuum, testudo jam transiverit aliud vel modicum viæ spatii; & cum canis transierit illud modicum a testudine peragratum, jam oportet transisse aliud modicum testudinem, quod nondum transivit canis; & sic deinceps semper aliud modicum absque fine, ergo nunquam attingetur a cane, ergo non datur motus nisi apparenter cum videtur, & hæc ratio etiam in dogmate Aristotelis vim habet.

(3.) Omne quod est in loco sibi æquali, aut movetur, aut quiescit: ergo in quolibet nunc aut movetur aut quiescit: sed mobile est in quolibet nunc in loco sibi æquali, ergo vel movetur vel quiescit. Sed non movetur, quia per Aristot. non fit motus in *Nunc*, ergo quiescit in quolibet instanti. Dicere autem quod nec movetur nec quiescit, est contra Peripateticos & Aristot. cum quies sit privatio motus, ergo simul abesse non possunt.

(4) Rota in gyrum supra suo centro commota semper stat in eodem loco & semper movetur, ergo simul mutat locum & non mutat, ergo falsum est, quod vere moveatur. Hæc Zeno.

Resp. Arist. ad (1) in 6. phys. Quod potest pertransiri infinitum spatium in tempore infinito, utrumque enim est absque fine divisibile. Hanc tamen resp. in 8. phys. reprobat tanquam insufficientem. Remanet enim quæstio quomodo in tempore infinito possit fieri transitus: idcirco respondet, quod mobile non utitur infinitis in actu, sed in potentia. Illa enim non possunt pertransiri, quoniam tangere infinita in tempore non sufficit. Ista potest, quoniam non nisi in potentia sunt. In idem tecidit modernorum Responsio dum ajunt, dist. maj. Infinitum actu & Categorematicum non potest pertransiri. C. infinitum potentia. N.

Sed hæc solutio nulla est, ubi mobile esset atomum. Cum enim (uti ipsemet contra Democrit. arguebat) non possit atomum in toto motu esse, nisi in loco sibi æquali, quod est punctum, tanget semper puncta successive, quæ cum sint infinita, ergo transibit infinita actu. Hæc autem ratio est Aristotelis: quod autem atomum possit moveri etiamsi non per se (hoc enim nihil ad rem) probatur ex ipso Aristot. & Mathematicis docentibus, quod sphæra tangit planum in puncto; puta si sphæra perfecta volvatur stricte supra planum perfectum continue non nisi puncta tanget. Ergo & dogma Aristot. quod omne continuum dividitur in infinitum, & ratio Zenonis super

hoc

hoc fundata, vana sunt. Et forte magis contra rationem & sensum est affirmare, quod in grano milii sint æque infinitæ partes ac in toto Mundo, quam negare motum cum Zenone, quæ negatio ex hoc dogmate oritur. Destruitur ergo Physiologia negato motu: & Mathematica, si totum non est majus sua parte. Siquidem omnis pars lineæ æqoe divisibilis est in infinitum, ac tota linea & totus Mundus: & tandem in partes æqoales magnitudine post plurimas divisiones, & numero, quoniam utræque infinitæ, vel daretur Infinitum majus Infinito.

Resp. Quod infinita formaliter sunt æqualia, non materialiter, quoniam partes milii sunt minores quam Mundi partes. Sed falluntur, quia Infinitas non est quædam forma materias inæquales informans, sed ipsius materiæ immensitas & innumerabilitas. Quapropter partes Mundi licet sint majores partibus milii, dum finitum est utromque: tamen partes Mundi per infinitam divisionem ad minimitatem partium milii deducuntur; nec transeunt ultra infinitatem partium milii, alioquin istæ non essent vere infinitæ. Si enim unum infinitum excedat alterum, deerit aliquid alteri & extra ipsum esset aliquid, ergo non esset de ratione infiniti ratio infiniti. Omitto quod totum non erit majus sua parte, & essent plura infinita, quoniam partes toti insunt. Non potest autem dividi nisi in partes quæ actu insunt, ut Aristot. & S. Thomas fatentur. Ergo absurditates Aristotelis sunt plures & atrociores quam Zenonis; & omnium scientiarum fundamenta evertunt, nec solvunt argumenta Zenonis.

Ergo vera solutio hæc est, quod media sint finita, & pauciora in minori spatio, pluraque in majori secundum rem: at sola imaginatione Mathematicorum Peripatetic. in hoc dogmata stare.

Ad (2) respondet Aristoteles quod licet dum duos pedes spatii pertransitos a testudine canis transit, testudo etiam aliquid plus peragit: tamen in eodem tempore canis transit aliquid plus quam duos pedes, & dum plusculum pertransit testudo, plus & plusculum absolvit canis. Recte quidem, si non quamlibet particulam in æque infinitas partes atque majores ipse partiretur: & quia probavimus etiam actu tangi & distingui a mobili, sequitur quod dum canis facit infinita grandia non plus consumit, quam dum infinita parva: idem enim tempus infinitum requiritur ad numerandos infinitos ciceres atque infinitos boves.

At cum arguunt Peripatetici, quod non potest Mobile velox in uno nunc transire nisi punctum unum & momento uno: similiter & Tardum non potest minus uno puncto transire in uno Nunc: alioquin daretur aliquid minus quam punctum, & indivisibile esset divisibile. At si ex Nunc tempus, & ex punctis spatium constaret, in eis nunc fieret motus velocis & tardi, ergo illud non præcederet istud. Si dicas interponi morulas in motu tardi, sequitur quod in eodem puncto simul movetur & quiescit. Item clarum est in rota, quod partes priores centro tardius moventur, distantiores citius in eodem tempore, ergo non dantur morulæ in tardo: nec velox potest transire plura puncta in nunc: esset enim simul in duobus locis sibi adæquatis, quod est naturaliter impossibile. Si enim componeretur ex 4 punctis, & in nunc transiret octo; tunc esset simul in 4. primis punctis, & in 4. secundis.

Respondetur, quod velocissimum facit unum punctum in nunc, tardum vero in pluribus nunc. Non quia nunc quiescit, & nunc movetur, sed simul. Motus enim tardus compositus est ex quiete & motu, sicut color rubeus ex albo & nigro non distinctus, ut patet in descensu arenularum intra aquam. Et motus partium rotæ propiorum centro immobili plus participat de quiete, ut viridis color plus de nigro, quam flavus, ergo corruunt contraria argumenta. Verum de tarditate & velocitate motus mox specialiter agemus juxta nostra principia.

Ad (3) Zenonis respondet Arist. quod mobile in instanti nec movetur nec quiescit, sed dum movetur in qualibet parte temporis movetur: partes autem temporis finitæ sunt, non autem *nunc*, in quibus nec motus nec quies fit. Zeno autem errat componens tempus ex meris nunc indivisibilibus.

Hæc tamen responsio nulla est, tum quia in quolibet nunc temporis, verum est dicere, si quid movetur, hoc nunc movetur: & mens divina infinita, si nunc in potentia solum sunt infinita, actu poterit ea cogitare, ergo in quolibet nunc videbit actu motum, quod si in nunc non potest fieri motus nec quies, ut Arist. putat, ergo secundum divinam scientiam non movebitur mobile illud, nec stabit: & hoc vult Zeno, quippe qui, ut Plato in Parmenide narrat, scripsit, res secundum veritatem divinam non moveri, quoniam, secundum ipsam sunt omnia unum. Vnum autem caret motu & quiete, ut ibi probatur: licet secundum rerum divisiones & naturas aliter ipse quoque Parmenides scripserit: duo esse nimirum principia, Ignem & Terram, & generationes & motus secundum hæc asserunt, ut ipsemet Arist. in 1. de generat. narrat. Vnde ostendit se potius verba male intellecta, vel male interpretata antiquorum carpere quam dogmata, ut etiam D. Thomas non semel fatetur.

Præterea, si infinita *nunc* sunt in tempore, & in qualibet temporis particula, ut docet Arist. non divisa actu sed potentia, sequitur quod sint infinitæ actu partes, aliter in potentia divisibiles & numerabiles. Vnumquodque enim dividitur in ea, quæ insunt actu, ex 5. Metap. per Arist. & D. Thomam. At cum transeunt necessario numerantur. Sicut enim ipse docet, præteritum & futurum non datur, sed præsens nunc semper; ergo nunc actu divisum est semper a præterita & futura parte. Id enim quod est, separatum est, ab eo quod non est, multo magis quam ab eo quod est. Ergo actu succedunt sibi invicem nunc infinita, & non in potentia solum.

Hæc eadem ratio formatur in motu: momenta enim indivisibilia sunt, nec datur actu nisi momentum: præterita enim pars motus & futura non extant, momentum autem extat incessanter, & cum unum transit, alterum succedit, proprio actu sunt ipsa & non moveri, sed momenta. Ergo sequitur quod Zeno dicebat, non dari motum & moveri. Quod si ante quodlibet nunc & momentum quodlibet datur tempus & moveri, ut vult Arist. sequitur quod infinitæ actu partes temporia & motus divisæ per nunc & momenta fiant.

Præterea Arist. docuit, quod ista se comitantur, motus, tempus & mobile, ergo cum probaverimus, mobile in puncto tangere spatium super quo movetur, & numerare omnia puncta; consequens est, ut actu omnia *nunc* discernantur, & omnia momenta: cuilibet enim tactui punctuali correspondet suum momentum

&

& suum nunc secundum Arist. ergo vel dogmata falsa docet, vel hæc alia falsa simul concedat.

Ad (4) ait, quod licet secundum totum stet, mutatur tamen secundum partes. Dein probat, quod etiam secundum totum, quoniam non oportet, quod mutat locum, totaliter recedere a primo, qood quidem verum est: satius tamen dixisset, si situm partium, non locum rotæ mutari dixisset. Item partes viciniores centro immoto componere motum suum ex immobilitate centri, & mobilitate circumferentiæ, ideoque tardiores: sicut viciniora centro ponderis in statera declarant.

XXXVII. Ex dictis colligitur, si rationes fortissimæ Zenonis contra principia Peripatetica non tollunt motus existentiam: multo minus fragiles Aristotelicæ tollunt principium temporis atque motus manifestissimum.

Et quidem sicuti *τὸ nunc*, est principium futuri & finis præteriti; sic oportet tempus habere utrimque terminos, sicut & linea suos. Etenim recipit omnis pars temporis finem & principium. Ergo & totum tempus. Sic quidem arguebat S. Iustinus Maryr contra Arist. Siquidem *nunc* est genitum, & futurum est generabile nondum genitum, similiter & præteritum. Etenim omne præteritum prius fuit futurum, ergo factum est ut fieret præteritum.

Præterea ait Arist. Nunc presens non potest esse principium futuri, futurum enim nondum est, præsens autem est; non potest autem Ens esse pars non entis: alioquin sequeretur quod futurum, quod nondum est, jam esset in nunc: omne enim principium ordinis est pars rei principiatæ. Quapropter recte conlcudit Iustinus nunc fieri, neque posse esse ubique principium futuri, & præteriti finem; alioquin & præteriti pars esset præsens & pars futuri, & quæ non sunt essent. Et hæc ratio valet per conclusiones Arist. quorum enim datur (ait) primum esse non datur ultimum non esse: si enim dari non potest ultimum non esse futuri, ergo neq; poterit incipere esse, quia semper fuit: quod autem est, non fit: quod si futurum non semper fuit: & omne præteritum aliquando fuit futurum, ergo omne præteritum factum est, ergo falso Aristot. æternitatem temporis ex ratione ipsius nunc venatur.

Quando igitur probat Aristot. quod cujus datur primum esse per motum, ejus non datur ultimum non esse, fallitur: etenim in creatione Mundi, quando accepit Mundus primum sui esse, habuit immediate ante ultimum suum non esse: & cum homo primum tangit lapidem, immediate ante tactum præcessit non tactus lapidis; & similiter cum calefit aqua aliquo gradu addito caloris, vel aer frigefit immediate, ante esse primum frigiditatis in aere præcessit ultimum non esse frigiditatis. Nam si non venit unquam aer ad ultimum non esse frigoris, ergo non potuit pervenire ad primum esse frigoris, & frustra Arist. præcedentem privationem facit principium per generationem abolendum. Tuto itaque dicimus quod post instans ultimi non esse, sequitur illud instans primi esse. Etenim omnis motus, ut ipse Arist. probat, terminatur in instanti. Motus autem corruptionis perficitur in ultimo non esse caloris, quod sequitur esse frigoris per generationem. Argumentum autem Arist. fundatur in falso supposito, vid. instans instanti non posse immediate succedere, quod est falsissimum. Post quodlibet enim Nunc, possumus dicere nunc, & sequitur nunc, nulla interposita mora; uti etiam punctuatio facit lineam nullo interposito. Et linea dividitur in duo puncta immediata ubicunque, quæ sunt extrema divisarum; sic & motus in momenta &c. tempus in nunc præteriti & futuri: non enim idem nunc est finis & principium; cum immediate antecedant & sequantur alia nunc, ut in linea recisa.

XXXVIII. Omnes ergo conclusiones Aristot. hac in parte portentosæ sunt & vanæ: Omnis enim creatura habet primum & ultimum sui esse, & sui non esse, quacunque fiat & perdatur mutatione, tam permanentes, quam successivæ, & quidem intrinsece & extrinsece. Linea enim habet primum & ultimum punctum intrinsecum, ut principium & finem: & habet principium & finem extrinsecum, illud esse alienum, quatenus est non-esse suum. Incipit enim a suo non esse, & sic definit in suum non esse adjaceotia extremis punctis. Sic tempus extremis nunc suis: & motus extremis momentis suis, quæ a non suis extrinsece terminantur, ut Majus habet pro terminis intrinsecis primum, & ultimum diem suum: pro extrinsecis ultimam Aprilis, & primam Junii.

XXXIX. Nos in his cavillationibus negamus suppositum & Zenonis & Aristotelis, dicimus enim Continuum nec ex Atomis meris, nec ex partibus in infinitum divisibilibus componi. Non ex atomis, nec enim hæ sunt materia materiei: attamen dicimus posse dividi in atoma, quæ cum uniunrur non accipiunt certos fines & contactus ordinatim, sed fiont unum ex mul[illegible]. Cum ergo ait Aristot. si continuantur ergo habent extrema, ergo & partes, nam ea dicimus continuari, quorum extrema fiunt unum, vel simul, apprime fallitur. Non enim in extremis uniuntur sicut arenulæ & farinarum particulæ, sed totaliter fiunt unum.

Extremorum enim applicatio facit tactum, non unitatem, quando materiæ sunt duræ & per se seorsum subsistentes, quales Democraticæ. At quando fiunt una res, sicuti aqua & similaria prorsus entia fiunt unum continoum alio modo certiori, quem natura qualitatum & primalitatum vi operatur. Ars enim dividit & jungit particulas, non autem condensat & rarefacit. Democratici autem hanc continuitatem non percipiunt, quoniam ex divisis & per se existentibus omnia cumponunt. Nos autem ex materia unissima: sibique prorsus consimillima, eademque cujus similaritas longe major est, quam partium aquæ inter se aut auri aut aquæ vitæ. Omnis enim dissimilitudo in materiæ partibus, ab agentibus causis & actionibus variis innascitur.

At si quis cavillose contendat hanc esse fictam unionem, & respondeti oportere ad hoc quæsitum de atomorum tactu, quandoquidem istorum continoatio esse nequit, sed solum tactus: diceremus tangi quidem atoma non secundum totum, neque secundum partem; quæ enim atoma sunt, totalitate & partibus carent quantitativis. Cum autem Aristoteles alibi ait, quod atomum additum atomo non facit quantum, nos negamus, ex duobus enim fit unum majus, quam ex ono; & licet non possint se tangere partibus quantitativis, tangunt ramen sese partibus situalibus & respectivis: idem enim atomom respicit hinc ad orientem, illinc ad occidentem, & respectus infinitos habet undique; ita ot ondique illi posiit fieri aggregatio, ut patet in puncto circuli centrali, ex quo ad peri-

pheriam infinitæ undique ducuntur lineæ. Et secundum D. Thomam, Angeli peccaverunt in fine secundi instantis (Angelici) indivisibilis, consideravit nempe quod instans habet partes non reales, sed respectivas ad anterius & posterius; quippe sine partibus respectivis non potest dari, nec cogitari punctum, neque momentum: semper enim sunt & cogitantur respectus ejusdem puncti multi ad multos situs & oppositos innumerabiliter. Plura vide apud Th. Campan. L. 2. met. cap. 8. art. 5.

XL. Restat ut solvamus rationes, quibus probat Arist. indivisibile non posse moveri, quas sacræ literæ reprobant, Angelis & animabus motum tribuentes, ad quas Peripatetici extendunt has rationes, quæ revera non nisi de indivisibili materiali loquuntur. Primo quidem falso asseritur quod motus dividatur ad divisionem mobilis, præsertim localis. Non enim granum milij motum per 30000. milliaria potest dividi in tot partes, quot sunt motus momenta. Motus quidem dividitur ad temporis & spatii divisionem etiam si circulo fiat, non autem ad mobilis: licet autem verum sit, quod pars anterior & posterior mobilis utraque moveatur partialiter: si tamen dividantur, idem motus totus erit in singulis. Et cum ait Arist. mobile non esse in terminis, sed partim in *a quo* & partim in *ad quem*, ergo habet partes, negatur consequentia. Non enim *τὸ partim* cadit super mobile, sed super spatio, cujus sunt termini. Acus enim punctuale acumen movetur super sphæram vitream semper tangendo punctum sphæræ, nec partibili tactu erga situs oppositos. Habet quidem diversos respectus ad duos terminos, in quos partitur, sed non sicut in res quantitatis suæ.

Secunda Arist. ratio contra Democritum nihil probat. Dicam enim semper esse, quod movetur, in spatio sibi æquali, & in puncto, sicut sphæra supra sphæram in convexis mota, nec propterea non perfici motus. Imo ex hoc Arist. concludere debebat non componi ex infinitis, nec in infinitum dividi continuum quodlibet. Et mirum quidem quam audacter dividit in infinita, & negat ex infinitis postea compositionem; & quomodu quod in Anaxagora vituperat, in se laudari vult, & quomodo negat infinitum actu, & simul infinitas partes ponit in continuo non divisas, sed potentia divisibiles. Habet enim 3. partes actu, quod potest dividi in 3. ergo & infinitas actu, quod potest in infinitas: dividitur enim in eas quæ in sunt actu, ut docet ipsemet in 5. Metap. & D. Thomas, non autem dividitur in partes, quæ inesse possunt. Nec divisio seu separatio distinctionem facit, sed supponit, nisi velis corpus & animam ante mortem esse indistincta.

SUBSECTIO III.

De motu gravium accelerato.

XLI. Motus naturalis gravium deorsum est appetitus intrinsecus, non tam ad centrum terræ, quam ad conjunctionem sui cum toto suo, cujus esse partes dignoscuntur, ut alibi ostendimus. Non, ut quidam sibi persuaserunt ab attractiva vi Terræ quasi magnetica; nec a materia quadam tenui quæ grave sollicitet ad motum; nec ab aere incitato retro impellente, ut vult Pererius; neque a gravitate aliqua in ipso motu lapidi superaddita, ut nonnulli Peripatetici volunt; sed ut dixi, ab appetitu innato & impetu. Hic autem impetus est connaturalis motui gravium de quo superius. Porro gravia in descensu motum suum accelerare videtur manifestum adeo ut probatione præter experientiam non indigear. Quo enim gravia ex majore altitudine decidunt, hoc majorem ictum infligunt, cæteris paribus: sed major illa percussio aliunde oriri non potest, quam ex velociore motu. Nam si motus esset æquabilis & sui ubique similis, eadem quoque foret percussio, ergo non dubium est quin motus gravium inter descendendum augeatur. Hujus autem accelerationis causa hic inquiritur.

Sunt qui velocitatem & tarditatem motus localis per morulas fieri putant, quorum fundamentum libet hic exponere. Franciscus III. de Lanis Parte 1. Magisterii Naturæ & Artis cap. 6. art. 6. assert. 8. sic inquit: Tarditas major vel minor motus physice considerati consistit in eo, quod ipse motus interpoletur pluribus instantibus physicis quietis. Probatur. Motus vel fit in instanti physico, vel componitur ratione temporis ex tot partibus motus, quot sunt instantia physica, in quibus fit; ergo non possunt esse plures partes motus, nisi moveatur pluribus instantibus physicis: sed quolibet instanti physico, in quo mobile movetur, non potest acquiri nisi unicum punctum spatii, ergo mobile non potest moveri per plura puncta spatii, nisi moveatur pluribus instantibus. Si igitur æquali tempore unum mobile percurrit pauciora puncta spatii quam aliud, necesse est affirmare, quod aliquibus instantibus quiescit, quibus aliud mobile movetur. Quod si

Objicias; Si hic discursus subsisteret, tunc motus sagittæ v.gr. pluribus instantibus quiesceret, quam moveretur, respectu motus solaris quo est incomparabiliter tardior, quod est contra sensuum experientiam, quæ non est deserenda propter quaslibet ratiunculas.

Respondet, Experientiam sensuum duplici de causa deseri posse. 1. dum constat de vitio seu defectu sensus: sic infirmorum lingua bile infecta judicat cibos amaros, cum non sint. 2. Vbi ob quamcunque imperfectionem fallere solet, ibi licet rationem etsi non evidentem præferre, cujus exempla habemus innumera: sic libero oculo nullam advertimus obliquitatem in ligno lævigato ejusque superficie; bene tamen microscopio. Accensus carbo aut funiculus in gyrum rotatus, circulum exhibet ignitum, qui non est. Baculus ex media parte aquæ immissus videtur fractus, cum non sit &c. Vbi autem sensus non solent decipi, ibi non debemus propter apparentem rationem experientiam sensuum deserere.

XLII. Jam autem in nostro casu multi milliones millionum Instantium primi Mobilis, quibus mobile quantumvis velox, quodque continuo moveri putatur v. g. sagitta, evincunt tardissimum respective motum, quam tamen tarditatem oculus minime notat, ut calculanti patebit hoc modo.

Accipiamus 1. particulam temporis minimam, ex iis tamen, quæ sub sensum cadunt, & sensu distinguibiles, sitque *vigesima pars unius minuti secundi.* Tum similiter minimam sensibilem particulam spatii localis, sitque *pars decima crassitudinis pili.* Cumque ex observationibus Microscopii pili crassities septenis millibus vicibus contineatur in spatio pedali; pars illa minima spatii sensibilis, in eodem spatio pedali continebitur vicibus 70000. seu quod idem est, pars illa minima spatii erit septuagesima millesima pars pedis.

His

His positis com juxta calculum Riccioli, sidus in æquatore unico minoto secundo percurrat pedes 3551480000. sequitur in una vigesima parte ejusdem minuti secundi ipsum situs percurrere pedes 177574000. Cum autem diximus pedem constare ex 70000. minimis sensibilibus particulis, unica minima parte temporis sensibili, absolver minimas partes itidem sensibiles spatii 12430180000000. Jam vero quia quot sunt partes sensibiles spatii, quas Sydus pereurrit, tot debeant necessario assignari partes temporis, quibus illas partes spatii temporis instantibus pereurrat, consequens est ut in unica parte temporis minima sensibili assignare oporteat partes temporis 12430180000000.

Fieri igitur poterit, ut animalculum motu suo absolvar minimam partem sensibilis spatii localis in una parte reali temporis, qua Sydus in æquatore absolvit aliam similem & æqualem particulam spatii: reliquis vero omnibus temporis particulis, quibus Sydus, reliquas omnes partes spatii absolvit, ipsum animalculum quiescat. Et quamvis hujusmodi temporis particulæ, quibus quiescit duodecim milliones millionum numero suo excedant, ipsa tamen quies sensibilis esse non possit, siquidem minor est minima parte sensibili, ut patet ex facta suppositione. Quod quidem argumentum huic Auctori evidenter rem evincit.

XLIII. Nos vero pro Demonstratione non habemus argumentum quod innitirur præmissis dubiis & hypothesibus incertis. Salvo enim calculo, negamus simpliciter singulis motus instantibus seu momentis respondere singula spatii indivisibilia: neque enim motus sagittæ & Solis æqualibus metiri debent nec possunt instantibus temporis, nisi extrinsece: sed suus quisque motus peculiaribus momentis intrinsecis & propriis constat, quorum singula pluribus aut paucioribus temporis æquivalent. Omnis enim duratio creata, est durationis æternæ participatio secundum magis & minus. Sicut ergo unicum Nunc æternitatis realiter indivisibile æquivalet omnibus durationibus Angelorum, Vniversi, omnium animarum &c. sic instans seu unicum Nunc Angelicum innumeris pene instantibus animæ, & sic deinceps. Discursus autem præcedens ex hypothesibus incertis, qualis est motus primi mobilis, quod doctissimis Viris fabulosum habetur, innititur.

Fateor tamen, si concedatur motum v. g. partium rotæ puncto centrali axis propiotum, adeoque tardiorem componi ex quiete centri & motu aliarum partium, ita ut æquivalenter aut virtualiter quiescere dicantur, tolerari poterit in sano sensu hæc opinio, vide quæ diximus in Tract. XIX. de punctis physicis & Zenonisticis, quæ analogice conveniunt momentis & instantibus durationum. Confusionem in hac materia parit imperfectio nostri intellectus, ut subtiliter animadvertit Campan. loc. cit. Materia enim, locus & tempus, quibus ambimur, omnia materialiter, localiter & temporaliter nos faciunt cogitare: sicut qui ocularia rubra habet, objecta omnia rubra esse putat. Incepit autem hæc vocabulorum confusio ex hoc, quod futura & præterita imaginamur & vocitamus juxta præsentia: sicut etiam distantia localiter ex his, quæ sunt in nostro contuitu; & divina ex sensibilibus; nec hæc recte capiet homo, nisi supra tempus & locum a Deo elevetur. Quamobrem non propterea quod τὸ *nunc*, & τὸ *momentum*, signant esse præsens & mutatum esse, sequitur quod initium temporis & motus sit divisibile, cum non sit nunc neque momentum. Est quidem indivisibile omne principium, & omnis terminus, ut in linea, & per vocabula mutuata ex mediis significantur. Quapropter dicimus tempus incepisse in *nunc*, non tamen in isto nunc, quod est finis præteriti & principium futuri, quod Aristotelem decepit: sed in suo indivisibili principio: sicuti neque linea incepit ex puncto medio, sed ex primo. Media autem omnia ubique divisibilia sunt; non tamen absque fine; infinita enim non sunt, neque æqualia ut Aristoteli ponuntur, sed in majori quanto plura, in minori pauciora.

XLIV. In gratiam curiosi Lectoris subjungo Epilogismum Temporis Ingeniosissimi P. Athanasii Kircheri Lib. 1. Mundi subterr. pag. 37. quantum nempe temporis insumeret globus quispiam plumbeus ex Terræ superficie, Luna, Sole, Firmamento decidens ad centrum usque Terræ.

(1) A Terræ superficie usque ad centrum 1145. leucarum spatium, (quarum unaquæque 5000. pedes habet) conficit plumbeus globus tempore 19. 56. minut.

(2) A Luna usque ad centrum 196000. milliarium conficit tempore 2 horarum, 29. 14. min.

(3) A Sole usque ad centrum 3997000. milliarium spatium, conficit tempore undecim horarum, 13. 36.

(4) A Firmamento usque ad centrum terræ 49000000. milliarium spatium conficit tempore 39. horarum 19. 41.

(5) A Firmamento usque ad Solem spatio 37. horarum, 4. 24.

(6) A Sole usque ad Lunam motu a Firmamento continuato, tempus horarium, 33. 33. consumit.

(7) A Sole usque ad centrum terræ motu a Firmamento continuato conficit intra 39. 17.

(8) A Luna usque ad centrum terræ motu a firmamento continuato conficit intra 4. 43.

(9) A Superficie terræ usque ad centrum continuato motu a Firmamento, quod est intervallum 3000. milliarium, conficit 5.4 minut.

Atque hic est calculus temporis juxta experimenta Mersenni ordinatus. Ex quo patet quam sit incomprensibillis humano ingenio vellocitas illa, qua globus a Firmamento delapsus, a superficie terræ usque ad centrum 3500. milliarium spatium, non nisi 5. (quæ correspondent sex ordinatis venæ pulsibus) conficit. Nempe globus iste ex Firmamento decidens spatio 39. horarum tantum 15. horis tardius suum terminum attingeret, quam motus Firmamenti (24) horarum periodum suam absolvit. His tamen omnibus velocior est motus Spirituum. Quid igitur obstat quin dicamus lucem produci a sole successive quoad se, & instantanee quoad nos? quis enim sensus discernat tantam velocitatem? cum nec globi bombardilis nec sagittæ possimus.

Verum enim vero Notandum hunc discursum niti certis hypothesibus, quæ si fallunt (prout multum fallibiles sunt) tota machina corruit. videlicet. 1. duos globos ejusdem materiei v. g. plumbeos, quorum alter unius libræ, alter 8. vel plurium librarum æquali velocitate descendere in terram, si ex altissima turre simul demittantur, quod si verum, quando per aerem decidant, etiam in aqua verificari deberet. 2. Vt velocita-

citatem prædictam acquirat motus globi plumbei, supponitur nullam adesse medii resistentiam, nec aeris quidem aut ætheris. Addit P. Kircherus nullum dari metallum tam durum quod in motu adeo veloci non liquefieret & dissolveretur prius, quam e firmamento ad terram pertingeret. Idem Author Lib. 2. Mundi subterr pag. 91. demonstrat iusigne mendacium Aristotelis 1. Met. cap. 13, de altitudine Caocasi, quod tamen ejus interpretes tueri conati sunt.

At ego velim scire uter magis a vero aberrarit, an P. Athan. Kircher, ao P. Hieremias Drexelius, qui lapidi molari e Firmamento labenti annos 92. assignavit insumendos antequam ad Terram perveniat. En quanta differentia inter 39. horas & 92. annos! Modo uterque piissimorum istorum Virorum veritatem credo ipsam in æterna beatitudine magis perspectam habet.

3. Supponitur motum rerum ex alto cadentium in fine quam in medio, & in medio quam in principio velociorem esse. Quam tameo hypothesin multi negant, ducentes Gravia quidem motum suum descendendo accellerare, sic tamen ut quidam huie accelerationi sint præstituti fines, & descensus tandem fiat æquabilis. Ratio 1 partis est omnino manifesta, nam si motus esset æquabilis & sui ubique similis, eadem foret percusio lapidis sive ex alto, sive ex humili loco decideret, ergo non est dubiom quin motus gravium inter descendendum augeatur.

Altera pars multis rationibus & experimentis probatur in Philos. Burgund. tom 4. Phys. gen. tract. 2. cap. 3. Primum enim pulsus aer motui adeo præcipiti resistit: nam illius partes divisioni quodammodo obstant, nec tam ciro in circulum moveri possunt. Idem quippe accidit ac navi, quæ expansis velis magna velocitate fertur: adeo ut motus augeatur donec minor sit impetus, quam ut aqua eadem pernicitate dividi & in orbem agi queat, tum enim motus fit æqualis. 2. Cum corpus grave descendit, novus quidem impetus ex ipsa gravitate continenter acquiritur: Sed simul augetur medii resistentia, quæ ubi novum cum impetum æquabit, tum motus augeri oon poteric, sed æquabilis permanebit: novi quidem velut ictus aut percussiones grave deorsum pellunt: sed simul, ut dictum est, augetur aeris resistentia, quæ divisionem tam subitam inhibet. Hinc liquet cur grave ex aere in aquam decidens motum suum statim imminuat; eo quod aqua magis resistat quam aer: sic motus gravium in aqua initio quidem acceleratur, sed brevi fit æquabilis ob magnam medii resistentiam. Est igitur vis quædam aut celeritas maxima, quam grave ioter descendendum potest acquirere, ultra quam non augetur. Illud tamen dubium, quod subjungit Burgundica, nempe minora corpora inter descendendom citius ad æqualitatem pervenire, quam majora ex eadem materia composita: plus enim aliis resistit aer, qui corporis gravis soperficiem ambit. Contra enim est, quod proportione spectata globi plumbei unius libræ, & globi 8. librarum, æqualis est resistentia aeris geometrice utriusque resistentia: quod experimento proprio testatur Th. Campanella.


4. Supponit Kircherus cum Mersenuo, motus gravium velocitatem ea ratione incrementa sua multiplicare, ut ab ipso primo casus momento, quo mobile a quiete recedit, illius motus magis magisque acceleretur: seu quod idem est, incrementa velocitatis plura semper & plura uniformiter præacquisitis superaddantur.

5. Hæc iocrementa comparari posse vel cum partibus *temporis*, aut cum partibus *spatii*. Potest enim designari primo quoddam *tempus*, ut minutum primum aut secundum horæ, cui consequentia tempora æqualia possunt assignari, adeo ut totum illud tempus, quod in decidendo mobile insumit, in plures hujusmodi partes horæ distinguatur: vel *spatium* quoddam, puta unius pedis aut cubiti, similisve mensuræ, cui aliæ æquales possunt accipi in consequenti spatio, adeo ut illud spatium, quod a mobili decidente pervaditur, in plures hujusmodi partes divisum intelligatur: vel etiam potest motus habere comparationem ad velocitatem aliquam primam, quæ scilic. sit acquisita io fine ejusdem primi temporis, & cui per consequentem modum æquales aliæ superaddaotur ut solent gradus gradibus in intensione. His præmisis

XLV. Statuunt ex Galilæo definiuntque motum gravium ad centrum tendentium accelerati hunc in modum: *Qui a quiete recedens temporibus æqualibus æqualia celeritatis momenta incrementaque acquirit.* Quam definitionem sic declarat Kircherus L. 1. Mundi subterr. pag. 23.

Adverte, inquit, quod *certum est velocitatis incrementa ad spatia certam obtinere proportionem*, non quidem quam æquabilis immediate, sed quam exhibet motus æquabilitatis acceleratus, cujus velocitas continuo uniformiterque increscat; ita ut nullum sit momentum consequentis temporis, in quo motus non sit velocior, quam in quovis antecedeote, & in quo non cadem ratiooe velocitas augeatur.

Hinc Galilæus dictarum velocitatum incremtnta exponit per trian sequens A B C.



Cujus latus AC in quotlibet partes æquales v.gr. quinq; AD.DE.EF.FG.GC divisum sit: ex quibus deducuntur totidem ad basim BC. parallelæ, HD. IE. KF. LG. BC. Hoc enim pacto partes lateris AC. exprimunt tempora æqualia; parallelæ vero gradus velocitatis, qui temporibus æqualibus æqualiter & uniformiter crescunt. Ita quidem ut A referat locum quietis, unde Mobile delabitur: parallela vero HD. velocitatem A. mobile ex A. cadendo per AD acquirit. Parallella vero IE. no-

tet

tet velocitatem, quam A mobile ex A. cadendo per spatium AE. acquirit; & sic de cæteris.

Quoniam vero hæc velocitas continuo de momento in momentum sine ulla interruptione, sine ulla pausa aut saltu uniformiter de certo tempore in certum tempus crescit: certum est velocitatis gradus ab A. usque ad acquisitionem gradus HD, quod fit tempore AD. esse infinitos, juxta infinitatem instantium temporis AD. sive punctorum lineæ AD. Vide Kircher. loc. cit. hoc negotium dilucidius exponentem.

SECTIO III.

De variis tam occultis, quam manifestis corporum naturalium motibus.

XLVI. In curiosa hac materia prævie quædam supponenda sunt circa corporum dispositionem, quæ in ipsa experientia ut plurimum fundantur.

(1) Nullum corpus, quantumvis solidum, poris caret. Vitrorum quidem porositas ex eorum levitate colligitur, quæ non est ubi non admiscetur substantia aerea, vel ignea vel ætherea. Item secundum aliquos ex eorum rarefactione & condensatione. Nomine autem pororum intelliguntur exigua spatiola in corporibus dispersa, quæ quidem vacua non sunt, sed impleta per fluidam aliquam subtilem substantiam facile avaporabilem.

(2) Non tamen eadem est in quolibet corporum genere pororum magnitudo; sed corpora specie diversa, diversam habent in poris figuram. Hinc fit quod aliqua corpora ab eodem humore magis aut minus humectentur: & aqua regia facilius penetrat poros auri, quod resolvit, non argentum. Econtra aqua fortis (spiritum nitri vocant Chymici) argentum solvit, non aurum teste Rob. Boyle. Rohault &c. Sic argentum vivum facilius percolatur per corium, quam aqua, vel etiam aer, cum tamen hæc facilius permeent subtile foramen vitreum. Item aqua, licet crassior aere videatur, facilius tamen quam aer, vesicam penetrat. Idem dic de Oleo, quod per pelles & coria se insinuat facilius quam aer. Itaque sicut diversæ sunt minimarum particularum figuræ, sic etiam pororum juxta diversas corporum species. Sunt qui corporis diaphani formam stabiliendam velint in pororum ejus rectitudine, per quos lumen subire putant vitrum, quasi vero lux non ex omni parte allapsa vitrum penetret, adeoque meris poris id constare deberet.

(3) Corpora graviora in specie, vel habent minorem pororum numerum, vel poros ipsos angustiores. Hinc glacies licet aqua sit levior (rametsi quidam putent esse aquam frigore condensatam) vere est aqua rarefacta; unde vasa rumpuntur: apparent enim ad sensum plurimæ in glacie bullulæ sive grandiores pori aere pleni.

(4) Corpora quæ angustioribus poris gaudent, utplurimum saltem sunt durabiliora, minusque corruptioni obnoxia. Patet in vitro, auro, argento vivo, in Talco, argento &c,

(5) Plurima corpora, in quibus nudus oculus nullos poros discernit, sunt adeo porosa ut majus sit spatium omnibus simul poris comprehensum, quam spatium ipsius corporis particulis solidis occupatum. Patet ex eo, quod libra una cretaceæ terræ tot actantis poris prædita sit, ut nullo facto molis incremento, nullave cretæ intumescentia, possit intra poros admittere aquæ uncias duas cum dimidia. Alterum experimentum desumunt ex unico grano Storacis in fumum resoluti, quod spatium implet centies mille majus odore suo quam ante resolutionem occupabat. Quod quidem non satis intelligo, qui poris adscribendum: sicut teste Bontekoe Oecon. animal. p. 64. Mosci granum dimidium potest aliquod hominum millia inficere sic ut alia millia his obviam facta dignoscant mosci odorem, & rursum inficiantur &c. cujus experimenti fides sit penes auctorem, quanta pororum multitudo in dimidio grani Mosci? Et illi pori a qua substantia replentur? an puro æthere? & quomodo hic extrusus & dilatatus odorem spargit? Quid aliud est odor in corporibus odoriferis, quam tenues & insensibiles eorum partes, quæ a se invicem secretæ, in aere volantes & intra narium cavitates, ope aeris inspirati acceptæ, motum in nervorum extremitatibus excitant. Histor. natur. p. 2. art. 6.

(6) Ubi pori in penetratione fluidorum non dilatantur, nec ullatenus figuram mutant, *utplurimum* illa fluida difficilius per dictos poros penetrant quæ sunt magis viscida & unctuosa, seu illa quorum particulæ sunt magis ramosæ, seu mutuo plexu intricatæ & irretitæ minusque solutæ ac liberæ. Dixi, *utplurimum*, quia quandoque oritur difficultas penetrandi ex ipsa magnitudine corpusculorum.

(7) Penetratio fluidorum corporum per poros utplurimum non fit a particulis physice-minimis ipsius fluidi penetrantis, sed a particulis insensibilibus quidem verum realiter compositis ex pluribus minimis. Ratio est, quia sæpissime retinent naturam corporis mixti, quod fieri non posset nisi coolarent ex pluribus minimis physicis ejusdem mixti, unde transierunt.

Porro de natura Effluviorum, quæ ad plurimos effectus explicandos serviunt, jam alibi egimus tract. XIII. quem vide superius. Nunc quædam de motu partium internarum subjungemus.

XLVII. Per Motum internum, de quo hic loquimur, intelligimus motum illum internarum subtiliorum partium, qui continuo excitatur ab agente vel agentibus extrinsecis occulte operantibus, secundum se insensibilis & solum cognoscibilis ab effectis, ordinatus a natura ad omnis generis mutationes, tum accidentales, cum substantiales. Hic autem NB nomine partium internarum non veniunt partes in poris contentæ, sed debet esse talis motus, ut texturam corporis aliquo modo immutet; ea enim immutata nulla sequitur corporis alteratio: quare cum motus intestinos sit intentus a natura ad mutationes, alterationes & corruptiones generationesque, debent per illum moveri ipsius corporis partes propriæ & connaturales, vel ut ita dicam formales. Dixi *subtiliorum*, non quasi subtiliores sint antequam moveri incipiant, cum tunc adhuc sint aliis partibus colligatæ, adeoque cum ipsis crassas partes constituere dici possint, sed quia sunt tales, ut naturam suam propriam & determinatam sui corporis valeant retinere in minore mole. Hujusmodi igitur partes minimæ molis, naturam tamen suam retinentes, cum ab aliis sejunctæ per poros libere discurrunt, motum intestinum a nobis habere dicuntur.

Effectus autem hujus motus intestini ad 4. potissimum capita revocari possunt. 1. Vel enim corporis parti-

particulæ internæ agitatæ per poros effluunt illæ, ſcilicet quæ minus arcte cum aliis ſunt colligatæ, nec tamen aliæ eorum loco ſubintrant; & tunc corpus areſcit ſeu deſiccatur & contrahitur ad minus ſpatium.

2. Vel ſpirituoſiores partes aqueæ & aereæ ita agitantur, ut cum ipſis avolent etiam ipſi ſpiritus, qui pertinent ad naturam ſpecificam ipſius corporis, & ſunt quaſi ipſius anima vel forma io actu ſecundo. Tunc autem corpus ipſum corrumpitur ſeu deſtruitur, in aliam ſpeciem degenerando; quod ſi fuerit animatum, extinguitur, quia vere anima (ſecundum operationes ideales proprias) ab ipſo ſeparatur. Sic in ſeminibus plantarum prius exercetur motus primi generis, quo ſemina exſiccantur humore abundaoti effluente per poros: deinde vero, abſumpto humore ſuperfluo, cum ſpirituuſiores partes moveri non ceſſant, etiam humorem magis tenacem & oleoſum attenuant, & vinculum inter terreas igneasque partes ſolvunt; Ex quo fit ut actuoſioribus partibus avolantibus ſemina emoriantur, nec amplius generationi apta ſint. Idem dic de ovis &c.

3. Quandoque internæ partes ita agitantur, ut earum paucæ per poros avolent, ſed ab aliis irretitæ motum inteſtinum augeant, dum vario modo huc illuc per poros diſcurrunt & alias in motum excitant, vel ab aliis ſolutæ cum aliis colligantur &c. & pro diverſitate iſtorum motuum in partibus, quæ minime avolant, variæ reſultant actiones & effectus ſcilicet vel maturationis, vel coococtionis ſeu digeſtionis, qui aliquando ad perfectionem, aliquando ad corruptionem tendunt.

4. Demum ſi poſt maturationem & fermeotationem aliquam partes magis activæ & ſpirituoſæ, quæ ſunt quaſi anima ipſius corporis, intra poros detentæ ac motum continuantes inveniunt partes alias craſſiores lentore quodam facile mobiles, & quæ ipſorum ſpirituum motui ſponte obediant, & ſe ab iis trahi ſinant, quocunque pergant obſequentes, tunc corpus organizatur, ac varia formantur membra, directrice tamen anima ab Archæo determinata. Hinc oriuntur actiones vitales, tum in animalibus tum in vegetabilibus. Hoc manifeſte cernitur, ſi attente obſerventur formicarum ova, vermiculi, muſcæ, ranæ &c. in quibus videre licet initia motuum vitalium & prima vitæ rudimenta. Hinc non ſolum requiritur calor quidam ſuavis & mitis, qui tenuiores ſpiritus oon nimium ſollicitet & cogat e poris erumpere; verum etiam quidam lentor & viſcida humiditas in iis partibus, quæ vivificari debent, ne Spirituum motus aut vehementior ſit quam par eſt, ut propterea avolare queant; aut nimium cohibeatur ab immmodica aliarum partium tenacitate & reſiſtentia ad motum, ſed potius omnem materiam flectere, movere & in omnem partem verſare velut ceram facile queat.

XLVIII. Omitto plura hic addere de motu Liquefactionis & concretionis ſeu coagulationis, de conſiſtentia & fluiditate, de quibus fuſe docteque Franciſcus de Lanis in ſuo Magiſterio Naturæ & artis, & noo in Tract. 39. De Qualitatibus nonnulla. Generaliter autem obſervat cit. Author non omnes corporum quas vocant qualitates ita ad motum localem revocari, quaſi ſint ab ipſo motu indiſtinctæ (ut volunt Neoterici) ſed ita ut absque motu locali haberi nequeant, a quo neceſſario reſultant. Quatenus ergo corpora per motum diverſas acquirunt conditiones, catenus varias generales notiones de iis formamus v. g. Raritatis, Denſitatis, compreſſionis, tenſionis &c. quas notiones vocamus *Status corporum*. Quia vero aliquæ earum in ipſo actuali motu cooſiſtuot; aliæ vero ex motu quaſi reſultare intelliguntur: ac rurſus ex his extremis, quædam minus immediate a motu dependere videntur, ut eſſe humidum, ſiccum, friabile, tenax &c. Ideo in tres Claſſes dividuntur, quarum primas nomine motus peculiaris, ſecundas Status vocamus, tertias qualitates. Item de tremore corporum; de vi & effectibus elaterii, nec non de motuum legibus in corporibus elaſticis: ſed de his remittimus Lectorem ad doctiſſimum Authorem Phil. Regiæ Burgund. tom. 4. tract. 2.

SECTIO IV.


Argumentum Caramuelis contra Peripateticos in hac materia proponitur.

XLIX. Illuſtriſſimus D. Caramuel L. 2. Geometr. de punctis proponit argumentum ad hominem, quo Zenoniſtæ Peripateticos premere poſſint, quoque ſe met uſum per 40. annos gloriatur, ac Viris ingenuiſſimis propoſuiſſe: nec tamen reperiſſe, qui illud ſolvere poſſet puoctis poſitivis admiſſis; formatur aut in huoc modum:

Supponit 1. Tempus definiri, quod ſit numerus motus ſecundum prius & poſterius.

2. Qualitates materiales incipere io tempore & deſioere in inſtanti.

3. Formas ſubſtantiales incipere in inſtanti, & deſinere in tempore. Ita enim omnes Peripatetici cum Ariſtot. Lib. 6. phyſic. cap. 5. & D. Thoma ibidem docent. His poſitis ſit Figura



Explico. Linea AB. tempus, quod componitur ex partibus & punctis, quæ uniant partes. Sit C. albedo nimirum qualitas materialis, quæ incipit extrinſece, & deſinit intrinſece. Nam in inſtanti m eſt verum dicere; *nunc non eſt albedo, ſed immediate poſt erit.* Et in inſtanti n eſt verum dicere, *nunc eſt albedo, & immediate poſt non erit.*

Modo in alio ſubjecto ſit forma ſubſtantialis D. quæ incipiat intrinſece & deſinat extrinſece. Nam in inſtanti m eſt verum dicere, *nunc eſt forma, & immediate ante non erat*; & in inſtanti n eſt verum dicere, *nunc non eſt D.* forma ligni v. g. *& immediate ante erat:* & in eodem inſtanti n erit verum dicere, nunc eſt F. forma ignis (pono hanc ſuccedere) & immediate ante non erat.

Hac doctrina præmiſſa ſic arguitur:

Tardius deſiit albedo quam forma ligni: ſed noo duravit niſi unico inſtanti poſt illam, ergo unicum inſtaos additum tempori facit majus. Major eſt evidens, quia albedo erat in inſtanti n, quando forma ligni jam oonſerat. Minor etiam eſt evidens. conſequentiam perſuadeo. Forma ligni (præcedens, & forma ignis (ſuperveniens) in nullo inſtanti coexiſtunt, ne quidem in inſtanti n, ne ſint duæ formæ ſimul in eadem materia. At in inſtanti n albedo & forma ignis

ignis coexistunt, ergo tardius albedo desiit, sed tardius per unicum instans, ergo unicum instans facit tempus longius. Confirmatur. Forma ligni fuit in omni tempore usque ad instans n. at non fuit in instanti n. ergo instans n est extra tempus immediate praecedens, ergo instans additum tempori facit majus, ergo & punctum additum lineae facit majus.

Hoc argumentum, subdit Caramuel, me cogit ut puncta positiva in tempore negem; illud, ut doctrinae consequentia ductus etiam in permanenti Continuo puncta positiva non admittam. Illud, ut negativa puncta etiam in Geometriam promoveam; illud, ut aliter tradam totam de inceptione & desitione rerum materialium doctrinam.

Et quidem a gravibus eximitur difficultatibus, qui statuit omnem rem temporaneam (nempe quae durat tempore) substantialis sit an accidentalis, incipere & desinere extrinsece (hoc est incipere a non-esse & in non-esse desinere.) Sed hic fugienda est aequivocatio, ne *nunc* cum instanti confundatur: nam *nunc* non est punctum indivisibile, sed tempus fluens. Ergo loquere sic: Nunc usque ad punctum m res temporanea non est, sed immediate post erit. Nunc ab usque puncto n res temporanea non est, sed immediate ante erat. Et *nunc* significabit tempus praesens quod fluit, & m aut n illud instans negandum, quod est initium finisve durationis corporeae.

Ita speculatur Caramuel. Nos argumentum hoc cum non urgeat, negavimus enim ambo illa Arist. axiomata, non habemus causam amplectendi novam ejus sententiam.

Appendix practica curiosa.

L. I. Artificium separandi quintam essentiam vini. Circumliga ori vasis distillatorii vesicam porcinam, cujus pori cum sint phlegmati impervii, non nisi purissimi vini spiritus ascendere possunt.

II. Tincturam coralli facere, salva remanente Coralli substantia. Liquefeat in vase vitreo, vel ollula vitro obducta cera virginea, ut vocant: tum statim & imponantur quaecunque etiam solida & crassa corallorum frusta vel rami, ita ut liquatae cerae immergantur. Foveantur modesto calore per horae semiquadrantem, vel paulo amplius: tum e cera extrahantur; nam omnem eorum tincturam cera per poros permeans eduxit, ut patebit ex corallo albo & cera rubra. Ut igitur ab ipsa cera tincturam separet, menstruo convenienti utere: facilius autem illam obtinebis, si cera in phiala vitrea iterum liquefiat, & digeratur cum spiritu vini: sic repetitis digestionibus cum novo liquore tincturam omnem elicies, quam ad mellis consistentiam redigere poteris lento igne spiritum vini distillando, donec in fundo vasis tinctura remaneat.

Si mediante oleo citri chymice praeparato eandem tincturam elicere volueris, medicinam obtinebis perfectissimam.

III. Cujusvis generis corpora illaesa servare. Hoc fit 1. immergendo ea argento vivo. 2. Vini distillati spiritui rectificatissimo immergendo in phiala eleganti; 3. Ex optimo vino spiritum prius elice: dein flores aut plantas, quas vis, exsiccatas combure, & cineres spiritui commisce: tum in vase probe obturato, vel fimo, vel balneo, aut aestivo soli committe & sic detine per plures hebdomadas, ut circulatione sal in cineribus latitans spiritui perfecte admisceatur, & spiritus ipse attenuatus in essentiam quandam nobiliorem exaltetur. Haec industria omnis generis flores, singulos singulis chrystallinis phialis inclusos in conclavi pro viridario perpetuo habebis.

TRACTATUS XXXVII
DE
QUIBUSDAM NATURAE MAGNALIBUS.

I. Quam varie usurpetur hoc nomen *Natura*, diximus alibi: hic sumimus pro arte Dei, seu potius exactissimum opus artis Divinae, dividiturque a Rob. Boyle in Universalem & particularem. Natura generalis est Cosmicus Mechanismus, hoc est, complexio omnium mechanicarum affectionum (figurae, motus, molis &c.) ad materiam magni Mundi systematis pertinentium.

Natura particularis, est corporis cujusque mechanismus, hoc est essentialis modificatio. Decuit enim Universi hujus authorem DEUM eo modo & artificio fabricare Mundum, iisque facultatibus instruere, atque ejus inter partes constantes generalesque leges ejusmodi constituere, quae divinis consiliis suis melius congruerent; easque leges catholicas particularesque partes ac corpora ita sibi invicem subordinare, fabricaeque magni systematis mundani originali, ut in omni particulari casu tamdiu tantum privatis ejusdem portionibus consuleretur, quamdiu earum bonum constitutis ab eo catholicis Universi legibus congrueret, finibusque quos ipse sibi in eo fabricando proposuit, qui bono particularium creaturarum utique praeferendi sunt. In his omnibus Deus potentiam, sapientiam & bonitatem seu amorem suum mirifice declaravit communicavitque: Hinc non tantum raros atque insolitos naturae effectus, sed etiam quotidiana ejus opera miramur, quam admirationem parit ignorantia, nun enim miraremur, si causas illorum perspiceremus: quas qui melius penetraverit, Naturalistae nomine gloriari poterit. Nobilissimus Boyle Exercit. 1. part. 2. de seipso sic scribit: Meipsum Naturalistam verum asserere non ausim (quamvis de aliorum scientia judicium ferre non praesumam) nisi arte mea efficerem, ut hortus meus herbas & flores elegantiores, Pomarium meum fructus amaeniores, ager meus frumentum perfectius, aut Lactarium meum caseos meliores produceret, prae illis, quorum possessores Physiologiae ignari sunt.

Quod idem ingeniosissimus Auctor Exercit. 4. pag. 57. de Gravitate fatetur, ejus naturam & causam adaequatam investigare gravissimum sibi videri pensum, cui solide & perspicue absolvendo, non obstantibus (inquit) quae vidi & didici, parem quemcunque hominem fore semper dubito.

Idipsum ego de quamplurimis Naturae magnalibus allis affirmavero puta de rerum Sympathia & antipathia, de Magnetismis, & infinitis phaenomenis & experi-

perimentis, de quibus rationem reddere Philosophi nostri possunt nullam.

Interim *non ideo negandum est, quod apertum est*, inquit S. Augustinus, *quia comprehendi non potest, quod occultum est*. Faciunt tamen hoc passim complures tam docti quam indocti, qui naturæ magnalia ingeniolo suo metiri præsumentes audent ea omnia, quorum causa ipsos latuerit, falsa & commentitia pronuntiare. "Hoc est enim ingeniorum multorum, ait Ludovicus Vives in Lib. 21. de civit. S. Aug. c. 5. ut tantum credant qui ipsi ratione assequuntur, cætera pro fictis repudient. Quin & eo vesaniæ quidam processerunt, ut cordatos se habitum iri, & circumspectos homines existiment, si fortiter nihil credant, nisi quod videatur. Secreta vel naturæ, vel Dei, irrisu & aspernatione vultus prosequantur." Quorum etiam aliqui ex eo præcise audent negare, non esse dabiles plures quam 5. sensus externos, quibus animalia de facto sunt prædita, quia illis non apparet qualis ille sensus esse deberet, qui non esset ex his unus. Hæc est eorum tota ratio, inquit S. Aug. de civit. ibid. c. 3. ut quod experti non sunt, nequaquam posse esse arbitrentur. Et hos redarguit quoque Plutarchus Sympos. L. 5. q. 3. "Etenim, inquit, innumera sunt, quorum cum substantia in aperto sit, causæ tamen nos latent, ut Philosophiam quodammodo perimant, qui admirabilibus fidem detrahunt."

Verum quidem est, quod multarum rerum, quæ ab Authoribus scribuntur, falsitatem experientia deregat: ubi tamen notari velim, quandoque circumstantias negligi, quarum vel unica necessario requisita, non observata, totum impedit effectum prout egomet expertus sum in pulvere sympathico sudorifico, de quo alibi mentionem feci. Impræsentiarum experimenta quædam allaturi sumus ex Authore religiosissimo doctissimoque Abbate Hieronymo Hirnhaim Ord. Præmonstr. Viro fide dignissimo, qui pleraque se in praxi sic comperisse testatur, quibus tamen si forte diffidas, experiri tibimet licebit. Sit itaque

SECTIO I.

De rerum Sympathia.

II. Sympathia nil aliud est, ut nomenclatura docet, nisi mutua quædam consensio inter res aliquas, per quam, una aliquid sentiente, altera quantumlibet distans idem sentire videtur; una mota, moveri altera; patiente una, pati altera. Vnde a quibusdam vocari solet Compassio. Galenus nominat amicitiam; Plinius concordiam; Cicero convenientiam & naturæ cognationem; alii appellant concentum & Symphoniam. Experientissimus Naturæ indagator Kircherus passim in suis scriptis rerum consensum celebrat. Quid autem aliud est consentire [si absque tropis loquamur] quam unio sentiente, aliud quoque sentire, atque idem aut diversum quid pati? Vnde sympathia dici consuevit. Scio authorem Phil. Burg. Antiperistasim celeberrimum ignorantiæ asylum vocare: & Sympathiæ ac antipathiæ voces audientium tantum aures percellere, nullas autem res his subesse vocibus; cui assentirer lubens, si ex suis principiis naturæ phænomena clarius nosset explanare, quam AA. Cosmopnevmici, & alii qui sensum communem omnibus tribuunt rebus.

III. Sympathia duplex est, una quæ fit cum actione alterius attractiva, & vocatur Magnetismus, de quo infra. Altera quæ fit sine ulla sensibili aut notabili actione rei unius in aliam sympathice affectam, & in nudo rerum consensu consistit; hæc proprie ac specifice Sympathia nominatur, cujus jam exempla subnectemus, non tam curiositatis pascendæ causa, quam veritatis ob oculos ponendæ, ac ignorantiæ humanæ detegendæ.

Vinum in cellariis turbatur florentibus vineis; similiter turbatur cerevisia in cadis florente hordeo. Pisa difficulter coquuntur florentibus in agro pisis. Si farina ex tritico, eo tempore quo id in agris germinat, coquatur; pultes non spissantur, sed longiori coctione magis semper colliquescunt.

Grana tritici adustas producunt spicas, si ponantur in saccis, e quibus farina pro pinsendis panibus fuit depromta: quotquot enim granis tritici pulvis farinæ in sacco residuus adhæserit, illa omnia, uredine inficiuntur. Mantile vel strophiolum colore mori, cerasi vel rubri vini maculatum, facile maculam dimittit, si lavetur, dum illæ arbores aut vites florent: alio quovis tempore & operam & lixivium in eluendis ejusmodi maculis perdes.

Si quis morum vel fragum in gravidam projiciat, accedente apprehensione seu imaginatione fortiore fœminæ, pars in fœtu correspondens parti matris attactæ, eodem signo sæpe notatur. Talia mora vel fraga per matris imaginationem seu terrorem cuti prolis impressa, visa sunt quotannis viridescere, flavescere, rubescere ac prurire cum moris arboreis & fragis terrestribus; subsidere autem & semi evanescere tempore mororum & cerasorum transeunte.

Territis ab inopinato lunæ aspectu mulieribus, fœtus quandoque luniformi macula signati sunt; lunæ incrementa & decrement ad amussim sequente, quæ etiam sequi dicitur lapis Selenites. Scribitur quoque de Panthera, quod in pelle sua circumferat maculam Lunæ phases exacte repræsentantem.

Si panis e furno extractus cultro dividatur; panes reliqui in furno læduntur, cortexque a medulla recedit (germ. verschupffen vocant). Observatum est etiam, si quis furnum conscendat, vel quacunque ratione percutiat, quando panes in eo pinsuntur, idem accidere.

Gallina ovis incubante, si in iisdem ædibus ovum igne assetur, intereunt pulli exclusioni vicini.

Carnes cervorum & damarum, quamvis optime conditæ, fœtent, quando ejus speciei animalia luxuriantur & libidinantur: hinc cerebrum vitulinum & ovinum in Majo comedere dissuadent Medici.

Si felem masculum quis occidat, fæmella quæ ex ipso concepit prægnante, mox illa abortum patitur, & catelli mortui eduntur. Idem contingit in ovibus, asinis, vaccis, suibus. Vnde Laniones verrem nunquam occidunt scropha parturiente.

Matrona quædam Lipsiæ tres filios in matrimonio enixa est, cum quibus singulis dens unus ipsi accrevit: morientibus illis, singuli dentes eidem pariter exciderunt.

Illud non semel expertum est, si consanguineis procul dissitis aliquid triste contingat, id quadam cordis gravitate & anxietate, nec non aliqua corporis alteratione nobis prodi; & uno ex familia peste cor-

repto

repto, luem per omnes, quamvis a se remotos, interdum serpere.

Observatum fuit etiam aliquoties, ad mortem consanguineorum spatiosissimo intervallo distantium, sanguinem in quibusdam ita fuisse commotum, ut etiam aliquot guttulæ, citra aliam evidentem causam, de naribus subito prosilierint.

Sunt qui carnem ex brachio vel aliunde sibi mutuo dant, & arte chirurgica inserunt; certis deinde caruncula illius puncturis, quas alter, de quo deprompta est, quantumlibet distans sentire dicitur, cordium arcana sibi mutuo produnt; admiranda steganographia.

Spiritus Sanguinis in vitro servatus, monstrat valetudinem ejus, a quo detractus est sanguis, quantumlibet longe absentis: nam si ægrotat, turbatur & claritatem amittit.

Huc spectat *lampas vitæ & mortis*, quam quidam præparare docet ex humano sanguine destillato, & debite purificato, quem ait non secus ac oleum nutrire flammam: & si lychnus incombustibilis [ex asbesto] eidem adhibeatur, tamdiu ardere, quoad vixerit homo, ex cujus sanguine præparata est lampas: extingui autem eodem temporis puncto, quo ipse moritur. Ejusdem lampadis flammam luculentam, elevatam, tranquillam & immotam, ait, indicare bonam hominis constitutionem; sin vero flamma varie moveatur, aut scintillet; si depressior sit, aut nubilosa & torpida, iræ, anxietatis, tristitiæ aut infirmitatis esse indicium.

Huc etiam pertinere videtur aqua, quam nonnulli divinam appellant, ob mirabiles ejus virtutes, & sic conficiunt: accipiunt totum cadaver hominis, morte violenta perempti, qui sanus antea fuerit, ejus carnem cum ossibus & visceribus in frustula minutissima secant, & omnia quam optime inter se invicem permiscent, postea per alembicum aquam inde proliciunt, eandemque rectificant. Hæc aqua, præter alias in medicina virtutes, dicitur de vita vel morte infirmi certum ferre judicium. Si videlicet tres vel novem guttæ sanguinis ab ægro aliquo extracti, uni drachmæ circiter illius aquæ imponantur, & igni lento admoveantur. Si sanguis & aqua invicem commiscentur, signum est vitæ; si manserint incommixta, mortis imminentis est indicium. In defectu sanguinis similiter procedunt, majori tamen dosi, cum urina, sudore, sanie aliisque corporis excrementis.

Contingit frequenter, uti R. P. Wadingus, vir solide doctus & minime superstitiosus, confirmat suo experimento, eos de quibus intentius cogitamus, si nullis cogitationibus tum illorum mens sit præventa, respicere ad nos quasi vi conversos, quod multoties quoque se expertum scribit D. Marcus Marci Phil. Vet. restit. Parte 5. pag. 497.

Cutis humani capitis cum suis capillis viventi abscissa, siccata & in loco aliquo clauso diligenter asservata, canescente homine, a quo desumpta est, canos exhibet, & calvescente calvescit.

Testacea fere omnia extra mare quamdiu vivunt, accedente maris æstu hiant, eodem abscedente clauduntur.

Adeps ursinus in pyxide servatus augetur hyeme, dum ursi in suis latibulis pinguescunt.

Terra ex Nilo desumpta, exsiccata & diligenter asservata, toto anni tempore nihil in pondere mutatur usque ad diem 17. Junii, cum solito fit gravior, quo tempore Nilus exundat.

Notatum est aquam in vasis æneis aut vitreis asservatam notabili incremento attolli, dum nubes in pluviam colliguntur.

Humores in omnibus sublunaribus, exceptis cæpis & alliis, luna crescente augentur, decrescente deficiunt. Maris etiam æstus lunæ incrementis & decrementis regulantur.

Selenites lapis lunæ imaginationes sequitur. Talis forte fuit gemma Leonis X. Pont. quæ, ut scribitur cum Luna crescebat & decrescebat, cujus lumen & colorem æmulabatur.

Datur & Helites gemma solaris: cujusmodi fuit illa in manu Clementis VII. Pont. auream habens maculam, quæ juxta Solis motum singulis diebus oriens & occidens circumagebatur.

Dantur quædam gemmæ conjuges mas & fœmina; moto mare, similiter movetur & fœmina, quamvis longe distans; unde illarum ope amici procul distantes invicem colloqui possunt.

Si quinque scyphi vitrei diversis liquoribus pleni, ut cremato, vino, cerevisia, oleo, aqua ejusdem magnitudinis & capacitatis prope se invicem ponantur, rasa unius superficie in ora superiori usque dum tinnitum edat, omnes humores concitantur, magis vero subtiliores. Ad hunc fortasse modum animi nostri per Musicam commoventur.

Notæ sunt quarundam partium in corpore humano sympathiæ, ob quas una parte affecta, altera compatitur, & per consensum ægrotat. Sic ventriculus cum corde, cor cum digito annulari specialem dicitur habere sympathiam. Similiter cerebrum cum ventriculo & pedibus tametsi remotissimis: hinc pedum frigefactio nocet capiti, & pedum lotio cum aquis somniferis somnum procurat. Experimentum hujus consensus sic capere poteris. Curaturus tussim vel raucedinem quantumvis diuturnam & molestam, accipe duo vel tria capitella de allio, mundata tere, & cum porci pinguedine ad ignem liquefacta in formam unguenti redige. Vesperi antequam eas cubitum, pedes & plantas præcipue, ad ignem quam optime calefacito, & prædicto unguento perunctos pannis calefactis circumligato, deprehendes mane omnem abscessisse raucedinem.

Huc etiam spectat aurium Sympathia cum dentibus. Sunt enim quibus ad stridorem cultri, ad limationem ferri & sericarum vestium sibilos dolent dentes. Imo etiam aliqui ad solum rei acidæ aspectum dentium stupore afficiuntur.

IV. Nec debent silentio præteriri sympathiæ prolis cum Matre. Inprimis cum ejus mammillis; quæ si duræ fuerint, fœtus bene valet in utero; si mollescant, infirmatur. Masculi placantur facilius mamma dextra quam sinistra, qui dextram in utero partem tenuerunt. E duobus gemellis in lucem editis, unus dextram non sinistram; alter sinistram non dextram ad sugendum arripit. Taceo hic sympathiam cum aliis membris corporis materni, unde multis ex signis colligi potest prolis in utero conceptus aut gestatio.

Huc etiam spectat, quod quidquid edulii nauseat mulier tempore gestationis aut conceptionis, illud idem fœtus abhorret toto vitæ tempore. Nota quo-

que est Pica mulierum, qua etiam interdum laborant non prægnantes. Appetunt ligna, vermes, lanam, stupas, cretam, salem, gypsum, calcem, arenam, cineres, crudas carnes etiam humanas. Legimus quandam mulierem hoc appetitu adactam, maritum suum occidisse, & carnes illius vorasse. Quod si res quas appetunt, illis denegentur, pariuntur abortum, vel aliud grave malum fœtus incurrit. Cujus rei exemplum extat apud Doctorem Marci, quod Pragæ contigisse narrat: Mercenaria quædam mulier uterum gerens mensæque accumbens, avidius comedebat de capite carpionis: accedens Coqua, quod hanc partem sibi destin irat, graviter increpat fœminam, quæ pudore suffusa in patinam rejecit ambesum piscem. Et quamvis ab adstantibus fœminam uterum gerere cogitantibus, ad caput carpionis comedendum postea invitaretur; pudor tamen dolorisque acerbitas ipsam de mensa surgere fecerunt. Surrexit ergo incœnata continuas lachrimas fundens, cubitoque capiti admoto (uti mœsti solent) nihil nisi piscem illum meditabatur, infelicissimo eventu: peperit enim infantem, cujus caput non prorsus humanum, sed ex dimidio piscem referebat, illa videlicet parte, quæ eubito matris fuerat compressa, ita ut ipsum quoque os in duo semi-ora, inque partes humano ori, & quale carpioni est, assimiles divideretur; quin & color cyaneus, & squamarum similitudo eidem inessent.

V. Stupenda possent afferri exempla de mirabili sympathia, quam habet fœtus eum imaginatione materna, ob quam admirandæ ac subitæ in ipsum aliquando fiunt impressiones. Sic vulnere thoraci matris inflicto, visus est prolis thorax vulneratus, etsi gladius illum non tetigerit. Supersedeo plura referre, quæ passim apud AA. fide dignissimos, maxime apud Sennertum & Helmont legere est, unicum hic adjiciam non ita pridem hoc præsenti sæculo decimo octavo Moguntiæ visum. Exhibebatur in Nundinis a quodam in foro publico Lotteria (germ ein Glücks-Topff.) Vxor gravida & partui jam propinqua civis cujusdam honesti curiositate ducta maritum solicitabat, permitteret se spectare scenam, suamque ex urna quoque extrahendu fœdam experiri fortunam. Obtenta venia transiens forum venalia ibidem poma quædam emit, & in gremio præ se ferens theatrum accedit. Erat ibidem simia obambulans perticam suam, quæ conspectis in sinu fœminæ pomis improviso in eam insilit, raptoque pomo ad sedem suam revertitur. Quo insultu exterrita mulier mox male habere cœpit unaque cum marito domum concedit, ac paulo post enititur prolem caput simiæ referentem. Dicite Domini Medici, quæ causa metamorphosin tam subitam induxerit, caput hominis quale sine dubio infans partui proximus habuerat, mutando in bestiale simiæ?

Pulveris sympathetici vis & efficacia ubique jam satis est decantata. Curantur per illum vulnera & ulcera, maximis etiam locorum spatiis distantia, non modo partium externarum, sed etiam internarum, ad quas nulla interdum vis medicamenti alterius valet pertingere, qualia sunt pericardii, tenuium intestinorum, vesicæ &c. vide Tract. II. ubi de actione in distans.

Omnes morbi ex humano corpore in alia animalia sequenti remedio transplantantur: pars suillæ carnis coquitur in urina patientis usque ad liquoris consummationem. Quod cùm secundo vel tertio factum fuerit, coctum carnis frustum cani vel porco vorandum objicitur.

Icterici, cachectici, hydropici, & pluribus aliis morbis laborantes curantur, si sanguinem illis ex mediana extrahas, ovi gallinacei testæ includas, & gallinæ alicui per quaruordecim dies supponas, eidemque famelicæ vel cani devorandum exhibeas.

Idem præstat ovum gallinaceum in urina cachectici aut hectici lixatum, deinde undique pertusa testa impositum formicario, ut ibidem consumatur.

Pellitur etiam Icteritia, si urina infirmi, die quo emissa est, formicarum acervo superfundatur; vel radix Thamarisci urinæ patientis imponatur, & deinde comburatur. Sunt qui contra eundem Regium morbum sequenti remedio utuntur: Herbam cichorii matutino tempore cum radice illæsa extrahunt, reddita in scrobem urina plantam reponunt, & terra debite cooperiunt. Alii vesicam toties quoties urget necessitas in linteum complicatum exonerant, illudque in aere suspensum reficcari semper faciunt, usque dum omnem e corpore flavedinem extrahat.

Si dyssentericus pusillum cespitem in vireto quopiam effodiat, & in fossulam intestinorum fæces excernat, easque viriditate cespitis introrsum versa obtegat, a morbo liberatur.

Verrucas quidam sine dolore abigunt, lardi pelle illas egregie perfricando, quam postmodum in terram defodiunt, vel in fenestra murove meridiem spectante suspendunt; illa putrescente, etiam verrucæ pereunt. Alii caput anguillæ sanguinolentum adhibent vice lardi, illudque post verrucarum contactum in terram defodiunt. Sunt qui ad idem utuntur pulpa cujuscunque pomi, qua deinde putrescente, verrucæ pariter evanescunt. Remedium omnium præsentissimum abolendi verrucas est, si laventur manus, aut partes verrucosæ aqua insistente sive stagnante supra lapides sepulchrales.

Contra febrem expertum scribitur remedium, si ovum in urina ægri instante paroxismo ebulliat, donec omnis humiditas sit absumpta, deinde idem excorticatum in cumulo formicarum sepeliatur: quam cito a formicis consumitur, tam cito febris cessat.

Plura de morborum transplantatione seu sympathetica curatione vide apud cit. Rever. D. Præsulem Hieron. Hirnhaim cap. 6. Ubi etiam de amore & amicitia, sive naturali conjunctione, quæ non tantum inter animalia, cæteraque viventia, sed etiam inter inanimata reperitur, experimenta curiosa adducit: nec non medicamenta, quæ occulta quadam naturæ familiaritate certas corporis partes adjuvant, uti sunt Cephalica, Ophthalmica, Pnevmonica, Cardiaca, Stomachica, Hepatica, Splenetica &c. quæ familiaritas in multis ex similitudine colligitur.

Celeberrimum non ita pridem fuit per universam Italiam nomen cujusdam Medici, qui solo pulvere ex singulis corporis humani partibus arte propria confecto, omnes affectus contra naturam singularum partium radicibus tollebat, & cordi infirmo ex meris cordibus; hepati ex jecinoribus medicinam parabat. Idem quoque apud Arabes hodie adhuc in usu esse scribitur.

Claudo

Clando hanc sectionem ingenioso disticho ejusdem Authoris:

Cum vigeat tantus rerum consensus in orbe,
Doctorum ingeniis vix tamen ullus adest.

SECTIO II.

De Magnetismo, & vero modo quo fiat.

VI. Omnia in hoc Universo plena sunt magnetismis. Est vero magnetismus nihil aliud quam vis quædam attractiva, qua res una aliam determinatæ tantum speciei ad se allicit & attrahit. Si omnia promiscue attrahat, dicitur vis electrica, qualem habent electrum (germ. Contersey) gagates, succinum, unicornu & cornu cervi, quæ chartulas, micas, ovorum testulas & festucas attrahunt. Item mastix, cera sigillaris, sulphur, arsenicum & plurima medicamenta, quæ Medici vocant attrahentia, ut aristolochia, thapsia, dictamnus, fermentum, fimus columbinus, radix arundinis, pyrethrum, Euphorbium, helleborus, quæ non tantum malas qualitates & humores, sed etiam spicula e corporibus extrahunt.

Mira & vulgo nota est virtus magnetis in ferro attrahendo. Ferreus annulus ad contactum rudis hujus & male politi lapidis sursum attrahitur, hic alium juxta se positum secum elevat, ille tertium, tertius quartum; ita ut aliquando unus magnes duodecim annulos sursum trahat, & liceat videre catenam absque nexibus, per solam lapidis virtutem in omnes annulos insensibiliter manantem. Vide S. August. Lib. 21. cap. 4. de Civit. Dei, ubi etiam refert, quod quidam tenuerit magnetem sub argento, & ferrum super argentum posuerit. Deinde sicut ille subter lapidem manum movebat, ita ferrum superne motum fuerit, concitatissimo cursu ac recursu, argento intermedio nil patiente. Quin & aurum a magnete trahi testis oculatus est Athan. Kitcherus, qui sponsione facta cum quodam Nobili, experimento hoc lucratus est chirothecas multo auro intexto graves.

Nec tantum metalla, sed etiam ligna, lapides, ossa, testas, aquam, terram & ignem vis magnetica intra sphæram suæ activitatis penetrat.

Sicut magnes ferrum ad se attrahit, ita ipse vicissim a pota sive cœlesti, sive terrestri trahitur, & certis sui partibus certas Mundi regiones exacte respicit, si libera ipsi concedatur libratio. Causam hujus conversionis polaris nonnulli referunt in montes, qui sub polo sunt, ferri & magnetis feracissimos; unde & nautæ ibidem naves clavis ligneis compactas dicuntur habere; ferrei namque scopulos magneticos transeuntibus extraherentur. Quæ vis etsi non deprehendatur in montibus Ilvensibus juxta populoniam Italiæ, e quibus omnes fere nostri magnetes effodiuntur, fortasse tamen activitas illorum montium non est tanta, quanta Septentrionalium.

Quin etiam unus magnes e minera effossus alium ad se magnetem attrahit, secundum certam tamen partem: Australis enim pars unius lapidis attrahit ad se borealem alteram seu alterius, repellitque australem: Borealis attrahit australem, repellit Borealem.

VIII. Vim ad polum conversivam etiam habet lingula seu acus magnete semel perfricta, quam etiam per plura sæcula retinet. Hoc mirum, quod pars Magnetis, quæ est australis, si ferrum tetigerit, illud non ad austrum, sed ad Aquilonem convertat; Borealis quoque partem attactam non ad Septentrionem, sed ad Austrum incliuet. Cultellos quoque, si tantum semel magnetem sua cuspide tetigerit, claviculos & acus attollere videmus. Quin imo bonus quicunque chalybs æque ramenta ferri ad se attrahit, absque ullo affrictu ad magnetem, non secus ac si fuisset affrictus.

Expertum est fila ferrea, vel stylos ferreos in filo ad æquilibrium pendulos vel aquis suberis beneficio supernatantes extremitates suas ad Mundi polos convertere. Efficacior redditur vis hæc ad polum conversiva in quocunque ferro debite prius elaborato, si illud adhuc candens supra lineam meridianam positum aliquo tempore super terram jacere permittatur. Quod si denuo candefiat, & in contrario situ super terram positum frigescat, contrariam virtutem in suis extremitatibus induit.

Plures ejusmodi danrur, & quidem longe magis admirandæ in ferrea corpora magneticæ impressiones. Applica Compassum cuicunque ferro, quod uno vel altero anno situm tenuit perpendicularem, & nullum contigit magnetem; qualia sunt passim ferramenta longa in ædibus fenestras vitreas continentia & firmantia; videbis illud suprema sui parte poli arctici naturam præ se ferre, & obtusam lingulæ magneticæ partem attrahere; inferiore autem sui parte poli antarctici qualitatibus esse imburum, & candem lingulæ partem a se repellere, cuspidatam vero attrahere.

Si ferramenti situs mutetur, & illa pars quæ cœlum ante spectabat, terræ aliquaoto tempore permittatur adhærere, etiam virtutem trahendi mutat; nam australem lingulæ partem attrahit, septentrionalem, quam prius attrahebat, repellit.

Quod si ferreum tale instrumentum per medium libere suspendatur, aut in aquis quiescentibus super corticem aut ligneam cymbulam natare permittatur, inferiorem sui partem, quæ videbatur Australis, ad Septentrionem vertit, superiorem veto ad meridiem: non secus ac in versoriis acubus contingit, quarum extremitates polo magnetis australi attactu vertuntur ad Boream, Boriali vero attactæ meridiem spectat.

Si ferrum aliquod, nulla adhuc magnetica virtute imbutum, eadem quacunque sui extremitate, lingulæ magneticæ in superiori parte adhibeatur, trahit ad se partem lingulæ australem; si eadem extremitas adhibeatur inferne sub Compasso, trahit ad se partem septentrionalem. Quo nihil hac in materia videtur mirabilius. Nam iu momento, facta situs mutatione, nunc Australem, nunc Borealem virtutem ferrum contrahit. Hæc de Magnete dicta sufficiant. Omnia enim adeo plena sunt magnetismo, ut neque millesima illorum pars recenseri possit, nam

Rebus inest cunctis virtus magnetica; namque
In magnum nos tota trahit Natura stuporem.

VIII. Pro capiendo autem utcunque hoc naturæ arcano Nota I. Mundum hunc Vniversum, ut docet Hermes in Pimandro, ex Chao cœpisse non aliter quam ex ovo pullum. Et quantumvis magnam varietatem in Elementis, & corporibus inde constitutis præ se ferat, suæ tamen originis unitatem etiam sub illa diversitate deinceps servare. Vnde tam admirabiles omnium in universo, non aliter quam in uno aliquo corpore ejusdem partium est consensus; & quæ in Mundo sublunari his respondent vicissitudines. Nam sicuti in corpore humano vis imaginationis ma-

terna ob identitatem animæ, quæ utrique inest, ad fœtum pertingit, eundemque varie permutat: ita in Vniverso ideas ascendentes recipiunt partes illæ, quæ cum utero ac fœtu habent analogiam. Ex quo fundamento admirandos effectus, quorum omnium causa lateret, non jam mirum videtur sequi: ipsamque aeris mutationem, pluvias, ventos ac varias tempestates longe antequam fiant, a brutis præsagiri.

IX. Nota 2. Omnibus rebus, etiam non animatis, juxta vulgus inesse quendam sensum ab aliis distinctum, quo noxia a convenientibus discernunt: & hæc quidem amicabili modo ad se trahunt retinentque: illa vero aversantur fugiuntque. Ita Magnes ferrum, non reliqua metalla trahit, suisque moribus imbuit: argentum vivum metallis, non vero lapidibus & lignis sociatur. Oleum injecto carbone resilit: ab eodem oleo cucumis se avertit, & ne propior eidem fiat, intorquet. Ex arbore confestim ficus cadunt, si lapis Ætites eidem arbori suppositus illam tangat. Necesse vero corpus humanum & singulas ejus partes non destitui hoc sensu, cum major hujus quam teliquorum sit perfectio. Sive jam hic sensus communis oriatur ex Primalitatibus, sive Animæ Mundi attribuatur, perinde est.

X. Nota 3. Actionem naturalem esse duplicem: alia enim recipitur in passo conjuncto eidem agenti a quo procedit, ut virtus magnetica in ferro: alia etiam passum a se disjunctum invadit. Estque hæc rursum triplex: aut enim eadem actio per medium usque ad passum continuatur, quemadmodum calor ab igne: aut virtus quæpiam hujus opifex eousque diffusa, quæ non in omni parte medii illam actionem exercet: ita enim a stellis per lumen in Mundo sublunari, pro cujusque capacitate mutationem fieri opinantur: aut demum neque actio, neque illa vis per medium se extendit: quemadmodum imaginatio materna fœtum in utero sigillat; non quod idea matris eo se extendat, sed quia eadem anima utrique præsens, hic per imaginationem determinatur, ut ibidem in parte fœtus eidem conceptui analoge operetur.

Vnde necesse commune principium utrique, nim. agenti & passo inesse; a quo ejusdem actiones procedunt. Actio autem Sympathetica requirit in agente ideam expressam, seu actionem vitalem proprie dictam; nec sufficit idea impressa & in subjecto materiali recepta, ut per eam alia subjecta remota quantumvis similia, aliquam impressionem recipiant: cum neque in matre sufficiat talis idea ad fœtum sigillandum: imo neque imaginatio actualis, nisi interveniat ejusdem animæ motio vitalis eaque intensa, ut desiderii, metus &c. Ita ut aliqua pars corporis moveatur, non sufficit in illa parte concipi motum, sed requiritur insuper voluntas efficax: quin etiam vegetabilia, tametsi ideas habent evolutas & initium germinandi, prohibentur tamen ab incremento, nisi calore solis debito hic motus incitetur, quia nimirum per hunc sensus communis, quem sequitur appetitus, stimulatur.

Præterea idea in parte una evoluta non determinat actionem materialem in alia parte: ita enim confusio fœtus in ejusdem formatione nasceretur; sed duntaxat in illa parte, cui idea inest. Oportet ergo ideam determinatricem præexistere in iis, in quibus actiones fiunt sympatheticæ; verum sopitam & veluti dormientem, quam excitat appetitus ille, ubi a sensu communi moveri cœpit. Neque necesse illas ideas a sensu communi præcognosci: verum ut ad exemplar ideæ moveatur subjectum, sufficit ejusdem vitalis motus.

XI. Ex his modus, quo magnetismus, Sympathia & antipathia, fascinus, ligatura & reliquæ actiones in distans fiunt, se aperire videtur. Quantumvis enim hic Mundus sit vastæ molis: est tamen hæc finita, habetque unitatem suam a forma, quam Scotistæ formam corporeitatis, alii Mundi animam vocant: ob actiones vitales, quæ ubique inesse noscuntur. Sicuti ergo si a Deo crearetur mulier ea mole, ut caput inter astra, aut etiam in aquis supermundanis; uterum in centro terræ haberet: illa immensa distantia inter caput & uterum nihil obstaret, quo minus imaginatio cerebri fœtum in utero mutare valeret: propterea quod actus imaginationis nulli loco aut parti alligatur: ita non mirum videri debet, si dum cœlum imaginatur, & suas exercet phantasias: in Mundo sublunari analogæ fiant mutationes, propterea quod sensus communis & qui hunc sequitur appetitus, nullibi deest. At vero impressiones idearum, & qui ex his procedunt effectus corporei non ubique recipiuntur: quemadmodum neque in omni utero prægnantis fœtus ex imaginatione materna mutatur: verum in iis tantum in quibus ideæ recipi & stabiliri valent; neque per alias ideas excluduntur. Ita in membro paralitico, quantumvis animato, non recipitur idea motus, licet imaginatio intendatur, nisi dispositio ideæ inimica prius amoveatur; un evenit Crœsi filio, qui natura mutus ob vehementem animi motum ex metu mortis paternæ, rupit hæc impedimenta linguæ. Ita res sublunares ex se debiles & inidoneæ ex aliarum conjunctione redduntur capaces, quo cœlestis imaginationis fructus percipiant, quæ ob hoc cœlestes illices dicuntur, admirandarum virium evocatrices; ex quo omnis magia naturalis derivatur.

XII. Itaque totius universi compagem comparare liceat mulieri de qua supra, in qua compage unus atque indivisibilis spiritus, totus in toto & totus in qualibet ejus parte, per diversas ideas rebus impressas, & moventes Spiritus Mundi phantasias diversa sibi imaginatur. Est vero mirabilis hujusce Spiritus imaginatio. Nam sicut anima nostra rationalis, objectum, quod mediante phantasmate percipit, Spiritualiter in se exprimit: ita ille quamcunque rem in idea insensibili & incorporea perceptam, sensibiliter & corporaliter exprimit, partium numeros, magnitudines, colores aliaque accidentia, juxta Ideæ præscriptum in materia disponendo & formando, prout quædam afferemus exempla inferius sect. 4. Et sic omnes rerum visibilium species in hoc universo nihil sunt aliud, quam actus phantastici animæ Mundi, ab ideis suis ortum trahentes, seu vitales species ad similitudinem sive physicam sive repræsentativam causarum idealium sensibiliter formatæ & expressæ. Quamvis ad generationem cujuscunque rei videatur sufficere, si communis ille rerum opifex speciem impressam sive ideam, eousque insensibilem & incorpoream, in ejus evolutione vestiat habitu sensibilium accidentium, & corporalibus lineamentis, juxta naturalem ideæ ipsius exigentiam; & sic idea cum omnibus suis partibus ex invisibili fiat visibilis, accessu diversarum conditionum

ac diſpoſitionum, ſicut externæ rerum quas videmus ſpecies accedente lumine fiunt viſibiles, eoque ablato in chaos ſuum reciduot.

SECTIO III.

De rerum Antipathiis, earumque mirabilibus.

XIII. Antipathia eſt inimica rerum contra ſe invicem affectio, qua ſe invicem ex natura ſua adverſantur & impugnant. Solet etiam appellari diſcurdia, diſſenſus, inimicitia, lis, hoſtilitas, odium, averſatio, diſconvenientia, diſpathia. Opponitur Magnetiſmo, qui datur inter illa, quorum unum trahitur ab altero. Antipathia vero eſt inter illa, quorum unum ab alio abhorret, & ab alio pellitur. Hinc etiam Antimagnetiſmus dici poteſt, qualis ſpectatur in lapide Theamede, qui tam potenter ferrum a ſe abigit, quam potenter magnes illud attrahit.

Summe admirabile eſt, ipſum magnetem una ſui parte ferrum attrahere; altera oppoſita parte illud a ſe repellere. Vnicornu quoque micas & res omnis generis aquæ, quam contigerit, ſupernatantes attrahit, obolum autem a ſe repellit.

Venena omnia cor vitæ arcem antipathice oppugnant, eidemque debilitatem, deliquia & Syncopen indicunt.

Venena ex animalibus homini lethalia ſunt, ſpuma & ſanguis bufonis, qui etiam halitu ſuo venenoſo herbas, maxime vero ſalviam ſolet inficere. Nota quoque Salviam per microſcopium inſpectam exhibere innumeras aranearum telas una cum ovis & vivis araneolis, quorum etiam immenſam multitudinem ova illa leni calore ſota excludunt. Ob haoc cauſam ſalviæ folia nunquam niſi prius lota uſibus humanis ſunt adhibenda.

Ictus ſcorpionis, Tarantulæ, araneæ, quam etiam pedibus tantummodo calcatam, legimus venenum per calceorum ſoleas interdum tranſmiſiſſe. Item leviſſimo ejus tranſcurſu ſpeculum aliquando ruptum fuiſſe. Sed de Venenis ſuo loco ſpecialiter.

Braſſica horret cyclaminum, hinc juxta illum ſata areſcit. Similiter braſſica & ruta ſi ſimul ſerantur. Vitis ſi ei applantetur braſſica, exſiccatur, & flectit ſe in adverſum; unde ad ebrietatem ex vino compeſcendam braſſica quidam potatores uti ſolent, eaque ſe præmunire. Obſervatum eſt, ſi braſſicæ in olla bullienti vini pauxillum infundatur, illam nec coqui nec reneſceſcere. Laurum ſimiliter vitis abhorret.

Cucumeres cum olea inimicitiam habent. Quercus & olea juxta ſe poſita areſcunt. Arundo filicem horret; unde ne in piſcinis naſcantur arundines, filicem nonnulli ſpargunt, vel ea vomeri impoſita locum proſcindunt. (germ. Farnkraut). Quercus juglandi vicina moritur. Cicuta flacceſcit a vite, unde & vini potio ejus veneno medetur. Nucis umbra arboribus omnibus & plantis eſt exoſa. Hedera omnibus pariter arboribus ſatisque nocet. Similiter lavendula herbas prope illam ſatis deſtruit. Putamina fabarum, arbores faciunt ſterileſcere quarum radicibus applicata fuerint. Hedera viti adverſatur, unde illa coronati non inebriantur. Salix inimica frugibus; Ruta baſilico & Cicutæ: Roſæ cæpis; juxta allium tamen plantatæ gratum odorem contrahunt. Mala medica panem abhorrent; unde ſi cumulo panem inſpergas, ſtatim putreſcunt.

Oliva cum meretrice in tantum diſſentit, ut ſi ab illa fuerit plantata, vel maneat infructuoſa vel areſcat. Similem antipathiam habent omnes menſtruatæ mulieres erga res plurimas; ſanguis illarum homines dementat, canes in rabiem vertit, illius contactu novellæ vites areſcunt, & hortorum germina exuruntur, linteamina illo infecta ſuſpenſa ex arbore illam interimunt: aſpectu ſolo mulieris menſtruatæ ſpecula fædantur, & labe quadam inficiuntur; coralla in ejus corpore geſtata palleſcunt; crocus in hortis fit decolor ad ſolam menſtruatæ mulieris præſentiam: quidquid fœminæ fluxus iſtius tempore tractant, corruptioni eſt obnoxium. Imo etiam extra Menſtruorum tempus corpora mulierum malignitatem quandam tranſpirant; hinc eſt quod coralla a viris geſtata ſemper ſint rubicundiora, quam ſi geſtentur a mulieribus; & nuces moſchatæ a viris portatæ maneant bonæ & ſucculentæ, apud fœminas autem cito deſtruantur & exareſcant.

Aliter tamen legimus ſenſiſſe Rudolphum II. Imp. qui dicere ſolebat: ſe non poſſe præſentius remedium invenire ad corpus ſuum vegetius reddendum, quam dulces & ſuaveolentes ex ore mulierum & puellarum ſpiritus. Fuit illi uxor juvencula Agnes filia Ducis Burgundiæ, neptis Regis Franciæ: Obiit iſte Imp. anno. ætatis 73.

Leo animalium omnium terror, cujus pinguedine perunctos cunctæ fugiunt beſtiæ, galli cantu & igne terreri fertur. Homines a Lupo prius viſos rauceſcere fabuloſum. Agnus modo enixus lupum timet & vulpem. Chordæ agninæ cum lupinis nunquam concordant.

Si tympanum ex pelle lupina ſonet, muteſcit tympanum ex pelle vitulina vel agnina. Lupinæ chordæ pulſatæ oves reddunt attonitas. Tympanum ex pellibus lupinis, camelinis vel elephantinis confectum & pulſatum, fugat equos & in rabiem agit. Sonitus Lyræ ex vulpinis extis gallinas exterret, & in fugam vertit. Tympanum factum ex pelle ericii marini fugat omnia reptilia, ubicunque auditur. Hinc fortaſſe nebulo ille ſceleratiſſimus Schiſka juſſit ex corio ſuo poſt mortem fieri tympanum, ut ſcilicet hoſtes, qui ipſum viventem timuerant, ſono pellis audito in fugam verterentur. Non abſimile votum fuit Martini Lutheri

Peſtis eram vivens, moriens ero mors tua Papa.

Non tantum Crocodilus homini eſt infeſtus, ſed etiam unus homo alterum, etiamſi nihil injuriæ ab eo fuerit paſſus, averſatur & exoſum habet, juxta notum diſtichon:

Non amo te, Sabidi, nec poſſum dicere, quare;
Hoc tantum poſſum dicere, non amo te.

Legimus quendam parentem a ſuo filio ita abhorruiſſe, ut illo præſente deliquium pati conſveverit.

Araneæ ac bufones ſe mutuo perſequuntur. Item aranea & bombyx, ſerpentes & bufones; mures, glires & ſoes timent phaſeolum, & citius perirent quam eum comederent. Muſtela timet bufonem, cujus halitu ſic faſcinatur & attrahitur, ut tandem caput ſuum ori bufonis ultro inſerat, itaque ab eo occidatur. Lacerti oderunt cochleas, quas etiam ſimiæ adeo perhorreſcunt, ut ad ſolam teſtarum præſentiam ſe contrahant, & præ formidine alvi fæces egerant. Canes

nes

nes inſequuntur canicidam non ante viſum; Hiænam quoque odio ſpeciali proſequuntur, & contactu umbræ illins obmuteſcunt.

Columbæ fugiunt accipitres, eorumque pennis in columbario poſitis fugantur. Odor cancrorum apes interficit, & ab alvearibus pellit. Odor porcorum cancros occidit. Iisdem apibus ulmus eſt inimica. Mures odio perſequuntur ſcorpiones, eosque interimunt.

Equus timet lupum; ſi equa lupi veſtigia calcaverit, torpeſcit & abortit: & cuilibet equo lupi veſtigia diutius ſequenti pedes obſtupeſcunt & rigeſcunt.

Dicuntur pecora non tranſire per viam, in qua luporum inteſtina defoſſa jacuernt; & caput vel cauda lupi, ſi in ovilibus vel ſtabulis aliorum pecorum appendatur, ptohibere, ne animalia quidquam pabuli guſtent. Timet præterea equus camelum. Veſpertiliones horret Ciconia, qui ova illius ſolo attactu reddunt ſterilia, quos proinde ut fuget, folia platani veſpertilionibus exoſa in nido ponit. Alauda & luſcinia ſerpentes timent. Noctuas cunctæ volucres perſequuntur. Pavo terror eſt bufonum, ejus quoque vox ſerpentibus eſt terribilis. Vermes fugiunt talpam; talpæ ricinum & ſambuci frondes; cancri polypodium, muſcæ perſicariam. Omnia venenata Cervum & ciconiam; unde ſanguis cervinus, cornu & lapides in ore concreti, eorumque mumia, ſicut & ciconiarum, venenis adverſatur.

Magnetis vis ligatur præſente adamante; eandem obtundunt ignis, humiditas aeris vel aquæ, allium, pinguedo, oleum, rubigo, radii ſolis, fumus Mercurii. Quod ſi detineatur puſillum in aqua, quæ adhiberi ſolet in ferrandis lapidibus, totam vim amittit, quam tamen modico calore recuperat.

Huc pertinet faſcinus, quo aliqui homines, præſertim vetulæ & fœminæ menſtruatæ rebus nocent. Cum namque oculis ſuis aliquid fixius aſpexerint, & ſolito magis admiratæ fuerint, vel laudaverint, ut pulchros infantes, pecora, ſegetes vel arbores, illico res conſpectæ exareſcunt & emoriuntur (germ. das Beſchreyen.)

Smaragdus & Saphirus oderunt omnes actus venereos. Vnde ſi Smaragdus tangat cutem hominia venerem exercentis, rumpitur; ſaphirus vero nitorem amittit.

XIV. Dantur & antipathiæ corporum quorundam cum ſpiritibus, quas quidem multi negant. At egomet interfui cum equus ex maleficio claudicans, & dein morti proximus per fumigationem certarum herbarum benedictarum (vulgo pulvis Capuccinorum) incolumitati reſtitutus fuit. Si enim anima ſpiritualis ſympathiam habere dicitur cum humano corpore, cur non etiam ſimiliter antipathia cum aliquibus rebus ſpiritui concedatur? ſimili fortaſsis efficacia jecur piſcis in domo Tobiæ ſuffumigatum, dæmonem expulit. Hypericum, abrotanum, antyrrhinum adiantum aureum, thamnus, pervinca, ricinus ſeu palma Chriſti, contra incantationem, aliasque magias, item contra ſpectra & dæmones commendantur.

Vide Libros Exorciſmorum, in quibus deſcriptos reperies certos ſuffitus energumenis adhibendos, ex ſulphure, aſa fœtida, galbano, ungula aſini, ſeminibus hypericonis, rutæ & ſimilibus confectos.

XV. Mira eſt vis & potentia pulveris pyrii, quæ per ſulphuris & nitri antipathiam optime ſolet explicari. Similiter Tartarus & Sal Armoniacus antipathetice pugnant. Hinc horrenda illa vis auri fulminantis, cujus unicus ſcrupulus potentius operatur, qnam media libra pulveris tormentarii. Granum unum candelæ, cultro mediante, ſuppoſitum, ingentem edit ſtrepitum; aliquot ſcrupuli laminam ferream ſat craſſam perforant. Nihil vero aliud eſt aurum fulminans, quam aurum in aqua Regis ſolutum, & oleo tartari præcipitatum. Vis hæc fulminatrix illi adimitur ſpiritu ſalis communis, aut ſulphuris guttatim affuſo.

Nec tantum Sal armoniacus, qui aquam regis ingreditur, ſed alia quoque mineralia, maxime vero nitrum tartaro contrariatur. Datur enim etiam Mars ſclopetans ſeu fulminans, qui poſt factam in ſola aqua forti ſalis armoniaci experte, ſolutionem præcipitatur. Datur & pulvis tonans vulgo jam notus, qui ſalis tartari & ſulphuris æquis portionibus, & ſalis nitri duplicata portione conſtat. Vel ſecundum alios: ſalis nitri tribus partibus, una ſalis tartari, florum ſulphuris duabus. Omnia hæc vim ſuam non ſurſum, ut pyrius pulvis, ſed deorſum exerunt, ſicut ipſum fulmen, quod inferna tantum ferit, cujus etiam vis per ſimilem halituum mineralium antipathiam, optime non tamen adæquate poteſt explicari.

XVI. Ignis fulminei activitatem nonnihil adumbrat ſequens experimentum. Lampadi oleo repletæ lychnum craſſum ex ſulphure liquefacto, in oleo ſalis armoniaci & nitri maceratum impone & accende; hujus flammæ apex tantæ dicitur efficaciæ, ut omne metallum diſſolvat; aquam aut vinum in cochleari, ſpatio unius Pater noſter exhauriat. Hoc autem valde mirum eſt, quod corium aut lignum non lædat, quod etiam in fulmine ſæpius miramur.

Agendum hic etiam nonnihil de Idioſyncraſia, ſeu antipathiis peculiaribus quorundam hominum cum certis quibusdam rebus.

Sic aliqui horrent caſeum, alii ova, lac, vinum allium, roſas, mures, catos, lepores, porcellos, cancros, anguillas, gallos gallinaceos, vitulos, araneos &c. ita ut illis præſentibus tametſi non viſis, deliquium patiantur.

Sunt qui mucronem cultri videre non poſſunt. Quidam quoties videbat cultrum in cote acui, toties ſibi gingivas cruentari & ſanguinem ex illis effluere ſenſit. Scaliger narrat de quodam Nobili Gallo ad lyræ ſonum illico urinam reddente. Jucunda eſt antipathia, quam quidam habuiſſe ſcribitur, qui quoties carnem fumatam cum globulis farinaceis ſeu paſtillis in menſa videbat, ad cachinnos repente commovebatur, cachinnando etiam moriturus, ſi diutius cibum illum aſpexiſſet.

XVII. Numeratur etiam inter antipathias, quod butyrum vel oleum, ferventi & ſpumanti ſacchato injectum, quamvis modicum ſit, ſpumam & fervorem ejus tollat. Item quod aqua butyro, vel adipi ferventi injecta flammam excitet; quod veſtes, quæ fuerunt in funere, nunquam a tineis attingantur; quod pediculi moribundi carnem fugiant; quod mures e ruinoſa domo recedant. Sed quis enumeret omnes antipathias in hoc mundo?

Ad

Ad alia Naturæ mirabilia, quorum causæ ad Ideas referuntur, transeamus.

SECTIO IV.

De quibusdam aliis Naturæ mirabilibus, quorum causæ nobis sunt incognitæ & a nonnullis in Ideas referuntur.

XVIII. Qui præ cæteris sapere videri volunt, dum nil credunt, quod eorum superat captum, pro fabula reputant, quod de Echeneide pisciculo, sive Remora narratur, qui licet sit minutissimus, remis velisque concitatam navim quantumvis magnam remoratur & immobilem reddit, solo carinæ adhæsu.

Datur & alius piscis, qui navem concitatam non modo sistit, sed etiam contra vim ventorum fortissime retropellit. Talis fuit ille, qui navem quandam Lusitanicam per Mozambiques in Indias decurrentem contra ventorum propellentium impetum diebus quatuordecim integris ipsi agglutinatus retroegit, eo sudibus ac furcis depulso navis optatum cursum iterum tenuit.

Contingit etiamnum hodie in Mari Siculo, ut navis aliqua subito interdum immota hæreat, ac si trabalibus clavis esset affixa, cæteris cursum prosequentibus.

Plurimarum herbarum, arborum, aliorumque vegetabilium, imo & animalium ortus non nisi in occulta semina referri potest. Sine visibili semine crescunt & propagantur: Salix, Vlmus, Populus, fraxinus, adiantum & aliæ capillares herbæ, scolopendria, filix, hepatica, parietaria, & mille fungorum genera.

Si terram virginem, hoc est nullius vegetabilis, animalis, vel mineralis, semine visibili imprægnatam sub dio exponas, brevi videbis in ea plantas & animalia crescere.

Herba quæcunque minutim concisa & terræ commissa producit herbam ejusdem speciei. Fœnum etiam aridissimum & exsuccum frequentibus imbribus maceratum & putrefactum, in uberem variarum herbarum segetem adolescit. Ex fimo animalium nascuntur plurimæ plantæ ob seminium herbarum devoratarum.

Apes ex stercore bovino nascuntur, quæ etiam exenteratæ, in ultima corporis parte perfectam bovini capitis formam dicuntur exprimere. Latent ergo in illis excrementis apum semina, ex quibus evolutis per microscopium deprehenduntur primo quidem quidam germinare folliculi, postea vermiculi, tandem apes prognasci. Formicæ ex pane melli mixto nascuntur.

Ad Echeneidem redeamus, quam solertissimus alias naturæ scrutator P. Athanasius Kircher fabulosam putat propter rationes ex Statica petitas. Si, inquit, Echeneis hanc vim retentivam haberet, manifeste sequeretur minus posse superare id quod potentia est majus: at hoc absurdum est, cum omne retinens aliud, pondere aut resistentia illud retentum superare debeat. Ita magnes quantumvis, efficax & exacte libratus, aliud majus se graviusque allicere nequeat, verum id quod levius est graviori se applicat. Iterum, vel navis tenetur ab hoc animalculo immediatione virtutis, vel immediatione suppositi: non illo modo, quia hujus animalis ad tam immensam molem velis & remis adjutam nulla est proportio; neque ratio esset cur Insulam totam, si navis esset, retinere non posset; atque ita infinita esset illius virtus tractiva. At vero omne ens habet vim & qualitates finitas suæ moli proportionatas. Immediatione autem suppositi fit attractio vel retentio, facta applicatione corporis unius ad alterum, in qua conjunctione necessario alterum tenere debet quod fortius est, & majorem resistendi vim habet, quod de Echeneide dici non potest. Formicam ergo videmus portare pondus majus se: at ponderosius se ut portet impossibile est, quæ omnia ex Statica nota sunt. Ex quibus concludit hanc Remoram esse fabulosam, & si quando naves, prout Marci Antonii, eo modo contra vela & remos stetere, id non pisci sed currentibus tribui debere. Cur enim a Plinii ætate ad nostra usque tempora talis effectus observatus non est ab his, qui non solum mare mediterraneum, sed Oceanum universum perlustrant?

Accedit experientia ejusdem, quoniam in freto Siculo navis oneraria ingens eidem visa, omnibus velis extensis in mediis fluctibus hærere immota tanquam clavis affixa, non ab Echeneide, sed currentium vi.

Hæc sunt Viri doctissimi motiva machinis Archimedeis instructa, quibus velle contraire est insanire, ait Marcus Marci, ut qui terram ipsam moturus erat, si locum extra hanc, ubi suum πού στῶ locaret, habere potuisset.

Fuit D. Marci Kirchero amicissimus, affectu voluntatis unisonus, at intellectus judicio non ita. Videamus ergo quid amici sui argumento doctissimo respondeat.

XIX. Quandoquidem Kircherus opinionem suam in eo potissimum fundet, quod nullam experientiam, cui tuto fidere liceat, pro se habere videatur; placet experiri quid data hypothesi pro vetustate reponi possit; & tamen ictus machinæ Archimedeæ una evitare. Suppono vero, motum proxime ab impulsu, hunc ab anima seu forma substantiali ex se indifferente ad hunc illumve impulsum produci, ad quem determinetur per ideam: & si ad centrum Mundi dirigat suum mobile, dici gravitatem; neque hanc ideam esse in potestate animalis. Pro ratione vero gravitatis fit impulsus & motus deorsum: & corpora non mole, sed pondere æqualia impulsum dant æqualem: neque omnino possibile, ut quod minus ponderat, impulsum magis ponderosum superare vel æquare valeat. Quod si tamen minus grave impulsum ex motu collegit, potest prævalere graviori quiescenti, aut minus moto. Secundo ratione situs in vecte idem pondus cuicunque ponderi majori in infinitum potest præponderare. Hac ergo ratione verum est minus non prævalere majori, si actio seu motus fiat ratione gravitatis.

At vero animalia suos motus obeunt non per gravitatem: siquidem plerique illorum motus mutui gravitatis sunt contrarii; sed per ideas motus animalis determinatrices; quæ partim in imaginativa, partim in ipso membro mobili recipiuntur: & illæ quidem ab appetitu & animi passionibus limitantur; hæ vero sunt appendices ideæ seminalis. Manifestum vero hanc ideam non esse in nostra potestate, sed in radice Archei pro cujusque natura limitari. Vnde alia bovi & equo, alia pulici, alia vermi ad se movendum.

Licet vero animalia majora majori impulsu moveantur; non tamen pro ratione molis ac ponderis

vim

Vim illam motricem obtinent: major enim proportio virtutis ad corporis sui pondus in panthera, quam in bove, in hirundine ave quam in pisce. Vnde non mirum si quid majus seipso pondus deferat: quoniam illa vis motrix & suæ & adjunctæ gravitati prævalet.

Quæ eadem vis animalis membrorum gravitatem impulsu contrario hebetat: alioquin crura cervi aut Elephanti haudquaquam sufficerent immani corpori ferendo. Vnde morbo affecti sua membra ægre sustinent, ob pondus suis viribus majus.

Neque formicam solum ab alia sibi æquali, sed & granum & festucas magis quam ipsa sit, ponderosa gestari videmus. An non Milo bovem longe magis, quam ipse erat, ponderosum per integrum stadium tulit? Vt nil dicam de portis Vrbis Gazæ, quas Simson suis humeris imposuit cum vecte & postibus; quid columnæ, quibus ædificium universum innitebatur, tria millia hominum in solis tectis continens, in ruinam tractæ? Novi hic, inquit Marcus, virum staturæ non magnæ, qui manu utraque viros singulos sustinere, atque dolium vini e cella vinaria solius pectoris nisu sursum propellere solebat. Currum trahi ab uno equo sæpius videmus, & eidem continui alium equum mortuum æque ponderosum inesse, simulque hominem equo insidere.

Non igitur ex eo præcise, quod pisciculus sit minoris ponderis quam ipsa navis, recte inferri potest ab eodem non posse detineri: (unicus enim lupus equi cadaver decuplo se ponderosius, loco movere potest & solet) siquidem quod minus est pondere, potest habere vim impulsivam gravitati majori parem aut prævalentem. Igitur retentio hæc Remoræ respectu navis longe alio modo fit quam per impulsum; ex quo recte ejusmodi absurda sequi probat Athanasius: nam vis impulsiva cujusque est limitata; virtus autem Remoræ quasi infinita. Hic ergo pisciculus habet imaginationem fortissimam, qua sibi quietem indicit; & archeum navigii, cui penitissime unitur, ut idem velit, trahit in consensum. Quæ non difficulter admittet, qui ea quæ de fixitate menstrui universalis, ejusque virtute alibi sunt dicta, secum perpendet; licet enim vim magnam habeant impulsus, idea tamen hujus principium facile ab alia idea aboleri vel impediri potest. An vero ictus scorpii, & per hunc idea veneni recepta totum hominem inficit, neque eadem vis erit Echineidi ad immutandum navigii Archeum? Jam ad argumentum in forma.

XX. Dico itaque navigium ab Echeneide retineri non immediatione suppositi, sed immediatione virtutis seu ideæ in archeo a se productæ, per quam determinatur ad illam vim ventis contrariam in suo subjecto producendam. Sic navis quædam Lusitanica, cujus supra mentionem fecimus, per Mozambiquen in Indiam decurrens, vento adeo secundo utebatur, ut vela omnia plenissima navem promovere & propellere felicissime viderentur. Diebus ergo 14. integris cursum versus lineam æquinoctialem nautæ tenentes, & quotidie solis altitudinem metientes, tandem observarunt gradus ad metam propositam indies non minui, sed quotidie multiplicari, seque ab æquinoctiali linea quam longissime dispelli. Quæ res præter omnes naturæ causas esse videbatur; adeo ut qui in navi essent, se præstigiis agitari opinarentur, sese anxie invicem contuentes. Tandem nescio quo casu nautarum quidam attentis in undam oculis despectans, latam & ingentem quandam caudam proræ intortam innexamque contuitus est, qua piscis navem firmiter prehenderat, reliquumque corpus per navis longitudinem exporrexerat, adeo ut inter remos post puppim caput promineret. Hoc ille situ omnem navis molem ita violenter torquebat, ut illam contra violentissimum quoque reflantis venti impetum vi & robore suo immenso retro ageret, secumque tot diebus rapide proferret. Et tamen hic piscis longe minor & mole & pondere erat quam ipsa navis: ab eoque & navigii molem & ventorum vim superari necesse fuit ad motum his contrarium inducendum.

Quidni ergo Echeneis navigii motum sistere valebit, qui ipsam molem navigii pro se habet ad quietem inducendam?

XXI. Saxum in Scotia esse perhibetur, surdum a proprietate dictum, altitudine pedum 12. in longum cubitorum 33, in cujus latere uno si fragor aut sonitus fiat etiam ingentis bombardæ, non exauditur in altero latere ex adverso, nisi quam remotissime absit a lapide. Ex quo sequitur Impulsui viam hic negari: eadem ergo Echeneidi quæ illi Saxo vis inest.

Quod vero objicitur a tot seculis defuisse exempla, quæ naves eo modo retentas fuisse nos docerent: eadem objectio fieri potest contra currentes, atque eo magis, quo magis statas habent accessiones. Cur enim sola Prætoria Marci Antonii, & non aliæ rum, vel postea ejusmodi currentibus ad nostra usque tempora obviarunt?

Erit itaque hæc idea motus privativa mediate, quatenus tollit vel prohibet illam ideam a qua motus pendet: unde sicut per ideam a Torpedine pisce inductam integri greges piscium circumstantium motu privantur; ita quoque navigium per ideam analogam prohiberi potest a motu. Et licet motu naturali privet, ipsa tamen pure privativa non est, sed idea realis determinationem animæ afferens, ut eisdem legibus pareat. Quod manifestum si inter mortuos pisces torpedo vivens ponatur: quos enim tetigerit, seipsos movere & interoo quodam arcano motu cieri ac vivere videntur. Sed de hoc satis.

XXII. Multi mirantur, quomodo lapides in diversis corporis humani partibus concrescant. Inventum est aliquando cerebrum bovinum petrefactum. Item humani renes toti lapidei. In corpore Georgii Podiebradii Regis Bohemiæ exenterato repertus est lapis durissimus juxta fel, hepate dimidia parte consumpta. Mechov. L. 4. cap. 67. Mirabiliorem vim habent aquæ lapidificæ, quæ solo contactu ramos & ligna, & corium in lapides convertunt. Jam ad alias quoque stupendas qualitatum impressiones transeamus.

Si Medicamentum somniferum contrariis motibus in mortario, pistillo circumagas, eadem species cerebro fumeotis imprimet, & inquietus sequetur somnus; æqualiter ergo & eodem continuo motu teri debet.

Esula, ebulus, sambuci extremitates, asari folia sursum extracta & decerpta per vomitum, deorsum vero, per sedem purgant. Sic etiam artemisia rubra sursum versus abscissa menses sistit, promovet autem si fiat scissura deorsum. Pomum quoque misniacum si de-

si decorticetur florem versus, alvum laxat; si stylum versus, obstruit.

Surculi arborum truncis inserendi sursum versus decerpi debent ex arboribus: si enim deorsum abstrahantur, arbores non in altum, sed magis in latum crescunt. Quod si, dum inseruntur, ad terram cadere permittantur, arbores ex illis progenitæ fructus caducos proferunt.

Plumbum liquatum (remedium inter plebejos familiare) scutellæ ligneæ capiti superpositæ, & aqua semiplenæ injectum (aliqui per manubrium forficis sartoriæ fundunt) dolores capitis acutissimos curat. Eandem vim habet aqua, in qua carbones extincti fuerint, capiti circumligata; ita forfices agnis tondendis destinatæ sub ægri pulvillo repositæ.

Carbones post ignitionem suffocati fumo suo suffocationem inducunt. Similiter pisces post cocturam inter patinas conclusi ita ut nequeant evaporare esu strangulationem inferunt.

Lapis a cane iracundo morsus, & in medium Convivarum projectus rixas excitat. Dens lupi, quod est valde audax animal, collo infantum appensus, pavores illorum fugat. Ori quoque infantium sæpe indutus generationem dentium facilitat, quia lupo facillime & absque ullo dolore nascuntur dentes. Pleuritide laborantes curantur cultro lanionum, quo animalia occidi solent, potui immerso. Eodem cultro appresso, partes contusæ a tumoribus præservantur. Narratur etiam de sclopetari globo, quo animalia sunt occisa, quod tundendo dilatatus, & tumori cuicunque, etiam osseo impositus, illum reprimit. Pellis ovis a lupo dilaniatæ, si nudo corpori adhibeatur, pruritum excitat.

XXIII. Huc etiam referri potest vis humanæ imaginationis. Pestem apprehensione sola quandoque contrahi plurimis comprobatur exemplis. Qui fulmen timent, citius tanguntur a fulmine. De imaginatione materna stupenda quotidie audimus, uti jam supra vidimus.

Equi varii nascuntur, si equilia in quibus coeunt, tapetibus variis & multi coloribus contegantur. Pavones aliæque aves albam dant sobolem, si cubicula in quibus coeunt vel ova fovent, albis linteis undique velentur. Sed his missis ad miracula naturæ figurantis progrediamur.

XXIV. Rhegio Calabriæ oppido adjacet Mare Mamertinum, sive Fretum Siculum, quod dum Sol ferventissimus urit, mira in aere vaporoso spectacula conspiciuntur: jam castella, palatia, ædificia; jam columnæ longo pulchroque ordine dispositæ; jam sylvarum tractus, arborum speciosi ordines, immensi campi, hominum turmæ, boum armenta, ovium greges, omnia tanta colorum varietate in aere expressa, & tam vivis gestibus repræsentata, ut nihil simile humana industria prodoci posse videatur. Spectaculum hoc Incolæ vocant *Morganam*. Vide Kircherum & Marcum Marci Phil. Vet. rest. Parte 3. pag. 283.

In femi congelata cujuslibet aquæ superficie varia spectantur lineamenta & striæ, arbores, domus, campi sine ulla lege, quæ non apparent, si gelu aquam profundius penetraverit. Sic quandoque in fenestrarum orbiculis, ex vaporibus ibidem congelatis flexuosas quasdam arborum frondes, certa lege atque figura elegantissima delineatas, deprehendimus.

Si albumen ovi recentis, prout ex fracto cortice excidit, excluso vitello, in vitrum plenum aqua, sive simplici sive croco modicum tincta injeceris, & aliquantulum quiescere permiseris; albumen, quod initio tanquam gravius fundum aquæ occupabat, in varias visu formas per totam aquam se diget, eo perfectius, quo diutius steterit; donec subingrediatur putrefactio.

XXV. Iucunda & admiranda est herbarum palingenesia seu regeneratio, & pulverum ex herbis confectio, quibus igni lento & modico applicatis, subito ejusdem speciei herba exurgit, cum omnibus suis coloribus & lineamentis, quæ igne amoto iterum in suum chaos relabitur. Idem in animalibus quidam se dicunt expertos. Conficiunt aliqui præfatos pulveres ex vegetabilium salibus optime depuratis, & spiritu suo vegetabili impregnatis. Mira enim vis latet in salibus.

XXVI. Sali petræ attribuenda est universa agrorum fertilitas, ex quo adjectis quibusdam cineribus, aliisque rebus confici solent pulveres, quibus superspersis agri aut vineæ fœcundantur: decocta quoque fieri, quibus impregnata frumentorum grana, mire post sationem multiplicantur. Pecorum ungues ut boum, ovium, caprearum in minutas partes concisæ & agris inspersæ & aratro subactæ mirum in modum fœcundant: sicut & lacunæ fimetorum vites.

XXVII. Lixivium ex urticarum cineribus confectum & congelatum, figuras urticarum pulcherrimas in superficie repræsentat. Docet quidam in naturæ secretis versatissimus, candidam & dulcem aquam ex mioera bismuti nullum adhuc ignem experta, novem circiter libris, per retortam secundum gradus ignis, horarum 12. spatio destillare. In hanc aquam semel vel iterum rectificatam, si quamcunque plantam, una cum radice sua totaliter arefactam, ita ut in pulverem teri posit, solum quoad radicem immittas, ibidemque relinquas horis 3. aut 4. planta illa de novo virescet, quasi tunc primum e terra esset orta. Si quantitatem hujus aquæ infundas in vitrum, eidemque addas aquam ex aliqua herba destillatam cum sale ipsius, deinde residuum aqua priore usque ad summum impleas, videbis cum admiratione, intra duos aut 3. dies crescentem inter medias aquas eandem plantulam, ex qua salem & aquam desumpsisti. Libra ejusdem a quæ vitro infusa, ita tamen ut tertia pars vitri vacua sit, si clausa diligenter in loco quieto asservetur, semper in pleniluniis augetur. In noviluniis autem non tantum partem illam quæ accreverat, sed etiam aliam de prima quantitate amittit.

XXVIII. Libet hic etiam modum adscribere, quo debite observato, herbæ cujuscunque regenerationem aliqui experientia docti promittunt. Accipiunt maturum plantæ cujuscunque semen, idque sereno cœlo sub dio collectum & in mortario vitreo contusum, cucurbitæ vitreæ injiciunt, cujus longitudo plantæ longitudini respondeat, quæque orificium habeat angustum, ita ut sigillari posit. Cucurbitam obturatam, ne quidquam evaporet, asservant, donec vespera ingruente cœlum videant esse dispositum ad fundendum nocte rorem. Quibus observatis contusum semen tabulæ vitreæ imponunt, & hanc in prato vel horto amœnissimo paropsidi impositam, ne quid perdatur, sub dio collocant, ut cadat ros super semen, illudque humectet. Interea roris Majalis aliquot mensuras colligunt; madidum vero rore semen ante

ſolis ortum recondunt, ne ſol oriens filium ſuum repetat. Rorem collectum filtrant, deſtillant, donec nullas amplius relinquat fæces; ex fæcibus vero calcinatis ſalem extrahunt, quem in rore deſtillato ſolutum ſemini affundunt ad eminentiam trium digitorum. Colligato poſtea vitri orificio, ne quid expirare poſſit, commodo quodam loco tepido illud recondunt; & aliquot elapſis diebus apparet ſemen inſtar glareæ vel mucilaginis; ſpiritus vero ſupernatans ſtrias accipit, apparetque inſtar cuticulæ verſicoloris; intra vero cutis & terræ glarealis ſpatium eos ex natura ſeminis ſaturate viridis videtur. Vitrum ſigillatum ſolis luoæque radiis exponunt; pluviali vero aere in hypocauſtis aſſervant, donec omnia ſigna fuerint completa. His peractis materia erit parata, adhibitoque leni calore, effigies ac idea quædam exurget, plantam exacte referens, de qua ſemeo fuit depromptum; eadem vero, calore remoto, iterum evaneſcet.

XXIX. Huc etiam referri debent arbores metallicæ ſeu philoſophicæ, pulcherrimis frondibus & fructibus exornatæ, quæ ex argento aliis mineralibus, arte chimica in nitro producuntur; figuræ ſalium, tix hexaogula, grando uniformiter figurata.

XXX. Naſcuntur in quodam Bavariæ agro aleæ perfecte cubicæ, ad magnitudinem piſi quadrati, omnibus numeris ſignatæ, quaſi ex arte, quæ primitus virides, tum albæ, ſucceſſu autem temporis in terra relictæ nigredine contracta putreſcunt.

XXXI. In Mansfeldenſi Saxoniæ Comitatu, prope Eislebiam eruitur lapis niger fiſſilis, qui diſciſſus varias repræſentat formas, anguillarum, ranarum, gallorum, ſalamandrarum, præſertim vero piſcium, qui in vicino lacu ampliſſimo reperiuntur, omnia exactiſſime expreſſa. Inventi ibidem ſunt aliquando duo lapides, qui bina planiſphæria, Aſtronomicum & Geographicum, impreſſa habebant, cum omnibus aſteriſmis, citculis, lineamentis, regionibus, accuratiſſimo naturæ artificio delineata. Inventus eſt ibidem lapis alius babens ex ona parte ſummi Pontificis effigiem cum tribus tiaris; ex altera vero Martini Lutheri formam exhibens.

Athanaſius Kircherus in ſilicibus ex Tolſenſi lapicidina erutis, integrum alphabetum, literis vario venarum ductu formatis aliquando extraxit; Item alia vice omnia figurarum geometricarum ſchemata.

Lapis quidam (ut plura alia omittam) in agro Tyburtioo viſos eſt ſequentibus literis INRI inſcriptus. In quibusdam marmoribus inveotæ ſunt figuræ crucifixi. Item B. Virginis Lauretanæ. In quadam ferri minera effigies ejosdem B. Virginis cum filiolo.

Truncus quidam cujuſdam arboris cuneo diſſectus, in interiori facie verba Danica latinis literis expreſſa ſemel oſtendit: IENS HAMERS HOLTER AFF KONGEN ARBEDT FOR ENTIFF.

XXXII. Nollum eſt fere animal in terra vel in aere, quod mare ob ſalis ingeniti fœcuoditatem in piſcibus non exprimat. Reperiuntur ibi canes, porci, equi, aranei, ſacerdotes cum ſacerdotalibus, Epiſcopi cum Epiſcopalibus inſignis, Monachi cum capuciis.

Anno 1563. ejectus fuit ad litus Ceutanum Cetus monſtruoſus natoræ artificio pictiſſime variegatus. Cujus latera multarum triremium figuras exhibebant, cum earum remis, malis, antennis, velis, funibus, nautis, tormentis bellicis, aliisque inſtrumentis, quarum etiam aliquæ inter ſe commiſſæ præliari videbantur.

Noſtro etiam ſeculo, decimo videlicet ſeptimo, in Viſtula fl. Polonico captus eſt piſcis, in cujus tergo expreſſum fuit tormentum eurrule ſuis rotis innixum, in pinnis globi tormentarii, ad latera utrimque prælongæ haſtæ, nempe

Imprimit innumeras rebus Natura figuras
Ipſum etiam toto pingit in orbe Deum.
Diſce Creatorem, quanta non praditus arte?
Qui nobis tantam condidit artificem.

Horum rationem phyſicam, qui rite aſſignaverit, erit mihi magnus Apollo! Vide quæ diximus Tract. XXXI. De Ideis, & de Spiritu Muodi, cujus in ſe quidem indiviſibilis, in tot nihilomious Archæos diviſi operationes, ab idearum determinatiooe manantes, & atomorum effluviis promotas ſupradicta Naturæ magnalia, clarius & facilius, quam in ulla alia ſententia videntur explicari.

XXXIII. Dicas forte ac quæres, Ex quibus cauſis aut veſtigiis hæc & ſimilia in gremio naturæ adeo recondita exquiri aut deprehendi potuerint? quis primus ille eruerit? Reſponde mibi prius, quis primus ſignorum Zodiaci differentiam aliorumque ſiderum naturas, planetarum curſus, cœleſtis ſphæræ circulos, terræ Zonas & climata invenerit? ex quibus cauſis vel ſignis illa deprehenderit? Nec enim ætas vetuſtiſſimi Mathuſalem, & ſagaciſſimum quodcunque ingenium ad eorum inventionem pertingere potuiſſet. Equidem arbitror pleraque ex his Naturæ magnalibus protoparenti noſtro, aliisque Patribus ante Diluvium fuiſſe revelata, plurimorum quoque ſcientiam Salomoni fuiſſe infuſam. Ab his eorum notitiam, non ſolum per ſcripta, ſed etiam per vivam traditionem ad poſteros perveniſſe. Quamvis etiam humanum ingenium maxime ſæculis poſterioribus multa potuerit inventis addere, multa de novo adinvetire.

XXXIV. Non deſunt, qui experientia convicti, cum miraculoſos illos effectus negare non poſſint, recurrunt ad cauſam hyperphyſicam, & ſolius Dei potentiæ illos attribuunt; veluti ſi quis igni potentiam ſtupæ combuſtivam negaret, aſſerens Deum ad ignis præſentiam & applicationem, ſtupam occaſionaliter comburere. Sed hoc eſt Philoſophi parum ingenui. Et illi qui ad Deum ſic confugiunt, non tantum naturæ ſuot injurii, ſed etiatu ipſius Dei minuunt honorem, cujus ſapientia, potentia & majeſtas magis honoratur & clarificatur, dicendo tales eum condidiſſe rerum naturas, quæ admiraodorum effectuum ſint principia, quam ſi hæc omnia per ſe ipſum abſque cauſarum ſecundarum concurſu perageret. Sic enim non eſſent tot rerum naturæ & proprietates, quæ gloriam Dei nobis enarrarent. Nec tantopere miraremur hæc Magnalia, quantopere nunc miramur, ſi a ſolo Deo immediare procederent. Per hoc etiam, quod effectus aliquis naturæ attribuatur, Deo minime tollitur, qui eſt omnis naturæ fons & principium, non tantum in eſſendo, ſed etiam in operando.

XXXV. Sunt iterum alii, qui naturæ mirabilia, quorum cauſas attingere nequeunt, Dæmoni attri-

buont,

buunt. Qui etiam procul dubio linguulæ magneticæ dæmonem insidere crederent, si hodie primum e naturæ penetralibus Compassi & magnetes eruerentur: riderent etiam, si audirent ignem per aquam frigidam posse accendi, nisi hanc vim per radiorum solarium collectionem, in vitro aqua pleno ante vidissent. Sicut æmulatores Columbi ridebant ovum posse in plana superficie super cuspidem sine ullo adminiculo immotum consistere, quod quidem ille sine arte præstitit, cuspide ovi parumper fracta; hodie vero artificiosius præstatur, ovo ad confusionem vitelli & albuminis per aliquot tempus antea bene concusso. Sic plurima nostris temporibus creduntur certa & naturalia, quæ olim Dæmonum ope fieri aut falsa esse credebantur. Nec credibile est Dæmonem ad effectus humano generi utiles, per quos sanitas mentis vel corporis aut alia bona a mortalibus obtinentur, coocurrere, utpote qui humano generi bona omnia invidet.

Dices, favet homini bona temporalia, ut animam ejus lucretur. Resp. Dæmoni animam in spolium non cedere, dum homo naturalibus utitur mediis ad producendos quoscunque mirabiles effectus, exclusa omni mala intentione.

XXXVI. Replicabis: Effectus illi non sunt naturales v. g. plumbi liquati effusio in aquam contentam in scutella lignea contra dolorem capitis &c. vel saltem est dubium an sint? Contra est, unde probas non esse naturales? Utrum ex eo quod non videas connexionem causæ cum effectu? an propter capitis tui hebetudinem & cerebri stupiditatem natura dicenda est infœcunda & sterilis? Verum est quod nec ago demonstrare possim esse naturales, tales tamen præsumi debent, quamdiu nihil in contrarium obstat. Rhabarbarum purgare choleram credimus, & tamen Experientissimus Boyle ait, qui Rhabarbarum choleram & phlegma specifice purget, declaraturus, erit mihi magnus Apollo! Deinde, esto sint dubii: conveniunt tamen gravissimi authores in hoc, quod in dubio, an effectus aliquis sit superstitiosus, an vero naturalis, benigna fieri debeat interpretatio, cum possessio stet pro natura. Non enim nobis omnes viæ ejus compertæ sunt, neque aditus interclusus ad eas investigandas, aut facultas bonis ejus utendi prohibita ex ea solum ratione, quod causa modusque illorum nos lateat. Alioquin Dæmoni infensissimo generis humani adversario egregia daretur ansa, optima quæque naturæ bona in dubium revocandi & corrumpendi, quod quidem sæpius facit inutiles & superstitiosas cæremonias, conditiones & circumstantias mediis naturalibus admiscendo, ut sic nos ab eorum usu penitus arceat & absterreat. Præterea mihi non est dubium, sed longe probabilissimum effectus illos esse naturales; probabilissimum, inquam, non solum probabilitate intrinseca, quia per causas naturales clare satis explicari possunt; sed etiam extrinseca, quia Viri sapientissimi ac devotissimi plerosque illorum admittunt esse naturales.

XXXVII. Si quis tamen adhuc in similium proba seu praxi scrupulum haberet, & videretur ipsi tutior in iis pars eligenda, ne periculo dæmonis opera utendi se culpabiliter exponat, is ut omnino secure procedat, protestetur ante omnia, se Dæmonis auxilio vel opera uti nolle, & renunciet omni pacto, si quod sibi esse suspicatur. Quod si tunc effectus nihilominus accidat, jam non Diabolo, sed naturæ adscribendus erit. Non enim est credibile Dæmonem ad effectus homini utiles & salutares unquam concurrere, quoties nullam animam peccato videt illaqueari.

Rejiciunt quidem aliqui hanc protestationem veluti ridiculam, & actui, cui adhibetur, contrariam; qualis quidem omnino esset, si pro certo constaret Dæmonis operam intervenire, & hanc vel illam conditionem ex pacto ipsius esse præscriptam. Ubi tamen excipio, nisi ad tollendum veneficium adhiberetur remedium, qualia multa Sacræ in tortura fassæ sunt. Quamdiu vero nihil evidenter in utramque partem constat, licite conditiones applicantur, prævia ut dixi protestatione seu abjuratione pacti omnis implicti.

XXXVIII. Quin imo sunt, qui putant licere in manifestis superstitionibus effectum experiri, prævia protestatione, uti fecisse leguntur Cajetanus, Kircherus, & Card. de Lugo, quorum primus non dubitavit superstitiosa quædam verba ex sacra Scriptura usurpare, prævia protestatione, ad quendam effectum, qui tamen non est secutus. Posteriores duo similiter protestati experimentum fecerunt, an Jaspis vel annulus horas, quarum distributio pure ab hominum voluntate pendet, ictu vitri naturaliter monstrare possit. Si hoc licet in illis effectibus, quos a Dæmone fieri, si non est evidens, saltem probabilissimum: quanto magis licabit in aliis, quorum causas, si non omnino certas, saltem verisimiles intra naturæ gremium possumus assignare?

Vide fusius de his Tractatum de Sympathia ajusque effectibus, sub nomine Disquisitionis Physico-Theologicæ, cujus author contra operum ac Principiorum naturalium hostes meritam fert censuram sequenti tenore: "Qui Naturæ activitatem sui captus „ exilitate metitur, Deo authori naturæ injurius est. „ Qui opera sibi in experta damnat, prope blasphe- „ mus. Qui alios ab eorum usu ex vana formidine „ arcet, invidus, ac dæmonis œstro subservit... „

TRACTATVS XXXVIII.

DE PROPOSITIONIS NATVRA, MATERIA, DIVISIONE ET PROPRIETATIBVS.

Logicam esse scientiam Modalem dicimus, eo quod objectum ejus sit Modus sciendi; quem quia tradit cæteris omnibus Scientiis, tanquam clavem, Instrumentaria recte dicitur. Inter Modos autem Sciendi Propositionem esse quis nescit? Hæc sicut conficitur ex Terminis; (de quibus agemus suo loco) ita ex propositionibus argumentatio. Est itaque perquam necessaria notitia naturæ Propositionis, quid & quotuplex sit, quæque ajus affectiones. Nos methodice & ad captum, ut putamus, juventutis singula exponemus.

SECTIO I.

Quid sit Propositio?

I. Resp. Propositio est oratio aliquid de aliquo enuntians. Dicitur *Oratio*. Oratio autem in genere est conceptuum, mediantibus vocibus, facta connexio. Estque vel interna solum, vel insuper externa, quæ nempe ore vel scripto etiam exprimitur. Et quia ex propositionibus vocalibus scriptisve ars Syllogistica maxime conficitur, quæ tradit arguendi modum juxta Figuras, & Figurarum Modos, certasque leges, quibus difformes Syllogismi Sophismata dicimus & Paralogismos, miror passim pro objecto Logices assignari operationes Mentis seu propositiones mentales & orationem internam, cum tamen per integrum annum, quem tradendæ impendunt Dialecticæ vix unquam mentionem faciant de illa: nec ullum locum habeant Figuræ & Modi syllogizandi in conceptibus mere internis, uti demonstravimus in Tract. XII.

II. Quæritur ergo I. In quo posita sit natura propositionis? Resp. Cum duplex sit propositio (uti mox dicebamus) una interior, quæ est secunda Mentis operatio, quæque Iudicium solet appellari; & exterior, quæ Enuntiatio quoque dicitur, in quo posita sit utriusque essentia, breviter sic explicatur in Phil. Reg. Burg. tom. 1. parte 2. Log. Disp. 2. q. 1.

Primus Mentis aspectus, quo rei alicujus ideam vel imaginem depingit, simplex apprehensio aut perceptio dicitur. Cum plures ideas mens comparat: tum affirmat, ubi illas conjungit; aut negat, si separet. Actio autem illa mentis qua subjectum cum attributo aut conjungit aut divellit, solet judicium nominari. Quæritur itaque quid Judicium potissimum constituat? an quod sit cognitio ex pluribus ideis composita? an potius simplex erit qualitas? seu mentis actio, qua unum cum altero conjungit, aut separat? Quæ quæstio non ad Logicum, sed ad Metaphysicum aut Animasticum potius spectat. Nihilominus hoc loco decidendam sumimus, præmissis tamen quibusdam ut certioribus.

Primo illud videtur manifestum, ad rationem judicii assensum quendam requiri. Cum enim affirmamus Terram esse rotundam, non sola perceptione intellectus, sed assensu & determinatione quadam voluntatis, id decernimus; adeo ut judicium in rebus saltem, quas imperfecte, non clare & velut ex omni parte cognoscimus, a libertate nostra pendeat: quanquam iis, quæ clara sunt per sese, cujus generis sunt axiomata, his inquam non libere, sed voluntarie assentimur. Sed perpauca sunt ejus generis judicia. Cum enim cognitio nostra sit plerumque obscura & imperfecta, judicia nostra ut plurimum ex libertate nostra ducuntur. Hinc prava judicia nobis vitio vertuntur.

Secundo suppono ex alibi dictis & probatis non modo judicium, sed etiam perceptionem nostram esse actionem Mentis. Nequaquam enim, ut Cartesius putat, mens solummodo passive se habet, cum percipit, ita ut sic velut per modum speculi, quod rerum imagines excipit: cum enim rem quampiam percipio, aut cogitatione volvo, id mihi conscius sum, id in me experior me quidpiam agere, idque præclarum, non feriari, non omnino quiescere: perceptio enim seu cognitio est maxima illius perfectio: res vero unaquæque per suam actionem perficitur. His probe intellectis Respondeo, quod Iudicium sit simplex & una qualitas, neque ex multiplici perceptione componatur. Probatur. Iudicium est proprie actio mentis, per quam de re aliqua fert sententiam; nam subjectum cum attributo conjungit, vel ab eo separat, affirmando sc. aut negando. Atqui actio illa mentis non est quiddam ex multis perceptionibus compositum, sed aliquid simplex: possunt enim esse multæ perceptiones subjecti, attributi & copulæ; tametsi nullum sit judicium, nulla feratur sententia: ut cum judicium nostrum suspendimus ergo judicium seu propositio mentalis aliud quiddam est præter aggregatum ex multiplici apprehensione. Et tametsi actio ista vocetur ab Arist. compositio; non tamen hoc sensu, quod sit ex multis perceptionibus, quas præsupponit, composita, sed quia compositionem quandam exhibet aut repræsentat, sicque, ut ajunt, est objective composita, non formaliter vel entitative.

Oppones I. Propositio vocalis est quid compositum ex terminis, ergo & interior seu mentalis ex apprehensionibus. Resp. Neg. cons. disparitas est, quod verbum mentis, seu quod mente concipitur longe sit simplicius, utpote spirituale quid, quam Verbum ore prolatum: & unum tantum alteri est simile quoad repræsentationem. Sic quoque omnis apprehensio entitative simplex est, etsi objective quandoque sit composita, cum sc. rem compositam percipit.

Oppones II. Nullum potest esse judicium sine perceptione subjecti, attributi & copulæ, ergo non est quid simplex. Resp. Neg. consequentiam. Non enim propositio mentalis ex illis apprehensionibus intrinsece componitur, sed illas prosupponit. Aut aliter, nulla propositio datur sine subjecto, attributo & copula, ex quibus componitur formaliter semper. N. vel virtualiter & æquivalenter. C.

III. Quæstionem eandem, *An Judicium sit simplex qualitas?* Illustrissimus D. Caramuel in sua Metalogica Libr. 7. num. DCCCI. expedit hoc modo: Respondeo, inquit, nihil hic fuisse demonstratum, aut demonstrandum, & hanc ob rem unamquamque Scholam posse opinionem eam defendere, quæ suis Principiis & dogmatibus consonat. *Reales* igitur dicant Propositionem mentalem esse compositum realiter: nimirum tribus actibus (subjecto, prædicato & copula) quibus & Vocalis componitur. Et si nolint tres actus admittere, asserant propositionem constare duobus (subjecto & prædicato) & quia isti duo actus copulantur (at quomodo? an ut duæ partes Continui, aut ut potentia & actus?) non indigere actu tertio quo copulentur. *Modales* dicent uniones esse Modos, & possent duci rationis paritate, & addere copulam mentalem modum esse. *Formales* asserent Judicium esse simplicem qualitatem, compositam tamen formaliter tribus formalitatibus, quæ respondeant subjecto, prædicato & copulæ. (Sed his expendendum relinquit, quod scripserat in sua Grammatica Audaci, num. 295. ubi hæc habet: Quærunt Philosophi, an propositio (mentales) si sit simplex realiter, sit composita saltem formaliter, ita ut in eadem simplici realitate reperiamus plures formalitates ex natura rei, aut ratione ratiocinata differentes, quarum prima Subjecto, secunda copulæ & tertia respondeat prædicato? Affirmant multi, contra quos facili negotio me expedio. Interrogor. *an Fridericus mihi fuerit loquutus.* Et respondeo, *SIC.* Et meam ipsam respon-

responsionem recognoscens affirmo, illam simplicem syllabam æquivalere toti huie propositioni, *Fridericus fuit mibi locutus.* Sed quia illa syllaba est realiter simplex, interrogas an sit composita formaliter? Respondeo totam illam syllabam toti propositioni, & totam cuilibet propositionis parti correspondere: non enim debet dividi in tres formalitates, vid. S. I. & C. ita ut S. subjectum, I. copulam, & C. prædicatum significet. Ergo de Mentali propositione pariformiter philosophabor. Si simplex qualitas illa sit, non erit divisibilis formaliter objective, nec habebit tres aut plures formalitates, Subjecto, Copulæ & Prædicato correspondentes: sed tota mentalis propositio toti propositioni vocali, & tota cuilibet ejus parti correspondebit: Sic *Expressivi* tenent propositionem esse simpliceem qualitatem, & in ea non dari formalitates intrinsecas, sed extrinsecas. Multo minus ergo prius & posterius prout in Vocali cernimus propositione. Verbo, in hac obscura materia potent ingeniosus Philosophus omnia, quæ voluerit, affirmare aut negare.

IV. Redeamus nunc ad Definitionem Propositionis. Illam cum Aristot. Peripatenci sic definiunt: *Oratio est vox significativa ad placitum, cujus pars aliqua separatim significat; vel ut affirmatio aut negatio,* Hic apertum est non definiri nisi orationem seu propositionem Vocalem, non Mentalem. At statim subdubitas, qua ratione sit verum, quod oratio sit *Vox*: videtur enim potius vocibus componi, quam non esse. Nyphus apud Lalemand. Apparatus Isigogici part. 2. partir. 1. num. 1. colum. 45. varias solutiones adducit, & eam cæteris præfert, quæ docet orationem non esse vocem simplicem, sed compositam, ex vocibus non qualibuscunque, sed congruentibus inter se: hæ enim: veruntamen, absque, præter &c. voces quidem significativæ sunt, & tamen orationem non conficiunt, quia sensu carent: quamobrem non omnino debet condemnari Hurtadus, qui disp. 3. sect. 3. ad Grammaticam speculativam recurrit, ut essentiam orationis exponat, aitque eam esse congruentiam nominis cum verbo, quia sublata congruentia oratio remanere non potest. Quam definitionem esse clariorem Aristotelica, quicunque sincerus & indifferens, candide pronunciabit. Interim Aristotelicam Caramuel ad hanc reducit paraphrasim: *Oratio est vox*, non quidem simplex sed composita: *significativa*, non quidem naturaliter, ut Plato asseruit in Cratyllo, sed ad placitum, ut Arist. persuadet; *cujus* aliquando omnes, ut cum dicimus: *Veni huc Petre*; vel saltem aliqua *pars*, ut cum *Blictri est syndapsus, significat separata.* Vbi ultima Aristotelis verba minus sibi cohærentia decircinat.

V. Oratio est duplex: alia enim aliquid affirmat, aut negat, alia econtra. Et hanc ipsam divisionem insinuant illa ultima definitionis verba, *velut dictio, vel ut affirmatio aut negatio.* Affirmativæ aut negativæ orationes sunt, quæ pertinent ad Indicativum, ut Petrus currit, Joannes non est lapis. Carent hac perfectione, Interrogativæ, Imperativæ, Optativæ & aliæ similes.

Omissa igitur oratione, quæ nil negat aut asserit, quam Grammatici formant, & exornant Rhetorici, de Affirmativa (imo de Negativa, si forte ab altera distinguatur) agamus ejusque essentiam, passiones & proprietates explicabimus.

VI. Itaque Propositio est oratio perfecta prædicans unum de alio. Et componitur ex subjecto, copula & prædicato v.g. *Homo est animal.* Cum dividitur in affirmativam & negativam, per differentias intrinsecas dividitur, quia ipsi est intrinsecum affirmare aut negare: secus autem cum dividitur in veram & falsam, accidit enim propositioni esse veram.

VII. Affirmans illa dicitur, cujus copula non afficitur aliqua negatione, ut *Equus est hinnibilis:* maneret etiam asserens licet utrumque extremum afficeretur negatione, modo copula libera remaneret, ut *non-equus est non-hinnibile.*

VIII. Negativa propositio dicitur, quæ habet negationem copulam afficientem, sive negatio sit particula *non*, & immediate verbum antecedat, sive sit in alio signo imbibita, ut *Nullus homo est lapis*, negatio enim imbibitur in signo *Nullus*, illa enim assertio æquivalet huie, *Omnis homo est lapis.*

Hinc patet negationem esse duplicem: Negantem & Infinitantem. Ab hac afficitur vel subjectum (ut *non-homo caret visibilitate)* vel prædicatum (ut *Petrus est non-lapis.)* Vel utrumque *(ut non-animal est non-sensibile.)* ab illa, copula (ut *Equus non est platanus.)*

IX. Quod ut penitius intelligas, scire cupis, quænam sit differentia inter Propositiones Infinitas & Negativas? Tres examini subjicis. I. *Non-homo est carens rationalitate.* II. *Homo est non-lapis.)* III. *Homo non est lapis*, & doceri vis, quomodo ipsæ conveniant, & quomodo distinguantur inter se?

Respondeo cum Caramuele inter primam & secundam esse latum discrimen; quoniam in prima negatio afficit subjectum, & in secunda prædicatum. Major est omnino difficultas de tertia, an distinguatur a secunda? Resp. illas omnium opinione distingui, quoniam negatio, quæ in secunda afficit prædicatum, inficit in ultima copulam, efficitque ut propositio non sit affirmativa, sed negativa. Admonet tamen Caramuel Juniores, ut loquantur cum multis: eadem enim efficacia syllogismi concludent, sive communi insistamus sententiæ, sive specialem ineamus (de qua mox) & tamen apud eos, qui communem sciant & specialem nesciant, forte esset de fallacia suspectus arguendi modus, qui propositiones negativas negaret.

X. Dices: Non-lapis est negatio, sed Petrus non est negatio & nihil, ergo non bene dico, Petrus est non-lapis. Responderi potest 1. cum Card. Sfondrati. Petrum esse aliquid, & hoc indicatur per copulam *est*, & tamen imperfectum & cum carentiæ perfectionum, quæ sunt in lapide, & hoc significat ille terminus infinitus, non-lapis. Sensus ergo propositionis est, *Petrus est aliquid quod non est lapis*, nec tamen determino quid sit. Adde, quamvis in propositione negativa verbum *est*, non copulet, sed separet prædicatum, adhuc tamen dici copulam, quia repræsentat carentiam prædicari. Si ita; cur hæc propositio, *Petrus est non-lapis*, non erit negativa, cum æque repræsentet carentiam prædicati? ac illa, Petrus non est lapis, cui æquipollet.

Præterea si duæ negationes conjungantur, reddunt ordinarie propositionem affirmativam, v. gr. *Petrus non est cæcus*, æquivalet huic, *Petrus est videns*, & ista: *Petrus non est non-currens*, huic *Petrus est currens.* Ratio est, quia negatio negat totum, quod se invenit, ergo etiam negat negationem subsequentem, ergo negat tollitque negationem & carentiam cursus v. gr. sed sublata carentia & negatione cursus ponitur ipsa

 forma

forma cursus: nam in contradictoriis sublato non esse, ponitur esse. Dixi *ordinarie*, quia Oratores, Patresque, imo & Philosophi nonnunquam hunc rigorem non observant, ut optime ostendit Hunnæus in Prodidagmatibus apud Caram. in Metalog. Log. Voc. Parte 2. art. 1. num. CCCCLXI.

Responderi potest II. Omne ens creatum constare ex ente & non-ente, quæ compositio facit quidem tertium, quod non est ens purum, nec non-ens. Non enim homo est nihil, sed nec prorsus ens; sed est hoc ens, aut aliquod ens. Est autem aliquod, quia non est omnia entia: ergo non-esse facit ut sit aliquod non minus quam esse. Quin imo *esse* de se est infinitum & immensum, ut patet in Deo, in quo est purum. Ut autem finiatur & modificetur, habet a non-ente: si enim homo non participaret nihilum, utique foret omnia entia, & omnipotens, & omniscium & omnivolum. At multa non potest, & infinita ignorat, & infinita non amat. Ergo componitur ex potentia & non-potentia: ex scientia & non-scientia; ex voluntate & non-voluntate. Quapropter qui negat hominem componi ex ente & non-ente, negat in homine ignorantiam & noluntatem & impotentiam: negat & peccatum & malum & privationem in eo reperiri: hæc enim omnia sunt non-entis effectus. Illud autem non ens ponitur ut limes entis, & non ut faciens ipsum non esse, quod est, sed non esse plus vel magis, vel extra, vel aliud. Quo animadverso, cum dico: *Petrus non est lapis*, aut *Petrus est non-lapis*, prædico negationem lapidis de Petro, non quidem negationem in abstracto, ut sit sensus, Petrus est negatio lapidis, sed in concreto, aut melius loquendo, in obliquo quasi dicerem Petrus est habens negationem lapidis, quod est verissimum.

XI. Præterea ad penitiorem Propositionum notitiam addendum est Copulam AA. opinione esse duplicem: afferentem, negantemque: ut *Est*, *non est*, in his propositionibus *Petrus est animal* & *Ferdinandus non est lapis*. Considero igitur affirmativam copulam (nimirum *est*) & quæro an entitative positiva sit semper? Et pronuntio copulam *est* objective sumptam dividi in Positivam & Negativam. Positiva est, quæ terminos positivos connectit, ut si dicamus: *Homo est animal*, copula quæ hominem & animal nectit & identificat, positiva est. Negativa quæ terminos negativos conjungit, ut si dicamus, *cæcitas est carentia visus*. Ita Caram. Sed qui baptizanda erit copula, quæ negativum conjungit positivo, uti in hac propositione, Petrus est non-lapis?

Consentit Arriaga Tract. de Scientia Dei Disp. 19. sect. 6. ubi ait, Copulam *est* verbotenus & specietenus afferentem, esse negativam, quando connectit terminos negativos, uti in hac & similibus propositionibus: Cæcitas est carentia visus; Privatio est carentia; Petrus est cæcus; Tenebræ existunt.

XII. Joannes quoque Lalemandetius monet Disp. 7. Log. partit. 4. summopere advertendum ad cognoscendam propositionem de prædicato aut subjecto infinito, an particula negans cadat in unionem (id est copulam)? tunc enim sumetur neganter: si autem cadat in prædicatum aut subjectum, sumetur infinitanter, proindeque non reddet propositionem negativam, nisi aliunde sit negativa v. g. *non-homo non est rationalis*, idem significat atque ista: *illud omne, quod non est homo, non est rationale*.

Bene habet. Sed quid si ostendatur cum Caramuele, particulam negantem nunquam afficere copulam, adeoque omnis propositio erit affirmativa, negativa nulla: quo puncto extra Orbem Dialecticum semel concesso, omnia susque deque verti Dialecticæ principia circa Syllogismorum Modos necesse. Illud certum est, omnem propositionem negativam inferre propositionem sibi æquipollentem de prædicato infinito, siquidem Conversio per contrapositionem admittatur, de qua inferius.

XIII. Denique obiter notandum, Propositiones alias dici *de secundo adjacente*; alias *de tertio adjacente*. De secundo adjacente sunt illæ omnes, quæ constant tantum subjecto & verbo vicem copulæ & prædicati gerente; ut *Petrus est*; quæ sic resolvitur, *Petrus est existens*. De tertio adjacente dicuntur illæ, in quibus prædicatum unitur subjecto mediante verbo substantivo tanquam copula, ut, *Petrus est homo*.

SUBSECTIO unica.

An omnis propositio, seu actus enuntiativus sit simul etiam affirmativus?

XIV. Resp. Affirmative cum P. Joanne Adamo Weber olim Anno 1651. Phil. Profess. Herbip. postmodum Præposito Canon. Reg. Ord. S. August.... in suis Thes. quæ responsio videri posset multis paradoxa. Hæc sententia prædicationum harum: *Homo non est lapis*, &, *homo est non-lapis*, æquivalentia succollatur. Priusquam responsionem datam ratione positiva stabiliamus, jovat Statum quæstionis & rationem dubitandi clarius ante oculos ponere. Sic inquam: Has propositiones, *Petrus currit*, *Petrus non currit*, contradictoriæ opponi asserit Sfondrati; negat nemo. Contradictorias autem vocat, quarum una est affirmativa, altera negativa (subintellige de subjecto eodem, secundum idem &c.) Quid si dicam; *Petrus currit*, & *Petrus est non currens*: anne erit idem, ac si dicam: *Petrus est currens*, *Petrus non est currens?* sive, an hæc negativa, *Petrus non est currens*, æquipolleat huic infinitæ, *Petrus est non-currens?* Si ita, ergo erunt contradictoriæ hæ duæ: *Petrus est currens*, &, *Petrus est non-currens*. ambæ tamen affirmativæ. Certe nec simul veræ, nec simul falsæ esse possunt, quod est adæquate opponi, quid ergo desit quo minos dicantur contradictoriæ?

Præterea, Propositionem negativam dicimus illam, cujus copula afficitur particula *non*, ut *Petrus non est lapis*. Sin vero τὸ *non*, afficiat subjectum sive prædicatum, illa quidem infinitabit, propositio tamen remanebit affirmativa, ut patet in his: *Non-baptizatus damnabitur*. *Turca est non-baptizatus*. *Lapis est non-homo*. Quæritur itaque num aliquando ipsa copula seu verbum infici possit illa particula malignanns, ut vocant, naturæ *non?* sic putat vulgus Peripateticum, monentque omnes, uti audivimus ex Lalemand. cavendum ne confundamus negativas cum infinitis: at viam evitandi hanc charybdim, ne incidamus in Scyllam, non monstrant, discernendi regulam non tradunt.

XV. Docent quidem unanimiter, ex præmissis pure negativis nil concludi; item conclusionem affirmativam ex præmissis, quarum altera sit negativa, inferri non posse, eo quod semper partem sequatur debiliorem; interim plurimi quotidie occurrunt Syllogismi,

logiſmi, de quorum legitima forma nemo dubitat, in quibus tamen utraque præmiſſa videtur negativa, aut ſaltem alterutra, nihilominus concluſio eſt affirmativa. Vnum ex multis proferamus Joann. Lalemandet in ſuo appar. Iſagog. partit. 6. ubi poſuerat Reg. IV. *Ex duabus negativis nihil recte concluditur.* Mox ſubjungit: Circa dictam Regulam caveas propoſitiones infinitas confundere cum negativis, nam infinitæ æquivalcot affirmativis, ut evenit in hoc Syllogiſmo

Quod non ſentit, non eſt animal,
Planta non ſentit,
E. Planta non eſt animal.

Nam major eſt affirmativa (forte minor) æquivaletque huic: *Planta eſt non-ſentiens*, ſeu eſt inſenſibilis, & particula *non* juxta ſentit poſita, non eſt negans, ſed infinitans, quare valet ille Syllogiſmus. Ita Lalemand.

Docet itaque hic Auctor propoſitionem hanc: *Planta non ſentit*, æquipollere iſti: *Planta eſt non-ſentiens.* Sit ita Vult hanc eſſe affirmativam. Eſto. Cum itaque hæc: *Planta non ſentit* ſit æquivalenter affirmativa, velim ſcire, cur non & iſta: *aliquod animal non eſt homo*, ſit æquivalenter affirmativa? Par enim ratio videtur. Sicut enim illam: *Planta non ſentit*, reſolvis in hanc: *planta eſt non-ſentiens*, ſeu *planta eſt inſenſibilis:* ſic ego dicam, *aliquod animal non eſt homo*, æquipollet huic: *aliquod animal eſt non homo:* ſeu *irrationale*. Quod ſi omni negativa æquivaleat infinitæ de prædicato, & omnis infinita de prædicato ſit affirmativa, ſequitur evidenter non dari propoſitiones negativas niſi verbotenus, revera autem omnes eſſe affirmativas, prout contendit Caramuel, nempe copulam nunquam affici negatione: quod ipſum indicare videtur nomen *copula*, quid enim niſi monſtrum copula dividens, & unio diſgregans? & quale totum inter cujus partes aut extrema non eſt unio? Idcirco ſi objectum hujus propoſitionis: *homo non eſt equus*, eſt totum quoddam, & ipſa propoſitio totum Logicum, neceſſe terminos copulari & connecti, non ſeparari: ſi autem *τὸ non* afficit verbum ſubſtantivum, erit unionis carentia, ſeu carentia copulæ.

XVI. Reſp. Sfondrati pag. 480. Logicæ, quamvis in propoſitione negativa verbum *eſt* non copulet, ſed ſeparet prædicatum; adhuc tamen dicitur copula, quia repræſentat carentiam prædicati. Eſſentia igitur propoſitionis, prout abſtrahit ab affirmativa & negativa, conſiſtet in judicio ſeu ſignificatione ad eſſe aut non eſſe. Sic ille. At hæc reſponſio non enervat argumentum, nam

Contra eſt 1. Cum fateatur copulam, ſecus ac fert etymon, non copulare aut connectere ſubjectum prædicato, illam non eſſe partem eſſentialem propoſitionis concedat neceſſe: aliunde autem certum eſt ad verificationem propoſitionis requiri identitatem inter Rectum ſubjecti & prædicati: quid autem hanc importabit niſi copula?

2. Nonne in propoſitione infinita: Petrus eſt non-lapis, æque judicatur ſeu repræſentatur aliquid abeſſe ſeu non adeſſe Petro? Neque enim cum dico *Petrus eſt non-lapis*, ſenſus eſt, *Petrus eſt negatio lapidis*, ita ut negatio in recto prædicetur de Petro, id enim falſum foret: ſed ſenſus eſt iſte; ut fatetur Sfondrati, Petrus eſt non-lapis, hoc eſt, *Petrus eſt aliquid*, quod non eſt lapis, ſeu quod habet negationem lapidis: ubi vides *ens* importari in recto (non tamen determinando quale ſit) & in obliquo carentia lapideitatis. Ergo non eſt potior ratio cur una dicatur affirmativa & non altera.

XVII. Idem Card. Sfondrati, cum ſtatuiſſet Lib. 3. Log. pag. 517. communem Regulam & Principium: *Ex puris negativis vi forma nihil ſequitur;* hunc ſibimet objicit Syllogiſmum.

Quidquid non eſt animal, non eſt homo:
Nullus lapis eſt animal,
E. Nullus lapis eſt homo.

hic Syllogiſmus vi formæ bene concludit, & fundatur in *Dicto, de nullo*, negat enim hominem de omni non-animali: atqui ſub non-animali continetur etiam lapis, ergo etiam de hoc negatur homo. Reſpondet, hunc Syllogiſmum non eſſe bonum, quia in Minore non repetitur totus medius terminus, qui erat in majori: medius enim terminus & ſubjectum Majoris erat totum hoc, *quidquid non eſt animal*, ſive, *omne non-animal.* Minor ergo ſic formari debebat: *Nullus lapis eſt non-animal*, quæ eſt falſa (cum æquipolleat iſti: *omnis lapis eſt animal*) ex qua falſa minore mirum non eſt ſi vera concluſio deduci poſſit, ergo *nullus lapis eſt homo*, cum etiam ex duabus falſis in bona forma deduci verum poſſit &c. Ita viſum Card. Sfondr.

XVIII. At mihi prorſus contrarium, nec adverto in prædicto Syllogiſmo ullum defectum, ſic inquam: Hic Syllogiſmus

Omne non animal eſt non-homo:
Omnis lapis eſt non-animal
E. Omnis lapis eſt non homo.

Æquipollet ſuprapoſito. Quod attinet Majorem, fatetur Ipſemet: quidquid enim non eſt animal, tantundem eſt ac omne non-animal. In Minore, *nullus lapis*, eſt idem ac, *omnis lapis non*, juxta vulgatum, *Poſt contra &c.* ut oſtendetur ſuo loco de æquipollentia terminorum. Syllogiſmus eſt in *Barbara*, adeoque perfectus & legitimus, ergo & prior cui æquipollet.

Aliter reſpondiſſet Harlæus, qui Log. part. 3. cap. 5. ait: "Si negatio fuerit pars Medii, tunc minor voce-" "tenus erit negans, ſed habebit vim affirmantis, ut ex" "concluſione hujus Syllogiſmi liquet.

Quidquid non eſt corruptibile, eſt immortale:
Anima rationalis non eſt corruptibilis,
E. Anima rationalis eſt immortalis.

Probatur jam concluſio noſtra argumento poſitivo. Quia omnis actus enunciationis negativus reſpectu ſui objecti materialis, nempe reſpectu identitatis duorum Extremorum, quam negat, ſimul tamen etiam eſt affirmativus reſpectu ſui objecti formalis: quia objectum formale, a quo movetur intellectus ad negandum unum extremum de altero, eſt ipſa diſtinctio extremorum, ſeu negatio identitatis inter illa: ideo enim diſſentit intellectus identitati, quia datur diſtinctio & repugnantia inter ipſa extrema in ordine ad mutuam identitatem: atqui hæc diſtinctio extremorum non poteſt per enuntiationem negativam attingi negando & diſſentiendo, ſed attingi debet aſſentiendo; alias hic actus *homo non eſt lapis*, non eſſet verus, ſed falſus, quia negarem per illum aliquid quod eſſet falſum, ſive quod aliter ſe haberet ac per actum enunciativum attingitur, vid. diſtinctionem hominis a lapide, ergo hæc diſtinctio non negatur ſed affirmatur, & conſequenter actus ille eſt etiam affirmativus.

XIX. Di-

XIX. Dices: Hanc nostram sententiam esse contra communem sensum & opinionem ac proinde non admittendam. Resp. I. Non tam esse contra, quam præter sensum reliquorum AA. tunc enim proprie loquendo aliqua sententia est contra aliorum quando est opposita positive eorum sententiæ: nostra autem non ita se habet, quia authores alii nullam habent hac de re sententiam positivam, cui nostra opponatur, eo quod præsentem quæstionem nec in disceptationem adducant. Resp. II. Sententiam nostram non ita repugnare sensui communi, ut ea non possit (saltem quoad aliquas enunciationes negativas) ex communi sententia deduci, quod sic ostendo: Communis sententia docet omnem actum conclusionis (& consequenter etiam negativum) attingere objectum Præmissarum illudque ratihabere tanquam suum objectum formale. Unde sequitur omnem conclusionem negativam, esse etiam affirmativam: negativam quidem respectu objecti materialis, quod est ipsum Objectum conclusionis, seu identitas duorum extremorum inter se: affirmativam vero respectu objecti formalis (saltem inadæquati) quod est objectum præmissarum seu identitas duorum cum uno tertio: nam objectum unius præmissæ in Syllogismo negativo debet a conclusione illius Syllogismi attingi affirmative, una enim præmissa debet esse affirmativa, & affirmative suum objectum attingere, cum ex puris negativis nil sequatur; unde & conclusio debet affirmative idem objectum attingere, debet enim habere idem objectum, quod habent ambæ præmissæ: sed una præmissarum habet objectum terminans actum affirmativum, ergo & conclusio debet hoc habere objectum. Itaque objectum illius præmissæ, quæ est affirmativa, attingi debet affirmative ab actu conclusionis negativæ, & consequenter omnis conclusio negativa est simul etiam inadæquate affirmativa.

SECTIO II.

De Propositionum materia.

XX. Materia Propositionum est quadruplex: *Necessaria, Infallibilis, Convertibilis* & *Contingens.*

Necessaria illa est, in qua prædicatum ita subjecto convenit, ut nec divinitus possit non convenire. Tales sunt omnes I. II. & III. Prædicabilis, h. e. Generis, Speciei & Differentiæ: ut *homo est animal, Petrus est homo, Paulus est rationalis*, quæ ita sunt veræ, ut nec de potentia Dei absoluta reddi possint falsæ; non enim potest Deus facere vel unum equum insensibilem, aut vel unum hominem inanimatum. Hæc necessaria subdividitur in *naturalem* & *remotam*. Si prædicatum necessario conveniat subjecto, dicitur: *naturalis*; *remota*, si necessario disconveniat. Naturalis materiæ exempla sunt, *homo est vivens, Equus est animal*; remotæ vero, *homo est lapis*; *Equus est Leo*, quia sicut est necessarium hominem esse viventem, ita & hominem, qua hominem non esse lapidem. Consulto istam reduplicationem pono: quia tametsi repugnet Deum qua Deum esse passibilem & mortalem; non tamen repugnat eum alienam naturam assumere, ratione cujus sit mortalis. Unde homo, si lapidis naturam assumeret, esset quidem vere lapis, sed non qua homo. An hoc possibile sit, altioris est indaginis.

Materia infallibilis, necessaria non est, sed libera, includit omnia illa prædicata, quæ possunt quidem non convenire subjecto, convenient tamen, ut *Prædestinatus salvabitur*. Salus & prædestinatio infallibiliter conjunguntur, non tamen necessario; poterit enim prædestinatus condemnari, non tamen condemnabitur. Cognitio hujus materiæ est valde necessaria intelligendis disputationibus, quæ circa libertatem divinam aut humanam subtiliter moveri solent. Sic quidam Prædeterminationem physicam dicunt habere connexionem infallibilem cum suo effectu, non tamen necessariam: ideoque non lædere libertatem: qui modus tolerabilis foret, si loquamur de prædeterminatione ad actus bonos, maxime meritorios: secus si ad actus peccaminosos ejusmodi statuatur Præmotio.

Convertibilis materia perfectissima est, in ea ita prædicatum convenit subjecto, ut competat omni, soli & semper. In tali materia est differentia & proprium respectu inferiorum. Valent enim hæ consequentiæ: *Omnis homo est rationalis*, ergo *omne rationale est homo. Omne risibile est admirativum, ergo omne admirativum est risibile.* Non vero istæ: *Omnis homo est sensibilis, ergo omne sensibile est homo. Omnis Philosophus est risibilis: Ergo omnis risibilis est Philosophus.* Sed & prædicatio specifica convertibilis est, uti definitio cum definito. Hinc

Omnia quæ sunt in materia propria, sunt etiam in convertibili, non vero econtra, quia differentia & species convertibiles sunt, & tamen neutra est propriets alterius. Proprietates autem dicimus illas, quas definivit Aristoteles in IV. modo; unde & *Proprietates in quarto modo* nominantur; hæ ex vi legis ordinatæ non possunt non competere suis subjectis. Utrum de lege absoluta? disputatur.

Contingens dicitur illa connexio, quæ est casualis, fortuita & fallax, ut hominis & albedinis, aeris & frigoris & similes.

Omnes propositiones, cujuscunque materiæ sint, transibunt in necessarias, si addatur materiæ charactericum. v. g. *homo necessario est animal: lapis necessario est non-sentiens: Equus convertibiliter est hinnibilis. Homo proprie est risibilis, lapis albus accidentaliter est albus, prædestinatus infallibiliter salvabitur.*

SECTIO III.

De Propositionum Quantitate.

XXI. Sicut Quantitas physica dat extensionem substantiæ; eique respondet Tantitas: quærenti enim quanta sit virga? recte respondemus esse tantam, aut tantam, hoc est tam magnam. Hine inepte constituitur a nonnullis Essentia quantitatis in Impenetrabilitate: quando enim quæro quanta sit virga hæc? non peto quam impenetrabilis sit, quam longa. Huic ergo doctrinæ insistentes Dialectici Propositionis magnitudinem seu extensionem vocarunt *Quantitatem*, & Propositionem in *Indefinitam, Universalem, Particularem & Singularem* diviserunt, ipsasque distinguunt his signis syncategorematicis: *Omnis, aliquis, iste*.

Indefinita est, quæ habet indeterminatam quantitatem, h. e. quæ omni signo caret; ut *homo est animal. Cretenses sunt mendaces.*

Universalis est, quæ omnes distributive complectitur, & afficitur hoc Syncategoremate *omnis*, cui æquipollent *quilibet, quicunque, nullus non*, aut his contra-

riis

lis, videlicet hoc signo, *nullus*, aut etiam *nec aliquis*, *ne unus quidem* &c.

Particularis est, cujus subjectum afficitur signo particulari, ut *aliquis homo deambulat*, *quidam apostolus fuit traditor & apostata*. Signa particularia sunt, *aliquis*, *nonnullus*, item *non omnis* &c.

Notat tamen Caramuel Nicolaum Perottum Episc. Sipuntinum, in Cornucopia sua, ubi tertium Martialis epigramma dilucidat, distinctionem facere inter *quidam*, & *aliquis*; & inter has propositiones: *quidam me percussit*, & *aliquis me percussit*. videl. particulam *aliquis* usurpatdam, quando de certa persona non constat: dum autem persona quidem nobis nota est, sed eam manifestare nolumus, utamur voce *quidam*. Ergo stando huic rigori critico differt *Quidam* & *aliquis*; & videtur *Quidam* esse character mediæ propositionis inter singularem & particularem (abstractioris illa, contractoris ista) & colligitur has Positiones. *Quidam miles hoc fecit: Titius miles hoc fecit. Miles N. hoc fecit*, æquipollentes esse: & concluditur vocem *Quidam* idem esse quod apud Philosophos practicos *Titius*, *aut Sempronius*.

Singularis est, cujus subjectum afficitur signo singulari, ut *Petrus ludit*, *hic homo deambulat*, *homo A. legit*, *Equus B. currit* &c. Signa singularia sunt omnia demonstrativa, nempe *hic*, *iste*, *ille*. Item nomina Individuorum propria. Hominum, ut *Petrus*, *Franciscus* &c. Equorum, ut *Zephyrus*, *Favonius*, &c. vel quæ pro propriis supplent, A. B. C. &c. Item quæcunque characterica, ut *Filius virginis* significat Christum, nemo enim præter ipsum e virgine fuit natus. Et hic obiter: Si *Zephyrus*, *Favonius*, *Velocius*, &c. nomina Equorum sunt, quid mirum, si Equæ Beticæ concipere a ventis dicantur?

Indefinita, ut norant Complutenses Lib. 2. de propos. c. 3. §. Secundo, si materia sit necessaria aut propria, æquivalet universali; si contingens, particulari: quod tamen non ita intellige, ut illam esse aut universalem aut particularem existimes, sed ut ex illa inferas; nimir. in materia necessaria aut propria, universalem & particularem; & in contingente, particularem.

Omnes Autores agunt de Quantitate Subjecti: sed quia etiam Prædicatum potest sua quantitate affici, has lineas subscribere placuit. Igitur.

XXII. Dico has propositiones quantitate differre videlicet *Omnis homo est albus. Homo est albus. Aliquis homo est albus. hic homo est albus*. Item has: *aliquod animal est omnis homo*, *Aliquod animal est homo*, *aliquod animal est hic homo*. Unde si quæris, quanta sit hæc positio, *Petrus est nullus lapis?* Respondeo eam esse singularem subjective, & prædicative universalem.

Datur etiam in propositionibus externa quantitas, quæ non debet omnino contemni. Ex. gr. *Paulus est omnia omnibus. Franciscus placet nemini. Symmachus defendit innocentes, Odoacer promovit aliquos Catholicos, Theodoricus condemnavit Boëtium*, quarum quantitas extrinseca est, & æque potest ad regulas oppositionis reduci, quam solet quantitas Subjecti. Sed de oppositione Propositionum inferius.

Præter casus, in quibus Indefinita æquipollet Universali, addit duos alios Philibertus Marchinus Novarien. Lib. de Sacram. ord. Tract. I. parte 1. pag. 6. in quibus Indefinita vim universalis continet, nim. quando est negativa. Cum enim negatio sit malignantis naturæ; talis est ejus vis, ut prædicatum ab omni sub jecto sub illa contento amoveat & destruat, & ideo reddit propositionem universalem, ut etiam notavit Titelmannus Lib. 3. Dialect. cap. 8. Exemplum sit: *Homo non est capax beatitudinis*, idem est ac si dicat, *nullus est capax beatitudinis*.

Alter casus est, cum propositio indefinita a lege communi sive municipali profertur, tunc enim Universali æquipollet, quia præsumitur Legislatorem velle omnes suos subditos tali lege adstringi: secus, si cesset talis præsumptio, ut contingit in uxore, filiis aut filiabus Legislatoris, quæ ejusdem legibus non semper adstringuntur. Quare ex mente ejusdem, & ex materia subjecta pendet, an indefinita lex æquipolleat universali, nec ne. Exemplo sit: Rex fert legem, *ut ferens arma rotata, morte puniatur*, idem est ac si dicat: *Omnis arma rotata ferens morte mulctetur*.

XXIII. Casus autem in quibus ab indefinita ad universalem arguendo, nihil concluditur, tres esse invenio. I. cum propositio indefinita est de re contingente; ut si dicas *Homo est Musicus*, non idem est ac dicere, *omnis homo est Musicus*, quia contingit hominem esse musicum. II quando propositio est de materia odiosa; secus si de favorabili. Ita Bartolus L. si pluribus, & Fel. in Cap. auditis, num. 24. cap. ult. de Treuga & pace. III. si ex significatione seu acceptione universali, sequeretur absurdum, ut si dicas *Curiales sunt simulatores*: non intelligitur de omnibus, nullo prorsus excepto.

XXIV. Hinc patet non bene sentire eos, qui dicunt in materia doctrinali Indefinitam semper æquipollere universali. Hoc enim verum est quando materia subjecta, vel intentio Concilii id exigit, eo quod ratio a Concilio adducta, vel Scripturæ testimonium æque in utroque casu militant: secus si materia subjecta id non patiatur, vel intentio Concilii varia esse colligatur, vel ratio ab eodem adducta, aut Scripturæ testimonium non eodem modo in utroque casu procederet. Sic eum Concilium Florentinum intendetet definite septem esse Ecclesiæ Sacramenta, & intra hæc Ordinem esse numerandum, dum dicit: Sextum Sacramentum est Ordinis. Ad hujus indefinitæ propositionis veritatem sufficit, si verificetur de principalioribus ordinibus, nempe de Presbyteratu & Diaconatu, quos esse Sacramenta libenter concedimus: non est autem necesse verificari de Subdiaconatu & aliis minoribus ordinibus, quos esse Sacramenta ex Concilio efficaciter colligi nequit. Nec refert Concilium eodem contextu aliorum etiam ordinum materiam & formam declarasse: nam non solum Sacramenta, sed etiam Sacramentalia propriam habent interdum formam & materiam; & ideo non est mirum, si dum Concilium majorum ordinum materiam & formam expressit, etiam minorum meminerit, tanquam ad majores disponentium, etiamsi isti non Sacramenta, sed Sacramentalia sint. *Hucusque Philibertus Marchinus.*

XXV. Quæri posset hic an S. P. Bernardus Lib. 2. de consid. ad Eugen. Papam, c. 8. ex illa indefinita Christi Ioann. ult *Pasce oves meas*, legitime intulerit universalem, ita ut sensus sit, pasce omnes oves meas fideles nulla excepta; adeoque omnes Apostoli etiam curæ & Iurisdictioni S. Petri subjecti & commissi fuerint? Respondeo omnino & efficaciter Intulisse. Pronomina enim Possessiva, *meus*, *tuus*, *suus*, *noster*, *vester* &c. termino indefinito adjuncta interdum illum

lum ampliant & universaliter sumi præcipiunt. Sic Petrus moriens in Testamento scripsit: *Adalberto relinquo meos boves, Ioanni meas oves, Friderico meos agros, & Anselmo meos libros.* dicendus est omnes boves Adalberto, omnes oves Ioanni, &c. reliquisse. Ita ergo & Christus, dicendo: Petre pasce oves meas, propter energiam possessivi *meas*, universum gregem assignasse censendus est.

SECTIO IV.

De Propositionum Qualitate.

XXVI. Essentiam Propositionis in negatione aut affirmatione consistit: at veritas falsitasque est quasi externa, & nonnunquam variabilis, qualitas. Quamobrem interroganti, quænam sit hæc, vel illa propositio? v. g. *homo est albus*, debemus respondere esse affirmativam. Percontanti vero, qualis sit? esse veram aut falsam. Et tandem cujus materiæ sit? esse materiæ contingentis.

Hæc propositio: *Petrus non currit*, negativa est; & nequit converti in affirmativam, quin perdat unam partem intrinsecam & essentialem, videlicet particulam *non*, ergo essentialiter est negativa. Ponamus esse veram: & ajo esse veram accidentaliter, quoniam sine ullius vocis ablatione, aot positione intrinseca, si Petrus curreret, esset falsa. Ergo quando propositio vocalis (de qua hic loquimur) transit de vera in falsam, mutatur solummodo extrinsece. Hinc

XXVII. Quæritur I. Quid sit Veritas, quid falsitas? Resp. Quam certum est & demonstrabile dari Veritatem, tam arduum est & difficile illam invenire, vel unam veritatem bene scire, & ita laboriosum molestumque, ut Empedocles Veritatem in puteo altissimo latere dixerit, & Anaxagoras tot noctibos & tenebris illam occuli, ut face se egere pronutniaverit. Nihilominus si tollantur logomachiæ, hæc quæstio facili negotio resolvetur, *ab eo quod res est, vel non est, propositio dicitur vera vel falsa*; ait Arist. in Prædic. cap. de substantia. Ergo propositio vera est illa, *quæ enuntiat rem ut est*; falsa, *quæ enuntiat aliter quam est.* Est ergo veritas id, quo propositio vera constituitur & distinguitur ab omni falsa. Videlicet, *adæquata similitudo actus significantis & rei significatæ.* Nam si non sunt identificata a parte rei omnia ea, quæ dicuntur in recto, propositio erit falsa. Consonat D. Thom. 1. p. q. 26. art. 1. 2. & 8. &. 1. contra gent. cap. 59. & 60.

Aliis verbis idem dicit P. Thomas Mlodzianowski Tract. 2. Disp. 7. diff. 2. in Præl. metaphys. Veritas in re nihil est aliud, præter hæc duo: actus, & objectum ita se habens, uti dicit actus. Conceptus autem veritatis formalis dicit ipsum actum intellectus in recto, & in obliquo seu pro circumstantia, & connotato, ipsum objectum ita se habens. Suarez disp. 8. sect. 2. num. 9. Et sic objectum etiam non existens tribuit denominationem veri, neqoe formaliter, neque efficienter, sed formaliter terminative, quia scilicet terminat illum actum secundum id esse, cui conformatur actus.

XXVIII. Quæritur II. Vtrum quandoque una eademque propositio possit transire de vera in falsam, & vicissim?

Resp. I. Propositiones, quæ versantur circa materiam necessariam v. g. circa essentias rerum &c. non possunt mutari de veris in falsas. Ita omnes. Ratio est, quia veritas formalis propositionis est ipsa propositio ut connotans objectum: si ergo mutatur de vera in falsum, aut ipsa propositio in se mutari debet, & tunc non manet eadem intrinsece: aut objectum, at hoc, ut supponimus, est necessarium & immutabile & invariabile, ergo & propositio.

Resp. II. cum Caramuele in hac subtili quæstione multos subtiles hallucinari. Dicemus pauca, sufficientia tamen, ut veritas ponatur ob oculos tam clare, ut nemo dubitare possit, si attente has periodos perlegerit. Itaque

Suppono I. aptissime posse concipi tempus componi ex multis successivis instantibus indivisibilibus se immediate sequentibus, saltem juxta probabilem multorum sententiam.

Suppono II. Hanc quæstionem non pendere a Continui compositione, sed posse etiam juxta Peripateticorum principia explicari. Ideam propono describendo hanc lineam.

A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. O. P. Q. R.

Ponamus non esse plura instantia possibilia, & nobis esse præsens instans G. majoris claritatis gratia. Hoc supposito sequentes positiones considera.

I. Hæc, *mundus semper fuit*, æquivalet huic: *Mundus in omnibus his instantibus* (A. B. C. D. E. F.) *fuit*. Et transire nequit de vera in falsam: quia si vel uno instanti non fuerit, falsa erit. Et hæc non potest veritatem perdere, & falsitatem acquirere; aut vicissim: quia implicat omnibus istis instantibus durasse, & tamen in aliquo non durasse.

II. ista, *Mundus aliquando fuit*, ut sit vera, requirit & sufficit, ut vel unico instanti ex præteritis fuerit: ut sit falsa, quod nullo extiterit: & quia repugnat fieri, ut, si in uno instanti fuerit, verum sit quod in nullo fuerit, transire de vera in falsam, aut de semel falsa in veram nequit. Idem a fortiori est dicendum de hac: *Mundus in instanti C. fuit*, quæ nullam latitudinem habet, ut de vera in falsam mutari possit. Hæc evidentia sunt.

XXIX. Concluditur itaque, quod si tempus præsens (eodem modo de præterito & futuro philosophor) sit aliquod determinatum instans, propositio eadem, tametsi duret duabus horis, non poterit esse priore hora vera, & posteriore falsa, nec econtra. Ceterum si tempus præsens & correspondens propositioni duranti, non sit determinatum aliquod instans, sed illud, quo durat propositio, quodcunque illud sit, ipsa de vera in falsam, & e falsa in veram transire poterit, quotiescunque objectum mutari potest. Expresse docet S. Thom. 1. p. q. 14. art. 15. ad 3. apud Sfondratum. Quod ut planius fiat.

Annotato, me, cum dico, *nunc* Petrus currit, loco illius *nunc*, posse intelligere, vel aliquod actum instans temporis (puta G.) quod est immobile; & tunc mea propositio erat quoque immobilis veritatis aut falsitatis. Vel possum intelligere per illud *nunc*, illud instans, quo durat actu mea propositio (non aliquod in quo duraverit, sed illud in quo durat) & quia hoc ipsum instans est mobile, mobilis erit veritas aut falsitas propositionis.

XXX. Ostenditur, Hanc propositionem, *in instanti quo hoc dico, Petrus vivit*, profero in instanti A. illam repeto in B. illam in C. illam in D. Eruntne 4. propositiones? minime; sed erit eadem quater repetita. (loquor

(loquor logice: nam entitative forte erunt propositiones realiter distinctæ). Si Petrus moreretur in C. illa in duabus prioribus repetitionibus esset vera, & in duabus posterioribus falsa. Quid si hæc duratio & propositio repetitæ discretaque, fieret continua? non ideo mutaretur objectum, ergo tunc illa eadem in instanti A & B, esset vera: in instanti C & D falsa.

Eadem veritas ostenditur in propositione scripta. Multæ sunt in locis publicis tabulæ, quæ temporibus debitis exponuntur: ex quibus constat, quid Adverbia & Pronomina omnium opinione significent. Nam cum agitur de vocum significatione, doctiores Judices sunt puri Grammatici. V. G. Sunt multi dies in anno, in quibus lucrari possumus Indulgentias, multi qui hoc apostolico favore carent. Ergo, ex. gr. dicamus feria IV. & VI. illas obtineri posse; aliis feriis non posse. Curo fieri pulchram tabellam, & in ea aureis literis scribi: *Hodie sunt Indulgentiæ*. Illam expono feria IV. & verum dicet: si exponeretur feria V. falsum diceret, ergo vox *hodie* non significat aliquem diem determinatum, sed præsentem quemcunque. Idem de titulo: *Altare privilegiatum*.

Idem omnino de Adverbio *HIC*. Fiat enim inscriptio in simili tabula: *Hic est panis, qui de cœlo descendit*. Appendatur Sacrario vel altari, in quo actualiter asservatur Ven. Sacramentum, & erit vera: Si Sacramentum exinde ad altare B. transferatur, aut Ciborium, ut vocant, sit vacuum, & tabula in altari A. maneat, erit falsa; & si ipsa postea ad altare B transferatur, erit iterum vera. Ergo planum est unam eandemque propositionem scriptam posse & solere transire de vera in falsam, & de falsa in veram. Ergo certum est etiam veritatem & falsitatem non pertinere ad scriptæ propositionis essentiam, ergo eodem prorsus modo de propositione vocali philosophandum erit: cum enim utraque significet ad placitum, & utraque aut perennet tempore, aut repeti possit, non potest assignari ulla disparitas. Ergo eodem modo de mentali, quia scripta non ideo in falsam transire potest, quod ad placitum significet, sed quia perennat; nemo autem negare audebit eandem propositionem mentalem posse & solere perennare.

Dixi hanc Dispntationem ab intelligentia vera vocum pendere: sed repeto, & volo harum vocum, *hic, nunc, hodie* & similium significationem bene percipi: & ut illam capias, ad pronomina *hic, iste, ille, ego, tu* & similia recurro. Quid significat *Ego?* Petrumne an Paulum? neutrum. Quem ergo? Primam personam. Sicut *Tu*, secundam, & *Ille*, tertiam. Ergo habant hæc pronomina significationem indeterminatam, & ab omnibus individuis abstractam, addentem individuo vago differentias denominationis personæ 1, 2, 3. Et quid significat *Hodie?* quid hæc dies? an diem aliquam determinatam, nempe Lunæ aut Mercurii? minime. Quid ergo? aliquam diem? Resp. hanc vocem plus significare, quam aliquam diem: significat enim illam præsentem diem, quæ actu fluit, quando ego illud verbum pronuntio. Ergo hæc vox *hodie* significat tempus contractum, non hæcceitate A. aut hæcceitate B; sed differentia temporis, quod transit, quando illam pronuntio. (Nota singula bene.) Ergo si, quando illam assertionem pronuntio, rem enuntiat ut est, erit vera: si aliter quam est, erit falsa. Et si per duos dies illa durat, & in primo significat rem ut est in se, & in secundo aliter quam est in se, propositio transibit de vera in falsam. Ergo eodem modo de significatione vocum *hic*, *nunc* & similibus philosophare. Hinc facile solvitur solenne illud argumentum, dum

XXXI. Objiciunt 1. Hæc propositio *Petrus sedet*, vel supponit pro toto tempore v. g. mediæ horæ; vel pro aliquo quadrante indeterminato; vel pro aliquo quadrante determinato, primo vel secundo? Enuntiat enim sessionem de Petro secundum tempus præsens, quod alio modo, præter dictos considerari non potest) sed in nullo sensu actus judicii transit de vero in falsum, ergo &c. Resp. hoc trilemma non esse validum, datur enim quartum membrum, nempe quod supponat pro quovis instanti præsenti, quodcunque illud sit, quod durante propositione fluit, & in quo aut quibus enuntiat objectum, uti revera est, verificatur; in aliis falsificatur.

XXXII. Objic. 2. Propositio semel vera nunquam potest fieri falsa quin mutetur, ergo non manet eadem. Resp. dist. ant. quin mutetur intrinsece. N. extrinsece tatione qualitatis. Conc. ant. & nego consequentiam.

Instabis 1. Tune mutatur intrinsece quoad substantiam quando mutatur ejus objectum, quod fit in nostro casu. Resp. dist. maj. quando mutatur ejus objectum formale, hoc est significatio seu repræsentatio. Conc. quando mutatur ejus objectum materiale & secundarium. N maj. At in nostro casu manet semper idem objectum formale v. g. repræsentatio Petri currentis; sed mutatur conformitas objecti materialis Petro quiescente.

Instab. 2. Veritas propositionis desumitur ab objecto formali; atque ex concessis hoc non mutatur, ergo nec veritas. Resp. N. maj. alias nulla daretur falsa propositio, mendacium nullum: omnis enim propositio mentalis est formaliter imago repræsentativa sui objecti: si autem imago, necesse ut sit eidem conforme: & hæc repræsentatio non potest mutari quin ipsa imago mutetur (imago enim quæ repræsentat aliud quam ante, non est eadem sed alterius rei imago.) In nostro itaque casu propositio vera transiens in falsam exprimit semper idem objectum v. g. cursum, Petrum & unionem cursus cum Petro, sive *Petrum currentem*: Sed cum hac differentia, quod vera exprimit quando ille cursus est a parte rei, adeoque conformis repræsentationi seu significationi vocum; falsa vero dum exprimit idem objectum, quando non ita se habet a parte rei, & ideo objecto materiali non erit conformis. Sic ista propositio; *Petrus currit*, est vera, Petro currente; falsa non currente, & tamen idem objectum exprimit: nihil autem novi est, facta sola mutatione extrinseca connotati, amitti aut acquiri novam denominationem in fundamento.

XXXIII. Quæres, An hæc similitudo seu conformitas propositionis veræ cum suo objecto sit relatio prædicamentalis? Negat Sfondrati, tum quia non est ad objectum ut purum terminum, eo quod sit imago & expressio termini, per quam cognitio intentionaliter & virtualiter in objectum transformatur; tum quia judicium est de rebus & objectis etiam non existentibus, quæ conditio, juxta ipsum, obstat relationi prædicamentali. Non tamen vocare potest transcendentalem, aut *secundum dici*, cum veritas non sit actui esse-

essentialis. Qualem ergo? Aut divisio Relationis in tria genera ab ipso admissa & exposita non erit adæquata, aut ad unum ex illis referri necesse. Vide Tract. XL. de Relativis.

SECTIO V.

Quotuplex sit Propositio?

XXXIV. Propositio generatim dividitur in *Categoricam & Hypotheticam*. Categorica eadem quæ simplex, quæ incomplexa, ut *Petrus currit*, rem significat independenter a quacunque alia propositione, licet babeat multa verba, modo non habeat plura prædicata. Sic ista est categorica: Vir, qui non abiit in concilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit, est beatus. Omnia enim illa verba *abiit*, *stetit*, *sedit* se tenent ex parte subjecti.

Hypothetica dicitur, quæ ex duabus vel pluribus propositionibus categoricis componitur, tanquam partibus sui principalibus:. ut, Petrus loquitur, & Joannes scribit. Si sol cras orietur, dies erit. Vocatur hypothetica, quia frequentius est conditionalis, sumpta denominatione a celebriori significatu. Hæc propositio, *Petrus, si currit, movetur*, est hypothetica: hæc; *Petrus, qui currit, movetur*, est categorica, nam æquipollet huic: *Petrus currens movetur*, quæ neque est complexa, nec reduplicativa &c.

XXXV. Hypothetica subdividitur in *Complexam, Disjunctam, Exclusivam, Exceptivam, Comparativam, Superlativam, Causalem, Reduplicativam, Temporaneam, Localem, Mixtam, & Conditionalem*. Quarum naturam & inter se differentiam, qui non bene callet, Dialecticus non est; quamobrem de singulis breviter agemus.

Complexa constat duabus propositionibus simplicibus sibi conjunctis particula ET interjacente, ut *Petrus currit, & Paulus loquitur*. Duo quidem enuntiat, & ad hoc ut sit vera, non sufficit alterutrum esse verum, sed opus est ut verum sit utrumque. His adjunge illas quæ constant pluribus subjectis, ut *Petrus & Paulus deambulant*, quæ, quia æquivalet huic: *Petrus deambulat, & Paulus deambulat*, petit utrumque verum esse; si alter tantum, omnino falsa est. Item illas, quæ simplici subjecto, & duplici prædicato constant: hæc enim, *Petrus sedet, & comedit*, ut verificetur, requiritur ut utrumque faciat. Hinc patet complexas posse ad 3. Classes reduci: aliæ enim habent unicum subjectum, & duplex prædicatum: aliæ duplex subjectum, & unicum prædicatum; & tandem aliæ duplex subjectum & duplex prædicatum.

XXXVI. Petes: An sit idem dicere, *Petrus, qui currit movetur*, ac *Petrus currit & movetur?* Resp. cum Caram. negative. Ratio est, quia in posteriore, quæ est hypothetica, duo affirmo, vid. & Petrum currere, & Petrum moveri: at in priore alterum suppono, & alterum assero. Quamobrem si Petrus non curreret, esset falsa posterior; at prior, non jam falsa, sed de subjecto non supponente diceretur. Aliud enim est propositionem esse falsam, & aliud, carere subjecto. Hæc enim propositio est falsa, *Nix est nigra & frigida:* at hæc, *nix nigra est frigida*, est quidem vocalis propositio, sed caret subjecto, non enim datur nigra nix, cui frigus convenire dicatur.

XXXVII. Disjunctiva, sive prædicatum sit idem, sive diversum, postulat connexionem disjunctivam (nempe *vel*, aut aliam similem). *Cæsar vincit, vel Pompejus aggreditur. Antonius vel Aurelius fugit. Petrus vel sedet, vel deambulat. Vidi Cajum vel Lælium.* Quarum singulæ duo dicunt: sed quia asserunt disjunctive, erunt veræ, dummodo alterum sit verum; falsæ, si neutrum.

Complexam a Disjunctiva distinguit conjunctio *Et* & *vel*. Prima constituit complexam (copulativam), altera secundam. Sed oportet notare esse nonnunquam in earum suppositione abusum; sæpe enim *Et* pro *vel*, & *vel* pro *&* a multis Authoribus sumitur. Sunt etiam in Sacra Scriptura propositiones, in quibus (sensu id necessario exigente) *Et* sumimus disjunctive, & *vel* copulative. Idem observavit Caramuel in suo Nomenclatore Regulæ Benedictinæ.

XXXVIII. Præterea notandum 1. Quod negatio vel affirmatio hypothetica non sumitur ex negatione vel affirmatione categoricarum; sed ex affirmatione vel negatione copulæ. Hæc ergo est affirmativa; *Petrus non scribit, & Paulus non currit*. Hæc negativa: *Petrus ambulat, nec Paulus currit*. Si negatio sit nominalis, & ponatur initio propositionis, non negat copulam, nec facit propositionem negativam. Hæc ergo est affirmativa: *Nullus homo loquitur, & Petrus currit*. Si vero negatio sit adverbialis, & initio ponatur, ex communi hominum usu afficit copulam, & propositionem facit negativam v. g. *non Petrus currit, & Paulus loquitur*. Sensus enim est, nec Petrus currit, nec Paulus loquitur.

Notandum 2. In Disjunctivis non semper necessarium esse, ut una tantum pars verificetur; potest enim quandoque utraque vera esse v. g. hæc: *Petrus ambulat vel orat*, vera est, etsi ambulet & oret. Secus est in propositione copulativa, in qua oportet utramque esse veram, ut jam diximus. Hæc ergo est falsa, Petrus est homo, & Paulus est lapis: imo tota est impossibilis, quia bonum ex toto, defectus ex qualibet parte. Similis autem quæstio, quæ una responsione categorica expediri nequit, vocatur *pysma*; quæ autem unica (negando aut affirmando) est resolubilis, *Erotema*.

XXXIX. Exclusiva propositio duas vel tres categoricas complectitur. Hæc enim: *Solus justus est felix*, æquivalet huic, *Inter homines solus justus est felix*, & imbibit has: *Justus est homo; justus est felix; nullus præter ipsum felix est.*

Signa exclusionis sunt: *Solus, unicus, tantum, tantummodo*, & quia omnia videntur universalia, Inquiris, An positio, quæ non excluditur, intelligenda sit universaliter, an particulariter? hoc est, an in ista: *Solus justus est felix*, includatur hæc: *omnis justus est felix*, an solum hæc: aliquis justus est felix?

Resp. Dari tres affirmantium Exclusivarum formas; vid. I. *Omnis & solus justus est felix*. II. *Solus Justus & non omnis est felix*. III. *Solus justus est felix*. In singulis reperiuntur binæ propositiones; alteram quæ felicitatem excludit a non-justo; altera, quæ eam justo adscribit. Illa prior semper est universalis; hæc autem posterior in prima forma est universalis, in secunda particularis, & in tertia, indefinita.

Exclusivarum negantium plures sunt formæ: pono aliquas: Non tantum homo est animal. II. Homo quidem est sensibilis, sed non tantum. III. Solus animus rationalis non moritur. IV. Virgilius est tantum Poeta. V. Homerus est unicus Poeta. VI. Justinus fuit

Catho-

Catholicus, prætereaque nihil. &c. quæ omnes analogice & pariformiter debent exponi.

Exceptiva includit aliquam particulam exceptivam, puta *præter, præterquam, excepto*, & his similes. Vbi observare omnino opus est quantus sit terminus, qoi excipitur; non enim bene exponeretur universaliter, qui indefinite, aut particulariter exciperetur. Et quidem in his, sicut in reliquis loquendi formis, standum est singularum linguarum rigori, & proprietati. Dico igitur in *Exceptiva* tres saltem simplices propositiones involvi: nim. quæ excipitur, quæ non excipitur, & quæ terminum exceptum cum non excepto conjungit. V. G. *Nullus homo præter Deiparam, caret peccato originali.* Est propositio imbibens has. *Deipara caret peccato originali; Deipara est purus homo;* & *nullus homo purus, qui non sit Deipara, illo caret.* Et quidem secunda propositio necessario subintelligi debet, frustra enim exciperetur Deipara, si non esset homo purus, qooniam exorbitare censeretur, qui diceret, *omnia corpora nigra excepto lacte, sunt calida.* Non enim a corporibus nigris debet excipi lac, cum non sit nigrum; unde emanasse videretur Reg. Juris, *Exceptio firmat Regulam in contrarium.*

Exclusivam Exceptiva temperat *MIXTA*; exemplum præbet Martialis Lib. 4. Epigram. 30. ubi asserit Charinum solum omoia genera argenti comparasse, excepto legitimo & puro. Sed oec Exclusiva differre videtur ab Exceptiva nisi verbotenus.

XL. Reduplicativa (quam aliqui dicunt esse speciem Exponibilis Propositiouis, quæ sub se contineat, Exclusivam, Excepovam & Reduplicativam) cognoscitur ex particulis *in quantum, qua talis vel tale, quatenus* &c. Accipitur autem propositio *reduplicative* 1. quando appellatur super subjectum *formaliter* & specifice acceptum v. g. *coloratum qua tale, vel qua coloratum est objectum visus*; vel *specifice* quando subjectum supponit *causaliter* v. g. *color albus, qua albus disgregat visum.* Hæc propositio, Petrus qua albus disgregat visum, ut evadat vera, requiritur 1. ut Petrus albus sit. 2. ut visum disgreget. 3. ut albedo sit causa hujus disgregationis. Ex quibus si vel unum deficiat, aut non erit vera, aut de subjecto non supponente.

Secundo sumitur quandoque particula reduplicativa *in quantum* & secundum quid, & tunc est restrictiva tantum v. g. *Æthiops, in quantum habet dentes, est albus.* Christus, in quantum homo, est creatura. Et in hoc casu restrictio verificat propositionem tantum pro parte, non pro toto subjecto. De quo eleganter S. Thom. 3. p. q. 16. art. 8. Vbi dat rationem, quare Æthiops dicatur absolute crispus, quamvis solum sit talis secundum crines; & non dicatur absolute albus. "Ea, "inquit in corp. quæ in dubitationem venire possunt, "an conveniant toti vel parti; si insupt alicui parti- "non attribuimus tori simpliciter, id est sine determi- "natione: non enim dicimus, quod Æthiops est albus, "sed quod est albus secundum dentes. Dicimus autem "absque determinatione quod est crispus quia hoc non "potest ei convenire, nisi secundum capillos.

Aliquando etiam cadit reduplicatio supra conditionem, aut concomitantiam, non vero supra causam. v. g. *Ignis, in quantum applicatus, calefacit: homo, in quantum existens, operatur.* Et tunc expositio fit per conditionem ex parte subjecti hoc modo: *Si ignis applicatur, calefacit.* Et tunc indicat putam conditionem sine qua non, absque causalitate. Ergo Reduplicativæ & Causales hujusmodi debent valde caute admitti & discerni, a Defendentibus: si enim sint astuti & ingeniosi, poterunt responsione sua, etiam doctissimum Oppugnantem, si reduplicationem minus caute adhibeat, turbare: cujus exemplum affert Caramuel hic art. 10. dum Salmanticæ defendebatur hæc positio: *Deus, est volitivus*, cui opponebat Eximius D. N. *Si Deus esse volitivus asseritur, MAXIME quia est intellectivus, sed hæc ratio non urget, ergo.* Alter respondit ad majorem, nego illud *maxime.* Sunt enim plures rationes, ex quibus inferimus Deum volitivum, quæ omnes simul sumptæ efficacius inferunt, quam quævis seorsum. Itaque suadendum disputantibus, ut a causalibus, qua possint, abstineant, quia expositæ sunt millenis exceptionibus, & facilius negantur quam probantur. Suadendum respondenti, qui vel mediocri polleret ingenio, ut Causales, Reduplicativas & Hypotheticas similes, si meridie clariores non fuerint, absolute negaret.

De Locali, & Temporanea non est quod multa dicamus, sunt enim per se claræ: ex quibus & Causali variæ fiunt commixtiones, quarum verificatio multa requirit.

XLI. De Conditionalibus ante annos centum, ait Caramuel, non erat necessaria admodum cognitio: hodie vix possumus loqui theologice sine conditionatis. Quamobrem debemus illarum naturam & ingenium scrut-ri, ut analogice, aut de conditionatis Del Decretis, aut de Scientia Media, voluntate, providentia, prædestinatione, Gratia, auxiliis peccatisque philosophemur.

Omnis Conditionalis debet esse illativa, & exponitur particula *SI*, ut cum dicimus, *Si equus esset homo, foret animal rationale.* Vt hoc altius percalleas

Nota Conditionales omnes Hypotheticas Causales esse; nec veras posse dici, nisi conditio sit causa consequentis. Causam in physicam & moralem docti omnes dividunt, & ideo Conditionalium aliæ habebunt connexionem physicam, aliæ moralem; sive quod idem est, alia intrinsecam, & aliæ extrinsecam. Hæc conditionalis, *si sol lucet, dies est*, habet partes physice & intrinsece connexas, quia in seipsis hæ propositiones habent sympathiam & necessariam connexionem. Decreto suo infallibili dicit Deus: *Si David remaneat Zeile, Zeilita prodent eum*, & hæc conditionalis imbibit partium connexionem, non quidem necessariam; quia non sequitur necessario ex eo, quod David Zeilæ maneat, eum esse a Zeilitis prodendum, possent enim illum tueri & defendere. Vnde igitur connexionem habent antecedens & consequens? Quæstio hæc acerrime ventilatur inter Theologos, qui in duas opiniones abeunt.

XLII. Prima, quam PP. Societatis tuentur, intrinsecam connexionem reperit, liberam tamen: sciebat enim Deus, juxta hos Auctores, ita esse affectos erga Davidem Zeilitarum animos, ut si in urbe mansisset, essent eum infallibiliter tradituri. Scientia hæc, qua Deus has liberas conditiones cognoscit MEDIA dicitur, poniturque inter simplicem intelligentiam & visionem.

XLIII. Secunda opinio, quam PP. Dominicani esse S. Augustini & D. Thomæ existimant, hanc Scientiam Mediam rejicit tanquam inutilem, & recurrit ad Decreta conditionata, docetque in præmemorata Conditionali antecedens & consequens habere connexionem

nem

nem mere extrinſecam, nimirum in Decreto Divino. Deus enim, qui aliter diſponere poterat rem ipſam, decrevit Davidem proditum iri, ſi apud Zeilitas remanſiſſet.

Hinc patet 1. Nullas in Thomiſtarum Schola contingentes conditionales propoſitiones eſſe veras, de quibus non eſt aliquod Divinum Decretum.

Patet 2. Omnes Conditionales contingentes veras (hoc eſt, illas, quarum connexio non eſt intrinſeca ipſis terminis, ſed extrinſeca, nempe in Decreto & voluotate Divina conſiſtens) dicere veritatem infallibilem, & hanc ob efficaciam divinæ voluntatis decernentis unam rem ponere, cum poſuerit aliam. Si Ceilæ remanſiſſet David fuiſſet traditus, non tamen neceſſario ſed libere: erat enim non quidem neceſſarium, ſed infallibile ſolum, ſi remanſiſſet ibi, fore proditorie tradendum: hæc autem infallibilitas pendebat a Decreto Dei, quod verbis exprimeret, ſi diceret: Decerno quod David tradatur Sauli a Ceilitis, ſi maneat Ceilæ.

XLIV. P. Hurtadus Diſp. 1. Summ. §. 11. commendat P. Dominicum Sotum Doctorem Salmanticenſem, hac in parte; aſſeritque a P. Ludovico Molina verbotenus idem traditum, & omnes Patres Societatis doctrinam Soti propugnare. Sane ſi hoc eſſet verum, ſubjungit Caramuel Log. Vocal. num. DXXIII. nec ipſi Scientiam Mediam defenderent, nec Decretis contradicerent conditionatis. Sotus cognovit duo propoſitionum conditionalium genera; vocavit *Illativas* eas, in quibus antecedens neceſſario inferebat conſequens; ut *ſi equus eſſet homo, eſſet riſibilis.* Vocavit autem *promiſſivas* eas, in quibus antecedens & conſequens non habent connexionem neceſſariam neque intrinſecam, ſed pendentem a promiſſione & decreto voluntatis. Si nitatur Decreto Divino, vocatur *Infallibilis.* Si humano, *fallibilis* eſt. Et hæc, ſi decretum ſit viri cunſtantis, qui nunquam flecti aut vacillare viſus, *certa eſt moraliter. Probabilis*, ſi pendeat a promiſſione viri qui inconſtans eſt. Et poterit dici *Probabilior, æque probabilis, minus probabilis* juxta inconſtantiæ quantitatem. *Dubia*, ſi conſiſtat in Decreto perſonæ incognitæ, & hæc etiam ſolet *incerta* nominari. *Temeraria aut moraliter falſa* dicetur illa, quæ dependet ab indigni hominis reſolutione, nempe a Viro, qui vix aliquando ſtat dictis, aut fidem ſervat.

XLV. Subjungit Sotus eſſe plurimas conditionales, quarum qualitas (videlicet veritas aut falſitas) Deo uni & ſoli (nempe quia ab ejus uno & ſolo decreto dependent) eſt cognita. Addit tunc nos tandem ſcire, an ſint veræ, cum de facto ponitur antecedens ſeu conditio: quia tunc etiam ponitur conſequens, vera eſt aſſertio; falſa alias. Cæterum conditionales illæ contingentes, quæ nec promiſſivæ, nec illativæ ſunt, ſed omnino diſparatæ & inconnexæ (ut *ſi Petrus Lovanii dormiret, Magnus Turca Conſtantinopoli cantaret)* veræ non ſunt, etiamſi contingeret poni conſequens cum antecedens, quia extrema illa inter ſe ne conditionalem quidem connexionem habent; & Deus, qui omnia cognoſcit, ut ſunt in ſe, cognoſcit quidem 1. An Petrus Lovanii dormiturus ſit? 2. an cantaturus ſit Turca! 3. ſcit ſomnum Petri non eſſe intrinſecam conditionem reſpectu alterius cantici: futuram tamen eſſe conditionem extrinſecam, ſi ipſe Deus diceret, *Decerno quod Turca canet, ſi Petrus Lovanii dormiverit.* 4. Scit ſe habere vel non habere illud decretum.

XLVI. Verum quia hæc ad Theologiam maxime ſpectant, non immorabimur diutius: monemus tamen cum ingenioſiſſimo Caramuele omnes circa Prædeſtinationem, Providentiam, Gratiam, auxilia &c. difficultates, quæ opinione mulrorum inſuperabiles ſunt, naſci ex mala Dialectica, & Philoſophia multo pejore. Vnico exemplo rem illuſtrabimus. Angelicus Doctor in 1. part. q. 14. art. 13. Sic ſibi objicit. "Omnis conditionalis, cujus antecedens eſt neceſſa-„ rium abſolute, conſeqnens eſt neceſſarium abſolute.„ Sic enim ſe habet antecedens ad conſequens, ſicut„ principia ad concluſionem. Ex principiis autem„ neceſſariis non ſequitur concluſio niſi neceſſaria, ut„ in 1. poſter. probatur. Sed hæc eſt quædam condi-„ tionalis vera, ſi Deus ſcivit hoc futurum eſſe, hoc e-„ rit; quia ſcientia Dei non eſt niſi verorum. Hujus„ autem conditionalis antecedens eſt neceſſarium ab-„ ſolute: tum quia eſt æternum, tum quia ſignificatur„ ut præteritum, ergo & conſequens eſt neceſſarium ab-„ ſolute. Igitur quidquid ſcitur a Deo eſt neceſſarium. Et„ ſic ſcientia Dei non eſt contingentium.

Cui objectioni, præmiſſis & rejectis variis reſpondendi modis, demum ſuam ſenteotiam S. Doctor ſubjungit his verbis: "Et ideo aliter dicendum eſt„ quod quando in antecedente ponitur aliquid perti-„ nens ad actum animæ, conſequens eſt accipiendum„ non ſecundum eſſe quod in ſe eſt, ſed ſecundum quod„ eſt in anima. Aliud enim eſt eſſe rei in ſeipſa, & eſſe„ rei in anima. Vt puta, ſi dicam, ſi anima intelligit„ aliquid, illud eſt immateriale: intelligendum eſt,„ quod illud eſt immateriale ſecundum quod eſt in in-„ tellectu, non ſecundum quod eſt in ſeipſo. Et ſi-„ militer ſi dicam, ſi Deus ſcivit aliquid, illud erit:„ Conſequens intelligendum eſt prout ſubeſt divinæ„ ſcientiæ, ſcilicet prout eſt in ſua præſentialirare. Et„ ſic neceſſarium eſt, ſicut & antecedens. Quia omne„ quod eſt, quum eſt, neceſſe eſt eſſe, ut dicitur in„ 1. periherm.„

XLVII. Audiamus nunc an hæc ſolutio Caramueli noſtro ſatisfaciat. Tota, inquit, hæc Angelici Doctoris doctrina per Salebras & Meandros præceps, fundatur, ut vides, in illo axiomate Peripatetico, *Omne quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe:* Vnde concluditur, neceſſarium eſſe ut ſint, ſi a Deo eſſe futura prævidentur. Nec illa diſtinctio (videlicet *ſecundum quod eſt in intellectu, & ſecundum quod eſt in ſeipſo)* tollit difficultatem.

Quamobrem ipſe Caramuel illud axioma Ariſtotelicum brevius aut negat ſeverus, aut diſtinguit urbanus: nam ſi neceſſitatis nomine intelligatur infallibilitas: illud concedit: ſi determinatio ad unum, & carentia libertatis: negat. Actus enim liber, inquit, ſi eſt, libere eſt; & ſi libere eſt, poteſt non eſſe. Et ſi poteſt non eſſe quando eſt, eſt quidem infallibiliter, & tamen neceſſario non eſt. Hæc ille. Mihi autem videtur axioma prædictum non importare niſi *neceſſitatem ex ſuppoſitione:* & tota difficultas in eo conſiſtere, an res ſint futuræ, quia Deus ſcit futuras? an vero ideo Deus præſciat illas, quia futuræ ſunt? ſi poſterius, clarum eſt præſcientiam divinam, nullam inferre neceſſitatem rei futuræ, quam parum proſpiciens e longinquo caſum cæci in foveam, verſus quam ambulat: Si prius; Deus non operatur niſi convenien-

venienter causarum secundarum naturæ, hoc est cum causis necessariis necessario, cum liberis libere, hoc est relinquendo illis determinationem ex semetipsis, quam absolute quidem impedire potest, permittendo tamen defectum incurrit nullum. Cæterum vide Tract. de Veritate, ubi discutietur quæstio illa, num prædicationum contradictoriarum de futuro contingenti alterutra sit determinate vera, an falsa?

SECTIO VI.

De æquipollentia, & oppositione Propositionum.

XLVIII. Quæstio grammatica est: at quia solet in Logica tractari, hic a nobis vel brevissime tractari debet. Æquipollentia seu æquivalentia dicitur, vi cujus una propositionum idem omnino significat quod altera. Quomodo autem additione particulæ *non*, possint contrarie contradictoriæ & subalternæ ad invicem conciliari, reddique æquipollentes, notus iste versiculus Dialecticorum ostendit, quem vult Card. Sfondrati sufficere pro notitia æquipollentiæ.

Præ contradic. Post contra. Præ postq., Subaltern.

Cujus hic est sensus: Si alteri contradictoriarum præfigas particulam *non*; tunc reddes eam æquipollentem suæ contradictoriæ. v. g. *Omnis homo currit, aliquis homo non currit* sunt contradictoriæ: has reduces ad æquipollentiam præponendo alterutri particulam *non*, dicendo: non omnis homo currit, aut non-aliquis homo non currit.

Sed istam Regulam vulgarem pronuntiamus esse falsam. Nam istæ propositiones *omnis homo est albus: aliquis homo non est albus*, sunt contradictoriæ; & tamen istæ non sunt æquipollentes: *Non-omnis homo est albus, aliquis homo non est albus*. Ergo præscindendo a Regulis facilius erit dicere, hos terminos esse æquipollentes:

- I. Omnis. Nullus-non. Non aliquis non.
- II. Nullus. Omnis-non. Non aliquis. Ne unus quidem.
- III. Aliquis, nonnullus.
- IIII. Non omnis, hoc est, aliquis sic & aliquis non.

XLIX. Ex hoc ultimo apparet Regulam *modo* dictam esse falsam, claudicat enim altero pede; nec sunt æquipollentes termini non-omnis & aliqois-non. Nec hæ propositiones: *Non-omnis homo est albus, & aliquis homo non est albus*, æquipollent. Hoc demonstrat ad oculum oculatissimus Caramuel in labore secundo sui Herculis Logici his verbis: „Non omnis „scit, quid significet hæc vox, *non-omnis*. Complectitur enim hic terminus *non-omnis*, utrumque sub „contrarium *(aliquis, & aliquis non)*. Quod paulo attentius consideranti communem omnium Authorum, tum sacrorum tum prophanorum, modum loquendi, imo vulgi, res tam clara videbitur, ut probatione ulteriore non indigeat. Aut si adhuc hæres, „attende num sequentes propositiones æquis auribus „excipere valeas, tanquam veras, prout esse deberent „juxta Regulam Peripateticorum superiore versiculo „comprehensam, qua volunt τὸ *non-omnis* æquivalere τὸ *aliquis-non*: cum e contradictoriis altera necessario sit vera: harum autem contradictorias evidenter falsas esse non inficiaberis, ergo has veras esse „asserere debebis, quod nimis durum. Sic inquam.

Non-omnes Articuli Fidei sunt falsi.
non-omnis actio Christi fuit mala.
non-omnis homo est equus.
non-omnis triangulus habet tantum duos.
non-omnes Angeli sunt corporei.

Has propositiones quis tolerer? aut si tu illas tanquam veras admittere non graveris; vide qui concoquas istam, nec eam tibi proponenti subirascere: *Non-omnes tui consanguinei sunt venefici*. Nonne statim repones, quid? num aliquos ex iis reputas veneficos? Viden' omnium interpretatione τὸ *non-omnis* comprehendere aliquid plus, quam *aliquis-non*; videl. *aliquis sic, & aliquis non*. Quid clarius?

L. Petes, An subcontrariæ queant per æquipollentiam coincidere? Resp. Hucusque Logicos non statuisse leges de æquipollentia Subcontrariarum; sed Caramuel rescribit idem carmen tantisper alteratum, ut petioni tuæ satisfaciat. Hoc modo

Præ contradic. Post contr. subc. præ postque sub-altern.

Hoc est, sicut particula *non*, præposita uni Contradictoriarum, eam reddit æquipollentem alteri: eadem particula postposita uni Contrariarum, eam reddit æquivalentem alteri, v. g. *nullus homo currit, aliquis homo currit*, contradictoriæ fiunt æquipollentes si dicas, *non aliquis homo currit*. Et hæc omnis homo currit, fit æquivalens suæ Contrariæ nullus homo currit, si postposita particula *non*, dicas, *omnis homo non currit*: sic eodem modo hæc subcontrariæ: *aliquis homo currit, aliquis homo non currit*, coincident si alterutri postponas *non* v. g. *aliquis homo non non currit*.

Cur plura? Adnotare sufficiat omnem Æquipollentiam, aut Oppositionum remotionem a negationum positione: & negationum ipsarum multiplicationem & efficaciam & linguæ idiotismis pendere: quia duæ negationes latinæ asserunt, & in aliis linguis fortius negant.

De oppositione Enuntiationum hæc habe.

LI. Oppositio secundum Aristot. est affirmatio & negatio ejusdem de eodem. Vel sic, est duarum propositionum, idem subjectum & prædicatum habentium diversitas, vel in qualitate, vel in quantitate: v. g. *Petrus currit, Petrus non currit: omnis homo est rationalis, aliquis homo est rationalis*. Nota tamen propositiones subalternas proprie non opponi; solæ enim propositiones, quæ differunt quiditate (hoc est affirmatione & negatione, stricte loquendo dicuntur opponi.

Prima & notissima Propositionum oppositio est, quæ reperitur in singularibus, & definitur esse affirmatio & negatio ejusdem prædicati de eodem subjecto singulari, secundum eadem, ut *Socrates est doctus, Socrates non est doctus*. Et hæ nec simul veræ, nec simul falsæ esse ullo casu possunt: quæ oppositio vocatur *Contradictoria*.

Si quantitatem enuntiationum respiciamus, Vniversalis asserens, in materia contingenti, opponitur contrarie Vniversali neganti, & contradictorie particulari neganti, & subalternat particularem asserentem. Particularis in eadem materia subcontrarie opponitur alteri particulari, & contradictorie universali. Quod si materia non sit contingens, omnis affirmatio & negatio (sive utraque sit universalis, sive utraque particularis; sive altera universalis & altera particularis) erit incompossibilis.

LII.

LII. Pater Fonseca & Conimbricenses negant positionem inter Subcontrarias, eo quod non opponantur quoad veritatem, uti *aliquis homo est albus*, & *aliquis homo non est albus*. Nihilominus tenendum eas opponi proprie, licet enim possint sæpiuscule simul verificari, non tamen queunt esse simul falsæ. Totum oppositionis negotium exhibet Schema subjectum.

Oppositio duarum propositionum secundum qualitatem
- inadæquata
  - in veritate tantum — contrariæ.
  - in falsitate tantum — subcontrariæ.
- adæquata (hoc est in veritate & falsitate simul) — contradictoriæ.

Si materia sit propria aut necessaria omnes illæ propositiones (tam Universales quam Particulares) opponentur adæquate, hoc est nec poterunt esse simul veræ nec simul falsæ; ut patet consideranti seqq. *Omnis homo est animal; Nullus homo est animal. Omnis homo est risibilis; nullus homo est risibilis. Aliquis leo est vivens; aliquis leo non est vivens. Aliquis homo est admirativus; aliquis homo non est admirativus.*

Diximus duas subcontrarias non posse simul esse falsas, adeoque opponi inadæquate, & velles hoc demonstrari. Attende. Sint hæ, *aliquis homo est albus, aliquis homo non est albus*, sint simul falsæ: arguo igitur sic. Est falsum dicere *aliquem hominem non esse album?* ergo nullus est assignabilis, qui non sit albus, quia si vel unus assignari posset, esset verum aliquem hominem non esse album, *nullus* igitur *homo, qui non sit albus*, sive quod idem est, *omnis homo est albus.* Tunc ex illo Principio *Dici de omni* analogizo sic: *Omnis homo est albus*, ergo aliquis homo est albus. Hæc igitur propositio est vera, aliquis homo est albus, atqui a te asserebatur non esse vera, ergo hæc eadem numero propositio est vera & non est vera. Sed esse veram & non esse veram sunt affirmatio ejusdem & negatio de eodem (ejusdem nempe veritatis de eodem subjecto (quod est hæc propositio *aliquis homo est albus)* ergo admittendæ sunt duæ contradictoriæ simul veræ. Prima est, hæc propositio *aliquis homo est albus, non est vera.* Secunda, hæc propositio, *aliquis homo est albus, est vera*; quarum primam supponebas & secundam persuasi. Ne igitur ad similes angustias reducaris, assere non posse dari duas subcontrarias simul falsas.

SUBSECTIO I.

De propositionibus Pluralis numeri.

LIII. Quæritur qua ratione opponantur hi termini *omnes, nulli; aliqui & aliqui non?* Hic iterum novam tabellam affixit Caramuel, in qua erigenda ait: Hoc falso ævo omnia nova, quæ vera. Ut autem eam recte intelligas, adverte I. Errore typographi accidisse, quod in medio decussatim positis terminis legatur *contradictoria* pro *contraria*; prout clare indicat paraphrasis adjuncta.

Observa II. Ut verus sit ascensus ab hac propositione: *Omnes homines sunt albi*, requiri ut ne unus quidem sit niger (hoc est non - albus) homo. Nam si vel in uno aliquo delinquit, factus est omnium reus, & falsitatis condemnabitur.



Pono enim casum, in quo unus tantum homo sit niger, & ille descensus sic debebit fomari. *Omnes homines sunt albi, ergo & isti, & isti* &c. Et in tali casu propositio ista, *hi duo homines sunt albi*, si produceret album & nigrum, esset falsa. Sic similiter ut descensus ab hac propositione: *Nulli homines sunt albi*, verus sit, requiritur ut nec unicus albus existat. Potest itaque utraque esse simul falsa, non autem esse simul vera. Oppositio igitur harum propositionum est contraria. Particulares illæ, *aliqui homines sunt albi, & aliqui non sunt albi*, possunt esse simul veræ, imo de facto sunt; nam & æthiopes sunt non - albi; & albi universi Europæi. Imo eædem propositiones simul falsæ esse possunt; si enim darentur duo solum homines, alter albus, & alter non-albus, esset falsum *aliquos esse albos*, esset falsum *aliquos esse non-albos*, adeoque *aliquos non esse albos:* Ergo particulares istæ disparatæ sunt, siquidem nec veritate nec falsitate sibi opponuntur.

LIV. Hinc veniendo ad has, *omnes sunt albi, aliqui non sunt albi*; & ad illas, *nulli sunt albi, aliqui sunt albi*, dico omnes quatuor stando in hypothesi, esse falsas, adeoque contradictorie non opponi: adde non dari casum in quo simul possint esse veræ, & quia veritate sola pugnant, pronuntio illas esse contrarias. Ita Caramuel. Ex cujus sententia manifestum est supra dictam Regulam de oppositione Propositionum videl. *Pra contradictorie* &c. fallere in propositionibus pluralis numeri; sequeretur enim duas contradictorias simul esse falsas, aut unam eandemque propositionem esse simul veram & falsam, id enim evidenter infertur si discursu parallelo arguas in hoc casu, prout ipse Caram. supra de subcontrariis.

LV. Dices: In casu dato quod tantum duo darentur homines, alter albus, alter niger; hæc propositio, *aliqui homines sunt albi*, erit quidem falsa. Hæc tamen erit vera, *aliqui non sunt albi*, quia ut vera sit, sufficit quod alter non sit albus.

Contra est I. si ponamus duos homines, videntem & cœcum: non erit verum dicere, hi duo sunt cœci, sive hi non vident (ut fatetur Sfondrati & quis neget?) ergo nec verum erit dicere, propositis duobus, albo & nigro, hi non sunt albi.

Contra II. Istæ propositiones asserentes:

Omnis

Omnis homo est albus.
Omnes homines sunt albi.
Isti homines sunt albi.
Omnes isti homines sunt albi.
Aliqui homines sunt albi.

essent in data hypothesi æquipollentes; non enim petunt plures, nec possunt de pluribus verificari.

Nullus homo est albus,
Nulli homines sunt albi, æqui-
Isti homines non sunt albi, pol-
Omnes isti non sunt albi, lentes.
Aliqui non sunt albi.

LVI. Instabis: Si hæc propositio, *aliqui non sunt albi*, non opponitur contradictorie huic: *Omnes sunt albi*, sed contrarie juxta tabellam, ita ut in hypothesi data (quod in rerum natura tantum duo dentur, Abel albus, & Cain niger.) utraque sit falsa, sequeretur I. Etiam hanc fore falsam; *hi homines non sunt albi*, quia æquipollet priori. Si ita: sequeretur II. duas contradictorias dari simul falsas, quod sic ostendis. Hæc erit falsa, *hi homines non sunt albi*; & hæc quoque falsa, *hi homines sunt albi*; atqui hæ sunt contradictoriæ: Ergo habebimus duas contradictorias simul falsas. Resp. N. min. ultimi Syllogismi, quia stando hypothesi utramque esse falsam; sicuti si diceres. *Hi sunt innocentes*; &, *hi non sunt innocentes*. Nec enim opponuntur nisi contrarie.

LVII. Urgebis: Quænam igitur erit contradictoria huic, *aliqui non sunt albi?* Resp. hanc esse, *Falsum est aliquos non esse albos*. Similiter hujus, *isti homines non sunt albi*, contradictoria est, *falsum est istos homines non esse albos*, vel *esse non-albos*. Non enim recte inferes, *ergo verum est illos esse albos*, quia ut verificentur hæc propositiones: *aliqui sunt albi. Isti sunt albi*, & cæteræ æquipollentes, requiritur ne unum quidem ex illis esse nigrum, sed duos saltem esse albos. Patet in his propositionibus: *Omnes homines salvantur, aliqui non salvantur*, loquendo in hypothesi, quod unus tantum salvetur. Item *omnes homines vident, aliqui non vident*, in hypothesi quod unicus in binario sit cœcus; certe omnes 4 sunt falsæ, adeoque non opponuntur adæquate. Vide plura de hoc in Tract. XLV. De terminis.

SUBSECTIO II.

De Oppositione Modalium.

LVIII. Hactenus de oppositione Propositionum absolutarum, singularibus notis & pluralibus affectis, quæ videri posset paradoxa præjudicio præoccupatis: eam tamen tenet nobiscum P. Thomas Comptonus Disp. 6. de proprietatibus propositionum, sect. 3. num. 3. ubi hæc habet: „ Advertendum, differen„tiam esse inter terminos signis pluralibus affectos, „& singularibus. Nam singularia distribuunt divi„sive per singula individua; pluralia vero sumun„tur non pro singulis individuis; sed pro colle„ctionibus eorum. Unde, *omnes homines currunt*, „non debet resolvi, sicut *omnis homo currit*, nempe „*hic homo currit*, & *ille homo currit* &c., sed hoc mo„do, *hi homines currunt*, & *illi homines currunt*. Unde hæ non sunt contradictoriæ:

Omnes homines currunt,
Aliqui homines non currunt.

„sed potius contrariæ, cum simul falsæ esse possint, „si omnes currant præter unum. Unde *non-omnes* Istæ autem.

Nulli ex istis sunt albi.
Aliqui ex istis sunt albi.
Aliqui ex istis non sunt albi

non supponerent; quia requirunt ut minimum tres, ut possint verificari. Istæ autem negativæ essent omnino falsæ, sicut & illis æquipollentes, videlicet:

Omnis homo est non-albus.
Omnes homines sunt non-albi.
Isti homines sunt non-albi.
Omnes isti sunt non-albi,
Aliqui sunt non-albi

non æquipollet huic, *aliqui non*: sicut *non omnis*, „ huic *aliquis non*. Quæ omnia clare ex inferius se„ quenti tabula innotescent. Hucusque Comptonus.

At Caramuel observavit, vel errore Typographi (prout & nos deprehendimus in Tabella ipsius Caramuelis num. 647. & num. 672. accidisse) aut Authoris incuria tabellam illam Authoris doctrinæ non correspondere. Sufficit interim doctrinam subtilis & eruditi hujus Viri nostræ consonare. Vide Supplem. XIII.

LX. Peripatetici tam cœco feruntur in Stagiritam Magistrum suum affectu, ut putent nihil esse verum in Mundo, quod ab eo non fuerit asserrum; nihil falsum, quod non fuerit negatum; maluntque cum eo errare, quam demonstratam aliunde veritatem agnoscere. Fateri tamen coguntur plurima eum fugisse, quæ nostro & præcedentibus seculis in lucem prodiere. Ita præter Modos ab eo assignatos, videlicet: *Necessitatis, Impossibilitatis, Possibilitatis* & *Contingentia* sequentes hodie in Scholis audimus: Liberum & necessarium; fallibilem & infallibilem; improbabilem & mere probabilem, magis probabilem, æque probabilem, minus probabilem, evidentem & inevidentem, dubium & certum, fide divina stabilitum, fide humana tenendum, certum moraliter, per se notum, censura dignum, temerarium, periculosum, pias aures offendentem, erroneum, scandalosum, proximum hæresi, & denique hæreticum. Hoc loco de quatuor istis agemus, nempe quid *Necessarium, Impossibile, Possibile* & *Possibile-non*.

LXI. Propositio *simplex*, aut ut alii loquuntur, *de inesse*, vocatur, quæ caret his aut similibus *Modis*; *Modalis* autem, quæ uno ex illis afficitur. Exposuimus oppositionem simplicium, ergo facillime intelligemus oppositionem Modalium, si illas ad simplices reducamus. Ita sentiunt doctissimi Viri, Card. Sfondrati, & noster Caramuel. At qui fiet Verbum istud? audiamus priorem, Lib 2. Log. in fine. Circa propositiones Modales notentur sequentia.

LXII. Notandum 1. Ad has propositiones parum refert, utrum Modus *nominaliter* an vero *adverbialiter* sumatur: hæ duæ siquidem idem sonant: *Petrus contingenter currit*, & *Petrum currere est contingens*.

Notandum 2. Ex Modis duo sunt universales, *necesse & Impossibile*: duo Particales; *Contingens & Possibile*. Censetur autem Modalis *negativa* quando Modus negatur, etsi Dictum affirmetur: erit etiam *universalis* si Modus sit *universalis*, quamvis *Dictum* sit *particulare* v. g. hæc, *necesse est Petrum esse animal*, est *universalis*. Et hæc, *contingens est Petrum non currere*, est *affirmativa*.

Notandum 3. Omnes propositiones Modales veræ, sunt *necessariæ*. Licet enim hæc de inesse sit contingens, *Petrus currit*, hæc tamen modalis est necessaria, *Petrum currere est contingens*. Sic etiam licet ista sit modalis, *Petrus contingenter currit*; hæc tamen, *Petrus contingenter currit est propositio modalis*, in actu exercito non est propositio modalis, sed absoluta: sicut etiam hæc est propositio categorica, nec in actu exercito conditionalis. *Si bos habet alas, volat, est propositio conditionalis*, quia copula est verbalis.

Notandum 4. Optimus & facillimus modus reducendi Modales ad suas *de inesse* est, si Modus convertatur in prædicatum, v. g. ista *Petrus est necessario animal*, reducitur ad hanc, *Petrum esse animal est res necessaria* vel, *animalitas est prædicatum Petri necessarium*, & ista, *Contingit Petrum currere*, in hanc, *Cursus Petri est res contingens*.

Respondeo ad Caramuelem, Virum in quo Virtutes & omnigenæ Scientiæ certabant de primatu, qui in scriptis sæpe a Peripateticis abiit, non ut singularis videretur, sed ut dedoceret errores, quos superstitiosa erga Ethnicum reverentia in omnes Scholas invexerat. Quod idem intendit præstare Thomas Campanella, uterque infelix in eo, quod plures contra se Invidos exciverint, quam asseclas, nempe Invidia Virtutis umbra est.

Ait itaque difficultatem quæstionum a modo tractandi dependere; & præsentem quæstionem de Oppositione Modalium, quæ hucusque insuperabilis visa plurimis, reddi facillimam, reducendo Modales ad simplices. Sic inquit:

Hæc, *Necessarium est hominem esse animal*, æquivalet huic: *homo debet esse animal*, & huic, *homo non potest non esse animal*. Hæc, *impossibile est Equum esse lapidem*, huic, *Equus non potest esse lapis*, & huic, *Equus debet non esse lapis*. Hæc, *possibile est hominem esse viridem*, huic, *homo potest esse viridis*. Et tandem hæc, *Possibile est hominem non esse bipedem*, huic, *homo potest non esse bipes*. Quid verius? quid clarius? Sane harum simplicium, in quas Modales transiverunt, Contrarias, Contradictorias, Subcontrarias, addito signo universali aut particulari, designare tam est facile ut expositione non indigeat.

SECTIO VII.

De Conversione Propositionum.

Agemus primo de Conversione Simplicium, deinde Conversione Modalium.

LXIII. Conversio propositionum definitur, subjecti in Prædicatum & prædicati in subjectum illæsa veritate commutatio. Quod contingit tripliciter. I. Simpliciter. II. Per accidens. III. Per contrapositionem. De hac tertia Arist. nihil tradidit, quia ad Reductionem Syllogismorum non conducit, ait Chrysost. Javellus Tract. 3. Logicæ cap. 2. an vere? patebit ex decursu. Eam inventam fuisse a Boetio tradit Joann. Lalemandet *Apparat. Isagog. partis.* 5. columu. 59. P. Arriaga eam propter obscuritatem dicit inutilem. Vnde non mirum quod perspicacissimus alioquin Caramuel circa eam deceptus fuerit docendo particularem affirmativam æque ac negativam converti posse per contrapositionem, quod tamen falsum esse demonstrabimus infra.

Convertuntur *simpliciter* omnes illæ propositiones, quæ servant priorem quantitatem, hoc est, si universalis, in universalem; & particularis in particularem convertatur. Si mutetur propositionis quantitas, dicitur Conversio facta *per accidens*. ut, *omnis homo est animal*, ergo, *aliquod animal est homo*. Cum adduntur negationes infinitantes, propositio *per contrapositionem* converti dicitur, ut *Omnis homo est vivens*, ergo *omne non-vivens est non-homo*, sive quod idem est, ergo nihil quod non vivit est homo. His positis

LXIV. Propositiones quæ utiliter converti possunt, sunt Vniversales, Particulares, singulares, quarum quantitatem & qualitatem Dialectici indigitant per literas A. E. I. O. Nempe A. Vniversalem affirmativam, E. Vniversalem negativam, I. Particularem affirmativam, O particularem negativam denotat, juxta versum:

Asserit A, negat E, sed universaliter ambæ:
Asserit I, negat O, sed particulariter ambo.

Primo igitur Vniversalis affirmativa (si materia sit propria, aut differentialis) *simpliciter* potest converti: in omni autem materia (necessaria, contingenti) *per accidens*. Item per Contrapositionem E. g. *Omnis homo est risibilis*, ergo *omne risibile est homo*. *Omnis homo est animal* ergo *aliquod animal est homo*. *Omnis homo est bipes*, ergo *aliquod bipes est homo*. Item per Contrapositionem: *Omnis homo est substantia*, ergo *omne non-substantia est non-homo*, hoc est, nihil quod non sit substantia est homo.

Secundo, Vniversalis negativa converti potest simpliciter in omni materia. Item per accidens, ut, *nullus homo est vitreus*, ergo *nullum vitreum est homo*. *Nullus homo est lapis*, ergo *aliquis lapis non est homo*.

Tertio. Particularis affirmativa in omni materia convertitur simpliciter. Si materia sit propria aut differentialis, non solum simpliciter, sed & per accidens converti poterit; ut, *aliquis homo est risibilis*, ergo *omne risibile est homo*. Item si fuerit materia necessaria, & propositio, particularis indirecta. Ideo hæc consequentia: *aliquod animal est homo*; ergo *omnis homo est animal*. Huc apponere licet Definitivas.

Quarto. Particularis negativa per contrapositionem recte convertitur. E. g. *Aliquis Monachus non est doctus*, ergo *aliquis non-doctus est non Monachus*. Sive, *aliquis non doctus est Monachus*. Sed hæ locutiones barbaræ sunt, a quibus abstinendum: quia Dialecticus ita debet saltem loqui, ut ab audientibus intelligatur.

Si Materia *remota* sit, particularis negans *simpliciter* & *per accidens* converti poterit. Ex. g. *aliquis homo non est lapis*, ergo *aliquis lapis non est homo*, ergo *nullus lapis est homo*.

Quinto. Propositio definitiva quantacunque illa sit, simpliciter & per accidens convertitur.

Sexto. Enunciationes singulares sequuntur Leges Particularium.

Et hæ sunt Conversionis Leges: at quia diversæ propositionum materiæ diversas exigerent, dabimus Vni-

Vniversales, quæ in omni materia sint veræ, & comprehenduntur hisce versiculis.

Simpliciter fEcI convertitur; EbA per accid.
AstO per contrap. Sic fit conversio tota.

Quos sic intellige. In omni materia, E & I. (hoc est Vniversalis negativa, & Particularis affirmativa) possunt converti simpliciter. E & A. (hoc est Vniversalis tam affirmativa, quam negativa) convertuntur per accidens. Et tandem A & O. (hoc est, Vniversalis tam affirmativa, & particularis negativa) convertuntur per contrapositionem. Quæ omnia bene notanda, utpote pernecessaria ad Reductionem ostensivam, ut vocant, Syllogismorum, qua de vide Tract. XII. De Arte Syllogistica.

LXV. Hic observa D. Caramuel in sua Metalog. Lib. 7. Disp. 4. art. 4. & Log. Voc. art. 39. ampliasse regulas Conversionum; dum enim quæritur, An Particularis affirmativa possit per contrapositionem converti? Respondet affirmative; & quia omnes possunt, Regulam universalem addit, reformando alterum versiculum sic:

AcIO per contrap. - - - - - - -

quam exemplis seqq. illustrat.

Aliquis homo est animal:
E. *Aliquod non-animal est non-homo.*
Aliquis Leo currit.
E. Aliquod non-currens est non-Leo.
Aliquis canis latrat
E. *Aliquod non-latrans est non-canis.*

LXVI. Sed ista correctio potuisset intermitti. Recte enim advertit Eximius P. Henricus Heinlein *Disp. 2. Log. art. 4. §. 2. num. 135.* conversiones hujusmodi universaliter non procedere. Probat hoc exemplo (quod tamen mihi videtur minus aptum) isto: Non enim valet, *aliquis homo est doctus*, ergo aliquod *non-doctum est non-homo.* Quasi vero de lapide non possem dicere, quod sit non-doctus; aut, asinus est non doctus. Esto male dicerem lapis est indoctus, aut asinus est indoctus. Certe Bruta esse docilia saltem aliqua) nemo negabit; legimus namque 2. Macchab. 6. v. 30. Elephantos 32. doctos ad prælium; & Campanella refert asinum & capram funambulos se vidisse: ut nil dicam de canibus & equis: dantur ergo animalia docta & indocta præter hominem: quin imo subinde Bruta majore pollent Rationis usu quam nonnulli homines, quos recte brutales dixeris. Videamus ergo num aptiore instantia convelli possit novum hoc dogma. Sic inquam. Hæc propositio infinita, *aliquod animal est non-homo*, aut hæc, *aliquod non-homo est animal*, sunt particulares affirmativæ, fatente Caramuele. At hæ non possunt converti per contrapositionem, quod ostendo: Nam prima deberet sic converti:

Aliquod animal est non-homo
E. *Aliquod non non homo est non-animal*

quæ barbara propositio æquipolleret huic: *aliquis homo est non-animal* (duæ enim negationes in latinismo faciunt unam affirmationem Ipsomet fatente (quæ tamen propositio evidenter falsa est, dari hominem qui non sit animal.

Similiter posterior male sic converteretur,

Aliquod non-homo est animal:
E. *Aliquod non-animal est non non-homo (sive homo).*

Rationem autem reddit Doctor Heinlein num. 135. cit. istam. Ideo solum potest propositio Vniversalis affirmativa converti per contrapositionem, quia subjectum propositionis conversæ sumitur distributive, & vel est terminus convertibilis cum prædicato, vel inferior illius. Atqui subjectum propositionis particularis potest esse terminus communis, qui neque sit terminus convertibilis, neque inferior, sed superior, ut si dicatur: *aliquod animal est homo*, subjectum scilicet *animal*, est terminus superior hominis, ergo ut sic non potest fieri conversio per contrapositionem. Maj. patet; min. prob. Si *aliquod animal*, prout in propositione ponitur, esset terminus inferior hominis, tunc valeret hæc consequentia: Equus est aliquod animal, ergo equus est homo, quia ab inferiore ad superius valet consequentia. Ratio a priori est, quia tametsi τὸ *aliquod* limitet animal, attamen attingit disjunctive omnia, & se tam late extendit quam ipsum animal, & ideo non potest esse terminus inferior respectu hominis.

LXVII. Modalium Conversionem quod attinet, nam & hæ non minus ac simplices converti possunt servata totius Enuntiationis veritate. Vt autem in praxi nullus error subrepat, scire debes propositionum alias esse essentiales adæquate, in quibus vid. prædicatum convenit omni & soli subjecto, & vicissim, ita ut separari non possint. Alias accidentales adæquate, in quibus tam prædicatum sine subjecto, quam hoc sine illo dari potest. Alias in quibus quidem alterum Extremum sine altero esse potest; at non vicissim.

Dicendum ergo 1. In specie, Differentia & Proprio (nimirum cum alterum de altero prædicatur) *Dictum*, seu Vniversale sit, seu particulare affirmativum aut negativum, simpliciter converti posse.

2. In materia pure contingenti seu accidentali omnem propositionem factam in Modis *Necessario* & *Impossibili*, esse falsam; omnem factam in *contingente, possibili* & *possibili-non*, esse veram. Addo, verarum *Dictum* (quodcumque & quantumcunque sit illud) simpliciter converti posse. Do Exempla: *Possibile est omnem hominem esse album: possibile est omne album esse hominem*, hoc est, possibile est nullum dari album, quod non sit homo.

3. In materia mixta, aut prædicari genus de speciebus, aut differentiam speciemve de genere; ut cum dicimus: *Omnis homo est animal: aliquod animal est rationale, aliquod animal est homo.* Addo, primam esse veram in Modo *Necessario* & *Possibili*; falsam *in Impossibili*, & *possibili non*; & converti hoc modo: Necessarium (vel possibile) est, omnem hominem esse animal, ergo necessarium posse dari aliquod animal quod sit homo, ergo possibile nullum in rebus dari animal, quod non sit homo.

Vbi notare debes, non esse necessarium quoad existentiam animal quod sit homo; bene tamen quoad possibilitatem; & subnotare, non fore vel unum animal, quod non esset homo, si Deus omnia bruta interimeret

Subjungo, secundam & tertiam esse falsas in Modis *Necessario* & *Impossibili*; veras in *Possibili* & *Possibili-non*, & *Contingente*; & sic Posse converti: Possibile, (vel contingens] est aliquod animal esse

(vel non eſſe) hominem (vel rationale). Item, poſſibile eſt nullum dari animal quod non ſit homo. Ergo neceſſarium eſt omnem hominem (omne rationale) eſſe animal.

4. Dico, de materia repugnante eodem modo, ac de Neceſſario eſſe philoſophandum: quia ſi eſt impoſſibile hominem eſſe lapidem, eſt neceſſarium hominem eſſe non-lapidem. Vnde ſicut neceſſitas alia, ut dicebamus, eſt adæquata & mutua, & alia inadæquata: ſic etiam impoſſibilitas.

5. Ex Neceſſario ſemper inferri poſſibile: ex Impoſſibili, Poſſibile-non; ex Omni aliquod; ex Nullo aliquod-non. Videat Lector Curioſus Herculis Logici Caramuelis laborem tertium, ſeu num. MCCCLXXIX.

TRACTATVS XXXIX
DE
QVALITATVM NATVRA ET ORIGINE.

I. Accurata Qualitatum tractatio ad Phyſicam vel Metaphyſicam pertinet; In limine autem hujus Tractatus notandum, nomen Qualitas eſſe generaliſſimum, adeo ut omnia tranſcendat Prædicamenta, ut patebit in decurſu. Hinc P. Jo. Bapt. Ptolomæus diſſert. 22. Phyſicæ Gener. titulum præfigit: *De qualitatibus, & qualificationibus corporis naturalis.* Vbi primo reſtringit qualitatem ad corporis duntaxat affectiones, cum utique & Spirituales dentur qualitates. Secundo deſignat velut ſpeciem geminam affectionum corporearum, quas ad evitandam litem, noluit appellare, unam *accidens*, alteram *modum*: quoniam adhuc ſub Judice lis eſt, num omnis Qualitas corporea ſit accidens abſolutum & omnis qualificatio ſit modus. Mox ſubdit: *Qualitas*, ut diſtinguitur a *qualificatione*, accurate ſic deſcribitur: *Affectio, vel modus, vel determinatio actuoſa & energica ſubſtantiæ. Qualificatio* vero eſt, *vel* modus, vel affectio, quæ *ſtatum ſenſibilem* corporis naturalis, vel infert, vel conſtituit. Quod exemplificat in *Calore* & *Perſpicuitate.* Illum vocat qualitatem; hanc qualificationem: quia calor eſt quid activum: econtra perſpicuitas ſeu diaphaneitas, nullam importat vim ſeu virtutem hujusmodi operatricem, ſed potius conſiſtentiam & ſtatum, quod, ait, peripatetice dici principium ſecundarium quietis.

II. Itaque perinde eſt de qualificationibus, ac ſtatibus corporum diſquirere: ſunt autem illi ſtatus fere ſequentes: *intenſum, remiſſum, rarum, denſum, humidum, ſiccum, opacum, diaphanum, molle, durum, liquidum, viſcoſum, lentum, pingue, tenue, craſſum, fragile, friabile, flexibile, elaſticum, ductile, ſecabile*, & ſi qua ſunt alia.

Idipſum de qualitatibus actuoſis corporum, ſeu virtutibus ſenſibilibus fac intelligas. Sunt enim fere hujusmodi: *calor, frigus* (quæ primæ qualitates vocantur). Præterea *lux* & *lumen, color, ſonus, ſapor, odor* isque multiplex: his annumerat qualitates *ſpecificas* ita dictas aut occultas: præterea ſenſationes corporum viventium; de quibus omnibus illud monet, & prudentiſſime quidem, non unam ferri poſſe generalem ſententiam: ſingulæ enim fere qualitates, & ſinguli ſtatus corporis peculiarem ſibi vendicant ſpeculationem, eamque ex propriis ducendam, non ex communibus & genericis: quod qui minus obſervant, Poetarum potius ritu, quam Philoſophorum, naturam pertractant, & fabuloſum quandam rerum naturalium conſtitutionem fingunt, quam deinde Logicis phraſibus & verſiculis exornent.

Nos, omiſſis illis, quæ jam alibi explicuimus, prout de raro & denſo &c. hic inquiremus. 1. originem qualitatum, & occaſione ſumpta ex definitione S. Thomæ, naturam Modorum prout diſtinguuntur ab accidente phyſico examinabimus. Dein qualitates actuoſas (calorem & frigus) conſiderabimus.

SECTIO I.

De Qualitatum exiſtentia, notione, diviſione & proprietatibus.

III. Qualitas a Philoſopho definitur, *ſecundum quam quales quidam dicuntur.* Quam definitionem plerique derident, quod ea nihilo doctiores nos efficiat: eſt enim huic ſimilis, qua albedo aut lux definiretur, id quo res dicitur alba, aut lucida. Nihilominus tamen a Peripateticis in gratiam Ariſt. ſuſtinetur, quem excuſant, quod ſuprema genera vix accurate definiri poſſint, & Qualitas inprimis, quæ latiſſime fuſa eſt, atque ad omnia fere pertinet, tum quia tantum Definitio nominis eſt, non rei, qualibus uti ſolent Geometræ, ait Ptolomæus.

IV. Hinc Qualitatis acceptio eſt multiplex. Nam 1. Sumitur pro omni differentia etiam eſſentiali, quæ idcirco a Porphyrio dicitur qualitas. 2. Pro omni accidente, quod ſcilicet prædicatur in quale. 3. Pro accidentibus hujus Categoriæ, per quæ reſpondemus proprie ad quæſtionem factam, qualis res ſit.

Qualitas hoc modo intellectu definitur a S. Thoma: *Modus vel determinatio ſubſtantiæ, vel eſſentiæ*, quam etiam approbat Ptolomæus, vultque latiſſimo nomine determinationis & modi comprehendi accidens abſolutum, & Modum ſtricte appellatum; quæ interpretatio minus nobis placet, prout etiam diſtinctio quam facit inter Qualitatem & Qualificationem: nec enim diſcrimen, niſi quoad voces, apparet inter determinationem modalem, affectionem &c. nonne omnis qualitas qualificat, ut albedo albefacit?

V. Porro volunt communiter Qualitatem prout ſpeciale Prædicamentum conſtituit eſſe accidens abſolutum, ut diſtinguatur a 7 ultimis Prædicamentis reſpectivis. A Quantitate autem in hoc, quod ſubſtantiam modificet & determinet: nam quantitas, ajunt, ſubſtantiam extendit, ſed non determinat, imo ipſa qualitate eget, ut determinari poſſit; unde figura, quæ eſt qualitatis ſpecies, nihil eſt præter terminum quantitatis. Phil. Burg. tom. 1. de prædic. q. 3. Sed hæc omnia ſtrident: quid enim minus abſolutum, quam Figura? Si figura terminat & modificat quantitatem ut ſit triangularis, rotunda, quadrata &c. & quantitas ſupponatur eſſe accidens abſolutum, quo-

quomodo ergo dicetur afficere & determinare Substantiam? & quænam illa, materia, an forma?

VI. Rem itaque paulo altius repetamus. Prædicamenta, juxta Aristot. dogma recte quidem desumuntur juxta modum Prædicandi de Substantia. Verum Arist. non satis declarat, quod vult. Si enim Accidentia constituunt Prædicamenta quatenus significantur in abstracto, quia sic (uti docet contra Avicennam,) sunt partes Entis per se, in concreto vero Entis per accidens, quod in Prædicamentum non ingreditur. Ergo non erunt Prædicamenta a modo prædicandi de Substantia: sic enim sunt concreta & per accidens, sed a modo existendi per modum substantiæ, sicut ipse dicit in abstracto; quo quidem modo non prædicantur de substantia, sed de invicem, superius de inferiore, ut albedo est color, scientia est Habitus, &c.

VII. Item si prædicationes per modum substantiæ constituunt Prædicamentum, & omne Ens propriam habet essentiam seu substantiam, ut ipsi loquuntur, tunc debuit unum Prædicamentum de Essentia fieri, in quo omnes modi prædicandi inter se ejusdem generis continentur. Nam non minus substantialis est hæc, *albedo est color*, quam *Socrates est animal*. Ergo si fit primus modus prædicandi, quando prædicatum est idem cum subjecto; secundus, quando inhæret subjecto, tertius quando denominat ab extrinseco: Igitur cum in hac prædicatione, *albedo est color*, & *triangulus est figura*, dicatur de subjecto id quod est subjectum ut in primo; non sola erit prædicatio hæc constituens substantiæ genus, sed omnia genera. Nam Genera sunt diversa, ut ajunt, a diversis modis essendi, & faciunt prædicationes essentiales sub se cuncta: quatenus autem genus de altero prædicatur; sit accidentalis prædicatio: non ergo hoc accidentale facit genus, sed essentiale: & ita sane ordinantur Prædicamenta. Ita enim accidentalis est, hæc, pater vel albus vel musicus est homo; sicut ista, homo est albus, vel Musicus, vel pater. Nam & hæc, Triangulus est ligneus, ab Aristot. accidentalis dicitur, & vere: Et in Prædicamento *ad aliquid* dicitur, quod servus refertur ad Dominum in quantum Dominum, non in quantum hominem, aut bipedem, aut animal: hæc enim, air, accidentia sunt Domino in quantum relativo; sicuti esse vicinum refertur ad vicinum: accidit autem vicino esse columnam vel hominem, & ita dices de cunctis generibus.

Non ergo prædicamentum substantiæ facit prædicatio prædicati, sed quod est idem cum subjecto. Nam in omni genere est hæc identitas intra suam categoriam. Quapropter facienda erant duo Prædicamenta analoga, alterum de Essentia, alterum de accidente, quod copulat diversas essentias. Deinde constitutis univocis essentiarum categoriis, sufficiebat unum Prædicamentum de Accidente pertinente, ad Existentiam exteriorem.

VIII. item non recte docuit Arist. juxta sua principia prædicata inhærentiæ absolutæ esse duo, alterum a materia scilicet *Quantitas*: alterum a forma scil. *Qualitas*; & unum *Respectivum* scil. *ad aliquid*. Quantitas enim ex non-quanto fieri & fluere nequit in doctrina Aristotelis: nec enim lineam facit ex punctis, sed ex lineis; nec corpus ex superficiebus, ut docet contra Platonem: Quomodo ergo nunc fluet ex materia penitus incorporea, & minus quanta quam punctus, corpus & quantitas? cum nec ex punctis & superficiebus quantis fieri possit Aristoteli?

At si propterea, quod formæ materia unitur, habet ut causet quantitatem: igitur hoc non a se, sed a forma illi venit. Quæ forma rursus cum nec sit quanta, non potest quantitatem dare: multo autem minus materia, quæ est potentia tantum passiva, cujus est recipere solum, non dare, palam etiam erit, quod nec compositio non quantorum faciet quantitatem, quando Peripatetici punctum puncto additum quantum non facere majus decernunt. Rectius ergo nos posuimus corpus naturale & substantiale, cum S. Thoma. opusc. 42. sortiri quantitatem, cum terminos certos adipiscitur: quantitas enim terminus & mensura substantiæ est: corpus autem Physicum substantia est. Et quia forma ipsum determinat, eatenus forma dat ipsi quantitatem, quatenus quantitas est mensura tantæ, videlicet materiæ, quanta sufficit formæ eam occupanti ut patet in omnibus. His ita se habentibus, & probe perceptis.

IX. Qualitas mox sequitur ut modus tantæ quantitatis seu magnitudinis. Quapropter non ex materia non quanta fluit quantitas, nisi sumatur pro corpore substantiali, quod nobis est ipsa materia: sed a certo gradu & usu formatum, quæ statim terminatæ moli dat figuram, sive intraneam sive extraneam; quæ Qualitas est modusque passivi activique principii: Illud est a forma, & præcipue Aristoteli & D. Thomæ; nec minus falsum esse, omnem qualitatem a forma prodire. De activis enim qualitatibus verum est, non de passivis.

X. Qualitas itaque modus est quantificatæ substantiæ, & omnium accidentium, ut & D. Thomas comprobat in 2. 2. Præterea intellectus habet qualitates suas, nempe virtutes, omni materia formaque carentes. Et unumquodque agens voluntarium modificat & qualificat actus proprios largiturque illis certam quantitatem & qualitatem.

Non ergo Prædicamenta Quantitatis & Qualitatis sunt a Materia & forma physica tantum, nec univoca. Peripatetici insuper de materia quidpiam enuntiare non debent, cum illis nec sit quid, nec quale, nec quantum, sed potentia ad recipiendum, non ad dandum, quiditatem, qualitatem & quantitatem.

XI. Præterea non recte dicitur Quantitas, & Qualitas, quasi absolute consequi materiam & formam: & quæ in sunt respective constituere ad aliquid; siquidem & Quantitas est respectiva. Est enim quanti quantitas; & si magna vel parva est, respectiva est, teste Aristot. & quidem si multa aut pauca, aut bicubita aut tricubita, aut dupla &c. semper respectiva est, & radicaliter videtur esse respectus: quoniam tanta est magnitudo in materia, quantam determinat sibi forma ad proprium usum. Non ergo quantitas est a se, & gratia sui, sed agentis gratia formæque, & usus ejus; alias in quolibet subjecto eadem esset quantitas.

Item Qualitas refertur ad quale. Est & qualis, & qualificantis & qualificati qualitas; & sicut modus est ad aliquid, ita & ipsa non propter se dui taxat est. Omitto autem, quod & similitudines & æqualitates secundum hæc prædicata dicuntur & sunt delationes. Sed his missis videamus audentur quædam qualitates absolutæ, realiter distincta a substantia?

SECTIO II.

An dentur Qualitates absolutæ?

XII. R. P. Aloysius Kimmet inter Errores Peripateticorum secundo loco ponit istum: *Qualitas est accidens absolutum.* Quod effatum non uno modo erroneum esse probat. Inprimis enim supponit qualitatem & accidens esse terminos convertibiles; quod verum esse ipsimet vulgares negare coguntur: nam quantitas eis similiter est accidens, & quidem pariter absolutum; constituit tamen distinctum prædicamentum. Deinde supponunt qualitatem semper esse accidens, cum tamen aliquod prædicabile sit *in quale necessarium*, & aliquod *in quale essentiale*; & ideo aliqua qualitas substantialis subjecto, ut vis naturalis, uti potentia intelligendi, cujusmodi Aristot. & D. Thomas qualitates appellant, minime accidant. Quod autem sint accidentia absoluta, pariter & manifeste erroneum est. Nonne enim imbecillitas ac defectus potentiæ, figura quoque & habitus, sunt qualitates, quæ tamen absque subjecto existere repugnat? Et mirum valde quod inter reliquas qualitatis species numerent Figuram, quam posse creative existere, nemo nisi insipiens dixerit. Et nonne qualitates hominis sunt esse divitem, nobilem, juvenem, senem, sanum, ægrum; qualitates agrorum esse fertilem, cultum, arenosum, sterilem, lapidosum; qoalitates arborum esse proceras, nodosas, frugiferas & sexcenta talia, quæ nec dormiens quidem asserat este accidentia absoluta.

XIII. Sunt ergo plura genera qualitatum (ait pag. 415. die VII. Iul.) quorum tantum unum est accidens, cæteræ sunt qualitates quidem, sed substantiales vel essentiales, sive tales, sine quibus essentia subjecti, cujus sunt, non potest consistere. *Tot* nempe *sunt suprema genera qualitatum*, ait Porphyrius, *quot classes prædicabilium in quale.* Nam genera quidem prædicantur de certo subjecto, sicut & species, quiditative; cætera qualitative. Sic de auro dicitur metallum quiditative tanquam genus: cujus perfectio differentialis & constitutiva est modus ille singularis complexionis & conjugationis partium, ita ut hæc cum ratione metalli generica faciat totum, quod est aurum, speciem scilicet, quæ & ipsa prædicatur *in quale quid*; nimirum quiditative de specie, cujus pars est, & qualitative de genere sive de metallo generatim, cujus determinativa est. Ex complexione manat necessario liquabilitas & ductilitas tanquam proprietas essentialis & necessaria, & dicitur de specie *qualitative necessario.* Denique status actualis vel concretionis vel liquationis &c. est accidens, sine quo esse species potest: non quod possit existere & subsistere ille status seorsim, uti posset, si esset accidens absolutum, sed quod illo species carere possit. Vnde iste est *modus accidentalis & contingens*, cum proprietas & differentia sint modi vel qualitates substantiales, essentiales, & necessariæ, sine quibus species esse non potest. Hucusque Kimmet.

XIV. Porro Peripatus Qualitatum corporearum alias statuit quatoor *primas*; sive *Elementales 4.* primorum sive elementalium corporum aëris, ignis, terræ, aquæ, *frigus* & *calorem*, *siccitatem*, & *humiditatem*. Secundas vocant reliqoas ex istis primis ortas, quales sunt *tenuitas*, *crassities*, *mollities* &c. quas Ptolomæus mavult *qualificationes* dicere, quam qualitates: nos autem modificationes sen qualitates materiæ proprias vocavimus, & non esse accidentia absoluta libenter concedimus Cartesianis: prout etiam ut probabilius censemus de quantitate, tum interna tum externa, prout declaravimus alibi. Hoc loco de qualitatibus actuosis, Calore & frigore contra Democrincos dimicabimus.

XV. Democritus, & ejus Asseclæ persuasum sibi habent, quidquid non est corpus, aut Vacuum incorporeum, non esse Ens, sed vel figuram atomorum corporum, vel concretionem ex eis, vel eventum ex coexistentia concretionum. Igitur Calor & frigus cum non sint vacuum, nec plenum, non erunt nisi figuræ & relationes. Et hoc quidem rationabiliter, quoniam ea tantum calefaciunt, quæ penetrant lacerantque corpora. Hoc autem opus est acuminis. Igitur Ignis nil aliud esse videtur, quam congeries aculeatorum atomorum. Siquidem urticæ & piper, & quæcunque nos tangentia urunt, penetratione id efficiunt. Ergo Calor non est activa qualitas sui multiplicativa: sed aculei corporei penetrarivi & diffusivi instar aquæ, non sese generantis, sed effundentis. Manifestant hoc sapores & odores, qui quo penetrantiores, eo calidiores. Findunt enim lacerantque acumine linguam, & spiritum odorantium.

Præterea rerum minutarum & minus sensui expositarum notitia ex magnorum consimilium notitia capienda est. Corpora autem magna apud nos penetrant quo acutiora, ut spinæ, enses, acus, clavi, lanceæ. His videtur favisse Pythagoras, dum igni dat figuram pyramidalem. Manifestius autem Plato cui calor & frigus nil sunt præter passiones nobis ab Elementis illatæ per accidens, non per sui diffusionem, quod provenit ab aculeis triangulorum penetratione dissolvente in minutias penetrata corpora. Hanc vero triangulorum crassitiem indere, dum cogit humidum nostrum in angustum, cujus locum non replent: ac proinde repercussionem coacti humoris ad suam regredi sedem contendentis; hincque fieri frigus & tremorem: & quod infert passionem talem dici frigidum, quod tamen non est sed dicitur. Sic ignis calidus dicitur ex acumine, cum calor non sit activa vis, sed acumen. Idem dixit Anaximenes, calorem vocans disgregationem; frigus vero densationem, quoniam hiante ore eodem calorem emittimus; stricto vero statim frigus.

XVI. Contra quos Dico I. Non recte sentire AA. istos de calore, quod sit passio ex objecti, & sensus tactus congressione facta; neque sit ex parte rei nisi acumen. Si enim sic se habet, tunc quemadmodum calor est acumen, ita & frigus erit rotunditas, contrarias enim passiones inducunt. Inter figuras autem angulus acutus circa passiones inferendas obtusæ rotunditati opponitur. Democritus tamen ignem ex acutis & rotundis facit atomis. Mirum ergo quomodo Plato penetrationis ignis passionem facit calorem, nec tamen non penetrantis figuræ facit passionem frigus.

2. Præterea reluctatio coagulati ab externo humore nostri humoris non fieret frigus nisi ab humoribus liquidisque rebus non penetrantibus, sed extrinsecus agentibus: attamen videmus non esse adeo sævum aquæ frigus, quantopere sævit in nos frigus borealis flatus & aëris sereni, non humidis vaporibus obsiti;

quod

quod sane penetrat usque ad viscera, nec obsistit tantum forinsecus.

3. Insuper videmus in tota Natura calorem suas vires amplificare, calefacere, attenuare, movereque occupata corpora: frigus econtra se quoque amplificare, attamen incrassare & immobilitare, quæ corripit, opera caloris; & nubes sane, & aquas & liquores omnes glaciare; hoc autem fieri nequit ex solo caloris abscessu ut videtur docere Plato, & Arist. ab eo in 4. Metap. sed si calor abscedit, ergo res aliqua est, & non sola acuties angulorum.

4. Anguli non generant angulos, neque sphæræ sphæras, cum materiales sint figuræ non activæ: at calor calorem generat, & frigus frigus, amplificantque se absque termino, ergo res activæ sunt.

5. Sequeretur quod calor in rebus tenuibus esset robustior, frigus vero in crassis. Cum tamen videamus in ferro ignito calorem esse fortiorem ad agendum: frigus vero in tenuissimo boreali vento, igitur actio eorum non est ab acumine & obtusitate, sed a vi diffusiva & activitate multiplicativa sui.

6. Calor nitus sylvas accendit, vertitque in ignem: aculei autem hoc facere non possunt, cum sint quantitatis termini non activæ nec conversivæ alius in se. Ergo solum replerent vacuitates lignorum aculei ignis non autem forarent, disrumperent, accenderent, & in ignem verterent, nisi vim activissimam, & sui diffusivam & multiplicativam & victricem eoversivam aliorum in se haberent.

7. In cuniculis accensus calor adeo efferatur, ut montes & ædificia ingentia diruat, nullisque machinis cohiberi potest, quin evolet potentissimus ad cognata corpora. Ergo activus est ex potestate, & non passio nostri sensus ex objecto acuto. Similiter frigus gelat aquas, tellurem aquosam siccam facit longe magis ac calor, occidit calorem, & animalia in statuas duras convertit. Hoc autem est facere illius, & non nostri sensus solommodo passio ex ejus obtusitate, imo penetrando etiam operatur.

8. Sequeretur, quod tantum in nostris sensibus reperiretur calor: sicut sapor mellis, est nobis dulcis sed non capræ, & quod nobis fœtet, non cani & porco, & cæteræ hujusmodi qualitates, quæ sunt ex congressu sensus talis cum tali sensibili; & sicut quod nos titillat, non habet naturam titillantem in omnibos, sed in nobis & in aliqua parte nostri. At vero calor in tota Natura est calefaciens, igniens, attenuans, movens: frigus vero infrigidans, stringens, immobilitans. Faciuntque ambæ hæ qualitates idem in nobis & in brutis, & in plantis & in toto Mundo. Ergo sunt res vere facientes, & non tantum sic apparentes. Res est omnium: aliquorum & aliquibus apparentia.

Falsum autem est, quod caloris actio sit divisio: frigoris vero coactio. Hæc enim non per se sunt, licet propter se: sed caloris est ignitio calefactioque; frigoris vero frigefactio. Hæ autem passiones, scilicet attenuatio & constrictio, sequuntur calefactionem & frigefactionem tanquam dispositiones subjectæ molis a calore & frigore regnatæ seu possessæ.

Gratis quoque dicitur penetratio passio propria calori: Virgil. enim ait: *penetrabile frigus adurit.*

9. Si calor esset aculeorum congeries, tunc ignis communicatus deficeret, & Sol continuo diminueretur; cujus contrarium experimur. Ignis enim non deficit, sed seipsum multiplicat quoque versus, non sursum modo, sed & deorsum devorans suppositos cibos, ligna, fumos & ceras & olea. Et non tendit sursum extrusus a gravioribus, sic enim ounquam eandelam consumeret deorsum sese effundendo: nec everteret arces sponte ut exeat sursum, cum pondus arcis ipsum non expellat.

XVII. Denique bene notandum, quod sicut materia non agit per se, sed per qualitates activas, id est, calorem & frigus: sic neque vires activæ nisi per Primalitates, & ideo Magnes trahit ferrum, etiam post parietem locatum. Et aqua chymica ex corrosivis alumine, sale & vitriolo &c. educta, non dissolvit ceram & sebum, & vasa terrea & lignum: & tamen metalla dissolvit, calefacit, ignit mirifica quasi ostensione iræ, & tamen sunt minus porosa, præsertim aurum, & minus penetrabilia. Ergo non penetratio angulorum, quæ magis fit in ligno & cera, sed inimicitia ex Primalitatibus hoc præstat, etiam fulminoso igni qui metalla liquefacit, & in tenuitatem vertit; non cortices & vaginas.

XVIII. Nuperrime quidam definivit Calorem, *quod sit velocissimus & perturbatus tremor insensibilium partium corporis, quod calidum est, prout aptum est, similem tremorem propagare ad corpus animalis tangentis illud.* Vt patet in serra diu reciprocata, & incude percussa. Est similis definitio huic: *Generatio unius est corruptio alterius.*

De passionibus materialibus, nempe *duro, molli, sicco, humido* &c. quæ rarefactionem & condensationem materiæ sequuntur, loquendo, concedimus ultro, quod diffusivam vim non habent, neque agunt, nisi per accidens, sicut & acumen, & obtusitas. Quod Philosophis priscis suadere debuisset, calorem & frigus melioris esse conditionis, quippe qui sese amplificando, & non modo sui admissione agunt materialiter. Ex non frigore, & non calore fieri frigus & calorem ab aliquo Ente, Excepto Deo, impossibile prorsus est, quoniam non sunt pars materiæ. At ex non acutis, nec mollibus fieri mollia, acutaque, quoniam materia vertibilis est, hæque sunt ejus terminationes, quotidie experimur. Quomodo autem ex lapidibus cootusis non generatur calor, sed excitatur, nec a nitro frigus in vino fiat, sed præinexistens concentratum augetur seipso ob vim diffusivam sui ipsius potestativi, abunde ostendit Campan. in Physicis.

XIX. Aristot. meliuscule quidem de calore & frigore sentit. Qualitates enim activas vocat, speciesque Elementorum, a quibus fit humectatio, exsiccatio, copulatio, segregatio, cæteræque passiones, ut ait in 4. Meteor. licet contra proprium dogma, qui duo posuerat principia in 1. Phys. cum Parmenide; nunc in 2. de generat. accipiens ab Ocello 4 Elementa, dederit humiditati & siccitati activam vim: inepte quidem, cum hæc non sint aliud, quam expansio constrictioque materiæ. Tandem de Calore & frigore non certam protulit definitionem, inquit enim. 2. de gen. & corr. tex. 8. *Calor est, qui disgregat & heterogenea, & homogenea congregat: frigus autem, quod utrumq; congregat.* Sed profecto verba hæc Naturam caloris non declarant, nec frigoris, a priori, sed ab effectu, non per se, sed per aliud. Non enim caloris est disgregare sed calefacere: nec frigoris congregare, sed frigefacere. Declarandum autem erat, quid sit calefacere? non enim ipse Platoni consentit Democritoque, quod sit disgregatio per aculeos. Item

&

& quomodo fiat. Similiter & de frigore. Præterea & quod dixit, falsum est: etenim caloris est omnia disgregara; ficuti frigoris omnia cogere. Per accidens autem fit, ut eum in rem dissimilarem agit, partes minus repugnantes in se convertat elevetque; quibus spoliatæ repugnantes, terrestresque uniantur ad sui conservationem & indurescant. Manifestum est enim quod & repugnantes auctus calor in fornace colliquat, attenuatque omnes.

XX. Quapropter dicimus constanter Calorem & frigus non esse passiones materiæ, ut dictum est a Veteribus, sed activas virtutes genitas ab activissimo rerum Conditore, incorporeas, suique diffusivas & multiplicativas ad rerum generationes & formationes, tanquam organa Opificis servientes; sui vero gratia, solam sui similitudinem efficientes: necessitate autem, fato & harmonia cogi, ut quæ non intelligunt secunda Entia affabre elaborata efficiant: dum ille molem occupatam attenuare & movere, suique Regnum facere; istud vero suum constringendo immobilitandoque. Omnes autem activas rerum vires, quæ a Primalitatibus solis non sunt, horum esse participium asserimus cum Th. Camp. L. 2. Met. c. 5. art 7. has autem primas.

De Sapore, odore &c. qualitatibus agemus Tract. XLIII. de Sensibus exterior.

Non potui omittere illustre experimentum ab Auctore Phil. Burg. Tom. 4. Tract. 3. pag. 389. tanquam a se factum refertur. "Linteum album, ut sudanum "aut mantile, igni admotum & bene calefactum statim "in locum obscuriorem intulimus, cum evolutum, & "unguibus motu celeri pressum mille scintillas dabat. Quod saoe experimentum non novum quidem, sed non inutile nobis videtur ignis & caloris naturæ explicandæ, atque inter ea referri potest, quæ Fr. Baco lucifera, non lucrifera appellat. Hinc enim constat calorem nihil essa præter ignem rariorem, ejusque naturam maxime in celeri motu esse positam. Hæc ille.

XXI. Thomæ Campanellæ Ignis nil aliud esse videtur nisi caloris excessus Parte I. Met. pag. 198. & Parte II. pag. 32. ait se cum Telesio demonstrasse in Physicis Calorem non esse ignis Instrumentum, sed ejus formam essentialem; nec virtute alicujus formæ agere, nec ut organum, sed propria & principali vi; quoniam in aere unitus calor intra nubem, & in speculis, & in ligois excitus a motu, ignit ignemque producit, & ubique calefacit a nulla forma ignis absente directus. Habet ergo calor illam principalitatem, quam physicis formis dant Peripatetici. Item P. I. p. 240. Quapropter cum videamus, calorem absque forma ignis, a quo sumit virtutem juxta Peripateticos, generare ignem in speculis comburentibus seu ustoriis, & in nubibus, & in rotis incalescentibus circa axim, & intra terram, ubi nullus est ignis Aristoteli; frigusque econtra in aere frigida multa non sustentatum forma terræ facere: consequens est, ut substantiæ sint, seu substantiales activæ formæ, quæ meliori jure *vires (substantiales virtutes, aut qualitates vel differentia substantiales eum Arist. 1. de gen. & corr.)* dici deberent, nullius formæ instrumenta, sed per se ubique agentes; & propterea cum producunt calorem & frigus, per se agunt, & principaliter: cum vero producunt plantam, animal, & nubem & glaciem, instrumenta sunt naturæ, quæ est ARS DEI, prout diximus alibi. Vide eundem Campan. P. I. Met. pag. 253.

XXII. Dico 2. Qualitas est modus essendi finite sic, quod non aliter; & ideo proprie principaliter & maxime qualificat secundum se, non secundum aliud id, quod est Qualitas. Ex hoc addiscimus Qualitatem non esse nisi finitorum. Infinitum enim est non-quantum, quoniam ad certos magnitudinis, aut numeri limites non terminatur. Et licet Deum vocemus *magnum*, & *trinum*: hæc vocabula aliud sonant in Deo. Et ideo S. Bernardus ait, In Deo est numerus sine numero, ergo & magnitudo sine magnitudine, quæ est Immensitas.

Igitur Qualitas videtur esse modus ipsius Quantitatis seu finitudinis. Palam est enim in rebus corporeis, unde incipimus nos addiscere, quod Ovum habet suam quantitatem sub certa magnitudine: illius vero quantitatis qualitas est Rotunditas. Et omnis figura seu forma exterior est quantitatis qualificatio. Esse enim angulare, quadratum, rotundum, non est esse quantum, sed qualificatum in quantitate. Sic ergo putandum quod Qualitas essentialis rerum fundatur super quantitate essentiali earum.

Quoniam ergo Angelos est ita Angelus, quod non Calor, Tantitatem suam habet dividentem a Calore, & insuper qualitatem diversificantem, Etenim datur Qualitas essentialis, ut rationalitas in Homine etiam secundum Arist. cui Differentiæ sunt qualitates essentiales prædicabiles in quale quid. Dantur etiam accidentales ut rectum esse, album & cholericum.

XXIII. In hoc ergo different Qualitas & Quantitas, quoniam illa modum essendi dat, ista mensuram. Et sæpe confunduntur, uti & modus & mensura. Unde etiam Plato vocat Formam finitudinem materiei: non quidem, quia finit materiam, sed quia talem finem præexigit in materia, qualis quantusque suæ entitati congruit. Forma enim hominis requirit tantam quantitatem in corpore, quæ nec ad formicæ parvitatem, nec ad montis magnitudinem accedat, non autem ipsa quantificat. Similiter ignis forma vult materiam tenuissimam in qualificatione: sed quantamcunque in magnitudine ex unitate ad pluralitatem expensam. Causæ enim Elementorum non determinant sibi Quantitatem, nec Entia similiaria, nisi respectu formæ Universi, non propriæ, nisi ut refertur ad Universum.

XXIV. Est autem Qualitas analogice in omni Prædicamento generico. Alia enim est Qualitas substantialis, ut rationalitas: alia Quantitatis, ut rotunditas: alia Qualitatis, ut talis Rationalitas. Qualitas enim substantialis recipit accidentalem. Alia est Qualitas Virtutis; alia enim est qualitas caloris, alia frigoris, & rursus alia caloris cæpæ, & alia caloris piperis. Datur etiam qualitas actionis, alia est enim calefactionis & infrigidationis; & præterea alia calefactionis piperis, & alia carbonis, & alia flammæ calefacientium. Datur etiam Qualitas passionis essentialis, qua differt ab actione & aliis. Et datur accidentalis, qua differt a se, ut aliter ab ictu patitur ferrum, ac plumbum aliter. Datur denique qualitas similitudinis & dissimilitudinis & Accidentis. Verum in his multum est de nomine; nec Scientia, Habitus, potentia vocantur Qualitates a multis, interim loquendum cum pluribus.

SECTIO

SECTIO III.

Opinio Cartesianorum & Epicurea circa originem qualitatum proponitur.

XXV. Quid inquiunt ſcire juvat, Qualitatem eſſe qua quales aliqui dicuntur? An hoc vel aniculæ ignorant? An quenquam agreſtium latet, ſe candore albos fieri, & rubore rubidos? Aperiendum potius eſt, in quo præciſe Qualitatis natura conſiſtat, quo pactum ſubjectum afficiat, & qua ratione per illud diffundatur. Pandant igitur bona fide Ariſtotelici, quam ſibi in mente Qualitatis imaginem fingaot, & non diutius nos verbis ſuis rerum veritatem obſcurantibus fatigent. An qualitas aliquid eſt a ſubſtantia, cui adhæret, phyſice diſtinctum? An rebus, quas denominat, entitas ſuperaddita? Quænam geouina ſit ejus natura nobis explicent efficiantque ut quod verbis proferunt, clare menti noſtræ innoteſcat. Si id efficere non valeot, quod ipſis impoſſibile fore arbitratur, Author Hiſtor. natur. parte 2. art. 1. quorſum derelictis illis futilibus qualitatibus naturæ legibus haud patrocinantur, & intelligibilibus principiis (quantitati, motui, ſitui, figuræ &c.) ſe accommodant.

Sed nec Qualitatum nomine veniunt abſtractæ eſſentiæ (quales ſcholæ jactant) ſed qualitates in Concreto ſcilicet corpuſcula qualitatibus inſtructa vel idonea eas producendi in ſubjectis, quæ invadunt, in quibusve abundanr.

Dicunt ergo ſtatuuntque Motum localem primam omnium qualitatum corporearum eſſe: omnesque qualitates & affectiones ſenſibiles ex materia & diverſitate hujusmodi motus oriri: ita tamen ut ad hoc ipſum plurimum conferar tum diverſa diſpoſioo & figura inſenſibilium partium cujuslibet corporis, tum diverſa linea & directio ſecundum quam determinatur motus iſte localis. Addita quoque intenſiooe & remiſſione motus ejusdem. Nam primo Motus localis in materia univerſali, cum habeat diverſas determinationes, eam in partes dividir diſtinctas, quarum unaquæque ſuam habet *magnitudinem*, & determinatam *figuram*. Et quia non ſemper omnes ſunt in motu, quædam illarum ſunt detentæ per mutuam implicationem, conſequenter in *quiete*. Atque hæ ſunt primariæ & ſimpliciſſimæ affectiones materiæ.

Ex his oriuntur quædam aliæ generales & prægnantes, puta minora corpuſcula vel particulæ, quæ habent certum localem reſpectum & *ſitum*, quem ab Horizonte denominamus, ut erectum, inclinantem, horizontalem &c. Item reſpectu hominum illas ſituationes obſervantium, erir certus *Ordo* vel conſecutio, qua ratione aliud poſteriori, aliud aoteriore parte conſtitutum dicitur; & io unam maſſam vel corpus collecta fragmenta habent certum junctim exiſtendi modum, quem *texturam*, vel *modificationem* vocamus. Sed quia propter irregularitatem vel differentiam figurarum ſe invicem non poſſunt tam accurate tangere, quin aliquanta relinquantur intervalla, inde oriuotur PORI, etiam in quibusdam fluidis, quæ craſſioribus partibus conſtant. Et quia multa corpora habent particulas, quæ propter exiguitatem, vel non adeo firmam eum cæteris cohærentiam facilius agitantur & ſeparantur a reliquis per calorem vel alia agentia, inde ſubtiles emanationes, quas *effluvia* dicimus. Et quemadmodum iſtæ conventiones ſimplicium corpuſculorum conſtituunt durabiles & difficulter diſſolubiles ramulos particularum, quæ vocari poſſunt *primaria concretiones vel elementa* rerum: ita illæ ipſæ inter ſe miſceri poſſunt, atque ita conſtituere *compoſita corpora:* atque hæc reſultantia corpora per miſturam cum aliis compoſitis præſtare poſſunt Elementa *Decompoſitorum corporum*, viamque monſtrant, qua natura variat materiam, quam vocamus *mixturam* vel compoſitionem, quod nomen pertiner ad multitudinem aſſociationum, & differt a *textura* eatenus, quod ſemper in mixturis, non vero in texturis, requiratur heterogeneitas partium conſtituentium. Tum unaquæque diſtincta materiæ portio, ſive ſit corpuſcularis vel primaria concretio, ſive corpus primi vel alterius cujusdam ordinis mixtorum, non debet conſiderari ac ſi eſſet poſita in vacuo, neque ur relatiooem tantum habet ad corpora vicina, ſed ut locata eſt in univerſo; eo modo uti videmus conſtituta inter innumeram aliorum corporum multitudinem, quæ omnia dirriguntur tam per univerſalem rerum fabricam, quam leges motus ab Authore naturæ ordioatas.

Et hæ ſunt undecim generales affectiones materiæ, e quarum combinaoionibus infinita prodire phænomena qualitatum ſeu affectionum facile eſt. Hac ſere methodo opinationes ſuas per hypotheſin ſundant hi Auctores.

Præterea ſtatuunt, diligenter oportere diſtinguere calorem & ſrigus objectivum a calore & frigore formali: hoc eſt, ab ipſa ſenſatione experimentali, quam proxime percipimus dum afficimur ab eo corpore, quod dicitur calidum, & eſt id, quod objicitur ipſi ſenſui, hoc eſt, objectum eſt ſenſibile. Quemadmodum, inquiunt, dolor ſenſaoo & pereeptio eſt objecti doloriferi ſeu inferentis dolorem, quod tamen nec eſt, nec dicitur dolor. At quoniam objectum quoque calefactivum dicitur ealor; ex hoc ipſo facile iſta confundimus, & plerumque ideam aliam non habemus de objectis, quæ ſunr calor & frigus, quam ideam ipſarum meraffectionum noſtrarum formalium, quibus experimur hujusmodi objecta.

Porro confuſionem hujusmodi auget objectivus calor ant frigus noſtro ipſi corpori, & noſtris ipſis organis utpote corporeis inſidens: unde non ſatis diſcernimus rationem & formam per quam calidi ſumus, ab ea affectione & perceptione ſenſitiva qua percipimus calida.

Addunt effatum illud: *Nemo dat, quod non habet* occaſionem æquivocationi præbuiſſe, perinde ac ſi calor ipſe objectivus habeat in ſe affectionem illam ipſam quam experimur dum calorem percipimus: quod tam eſt abſurdum, atque opinari dolorem ineſſe objecto dolorifero.

XXVI. Inſuper pro calore ipſo objectivo, ejusque natura indaganda expendi merentur ſequentia. Primum cum ad aerem exſpirandum os & buccas conformamus diverſum in modum: ſcilicet vel ore diducto vel exporrecto; aerem exſpiratum experimur modo calidum, modo frigidum: Nil autem diverſitatis interfuit in hujusmodi exſpirationibus, quam impulſus & motus loeales diverſi, & per directionem lineamque differentem. Si enim ſecundum lineam rectam anguſtato ore emittatur aer, frigidus erir: quod ſi inæquali & quaſi circulari tremuloque motu exſpiretur, calidus exibit. Porro differentiam

hujusmodi motuum determinat incursus aeris in palatum, unde reflectitur & quasi expanditur, atque inde urgetur ad agitationem perturbatam & tremulam.

Secundum, In omni re sensibiliter calida observare est motum localem, ut in flamma, aqua calida & in omnibus corporibus odoratis, quæ cum incaluerint odorem impensius effundunt, ob agitationem nimirum & motum particularum insensilium.

Inde statuere se posse credunt juxta Regulam Verulamii, in quonam posita sit natura caloris. Regula enim illa est: si quidpiam sensibile semper adsit in aliqua substantia corporea, & nesciamus reddere rationem cur adsit; dicendum est illud ipsum ad essentiam talis substantiæ pertinere.

Nec desunt observationes plures in rem eandem. Sunt enim corpora, quæ evadunt actu apta & idonea ut calefiant, quæ antea erant inepta, quin illis quidpiam de novo contingat præter novum motum localem. Ita frigidæ manus agitatione & affrictu calidæ redduntur: similiter calx affusa aqua incipit dimoveri & agitari & inde incalescit. Limatura æris projecta in aquam fortem, ebullitionem tantam excitat, ut ex vase licet amplo exundare videatur; & effervescentiam tactui vix tolerabilem.

Cum autem dicit Aristot. *motum esse causam caloris*, sic interpretandum censent ut possit intelligi tum de motu totali corporis sensibilis; tum de motu peculiari insensibilium particularum: atque adeo habita ratione motus sensibilis corporis totius revera quandoque motus hic causa determinativa in genere causæ efficientis sit. Quod si agamus de motu insensibilium particularum, quique motus ita sit modificatus, uti dictum de motu exspirati aeris calidi, illum esse ipsissimum calorem objectivum: ac proinde dicunt agitatione incomposita insensibiles particulas mutuo incurrere, atque ita comminui velut in minutissimum pulverem, qui dum recedit ab obice seu a corpore ipso fit ejus exhalatio calida; atque hac ratione explicatur quoque, cur ignis omnia consumat.

SECTIO IV.

Sententia Chymicorum recentiorum de primatu qualitatum corporearum refertur.

XXVII. Statuunt hi ex observatis plurimis Naturæ phœnomenis *Acidum & Alkali* esse primas corporum qualitates. Hæc nimirum sunt illa duo prima principia chymica, quorum hoc ævo multus inter eruditos sermo & fama percelebris. Si enim illa ut corpora denominata considerentur, esse prima rerum principia statuantur, ita ut antecedant illa ipsa vetustiora principia chymica, Sal, Sulphur & Mercurium, de quibus alibi jam egimus: at si tanquam formæ denominantes attendantur, sunt primæ qualitates, & virtutes corporum omnium; nempe ex Aciditate, & vi Alkalica cæteræ qualitates progignuntur. Sed juvat eum P. Ptolomæo dissert. 23. Phys. gen. hæc ipsa nomina accuratius evolvere.

Acidum, sapidum corpus est ex sapore illo, qui aciditas est notissima in aceto, & similibus acetosis; quorum omnium commune quasi genus est hæc species subalterna saporis *Aciditas*, in plures tamen species atomas subsecanda. Leo a stipite in sua Religione Mentis Parte I. pag. 65. ablegat aciditatem e penu succorum animalium; ubi ait Acidum esse omnium maxime activum post ignem; quodque sit instar magnetis respectu humidi, cujus est maxime appetitivum. Et pag. 75. Aciditas adeo infesta est sanguini, ut ubi diuturnus est usus acidorum aut acescibilium, massa sanguinis paulatim alteretur in liquamen purpureo-livescens, aut tandem in vappidum aut nigrum degeneret. Acidum stagma, quod continetur in sulphure, vocatur spiritus sulphuris per campanam. Vrinæ permixtum vel modicum acidum, parit stranguriem aut calculum: sanguini autem, coagulationis aut passionum aliarum causa existit.

XXVIII. *Alkali* vero corpus est sapore alio donatum, cujus explicatio & notio longius repetita est. Quippe nomen Alkali Arabicum proprie designat cinerem vel salem herbæ cujusdam, cujus feracissima est *Ægyptus* & dicitur *Kali*; ejusque Sal uno vocabulo *Salkali*, vel ex dimidio græce Alkali. Porro herba illa vulgo dicitur *Soda*, ejusque cinis notissimus Vitriariis, Figulis aliisque artificibus usui est liquando vitro, parando smigmati, patinis & vasis ex argilla vitrificandis. Cinis vero ille seu Alkali, primo saporem quendam obtusum habet, & fere insipidum. Secundo virtutem habet valde abstersivam & resolventem. 3. immixtus ab acidis liquoribus aufert aciditatem, mitioremque saporem conciliat.

Hinc factum, ut a Chymicis omnes cujuscunque alterius corporis partes vel liquidæ vel solidæ, quæ tertiam illam cum Alkali proprietatem communicarent, dicerentur sales Alkalici: quorum genus in plures distribuitur species; videlicet in *Alkali fixum, volatile, acre, insipidum, Mercuriale* &c. Fixum e cineribus herbarum potissimum eruitur. Volatile & facile exhalabile deprehenditur in spiritu vini, in sanguine &c. Acre in calce, lixivio: Insipidum in corallis, argento vivo, aqua elementari.

XXIX. Cæterum quod hæc duo sint primæ qualitates comprobatur, quia in omni corpore deprehenditur inesse, si resolvatur, tum acidum, tum alkali; vel ex æquo temperata; ut dicuntur inesse Sali communi; vel ita ut unum ex illis prævaleat & prædominetur: unde totum corpus appelletur absolute vel Alkalicum vel Acidum. Primas vero qualitates peripateticas dicunt oriri a duabus hisce chymicis: ita ut ex acido prævalente oriatur calidum & siccum: ex alkali vero prædominante proveniat frigidum & humidum, uti placet Tanchenio in suo Hippocrate Chymico; tametsi ab aliis aliter distribuantur.

Probatur autem origo hujusmodi qualitatum. 1. quia in omni fere corpore, cui neque sensibiliter calor, neque frigus inest, si diligenti analysi exploretur exsuperare deprehenditur aut Acidum, aut Alkali: igitur hæ duæ non illæ 4. vulgares Peripateticorum, sunt generales & omnibus corporibus communes. 2. Si corpora neque sensibiliter calida, aut frigida, sed sensibiliter alkalica aut acida immisceantur, procuratur sensibilis calor, & effervescentia; ut in notissimo experimento mixtionis salis tartari cum sale vitrioli: aut etiam sensibile frigus enascitur, ut cum nitrum immiscetur aquæ, & una agitatur; aut sal commune cum nive permiscetur in scypho & circumagitatur, etiam juxta fornacem, posito in scamno, mox scyphum videmus congelatum & firmiter adhærentem, ut omittam plura alia. Igitur ex illis qualitatibus quæ inerant facta mixtione hæ aliæ suboriuntur. Itaque

quæ cum similis mixtio omni corpori insit, præsertim viventi ex peculiari videlicet Acido & Alkali, in eaque consistat temperamentum cujusque corporis: censendum est effervescentiam & fermentationem exinde procedere, atque in quolibet corpore caloris & frigoris, humidi & sicci conjugationes oriri. Imo non modo hæ 4. qualitates, sed aliæ omnes, seu qualitates seu virtutes cujuslibet corporis, ex duabus illis profluunt. Quod pari ratione probatur: nam ex illis duabus sensibilibus immixtis, & temperatis novos sensibiles sapores, odores, colores prodire observatum est. Adde facultates quoque vegetativas & earum operationes idoneas ex miscella Acidi & Alkali non improbabiliter repeti posse. 3. Quia impossibile videtur, quod ex mero motu locali, ut contendunt Atomistæ oriantur cæteræ qualitates corporeæ; neque rationi consentaneum est, quod e. gr. ope solius motus localis pharmaca & medicamenta quædam in minima dosi vel quantitate, imo in solo odore posita inducant in corpora viventia alterationes, & fermentationes miras & magnas; videlicet resolutiones, effervescentias, purgationes &c. similia de venenis eorumque activitate expenduntur.

Quas quidem opiniones conciliare nititur P. Ptolomæus Dissert. 23. Phys. gen. sect. 1. num. 22. pereruditè quidem, at nos altius repetendas ex Primalitatibus & ideis censemus, prout alibi tangimus. Interim sit.

SECTIO V.

In qua Caloris proprietates & phænomena exponuntur.

XXX. I. Cum ligno infigitur clavus tundendo non incalescit, donec infixus jam fuerit, & tundatur amplius ad apicem ipsius complanandum, tunc enim calorem concipit. Ratio est, quia dum actu infigebatur, motu totali movebatur clavus: cum vero jam infixus tunditur, secundum insensibiles particulas motu peculiari agitur, unde fit quædam insensibilis illarum succussio, quæ determinat calorem.

II. Cum lignum ferratur, illud non incalescit, sed serra: quia minores sunt particulæ & elasticæ in serra, eæque continuo affrictu secundum latitudinem concutiuntur & vibrantur opportune ad calorem: particulæ vero ligni vel comprimuntur, vel avelluntur motu inepto ad calorem. Hoc ipsum ex eo comprobatur, quod si lignum valde sit durum, & serra altius infigatur, tunc lignum quoque incalescit, ut quandoque comburatur: plexus enim ligni durioris propius accedit ad plexum chalybis.

III. Rotæ pars concava internus axem complectens, & ipse axis gyrando incalescunt, ut non modo urant, sed aliquando inflammentur, præsertim tempore æstivo & sudo cœlo. Contigit enim perinde, ut cum excutitur ex affrictu silicis & chalybis ignis; agitatione enim illa idonea ad calorem excitandum determinatur tandem ipsa etiam inflammatio. Adverses autem partes exteriores rotæ, quæ velociori moventur motu quam interiores, non incalescere, quia illarum motus totalis est, non vero particularis insensibilium particularum, qualis petitur ad calorem.

IV. Terebellus incalescit dum terebrat: item limando lima ex ratione data num 2. quæ exinde confirmatur, quod cum limatur chalybs, iste, non vero lima incalescat, adeo ut quandoque liquefiat: plexus enim elasticus chalybis idoneus magis est ad agitationem ex affrictu propriam caloris. At limando plumbum, calor non excitatur in lima, nisi usu satis trita fit: ex mollitie enim plumbi particulæ ejus vel comprimuntur vel separantur ut non imprimant limæ agitationem & succussionem idoneam ad calorem.

V. Tametsi energiæ caloris rarefaciat pleraque; nihilominus ex nive rariore fit aqua densior: agitatione enim calefactili particulæ aquæ vix se contingentes in nive ob interpositum aerem succutiuntur, ac propiores fiunt excluso aere: quod ipsum cernere est dum frumentum in modio succutitur.

VI. Fœnum recens aggestum incalescit & incenditur, quia humor fœni nativus discurrit per hujus fibras, cum exhalare nequeat in apertum aerem: inde determinat agitationem in compositam & idoneam ad calorem excitandum, unde in tanta copia quandoque colliguntur igneæ particulæ, ut flamma sensibilis fiat.

VII. Experimentum, & seqq. ex Rob. Boyle. Vehementissimus calor excitatur, si aliquot unciæ olei vitrioli immixtæ cum totidem olei terebinthinæ agitentur: nimirum ex illo motu determinatur fermentatio Alkali & Acidi; unde Calor.

VIII. Limatura chalybis aqua frigida plerumque incalescit: quod in eandem causam conferes, in quam calcis effervescentiam ex aqua affusa: videlicet tum in collectionem insensibilis ignis, tum obstructionem pororum ab aqua, videlicet prohibentem, ne exhaletur insensibile effluvium igneum: ac denique in agitationem earundem insensibilium particularum per calcis poros vel chalybis.

IX. Semilibra floris sulphuris cum æquali pondere limaturæ chalybis injecta in frigidam aquam, & subinde agitata, intra horam adeo incalescit, ut sensum ejus vix tolerare manus possit: nimirum hujusmodi agitatio liquidorum, & inde calor, rationem habet analogam illi, in quam refertur calor conceptus ex affrictu duarum particularum num. 1.

Denique ad eadem principia facile referuntur sequentia: 1. Oleum vitrioli affusum aquæ frigidæ vel triplæ vel quadruplæ ipsius olei, calorem intensum procreat: imo affusum glaciei calorem & fumum ex illa prolicit. 2. In caput mortuum Vitrioli, seu colcotar (sic vocant Vitriolum calcinatum, hoc est, ex quo oleum vi ignis extractum est) iterum oleum vitrioli si refundas, vehemens calor excitatur. 3. Spiritus æruginis affusus sali tartari effervescentiam procreat sine calore tamen sensibili. 4. Sal tartari aqua dilutus incalescit: quod si exhalare feceris aquam, & aliam affundas, novus calor excitabitur, itemque si id ipsum tertio vel quarto peregeris. Ex quo experimento arguitur calorem illum determinari non a solis igniculis remanentibus, quemadmodum in calce & similibus effervescentia explicari solet: sed aliunde vel ex textura, vel ex Acido & Alkali petendam esse iteratum, hujusmodi caloris determinationem. Pro majore elucidatione prædictorum, sit.

SECTIO VI.

De Calore potentiali, ut vulgo dicitur.

XXXI. Non levis est difficultas circa naturam & originem Caloris illius, qui *potentialis* dicitur, qualis est in calce, in aquis Stygiis (eaux fortes; g. Scheidwasser), in sanguine ipso, in foeno madido & aliis infinitis, quae cum actu frigida sentiantur, humore alieno diluta intensum calorem procreant. Qua de re non modo Philosophi, sed & Chymici in varias partes distrahuntur. Peripatetici ad Antiperistasin confugiunt, qua fit ut calor calci v. g. insitus aquae hostili incursione excitatus vires suas colligat. Epicurei ignitas in calce, vino, pipere atomos inesse putant, quae terrenis particulae ante divisae, & variis inclusae poris quiescebant: sed affusione aquae solutae ingenitis cientur motibus, & magna ex parte vaporibus involutae profugiunt. Recentiores Chymici, ut Helmontius & alii, calorem illum, quem in calce viva aquae affusio excitat, ex conflictu salis sulphurei, seu alcali, qui in calce plurimus est, & acidi, qui aut est calci ingenitus, aut ab igne proficiscitur, congressu & velut lucta deducunt, cum alcali & acida permista similem calorem procreent. Alii denique recentiores ad texturam partium & mechanicas affectiones calorem illum referunt; adeo ut in tanta opinionum varietate difficillimum videatur, quod vero sit proximum decernere: & tamen res, si quae alia sit, in Philosophia naturali diligentiore indagatione digna nobis videtur. Cum autem exemplo calcis vulgares Philosophi uti soleant, ut antiperistasin suam stabiliant (quod Author Phil. Burgund. tomo 4. Tract. 3. cap. 2. vocat celeberrimum ignorantiae asylum) ante omnia declarandum venit vocabulum *antiperistasis*. Cum hyeme in cryptis & profundioribus puteis aqua est calidior, & aestate frigidior, vulgo dicitur esse per *Antiperistasin*, seu circumobsessionem: sed unde hoc? Non quod frigus ambiens producat calorem in aqua: est enim ludicrum. Respondet P. Ptolomaeus Dissert. 10. Phys. gen. sect. 4. num. 5. Hujusmodi experimenta I. contra Galenum & Cardanum non esse illusiones sensuum nostrorum, perinde ac remi apparentis in aqua confracti, sed verissima esse: minora tamen vulgi opinione: quod satis patet per thermoscopium (hoc est instrumentum vitreum colli subtilissimi & longioris, globulum vitreum habens in imo) spiritu vini, vel alio liquore rarefacto aliquousque repletum, & deinde hermetice clausum. Si enim hoc in profunda crypta hyeme deponatur, non quidem liquor per collum thermoscopii sursum altius ascendit, quam aestate ascenderet: hoc enim accuratis experimentis non respondet habitis in Regio observatorio Parisiis, ut refert du Hamel in Tract. de Meteoris, sed eundem fere toto anno caloris exhibet gradum, teste Phil Burg. l. cit. Nihilominus ejusdem du Hamel testimonio, & P. Maignan, & rei ipsius vulgari observatione, per hyemem in thermoscopio deposito in crypta magis elevatur liquor, quam si in cubiculo thermoscopium positum observetur.

2. Causa antiperistasis non est causa frigus ambiens, licet sit occasio; multo minus forma aquae, quasi se ipsam calefaciat: sed haec, quod terra subterranea plena ignibus est, & materia ignea, bitumine, sulphure, aliisque mineralibus: unde spiritus ignei, hoc est corpuscula calida effluunt perpetuo per meatus & poros subtilissimos terrae, vel etiam aeris vicinioris, vel alterius corporis terrae contigui: effluunt inquam ad ista superiora, nisi prohibeantur obstructione pororum & meatuum: quod ipsum efficit frigus externum per hyemem, & frigidus aer ambiens: nam frigus constipat & condensat, uti infra dicemus. Inde spiritus ignei non effluentes congregantur in majori quantitate intra aquam putealem, vel aeris immoti permanentis in cryptis; & inde sensibiliter fiunt calida aqua & aer, & affectione calida afficiunt sensum vel gustus vel tactus.

XXXII. Per hanc occasionem nullo negotio causa reddi potest sequentium experimentorum. I. Cur subeant morbi periculum, qui postquam incaluerint vel motu cursus, vel ludo, se vestibus spoliant pectusque nudant: quia frigore constipantur pori, & impediunt affluere jam separata corpuscula pituitosa a corporis plexu. 2. Cur aqua fervens Soli exposita citius frigescat: quia pori & meatus conservantur aperti, ut facile evaporent calidiores & leviores particulae. 3. Cur manus ambusta minus doleat si admoveatur igni, quam si immergatur in frigidam? quia poris non obstructis corpuscula ignea avolant seque cognato corpori associant. Eadem ratio est cur pedes gelu constrictos non expediat calidae aut fornaci admovere, sed frigidae, quia aqua frigida attrahit consimile sibi frigus ex membris. 4. Cur hyeme fames major quam aestate? quia minora effluvia vitalis caloris per hyemem. Neque re moveat quod nonnullis recentior contra Hippocratem ait, stomachum aeque calidum esse per aestatem, ac per hyemem: distinguas enim calorem vitalem a calore adventitio. 5. Cur affusa aqua calx fervescat & ebulliat? videlicet cum dissolvitur calx, spiritus ignei & corpuscula, quae erant in poris calcis, jam dissoluta colliguntur in unum, & ob affusam aquam non possunt avolare, nisi fiat ebullitio.

XXXIII. Hic observandum in excoctione lapidum certorum in furnis ad conficiendam inde calcem, humorem aqueum per calcinationem pene totum exhalare: Interim flammae corpuscula caecos lapidis calcinati subire poros; hinc calcinata pene omnia poodere augeri multis experimentis docet D. Boyle. Imo multis quoque observationibus compertum est, quod ignis spicula vasa ipsa penetrent, & metallorum pondus augeant, etiam in vasis vitreis & sigillatis. Id tamen unum advertimus, absolutam quidem gravitatem metallorum ignis vi crescere, sed specificam imminui; adeo ut plumbum v. g. calcinatum non sit duodecuplo gravius aqua.

Denique calor hujusmodi potentialis magna ex parte pendet a partium textura & aliis affectionibus, quae mechanicae dicuntur: illud sane manifestum videtur, calorem illum, qui ex corporibus actu frigidis emergit, ad meatuum & partium figuram plerumque referri oportere. Verum haec omnia naturam caloris non satis declarant; illud fateri cogimur, vitam caloris consistere in motu: subinde etiam calor debilitat calorem per accidens, hujus subjactum aperiendo, ut ille exhalet: sicut per accidens, aqua calida & oleum & vinum extinguunt ignem calidissimum, obstruendo poros, unde ignis nutritur. Quin & calor calori contrarius est ratione materiae: nam & animal animali est venenum, & homo homini exitium parat, & gradus caloris in cepa contrarius gradui aliter contempe-

temperato in rosa, quæ cepam aversatur, ut cucurbita oleum. vide Campanell. Lib. XI. Metaph. c. 8. art. 8.

SECTIO VII.

De Frigore.

XXXIV. De hoc insignem edidit Tractatum Nobilissimus Anglus Boyle, unde experimenta nonnulla excerpsimus. Nos breviter de natura frigoris, & quod primum illus subjectum, quæ illius proprietates, quod criterium, quæ congelationis causæ & effectus, inquiremus.

Ac primo quidem dubitatur, utrum frigus nihil sit præter caloris privationem; an sit qualitas positiva & accidentalis? Respondeo frigus & calorem, prout sæpe jam dictum, esse formas seu virtutes activas, quæ inexistunt subjecto, sed per se; ad distinctionem formarum passivarum (ut sunt triangulus, circulus &c.) quæ etiam inexistunt, sed non per se. Hinc calor & frigus substantiæ reputatæ sunt apud Telesium, & Aphrodisium & Olimpiodorum, Philoponum, Ammonium, Hippocratem, omniumque doctissimorum Medicorum judicio, teste Campanella Lib. 2. Metaph. cap. 6. & 8. Et licet in frigore salvetur privatio caloris, non tamen est sola privatio, sed activitas contraria. Quod autem substantiæ suscipiant magis & minus, docent ipsa Elementa & prima contraria ex quibus castigatis, remissis & auctis fit rerum varietas & distinctio. Nam ipsemet Aristot. 2. de gener. fatetur veram contrarietatem non esse, nisi in substantiis formalibus & activis, cum Elementa secundum formas substantiales facit contraria in invicem activa; uti etiam 1. phys. principia contraria facit activa, ex actionibus hoc probando. Alii quidem dicunt Elementa in passionibus & qualitatibus esse contraria, non in formis substantialibus, sed cum ipsi fateantur passiones & qualitates a formis oriri, contrarias ergo a contrariis fateantur oportet. Quod autem ajunt excessum & defectum radicem esse contrariorum, quæ est in elementaribus formis, fictitium est imperitiæ medicamen. Non enim calor & frigus, ut excessus & defectus se habent, sed ut vere invicem pugnantes vires. Tepidum & calidum se habent ut excedens & deficiens; nec ut habitus & privatio, sed ut vere in invicem agentes, ergo a principibus causis activis formalibus contrariis contrarios effectus & vires contrarias exerentibus procedunt.

XXXV. Præterea hæ formæ agentes (calor, frigus) & earum facies, (lux & tenebræ) suot proprio sensu, potestate & amore prædita, & extra subjectum sese effundunt & multiplicant & producunt, tanquam instrumenta Primi Entis fecunda entia, & ideas imprimunt fato divino correpta, ut loquitur Campan. Lib. 6. Met. cap. 12. art. 3.

Quapropter cum videamus calorem absque forma ignis, a quo sumit virtutem Peripateticis, generare ignem in speculis ustoriis, & in nubibus, & in rotis incalescentibus, & intra terram, ubi Aristoteli nullus fuit ignis (dum viveret; econtra frigus in aere multa frigida facere: consequens est ut substantiæ sint, seu substantiales activæ formæ, quæ meliori jure *vires* dici deberent, nullius formæ instrumenta, sed per se ubique agentes: & propterea cum producunt calorem & frigus, per se agunt & principaliter: cum vero producunt animal, & nubem, & glaciem, instrumenta sunt Naturæ, quæ est Ars DEI: sicuti lancea quatetius forat lanceato vulnere, per se agit & quasi principaliter causa: qua vero inducit mortem, agit per accidens, & quasi alterius intelligentis causæ instrumentum. Similiter cum faciunt tenuitatem, & crassitiem, motum & quietem, non per se, nec gratia suæ entitatis, videlicet effectus agunt, sicut cum calefaciunt & infrigidant. Quies enim non est quietis gratia, nec subtilitas subtilitatis, sicut est calefactionis calor gratia caloris; & genitum frigus gratia generantis univoce frigoris: sed fit quies tanquam frigoris actus, & motus tanquam actus caloris, ad quem requiritur tenuitas ut possit moveri. Fiunt ergo propter se, sed non per se tenuitas & crassities, & sunt calidæ & frigidæ, non autem sunt calor & frigus, sicuti est quod fit calefactione & frigefactione.

XXXVI. Dixi *dum viveret* nempe Aristot. Nam Jacobus de Paradiso Doct. Theol. Ord. Carthus. quondam Professor Erphordiæ, in suo Tract. de animabus corpore exutis, citat Jacobum de voragine dicentem, quod Aristoteles post mortem suam apparuit cuidam discipulo suo, qui requisivit ab eo quid ageret? An adhuc disputaret? Resp. quod nihil modo sciret, nisi pœnas quas sentire cogeretur. Chrys. Henriq. in suo Fasciculo L. 1. dist. 32. c. 6. refert ex vita S. Bonifacii Ord. Cisterc. Episc. Lusanen. „Vir iste sanctus, inquit, „maximam compassionem habuit, & multum condo-„luit de perditione Aristotelis, & sæpe oravit, si posset, „fieri, ut Deus dignaretur misereri animæ illius. Tunc, „venit ad eum vox de cœlo dicens: Cessa, cessa jam, „& noli orare pro anima ejus, quia non fundavit, „Ecclesiam meam, sicut Petrus & Paulus; nec legem, „meam docuit.„ S. August. super ps. 140. *Absorpti sunt juncti petræ Judices eorum*, dicit: Compara Aristotelem Christo; absorptus est, tremit apud Inferos. Meliora de Socrate & Platone vide apud cœlestium Sfondratum in Nodo prædestin. pag. 156. Sed hæc παρεργῶς.

Illud interim certum videtur, frigus esse qualitatem in peregrino subjecto exceptam, & caloris agitationem imminuere aut sistere: adeo ut cum partium insensibilium vel quiete vel tardiore motu sit conjuncta. Nam quæ eam habent partium insensibilium & meatuum texturam, ut corporis nostri partium insensibilium motum vel inhibeant vel retardent, ea dicuntur frigida vel actu vel potestate. Sive Spiritus quidam, ut ajunt, Mercuriales seu frigorifici (quicunque sint illi) torporem corporibus afferant, sive subtilis materiæ, aut Ætheris partes minusculæ frigus, ut majusculæ calorem efficiant, frigus aut potius effectus ejus videtur esse quies aut tardior motus partium insensibilium. Quid enim in se sit, tam parum constat, ac natura caloris. Tum autem res a nobis frigida percipitur, cum illius partes insensibiles aut nullo, aut tardiori motu, quam partes sanguinis spirituum agitantur.

Id etiam liquet nos de frigoris vi aut caloris, ut sumus affecti, ita judicare. Hinc Balnea calidiora videri solent, aut frigidiora, cum spirituum aut sanguinis motus imminuitur. Hinc sæpe accidit, ut mulieres hystericæ de intenso capitis frigore conqueruntur, cum id tactu judice caleat. Sic plerumque accidit ut membranis acido & pungenti humore læsis corpus subito veluti frigore perhorrescat. Ubi agitatus aer cutis meatus penetrat, & calidiores carnis partes subit, tam ut frigidus percipitur. His ita

 præ

præmissis, quid de frigoris natura nobis videatur, paucis conclusionibus pandemus.

XXXVII Tenendum 1. Frigus, non secus ac calorem esse activa principia, sese amplificantia, entia positiva, non tamen corporea, hoc est ex atomis constantia. Quod frigus si qualitas positiva, patet 1. ex artificiosa liquorum congelatione. Nix enim vel glacies cum sale aut nitro, aut alumine, aut vitriolo permista, & vasi circumfusa aquam vase contentam in glaciem convertit, etiam media æstate, aut prope ignem: quod vix citra substantialem effluxum fieri aut intelligi potest. Imo D. Boyle cum vasi, cui infusum erat oleum terebinthinæ, nivem sale permistam circumposuisset, nix ipsa aquam phiala intra oleum suspensa contentam congelavit. Atque ea congelatio artificialis etiam in machina pnevmatica post exhaustum aerem perficitur. prob. 3. Intensum illud & acerrimum frigus quod in locis ad septentrionem positis dominatur, quodque tam alte terram penetrat, durissima quæque confringit corpora & calorem ignis pene opprimit: adeo ut interdum aqua vel inter decidendum, etiam igni admota congeletur, ut in Russia sæpe observatur: hoc, inquam evincere videtur causam frigoris, ipsumque frigus esse reale quid & positivum. 3. Sæpe frigus in quibusdam locis etiam remotioribus a Polis longe acrius est, quam in iis quæ sunt viciniores ipsis Polis. Sic frigus in Verania. quæ est Poloniæ Provincia, est acerrimum: cum tamen eadem fere sit ejus latitudo seu altitudo Poli, quæ in Normannia. Sic in civitate Regia Sinarum ad 42. gradum latitudinis sita, qualis est Romæ, ingens fluvius circa Mensem Novembrem intra unum pene diem concrescit in glaciem, quæ non solvitur nisi post 5. menses exactos; & ita firma est, ut par sit ferendis curribus: cum interim, tactu ipso Judice, non tam aere frigus videatur, ut flumen tam subito possit corripere: nec absurde id terrenis halitibus, qui aquæ particulis omnem motum repente adimunt, id tribui potest. Sic interdum glacies paulatim aqua perfusa augetur, licet non sit ea vis frigoris, quæ aquam congelare queat. Hinc glacies in fluviorum, quos maris æstus implet, ripis ad magnam sæpe altitudinem assurgit: quæ omnia persuadent frigus cum substantiali effluxu esse conjunctum.

Quod autem prædictæ qualitates activæ non sint corpora, patet inde, quia calor intra nubes occlusus augetur seipso concentrato: similiter & frigus; quod non possent facere si essent corpora. Constrictio nempe corporibus est imminutio, nec seipsa ex aliorum corporum additione augent; cum potius a corporibus aliis comprimantur præsertim a contrario: frigus enim a calore circumdatum augetur intensive: calor autem in frigoris materiam non invertitur, ergo augent seipsas, ergo activitas non est ex atomorum influxo, sed ab interna potestate. Sic in speculo lux augetur, & non additione atomorum ergo seipsa.

At dato quod calor & frigus sint corpora tenuissima, oportet adhuc illa esse prædita sensu: quia mutuo sese aversantur, & in invicem agunt & patiuntur; fugiunt, uniuntur; arte sese tuentur, & quæcunque edunt animalia opera vitæ & sensus, cæteris quoque insunt rebus. Item si corpuscula hæc sint, tenuissima esse oportet, ergo a crassis extrudi semper sursum juxta dogmata Lucretii. At hunc videmus lucem venire deorsum, quod impossibile illis videri debet, si corpus est. Item nec frigus in terra vivere posset, sed extrudi sursum ad sydera, quoniam tenuissimum est adeo ut ferrum & lapides permeet; ergo oportet fateri non omnia entia esse corporea, & corporea & incorporea sensu (analogice) prædita esse. Item Creatio & non generatio fieret rerum: quoniam corpora non habent actu, nec potentia, activas formas; ergo neque unde oriantur, nisi ex nihilo, doceri potest a Democraticis: situs, enim figura & ordo, materiales tantum differentias faciunt, non activas: oportet ergo præter corpora dare causa activas. Nec enim quomodo a se moveantur corpora, & præsertim industriose ad formandum animal, docebunt nos.

Quodnam autem sit primum frigoris subjectum, non quidem inhæsionis, (sed cui inexistat) sive ubi spiritus illi frigorifici maxime dominentur, quæri merito potest, sed invenire difficillimum est.

XXXVIII. Tenendum 2. Primum frigoris subjectum, neque est aqua, neque aer. Quod aqua non sit primum frigoris subjectum, inde liquet, quod ejus fluiditas cum summo frigore esse non possit: quin imo frigus excessivum destruit naturam aquæ illam congelando. De aere major est controversia: is tamen videtur ut caloris sic frigoris sedes, & pene ad utrumque indifferens. Deinde ubi in machina pnevmatica post exhaustum aera aqua artificiose congelatur, & ipsa congelatio ab ima vasis parte incipit, tum nullus videtur aeri locus, ergo non omnis congelatio interjectu aeris efficitur.

XXXIX. Tenendum 3. Ut probabilius, neque Terram esse primarium frigoris subjectum. Est contra Campanellam, qui tamen Lib. 11. Met. c. 7. art. 5. vult Solis calorem penetrare superficiem Terræ ad duo circ. milliaria, generando aquas, metalla & voragines ignis, si non ab inferis expirant & derivantur ignivomi Montes: sed sicut in aere est calor & frigus, ita & in hac prima terræ profunditate. Ratio autem nostra est, tum quia profundiores terræ specus calidiores experimur, qui calor certe a sole non provenit, cousque non penetrante, utpote reflexio radiorum solarium contrarium docet: tum quia venti plerumque frigidissimi sunt, qui non proveniunt e terra; & ipsa extima superficies terra in hyeme suum frigus & constrictionem non habet ab interioribus ejus partibus, sed aliunde, sicut & aqua, nempe ex multorum halituum seu Spirituum Mercurialium, ut vocat Honoratus Faber, certa mixtione. Hinc venti sæpe adeo frigidi in certis terræ regionibus regnant, in aliis non item. Sed neque vis frigoris penes solam distantiam ab alterutro Mundi cardine æstimari debet, prout sequitur ex opinione Campanellæ, quo enim longius abesset Sol, eo fortius frigus suum congenitum Terra excreret. Constat autem in Moscovia Boreali hyemem esse acerrimam, cum eadem pene ipsius sit latitudo quæ in Scotia. Sic Insula quædam est penes Anglos in America, Charletonia dicta, quæ fere deserta est præ frigore, cum tamen ejus latitudo sit tantum 52. graduum. Sic Batavi in suo Itineratio anni 1595. referunt non adeo intensum frigus se expertos in alto Mari, quod Glaciale dicitur ac prope illius Maris litora in Nova Zembla. In Gronlandia

ad

ad 80. gradoum latitudinem se læta pascua invenisse testantur. Sic Josephus Acosta, & alii docent multas sub ipso Æquatore regiones esse valde temperatas, & montes in iis locis inveniri opertos nivibus. Ex quibus efficitur ventos plerumque frigidissimos halitus & spiritus secum vehere. Nam ubi follium tubus mixtura nivis & salis circumdatur, tum ventus frigidior erumpit, qui aquam in thermometro pensilem deprimit. Thermometrum autem sic dicimus, quod sit certum criterium indicans gradus caloris & frigoris, quod multis modis confici potest, ut videre est in Phil. Burg. tom. 4. Phys. gen. tract. 3. cap. 3. hic. Fieri etiam potest, ut mixti halitus & satis temperati in media aeris regione separentur. Hinc glaciem aut nivem ab aere frigido paulatim consumi cernimus: ac fieri potest, ut spiritus frigorifici ab aliis soluti in media aeris regione maxime dominentur.

XL. Sed inquies, pars aquæ aeri proxima primum congelatur; ergo aer est primum frigoris subjectum. Resp. Dist. ant. Aquæ pars extima congelatur ab aere solo N. ab aere permisto Spiritibus mercurialibus & frigorificis. C.

Instas: Longe est probabilius summum frigus ab aere solo proficisci, cum in media regione gelidus sit. Imo non abhorret a vero gelidum aera e media regione a ventis borealibus ad nos usque deferri: cum boreales vero quasi ex altiore loco præcipites ferri videantur. Vnde aer post pluviam frigidior est, quod pluvia frigidum aera secum adduxerit.

Resp. Aerem ex parte quidem posse causare frigus, sed non solum: & sane nisi halitus qui e terra erumpunt, magnum in procreando frigore vim haberent, vix ulla afferri posset ratio cur in certis locis, ubi minor est poli altitudo, frigus acrius esset, quam in aliis locis, quæ sunt polis viciniora.

XLI. Denique ad meliorem naturæ frigoris cognitionem facere putamus, si congelationis initia & progressum consideremus. Ac primum id liquet, corpora fere omnia, in quibus humor aqueus dominatur, in glaciem converti posse. Fluida vero corpora, quorum partes aut tenuiores sunt, & ab ætherea substantia nimium agitatæ, ut spiritus vini; aut ramosiores, & aliæ aliis implicitæ, ut olea pene omnia, in glaciem proprie non abeunt, uti nec liquores, quorum partes sunt graviores & nimium agitatæ, ut spiritus salium, & hydrargyrus ipse. Tum vero fit glacies, cum partes antea in motu positæ sistuntur, & ex flexibilibus fiunt rigidæ & fragiles. Quo autem modo fiat congelatio, pulchre demonstravit Vir Clarissimus D. Mariotte in Academia Regia. Scyphum vitreum pene aqua plenum aeri frigidissimo exposuit. Primum velut oblonga quædam fila, tum lamellæ ex iis composita apparuere. Vbi maxima ex parte facta fuit congelatio, quæ supererat aqua adhuc fluida, in medium fere locum sese recepit; atque ex ea plures bullulæ identidem erupere, tumque aqua per foramen in summa parte conspicuum sensim exiit, quæ tandem in glaciem, velut in tumulum abiens, assurgebat. Occluso illo foramine glacies ipsa ultro fracta est, & divisa pene in medio scyphi. Ex hoc congelationis progressu illud planum videtur, multum tenuis & aereæ substantiæ intra aquam contineri; quæ quidem duplex est: una prorsus aerea, eaque in fundo vasis, cum igni admotum fuit, diu perseverat: alia est subtilior, & pene ætherea, quæ in liquoribus etiam viget, cum omnis aer vel caloris vi, vel alia ratione, ut in machina pneumatica exhaustus est. Nam ubi aqua omni pene aere purgata fuit, si malleo & crebris ictibus machinæ basim percutias, statim infinitæ oriuntur bullulæ, quæ instar scintillarum micant, & aquam quodammodo opacam efficiunt. Sic aqua fervida, quæque per horæ quadrantem ebullierit, & crassiorem aerem vi caloris ejecerit, intra machinam collocata, quantumvis aerem exhaurias, nullas fere emittit bullas. Sed percussa, ut diximus, machina, tum repente coruscationes illæ, aut crebræ bullulæ erumpunt, quæ forte non ex cœlesti Cartesii substantia, sed ex subtili quodam aere prodeunt: nam vi sua elastica donantur.

Itaque si fluiditas aquæ ab ætherea aut aerea substantia oriatur, quæ minutas aquæ particulas exagitat; cum motus ille cessat, tum partes aquæ fiunt duræ & rigidæ. Interim conclusæ aeris guttulæ in majores bullas dilatantur, quod ab incumbentis aeris pondere sint liberiores. Hinc plus spatii exigunt, & aquam attollunt, quæ per foramen, quod sibi inter erumpendum aperuere illæ aeris bullulæ, exilit. Occluso eo foramine manent in medio vasis infinitæ bullulæ acuminatæ, & eo plures quo citius foramen fuit obductum. Vnde si summa glacies identidem aqua perforetur, cum nondum est admodum densa, tum aqua per ea foraminula cum impetu exilit, & pauciores bullæ in media glacie apparent. Ac si portio illa coocretæ in glaciem aquæ bullarum expers ex utraque parte convexam sit nacta figuram, modulo seu typo idoneo imposita radios solares instar speculi ustorii colliget, & pyrium pulverem accendet: cujus rei in eadem Academia experimentum fecit Vir jam laudatus.

Ex hoc phænomeno manifestum fit, ni fallor, non omnia levia ideo sursum tendere, quod a gravioribus extrudantur: sed vi intrinseca niti in altum ut, exigente sic natura & rarefactione dilatationem sui, viam sibi patefaciant ad se conjungenda cum sibi cognatis. Cur enim partes aquæ crassiores & graviores non extrudunt aerem in fundo sibi permixtum? An forte ignis pyrius, vi externa corporum gravium puta rupium & castellorum incumbentium tanto impetu extruduntur? imo econtrario illam potius molem excutit & evertit ad se dilatandum.

SVBSECTIO unica.

Præcipui frigoris effectus & phænomena explicantur.

XLII. Omnis mutationis opus fundatur in rarefactione & congregatione, ut Aristoteles cum priscis Philosophis docuit. Rarefactio autem & constrictio fiunt per frigefactionem & calefactionem, quæ sunt alterationes materiæ, & generationis caloris & frigoris, vel insuper compositi. Vnde non videtur verum, quod motus localis præcedat omnes, uti Arist. putat, quando Democratizat. Non enim potest moveri quidpiam nisi prius incalescat; & quæ violenter moventur ab extra vel motum habent extraneum calorem, vel potentiam non calidam ut in Angelo, prout alibi ostendimus. Quod autem Frigus non solum constringat, sed etiam rarefaciat, patebit ex dicendis.

Præcipuus frigoris effectus videtur esse condensatio. Hinc liquores oleosi, imo & dura quæque corpora frigoris vi densantur & contrahuntur. Sic oleum frigo-

frigore concretum gravius est pro mole sua, & in liquidum oleum descendit. Imo hydrargyrus tubo conclusus per artificiosam congelationem duobus digitis visus est descendere, tametsi ante esset in machina expurgatus. In loco calidiore cum esset collocatus, pristinæ suæ altitudini non nisi post aliquot dies redditus fuit. Aer autem præ frigore contrahitur, vel quod illius partes non adeo celeriter moveantur, vel quod vis ejus elastica plurimum imminuitur.

Secundus frigoris effectus est aquæ rarefactio, adeo ut aqua tubo conclusa per artificiosam congelationem, nona sui parte aut decima interdum attollatur. Hinc glacies aquæ innatat, quód pro mole sua sit levior. Hinc etiam tubi & vasa plerumque franguntur, cum pars aquæ summa primo in glaciem abit: nam quæ subest aqua, ubi congelatur & expanditur, vas confringit, quod ejus dilatationi locus non pateat. Contrarium evenit ubi congelatio ab imo incipit. Sicque aqua in tubis vitreis ad ignem lampadis fusis & sigillatis paulatim congelatur, & aer illæsis plerumque tubis in angustum locum cogitur. Sic D. Boyle tubum æneum tres aut circiter digitos latum, & aqua plenum ita aptavit, ut aqua per artificiosam congelationem dilatata pondus 60. aut 80. librarum attolleret. Tubos ferreos sclopetorum aqua plenos & diligentissime occlusos, impetu disruptos fuisse cum gelido aeri essent expositi, observatum olim fuit a Clarissimo Hugenio in Academia Regia. Tanta nimirum est vis frigoris, quod partes aquæ distendit, ut lento quidem sed continuato partium nisu solidiora quæque corpora disrumpat.

XLIII. Quæ sit autem hujus dilatationis causa, explicatu satis est difficile. Hoc experimentum, quo globi satis crassi ex argento & auro quoque, cum inclusa intus aqua congelaretur, primo diducti & amplificati sunt in sphæram majorem, mox diffinderentur, in Academia quoque Florentina probatum testatur P. Ptolomæus Dissert. 22. Phys. gen. sect. 3. ex quo, inquit, nonnulli comprobant frigore & conglaciatione aquam rarefieri; ex eodem nonnemo deducet præpotentem & quasi panicum timorem vacui. Respondet autem ipse in hunc modum: Verum sit rarior aqua conglaciata quam fluida & liquida quæstionem videri posse de nomine: certum est enim innatare super aquam uti lignum, & augeri mole. Cæterum admisso ex glacie condensationem induci, disruptio tamen illa non est ex metu vacui, cum etiam apertissima vasa, aut vix tertia parte impleta aquis conglaciatis disrumpantur. Sed attendendus est progressus congelationis juxta diversos & diligentissimos rerum harum observatores: etenim aqua primum in superficie congelari notatum est eadem nimirum ratione qua cera candelæ in proxima flammæ superficie primo consumitur, nempe propter affluxum aeris, & aerei nitri: quod non minus petitur ad conglaciationem, quam inflammationem. Vas autem continens aquam, quæ glaciatur, non rumpitur eo initio; sed in fine totius congelationis, tunc enim vas illud patitur aliquid (inquit hic Author) quodcunque tandem illud sit.

Paulo infra vero subdit: Si distinguas rarefactionem a tensione, peripatetice res hujusmodi explicatur. Videlicet dum condensatur aqua, particulæ aqueæ natura sua flexibiles ex frigore rigescunt, hoc est rigidæ ad modum temperati metalli redduntur. Hinc est quod exprimatur quidquid inter illas inerat aeris, qui hinc inde expressus simul colligitur fere ut serum, dum lac vel sanguis coagulatur. Inde bullulæ illæ aereæ coeunt in mediam glaciem, juxta experimentum num. ubi aer explicat elaterium suum, & nititur contra circumambientem glaciem: cum vero satis multæ bullulæ in unam coalescunt actione communi elastica innumerabilibus resultibus, licet minimis, vim exerunt quo debilior obex occurrit juxta leges elaterii. Vnde si adsit fistula thermometri, per illam aeris elaterio impellitur aqua: quod si nullus sit exitus, vel globus disrumpitur in ea parte, ubi metallicæ particulæ debilius implexæ sunt, vel vas, licet defectum dissiliet, si glacies superimposita majorem obicem opponat, quam latera ipsa vasis.

Ita quantumvis condensatio in congelatione fiat segregatis & expressis ex aqua corpusculis aereis; satis tamen exponitur unde vas disrumpatur, sive sit undequaque clausum, sive apertum. Nec omittendum, quod experimento tum Academiæ, tum Borelli observatum est, nimirum cum infunditur aqua frigida in vas præsertim vitreum, vas ipsum confringi: cum vero calida infunditur, dilatari, idque sensibiliter. Hinc porro redditur ratio, cur vasa quandoque diffringantur tum ex frigore; tum ex calore contenti liquoris: fibrillæ enim, & filamenta, ex quibus vitrum vel metallum componitur, inæquali nisu intenus constringuntur, cum interim laxiores maneant extrinsecus ex frigore interno nimirum: contra vero ex calore. Inde fit, quod singulæ fibrillæ sint veluti totidem vectes inæqualium brachiorum, quare vel minimo impetu ex elaterio, vel aliunde urgente juxta leges & vires vectis, dissiliunt & divelluntur invicem, vasque ipsum disrumpitur. Hæc ille.

Tertio docet experientia, multa frigoris vi corrumpi, alia conservari. Interdum enim frigus partium texturam ita immutat, ut vix restitui possit: dum scilicet aquosæ partes dilatantur, fibræ & solidiores particulæ disrumpi solent. In iis quoque idem fere accidit, quod in contusis fructibus: infinitæ siquidem fiunt velut contusiones in iis corporibus, dum aquosis partibus conglaciatis & extensis, aliæ comprimuntur, aut lacerantur, ac succus alimentitius suis tubulis & cellulis excluditur. Sic in Russia, & aliis in regionibus, ubi frigus acrius riget, sæpe & aures & nasus, & aliæ partes velut gangræna infectæ vi frigoris decidunt: nec aliud est huic malo magis opportunum remedium, quam si partes illæ syderatæ frigida aqua perfusæ, nive in calidiore loco obducantur; tum enim sensim meatibus apertis sanguis & spiritus vitales in eas partes relabuntur: quemadmodum ova & pyra conglaciata aquæ frigidæ immersa in pristinum statum plerumque restituuntur. Contra eveniet, si ea ad ignem præpropere admoveris, tum enim insipida & pene corrupta manent. Sic Barclæus refert Iacobum Regem Angliæ cum juvenis in Dania degeret, cumque nasi & aurium extrema vi frigoris pene enecta essent, nivem de consilio eorum qui aderant, adhibuisse, quæ partes illas a gangræna defenderet.

Quarto, quod partium contextum & ordinem frigus pervertat, notius est quam ut probatione indigeat. Sic animalium oculis congelatis, chrystallinus humor ex diaphano fit candidus; aqueus & vitreus in lamellas concrescunt. Sic frigus in nostro corpore lividum colorem efficit, quod ut in contusis carnibus sanguinis

guinis percolatio inbibeatur. Vnde appulsu sanguinis manus præ frigure intumescunt. Nam sanguinis circuitum & percolationem frigus impedit. Hinc byeme ægre sumantur vulnera, quod benignioris caloris influxus prohibeatur, nec illa stamina, quibus coeunt vulnera, præ frigore duci possint.

XLIV. Testantur quoque expertissimi artifices extractos ineunte æstate lapides, & per aliquod tempus aeri expositos, quo humor ille crudus & immaturus diffletur, longius durare, quam si hæc velut insolatio non præcesserit. Nam lapides ejusmodi hyeme effossi, aut ædificiis adhibiti, si humor in iis latitans congeletur, mioutarum partium ordine & contextu perturbato cito fatiscunt. Denique frigus corpora sæpe a putredina vindicat, dum partium fluidarum motum sistit, quæ foras prodeuntes corruptionem promovent. Hine mortua corpora nive obrutâ diu incorrupta servantur. In Islandia carnem & pisces aeri exponunt, & citra salem diu servant. Hirundines in stagnis & lacubus Poloniæ congelatis per hyemem immotas & velut mortuas, sed pingues admodum jacere, tam notum est quam quod maxime. De his & aliis in eam rem vide D. Boyla in Frigoris historia.

SECTIO VIII.

De Qualitatibus actuosis specificis, quæ occulta dicuntur.

XLV. Qualitates specificæ, apud veteres Peripateticos occultæ nominatæ sunt, quæ quibusdam magis atomis speciebus corporum mixtorum, tanquam propricrates tertio aut quarto modo pertinentes insuot. e. gr. in Magnete vis ferri attractiva, in alectro similis vis ad paleas & leviuscula quæque adducenda. Præterca venenorum, & remediorum, alimentorumque vires ad effectus peculiares.

Hic meminisse oporter dictorum in Tract. II. de triplici actiona simplici: Aliæ enim actiones sunt matariales, qua v. g. lapis gravat manum sola sui mistione cum manu. Aliæ formales seu potius productivæ, qua ignis calefacir manum, non sola mistione sui cum manu, sed etiam a longe per diffusionem & multiplicationem sui caloris. Aliam esse Mirificam, & Primalitiam seu metapbysicam, quæ non vi caloris, naque frigoris, neque qualitatum passivarum, sed secretiori ratione celebratur; ut cum Magnes trahit ferrum, & chorda cytharæ concotdam sibi chordam pulsat ad sonum. Item dum cucurbita sugit oleum, quæ actio mirifica seu primordialis innotescit per effectus antipathiæ & sympathiæ, qui nimirum non fiunt a calore, nec a frigore, nec ab humore, nec a siccitate, ut sic, nec ab alia materiali virtute, sed a diviniori principio, ab ipsis nimitum Primalitatibus, ut vult Campanella; vel ab anima Mundi ut determinata per Archæum seu ideas. In prima actione quieverunt Democratici, omnesque illi qui originem effectuum ejusmodi ex motu & aliis mechanicis affectionibus repetendam censant. In secunda Medici & Peripaterici. Verum Hippoerates tertiam olfecit, cum aliquid divinum in Morbis agnovit. Vide quæ tradidimus Tract. IX. de Archæo, quo nomine non intelligimus illud Helmontii idolum, sed vim & potestatem Animæ per systema ideale limitatam ad vitaliter agendum. Systema vero Ideale est series Idearum ab una radice otdioem & nexum ad sa habentium, suaque evolutiona ad corpus organicum constituendum, atque hujus usum determinantium. Quæ quidem radix in humido radicali manet in suo chao involuta; suam vero evolutionem sortitur in vitali flamma ex eodem humido accensa, quam Hippocrates, Ignem & impetum faciens, Arist. calorem vitalem, Galenus calidum innatum, aliiSpiritum appellant; quæ una cum vita pent.

XLVI. Medicamentorum vires, quæ vel similitudine, val irritatione potius corpus sensitivum afficiunt, pet idonea particularum effluvia utcunque explicari posse, non diffitemur. Vide quæ diximus Tract. XIII. solo namque medicamentorum odora vel tactu quandoque afficiuntur noxia vel proficua immutatione: nempe effluvii odorati particulæ in nervos incurrunt, & ope spirituum motus illos determinant, quos inducereot medicamenta ipsa, si vel applicata & introsumpta, non modo olfacta fuissent: quamvis enim minima sint & subtilissima odora corpuscula effluentia, cum innumerabilia tamen sint, affectus sensibiles eadem ratione procreare possunt, qua valenr minutissima elateria pulveris nitri & similium. Quin etiam interdum aut timore, aut terrore fellea vesicula, ut reliquæ partes, constricta bilem exprimit, quæ sua acrimonia alvum exonerat. Quid, quod metus vehemens podagræ, in ipso pede illius ideam pingit, unde hic morbus succrescit; præsertim in assuetis, ob species Symptomatum connexas: aut si ab ortu ideis seminalibus implicata, aousque latuit velut sopita, quæ vi illius nexus tum suscitatur. Ita D. Marci part. 4. Phil. Vet. restit. sect. 2. de Morbis, ubi subsect. 1. dari Morbos archæales, quorum causa efficiens proxima sit archæus, probat ex eo; quoniam Archæus tam in esse, quam in operari pendet ab Ideis: potest autem suas ideas depravare; ergo etiam operationes, quæ primo & per se non nisi a morbo læduntur. Secundo, quia morbus est via ad corruptionem: sed Archæua potest corrumpere seipsum, aut aliquam sui partem, ergo etiam morbum inganerare. min. probatur ab exemplis. Nam mulier quæpiam gravida Mechliniæ vidit præ fotibus militem in conflictu manum amittere: cujus rei borrore perculsa mox filiam peperie altera manu truncam, & hæmorrhagia ex eo vulnere axtinctam. Alia ibidem viso milite, cui ictu tormenti brachium fuit avulsum, etiamnum cruentum, confestim in lucem dedit puellam eodem brachio orbam, quæ superstes & demum maritata fuit. Vxor cujusdam Mercatoris Antuerpiæ, dum spectat quosdam decapitari; mox dolotibus partus correpta, enixa est infantem jam maturam, cruento collo, cujus caput nusquam fuit visum. Quorum ratio alia reddi nequit, nisi, quod idea, a qua illarum partium fabrica tam in fieri, quam in facto esse dependat, superventu novæ ac hostilis ideæ, quam imaginatio vehemans impressit (aadem enim anima sensitiva corpus infantis in utero existentis informat, quæ matris) detersa & axtiocta fuerit. Vnde omnis concretio illa etiamnum tenella in suum chaos & liquorem primigenium defluxit. Improbabilis enim videtur opinio Helmontii, ejusmodi partes vi imaginationis extra corpus projici: penetrationemque corporis admitti, ubi totaliter in ditionem spititus transiit, eoquod spiritus sub sa tum corpus claudat, adeoqua dimensiones veluti adimat.

Confirmant idem Morbi hæreditarii, ut podagræ, calculi, luis venereæ &c. qui a parentibus in prolem quandoque propagantur: & non nisi certis annorum periodis maturantur. Neque tamen alia ratione quam idealiter inesse possunt: quod si enim causæ occasionales semini inessent, ipsum corrumperent; aut certe tot digestionibus consumptæ prius deficerent. Vide plura de his in Tract. XLVI. De Venenis.

XLVII. Sed quid dicemus de Magnetismo? Pro coronide hujus Tractatus circa Naturam & proprietates Magnetis, observanda sunt seqq.

1. Magnes lapis est, sed immixtus multa materia metallica, & calybea, ut experti sunt eruditi viri, qui ex analysi chymica magnetis chalybem eduxere. Coloris non unius est magnes. Ille optimus, qui ad cæruleum, vel ferrugineum propendet: deterrimus vero est albus. Figura naturalis illi minime certa, sed plurimum confert arte inducta: informis enim magnes minus attrahit: ille vero proprietates suas efficaciter exerit, qui ovalis est.

Ex illius proprietatibus 1. eaque notissima est attractio ferri, seu (ut abstrahamus a quæstionibus) accessus mutuus ferri & magnetis, reciproco enim erga se feruntur affectu: quamvis enim ut plurimum ferrum accedat ad magnetem, quandoque tamen vicissim magnes accedit ad ferrum immotum.

2. Proprietas Magnetis perinde vulgata est adhæsio ferri ad magnetem & suspensio, pondere non obstante.

3. Est motus tonicus seu verticitatis, ex quo vid. magnes libere filo suspensus in certo quodam situ suapte natura sistitur; & si ex illo dimoveatur, continuo in eundem situm sese restituit: videlicet in linea meridiana sistitur magnes, ita ut secundum unam certam partem polum Arcticum terrestrem respiciat, seu septentrionalem; secundum aliam vero polum antarcticum seu Australem: etenim in unoquoque magnete existunt poli, seu puncta quædam certa, quæ suapte Natura ad polos Mundi, si Magnes suspendatur, convertuntur: inter illos vero polos intelligitur ducta linea, quæ est axis Magnetis respondens axi Mundi. Ante omnia hic observandum, falli communem hominum opinionem, qui putant cœlestes polos in Mundi hujus terrestris magnetes & ferramenta magnetica, vi tractiva & directiva influere: quia si a polo cœlesti vis illa in lingulas magneticas dimanaret, non deberent unquam declinare a linea meridiana, a qua tamen alicubi plus quam 8 gradibus declinant, & quidem nunc pluribus, nunc paucioribus, cujus rationem infra dabimus. Experientia quoque contrarium evincit; nam si lapides, aliaque corpora magnetica a cœlorum polis traherentur, deberent extrema illorum, polos cœlorum sibi viciniores respicere, sed contrarium contingit, si enim magnes in globi formam redactus argento vivo imponatur, polo suo quo Boream respicit, non cœli polum spectat, sed infra horizontem sensibilem se deprimit. Idem cernitur in omnibus ferramentis, si ponantur in horizontali æquilibrio, quorum extremitas septentrionem respiciens, cum fuerit magnete attacta, non sursum ad polum vel ursam minorem trahitur, sed deorsum inclinatur & collimat infra horizontem sensibilem. Hac de causa Artifices, qui lingvulas magneticas fabricant, extremitatem acus, quæ Austrum debet respicere ponderosiorem solent facere quam oppositam, ut acus semper in æquilibrio consistat. Quæ hic retulimus de lingvula respectu poli nostri arctici, etiam nautæ respectu poli antarctici infra æquatorem experiuntur, estque tanto major illa lingvulæ inclinatio, quanto propius ad polos acceditur. Sub Æquatore situm observat horizonti exacte parallelum.

Magis ergo in Terram, quam in cœlos, causa lingvulæ magneticæ tractiva referenda est. Pro quo breviter notandum, a montibus ferri & magnetis feracibus, polorum utrique subjectis, & per intima terræ viscera in axis modum Austro borealiter continuatis, copiosissima in universum hunc mundum effluvia prodire, lineis ubique rectis, meridiano cujusque loci parallelis, tametsi nonnihil ab illo declinantibus, nam & lingvula magnetica, ut vidimus, a linea meridiana pro diversitate locorum plus minus declinat. His effluviis Geocosmi ultro citroque manantibus, lingvula magnetica, & axis magnetici corporis in situ meridiano continetur.

Hinc est, quod Gilberto & aliis totus Globus Terraqueus quidam Magnes videatur: qui e converso magnetem terrellam appellavit: vel nucleus ipsius globi sit verus magnes, ut sentit cum pluribus aliis P. Zuchius: vel ipsa sincera terra & interior magnetica prorsus sit, ut Cartesiani passim: vel vis magnetica etiam in superficie promiscue insit Elemento Terræ ut contendit Cabeus. Quod assertum probatur 1. quia ferramenta ex solo contactu & applicatione ad terram vim magneticam acquirunt, præsertim si erecta super terram diutius constiterint. Vide forcipes, & similia ferrea instrumenta, quæ ad scalpendum ignem apud focos erecta retineri solent, vim comparant ad attrahendas aciculas calybeas: sic etiam virgæ ferreæ, quæ diutius jacuerint super terram, præsertim si constitutæ fuerint in linea meridionali vim converfivam ad polum acquiruot. 2. Probatur ex proprietate supra data, nempe inclinatione varia magnetis, dum acus magneticæ filo suspensæ inclinantur versus globum terræ, perinde atque inclinari observantur ad magnetem seu terrellam: ex quo fit nisum tonicum magnetis seu verticitatis non esse versus polos cœlestes sed versus polos terrestres: unde tandem concluditur vim magneticam inesse globo terrestri. Certe inconstans ejusmodi declinatio magnetis vix alia ratione explicari potest, quam ex inæquali magnetismo in diversis tractibus terræ. 3. In fodinis & rupibus & lapicidinis apparent inter media immania saxa descriptæ lineæ, & quasi fibræ longissime protensæ ab Austro in Boream, & dispositæ parallelæ ad axem terrestrem, ex quo satis probabiliter conficitur magneticam vim per effluvia vel spiritus illapsam illis tractibus determinare dispositionem illam a polo in polum.

Occasione hujus videamus quomodo explicari possit rerum gravitatio, quam nonnulli magnetismo adscribunt. Tenent illi omnia omnino hujus Universi corpora gravitare, sed unum præ alio; res graviores, densiores & compactiores magis rendere deorsum quam minus graves, minusque densas. Ajunt vero gravia deorsum trahi vi quadam magnetica, & quo sunt graviora, eo fortius attrahi, quantoque viciniora

ciniora sunt magneti, tanto trahi potentius, per quod etiam explicant majorem in fine motus velocitatem. Magnetem illum ponunt non in aliquo Terræ centro, cum eo in loco, ubi centrum esse deberet, sit locus (ut passim creditur) a terra vacuus, reprobis in tartareo igne cruciandis deputatus; sed ponunt illum in parietibus Inferni, in iotima & extrema terræ superficie, meditullarem ejus cavitatem complectente; quæ licet fortasse, ut multi divioant, ad tria milliaria germanica in rotundum excurrat, tameo respectu totius Terræ globi, cujus circumferentia, si credimus Campanellæ, 32000. milliaria continet, satis est angusta & exilis. Hæc sententia non est improbabilis. Si eoim Infernus est in medio terræ juxta communem sententiam, tanquam in loco a gloriosa & amæna Beatorum societate remotissimo, non potest ibidem esse terra, & medium aliquod ejus centrum; totum namque illud spatium Ignis & fumus oucupat. Nec in illo igne vel alio terræ loco videtur esse congruum gravium omnium metam constitui: sic enim omnia reproborum corpora in unum illum locum collimarent, & quocunque a dæmonibus ad supplicia raperentur, versus eundem locom, semper reciderent. Verosimilius ergo videtur, illa in functo illo carcere, a terrestrium parietum magoete æqualem undique trahendi vim habente attrahi, & versus convexam terræ superficiem gravitare, ut sic ad illa diversis suppliciis cruciandа, ignique ad permeandum liberior pateat aditus & accessus. Cum qua doctrina bene adhuc stare potest, quod sicut oves io Inferno positi sint.

Porro ad intelligentiam & actionum sympatheticarum, pro fundamento tenendum, prout sæpius inculcavimus, Mundum hunc universum, ut docet Hermes in Pimandro, ex Chao cœpisse, non aliter quam ex ovo pullum. Et quantumvis magnam varietatem io Elementis & corpotibus inde constitutis præseferat; suæ tamen originis unitatem, etiam sub illa diversitate deinceps servare. Vnde tam admirabiles omoium in universo, non aliter quam in uoo aliquo corpore, ejusdem partium est consensus, & quæ in Mundo sublunari his respondent vicissitudines. Nam sicuti in corpore humano vis imaginationis maternæ ob identitatem animæ, quæ utrique inest, ad fœtum pertingit, eandemque varie permutat: ita in universo, ideas ascendentes recidunt partes illæ, quæ cum utero ac fœtu habent analogiam. Ex qoo fuodamento admirandos effectus, quorum omnium causa lateret, oon adeo mirum videtur sequi: ipsamque aeris mutationem, pluvias, ventos ac varias tempestates longe antequam fiant, a brutis præsagiri.

Præterea eum ex supradictis constet admittenda esse occulta rerum effluvia sive vocentur atomi sive corpuscula; & similibus effluviis totus aer supponatur repletus; sic dantur in illo quamplurimæ aquea corpuscula, maxime in loco, in quo aqua evaporaverit. Hæc corpuscula naturalem habent inter se sympathiam, & maxime eum suo corpore, cui se unire vehementer affectant. Hioe est, quod ad equam in conclavi positam confluant. Sic etiam atomi vitriolatæ redeunt ad colcothar; effluvia serpentina ad serpentes in vitro clausos congregantur: quo etiam modo adipis ursini augmentum in officinis, & longa ursorum, uti & quorundam hominum inedia salvari potest, humorum quoque sublunarium in pleniluniis incrementa explicari.

Si autem quæras, cur atomi tales se sibi, & corpori suo unire affectent? Aliter responderi noo potest, quam talem esse illarum naturam, cui similem videmus in bullis & guttis aquæ, quæ se iovicem aviditsime complectuntur. Aut quid respondebis si quæram, cur atomi ignis calefaciunt & non frigefaciunt, cum materia utriusque (ignis & aquæ) sint ejusdem rationis? sane diversitas figuræ, situs & texturam vim agendi æque par om ac materia ipsa iners conferre possunt; ad primalitates ergo recurrendum.

Aliud est, si quærenn proprietates magnetis responderes, talem esse magnetis naturam. v. gr. si ramenta ferri minutissima, qualis est pulvis scriptorios, habeantur in charta, cui supponatur magnes: ramenta illa per se ipsa sese disponunt in ordinem & circulos, seu in segmenta circulorum concurrentia hinc inde ad polos magnetis, seu ad partem suppositam his polis; ut videantur quasi egredi ex uno magnetis polo, ac reverti in alium. Huic, inquam, minus philosophice responderes, talem esse magnetis naturam: quemadmodum de Horologiis rotalibus eorumque sono & motu inepte responderes v. g. Sinis interrogantibus; quod talis nempe sit illius materiæ structura, ut sonet & horas indicet. Sciendum enim Magnetem non solum excipere effluvia magnetica accedentia ab Orbe terraqueo, sed ex ejusmodi effluviis compactam habere atmosphæram circa se; uti plurima corpora peculiari sua athmosphæra donantor: electra inprimis & corpora electrica, ut omnibus fere Erudiis jam videtur: similiter & ferrum suorum effluviorum atmosphæram haber: hæc effluvia eandem ioter se habent sympathiam, quam habent ipsa corpora inter se, & cum mutuis effluviis. Facile autem suadetur vapores magneticos circulari circa corpus magneticum, ex eo quod repellantur ab aere circumambiente ac etiam comprimeote. Idem dic de atmosphæra ferri ex suis effluviis constante. Itaque facile intelligitur, contingere, ut cum admoventur mutuo in certa distantia ferrum & magnes, utriusque atmosphæræ simul admisceantur, & ex ea admistione alterentur & quasi fermententur, atque exiode illa summopere attenuari & levissima reddi. Ex quo fiat propter miram vim fermentatiouis, ut miscella effluviorum, quæ directo intercipitur inter ferrum & magnetem, non æquilibret amplius aeris nisum urgentis a tergo vel ferrum vel magnetem, ac proinde per huoc nisum propellatur vel ferrum ad magnetem vel contra magnes ad ferrum. Nec putandum est in magnetismis semper unam tantum rem esse tractam, & alteram tractricem; trahunt enim plerumque se mutuo. Illud tamen corpus quod majus & compactius, adeoque potentius est, ordinaria dicitur trahere, substantiam minorem aut rariorem. Si magna ferri quantitas attrahit parvum magnetem, permissa utrique motus libertate. Sic aqua vaporem attrahit, aurum halitus mercuriales, metalla corylum, major ignis minorem, bufo & aranea venenum. Sic etiam in animalium familiaritatibus illud dicitur alterum attrahere, quod potentiora habet motiva ad amorem alterius devinciendum.

Quamvis non negem dari in genere animalium amores & tractiones non mutuas. Sic lacerta homi-

nem

nem amat, non tamen homo lacertam. In rebus tamen aliis extra genus animalium vix dari credo non mutuam tractionem, quamvis mutua pertractio non semper sequatur.

Verum enim vero tametsi per effluvia explicare quis contendat phænomena magnetis, difficulter tamen assequetur, ut intelligas ex meris effluviis ferrum ad magnetem suspendi pondere non obstante: præterea motus ipse fugæ, dum videlicet libere suspensus unus magnes, aut una acus magnetica secundum unam sui extremitatem fugit & recedit ab altero admoto magnete: scilicet secundum polos cognomines omnes magnetes, & magnetica dicuntur inimica; secundum vero polos diversi nominis amica sunt. Hic, inquam, motus fugæ ambigue satis revocabitur ad sola & mera effluvia, uti fatetur P. Ptolomæus. Vnde ad horum & similium naturæ magnalium, censeo confugiendum esse ad universale aliquod principium, puta ad ipsum Mundi spiritum, aut ad Primalitates. Illi enim Deus vim quandam indidit omnia gravia in medio congregandi, & omnibus corporibus mansiones congruas assignandi; ita ut nisi aliud obstet, semper graviora locum occupent profundiorem. Similem vim habet Archæus humani corporis, qua partes, sive in eo tantum contentas, sive illud etiam constituentes, quasdam ad centrum, nonnullas ad peripheriam movet, alias huc illuc rapit motu reciproco & circulari. Sic in sanguinis fermentatione morbillos per cutem pellit, alia quædam superflua per crines, alia per vesicam, alia per alvum, alia retro vel juxta aures, alia per glandulas axillares & inguinales ejicit; ab eodem cordis motus & sanguinis circulatio, chyli ad hepar deductio, ac nutrimenti per omnes corporis partes distributio peragitur.

Dici etiam potest, vim a supremo rerum omnium opifice Mundi animæ impressam, corpora quæcunque non tantum in gravitate, sed etiam in quibuscunque aliis qualitatibus similia congregandi; magnetica vero & martialia versus Mundi seu cœli polos per rectissimam viam rejiciendi, vel saltem dirigendi.

Nec tot motuum diversitas videtur obstare; nam idem ipsemet spiritus in cœlis, & in unaquaque Cœlorum parte, est diversissimorum pene motuum principium; cur non pariter diversos in rebus terrestribus, & quidem diversis motus causare posset?

Cogit ergo etiam, sive congregat Spiritus Mundi Archæos similes & cognatos, eosque non tantum unit per sensum communem, ut etiam absentes ac divisi se mutuo percipiant: in quo sensu seu perceptione supra diximus consistere simplices sympathias; sed etiam copulat secundum locum, quæ copula effectus est magnetismi.

Hoc iterum explicari potest exemplo Archæi humani, qui sanguinem in venis, serum in renibus, felin hepatis vesicula, salivam in ore congregat; sive jam præter ipsius dispositionem atque ordinationem, habitudo quædam specialis & naturalis coordinatio in rebus ipsis admittatur, quæ Spiritum Mundi ad hos vel illos motus & actiones determinet, sive dicatur ex natura sua esse ad aliqua determinatus. Talem vim homogenea congregandi, & heterogenea separandi, etiam ignis in communi sententia habere dicitur, quæ tamen est longe diversa, multoque inferior. Sed de generali Magnetismo satis. De Magnetismo Vnguenti armarii, Persicariæ, Sapphiri, Vitrioli; item de lapillo Buthleri & Drif Helmontii &c. vide Expertissimum & Permagnificum D. Ioan. Marcum Marci in Phil. Vet. restituta Parte IV. impressa typis Academicis Pragæ A. D. 1662.

TRACTATVS XL
DE
RELATIONE ET ENTE RELATIVO.

Divisio Entis in absolutum & relativum, argumentum exhibet scitu dignissimum, & ad omnem Philosophiæ partem prorsus necessarium: quod eximius Philosophiæ Doctor sæpe laudatus P. Ptolomæus more suo accurate & radicaliter excussit Dissert. 45 Logico-Metaph. cujus vestigiis insistemus. Si tamen prius, ob connexionem causæ, de ente modali & absoluto quædam præmiserimus. Sit itaque.

SECTIO I.

Quid Modus in genere & quotuplex?

I. Quidam negant omnes omnino Modos, & tam affirmantes quam negantes cum de his disputaturi conveniunt, conclamant sine modo; & illi ab imperito vulgo acclamatur, qui clamore suo alterum oppressit. Id autem evenire puto duplici ex capite: tum quia circa definitionem modi non possunt convenire, & sic fit lis de nomine, uti patebit ex mox dicendis; tum quia, inquit P. Aloysius Temmik (lege Kimmet) pag. 655. ideo negant omnes modos, quia deberent eos distinguere a suis subjectis, quem tamen distinguendi *modum* nesciunt; vel enim id mere cogitate, quod non audent asserere; vel realiter, quod similiter putant non esse dicendum: & quia aliam distinctionem non agnoscunt, modos omnes prorsus eliminant. Qui tamen lepidissimi sunt: quid enim magis tritum, quam quod ubique sit *modus in rebus*; & ipsimet exercite manifeste docent, quod reflexe negant. Rogati enim quid sit rei situs, duratio, præsentia? respondent, nihil esse, nisi rem sic se habentem: quasi vero *sic habentia* illa non sit ipsissimus rei modus. Alii cum cogantur agnoscere esse modos in rebus, qui & profecto in ipsis subjectis existunt, non mere concipiantur ab intellectu, concedunt modos, sed realiter distinctos a subjectis: cum & distinctos videant, & nesciant distinctionem aliam, quam realem & cognitionis. Imo ulterius compulsi, fingunt etiam modos, qui sint entia absoluta, hoc est, qui per miraculum possint absque subjecto & creative existere: quod ipsissimus est caseus ligneus & hircocervus. Quin etiam Modos comminiscuntur, qui sint substantiæ, uti unionem hypostaticam, & physicam inter materiam & formam. Quis non videt, quanta sit virorum illorum calamitas, in qua jactantur ex mala distinctionum notitia. Hæc Kimmet, juxta quem (pag. 677.) hi termi-

termini sunt æquipollentes & convertibiles: *Ens, vel entitas modalis, respectiva, relativa, modus, modalitas; cui repugnat existere extra subjectum; quod extra subjectum chymæra est, quod Deus non potest facere extra subjectum, quod Deus non potest creative efficere*, &c. Similiter æquipollent & convertuntur isti: *Ens absolutum, ens cui non repugnat creative & extra subjectum, quod Deus potest ponere extra omne subjectum, quod non essentialiter inhæret subjecto, quod non involvit contradictionem, si ponatur extra subjectum.* Quare qui unum horum terminorum affirmat aut negat, affirmat aut negat omnes æquipollentes.

II. Modus physicus (nam de Enuntiativo, qui reddit Propositionem modalem, nec de Syllogisticis Figurarum modis, non est hic sermo) definitur a P. Thoma Comptono: *Entitas quædam incompleta intrinsece, per se & immediate affixa essentialiter alteri*; vultque Modos non tam esse res, quam rerum appendices, quæ suis modificatis sic adhæreant, ut ab iis separatim existere nec divinitus possint. Hanc definitionem, quam vocant a posteriori esse noviter excogitatam, & antiquis Philosophus incognitam, vel ex hoc colligi potest, quod Arist. & omnes Philosophi ratione naturali ducti existimarint omnia accidentia esse ejusmodi naturæ, imo omnium formarum, ut a subjecto suo sint prorsus inseparabilia taliter, ut seorsim existant. Adeoque debuissent Ens adæquate dividere in substantiale & Modale, cujus tamen vestigium non habemus. Deinde hæc definitio non est universalis, cum non comprehendat Modos extrinsecos a multis admissos.

Altera definitio dicitur esse prior, & est talis: *Modus est ens essentialiter informans, tollens formaliter indifferentiam illius, cum quo physicam & indispensabilem habet connexionem.* Hanc definitionem volunt esse ex communi sensu AA. confectam; solummodo addidisse se ajunt aliquas particulas, videlicet, *informans, physicam connexionem* &c. Vt per priorem qui-dem excluderent Angelum seipso indispensabiliter a Deo procedentem, quem ajunt (excepto Oviedo) a nemine vocari Modum: per posteriorem vero, ut excluderent cognitionem respectu objecti, quæ in sententia docente actus vitales essentialiter ab intrinseco procedere, deberet dici modus respectu objecti, cum juxta hos AA. sufficiat, ut modus aliquod suorum modificatorum informet: excluditur ergo per illam particulam cognitio, quia non est physica, sed tantum intentionalis determinatio.

Verum hanc definitionem rejicit Ipsemet P. Tobias Lohner S. I. Modista Problematicus in thesibus Ingolstadianis de Anno 1654. quia non convenit Actioni respectu agentis, quam tamen esse Modum vel maxime contendunt. Ipse autem num. 18. hanc substituit. Modus *est actualis determinatio rei indifferentis*. Nec reputat absurdum concedere omnes Creaturas esse Modos extrinsecos Dei, si ab illo immediate & sine actione distincta procedant.

III. Ante omnia bene Notandum, quamvis vulgo hæc vocabula: *Proportio, respectus, ordo, ratio* (cum idem significat ac proportionem) *connotatio, correspondentia, habitudo, modus*, ac demum *relatio*, censeantur idem designare (quod tamen melius examinabimus infra Sect. II. hujus Tr.) interim tamen oportet ea bene distinguere a seqq. *comparatio, combinatio, ordinatio, numeratio & proportionatio.* Nam proprie loquendo hæc postrema vocabula significant totidem cognitiones & modos cognoscendi, quibus cognoscuntur objecta illa, quæ a primis vocabulis significantur.

Præcipue vero hæc duo *Modus* & *Relatio*, si penitus expendatur vis & energia vocabulorum primæva & germana, differt Modus a Relatione tanquam species a genere suo: nam comparabilitas & proportio omnis unius rei ad aliam est relatio: sed modus est talis comparabilitas, ad quam designandam sine phrasibus & simplicissima locutione a primæva institutione linguarum constituta sunt non verba nec nomina, sed adverbia & præpositiones, ac denique obliqua omnia signa & syncategoremata, quæ pertinent in elementis ad appellationem terminorum e. g. *valde, vehementer, seorsim, simul, unde, nunc, olim, illic, ibi* &c. quod enim per hujusmodi voces designatur est modus, seu relatio modalis. Sed horum nominum licet adjectivorum, *similis, dissimilis, æqualis, major, aptus, ineptus* &c. significata sunt simplices relationes.

IV. Antequam ulterius in explicandis hujusmodi terminis progrediamur, Notabis insuper duo: I. Ex duplici classe vocabulorum mox relatorum alia designare relationem objectivam, ut illa est a parte rei independenter a nostris cogitationibus. e. g. *proportio, relatio, habitudo* &c. alia designant relationem mentalem e. g. *comparatio, assimilatio* &c. hoc est, significant tales cogitationes nostras, quibus cogitamus de una re in ordine ad aliam. Ita inter adverbia, quædam designant *modum objectivum rerum*, seu *modum essendi rei*, hoc est, ut est a parte rei independenter a nostris cogitationibus, ut si dicam, ignis est valde calidus.

Quædam alia significant modum mentalem, seu modum cogitandi, seu diversam cognitionem, & diversimode cogitantem unam eandemque rem. Talia sunt hujusmodi adverbia *signate, exercite, directe, reflexe, primo & secundo intentionaliter*, &c.

V. Nota secundo idiomata & linguas ubertate laborare sua: etenim quo magis auctæ & pervulgatæ sunt, eo magis exorbitant a communibus & generalibus regulis, ad quarum normam ab initio compositæ fuerunt, vel componi debuerant. Inde est quod excogitata sunt, & nomina & verba ad significandum id ipsum, quod proprie solis adverbiis designandum esset. Quandoque etiam vice versa adverbiis utimur ad significanda propria verborum & nominum exponenda. In exemplum sunto sequentia nomina & verba: *Vbi cari ubicatio, temporis præsentia, præteritio, futuritio, causalitas, actio, unio*, & illi ipsi termini *Relatio, & modus* &c. Cuncta ista superinducta sunt propriis istis adverbiis, *ubi, nunc, olim, deinceps, unde* &c. Et istis obliquis: *ad aliquid, quo pacto* &c. Atque ex hac occasione nota Aristotelem nunquam usum esse termino græco respondenti huic latino *Relatio*, sed appellare id, quod dicimus relationem simpliciter *ad aliquid*, hoc est græce πρός τι. Sed

Vlterius, *Ita*, seu *hoc pacto*, seu *taliter*, seu quod confusius & communius dicitur *modus objectivus*, in triplicem classem dividi recte potest. Prima continet Modos essentiales & necessarios rei modificatæ. Secunda, Modos primarios contingentes: Tertia Modos secundarios contingentes. Primi Modi perinde sunt ac formalitates specificæ, aut differentialiter, aut aliter prædicabiles de quolibet subjecto, v. g.

rationale est modus essentialis modificans animal ut sit tale animal: nempe ab antiquis Scholasticis differentiæ appellabantur *modi ipsius generis*, ac præsertim generis generalissimi, nempe *Entis*. Inde D. Augustinus sæpissime differentias illas substantiæ & accidentis, quas *perseitatem* & *inaleitatem* nonnulli vocitant, appellat Modos essendi. Fundatur hic castigatus loquendi modus seu usus in Entis analogia, ejusque impræscindibilitate a differentiis, quod nimirum ens differat ab alio ente per ipsissimam rationem & formalitatem entis, (ut numerus a numero differt per rationem formalitatem entis, (ut numerus a numero differt per rationem formalem & expressam numeri) non vero per aliquam formalitatem, quæ formaliter & expresse præscindat ab ente. Sed de hoc alibi.

VI. Secundi Modi, nempe primarii contingentes sunt *existere*, & *non existere*. Creaturæ enim (nam de modificanda agitur) contingens est eo modo se habere, ut sit extra causas, quo se habent, qui dicunt, *ego existo*; vel illo modo se habere, quo se habent, qui neque dicere possunt *ego existo*, nec etiam possunt dicere *non existo*, quia non existunt. Nempe Essentiis rerum accidit poni extra causas, aut remanere in statu meræ possibilitatis; & per hoc differunt a Modis primæ classis.

VII. Tertiæ Classis Modi secundarii contingentes sunt non tot, qoin plures esse posfint, & fere omnes Aristotelicas Categorias complectuntur, præter substantiam realem & qualitates actuosas: nempe *actio*, *passio*, *ubicatio*, *duratio*, *extensio seu quantitas externa*, *situs*, *habitus*, & plurimi alii modi qui modificant, vel substantiam vel qualitatem, vel ipsam extensionem, vel reliquos modos, ut *rarefactio*, *condensatio*, *compressio*, *tensio*; *remissio*, *intensio*, *configuratio*, *penetrabilitas*, *penetratio*, *unio*, *compositio*, *edoctio*, *inhæsio*, *adhæsio* &c. Inter quos licet nonnulli sint, de quibus litigatur, utrum sint Modi vel accidentia absoluta, nemo tamen dubitat farraginem modorum plurimam esse, per quos respondetur ab omnibus interrogationi per *Quomodo?* Rixatur autem, utrum isti Modi revera sint entia distincta realiter a re modificata, veluti totidem formulæ subjecto copulatæ. Dicuntur secundarii, qnia supponunt primarium, *Existere*.

VIII. Discrimen inter hosce Modos secundarios contingentes (de quibus hic solum agitur) & relationem prædicamentalem hoc est, quia licet non minus habeant fundamentum & terminum, quam Relationes, & inde sub genere relationis contineantur: attamen ratione modi res modificata non refertur ad terminum, sed ad aliquid aliud distinctum a termino. Propter hoc discrimen neglectum aut ignoratum caligant plures in re præsenti, ait P. Ptolomæus. *Paternitas* enim *similitudo*, *aequalitas* &c. Relationes prædicamentales denominant *Patrem*, *simile*, *aequale*, sed cujus Patrem? nempe filii, hoc est termini hujus relationis *Paternitas*: Et ita in reliquis relationibus prædicamentalibus, ut infra audiemus. *Unio*, *actio*, *ubicatio*, *duratio*, *rarefactio*, & cæteri modi secundarii contingentes denominant e. g. *materiam unitam*, sed cui? vid. formæ, & rursus formam unitam ipsi materiæ. Nunquid forma est terminus hujusmodi *unio*, sicut filius est terminus hujus relationis, *Paternitas?* Minime gentium. Quod dixi de Vnione, accommoda actioni, quæ denominat agens, sed quid agens? nimirum effectum, qui non est terminus hujus modi *actio*. Item accommoda *ubicationi*, *durationi* &c. quæ denominant e. g. Petrum *ubicatum hic*, seu in hoc loco, *durantem nunc*, seu in hoc tempore, licet neque *locus hic*, neque tempus hoc, sint termini horum modorum. Quis autem sit hujusmodi modorum terminus audies mox ab ipsis adversariis, quanquam nil tale credentibus clarissime expositum.

IX. Præter discrimen præmissum inter Relationes & Modos, dantur adhuc aliæ differentiæ, ut I. quod Relatio abstracta sit per modum collectionis; modus vero abstractus dicat in recto fundamentum, in obliquo terminum. Sed hæc differentia non habet locum in nostra sententia, quæ Relationem identificat soli fundamento connotanti terminum; nivelis cum P. Ptolomæo quasdam excipere, de quibus infra. II. quod relatio copulet veluti duas causas inadæquatas: modus vero conjungat causam cum conditione, & reddat illam velut expeditam in actu I. proximo ad tionem tale, & ad rem objectivam talem.

Omnes totius antiquitatis Philosophi ab usque Aristotele de Modis hujusmodi secundariis senserunt, ut de meris relationibus: ac proinde statuerunt non posse modos illos exponi per rectos casus, sed per obliquos vel adverbia: nempe ut olim Relationes appellabantur præcise *ad aliquid*, & negabatur juxta Arist. esse aliquid; ita de Modis negabant *esse quid*, sed præcise concedebant *esse ad aliquid*, vel *alicujus*, *vel alicui*, *vel ab aliquo*; quod ipsum clarius dixissent, modum esse *adverbiorum* significatum, non *nominum* aut *verborum*. Adducitur in hanc rem celebre dictum D. August. 7. de Trin. c. 5. *omne*, *quod relative dicitur* (hoc est, quod denominat denominatione relativa) *est aliquid*, *excepto ipso Relativo*, h. e. ipsa Relatione, quæ non est *aliquid*, sed præcise *ad aliquid*.

X. Cæterum Interpretes Aristotelis, tum Græci, tum Arabes, tum Latini, & omnes Scholastici Theologi cujuscunque Scholæ, qui a Sæculo XII. reparatæ salutis usque ad initium sæculi XVII. floruere, philosophabantur de Modis juxta hypothesin quisque suam, quam de Relatione prædicamentali statuerant: videlicet, vel identificabant modos cum subjecto, aut ab illo distinguebant, sive in natura rei, sive formaliter per intellectum, sive realiter, prout de Relatione similia censebant; quemadmodum Eruditis lectione antiquitatis Scholasticæ notissimum est: in eruditis vero fateri nosse, Doctorem Franciscum Suarez sapientia & eruditione plenissimum pro modorum distinctione & illorum entitate superaddita rei modificatæ, nullum certum & indubium authorem nisi neotericum appellare nostræque ætatis, in qua inceptum est cogitari de danda entitate & vita Modis.

XI. Præmonendus interim Lector est cum P. Ptolomæo Doctore Romano, ut caveat Sirenem facilitatis, ne illusus credat illud verum & probabilius, quod dictu & explicatu facilius: imo vero difficultas non leve indicium est veritatis, quæ vel latet, vel exulat. Illud sane, ut certissimum affirmat hic Author, dicterium hujusmodi purum putum: *facilius hoc est ad intelligendum vel agendum*, positum pro Regula, in theologicis progignere hæresim, in philosophicis ignorantiam, in ethicis flagitia. Pessimum itaque argumentum facilitas est: unde tamen oborta opinio Modalistarum, quod videlicet facillime explicari videatur, quid sibi voluerint veteres per eas voces *ad aliquid*

quid, alicujus &c. Sed ista facilitas, quæ in omni fere difficultate solvenda obtrudit Modum, aut formam nescio quam de novo singulis momentis resultantem & fungorum more propullulantem, ad veritatem evolvendam minime commodat, & Iudicri nonnihil habere visa est celeberrimo Theologo P. Gabrieli Vasquez Disp. 32, 3. p. cap. 4. ibi: *tot multiplicare modos, & omnia modis, & modos modis implere in philosophia res valde ludicra videtur.*

XI. Hic relegenda veniunt, quæ Tract. I. de natura Accidentis docuimus, ut refellantur, qui Modos explicant, ac si essent accidens aliquod absolutum. e. g. albedo, nempe aliquid realiter & entitative distinctum quid a subjecto seu modificato, realiter quid productum a causa sua, realiter unitum a subjecto suo, & cum illo faciens hoc concretum *modificatum*, hos crassos modos excogitarunt Modalistæ ad facilitandam scil. Philosophiam: sicut Thomistæ volunt Ens rationis logicum resultare ad cognitionem nostram formalem circa objectum elicitam, quasi aliqua formalitas denominans objectum cognitum objecto intrinseca necessaria sit, quod est docere discipulos artem fingendi, quod non est doctrina sed deceptio. Nostræ autem modalitates defenduntur & explicantur instar Relationum prædicamentalium, quidem diversi mode, prout patebit ex infra tradendis.

XII. Cum autem Modalistæ vexare soleant eos, qui Parcum Naturæ Genium sectantur, petendo quid sit ille terminus modalis, de quo paulo ante fecimus mentionem, qui de novo ponitur & poni debet, ut nova denominatio objectiva, licet modalis, vere dari possit in natura: Pete ab hujusmodi vexatoribus suggerente P. Ptolomæo Romano, quid sit ille actus primus proximus proxime expeditus, a quo juxta ipsos producit, efficitur, producitur aut emanat (prout nonnulli loquuntur) per veram energiam Modus quicunque? Utcumque idipsum exposuerint, statim repone, istud ipsum, mutato nomine, esse requisitum terminum modalem sufficientem ad novam quamcunque denominationem modalem, sine novo modo per modum formulæ superadditum. Si sapient, nil ultra urgebunt nisi ad trahendum tempus argumentando præscriptum. Etenim cum per illos quilibet modus vere & physice in genere causæ efficientis producatur (quod modestius tamen emanationem vocant) a causa inquam propria & vere efficiente: profecto causa ista, ut de facto agat, debet constitui in actu primo proximo proxime expedito, cum omnibus requisitis & prærequisitis, tum negativis, tum positivis: quibus omnibus positis causa ipsa est determinatissima per te ad producendum in eodem instanti modum illum tuum. Iste autem actus primus proxime expeditus cum omnibus &c. nempe ista collectio ex causa & conditionibus &c. ponitur de novo, saltem denominative, si non quiditative in rerum natura in hoc instanti temporis, e. g. A.

Ista item collectio tota & totaliter non erat in instanti antecedenti: ista collectione posita in hoc instanti A tollitur seu determinatur omnis indifferentia causæ ad producendum illum modum tuum, (agimus enim de causa necessaria, non de libera) quæ causa secundum se & entitative erat in differens, ut produceret in hoc instanti A. modum illum tuum, vel non produceret: quia ista collectio tota non erat in instanti antecedenti temporis, causa in illo non produxit modum tuum: ista collectio tota est contradistincta a modo illo tuo; quia actus primus proximus, licet sit in eodem instanti temporis, non tamen includit in seipso actum secundum, licet coexistentem, sed illum producit. Muta ergo nomen & rem retine. Ne appelles illam collectionem *actum primum proximum proxime expeditum*: quia non est necesse, ut nitatur ad producendum ullum actum secundum, nempe *modum*, sed appella terminum modalem: quo termino posito de novo, dari potest nova denominatio objectiva, & res de qua modificanda satagebatur, & ideo inducebatur novus modus realiter distinctus; jam per hoc quod connotet talem terminum modalem erit sufficientissime modificata. En scutum fortissimum, retundendi omnia tela Add. in ipsosmet!

Videamus modo qua ratione salventur celebriores modi secundarii contingentes absque entitatula quacunque superaddita vel de novo pullulante.

SUBSECTIO I.

De Unione, & Totalitate Compositi substantialis.

XIII. De Actione, Duratione, Ubicatione & motu locali jam egimus alibi: restat ut hoc loco de unione physica materiæ inter & formam, an sit tertia entitas distincta, sicut & de totalitate, an totum & quomodo distinguatur a partibus dispiciamus. Quamobrem sint Conclusiones seqq.

Conclusio prima generalis. Nulla est necessitas cogens admittere Modos realiter & entitative distinctos a modificatis. Ratio est manifesta ex solutione argumentorum adversæ partis, Modalistæ enim protestantur ex mera necessitate se adactos ponere modos suos: & cum par sit omnium conditio, brevitatis causa unum vel alterum ex celebrioribus, in medium proferemus, ut & aliorum tota causa expediatur. Probatur itaque I. iisdem rationibus, quibus existentiam rei creatæ identificari essentiæ ejusdem convincitur, hoc modo: Si non esset idem existentia cum essentia secundum id quod importatur in recto, sed distinguerentur realiter, multiplicarentur entia sine necessitate: sed non sunt ita multiplicanda; ergo. prob. maj. essentia rei creatæ ut connotans actualem productionem, seu statum existentialem est formalissime & sufficientissime existentia rei creatæ secundum rectum, ergo si addatur existentia distincta realiter, multiplicatur existentia sine necessitate. Prob. ant. quia essentia rei creatæ ut connotans, & terminans actualem productionem, vel conservationem est formaliter essentia posita in illo statu notissimo, quem omnes intelligunt cum dicunt, ego existo: sed eo ipso illa essentia est sua existentia secundum rectum (per illud enim, *formaliter*, positum in majori designatur, quod sine forma realiter distincta superaddita, essentia facit hoc concretum *existens*) ergo essentia rei creatæ ut connotans actualem productionem est formalissime existentia rei creatæ.

Hoc argumentum fortissimum est ad tollendos e medio Modos omnes distinctus realiter, adeoque multo magis ad tollendum primum Modum, hoc est Existentiam distinctam realiter a re modificata. Cæterum idem argumentum triplici alia forma, sed per idem semper medium proponi potest, quod ad eruditionem sic explicatur.

Primum.

Primum. Intellecta præcise essentia rei creatæ ut terminante actualem productionem, & nulla existentia distincta realiter intellecta, adhuc intelligitur illa essentia existens juxta intelligentiam communem existentiæ notissimam omni homini existenti, ergo existentia rei creatæ non consistit in entitate realiter distincta & superaddita essentiæ ut connotanti actualem productionem.

Secundum. Si essentia rei creatæ ut connotans actualem productionem existeret per existentiam distinctam, non existeret per existentiam distinctam, ergo. prob. ant. quia antecedenter seu in priori ad illam existentiam distinctam, essentia ut connotans &c. sufficientissime existit (ex conclusionis probatione principali) adeoque in eo priori existit per existentiam indistinctam: sed per AA. essentia existit per existentiam distinctam, ergo existit & non existit per existentiam distinctam.

Tertium. Non est major ratio, cur essentia rei creatæ existat per existentiam distinctam, & ipsa existentia distincta (utpote aliqua creatura, habens essentiam rei creatæ) non existat per existentiam distinctam. Sicuti si albedo dealbaretur per albedinem secundam, non esset major ratio, cur non secunda quoque dealbaretur per tertiam, & tertia per quartam, & sic in infinitum, ergo quam repugnat processus in infinitum in rebus existentibus & physicis, tam repugnat existentiam rei creatæ distingui realiter ab essentia rei creatæ.

XIV. Conclusio 2. Corpus naturale per ipsasmet præcise entitates partium actione agentis unitas, absque ullo medio vinculo ab illis realiter distincto consurgere, tum principiis fidei, tum Aristoteli, tum Ang. Doctori, tum rationi naturali conformius est. Probatur 1. ex Arist. Lib. 2. de anima, ubi dicit eam uniri cum corpore, ut ceram & figuram, inter quæ nullum est medium. Et 8. Metaph. disputans an tertium aliquod requiratur hujusmodi duo extrema colligans? respondet non requiri, sive dicatur animatio, sive esse, sive vivere &c. sed sufficere unum esse materiam, alterum formam & accessu agentis fieri actu, quod erat potentia. Philosophum sequitur S. Thomas innumeris locis, præsertim 1. p. q. 76. art. 7. o. ibi: "Dicitur aliquid unum, quomodo & ens; "forma autem per se ipsam facit rem esse actu, cum "per essentiam suam sit actus, nec dat esse per ali-"quod medium. Unde unitas rei compositæ ex ma-"teria & forma, est per ipsam formam, quæ secun-"dum seipsam unitur materiæ ut actus ejus, nec est "aliquid aliud uniens, nisi agens quod facit mate-"riam esse actu. Et circa finem ait, anima imme-"diate unitur corpori, ut forma materiæ." Si immediate, ergo per nullum, sive corpus sive non corpus, sive medium vinculum ut quod, sive ut quo. Nimis enim jejuna est hæc distinctio, dum ajunt Aristot. & D. Thomam nil aliud intendisse, quam quod materia & forma uniantur seipsis, id est non mediante alia materia & forma, sed tantum mediante ratione formali uniendi, quæ non mediat nisi ut quo. Contra enim facit efficaciter, quod illud decidisse censendus est Philosophus, de quo prudenter & rationabiliter poterat dubitari: sed nemo tam delirus fuit unquam, nedum Philosophus, qui contenderet materiam uniri formæ per aliam materiam, aut formam per aliam formam, ergo de medio *ut quod* nunquam fuit dubitatum, consequenter non potest prudenter dici Philosophum id decidisse, quod non venerat in quæstionem.

Quod etiam conformior sit nostra sententia Principiis Fidei, sentire videtur idem Doct. Angelicus in 3. dist. 2. art. 1. In unione, inquit, humanæ naturæ ad divinam nihil potest cadere medium formaliter unionem causans, cui per prius humana natura conjungatur quam Divina, sicut inter materiam & formam nihil cadit medium in esse, quod per prius sit in materia quam forma substantiali. Deinde Verbum ex unione hypostatica nihil reale intrinsecum acquisivit, ergo & econtra humanitas seipsa præcise mansit unita eidem Verbo; utriusque enim æqualis debet esse conditio.

XV. Rursus humanitas unitur se ipsa immediate cum propria existentia, ergo & immediate cum subsistentia Verbi; alias personalitas Verbi non suppleret vices propriæ subsistentiæ seu personalitatis. Denique ex opposita sententia sequeretur aliquid aliud, præter corpus & animam constituere humanitatem, contra Symbolum S. Athanasii, ibi: sicut anima rationalis, & caro unus est homo &c. nempe unio quam volunt esse tertiam entitatem.

Hic tamen obiter notandum, tametsi Verbum cum humanitate componat Christum: non tamen debere dici partem Christi, sed terminum. Rationem dat P. Mlodzianowski Prælection. Metaph. tract. 1. disp. 4. num. 105. & 106. quia pars dicit perfectibilitatem. Sed neque natura divina comparata ad subsistentiam Patris habet rationem partis; neque rationem totius, quia habet rationem ulterius communicabilis. Perfectiones autem relativæ continentur eminenter in Essentia, quæ ex sui fœcunditate communicabilis est interventu Processionum.

Probatur secundo applicando argumentum positum in conclus. 1. Materia & forma existens actu, & exercite ut connotans totum actum primum proximum & expeditum proxime (excepta ipsa materia & forma connotante) requisitum per Modalistas ad hunc actum secundum *unio distincta*, est sufficientissime & determinatissime materia & forma unita, seu ita utraque modificata ut faciat unum per se, seu ut forma informet materiam, materia recipiat, & sustentet ipsam formam, seu si magis modaliter vis dicere: *est forma in materia, & materia sub forma*, ergo &c. Denique ea est juxta omnes natura Modi, quod sine modificato seorsim existere nulla ratione queat: bene tamen modificatum sine modo: supponunt itaque Auctores hic dari formas absolutas, quas materiæ uniri oporteat. Moderno autem tempore quam plurimi negant dari ullam formam substantialem absolutam (præter animam rationalem): adeoque tota quæstio devolvetur eo, utrum corpus humanum & anima rationalis ad unionem sui invicem requirant entitatem modalem distinctam tertiam? Quid si etiam negetur animam rationalem (stricte loquendo) esse formam? Vide quæ diximus Tract. VIII. & XXVI. Sed quid dicendum de anima sensitiva brutorum? habetne rationem formæ? Respondet Author Philosoph. Burgund. tom. 2. Tract. 2. q. 3. se per materiam intelligere quod crassum est & sensibile, quodque ab alio perficitur; per formam vero id quod dominatur, regit, continet Elementa seu materiam ipsam, communique omnium sensu & voce sic appella-

pellatur. Sic forma, inquit, dicitur in viventibus ſubſtantia quædam tenuis & vegeta, quæ partes omnes in ſui obſequio continet, quæque functionum eſt cauſa primaria: nec forma tamen dici poteſt, niſi ut eſt in corpore organico, cui vitam & ſenſum largitur. Tum enim certis legibus corpus movet & vegetat, & ſeſe multiplicat fere inſtar flammæ aut per ſui diviſionem; eatenus habet rationem formæ, quatenus una cum corpore eſt principium integrum & adæquatum earum functionum quas vivens exerit. Hæc ille. Qood de anima rationali pariter dici poſſe exiſtimo.

XV. Concluſio 3. Totum per ſe ſubſtantiale v.g. homo non diſtinguitur ullatenus a partibus ſuis ſimul ſumptis, ſi ſumatur ſubſiſtentia in recto, & natura in obliquo, cum unione actuali ſuppoſita. Conſtat, quia ſi *homo* reducatur per analyſim ad ſuas partes, eſt Perſona habens humanitatem. Ecce perſona ponitur in recto, humanitas in obliquo, & illud habens denotat unionem actualem.

XVI. Concluſio 4. Totum per ſe ſubſtantiale diſtinguitur realiter a ſuis partibus ſimul & copulatim, ſi ponatur in recto unio, aut natura. Oſtenditur. Quia falſum eſt dicere, homo eſt unio conjungens perſonam humanitati, aut humanitatem perſonæ: nec homo eſt humanitas habens perſonam, ſeu, ut loquuntur aliqui, humanitas in perſona: quia alias etiam Deus eſſet Deitas habens perſonam, & conſequenter hæc propoſitio, *Deus eſt homo* (loquendo de Chriſto) æquipolleret huic: Deitas habens perſonam, eſt humanitas habens perſonam: vel huic, Deitas in perſona, eſt humanitas in perſona, quæ aperte falſæ ſunt; cum tamen (loquendo de Chriſto) vera ſit hæc, hic homo eſt Deus, & Deus eſt homo.

XVII. Concluſio 5. Vnum per ſe ſubſtantiale diſtinguitur realiter ſuppoſitione a ſuis partibus in recto ſimul & copulatim ſumptis. Ita Caramuel.

Patet, quia falſum eſt dicere, homo eſt ſubſiſtentia, humanitas & unio; homo enim eſt realiter unum quid; illæ autem partes ſunt realiter plures. Hæc concluſio non differt, niſi in modo loquendi, ab illa, qua dicunt, totum ſubſtantiale entitative ſeu materialiter non differre a partibus omnibus ſimul & unitim ſumptis; differre tamen formaliter, ſeu ratione ratiocinata.

XVIII. Concluſio 5. Totum per ſe accidentale (v.g. album) diſtinguitur & non diſtinguitur a ſuis partibus (ſubjecto & forma ſimul ſumptis, ſi ſubjectum importetur in recto, & forma in obliquo; aut econtra, prout ſupra diximus de Toto per ſe ſubſtantiali. Et ne turberis, dum audis *totum per ſe accidentale*, ſcito Compoſitum eſſe duplex: Vnum per ſe; aliud per accidens ſeu per aggregationem: nec debent confundi a bonis Philoſophis *Totum per accidens*, & *Totum accidentale*. Siquidem Totum per accidens, ut acervus lapidum, domus, navis &c. opponitur Toti per ſe, & Toti accidentali, nam Totum *per ſe*, ſeu unum per ſe dicitur illud, quod conſtat partibus, quæ ſe habent ad invicem vel ut actus & potentia, vel ut ſubjectum & forma: & hoc iterum duplex eſt pro ratione formæ, nempe Subſtantiale & Accidentale; ut homo, & coloratum. Ratio hujus eſt quia potentia receptiva materialis tam per ſe reſpicit ſubſtantiam quam accidentia: actus enim quicunque, per ſe potentiam reſpicit, & iſta actum; hinc ex potentia & actu debet exurgere unum per ſe. Secus accidens in arteſactis & aggregatis per accidens.

XIX. Concluſio 7. Totum per aggregationem non differt realiter a ſuis partibus, ſi aut hæ in recto ponantur & aggregatio ipſa in obliquo; aut vice verſa, aggregatio in recto & partes in obliquo. Patet, quia bene dicimus, cumulus lapidum eſt lapides conglomerati, vel lapidum conglomeratio. Non autem poſſumus dicere, acervus tritici eſt triticum & coacervatio, ſed eſt coacervatio tritici, aut triticum coacervatum.

XX. Concluſio 8. Superflue & inaniter fingitur totalitas Compoſiti ſubſtantialis tanquam tertia entitas ſuperaddita partibus unitis. Eſt communis contra Scoticos. Probatur 1. Poſitis partibus unitis, præciſa quacunque tertia entitate, ſalvatur ratio totius, ergo totum non ſuperaddit abſolutam aut modalem entitatem partibus unitis. ant. prob. 1. partes ſic unitæ ſunt unum per ſe ſubſtantiale, ergo vel ſimplex, vel compoſitum? non ſimplex, ut patet, ergo compoſitum, ergo ſalvatur ratio compoſiti præciſe in materia & forma unitis. 2. Si poſitis partibus unitis non reſultaret totum, ſed requireretur aliquid ſuperadditum, definitio phyſica ſolum per illas partes data non explicaret totum ſcilicet illud diſtinctum ſuperadditum; conſequens eſt falſum, ergo. maj. prob. quia hominis v.g. tota definitio eſt quod ſit ſubſtantia conſtans corpore, anima & Mente. 3. Vel illa tertia entitas reſultans ex partibus ſimul ſumptis, & unitis identificatur realiter cum partibus ita unitis: vel illis ſolum unitur, eſto non identificetur: vel denique nec unitur, nec identificatur cum ipſis, ſed diſparate & ſeorſim ab illis ſe habet: nihil horum dici poteſt. ergo. Non primum, alias haberemus intentum. Non tertium, quia ſic tertia illa entitas compoſiti non ſpectabit ad idem totum, ad qood pertinent ipſæ partes; quia quæ nec identificantur, nec inter ſe uniuntur, nequeunt conſtituere idem compoſitum, ad quod indiſpenſabiliter requiritur unio uſque adeo, ut vel ad compoſitionem totius per ſe accidentalis requiratur unio accidentis cum ſubjecto. Si vero ſecundum, tunc vel ex illa unione tertiæ entitatis cum partibus ſimul ſumptis & unitis reſultabit tertium compoſitum, vel non? dici nequit non reſultare, tum quia non eſt major ratio, quod prima vice ex partibus ſimul ſumptis & unitis reſultet totum, quam ex illis partibus ac tertia illa entitate unitis, cum ratio totius ex pluribus inter ſe unitis coaleſcat; tum quia alias adhuc manet totum nihil aliud eſſe, quam partes inter ſe unitas, cum totum illud nihil aliud foret quam ipſæ partes & tertia entitas partialiter & inadæquate ad conſtitutionem totius concurrens. Nec dici poteſt ex illa unione tertiæ entitatis cum partibus reſultare aliquod tertium compoſitum diſtinctum ab illis; ſic enim dabitur proceſſus in infinitum, ut patet conſideranti. 4. Vel illa tertia entitas ſeu totalitas eſt ens ſimplex, vel compoſitum? ſi ſimplex: quomodo poteſt e.g. humanitas, dici quæ neceſſario & eſſentialiter includit corpus & animam? Si compoſita, ergo conſtat partibus, ergo corpore & anima, ergo & anima voluntate & intellectu. Quæro an illa anima, illa voluntas &c. diſtinguantur a corpore & anima, quæ primo conſtituebant Totum, vel non? ſi diſtinguantur, habebimus

in uno homine duas voluntates, duas animas, aut forte tres. Si non distingu. ergo nec totalitas distinguetur.

XXI. Hinc est ista hypothesi Scoostarum (quod nempe Totum qua tale, sit entitas vera & realiter a partibus simul sumptis & unitis distincta velut effectus a causa efficiente, exorta fuit & publice defensa nova sententia Pragæ Anno 1657. & 1663. in Seminario Archi-Episcopali, adstruens in homine duas dari Rationalitates, duos intellectus, & duas voluntates, hoc ratiocinio: Homo ut distinctus a suis partibus simul sumptis & unitis, vel habet essentiam veram & realem hominis, vel non habet? Si habet, ergo & proprietates & potentias emanantes ab illa. Si non habet, ergo ut distinguitur a partibus unitis est chymæra; & sic in vanum laborarunt Scotistæ a 300. annis defendendo contra Thomistas Totum esse entitatem veram & realem, distinctam realiter a partibus. Ergo vel tollenda hypothesis, vel admittendum Consectarium novum hactenus & inauditum, nempe in homine puro duas, in Christo tres voluntates reperiri.

Hanc Bohemorum Scotistarum sententiam acerrime impugnavit R. P. Reginaldus Schottl ipse Scotista Landishuti An. 1689. in thesibus impressis controv. 8. & 9. quem vide.

SUBSECTIO II.

Respondetur argumentis Modistarum circa Unionem, & Scotistarum circa Compositi totalitatem.

XXII. Sicut optima mater Communitas, pessimam parit filiam Discordiam, nempe homines ad dissentiendum sunt faciles. *L. Item si unus 17. §. 6. ff. de recept. qui arb. recep.* Sic Unio capitales peperit dissensiones inter Philosophos. Omnibus enim modis & totis viribus conantur Modistæ nobis obtrudere entitatem mediam modalem inter materiam & formam, corpus & animam &c. cujus necessitatem Parcus Naturæ Genius nullatenus agnoscit, ut patebit ex solutione objectionum.

Arguunt 1. Si unio nihil est distinctum a partibus, non potest assignari objectum voluntatis Divinæ, quando vult Compositum; utique enim Deus potest materiam, formam & dispositiones velle, ita tamen ut non sit compositum, nempe si singula quidem velit, sed loco sejuncta; aut etiam localiter conjuncta, imo intime præsentia, ergo necessario concedenda unio realiter a partibus distincta.

Respondeo 1. Illud ipsum habere Deum pro objecto dum vult compositum, quod Modistæ assignant pro actu primo proximo & expedito ad hoc ut Modus unionis resultet aut producatur, prout supra jam monuimus. Quod ipsum sic dilucido. Deo miraculose sic volente potest materia & forma cum omnibus dispositionibus & requisitis intrinsecis, & pluribus extrinsecis existere, etiam compenetrata & tamen non uniri, nec facere unum per se, nec esse simul compositive. Similiter Deus miraculose potest causam secundam efficientem ponere in actu primo, cum pluribus conditionibus & requisitis, tum positivis tum negativis, & tamen impedire, ne causa illa secunda agat effectum suum e. g. calorem, hoc est ut ab ea causa non sit calor. Videlicet quia pro utroque casu, licet reliqua adsint, deest tamen unum: requisitum maxime necessarium, nempe carentia miraculi, hoc est Deum nolle miraculose impedire causas secundas necessarias: hoc est velle vel permittere, ut causa secunda passiva suum effectum formalem seu intrinsecum agat, vel velle concurrere cum causis secundis activis necessariis cæteroquin ad comproducendos earum effectus necessarios. Distingue itaque hæc duo: *Materia & forma est cum pluribus dispositionibus intrinsecis & extrinsecis: Materia & forma est in actu primo proximo proxime expedita*, ad faciendum compositum. Item hæc duo: *Causa efficiens* v. g. ignis, *est in actu primo cum pluribus requisitis* ad producendum calorem: Ignis *est in actu primo proximo proxime expeditus ad idipsum*. qui ultimi termini significant, est cum omnibus conditionibus omnino, tum intrinsecis, tum extrinsecis, tum negativis, tum positivis, tum requisitis, tum prærequisitis. Deinde perpende quod in casu supradicti miraculi non essent veræ duæ ultimæ propositiones respondentes, quas notavi de materia & forma, & de igne. Ratio est, quia carentia miraculi, vel voluntas Dei concurrendi & cooperandi est una ex conditionibus omnino requisitis ad constituendum utrumque actum primum proximum proxime expeditum. Hujusmodi autem actus primus proximus proxime expeditus cum omnibus prædictis per Modalistas est in priori naturæ ad productionem vel unionis vel actionis; adeoque in nostra sententia, est terminus modalis, quo posito & connotato a materia & forma eo ipso denominatur utraque modificata & unita, & ignis denominatur agens, hoc est modificatus. Vel aliter

Respondeo 2. Deum habere pro objecto sui Decreti actuationem formæ respectu talis materiæ, sive quod forma tribuat rationem formalem in certo genere huic materiæ aut subjecto, & negationem concursus ad separationem, si jam actualiter tribuerit, quod facit ut unio conservetur. Duplex ergo habet objectum: positivum & negativum, quatenus enim decernit operationes in hac materia eliciendas, & negationem destructionis, ipsam conservationem positivam intendit; quatenus vero nonvult producere motum per quem unum extremum applicetur novo spatio, absque eo quod eidem spatio etiam alterum extremum applicetur, ut sic habet objectum negativum. Aliud ergo habet objectum dum vult materiam & formam secundum se & absolute; aliud dum vult materiam respicientem formam, aut formam actuantem materiam: aliud, inquam, non entitative, sed denominative. Sicut aliud habeo objectum cum dico, *Hic liber est Petri*; aliud dum dico, *Petrus & liber*, aut *Petrus libri*. Aliud Objectum habet hic actus: *Rex Hungariæ*, quam hic, *Hungaria Regis*. Dic, sodes, quid entitatis plus ast in uno quam in altero? Sic eodem modo, aliud objectum habet Decretum divinum, quod vult totum Compositum; aliud quod vult Subsistentiam, materiam & formam; quia Totum non est omnes partes simul sumptæ quomodocunque, non quidem entitative, aut physice, aut formaliter ex natura rei, sed realiter suppositione. Toties ergo aliud habetur objectum, quoties aliud concretum: non tamen semper alia est entitas, ubi aliud concretum. Viden' quam elumbe sit argumentum, cui tantopere fidunt.

XXIII. Instabis. Hæc quæstio non est de voce aut casibus, sed de re; ergo sublatis casibus (recto, obli-

obliquo) qui nominibus non rebus accidunt, Totom a suis partibus simul & copulatim sumptis, debet distingui.

Respondeo I. cum Caramuele: Casus non esse nominum accidentia, sed rerum. Recta nomina sunt, quæ significant rem in recto: obliqua nomina, quæ significant rem in obliquo. Tunc res significatur, concipitur vel accipitor in Recto, quando accipitur secundum se; tunc res accipitur in obliquo, quando concipitur ut habitudinis (intrinsecæ, vel extrinsecæ) terminus. Hoc concretum *Homo* (lux sit clarissima difficultati) exponitur, *suppositum habens humanitatem*. Suppositum ponitut propter se; humanitas autem est terminus intrinsecæ habitudiois, quæ est inter naturam & hypostasin. Fateot, non agi hic de vocibus; sed sine vocibus exponere mentem non valemus. Illud ergo exigit concipi in recto, quod postulae nomen in nominativo; illud in obliquo, qnod postulat nomen in alio casu. Hanc diversam exigentiam vocaot alii *meritum objecti*. Illa non distinguunrur realiter, quæ de se possunt prædicari: & illa realiter de se prædicantur, quorum recta realiter sunt idem. Partes omnes in recto non possunt de Toto prædicari, quia hoc, si substantiale sit, dicit in recto subsistentiam duntaxat, & omnes alias partes in obliquo. Vides ergo, quod res concipiatnr in recto aut obliquo; ex rerum natura peti, non a nostro pendere arbitrio. Hinc respondeo II. In hoc, quod est rectum & obliquum, duo reperiuntur. Ipsum dicete in recto & obliquo, non est nemine cogitante. Sed objectum illius recti & obliqui, est nemine cogitante. Sic ratio Totius, quam subsistentia importat in obliquo, habetue nemine cogitante: eadem est eatio de Relativis omnibus.

XXIV. Arguitur II. ratione, ut putant, evidenti. Quando duæ res ab invicem possunt separari, saltem de potentia absoluta, evidens est eas esse distinctas: nihil enim a seipso separabile. At possunt esse realiter materia & forma substantialis in rerum natura, & tamen inter se non esse unitæ: ergo hoc, quod est esse unitum, est aliquid reale ab illis distinctum. *Resp.* condonata maj. & min. Negando consequentiam, quia Syllogismus constat 4 terminis. Probare oportebat unionem esse quid distinctum realiter a materia & forma simul sumptis eo modo quo supra exposuimus: pro medio autem assumitur in argumento separabilitas; ergo minor debebat esse hæc: at materia & forma simul sumptæ cum omnibus requisitis in actu primo &c. separari possunt ab illo per qood uniuntur, seu ab unione: quæ aperte falsa est: possunt quidem materia & forma simul esse unitæ, & rursum non unitæ: ac ex illa unione nihil acquirunt entitatis novæ, sed solam denominationem, quæ seipsis immediate nniuntur: neque si desinant uniri, aliquid perit reale aut physicum, sed cessat illa denominatio. Quemadmodum corpora sibi contigua possint esse non contigua; continua & oon continna; neque tamen aliquid reale acquirunt illa, nec amittunt ista.

XXV. Arguunr III. Nisi unio esset realiter distincta ab extremis, sequeretur hominem non vere generari ab homine; consequens est absurdum, ergo & ant. sequela probatur, quia non posset assignari terminus hujus generationis. Nam in Composito humano nihil est reale pratet materiam & formam, h. e. corpus & animam rationalem, sed hæc non generatur, creatur enim juxta omnes orthodoxos: tertiam entitatem Totalitatis Scoticam non admittitis, ergo nullus potest ostendi terminus generationis, nisi unio.

Respondeo hoc argumentum esse debilius priore; ejus morbum sic detego. Supponit arguens terminum formalem generationis debere quo ad entitatem de novo per generationem produci aut educi, quod omnino falsum est; non enim requiritur nova forma entitative producta, sed sufficit de novo aliter communicata, & cum subjecto conjuncta. Nam ut recte docet Reverendissimus D. Ioannes Calagurritanus Disp. I. Phys. de Principiis cap. 2. num. 17. Principium generationis per modum termini *ad quem*, esse præcise, terminum formalem, qui per se intenditur a generanre, saltem *ut quo*: in hominis autem generatione forma naturalis est terminus formalis *quo* per se intentus a generanre: licet enim homo generans non intendat generare animam rationalem, intendit tamen formaliter eam ipsi communicare (dispositive). Atque ita anima rationalis est terminus formalis generationis, non productus, sed communicatus. En confessionem Modistæ Illustr. quid virium habeat hæc objectio. Aliam solutionem ex nostris fundamentis vide Tract. XXVII. de Generat.

Respondeo II. Terminum generationis esse Compositum. Ad illam probationem, tonc nullus datur terminus quando in generatione hominis nihil producitur, & in corruptione nihil corrumpitur; atqui negata unione totum id complexum sequitur. Dist. maj. quando nihil producitur, unitur tamen. N. maj. negata unione nil est in homine præter animam & corpus sumptas unitive. Conc. sumptas divisive. N Sed nec anima nec materia producuntur aut corrumpuntur, entitative & divisive sumptæ. Conc. unitive sumptæ, N. Sic ergo generatio debet habere terminum realem, vel noviter productum, vel noviter unitum; non tamen semper productum. Duplex igitur est actio, alia productiva seu factiva; alia solum unitiva, actio prioris generis semper requitit terminum de novo productum; secus actio unitiva, huic enim sufficit noviter unitus terminus, quia terminatut ad unitionem unius cum alio. Verum huic responsioni non insisto: anima enim rationalis nec a generante producitur, nec unitur a generāte; tum quia tota generatione hominis jam peracta, post aliquot dies modo anima rationalis a Deo creatur, & infunditur ac onitur corpori, quæ unitio generanti nequit adscribi, cum possit contingere illum ante infusionem hujusmodi jam esse mortuum: sufficit illum communicasse materiam seminalem una cum anima sensitiva; quibus dispositionibus præmissis Deus ex lege naturæ postmodū interveniente creatione Animam seu Mentem inducit & onit.

Verbo, Vnio nihil est præter modum respectivum: illius enim effectus est prædicatum relativum, quo partes Compositi unitæ, ac totum ex iis conflatum dicitur, quod ex materia & forma unum quid essentiale & substantiale emergat. Itaque duplex est effectus unionis, alter respectu partium, quæ sunt unitæ; alter ratione totius, qood fit unum. Vterque effectus est respectivus, ergo ipsa unio nihil est nisi relatio, cujus scilicet effectus formalis est prædicatum respectivum.

XXVI. Argues IV. Materia & forma non possunt ex oon unitis fieri unitæ citra mutationem intrinsecam, ergo unio quæ illam affert mutationem est aliquid distinctum e materia & forma. *Resp.* dist. ant.

 Et

Et mutatio illa oritur ex forma. C. ex sola unione. N. materia enim mutatur, & ex non unita fit unita per formam, quam excipit, quæque non minus materiam mutat, quam unio ipsa mutare posset.

XXVII. Argues V. cum Scoticis, & ut evincas compositum substantiale qua tale seu in ratione totius non posse salvari citra entitatem tertiam distinctam a partibus quomodocunque sumptis, adducis. I. auctoritatem Arist. 5. Metaph. text. 9. ubi dicit bis tria non esse 6. Item lib. 9. cap. 19. Syllabam Ba non esse B & a. Et L. 8. c. 6. dicit Totum esse aliquid præter partes. Et 2. de anima tex. 2. distinguit substantiam, in materiam, formam & Compositum tanquam in tres substantias, ergo compositum naturale, realiter entitative distinguitur a suis partibus simul & unite sumptis. II. Partes non possunt prædicari de toto; sed partes quomodocunque sumantur semper manent partes, ergo semper distinctæ a toto. III. Causa realiter distinguitur a suo effectu; sed materia & forma ut unitæ causant totum, ergo ut unitæ distinguuntur realiter a toto. IV. Totum, quod est reipsa plura, non potest esse unum per se, sed per aggregationem; sed partes unitæ, etiam in recto sunt plura, ergo non constituunt unum per se Compositum, sed per aggregationem. V. Illa distinguuntur realiter, quibus conveniunt prædicata contradictoria, sed Toti, & partibus, etiam collective sumptis, conveniunt prædicata contradictoria, ergo: min. prob. materia & forma etiam collective sumptæ, sunt partes; Compositum vero non est pars, sed totum: illæ sunt plures, Compositum est unum: hoc generatur, & substat accidentibus &c. quæ non conveniunt partibus. VI. Materia & forma in homine non sunt corruptibiles: Compositum autem est corruptibile, prima pars patet; secunda probatur, quando moritur homo, corrumpitur vera entitas realis, & partes manent, licet non unitæ, ergo id quod corrumpitur necessario est entitas distincta. VII. Si partes unitæ essent idem cum Toto, etiam forent idem inter se, juxta illud: *Quæ sunt eadem uni tertio* &c.

Respondeo ad primum: Auctoritatem Arist. non magni faciendam; quia tamen non ita clare favet Scoticis, quin pro nostra sententia explicari possit, intelligendus erit in hoc sensu: quod bis tria formaliter; & ut constituunt speciem ternarii non sint 6. eo quod una species numeri formaliter non sit pars alterius, sed solum materialiter, quatenus claudit unitates, ex quibus quilibet numerus componitur ut ex partibus; atque ita non bis tria, sed sex unitates sunt 6. Eodem modo syllaba Ba, non est B & a seorsim, sed unitæ tali ordine. In tertio loco explicandus est de partibus aut omnibus sumptis in recto, vel natura in recto & supposito in obliquo. Simili modo dum dividit substantiam in materiam, formam & compositum, si intellexit distinctionem quoad diversam suppositionem, nobiscum sensit: si tertiam entitatem, erravit.

Ad secundum resp. Si partes ita sumantur ut suppositum importetur in recto, & natura in obliquo, prædicari utique totum de partibus, & partes de toto: secus si aliter sumantur, ex quo tamen distinctio entitativa non eruitur.

Ad tertium resp. dist. ant. Partes collective sumptæ, N. (sunt enim effectus) distributive sumptæ, subdist. sunt causæ intrinsecæ, & resultantiæ, hoc est improprie causæ. Conc. causæ extrinsecæ & effectivæ. Nego ant. & consequentiam. Sæpissime cavillabuntur inter partes collective acceptas, & distributive acceptas: quia cum etiam distributive sumantur, & nominentur in numero plurali, & in hoc numero possint etiam collective exponi (nempe pro diversa suppositione) videntur idem esse, ac collective acceptæ; ideo semper ob oculos habenda, alias mutatur appellatio, & vitiatur Syllogismus.

XXVIII. Si instes. Partes seorsim distinguuntur a Toto, ergo & simul. probatur consequentia partes seorsim & distributive sunt causæ in actu primo, collective sunt causa in actu secundo: sed non minus in actu secundo, quam in actu primo causæ distinguuntur realiter ab effectu, ergo. Resp. Neg. suppositum maj. quod collective & in actu secundo sint causæ & partes, sunt enim effectus & totum. Nec juvat dicere, hanc propositionem esse causalem: ideo realiter datur totum, & constitutum, quia vere sunt simul & collective omnes partes & constitutiva. Scimus enim ex Summulis, quod propositio causalis impropria (qualis est ista: *animal existit, quia homo existit,*) & fundata in nostro modo cogitandi de rebus juxta meritum objectivum, vocatur *causalis a subsistendi consequentia*, barbara phrasi. Nos autem hic agimus de causa physica, non de metaphysica & per formalitates.

XXIX. Vrgebis. Partes distributive sumptæ non sunt causa adæquata totius, quod est effectus adæquatus, ergo simul sumptæ sunt causa adæquata. R. Neg. suppositum antecedentis, nempe quod detur causa adæquata resultantiæ, seu pars adæquata, h. e. pars quæ sit totum, & non sit pars.

At dices. Datur causa inadæquata resultantiæ, ergo etiam debet dari adæquata, sunt enim correlativa. Resp. Neg. conseq. & rationem. Causa enim inadæquata dicitur per metaphoram; & est idem ac dicere pars, & si vis correlationem sume illam ab effectu adæquato, seu toto, non a causa adæquata.

Ad quartum, Dist. maj. Totum quod est reipsa plura entia completa. Conc. plura entia incompleta & unita per modum actus & potentiæ, N.

Ad 5 Dist. maj. Illa distinguuntur realiter, quibus conveniunt prædicata contradictoria tum secundum rem quam secundum diversum modum concipiendi. Conc. maj. quibus conveniunt tantum secundum diversum modum concipiendi. Nego. & eodem modo Dist. min. Sed

XXX. Replicabis. De partibus unitis, in quacunque suppositione sumantur, ante mentis operationem, verificantur adhuc contradictoria, tam secundum rem, quam secundum diversum modum concipiendi, respectu totius. Nam veræ sunt hæ propositiones: totum corrumpitur & generatur. In toto subjectantur accidentia. A toto dimanant passiones. Econtra non minus veræ sunt hæ: Partes non generantur, nec corrumpuntur; in partibus non subjectantur accidentia, a partibus non dimanant passiones

Sive aliter, & propius ad nostram conclusionem. Suppositum habens naturam non corrumpitur, nec generatur. In supposito non subjectantur accidentia. Ex supposito habente naturam non emanant passiones, ergo verificantur de toto & partibus, quomodocunque sumptis, contradictoria.

Confirmatur hoc argumentum. Si non daretur tertia

tertia entitas, sequeretur quod nullum ens esset, cui per se inesset propria passio, vel in quo propria operatio subjectaretur; sed consequens est falsum, ergo & id ex quo sequitur.

Aliter & brevius. Si non daretur tertia entitas, tunc propria passio hominis, v.g. risibilitas debet identificari, & posse inesse partibus hominis, sed partes hominis sunt plures & distinctæ, ergo eadem passio risibilitatis identificaretur pluribus realiter distinctis. Aut dicite in quo subjectetur risus actualis Petri? Non in anima sola, quia est spiritualis; non in solo corpore, quia corpus non denominatur ridere: an in corpore & anima simul, & consequenter in pluribus realiter distinctis, quod est impossibile.

Respondent nostri communiter. N. ant. hujus replicæ, & dicunt in sensu reali & materiali omnia illa prædicata, *generari, corrumpi* &c. convenire tam toti quam partibus eo modo sumptis, quo diximus in conclusione: quamvis secundum diversum significandi modum & suppositionem hæc ipsis non soleant attribui, sed intellectus noster cum fundamento in re alia prædicata partibus, alia Toti attribuit. Vnde propter distinctionem virtualem seu rationis ratiocinatæ inter partes & totum aliquæ propositiones verificari possunt de toto, negari de partibus, eo proportionali modo quo gradus metaphysici prout per nostras præcisiones objective concipiuntur, non prædicantur de Toto, nec eis conveniunt ea prædicata, quæ Toti. (saltem formaliter, esto conveniant realiter, identice & materialiter). Similiter, ajunt, in Divinis propter eandem rationem verificatur de Patre, quod generet: idipsum vero negatur de Essentia, licet hæc sit idem cum Patre.

Addunt, similia prædicata non convenire partibus unitis quatenus concipiuntur secundum modum significandi & concipiendi quasi duo entia; cum tamen secundum rem significatam non amplius sint duo entia, sed unum compositum, sub qua ratione sunt in homine corruptibiles scilicet ut sunt unum per se; esto sint incorruptibiles, quatenus sunt duo entia incompleta. Quid juxta principia responderi debeat, dicemus infra.

Ad 6. patet ex dictis qualiter partes sint incorruptibiles, & totum corruptibile: esto enim quoad entitatem sint incorruptibiles, possunt tamen quoad unionem corrumpi. Ad probat. Resp. In corruptione & morte hominis corrumpi Compositum, quod realiter ut includens ab incluso distinguitur a partibus separatis. Corrumpitur quoque subsistentia sive existentia & accidentia connaturalia toti Composito, adeoque vere corrumpitur aliqua entitas realis in morte hominis.

XXXI. Replicabis. Totum non destruitur nisi & partes: sed partes hominis non destruuntur. Resp. ut prius, non destruitur Totum, nisi destructis partibus quoad unionem. C. quoad entitatem. N.

Ad 7. Jam supra explicatum & rejectum est illud Principium. Hactenus allatæ responsiones desumptæ sunt pleræque ex thesibus Salisburgen. R. P. Anselmi Ambling quondam ibidem Professoris: at non videntur mihi argumentorum vim infringere, multa enim immiscent & supponunt obscura & ambigua. 1. enim admittunt passim dari generationem talem, in qua entitas quædam de novo producitur: item in corruptione ejusmodi entitatem debere desinere; quod utrumque falsum reputo. Eductionem enim formarum peripateticam non admitto; formam cadavericam multo minus. 2. Confundit hic Author Subsistentiam cum Existentia, quod est contra Cajetanum & alios. 3. Si admittit subsistentiam ut entitatem distinctam, manus dat Scotistis. 4. produci & corrumpi sunt termini tales, quorum significata reale quid important, & per solum significandi & diversum loquendi modum non impediuntur. 5. Non video quid ad Instantias formatas solide respondere possit.

XXXII. Quamobrem omissis solutionibus datis Respondeo juxta nostra Principia Neg. suppositum, videlicet dari generationem & corruptionem substantialem in sensu Peripateticorum. Sic sentit Magnificus & Expertissimus D. Joann Marcus Marci Archiater Pragen. Ferdin. III. Imp. & cum eo complures Viri doctissimi, & tota Schola Cosmopneumica, prout in Tract. IX. videre est, & Tract. XXXI. De Ideis, quas formis rerum specificis substituimus. Confirmatur hæc doctrina mirifice ex analogia quam cernimus inter Megacosmum seu Vniversum, & Microcosmum, seu hominem. Pereruditè P. Athan. Kircherus in Obelisco. fol. 341. "Quod in omnibus simul est," Mundis, id singulis inest particulatim. Neque est," aliquis unus ex eis, in quo non omnia sint, quæ sunt," in singulis. Cujus & Anaxagoram cum Platonicis," & Pythagoricis opinionis fuisse testatur Picus Mi-," rand. præfatione in Heptaplum. Verum quæ in," Mundo sunt inferiore, in superioribus sunt, sed me-," liori nota: quæ itidem sunt in superioribus; in," postremis visuntur, sed conditione degenere, & ad-," ulterata, ut sic dixerim, natura. Et fol. 345. in," corpore, in anima, in spiritu suæ sunt stellæ, sui axes," centra, circuli, zonæ & climata. In Cœlo suæ sunt," plantæ, & animalia, sua viscera, tunicæ, musculi," venæ, arteriæ, nervi; suum caput, cor, hepar, suus," spiritus vitalis, animalis, naturalis, sua anima con-," cupiscibilis, irascibilis, rationalis. Vt nullum fit," apud Philosophos verius dictum neque celebrius," quam *omnia in omnibus esse*." Quæ cum veritate dici non possunt, nisi eadem Anima omnes Mundi partes animaret. Neque enim alia ratione omnia in omnibus esse dicuntur, nisi quod Idea essentialis, in cujus potestate omnes ideæ particulares sunt inclusæ & involutæ, animam ubique comitetur.

Sane imperceptibile mihi est, statuere tertiam entitatem Totius pro subjecto certorum accidentium, potentiarum, operationum &c. tametsi enim actiones dicantur esse suppositorum, non autem partibus seorsim tribuantur, id tantum fit quoad denominationem: alias sicut homo dicitur ridere, flere, videre, audire &c. ita & homo dicitur intelligere, amare, discurrere &c. Oporteret ergo in illa tertia entitate ponere potentias materiales & spirituales, quod impossibile est: nam cum spiritualis ipsa esse nun possit, materialis sit oportet; quomodo ergo subjectum erit potentiarum & operationum spiritualium? Sed de his satis.

SECTIO II.

Quid sit Relatio, & quotuplex.

XXXIII. Paulo operosior hæc est de Relatione tractatio, quam plerique difficilem & involutam nimia subtilitatis affectatione effecerunt. Cum enim

 Modos

Modos nescio quos, aut formas a rebus distinctas rebus ipsis affinxerunt, quas aut Relationis, aut aliorum prædicamentorum nomine designarunt, tot se induerunt difficultatibus, tot quæstionibus & tricis rem satis apertam involverunt, ut vix se expedire possint. Nobis tutissimum videtur res ipsas magis consulere, quam abstractas & vagas animi notiones, quæ nihil aliud sæpe, quam tenebras menti offundunt. idcireo primo loco nobis explicandum, quid Relationis nomine intelligamus, & quomodo existat: deinde in quo posita sit ejus natura, tum de illius adjunctis, postremo varias illius divisiones & proprietates explicandæ.

XXXIV. Principalis Divisio Entis est in absolutum & respectivum. Res absoluta nihil aliud est, quam res quælibet, quasi soluta a cæteris rebus, h. e. seorsum & solitaria, veluti illa unica esset in Mundo. Contra res proportionata est eadem quidem res, sed simul cum alia re, vel cum aliis veluti conjuncta & ordinata. Palam est stupenda illa inter omnes res Vniversi compages & consonantia, quæ a Sapientibus appellari solet Vniversi pulchritudo & harmonia, consistens in eo, quod res omnes invicem una cum altera, una cum omnibus, omnes eum omnibus proportionem mirabilem & ordinem habeant, non minus quam numerus cum numero, numerus cum numeris, numeri cum numeris. Hinc fit infinitas propemodum proportiones, correspondentias & comparabilitates inveniri posse in qualibet re minima.

Hæc proportio & harmonia nec esse, nec intelligi potest, quin intelligantur & objective repræsententur ad minus duæ res, vel duæ formalitates (si de harmonia formalitatum sermo sit). Sicut harmonia proprie dicta in unico & singulari sono vel tono consistere non potest, nec proportio numerica in unico numero.

XXXV. Vocabula, quorum frequens in hac materia usus est, apud Philosophos sunt hæc: *Relatio, Relativum, Relatum, Correlativum, Extremum, Fundamentum* (remotum, proximum seu ratio fundandi) *&* *Terminus*.

Ex usu satis absurdo introductum est, ut 1. sint Synonymi hi termini *relativum & referibile*. 2. *relatum & relativum*, quasi esset idem *cognitum & cognoscibile*, *collocatum & collocabile*; itemque *determinativum & determinabile*. Hine eave æquivocationes, & distingue attente concretum passivum ab abstracto passivo, hoc est relatum a relatione: hæc enim est quasi forma (in quoeunq; tandem illa consistat) quæ venit in obliquo in concreto *Relatum*, explicatur enim *habens relationem*.

Præterea cum ex modo dictis, Relatio intelligi non possit, nisi intelligantur ad minus duo; nempe res illa, quæ in concreto *Relatum*, est subjectum habens, & alia res, quæ venit saltem in remotiori obliquo: cum dico v. g. *quatuor est minus quinque*, illud 4. est relativum seu relatum, h. e. habens talem relationem, nempe minoritatis ad quinque. Rursus istud 5. est altera res, quæ dicitur *terminus* relationis, sicuti prima dicitur *subjectum* relationis: (subjectum, inquam, relationis, licet contingat, quod eadem res sit forma naturalis & absoluta alterius subjecti, quod non moror). Solet etiam dici idipsum, quod est subjectum relationis, esse *fundamentum remotum* ejusdem non tamen sine æquivocatione.

XXXVI. Si petat a te quispiam, cum dicis 4 *est minus* 5, cur hoc sit? potes reddere rationem de hoc ipso, & dicere, quia in numero quatuor una unitas deficit, quæ est in quinque: ista ratio objectiva, seu meritum objectivum in omnibus relatis invenitur ante nostras cogitationes, & dicitur *fundamentum proximum* relationis, aut duplici obscuriore termino appellatur *ratio fundandi* ex parte subjecti, & *ratio terminandi* ex parte termini. Estque sententia valde probabilis, quæ relationem identificat huic fundamento proximo, ut infra videbimus. Hic obiter disce hunc alium terminum, nempe *Correlativum*, quasi diceres *comproportionatum*: nam sicuti appellatur relativa res, quæ proportionata cum alia ita ista alia, quia est proportionata cum illa prima, & quia prout talis potest in recto considerari, dicitur *correlativa*: e. gr. Pater est relativus ad filium, & filius est correlativus ad patrem.

XXXVII. Tota machina Relationum, ordinum, proportionum &c. rei cum re, vel rerum cum rebus dependet velut in cardine ex eo, quod res una sine alia non potest (saltem proxime) id totum in aliquo genere potentiæ, sive sit posse esse quomodocunque, sive posse agere quomodocunque, sive posse esse quomodocunque, sive posse pati quomodocunque, quod potest (saltem proxime & expedite, in consortio alterius rei: & inde est, quod in consortio alterius (sive se habeat ut concausa, sive duntaxat ut conditio sine qua non) rei potest nominari & denominari illis vocabulis, quibus seorsim & solitarie non potest.

XXXVIII. Ex isto capite distinguuntur omnes Relationes, ordines &c. in duas Classes generalissimas. Prima continet illas, quæ intelligi non possunt, quin intelligantur duæ res per modum collectionis venientes in recto, prout significantur ab eo termino vocali; vel ut cognoscuntur ab eo termino mentali qui repræsentat relationem in abstracto, e. g. *similitudo, æqualitas &c.* Optime autem intelligitur, si intelligatur collectio ex utroque, nempe ex subjecto & termino relationis juxta num. & ut includentibus suum fundamentum proximum seu rationem fundandi (juxta num.) Secunda Classis continet eas relationes, quæ non recte intelligerentur, prout significantur a suo termino vocali, aut cognoscuntur a suo termino mentali in abstracto, si utraque res per modum collectionis veniret, in recto. v. gr. *dependentia creaturæ a Deo*, est relatio seu proportio indigentiæ, qua creatura non potuit existere, si Deus non existeret. Hæc relatio actualis licet intelligi non possit quin aliquo pacto intelligatur Deus: non tamen debet intelligi Deus, tanquam pars inadæquata illius impotentiæ, quæ dicitur dependentia. Nam tota illa miseria & indigentia, tanquam tota identificata cum creatura (quatenus constat ex non-ente) optime intelligitur, dicens in obliquo, veluti conditionem Deum ipsum, seu existentiam Dei, qua essentialiter & necessario indiget illa res: sicut in suo genere ignis innuit & connotat approximationem ad hoc ut comburat. Fundantur ista in ratione a priori: quia nempe res seu entia habent opus non solum suis partibus & intrinsecis constitutivis, ut existant & operentur, sed

etiam

etiam pluribus aliis circumstantiis magis aut minus principalibus.

Ad primam classem revocantur plurimæ relationes ex illis, quæ communiter appellantur *prædicamentales seu categoricæ*, hoc est, accidentales in hoc sensu, quod illud subjectum, quod denominatur actu relatum, poterat actualiter existere, quin haberet talem denominationem relativam.

Ad secundam Classem revocantur pleræque relationes, quæ dicuntur necessariæ, transcendentales h. e. quæ sunt essentiales & necessariæ subjecto relato, ita ut subjectum sine tali denominatione, nec possit esse, nec possit totum expresse intelligi: e.g. Relatio dependentiæ seu indigentiæ, quæ est in creatura respectu Dei. Dicuntur autem transcendentales, quia transcendunt omnes res possibiles: quia vel eadem omnino in qualibet re reperitur relatio (unitate formali) ut relatio dependentiæ in omnibus creaturis, vel aliquæ saltem ejusdem classis relationes in omnibus rebus inveniuntur.

Præcipua Relatio, in qua superiorum clasium exempla omnia recensentur, est Veritas cognitionis, & quia trice omnes ad Relationem in genere pertinentes, subinde ad solam veritatem vel falsitatem propositionum cavillandam intruduntur, bene notanda sunt seqq.

XXXIX. Veritas est conformitas actus cum objecto, & duplex est: Alia est conformitas seu veritas apprehensionis; alia est conformitas & veritas judicii. Itaque considera apprehensionem, e.g. quæ apprehendat hoc quod est *homo*: hæc apprehensio est imago mentalis, ut imago dicit relationem transcendentalem ad exemplar suum, ut creatura dicit relationem ad Deum: nam imago est essentialiter alicujus imago, & totum ejus est esse imaginem, tota enim distinguitur ab exemplari, nec per illud collective sumptum constituitur formaliter imago. Rursus illa apprehensio non solum est imago, sed est imago conformis objecto suo, seu imago vera veritate repræsentationis: hæc autem conformitas est relatio pertinens ad primam classem num. 38, nam constituitur ex collectione imaginis & exemplaris, sicuti æqualitas & similitudo: nam revera talis conformitas est ipsissima similitudo; & quia ex alibi dictis, apprehensio omnino simplex non potest esse falsa, adeoque necessario vera est, necessario conformis & similis; inde est quod hujusmodi relatio est necessaria & essentialis, non vero prædicamentalis, licet ad primam classem pertineat. Pariter veritas Enūtiationis seu judicii, est relatio constituta ex collectione propositionis & objecti, pertinens ad primam classem; sicut & falsitas propositionis consistens in simili collectione: & quia dantur propositiones necessario & essentialiter veræ, nimirum affirmativæ in terminis necessariis, seu quæ dicuntur propositiones *æternæ veritatis*: aliæ autem propositiones dantur necessario & essentialiter falsæ, quæ dicuntur *æternæ falsitatis*: denique aliæ propositiones, mnirum quæ in terminis contingentibus sunt contingenter vel veræ vel falsæ: inde est quod primarum veritas, & secundarum falsitas est relatio necessaria & essentialis: ultimarum vero propositionum veritas contingens est relatio prædicamentalis & accidentalis, ut hujus propositionis *Petrus currit*. De aliis Relationum divisionibus agemus infra. Nunc sit.

SECTIO III.

An dentur Relationes a parte rei?

XL. Sensus quæstionis est iste, uti eam proponit famosissimus Doctor Guillelmus Ockam L. 1. sent. dist. 30. q. 1. utrum seclusa omni auctoritate (Divina, humana) possit negari omnis relatio realis, quomodocunque distincta a parte rei ab entitatibus rerum absolutis?

Nominalibus quidem videtur nullam omnino dari creatam Relationem præter mentis ideam, qua unum cum alio conferimus: quæ sententia magnam præ se fert probabilitatem, & prima fronte explicatu facilior videtur; ea tamen ab omnibus fere rejicitur. Sit itaque contra Nominales

XLI. Assertio 1. Dantur nemine cogitante Relationes transcendentales. probatur. Quod est rei intimum & essentiale, non pendet a cogitatione nostra, sed quæ dicuntur Relationes transcendentales, sunt rei intimæ & essentiales; ut dependentia creaturarum a Deo, ac relationes omnes inter facultates & objecta, ergo ejusmodi relationes sunt reales hoc est, reperiuntur a parte rei independenter a cogitatione nostra.

Assertio 2. Relationes categoricæ sunt etiam reales, & nemine cogitante. Probatur I. quod duæ res sint sibi similes aut æquales, id a cogitatione nostra non proficiscitur. 2. Relatio nihil est nisi ordo unius rei ad aliam: sed ejusmodi ordo non pendet a nostra cognitione: Nam Mundi ipsius perfectio in ordine posita, ac stant ordine universa; sublato enim ordine ruunt omnia. 3. Scientiæ pene omnes non aliud fere quam Relationes aut habitudines rerum contemplantur. Sic Geometria figuras inter se comparat, & quas inter se rationes habeant, considerat. Sic Arithmetica rationes seu relationes numerorum, ut Musica sonorum proportiones prosequitur; ac veritas omnis, quam intellectus in rebus deprehendit, non facit, nihil est nisi quædam relatio. Cum enim dicimus bis duo esse quatuor, hujus propositionis veritas in quadam æqualitate consistit: ergo ordo, respectus, relatio est quid reale, non unius cognitionis nostræ fœtus, aut rationis figmentum.

Confirmari solet conclusio argumento ex intima Theologia petito. Idcirco inquiunt, paternitas divina est vera & realis relatio; quia Pater æternus generat Verbum; ergo & in rebus creatis pater, qui filium genuit, per veram & realem relationem ad eum refertur. Quanquam non inficior hujus generis argumentis parce utendum esse: cum relatio Divina sit substantia, non quiddam divinæ naturæ adventitium, ut relationes, de quibus nunc agimus. Nec satis tuto ab inenarrabili mysterio, quod fide credimus & adoramus, ad res philosophicas argumenta ducuntur.

XLII. Opponunt I. qui contra sentiunt, relationem nihil esse præter comparationem quandam: nam relata & comparata unum & idem sunt: sed omnis comparatio fit ab intellectu nostro, ergo nulla realis datur relatio.

Resp. dist. maj. Relatio est comparatio quædam objectiva. C. formalis. N. Sic numerum esse etiam nemine cogitante ostendimus, tametsi numeratio ipsa ab intellectu nostro pendeat. Non dissimili ratione Ordo quidam est in rebus, quæ sunt comparabiles: sed

XLVII. Relatio Transcendentalis per hoc condistinguitur a Prædicamentali, quod illa sit rebus essentialis, & ita innectatur rebus, ut si res conceptu adæquato debeat concipi, non possit unquam concipi sine illa. E. g. homo conceptu adæquato concipi nequit sine esse creaturæ: unio sine ordine ad unibilia, relatio qua talis, sine termino. Et quia essentiæ rerum sunt indivisibiles, ita ut non possit illarum una pars poni, alia non: hinc jam relatio transcendentalis a prædicamentali per hoc distinguetur a posteriori, quod posito subjecto vel Extremo transcendentaliter referibili, hoc ipso quia illud ponitur, inimpedibiliter etiam a Deo, debeat habere terminum, seu aliud extremum, ad quod exigit terminari, debetque eo ipso habere proportionatam rationem fundandi. Subjectum autem Relationis prædicamentalis non est tale, ut sit illi essentialis relatio; nec ex eo, quia ponitur Subjectum illius Relationis, hoc ipso ipsius Relationem poni necesse.

Dixi 1. Non Relationem transcendentalem, sed illius *Subjectum* esse tale, ut posito illo necessarium sit respondere & terminum & rationem fundandi: quia nulla esset condistinctio a relatione prædicamentali, nam & illa, si ponitur, necessario fundandi ratio, & terminus ponitur.

Dixi 2. Quod eoipso, quia ponitur subjectum relationis transcendentalis, poni debeat terminus; sed non intelligendo per *τὸ poni*, quod debeat terminus existere; quia relatio transcendentalis etiam ad terminum mere possibilem potest referri per *τὸ ponitur*, intelligitur quod hoc ipsu, quia ponitur subjectum, non careat termino proportionato. Sic Omnipotentia divina respicit creaturas possibiles, Scientia suum scibile. (Sciens tamen ad scibile realem prædicamentalem dicit, cum possint subjectum hujus relationis, & non esse sciens, sive sine Scientia.

Dixi 3. Quod Relatio transendentalis distinguatur a Prædicamentali non penes rationem fundandi intrinsecam, sed penes inimpedibilem positionem omnium requisitorum, posito quod ponatur subjectum relationis transcendentalis, ita ut si inter duos parietes similitudo esset relatio transcendentalis, hoc ipso quia unius paries (qui est subjectum relationis) ponitur, deberet poni & alius; quod non est in relatione prædicamentali. Nam relatio convenientiæ in natura humana, qua Petrus refertur ad Paulum, non ita se habet, ut posito subjecto, quod est Petrus, necesse sit poni & Paulum, ideo non referuntur ad se relatione transcendentali.

XLVIII. Quæres, quo sensu dicatur Relatio transcendentalis esse suo subjecto essentialis? ratio dubitandi est, quia absolutum & respectivum videntur habere distinctos conceptus essentiales; adeoque nec primo nec secundo essentialis alter alteri esse potest. Respondeo 1. Rebus absolutis physice spectatis, seu nemine cogitante, neque primo neque secundo essentiales sunt relationes transcendentales. Ratio est, quia hi termini sunt nostri conceptus & intentiones formales, neque ratio creaturæ potest seorsim dari physice. Resp. 2. Neque sunt primo essentiales rebus metaphysice consideratis; quia ratio respectivi ut exigens formaliter terminum, non potest rem absolutam in esse primo constituere, sed intelligitur advenire essentiæ jam constitutæ. *Scotus in 4. dist. 12. q. 1.* Confirmatur. Cum aliqua differunt formaliter & definitione, unum non est de essentia alterius primo: sed absolutum, qua tale, & respectivum qua tale differunt formaliter & defininone, ergo.

Respondere solent hac unica distinctione, quod pure absolutum non possit constitui differentialiter respectivo, esseque illi primo-essentiale; bene tamen impure absolutum. Sed hæc est petitio principii: nam contra tale impure absolutum procedit factum argumentum; & urgetur: Nam tale impure absolutum erit compositum ex absoluto & respectivo, adeoque resolubile in duos conceptus præcisivos, & sic ratio respectivi erit præscindibilis a ratione absoluti, & currit argumentum ut supra.

Resp. 3. Absolutis, qua suo modo relativa sunt, est primo-essentialis relatio. Probatur, quia omni reduplicato ratio reduplicata est primo-essentialis. Itaque tametsi homo v.g. adæquato conceptu & non præscindente non possit concipi sine ordine ad Deum; potest tamen conceptu inadæquato & præscindente; sive, verum id est de homine reduplicative, qua creatura est, sumpto, adeoque sumendo absolutum qua relativum est. Dum autem concipitur creatura specificative, non concipitur ut limitata, neque ut illimitata, neque ut indifferenter, sed ab his abstrahit & concipitur v. g. *homo*, ut est animal rationale, sicque abstrahit ab ordine ad aliud, seu esse ab alio, quæ est ratio formalis creaturæ.

Dices, saltem illa non possunt abstrahere, quæ specificantur per respectivum ut actus & potentia. Resp. specificari tantum extrinsece, non autem intrinsece: intrinsece autem a sua entitate, licet nobis incognita.

Omissa divisione altera in Relationem rationis, quæ fit per Mentem, cum quæ sunt unum & idem separat & confert inter se, & Realem, quæ talis dicitur non sine æquivocatione: quandoque enim stricte sumitur pro ea quæ est inter rem & rem: aut inter rem & modum: aut inter duos modos: alias late pro ea, quæ quomodocunque datur nemine cogitante, seu prout opponitur Relationi rationis.

XLIX. Realis vel est increata vel creata. Illa est quadruplex. Est enim in Deo una Essentia vel Natura; sunt duæ processiones, generatio & spiratio; tres personæ, quatuor relationes quæ in duplici processione fundantur. Paternitas nimirum quæ est relatio principii generantis ad suum terminum; Filiatio, quæ est termini geniti ad suum principium; Spiratio activa, quæ est principii spirantis, Patris videlicet & Filii ad Spiritum Sanctum; & Spiratio passiva Spiritus Sancti, qui a Patre & Filio, ut ab uno principio procedit. Sed hæc ad Theologos, nos relationes tantum creatas inquirimus.

L. Relatio in rebus creatis duplex, *secundum dici* & *secundum esse* seu categorica. Illa non habet purum terminum, seu qui alio non fungatur munere, quam terminandi: ut actio & passio. Nam actio est actus agentis, neque id respicit ut purum terminum, sed ut principium: eaque Relatio est duplex: nimirum essentialis seu transcendentalis, altera accidentalis. Quidam volunt illam Relationem *secundum dici*, quando sine ulla fictione rem absolutam explicamus per ordinem & relationem ad aliquod, ad quod

quod tamen non refertur; idcirco præcise, quia rem illam absolutam aliter cognoscere non possumus. Sic rem spiritualem explicamus per ordinem ad materialem, & contra, licet ad se invicem non referantur.

LI. Relatio categotica penes fundamentum aut proximum aut remotum dividitur. Itaque primo si compares essentias rerum cum essentiis, h. e. id quod est per identitatem quælibet res cum eo, quod pariter est altera res non attendendo ad denominationes, quæ proveniunt rebus ab accidentibus & circumstantiis, & formis non identificatis, atque ita examines essentiam v. g. substantiæ, aut quantitatis, aut qualitatis, aut actionis, singulas cum singulis, & singulas cum omnibus comparando juxta classes generum & specierum, appellantur hujusmodi Relationes *convenientia vel disconvenientia* (hoc est similitudinis aut dissimilitudinis in essentia).

Sunt autem relationes prædicamentales, quia agimus de actuali proportione, & actuali denominatione, juxta num. Si autem una res tantum existeret, v. g. homo, actualem ordinem & relationem *convenientia* com leone non existente non haberet. 2. Si compares actualia concreta *qualia*, hoc est ex subjecto & qualitate constantia, ordo inventus inter illa dicetur *Relatio prædicamentalis similitudinis & dissimilitudinis propriæ talis* v. g. album & nigrum. 3. Si compares concreta *quanta* inter se h. e. ex subjecto & quantitate composita, dicitur relatio prædicamentalis *æqualitatis* vel *inæqualitatis*, ut lignum bipalmare & tripalmare. 4. Si compares concreta *agentia* cum concretis *patientibus*, dicitur Relatio prædicamentalis *causæ & effectus*, quæ relatio in tantum est prædicamentalis, in quantum dicit actualem existentiam: alioquin esset transcendentalis: nimirum in quantum res creata non potest existere, nisi producatur ab aliqua causa; & causa non potest existere, nisi simul existat potentia agendi & producendi effectum: quæ *potentia* & *quod posse* est idem ac ipsa causa. Nota tamen, quod terminus ille *actualis existentia* est æquivocus in ordine ad hæc relativa *Concretum agens*, & *Concretum patiens*: stricte intelligitur quoad subjecta illorum concretorum, & ampliative ad tempus præteritum, quoad formam eorundem; scilicet quoad actionem & passionem. Etenim ut actu detur ordo & relatio causæ ad effectum, sufficit ut illa subjecta nunc existant, licet illorum forma actio & passio, quæ est ratio fundandi, extiterit de præterito, nunc vero non existat. e. gr. Philippus Macedo nunc non est pater Alexandri Magni, nec Olympias est ejus mater: quia non existit nec Philippus, nec Olympias nec Alexander, quæ sunt subjecta & termini relationis & ordinis inter patrem, matrem & filium. Si Pater tuus & mater tua adhuc vivunt, sunt vere pater tuus & mater tua, licet ante 15 vel 20 annos te genuerint. 5. Denique si compares concreta *relata* cum aliis concretis relatis, ut pater cum patre, æquale cum æquali, vocatur *relatio prædicamentalis proportionalitatis*, qua videlicet ipsæ proportiones proportionantur, & ordines ordinantur. Neque in iis datur processus in infinitum, sed in innumerabile ab hominibus, quia si subjecta & termini existentes sunt finiti, non potest ordo & proportio esse infinita: erit tamen humanitus innumerabilis, quod ipsum dicam de combinationibus. Vide Supplem. XIV.

SECTIO V.

De distinctione Relationis prædicamentalis a Fundamento (remoto, proximo) & termino.

LXI. Conclusio I. Relatio prædicamentalis abstracte sumpta sufficientissime explicatur per collectionem ex subjecto & termino cum fundamento proximo seu cum ratione fundandi & terminandi. Ita P. Joan. Bapt. Prolomæus S. J. celebris Professor Romanus dissert. 45. Logico-metaph.

Probatur. Ponantur a parte rei seu coexistant hi numeri 4. & 5. seu *quaternarium & quinarium*, vel in lupinis vel fabis: eo ipso nulla alia re, vel secula vel accidente superaddito a parte rei, vere existit a parte rei proportio, ordo & relatio inter quatuor & quinque, per quam proportionem quatuor est minor numerus, & quinque est major numerus, ergo relatio prædicamentalis abstracte sumpta sufficientissime &c. ut in conclusione ant. probatur. sicut impossibile est quod existente quaternario non existat quaternarium, ita impossibile est, quod coexistente quaternario cum quinario, non sit minus quaternarium quinario & quinarium non sit majus quaternario, adeoque quod non existat relatio seu proportio.

Nec te moveat quod adhibeamus hæc vocabula, *minus, majus, proportio* &c. quasi vero istis vocabulis, quia sunt distincta ab ipsis aliis *quaternarium & quinarium*, res etiam distinctæ respondere debeant. Moneo enim iterumque moneo illusionem hanc esse: innumera enim vocabula sunt synonyma, idemque significant: alia significant quidem idem sed non Synonyme, quia per diversum modum significandi fundatum in diverso modo cognoscendi significant id ipsum.

Omnia quæ in contrarium opponi solent, versantur inter æquivocationes relationis, & relativi, & explicationis Aristotelicæ de relativis male applicatæ ad relationem. Semper ergo memento quod data illa collectione, saltem secundum subjectum, & terminum a parte rei, datur relatio, ordo & proportio, quæ per modum formæ est apta & capax denominare *unum aliquid* (hoc est unam partem ipsius collectionis seorsim sumptam ab ipsa collectione) *quodammodo se habere ad aliud.*

Sæpe quoque intrudent voces istas *ad aliud, relatio est ad aliud, collectio tota non est ad aliud* &c. negare debes de relatione, quod relativo accomodatum concedes: Relatio *facit esse ad aliud*, *non ipsa est ad aliud*, sicut albedo non est alba, sed facit album. Veritas non est vera, sed reddit verum: proportio non est proportionata, sed facit proportionatum.

Item inculcabunt, quod relatio est quid physicum & reale: collectio autem ex utroque non datur a parte rei adhærens physice, & incumbens uni subjecto: respondere debes, aliud esse, quod Relatio sit quid reale, aliud quod realiter sit eo modo, quo cogitatur, quasi esset realiter cogitatio; quia est eo modo, quo est realiter; dat fundamentum & meritum objectivum, ut debeat ita cogitari, nempe per modum concreti; cum cæteroquin a parte rei non detur rectum & obliquum: datur tamen meritum & fundamentum objectivum, ut per modum

recti

recti & obliqui res ipsæ cogitentur. Hoc ipsum magis declarat Dissert. 25. Logico metaph. sect. 2. Concl. 1. quæ talis est: "Concretum objectivum, "seu totum id, quod per concretum formale repræ-"sentatur, est subjectum capax & forma applicata. In "eo tantum fundamentaliter datur rectum & obli-"quum, adeoque divisio concreti in quidditativum, "& denominativum proprie & formaliter non datur "a parte rei." Probatur. Quia idem a parte rei est id, quod significatur, cum dicitur subjectum albedinis, & cum dicitur subjectum & albedo in illo: nam idem objectum necessario intelligitur in utroque casu, ergo a parte rei proprie & formaliter non datur rectum & obliquum: nam hi termini significant varios modos cogitandi id, quod est unum & idem a parte rei. Nihilo tamen minus, cum plures res a parte rei, habeant certum quendam ordinem naturalem inter se: unde e. gr. una res agit & producit aliquid in altera re; hæc vero altera non item, vel saltem non eodem modo, ac illa prima; idcirco ut per voces & cogitationes harum realem ordo naturalis recte explicetur, non satis est omnes illas res cogitare vel significare utcunque, sed quandoque necesse est, uti illo modo cogitandi & loquendi, quo res una ponatur in rectu, & repræsentetur veluti principalis; alia vero ponatur in obliquo, veluti de qua minus principaliter cogitamus & loquimur: inde fit, ut rectum & obliquum, licet non detur a parte rei formaliter, detur tamen fundamentaliter: quod aliis verbis dici solet: Datur meritum objectivum a parte rei, ut objecta cogitentur vel in recto, vel in obliquo: quemadmodum etiam a parte rei datur fundamentum & meritum objectivum, ut aliqua objecta collective supponantur, vel distributive, aut etiam disjunctive &c. Vide quæ diximus num. XXVI. Tract. 21. de Recto & obliquo.

LXII. Conclusio II. Plurimæ relationes contingentes sufficientissime explicantur ad modum relationis transcendentalis: ita ut relatio abstracta sumpta per modum formæ constituatur per solum subjectum & rationem fundandi, sive identificatam, sive distinctam a subjecto; & requirat & connotet per modum conditionis ipsum terminum, sine quo vel non existeret illa relatio, vel ut non posset illud subjectum id, quod de facto potest in qualicunque genere potentiæ. Explico. Nomina imposita sunt rebus dependenter a cogitationibus de iisdem rebus; prout homines cogitabant res aliquas, ita illas nominarunt. Inde est, quod quædam nomina quibusdam relationibus & proportionibus rerum imposita sunt dependenter a cognitione, quæ collective repræsentabat subjectum, rationem fundandi, & terminum rationis. Alia vero nomina imposita sunt dependenter a cognitione, quæ subjectum cum ratione fundandi in recto, terminum vero in obliquo repræsentabat. Errabis profecto si utraque nomina eodem modo velis explicare. Nec vero sine fundamento & merito objectivo in rebus ipsis talis diversitas nominum & denominationum excogitata fuit a sapientibus: nam in rerum natura dantur relationes utriusque generis. Primum genus conclus. 1. statuimus, nunc secundum.

Probatur conclusio. Totus ordo, proportio & relatio rerum (præsertim prædicamentalis seu contingens) in eo consistit, quod una res cum alia re proxime possit quomodocunque vel agere vel pati aliquid amplius, quam sola non posset: & consequenter possit nominari & denominari eo pacto, quo sola non posset. Sed dupliciter contingere potest, ut res una proxime possit in consortio alterius, quod sola non posset: nempe vel in consortio tanquam cum concausa & partiali potentia, vel in consortio tanquam cum conditione, ergo dupliciter datur proportio & ordo & relatio rerum, ergo plurimæ relationes &c. ut in conclusione.

Major sapienter negari non potest: quis enim imaginetur ordinem rerum, proportionem & relationem uno verbo, pulchritudinem Mundi formaliter sumptam esse quid mere otiosum, nil amplius amabile, nil amplius æstimabile, nec magis utile, hoc est non magis aptum ad fines physicos intentionales & morales, propter quos existit rerum natura: quam sint ipsæ partes ordinatæ, proportionatæ & relatæ seorsim sumptæ, & singulæ ita consideratæ, veluti una earum sola esset in Mundo: profecto sapientes oculos non haberet, qui ab externis rebus sensu perceptis ad ista opinanda deduceretur. Et licet inculcaret authoritates quasdam male detortas, quod nempe relatio resultat, consequitur activitatem, non est activa, ad relationem non datur actio & motus &c. profecto Philosophorum linguam minus videretur callere, qui ejusmodi pronuntiatis id tantum innuebant, quod ordo & relatio rerum esset veluti numeri, nec esset aliquid distinctum aut superadditum rebus ordinatis & relatis simul sumptis: sicut numerus non est recula super imposita ipsis unitaribus simul sumptis, quaternarium lupinorum non est quid distinctum a singulis illis quatuor lupinis collectim acceptis.

LXIII. Quod si quis a te importune petat, ut explices, quid sit virtus illa & potentia, quam acquirit de novo res qualibet relata per consortium alterius? quid posit amplius paries albus A. per consortium parietis albi B? sic Respondebis: recense prius mihi utilitates, bonitates & veritates rerum omnium absolute sumptarum, quod ut feceris, earundem ut relatarum invicem potentias & virtutes exponam. Quantum ad exempla vulgaria parietis albi &c profecto est ordo & harmonia inter illos etiamsi individualiter tantum distincti sint: sed quia minuta est illa bonitas, cognoscibilitas & æstimabilitas de novo accedens per consortium unius cum altero pariete: inde est quod facile assignari & explicari non potest: quod vero insit, indubitatum est: & hoc ipsum affirmo de pariete albo Indico v. gr. & proportionato cum pariete albo Romano, eo ipso quod vere datur relatio inter illos, nec obest distantia locorum: si etiam distantia successiva temporis non tollit consonantiam & ordinem Musicæ, quæ est bonitas & cognoscibilitas & delectabilitas constituta ex præterito & præsenti sono: multo minus distantia locorum ordinem & proportionem rerum impediet. Probatur minor, supponendo nihil esse notius lumine philosophico, quam dari causas sive potentias, & dari conditiones causarum, sine quibus causæ nec agere nec pati possunt, nec possunt nominari illis nominibus, quibus causæ, ut proximæ seu ut expeditæ nominantur, sive illæ causæ sint activæ sive passivæ. Probatur igitur min. Eadem entitas secundum essentiam immutata transire potest de non causa & non po-

tentia simpliciter in causam & potentiam simpliciter, tum quoad rem, tum quoad nomen, quo denominatur causa simpliciter, per collectionem alterius partialis potentiæ seu concausæ: ergo eadem potentia secundum essentiam immutata transire potest de non causa expedita & proxima, seu non potentia expedita & proxima, in potentiam & causam expeditam & proximam secundum rem, & secundum nomen, quo denominatur causa & potentia expedita per consortium cum aliqua conditione (non significata tamen in recto ab eodem nomine) expediente & requisita ad potentiam proximam & expeditam, probatur consequentia illa entitas quæ nec erat, nec nominabatur nequidem potentia partialis (e. gr. in materia relationem paries A. qui solus nominari non potest similitudo partialis; distinguitur enim realiter a similitudine sicuti a collectione) transit per consortinm & collectionem cum pariete B. e. gr. in nomen & rem similitudinis simpliciter, & est similitudo simpliciter, & potest simpliciter quod antecedenter non poterat; nimirum id quod potest similimdo, ergo etiam alia entitas secundum essentiam immutata &c. ut dictum in primo consequente.

LXIV. Hujus mentis fuisse Doct. Angelicum, ex pluribus ejus locis ostendi potest. Nam in 1. dist. 26. q. 1. art. 1. ad 3. ait: *Cessat relatio, nulla facta mutatione in reipsa, qua refertur.* Et *opusc. 48. c. 2. de relat. Relatio similitudinis non est alia res ab albedme.* Et de potentia. q. 7. art. 8. in corp. sine aliqua mutatione ejus, *quod ad aliud refertur, potest relatio desinere, ex sola mutatione termini*, hoc autem fieri non posset, si relatio esset modus superadditus; quam parum secundum Thomistas potest desinere existentia modus essentiæ additus, quin desinat existere equus, v. g. aut mutetur. Idem S. Doctor 5. phys. tex. 10. *Nihil advenit mihi de novo per hoc, quod incipio alteri esse aqualis per ejus mutationem.* Idem repetit 3. p. q. 16. ad 2. art. 6. Sed omnium clarissimus est locus, jam cit. opusc. 48. c. 2. ibi: "Cum dico quod similitudo Sor-"tis habet albedinem ejus pro fundamento, non est "intelligendum, quod similitudo Sortis est aliqua res "alia ab ipsa albedine, sed solum est ipsa albedo ut se "habet ad albedinem Platonis ut ad terminum: si "enim similitudo adderet supra albedinem, nullo mo-"do posset aliquis alicui fieri similis sui mutatione. Ita S. Thomas, ut merito scribat Card. Sfondrati se mirari satis non posse Capreolum, Cajetanum, Bannez, Complutenses, Ioannem a S. Thoma, aliosque primæ notæ Thomistas contrarium docere; neque hoc tantum, sed insuper S. Doctorem in suas partes trahere, quasi vero hoc sit Discipulum esse, Magistrum trahere, non sequi. Verum enim vero hoc apud Thomistas, non est infrequens, ut patet legenti eos de materia reviviscentiæ Meritorum, ut nihil dicam de Prædeterminatione physica, de qua Thomas Campanella ex eadem licet familia scripsit contra Prædeterminantes (quos vocat Pseudo-Thomistas & Perthomæos) omnimodis vindicans S. Thomam ab ea sententia, quod tamen opusculum impressum Parisiis apud Tussanum du Bay via Iacobæa sub spicis maturis Anno M DC XXXVI. cum Privilegio Regis, non solum Romanam meruit approbationem, sed & Parisiensem, sub manu propria Fr. Iuliani Ioubert Doctoris in Facultate Parisiensi, Vicarii Congregat. Gallic. Ord. Prædicat. Lutetiæ in Conventu S. Iacobi Ord. Præd. die 8. Decemb. 1635.

Allegant illi quidem (pergit Sfondrati) eundem S. Doctorem 1. p. q. 28. art. 2. & in 1. dist. 33. q. 1. & dist. 4. q. 1. a. 1. ad 3. Sed plane solem in meridie quærunt; nec enim aliud locis citatis docet, quam *in creatis omne relativum*, includere absolutum, & ad hoc distingui: in rebus creatis aliud esse relationem, aliud substantiam quæ refertur, & ideo ex substantia & relatione resultare compositionem accidentis, secus ac in Divinis. Relationes divinas non differre ab essentia, bene autem in creatis &c. Quæ verba, ut cuilibet videre planum est, indicant solam distinctionem relationis a subjecto remoto, non a proximo seu ratione fundandi. Vide quæ trademus infra sect. 7. Consentiunt S. Thomæ, & idipsum pridem docuere S. Damasc. in Dialect. cap. 50. S. August. L. 5. de Civit. Dei c. 16. S. Anselmus in Menol. c. 24.

LXV. Iuvat tamen ad confirmationem prædictorum, & mentem S. Thomæ declarandam afferre ejus verba in 5. physic in exposit. cap. 10. ubi sic arguit: In illis, in quibus relatio invenitur realiter in utro-" que extremorum, videtur difficile, quod aliquid re-" lative dicatur de uno per mutationem alterius, absque" mutatione sui, cum nihil de novo adveniat alicui," absque mutatione ejus cui advenit. Et respondet," quod si aliquis per sui mutationem efficiatur mihi" æqualis, me non mutato, ista æqualitas primo erat in" me quodammodo, sicut in sua radice, ex qua habe-" tur esse reale: ex hoc enim quod habeo talem quan-" titatem, competit mihi quod sim æqualis omnibus" illis, qui eandem quantitatem habeat. Cum ergo" aliquis de novo accipit illam quantitatem, ista" communis radix æqualitatis determinatur ad istum." Et ideo nihil advenit mihi de novo per hoc, quod" incipio alteii esse æqualis per ejus mutationem.."

Ex quo textu sic arguit Iavellus, si dictum ultimum est verum scil. *& ideo nihil advenit mihi* &c. vel verificatur de subjecto æqualitatis secundum esse reale æqualitatis; vel secundum esse formale; non secundum esse formale, quoniam quando ego solus habeo talem quantitatem, non dicor formaliter æqualis; posita autem eadem quantitate in alio, statim dicor formaliter æqualis illi. Æqualitas ergo quoad esse formale advenit mihi de novo. Si igitur dictum S. Thomæ est verum, necesse est ut verificetur de esse reali, quasi diceret, statim & eo ipso quod habeam talem quantitatem, habeo æqualitatem quoad esse reale; & ideo quando incipio esse æqualis alteri, nihil de novo quoad esse reale, advenit mihi. Ex consequenti æqualitatis relatio non differt realiter (aut entitative modaliter) a quantitate supra quam fundatur juxta mentem S. Thomæ.

Pro fundamento itaque notandum, quod innumeræ dentur denominationes, potentiæ & capacitates, quæ nec nominabantur, nec erant proxime in aliquo ente: adveniente vero aliquo alio ente per modum conditionis, illæ denominationes potentiæ & capacitates competunt illi primo enti sine ejus variatione & mutatione. Vnde autem hoc procedat, & quomodo tunc fiat hæc variatio sine intima mutatione obscurum est ex eo, quod vix capimus quid sit producere, & posse producere: & rursus obscurum est & captu difficile discrimen inter causam & conditionem: (de quibus vide tract. II. sup.) idcirco frequenter extra

chorum

chorum saltatur, & multa implicantur in hac materia, quæ ad illam non pertinent.

LXXVI. Priusquam ad solutionem Objectionum progrediamur, duo præmonenda sunt. Prima differentia quædam inter Connotata & Relata, quam vide Tract. XXI. sect. 1. subsect. 3. Secundum discrimen inter Relationes extrinsecus advenientes, & Denominationes extrinsecas. Dantur enim relationes extrinsecus advenientes, & tamen denominant fundamentum intrinsece. v.g. unio, paternitas, & similes. Sic juxta principia Scoti *Actio*, quæ constituit speciale prædicamentum in significatione quarta (prout diximus supra sect. IV.) est respectus extrinsecus adveniens, & in agente ut in supposito, in forma autem, quæ dicitur potentia activa, ut in fundamento proximo. Similiter passio, dicit respectum oppositum correspondentem illi, & in passo, ut in supposito, & in potentia passiva, ut fundamento proximo. (de quo vide plura Tract. II.) Actio, inquam, nihilominus est in agente. Et sic relationes fundatæ in unitate & numero (quæ solæ categoricæ rigorose dicuntur) identificabuntur cum rationibus fundandi, quidquid sit de cæteris.

Non parum elucidat prædicta Chrysostomus Iavellus, hic q. 23. conclus. 4. ubi inquirens an Vbi, Situs, Habitus sint relationes? Respondet, quod dicant quid absolutum cum denominatione extrinseca. Pro cujus evidentia advertit cum Hervæo 1. quodl. 9. q. Quod denominatio fieri potest tribus modis. I. ab aliquo absoluto intrinseco ipsi denominato, quod vel est intrinsecum per identitatem, ut Sortes est substantia, Sortes est rationalis &c. vel per inhærentiam, ut Sortes est albus, doctus &c. II. ab aliquo intrinseco ipsi denominato, importante tamen aliquod extrinsecum, ut terminum, ad quod denominatum se habet relative, ut Sortes est pater, est magnus, est similis &c. III. Ab aliquo extrinseco, quod non est idem cum denominato, nec est subjective in denominato, ut Sortes est locatus, constat enim locum non esse subjective in locato, sed potius econtra. Prima denominatio fit per tria prima prædicamenta; secunda per quartum; tertia per ultima prædicamenta. Et hæc, inquit, est expressa mens S. Thomæ in 3. phys. super text. 22. ubi inquit: Tertius modus prædicandi est, quando aliquod extrinsecum de aliquo prædicatur per modum alicujus denominationis, & exemplificat de agere & pati, de quando, ubi, situ & habitu.

Ex quibus infert corollarie, quod ultima prædicamenta licet non differant a tribus primis quantum ad rem denominantem, differunt tamen quantum ad modum denominandi & prædicandi: quoniam a tribus primis fit denominatio & prædicatio ab intrinseco absoluto, & ab ultimis fit ab extrinseco absoluto; & ista diversitas sufficit ad distinctionem formalem prædicamentorum, non enim est necesse omnia prædicamenta inter se realiter distingui.

SECTIO VI.

Respondetur objectionibus.

LXXVIII. Objic. I. Relatio formalis non datur a parte rei, sed est mera cognitio cogitans de una re in ordine ad aliam; nam & ipsum nomen Relationis significat comparationem, omnis autem comparatio est cogitatio intellectus. Resp. Intellectus non facit comparationem nisi conformiter, rerum naturis, siquidem prudenter agere velit; adeoque exigentiis rerum se accommodat: hinc quia res inter se ita sunt comparatæ ut una exigat concipi in ordine ad aliam, tali & non alio modo, dicuntur Relativa independenter ab operatione intellectus referentis: nec enim ideo Gygas est major Pygmæo, quia intellectus inæqualitatem inter eos concipit, sed ideo concipit, quia inter eos reperitur. Cæterum hæc objectio continet opinionem quandam intrudentem quæstionem de nomine in hac materia: quod enim vocamus Relationem formalem, nonnulli appellare delectantur Relationem fundamentalem, seu referibilitatem; & quam dicimus cognitionem de Relatione, illi vocant Relationem formalem. Interim in re nobiscum conveniunt; aut si non conveniunt, discant ab Augustino quid sentiendum sit in hac re, Lib. 2. de doctrina christiana cap. 31. *ordinem rerum* (hoc est relationem rerum) *homines non instituerunt, sed animadverterunt.*

LXXIX. Objic. II. Non datur Vniversale formale a parte rei, sed tantum fundamentale, ergo nec datur Relatio a parte rei nisi fundamentalis. Respondet P. Ptolomæus neg. conseq. disparitatem dat, quia unum reale in multis realiter repugnat, sed unam rem proportionatam seu relatam esse realiter ad aliam non repugnat. Nobis hæc responsio non placet. Argumenti enim vis hoc modo potest instaurari. Si æqualitas & similitudo, & similes relationes, quæ fundantur in unitate, essent relationes reales, deberet earum fundamentum proximum seu ratio fundandi, nempe unitas quantitatis aut qualitatis esse realis; atque talem unitatem non admittitis, ergo nec relationem debetis admittere. min. est vestra, talis enim unitas cum non sit numerica, erit specifica, consequenter universalis, dareturque universale a parte rei. Quid enim, quæso, est aliud, duas substantias esse æquales aut similes, quam eandem quantitatem aut qualitatem inesse utrique? Eandem dico, non numero, ergo specie sive formalem, ergo universalem. Si enim non sit una eademque in ambabus, sed duæ æquales quantitates aut similes qualitates ponantur in utraque, petam rursus per quid istæ quantitates sint æquales, aut qualitates sibi similes? ad quod aliter responderi non poterit, nisi quod sint æquales per eandem extensionem aut intensionem in utraque; alias procederetur in infinitum, semper enim urgebitur in quo consistat illa unitas?

LXXX. Confirmatur hoc argumentum, quod est ad hominem, h. e. negantes Vniversale a parte rei, & tamen admittentes Relationem realem. Ponamus equum A. album, & equum B album. Dices esse similes, duos tamen equos. In aliquo ergo erunt similes, & in aliquo dissimiles. Quæro ulterius, an ratio similitudinis sit distincta a parte rei independenter ab operatione intellectus præscindentis a ratione aut formalitate dissimilitudinis, vel non? si non, ergo per unam eandemque realiter & formaliter, simplicem entitatem & formalitatem equus A. & equus B. erunt sibi similes & dissimiles, quod repugnat, quia nihil potest continere in se formaliter opposita juxta perfectam continentiam, sed Deo soli conceditur ejusmodi eminentia. Sunt autem similitudo & dissimilitudo, æqualitas & inæqualitas opposita formaliter, saltem ad idem correlatum, ergo. Si di-

Si distinctæ, ergo præscindamus rationem omnis differentiæ, etiam individualis seu numericæ, quæro an adhuc remaneant duæ albedines, duæ quantitates, duæ naturæ equinæ, vel unica? Non duæ, alioquin non esset sublata omnis differentia, quod est contra hypothesin, cum dualitas importet differentiam; ergo remanebit unica, ergo datur ratio una simplex convenientiæ in utroque, seu albedo una, quantitas una, natura equina unica, non numero, ergo specie, ergo universalis. Vim argumenti penetravit R. P. Aloysius Kimmet in sua Vera Philosophia pag. 68. num. 125. ubi ostendit per nostrum conceptum non fieri distinctionem inter gradus Metaphysicos, nec Vniversale. Quod autem unitas specifica & similitudo formalis solo nomine distinguantur, fatetur quoque Eximius P. Franciscus Bonæ Spei Tract. 5. Logic. Disp. 3. de Relat. dub. 7. num. 239. Sed de his uberius agemus Tract. XLIX. de Vniversali. Quamobrem nunc

Respondeo. Hoc argumento tantum premi eos, qui similitudinem formalem a parte rei admittunt, & tamen unitatem formalem negant, convincunturque de inconsequentia ut præd. Fr. Bonæ Spei observat loco cit. Nec satisfacit P. Fonseca dum ait: « Ad tertium argumentum satisfacit "Documentum tertium; dixerat autem ibi, rationes "fundandi, qualis est quantitas in æqualitate, & uni"tas qualitatis in similitudine, non dare esse relati"vum, sed tantum habere se ut conditiones sine qui"bus non; neque esse necesse, ut ratio fundandi sit "in subjecto eodem, quod afficit relatio; requiri ta"men NB ut non pendeat ab operatione intellectus. In fine autem fatetur, quod unitas quantitatis, qua"litatis &c. non sint entia realia, quæ non videntur sibi cohærere, nisi statuat inter ens reale seu rem, & ens rationis, medium nempe formalitatem, quam intellectus concipiendo non facit sed invenit: & cum unitas sæpedicta in qua fundatur Relatio, sit ejusmodi formalitas independens ab intellectu manet vis argumenti.

LXXXI. Objic. 3. Quod columna v. g. referatur tanquam dextra ad aliam tanquam sinistram, si sint tres columnæ dispositæ, nil aliud est, quam quod una comparetur cum alia, & rursus cum altera alia: itemque si duæ essent columnæ, & una loco moveretur, ita ut ex dextra evaderet sinistra alterius, nihil aliud hoc esset, quam quod una diverso modo compararetur cum alia, ergo universaliter Relatio est mera comparatio. Resp. omitto antec. & nego conseq. juxta dicta Sect. 11. num. Istæ enim sunt relationes rationis quoad illas columnas: quia nulla ratio fundandi seu meritum objectivum est in una columna secundum se, ut potius sit dextra quam sinistra alterius: In præsenti autem loquimur de relatione & ordine reali cum merito objectivo & ratione fundandi.

LXXXII. Objic. 4. Quod unum referatur ad aliud, est quod unum respiciat, tendat, & inclinetur ad aliud: sed e. g. una albedo nec proprie respicit, nec tendit nec inclinatur ad aliam, uti lapis ad centrum, aut ferrum ad magnetem &c. ergo. Respondeo disting. verba illa metaphorica, *tendit*, *inclinatur* &c. hoc est, habeat veram proportionem cum alio. Conc. h. e. quod ut dicis, proprie respiciat vel moveatur, aut inclinetur. nego maj. & similiter dist. min. nego consequentiam.

Objic. 5. Si daretur Relatio realis, haberet sane extra intellectum causam sui productivam seu effectivam: at nulla prorsus assignabilis est, ergo. Resp. Neg. suppositum. Non enim est entitas distincta ab entitate fundamenti, nec seorsim producibilis, ne quidem creative, sed oritur per resultantiam sup. explicatam.

Instas. 1. Ergo relativa sunt idem ac res absolutæ: sed relativum & absolutum opponuntur, ergo sunt idem & non sunt idem. Resp. Dist. illatum, sunt idem formaliter. N. sunt idem realiter & entitate, subdist. relativa sunt idem ac res absolutæ collective sumptæ, aut fundamentum in recto, terminum &c. in obliquo connotando. Conc. seorsim aut aliter sumptæ. Nego. Deinde Nego min Absolutum cum relativo non opponitur; (oppositione vera, ita ut una eademque res non possit esse absoluta & relativa secundum diversa connotata) sed potius relativum cum correlativo opponitur, in quantum non possunt esse idem realiter, ut pater & filius, Dominus & servus, quod eandem numero relationem.

Instas 2. Entia absoluta sunt indifferentia ad ordinem seu relationem: possunt enim esse vel deordinata vel coordinata, ergo ordo est aliqua res distincta ab ipsis etiam collective sumptis. Resp. Dist. ant. sunt indifferentia seorsim sumpta. Conc. ant. simul & collective sumpta, subdist. collectione includente etiam ipsam rationem fundandi. Nego ant. collectione non includente ipsam rationem fundandi. Conc. ant. & N. consequentiam. Quando enim dicitur res absoluta transire in relativam, non est intelligendus transitus proprie dictus, sicuti res e calida fit frigida; sed dicitur transire transitu improprio, qui in eo consistit, quod nunc illa res est capax unius denominationis propter consortium alterius, cujus denominationis prius non erat capax.

Vrgebis 3. Quandocunque datur nova denominatio, debet a parte rei dari nova forma denominans, saltem novum accidens, ergo &c. Resp. Dist. ant. quandocunque datur nova denominatio mentalis vel vocalis. N. ant. (hoc enim Pronuntiatum totam Philosophiam everteret, ut videlicet quot vocabula & denominationes tot res existant) quando datur nova denominatio &c. objectiva, hoc est novum objectum denominabile & cognoscibile, debet dari nova forma, subdistinguo, per modum veræ & propriæ formæ vel accidentiæ inhærentis in subjecto. N. ant. vel hoc pacto, vel per modum collectionis, quæ est relatio formalis, & dat motivum & meritum objectivum, ut per intellectum denominatio explicetur per modum formæ. C. ant. & N. consequentiam.

LXXXIII. Objic. 6. Relatio formalis debet esse aliqua perfectio intrinseca ipsi relativo, ergo est aliquod accidens. Respondeo moneoque omnia hujusmodi argumenta esse retorquenda in relationem fundamentalem. Deinde in forma Resp. Perfectio intrinseca subjecto tanquam forma vel accidens. N. ant. Intrinseca hoc est identificata, subdist. secundum unam partem collectionis. Conc. ant. secundum totam collectionem, quæ est relatio formalis. N. ant. & conseq. Adverte, non semper perfectionem, habere aliquam relationem v. g. similitudinem Diabolo; nam

rano

ratio fundandi est aliqua mera negatio, videlicet defectus aut peccatum.

Contra 1. Vnus equus albus v.g. plus valet & magis æstimatur ac vænit, quia est similis alteri equo jam habito ab emptore, quam alter equus niger: sed nisi tota ratio similitudinis illius equi esset eidem adæquate intrinseca, vel emptor emeret etiam proprium equum, vel non pluris emeret album quam nigrum, ergo &c. probatur min. Si similitudo ex utroque equo, emptor emeret equum album quia similem suo; ergo emeret etiam suum, vel si non emeret etiam suum, irrationabiliter pluris emeret album quam nigrum. Resp. Dist. maj unus equus &c. quia est similis alteri &c. si illud *quia* reduplicet, & ponat in recto similitudinem quidditative. N. maj. (certe si emeret similitudinem quidditative, h. e. totam collectionem, emeret etiam equum suum.) Si illud *quia* reduplicet supra similitudinem denominative Conc. maj. (nempe supra equum vænalem ex suppositione equi possessi) & N. min cujus probationem similiter distinguo: Eodem pacto ille emit equum album, supponendo se habere equum album jam similem huic, quæ conditio ingreditur essentiam contractus, cui finis est utilitas & decentia ad plures effectus v.g. ad rhedam trahendam &c. & hoc est emere similitudinem denominative.

Contra 2. Vbi datur diversa delectatio & complacentia, datur diversa bonitas & entitas: sed diversa delectatio datur de bonitate relativa, ut in exemplo allato quam de bonitate absoluta, ergo bonitas relativa, hoc est Relatio est bonitas diversa ac distincta a bonitate absoluta. Resp. per dist. sensus collectivi & distributivi.

LXXXIV. Objic. 7. Perfectio relativa non potest esse collectio, quod probas; quia verificarentur duo contradictoria, nam eadem perfectio cresceret & non cresceret ergo. prob. ant. v.g. in manu alicujus nascatur sextus digitus, cresceret perfectio absoluta etiam collective, nam plus entitatis esset in ea manu: sed non cresceret imo descresceret perfectio relativa, quia deformaretur manus.

Resp Neg. suppositum, nempe Relationes crescere aut decrescere, hoc enim proprie solum competit quantitati & augumentationi. Relationes autem mutantur, sicut mutantur collectiones addita unitate. Verum quidem est, quod quia utimur vocabulis iisdem relativis ad plures relationes diversas entitative designandas, & quasi comparamus unam relationem cum alia, dicitur relatio illa crescere, quæ mutatur per additionem alicujus partis; Cæterum sicut numeri non crescunt, sed mutantur, ita Relatio.

Itaque N. ant. ad probat. dist. cresceret perfectio absoluta, h.e. mutaretur collectio illa, quæ secundum duas formalitates præcise sumptas habebat duas perfectiones, & mutaretur in aliam habentem similes duas perfectiones, quarum une formaliter comparata est major, & altera similiter est minor quam illæ duæ perfectiones primæ collectionis. Conc. cresceret aliter. N. Non est novum in natura, quod ex. gr. puer secundum unam considerationem & respectum sit perfectior sene; & secundum aliam sit imperfectior: similia cogita in re præsenti.

LXXXV. Objic. 8. Si relatio consistere in collectione fundamenti (remoti & proximi) & termini, esset idem Petrum esse similem Paulo, & Paulum Petro.

Resp. Conc. totum loquendo de re ipsa, est tamen diversitas in modo concipiendi, nempe quoad rectum & obliquum, uti sæpius inculcatum.

LXXXVI. Objic. 9. Si Relatio esset collectio &c. non esset id cujus totum est, esse ad aliud: ad quid enim collectio illa referetur? Resp. Neg. suppositum nempe quod illa sit definitio Relationis in abstracto, cum sit definitio Relativi seu concreti secundum id quod, quod venit in recto, cum addito tamen particulæ *Quodammodo*, quæ significat diminute & alienate; idemque est *ad aliquod quodammodo se habere*, ac *ad aliquid QVASI se habere?* unde cum audies clamari: totum esse relationis, est esse ad aliud, Distingues, est quasi esse ad aliud. Conc. omnino & proprie esse ad aliud. N. Relatio est proportio inter unum & aliud, non ipsa ad aliud (saltem in genere relationis prædicamentalis) sed subjectum quod illa denominat, est ad aliud; h. e. ita est relativum & proportionatum ut non possit esse nec cogitari esse, nisi cogitetur aliud, juxta axioma: *Relativa ut talia sunt simul cognitione.*

Instabis. *Propter quod unum quodque tale, & illud magis:* sed propter relationem relativum est ad aliud, ergo etiam relatio est ad aliud. Resp. Illud axioma non esse universale, nisi in motivo voluntatis: propter Deum amo proximum, ergo magis amo Deum. Cæterum non valet in effectibus & denominationibus physicis, ut propter vinum homo est ebrius, ergo vinum est magis ebrium; & nullo modo valet in denominationibus relativis.

LXXXVII. Objic. 10. contra Relationes secundi generis. Paternitas & filiatio non fundantur nisi in actu transeunte: sed actus qui transit nihil fundat in re, quia non est, ergo paternitas & filiatio non sunt in re, sed in intellectu.

Præterea, paternitas a quo produceretur? Non a patre, quia sequitur absurdum, scil. quod aliquid actione transeunte producat aliquid in seipso: nec a filio, quia recipit & non imprimit in patrem: non ab actione profluente a patre, quia illa recipitur in filio, & sic quidquid relinquitur est in filio & non in patre.

Huic argumento respondet Iavellus Neg. maj. aitque fundamentum paternitatis esse potentiam generativam ut fuit sub actu, & ille actus permanet in virtute, quod sufficit. Sed quid si potentia generandi auferatur? puta per evirationem aut alio modo, an manebit paternitas? Respondent quidam adhuc manere, quia potentia generandi est tantum inadæquatum fundamentum, adduntque illi substantiam patris, quæ semper manet. Alii concedunt absolute, sublata potentia generativa non manere relationem realem paternitatis, sed perire; sicut volunt ablato termino. Manet tamen Pater radicaliter aut fundamentaliter, non formaliter.

Si urgeas, quod ratio fundandi necessario requiratur ad relationem, cum tamen actio generativa non requiratur necessario ad existentiam paternitatis. Resp. disting. requiritur necessario ad fieri relationis. Conc. semper in facto esse aut conservari. N. maxime in Relationibus II. generis fundatis in actione & passione.

Ad alterum respondet Iavellus, paternitatem produci a Patre & Filio, non quidem directe, sed per quan-

quandam resultantiam: nam ex hoc quod Pater generat & filius generatur, resultat in Patre paternitas & in filio filiatio. Quæ tamen responsio non placet Paulo Socinnati, cujus argumenta eludit Lavellus per suam actionem productivam improprie dictam, quam resultantiam vel pullulationem vocat tropica phrasi.

Nos autem arbitramur argumento isto solum evinci non dari in rerum natura relationem aliquam consistentem in recula quadam superaddita relativis, quod ultro concedimus: minime quod denominatio patris aut filii sit merum commentum rationis, aut in ipsa denominatione actuali consistat relatio: hic enim actus intellectus fundatur in capacitate objecti & merito objectivo jam sæpius inculcato.

LXXXVIII. Objic. II. Ipsa relatio formaliter sumta seu in abstracto, & denominative, aut quoscunque terminos & phrases adhibere soletis, estne ens distinctu ab entitate fundamenti proximi vel non? si est distinctum ens, ergo quando perit Relatio formaliter & quoad esse denominativum, perit ens aliquod, ergo perire formaliter, est perire entitative. Si non est distinctum, ergo pereunte termino manet tota relatio adhuc entitative. Resp. sublato obliquo sive termino in iis relationibus, quæ identificantur cum recto seu fundamento, & terminum connotant, non dico manere Relationem quoad entitatem: sed dico sublato termino manere fundamentum Relationis; sublato obliquo manere subjectum connotationis, denominationis, formalitatis. Ratio sic loquendi est, quia quando dicitur manere Relatio vel connotatio quoad entitatem, notatur hac phrasi manere totum id quod requiritur, ut habeatur completa ratio connotationis, relationis &c. Cum autem compleatur ratio Relationis termino, & ratio connotationis obliquo (ut dictum est, ideo quando tollitur terminus, vel obliquum non recte dicetur manere relatio aut connotatio quoad entitatem.

Ad horum intelligentiam, & distinctionem inter Connotationem & Relationem relegenda sunt, quæ Tract. XXI. Sect. I. Subsect. III. tradidimus.

LXXXIX. Cæterum in hac objectione tangitur nervus controversiæ; & ni fallor, pensatis hinc inde rationibus, non videntur Nominales & Connotatores in re ipsa differre, hoc est, huic vocabulo *Relatio* non correspondere a parte rei ullam formam; sicut nec his, *Ubicatio*, *duratio* &c. sed relata, locata &c. prout jam supra observavimus cum P. Ptolomæo; illud autem, quod nostri vocant formalitates & modalitates, voluntque vere ac proprie dici formas subjecti seu relati, ab eoque distingui distinctione media formali, ut mordicus contendit Kimmet: mihi videtur mera aptitudo, conceptibilitas, denominabilitas ex merito objectivo in talibus circumstantiis orta in rebus. Falluntur ergo quicunque audito vocabulo Relatio sibi formant ideam alicujus formæ advenientis nescio unde rebus, quæ dicuntur relatæ: imo, inquit Ockamus, volunt quidam, quod tot sunt res distinctæ, quot sunt voces significativæ, ita ut sit tanta distinctio inter significata, quanta est inter voces significantes: sive illæ voces sint præpositiones, sive nomina, sive verba, sive aliæ dictiones: & ideo somniant, quod quando dicitur quod effectus est *ab* agente, quod per *τὸ AB*, sic importetur una abietas, sicut per album importatur albedo. Et eodem modo, quando dicitur Sortes fuit *heri*, putant quod per hoc adverbium *heri* importetur una res alia, quam *herietatem* baptizare possent.

XC. Neque putandum, inquit Card. Sfondrati, novem prædicamenta in ratione accidentis convenire univoce; tum quia non omnia æque proprie & vere insunt: quis enim credat æque proprie vestem Æthiopi ac nigredinem inesse? Idem de actione transeunte dicas, tum quia Relatio, duratio, ubicatio &c. non sunt vere ac realiter accidentia, sed solum analogice.

XCI. Hinc pergit doctissimus Ockam ita discurrere L. I. sent. dist. 31. *τὸ ad aliquod* non est concretum istius abstracti *Relatio*: nec hæc vox est propria abstractum habens sibi correspondens concretum impositum, prout in cæteris prædicamentis contingit; sed Aristoteles studio non fuit usus *Relativo* in proposito, nec *ad aliquid*: sed præcise hoc nomine *Relativum*, vel *ad aliquid* pro ipsis nominibus relativis, vel pro conceptibus relativis, vel pro signis relativis quibuscunque uti voluit. Hinc substantiæ non ita dici possunt *ad aliquid* sicut sunt quales, quantæ, ubicatæ &c. Itaque *τὸ ad aliquid* est unum nomen potens præcise supponere pro nominibus, vel signis relativis de rebus singulariter prædicabilibus; sed *relatio* non supponit pro talibus nominibus, sed pro nominibus vel signis quorum nullum potest de aliqua una re vere prædicari. Unde ista nomina: simile, æquale, Pater, filius &c. proprie sunt *ad aliquid*, & proprie sunt relativa. Hinc *Pater & relativum* non habent se sicut *album & simile*; & ideo non sequitur, homo est pater, ergo homo est relativum, quia relativum non potest supponere pro ipsa re, sed pro nomine vel signo ipsius rei, non quocunque sed relativo. Ideo dicendum quod relatio vel æqualitas non est talis forma adveniens æquali, non plus quam *crastinas* sit forma adveniens huic adverbio *cras*, quando dico cras orietur Sol; nam per hoc non denotatur, quod Sol modo habet unam rem in se, propter quam Sol vere oriatur cras, sicut fortes habet unam rem propter quam dicatur albus, ut communis tenet Peripateticorum. Talia ergo nomina abstracta non sunt inventa ad significandum alias res, quam quæ significantur per alia nomina absoluta; sed ad brevius loquendum, utendo uno nomine pro multis, & propter alias commoditates. Hinc

Ulterius, sicut quæcunque Relatio uno modo potest supponere pro ipsa relatione, quæ est in anima (in intellectu) vel pro signo aliquo; vel potest supponere pro rebus simul sumptis certo modo (puta vel omnia in recto, vel unum in recto, alterum in obliquo) sic potest aliquo modo concedi, licet forte multum improprie, quod duo alba sint similitudo; (sive quod similitudo detur a parte rei.) Primo modo accipiendo similitudinem, non est inconveniens quod aliquid sit alteri simile sine similitudine, quod est dicere, aliquid potest esse alteri simile vel æquale, sine tali conceptu vel signo: (& quis hoc neget?) si tamen debeat exprimi, quid sit simile vel æquale, oportet uti tali intentione (conceptu formali) vel tali signo. Secundo modo accipiendo similitudinem aut æqualitatem, non est hoc possibile (nempe duo esse similia similitudine) quia hoc esset dicere, quod aliquid sit æquale alteri, & tamen non sint

sint æqualia. Quando autem dicitur, nihil posse esse album sine albedine, respondeo, esse latam disparitatem, nec enim sic haber æqualitas ad æquale, sicut albedo ad album, quia albedo dicit unam rem informantem subjectum illud quod importatur per album, ita quod albedo præcise pro ista re seu forma supponitur: non sic est de æqualitate, quia æqualitas non significat aliquam unam rem advenientem illi, pro quo supponit æquale, & ita æqualitas præcise supponat pro illa re tanquam forma, sed significat plures res, nec pro una tantum potest supponere. Hucusque Guillelmus Ockamus.

XCII. Nostri autem Doctores rem sic explicant. Vnam eandemque rem diversis subjacere conceptibilitatibus palam est; similiter unam eandemque rem in se non mutatam diversas sortiri denominationes propter diversa connotata extrinseca. ex. gr. Idem conclave dici potest Refectorium, Musæum, Parlatorium &c. prout diverso tempore diversæ actiones in illo peraguntur. Idem Petrus concipi potest sub ratione substantiæ, corporis, animalis &c. quæ conceptiones supponunt in objecto diversas formalitates seu gradus Metaphysicos, ut vocant, distinctos formaliter ex natura rei, ut loquuntur Scotistæ. Iterum idem Petrus conceptibilis est modo sub ratione entis absoluti, modo sub ratione respectivi: & quidem hæ conceptibilitates aut sunt necessariæ & essentiales, aut contingentes & accidentariæ. primi generis vocatur Transcendentalis, dum Petrus consideratur ut creatura. Secundi generis est dum consideratur ut Pater, Dominus, Magnus, parvus &c. In his ipsis conceptibilitatibus, dummodo interveniat ratio fundandi & meritum objectum consistere id, quod vocamus Relationem, arbitror, non autem in formis modalibus superadditis: imo nec formalitates recte dici ex natura rei distinctas: ita in re ipsa convenire Nominales cum nostris, & quæstionem esse de nomine, dum quod illi vocant Relationem fundamentalem, nos formalem. Dum enim P. Thomas Mlodzianowski dicit relationem dupliciter spectari posse; Physice & Metaphysice. Primo modo nihil aliud est quam fundamentum (remotum & proximum) & terminus. Secundo modo, seu secundum quod conceptus ejus fieri debet, est ipsum fundamentum connotans terminum; junctis iis quæ ex eo adduximus Tract. XXI. ubi de triplici conceptu formando de Connotatis; sane non apparet palmaris discordia cum Ockamo.

XCIII. Facessant itaque nugæ illæ ac somnia apud Sfondratum pag. 371. dicentium Modos Relationum ad futura & præterita esse velut infinita specula, in quibus futura & præterita, & maxime distantia videri possint; si Deus illa humano intellectui aperiret. Sic forte Prophetis factum; Isaias v. g. vidit Messiam incarnandum in Speculo Relationis Modalis aut Modali speculo, repræsentante connexionem unius ex Messiæ Progenitoribus cum nascituro Messia: sic in extremo judicio in cœlesti patria omnium relationum quæ in quolibet infinitæ sunt, velut apertis speculis omnia nudatum visumque iri. Nempe hi sunt illi libri aperti, de quibus Apoc. 20. 12.

Firmiter potius persuasum habeas, dum in India nascitur homo, tibi hic existenti minus advenire entitatis physicæ, aut certe æque parum, quam si a Titio Romæ existente scribaris Hæres in Testamento, aut eo momento quo uxor tua filium tibi parit: nulla in his omnibus casibus in te mutatio physica; nova solum oritur denominatio, aut melius loquendo denominabilitas, novum respective Jus, & exigentia, & meritum objectivum, in eo consistens, ut si velim te exprimere ut patrem, debeam tuam in recto, & filii nati in obliquo efferre, dicendo Petrus genuit filium. Electus es in Regem Poloniæ? male loquerer Philosophice dicendo. Rex & Polonia: sed Rex Poloniæ, non Polonia Regis &c.

XCIV. Objic. denique contra II. Conclusionem. In omnibus relationibus non necessariis terminus est constitutivum earundem, non minus quam anima & corpus sit constitutivum & pars hominis, ergo omnes relationes consistunt in collectione. ant. prob. Illud est constitutivum seu pars totius alicujus, quo præcise h. e. solummodo, ablato seu non intellecto, tollitur & non potest intelligi constitutum, seu totum illud, per aliquod nomen significatur: exemplum sit in hoc quod est *homo*. Sed in relatione accidentali præcise ablato termino, eo ipso tollitur relatio, ergo terminus est constitutivum relationis.

Resp. Illud Pronunciatum prave intellectum & mutile Philosophiam turbare: mala autem ejus intelligentia procedit ex pejore abusu in materia præcisionum, distinctionum formalium & aliarum cognitionum, quæ etiam quandoque respecti habito ad objecta realiter distincta, cum illa objecta correlativa sunt, dicuntur præcisiones: credunt enim intellectum nostrum ita posse excæcari, res ipsa impræcindibilia præscindat, & ea quæ apertissime intelligit non intelligere dum intelligit. Cum econtrario ita sit necessaria & limitata potentia intellectus humani in statu immersionis in materia (sic appellatur status vitæ mortalis) ut non possit ullam rem intelligere, nisi simul aliam realissime a prima distinctam intelligat, quod per generalissimam inductionem fundat illud axioma: *Relativa sunt simul natura & cognitione*. Relativa, inquam, hoc est pleraque, si non omnia objecta, intellectus humani in hac vita: rarissima enim sunt objecta absoluta cognoscibilia absolute, h. e. solitarie ab omnibus aliis. Vide enim si potes intelligere *rationale* non intellecto discursu, vel si ex hoc liceat inferre, ergo discursus (qui est effectus) est pars constitutiva rationalis. Idcirco

XCV. Nota has tres illationes. Primo præciso intellecto & posito (ex. gr. ad falsitatem detegendam) toto Mundo, & nullo alio posito & intellecto, eo ipso intelligitur & ponitur homo: (nam in toto Mundo includitur homo) ergo totus Mundus est constitutivum hominis. Secundo: præcise non intellecto, nec posito aut cogitato e. g. Deo & omni quacunque alia re intellecta, non intelligitur aut ponitur aut cogitari potest dependentia creaturæ a Deo, seu relatio transcendentalis. Ergo Deus est constitutivum creaturæ, & ejus dependentiæ. Tertio. Præcise non intellecto, nec posito aut cogitato e. g. Angelo, adhuc intelligitur & cogitatur homo, ergo Angelus non est hominis constitutivum. Prima & Secunda illatio sunt fallacissimæ; tertia vero est legitima, ab antecedente nimirum affirmativo ad consequens negativum, quod per inductionem innumeram facile demonstrari potest. Itaque ad objectionem nego maj. & ejus suppositum. Suppono enim

enim intelligi posse præcise id, quod est præcise in intelligibile, juxta exemplum positum in secunda illatione.

Idem argumentum sub aliis terminis, sic proponi solet. Relano juxta Connotantes identificatur cum solo recto seu fundamento, ergo manente Recto integro, manebit integra relatio, etiam pereunte termino seu obliquo. Respondetur dist. ant. Identificatur cum solo recto absolute sumpto. N. ant. sumpto in circumstantiis connotato termino & ratione fundandi. Conc. ant. & dist. conf. manebit relatio integra & completa. N. incompleta. C. Hoc ipso enim quod Relatio virtutem suam denominandi dependenter ab extrinseca aliqua conditione aut coonotato acceperit, non poterit illam exercere, nisi illud extrinsecum connotatum ponatur; perinde fere sicut ignis non calefacit nisi approximetur passo.

XCVII. Si Inferas, Ergo Relatio constituetur completa per terminum ipsum tanquam partem. Resp. dist. illatum, ergo relatio completa *reduplicative* accepta per terminum tanquam partem coostituetur. Transeat illatum. Specificative accepta. N. Quando autem dicimus a relatione completa denominari fundamentum relatum, non intelligimus relationem completam *qua talem*, quasi ipsum etiam complementum esset immediata & partialis forma tribuens denominationem relati; sed tantum intelligimus relatiooem completam *specificative* acceptam, seu *qua* est completa, ita ut complementum seu terminus sit coodітio taotum requisita ad hoc, ut relatio effectum suum formalem communicare possit subjecto. Pro explicatiohe hujus sciendum, quod Relatio dicat unum in recto, alterum in obliquo. Neque concipi potest quoad formalitatem completam, nisi utrumque coocipiatur. Porro secundum id quod dicit in recto, dicit ideotificationem cum fundamento: sed hoc solo contenta non est, nec habet suam completam formalitatem, quia indiget obliquo, quod ipsum *ad* io obliquo identificatur ipsi termino, ipsi *aliud*, ipsi extrinseco. Tota autem imaginatio Add. per hunc medium terminum, solum attendit ad identificationem recti cum fundamento, & non ad identificationem obliqui cum termino. Arguitque ex eo, quia remanet rectum identificatum fundamento, manere totum, cum tamen relatio requitat etiam obliquum identificatum extrinseco, quod supponitur deesse. Hinc videtur hic committi *fallacia accidentis* arguendo ab uno ad aliud, in quo non unum sed aliud sunt.

Quando autem urgetur, Relatiooem quoad formalitatem, & quoad entitatem noo distingui physice, id verum est, si accipiatur relatio secundum formalitatem completam, secundum quam importat etiam obliquum. Ita P. Thomas Mlodzianowski Prælect. Logic. Tract. 1. Disp. 1. diff. 4. num. 105. & 106.

SECTIO VII.

Proponitur sententia RR. tenentium Relationem prædicamentalem consistere adæquate in sola ratione fundandi.

XCVIII. Hanc velut noviter excogitatam defendit Ingolstadii in thesibus Anno 1674. P. Fridericus Inninger S. I. quam ex Magistro suo P. Joan. Bapt. Erhardt exercitatissimo in palæstra Academica veterano & Triario hausisse fatetur. Illam quoque tenet Card. Sfondrati Lib. 1. Log. cap. 3. §. 6. minus tamen consequenter requirit actualem existentiam termini in relatione prædicamentali. Fundatur autem hæc opinio parsimoniæ studens in seqq.

Dicunt 1. Relatio prædicamentalis identificatur adæquate cum sola ratione fundandi. Probatur 1. Id quod est adæquata denominans forma relativum seu relatum est adæquata relatio, sed sola ratio fundandi est adæquata forma denominans relativum seu relatum, ergo est adæquata relatio. maj. patet, min. probatur. Id quod est adæquata forma denominans, v. g. simile, æquale, coexistens, patrem &c. est etiam adæquata forma denominans relativum: sed sola ratio fundandi in prædictis id præstat; ergo. min. prob. 1. auctoritate clara Aristot. 5. metaph. c. 15. *Similia sunt, quorum qualitas est una;* æqualia sunt quorum quantitas est una, ergo, optime infert Mendoza Disp. 15. metaph. sect. 2. & 14. juxta Aristot. unitas qualitatum est forma denominans subjecta similia: idem enim est dicere, duos homines esse similes, quia illorum qualitas est una, ac dicere, unitatem qualitatis esse similitudinem. Probatur secundo auctoritate S. Thomæ ex verbis jam supra allegatis Opusc. 48.

Nec est quod applaudant sibi Add. quando legunt io S. Thoma, fundamentum & terminum constituere relationem similitudinis vel æqualitatis: patet enim ex contextu Eum hos terminos non in eo sensu accepisse, quo hodie sumi solent. Nam D. Thomas unam partem rationis fundandi vocat fundamentum, & alteram vocat termioum; ea autem quibus inest ratio fundandi, & a nobis vocari solet fundamentum & terminus, vocat S. Thomas *subjecta Relationis.*

Eadem fuit apertissima meos Alexandri Alensis Præceptoris S. Thomæ, nam hic Doctor 5. Metaph. fol. 142. lit. E. ita loquitur. "Quando aliquid refertur per similitudinem, tria imaginamur: scilicet, „ subjectum quod refertur; relatio, per quam refertur„ & qualitas, quæ est ratio, quare ista similitudo &„ relatio est in subjecto. Dixerat autem paulo ante, fundamentum relationis nihil esse aliud, quam rationem fundandi. Infra vero sæpissime repetit *relationem sola ratione differre a fundamento; albedinem & similitudinem esse eandem realiter entitatem:* relationem nihil reale addere fundamento (nempe proximo) &c. Vnde iste Syllogismus exurgit. Ex mente Alensis relatio prædicamentalis est adæquate identificata cum fundamento: sed fundamentum, juxta ipsum, est ratio fundandi, ergo relatio prædicamentalis identificatur adæquate cum sola ratione fundandi.

Confirmantur prædicta. 1. Actio, juxta omnes est forma denominans prius & posterius natura, ergo est forma denominans agens & patiens, causam & effectum, patrem & filium. Item quid aliud est forma deoominans duas entitates coexistentes, & quid est coexisteotia, quam durationes simultaneæ fundamenti & termini? sive quod idem est ratio fundandi? Eodem modo, quid est similitudo, quam prædicata similia? quid est æqualitas, quam duæ quan-

quantitates seu melius loquendo duo quanta æque extensæ?

Secundo. Relatio est ordo seu nexus unius cum alio; sed iste ordo nil aliud est quam ratio fundandi, ergo. prob. min. Pater ordinatur ad filium per actionem generativam, simile cum simili per prædicata similia, existens cum coexistente per durationes simultaneas, ergo ratio fundandi est ordo & nexus inter fundamentum & terminum, adeoque ipsissima relatio.

XCIX. Dicunt secundo. Fundamentum relationis est pars constitutiva hujus concreti *Relativum:* terminus vero nec est pars relativi, nec relationis, sed est connotatum mere extrinsecum. Vtraque pars facile probatur: nam partes concreti sunt subjectum & forma denominans; atque fundamentum est subjectum denominationis in hoc concreto *relativum;* terminus vero nec est subjectum, nec forma, ergo nec pars.

C. Dicunt 3. Denominationem *prædicamentaliter relativi* esse quandoque adæquate intrinsecam; quandoque adæquate extrinsecam, & quandoque partim intrinsecam, partim extrinsecam. Sequitur ex dictis: nam ratio denominationis desumitur a forma denominante: atqui ratio fundandi (quæ est forma denominans relativum) interdum est fundamento intrinseca, ut in correlatione filii ad patrem; interdum extrinseca, uti in relatione Patris ad filium (ut supponitur rem se habere cum actione). Interdum vero mixta, ut accidit in relationibus fundatis in unitate & numero, qualis est relatio similitudinis & dissimilitudinis, Identitatis & distinctionis.

Ita quidem Patroni hujus sententiæ, quæ tamen allata exempla minus congruere mihi videntur, tametsi quoad divisionis modum cum Scoticis supra num. utcunque concordent. Interim videamus qui respondeant argumentis in contrarium.

CI. Si opponas 1. Ablato termino perit relatio, ergo terminus est pars relationis. Respondent 1. retorquendo in relationem transcendentalem, quæ etiam perit ablato termino, & tamen Add. eam identificant adæquate fundamento. Respondent 2. dist. ant. ablato termino perit relatio per locum intrinsecum, formaliter & immediate. N. arguitive & per locum extrinsecum. Conc. ant. & Negant consequentiam.

CII. Oppones 2. Debet admitti quod relatio Identitatis, (quæ nihil est aliud quam convenienna duorum in prædicatis essentialibus) seu identitas specifica vel generica identificetur cum fundamento & termino, ergo præstat universim omnem relationem identificare cum fundamento & termino. ant. facile probatur. Ratio fundans relationem identitatis inter duo individua ejusdem speciei sunt prædicata essentialia utriusque individui: atqui hæc prædicata identificantur cum utroque individuo, quæ sunt fundamentum & terminus, ergo. Respondent 1. invertendo argumentum. Relatio identitatis identificatur cum sola ratione fundandi, ergo præstat universim omnes relationes identificare cum ratione fundandi. Resp. 2. Dist. ant. Relatio identitatis identificatur cum fundamento & termino, qua sunt ipsa fundamentum & terminus. N. ant. qua sunt ipsa ratio fundandi. Conc. ant. & Neg. conseq. aut forte melius, identificatur hic & nunc in tali casu & relatione, & hoc per accidens, adeoque condonato antec. Negabitur consequentia. Interim patet in hac sententia majorem servari uniformitatem, quam in ulla alia, cum universim omnem relationem (prædicamentalem, transcendentalem) identificet cum sola ratione fundandi: hoc solo discrimine, quod ratio fundans relationem transcendentalem semper identificetur adæquate cum fundamento, non item ratio fundans relationem prædicamentalem.

CIII. Oppones 3. Inter Relativum Prædicamentalem & Transcendentalem debet dari discrimen reale: sed si dicatur Relatio prædicamentalis consistere in sola ratione fundandi, non datur discrimen reale inter illas, ergo. min. prob. quia sæpissime relatio prædicamentalis identificabitur adæquate cum transcendentali, quod probatur, actio generativa est transcendentalis relatio sui ipsius ad causam & effectum; & simul est relatio prædicamentalis causæ ad effectum, ergo hæ duæ relationes sunt una eademque realiter entitas.

Confirmatur I. Duæ albedines habent inter se relationem identitatis, ergo non sunt relatio similitudinis. II. Si actio generativa esset relatio paternitatis, sequeretur tot dari paternitatis relationes in eodem patre quod generaret filios, quod est inconveniens.

Respondetur I. Hoc argumentum ipsismet Add. solvendum esse; cum enim in communi sententia omne ens creatum habeat sibi identificatam relationem transcendentalem ad Deum, & ad omne aliud ens possibile, consequenter complexum ex fundamento, termino & ratione fundandi (in quo Add. constituunt relationem prædicamentalem) nihil est realiter distinctum a relatione transcendentali.

Resp. II. directe Neg. min. licet enim eadem entitas sit materialiter relatio transcendentalis & prædicamentalis, differunt tamen per hoc, quod relatio prædicamentalis sit ordo saltem inadæquate distinctus a fundamento; relatio vero transcendentalis sit ordo adæquate identificatus cum fundamento.

Ad primam Confirm. resp. dist. ant. ergo non relatio similitudinis inadæquatæ respectu sui ipsarum. C. adæquatæ, N. Advertæ autem Identitatem & similitudinem non opponi, nisi ut adæquatum & inadæquatum. Quæ adæquate similia sunt, sunt unum idemque simpliciter, & inde dicta identitas. Alias omne simile, simul est dissimile, quia aliquam adhuc importat differentiam, & ideo sunt unum inadæquate, qualia sunt subjecta, quibus formæ eædem insunt. Sic natura Petri & natura Pauli, in ratione naturæ identificantur, id est adæquate similes sunt, una eadem (specie) natura sunt, non duæ; differunt autem numerice, ratione hæcceitatum seu individuationum. Posse autem ab una eademque non solum entitate physica sed & formalitate simplici denominationes diversas tribui, patet in actione & passione hoc modo. Eadem res dicitur *forma, actio, passio, motus* & *mutatio*. Dicitur enim *forma*, quatenus dat esse rei, in qua est. Dicitur *motus*, secundum quod ipsa forma est in fieri & in fluxu. Dicitur autem *mutatio* secundum quod per eam subjectum se habet aliter nunc quam prius. Dicitur autem *actio* secundum quod deno-

minat agens in quantum agens ipsam formam facit aliquid esse actu. Dicitur quoque *Passio* secundum quod aliquid fit patiens recipiendo eam. Et secundum istos modos calor receptus in ligno ab igne calefaciente dicitur forma acquisita; & dicitur calefacere ignis calefacientis, & calefieri ligni patientis, & dicitur calefactio prout nomine calefactionis importatur motus vel mutatio. Sic ergo duæ albedines & sibi denominationem identitatis, & subjectis denominationem similis tribuunt.

Ad 2. Confirm. Resp. Relationem paternitatis esse extrinsecam denominationem a generatione quæ inest filio. Neque referre etsi tot denominationes patri adveniant, quot gignit filios, quid enim hoc absurdi? Neque inde sequitur plures esse patres, sed pluries patrem.

CIV. Objici denique potest contra hanc sententiam hunc in modum. Relativum & relatio solum differunt sicut homo & humanitas: atqui humanitas habet easdem partes constitutivas, quas homo, ergo & relatio habeat easdem, quas relativum. Subsumo, Relativum, præter rationem fundandi, involvit etiam fundamentum pro parte constitutiva, ergo. Respondetur Neg. maj. tum quia juxta Ockam Relativum non est concretum respondens Relationi velut abstractæ formæ, ut supra vidimus; tum quia communiter etiam ab aliis negatur: præ pluribus sufficiat Alex. Alensis 5. Metaph. fol. 146. lit. C. ibi: "Differentia autem inter relationem & relativum est, sicut inter formam & formatum, & sicut inter albedinem & album, & non sicut inter hominem & humanitatem, ut vult objectio. Hic obiter notandum (prout jam alibi tract. XXVI. docuimus) dari formam totius in unaquaque re, ut igneitas, quæ ideæ ignis respondet, quæ est essentia ignis in causa; in effectu vero existentia, particeps essentiæ. Et quidem in notionibus vocatur forma, quæ respondet ideæ; in natura vero est ipsamet essentia. Vide Sect. I. num. VI. Tract. XXVI. Et quamvis S. Thomas dicat humanitatem significare per modum partis, & non totius, quia individualitates & accidentia aufert: Nos tamen cum Campan. dicimus etiam per modum totius prædicari, respiciendo totam essentiam omnium hominum, & ideo de parte non posse dici, sicut nec sigillum de sigillatis, aut principium de principiatis. Sciendum enim quod hominis Idea est multiplex, alia animæ, alia corporis, alia manus, alia jecinoris &c. Ex quibus omnibus fit unum Decompositum, cui respondet Idea, quæ est humanitas, non autem anima, aut rationalitas. Humanitas autem dicit materiam & formam.

CV. Quænam sint illæ rationes fundandi, quibus cum hi AA. adæquate identificant Relationes? Resp. Arist. Lib. 5. Met. c. 15. ex triplici fundamento, seu accuratius loquendo, ratione fundandi tria relativorum genera constituit, ad quæ omnes relationes revocavit. Vide D. Thom. 1. p. q. 13. a. 7. & q. 25. a. 1. & 2. contra gent. c. 11.

In primo genere sunt Relationes quæ fundatur in *Unitate & numero seu multitudine*, hoc est in Convenientia & disconvenientia. Et quia convenire possumus, vel *in substantia*, vel *in quantitate*, vel *in qualitatibus*: Unitas in substantia fundabit *Identitatem specificam*; unitas in quantitate, *æqualitatem* & inæqualitatem; unitas in qualitate, *similitudinem*. Huc revocatur *propinquitas*, cum sit quædam unitas quoad locum. *Coætaneitas seu coexistentia*, cum etiam sit quædam unitas quoad secundum tempus. Convenientia item accidentium, ut duæ albedines, quæ habent in suo genere talem convenientiam, qualem homo & homo, ideo etiam referuntur ad se relatione identitatis. Econtra in multitudine seu numero fundantur omnes relationes, quæ aliquo modo ab unitate recedunt: ab unitate, inquam, non tantum quantitativa, sed etiam entitativa. Tales sunt Relationes & proportiones inter numeros inæquales v. g. *excedens*, *multiplex*, *dupli*, *tripli* &c. Item relationes *dissimilitudinis*, *inæqualitatis*, *distinctionis*, *diversitatis* &c. Item *distantiæ*, quæ est disconvenientia ratione loci. Antiquitas comparata ad modernitatem cum sit disconvenientia in tempore. Relatio itaque æqualitatis v. g. in hoc fundatur, quod unus v. g. paries non habeat plus aut minus extensis quam alter: & econtra inæqualitas. Similitudo in hoc, quod uterque habeat eandem formam specificam: & quamvis non habere tot partes, sit negatio; unitas etiam specifica dicat negationem, & secundum aliquos non sit a parte rei, sufficit tamen fundamenta illarum negationum & unitatum esse realia. Sufficit quoque ad similitudinem imperfectam unitas generica. S. Thomas 1. p. q. 26. art. 1. ad 2. Sicut enim diversitas individualis non tollit unitatem & similitudinem specificam; ita nec diversitas specifica tollit unitatem & similitudinem genericam. Sicut tamen unitas specifica includit genericam, ita similitudo specifica genericam. Imo & unitas analogica sufficit in analogis eandem rationem analogam intrinsece participantibus, habet enim similitudo suos gradus & creatura est imago & similitudo Dei. Vide S. Thom. 1. p. q. 4. art. 3. ad 4. & q. 93. a. 1. ad olt. & de potent. q. 7. art. 6. apud Sfondrat.

In secundo genere Relationum ponuntur illæ, quæ fundantur in actione & passione, h. e. in potentia agendi & patiendi, vel in actionibus earum, v. g. calefactivum & calefactibile subjectum; calefaciens & calefactum. Aliæ vero fundantur in præsenti, ut calefaciens & calefactum; aliæ in actione præterita, ut relatio patris; aliæ in futuro v. g. quod est calefacturum, & quod est calefaciendum. Sed hæ ultimo non sunt reales, quia carent fundamento reali, cum actio futura nihil sit actu. Huc revocatur Unio & cæteræ, quæ se habent per modum causæ, uti & relationes materiæ & formæ. Relatio quoque dimidii & duplum possunt revocari ad actionem, causat enim dimidium rationem dupli, dando se ei partem, vel melius forte revocantur ad mensuram.

In tertio genere Relationum ponit Aristot. relationes mensurabilis ad mensuram v. g. scientiæ ad scibile, intellectus ad intelligibile, aspectus ad spectabile &c. nempe in hoc genere fundantur omnes Relationes Potentiarum, Habituum, Scientiarum, Actuum ad objecta sua. Omnium quoque specierum ad primam & perfectissimam speciem tanquam regulam & mensuram illarum perfectionis: Ratio ergo fundandi in hisce relationibus est infima cujusque rei perfectio, secundum quam est mensurabilis ab aliqua perfectiori. Esto enim color v. g. sit qualitas imperfectior visione, ut tamen hujus est causa exemplaris & specificativa, est utique perfectior & mensura visionis: & ideo relationes hujus tertii generis ex parte tantum unius extremi sunt reales; visio enim refertur ad colorem;

color

color vero non refertur ad visionem tanquam mensurabilis, sed tanquam causæ & simile: Nam ut sic dicit relationem secundi & primi generis. Nomen enim hæc *mensura* hic non indicat quantitatem, sed adæquationem duorum secum connexorum, quorum unum per aliud determinatur. Neque sumitur hic mensura prout est medium, quo deducimur in cognitionem alicujus ignotæ quantitatis (sic enim ratio mensura nihil addit reale) sed prout dicit habitudinem aliquam transcendentalem & dependentiam unius ab alio, in quo respectu transcendentali fundatur deinde relatio prædicamentalis hujus tertii generis si cætera requisita adsunt.

SECTIO VIII.

Expediuntur quædam alia circa Relationem.

CVI. Quæritur I. Vtrum ad omnem relationem prædicamentalem necessarium sit, ut terminus actu existat? Intricata quæstio: quænam enim relatio hic intelligatur, inter Authores non convenit, ut patet ex supradictis. Sunt enim qui solas relationes primi generis hoc nomine comprehendi velint. Alii promiscue omnes excepta transcendentali. In horum sententia, quam præced. sectione retulimus, Respondemus cum P. Inniger, contra communem, non requiri actualem existentiam termini ad omnem relationem prædicamentalem, sed sufficere quandoque extitisse, aut futurum esse. Probatur hoc variis instantiis. Et quidem I. contra Card. Sfondrati argumento, ut vocant, ad hominem. Docet iste & agnoscit Relationem prioris & posterioris esse veram & realem relationem, cujus tamen terminus sæpe non est; Ego v. g. sum posterior S. Petro & prior Antichristo, at neuter modo est. Subsumo, hæ relationes non sunt transcendentales ut patet, imo ab ipsomet enumeratæ inter Relationes primi generis; nihil enim agunt circa suum terminum, quod, teste eodem, est proprium relationi prædicamentali, & tamen ad illas non requiritur actualis existentia termini, prout Idem asserit hic q. 10. num. 12. Posteri namque habent relationem ad suos Majores, nepos ad Avum, hæres ad Testatorem, succedens in officio vel dignitate ad Antecessorem defunctum, merces Beatorum ad merita præterita, libri editi ad suos Auctores, velut fœtus ingenii relicti ad parentem defunctum &c. Ergo relatio ad præteritum non requirit terminum existentem.

Probatur II. Relatio paternitatis & filiationis passim accensetur Relationibus prædicamentalibus, & dantur ad terminum sæpe jam præteritum; tum quia ex usitato more loquendi Pater defunctus multos dicitur reliquisse hæredes; omnes homines dicuntur filii Evæ, BB. Virgo etiam in trido mortis Christi vere permansit mater Christi, eccur non? tum quia esse Patrem nihil est aliud quam genuisse filium, & esse filium est esse genitum; cum itaque fatentibus Add. transacta generatione seu conceptione perseveret denominabilitas genitum; cum itaque fatentibus Add. transacta generatione seu conceptione pernominabilitas genitoris & geniti, quid causæ quod mortuo filio expiret relatio paternitatis? aut cur posthumus nequeat dici filius? si non filius, quomodo hæres? probatur III. Quia etiam similitudo & dissimilitudo non requirunt terminum actu existentem, cum actiones nostræ dicantur similes vel dissimiles actionibus Antecessorum: merita æqualia vel inæqualia meritis nostrorum majorum, qui pridem devixerunt: sic dantur figuræ & imagines futurorum.

Probatur IV. Quia & relationes fundatæ in actione & passione dantur non existente termino. Sic a Theologis merita Christi existentia in Lege nova dicuntur causa meritorum & gratiarum, quas habuerunt ejus Antecessores in Lege antiqua.

Probatur V. Relationes tertii generis non requirunt terminum actu existentem, qualis est inter potentiam cognoscentem & objectum cognitum, quod potest esse aut præteritum, aut futurum, aut pure possibile.

Nec juvat dicere, hujusmodi Relationes allegatas non esse prædicamentales, sed tantum secundum dici: nam præterquam quod hoc gratis & sine fundamento dicatur, non poterit assignari ratio, cur relationes primi & secundi generis, non autem tertii sint prædicamentales. Audi Aristot. in categor. cap. 7. ubi sic loquitur: "Est autem & contrarietas in hisce, " quæ ad aliquid sunt, virtus namque vitio contraria " est, & ignorationi scientia, quorum utrumque ad " aliquid est. Vnde sic licet argumentari. Relatio contrariorum est relatio prædicamentalis, sed relatio contrariorum non requirit, imo potius excludit coexistentiam fundamenti & termini, ergo. Idem Arist. L. 5. Metaph. c. 15. enumerans varios modos relationis prædicamentalis, hæc habet: " Istorum " autem, quæ secundum potentiam (id est, quorum " relatio fundatur in actione & passione) & secundum " tempus, jam dicuntur ad aliquid, ut faciens ad id, " quod factum est, & NB. facturum ad faciendum, er- " go admittit relationem ad præteritum & futurum."

Probatur VI. Vel Add. per coexistentiam fundamenti & termini intelligunt durationes simultaneas utriusque: vel solum intelligunt utriusque existentiam actualem prout identificatam cum essentia? si hoc secundum, hoc ipso non est necessaria coexistentia fundamenti & termini pro eodem tempore; essentia termini est eadem, sive sequatur fundamentum ordine temporis sive comitetur. Primum vero dici non potest. Nam I. ponamus existere duas substantias ejusdem speciei, absolutas tamen ab omni duratione temporis, quod possibile esse docent de Valentia, Vasquez Oviedo, Mæratius, Moncæus & plurimi Thomistæ: quis tunc, nisi gratis & ex mero suæ opinionis præjudicio, neget tales substantias habere rationem similitudinis vel identitatis? II. Hac ratione omnis relatio prædicamentalis esset mera relatio coexistentiæ; adeoque relatio similitudinis, vel æqualitatis nihil aliud foret, quam durationes simultaneæ rerum habentium prædicata similia. Relatio paternitatis esset durationes simultaneæ generantis & geniti; ita ut ipsa actio generativa, & prædicata similia fundamenti & termini solum forent connotata extrinseca talium relationum, earumque essentia unice consisteret in durationibus, earumque diverso respectu ad diversa modificata. III. Male Aristot. dixisset *unitatem & numerum*, *actionem & passionem* &c. rationem prædicamentalem, debuisset enim addere *coexistentiam*, sine qua nec actio, nec passio, nec unitas, nec numeros, nec mensura & mensurabile sint sufficientes ad fundandam relationem prædicamentalem.

CVII. Ad hæc argumenta, quod reponant Add. non habent, nisi quod in allatis plerisque exemplis non agnoscant nisi Relationem *secundum dici*. (qua

 tamen

tamen responsione uti nequit Sfondratus, qui relationem *secundum dici* confundit cum Transcendentali), aut secundo dicendo, Nepotem v.g. respectu avi defuncti, hæredem respectu Testatoris, & sic de cæteris instantiis loquendo, non esse terminos vere relativos, sed connotativos.

Verum, ut recteP. Inninger, neutrum refugium videtur Add. satis tutum esse. Contra primam enim responsionem sic arguitur. Sicut tu quidem asseris, at non probas, eas esse relationes tantum *secundum dici*: ita nobis licebit asserere eas esse ralationes *secundum esse*: nec tu afferes ullam dicti tui rationem, citra petitionem principii: nos autem pugnamus ex verbis Aristotelis, & adductis ab eo tribus generibus relationum utique prædicamentalium, in quibus fundentur. Deinde Relatio *secundum dici* (ut eam explicat Suarez Disp. 47. Metaph. sect. 3. n. 6. & seqq.) est mera relatio rationis, seu facta fictave ab intellectu: sed in exemplis enumeratis datur realis ordo, connexio, similitudo, æqualitas & dependentia fundamenti a termino antecedenter ad omnem operationem intellectus, & ex ipsa natura & prædicatis intrinsecis illarum rerum, ergo non sunt relationes tantum *secundum dici*.

CVIII. Secundum effugium præcluditur hac responsione. Omnis ordo fundatus in una ex tribus supra relatis fundandi rationibus Aristotelicis, est ordo relativus, & non mere connotativus, alias male dicerentur *rationes fundantes relationum*, si possent indifferenter fundare relationem, vel non fundare. Inter connotativa vero & relativa non est alia distinctio, nisi quod connotativa ex conceptu suo non requirant distinctionem realem inter connotans & connotatum, sicut relatio inter fundamentum & terminum: cæterum quandocunque hæc distinctio reperitur inter connotans & connotatum, tunc connotativa vere sunt relativa, quia vere dicunt ordinem unius ad aliud, aut certe illum post se trahunt aut inferunt: atqui in omnibus exemplis allatis datur realis distinctio inter fundamentum & terminum; ergo non sunt pure connotativa.

CIX. Hic recole quæ diximus in Tract. XXI. de distinct. extrinseca per Connotata, & de triplici conceptu, quem formare possumus de Connotatis. Cæterum Authores hujus sententiæ iisdem fere terminis Connotatorum utuntur, quo alii relativorum, uti ibidem ex P. Mlodianowski diximus. Mastrius insignis Scotista Disp. 8. Logicæ num 33. addit hanc distinctionem bene notandam. Connotatio, inquit, pertinet ad modum significandi; relatio ad rem ipsam. Unde etiam connotatio reperitur in nominibus, quæ ex eorum impositione unum significant, & ex modo significandi principalis significati dant aliud intelligere secundario, ut patet in nomine *Cœna*. Quod primario significat comestionem, secundario connotando tempus vespertinum, ubi reipsa inter comestionem & tempus serotinum non est ordo aut connexio nisi vi nominis. Relatio autem stricte loquendo pertinet ad ipsas res, ut esse simile &c.

Connotativum est terminus concretus complectens subjectum (connotans, & quasi formam extrinsecam (Connotatum). Illud subjectum seu fundamentum, quod denominationem novam sortitur a connotato, dicimus *Rectum*, & quidem ideo, quia quærenti, quid sit denominatio (aut denominabilitas nova) recte respondetur per subjectum in recto casu positum. Si enim quæratur, quid sit Cœna? Resp. est sumptio cibi tali tempore facta. Ubi sumptio cibi est Rectum & hoc non ad libitum, sed ex merito & exigentia ipsius objecti. Obliquum autem vocatur, quod in eadem responsione importatur casibus obliquis, nempe *in tempore vespertino*.

Ulterius, illud quod dicit Connotativum in Recto tanquam subjectum, habet se per modum cujusdam materialis, seu determinabilis; & illud quod dicit in obliquo, habet se per modum formæ seu determinativi. Quod tamen obliquum non propterea est quid principale & primarium in Connotativo; ratio hujus est, quia illud formale est tanquam quid extrinsecum, quantumvis necessario requisitum: illud vero quod importatur in recto, non est quid extrinsecum. Sic v.g. intrinsecum est cœnæ sumptio cibi; extrinsecum quid tempus vespertinum. Unde illa formalia pro principalibus & primariis se habent, quæ sunt formalia intrinseca, non vero quæ sunt formalia extrinseca.

Dicunt tamen nonnulli, quod illud obliquum, quod importat Connotatio (idem est de termino Relationis) sit quidem extrinsecum quid Connotationi (relationi) sed tamen intrinsece requisitum. Quod si putes hos terminos veluti minus cohærentes stridere, esse videlicet aliquid extrinsecum, intrinsece tamen requiri, dic *necessario* requiri. Explico. Sunt aliqua intrinsece requisita, & simul intrinseca. Sic compositum physicum ex materia & forma, homo ex corpore & anima, album ex subjecto & albedine &c. Sunt item aliqua intrinsece requisita, quatenus ingrediuntur definitivum rei conceptum; nihil autem est magis intrinsecum rei, quam definitio rei: extrinsecum tamen est, quia vel est *aliud* formaliter, vel species ejusdem aliud. Illustratur hoc instantiis: nam terminus Relationis transcendentalis est quid extrinsecum relationi, & tamen debet esse quid intrinsece requisitum, hoc sensu, quia terminus relationis transcendentalis ingreditur ejusdem definitionem, & sine illo termino nec esse nec concipi potest. Sic causa quia causa sine effectu concipi nequit; omnipotentia sine possibilitate passiva creaturarum. Sic in Sacramentis intentio Ministri; & in Sacramento Pœnitentiæ peccata præterita essentialiter requiruntur, & tamen ejus pars non sunt.

CX. Dices forte, si per connotata recte explicatur Relatio, quid obstat quo minus eodem modo actiones vitales. v.g. visionem, intellectionem & volitionem dicamus quoad rectum identificari cum anima: non tamen tribuere denominationem, quousque proprium cujusque connotatum adveniat, quo posito, mox anima sortietur denominationem videntis, intelligentis & volentis &c. Respondeo cum P. Brunone Schlibnigus ord. S. Bened. in Monast. S. Pauli in Corinthia quondam Professore in Univers. Salisburg. Anno 1686. Negando paritatem. Disparitas hæc est, quod denominationes relativæ non habeant necesse produci physice a suis fundamentis, ut fatentur ipsimet Add. cum ad tuendum utcunque suum dogma utantur termino *emanationis*. Ex certe prius quam Deus Mundum crearet, Creator dici non poterat: mox tamen Mundo creato in tempore, denominationem Creantis seu Creatoris adeptus est; & hoc non

non per intellectum aliquem creatum, citra omnem enim fictionem hoc ipso conceptibilis erat ut Creator, absque ulla tamen sui mutatione, absque ullius relativæ modalis entitatulæ, reculæ, formalitatis (aut quovis nomine appellare) pullulatione, resultantia, emanatione, quod tamen apertum uta quovis capiatur. At vero actus vitales non ita adveniunt suo principio, sed revera intrinsecus animam mutari & diversimode quasi figurari necesse est, ut ex non cognoscente fiat cognoscens, & forte effective debent ab ea produci, ne principium illarum habeat se velut quoddam inanime contra doctrinam Conc. Trident. Vide quæ diximus Tract. VIII. & infr. Tract. XLIII. de Sensibus externis.

TRACTATUS XLI
DE
SCIENTIA.

I. MVlti multa sciunt; (aut verius se scire putant) *seipsos autem nesciunt*; ajebat Doctor Mellifluus, Bern. qui cum Apostolo nihil scire professus, nisi Jesum Christum crucifixum. Academici olim negabant penitus, hominem de rebus quibuscunque scientiam posse habere, sed dubiam solum opinionem. Pythagoras dicere solebat, nihil in rerum natura esse nisi *dubium*. Socrates affirmabat, se hoc taotum scire, quod nihil sciret, & nostram cognitionem magis vocandam esse *doctam ignorantiam*, quam perfectam scientiam. Anaxagoras dicebat circumfusa tenebris esse omnia. Democritus ajebat, in puteo, quasi quodam fundi experte veritatem jacere demersam. Cuilibet proinde avido & curioso scientiæ seu veritatis scrutatori illud Evangelicum Joan. 4. Samaritanæ mulieris dictum oggeri posse videtur: *neque in quo hauriar, habes, & puteus altus est*, nempe magna & immensa est putei hujus profunditas, econtra valde modicum ac breve ingenii tui vasculum. Et si per experientiam longissimam certi quid haurire posses, vitæ brevitas obstat. Verissime Themistius djcebat, quantumcunque quis sciat, id minimam esse partem eorum, quæ nescit.

Interim tamen omoes homines naturaliter scire desideraot, & ut ait S. Augustinus, *penali morbo plus sitiunt, quam capiunt*. L. 12. Confess. c. 30. qui appetitus non frustra inditus a natura credi debet. Salvius Julianus (ut refertur L. apud Julian. ff. de fidei commiss.) cum eximia Jurisprudentia, tum multorum Principum amicitia clarus dicere solebat: *Etsi alterum pedem in sepulcro haberem, adhuc discere vellem*. Tolerabile satis malum in iis, qui naturæ talentis aliunde sunt instructi. At ouoc tanto sciendi desiderio passim flagrant omnes, ut Aristarchus quis pronuntiare posset: *olim vixerunt septem Sapientes, nunc haud facile totidem invenias Idiotas*; adeo scilicet unusquisque, etiam inter illos, quibus natura parce satis opes suas contulit, laudem affectat scientiæ, tantaque illius tenetur cupidine, ut vel oeminem reperias indoctum, vel saltem qui indoctus æstimari, vel esse velit.

II. Ex hoc immoderato scientiæ desiderio provenit, quod tantus ubique nostro sæculo sit Scholarum oumerus, tanta studentium turba, dum ad Gymnasia & Vniversitates gregatim convolant mendicabula, pauperes volo dicere non tantum marsupio, sed etiam ingenio, qui postquam non parvo cum Vrbium onere magnam ætatis partem in Scholis detriverint, animi laboribus inepti, manualibus vero inassueti reliquum in deside penuria vitæ tempus transigunt, magno cum dedecore bonarum artium nec modico Reip. detrimento. Expedire profecto in multis reprimi hanc discendi pruriginem, nec omnibus indifferenter Palladis januam patere, jam olim censuit Justus Lipsius Historicus Regius, pietate in Deiparam ac modestia in tanta literatura conspicuus: cui sensum suum P. Adamus Contzen S. J. L. 2. Polit. c. 17. §. 6. ita subjicit: "Ego, quanquam nonnihil a Lipsio dissideam, censeamque doctrinam omni modo promovendam, hoc tamen probo, quod delectum Studiosorum instituit, quodque eruditionem, ni recte tractetur, obesse plurimum Reip. judicet. Errari hac in parte plurimum, scholarum nos conspectus docet. In Academia, quæ vix in singulos annos 30. Baccalaureos, vicenos Magistros artium, vix in lustrum, Medicinæ, Juris vel Theologiæ Doctorem producit, mille adolescentes docentur. Magna pars post scholas Grammatices alio flectit animos, assueti ad otium literarium, nec ad opificum Tribus, nec ad militiam idonei sunt: hinc otiosorum, vagabundorum, Musicorum, Poetastrorum ingens copia; hinc in Clerum & Monasteria prorepunt perniciosissime indocti. Nonne præstabat initio pueros, & cuilibet adhuc arti habiles a studiis amoveri, quam post laborum & sumptuum impendia, cum dedecore ea deseri? Ipsos Magistros & Doctores aspice, partim indoctos, partim bullatos, paucos excellentes. Causa tanti mali confusa discentium multitudo, in qua quisque, quamvis ingenio deficiat, eniti ad eruditionis fastigium contendit: cum vero plerosque vires deserant, necesse est multos in ipsis principiis, alios in medio, alios in fine prope ipsam metam concidere. In hanc partem, inquit idem Author, ibid. §. 5. tota Europa pene video peccari. Et libere assero ipse amator & alumnus studiorum, nimis multos esse studiosos, Principemque & Remp. operam dare oportere, ne eam ob causam publicum bonum lædatur.

III. His & ego cum Reverendissimo Dno Hieronymo Hirnhaim, Canon. Ord. Præmonstrat. Ecclesiæ B. V. Pragæ in Monte Sion vulgo Strahow quondam Abbate, in præclaro Tract. de Typho generis humani, edito ibid. Anno 1676. subscribo, & addo, male officio suo fungi humaniorum literarum Magistros, dum nimium rudes in Grammatica gradum tamen per classes annuatim facere permittunt, & Philosophiæ obtrudunt. Pejus agere Professores Philosophiæ ejusmodi fungis, & in Elementis Dialecticæ obiter tinctis Magisterii & Doctorates Philosophici lauream conferunt. De quibus merito dixeris,

Hi

Hi sunt promoti, nullæ sed in arte Magistri:
Nam sunt Grammatices, Rhetoricesque rudes.

Pessime Monasteriorum Præsules illi, qui perhonorificum ducunt non admittendo ad Ordinem nisi Promotos AA. LL. & Phil. Magistros, inani titulo contenti, sine prævio tentamine: satius facturi, meo quidem judicio, si Adolescentes absoluta Rhetorica, in humanioribus solide fundatos, intra 16. & 20. annum ætatis, ad Cœtum Religiosum susciperent, eosque exacto Professorio intra domesticos parietes Viris doctis in scientiis altioribus instruendos committerent; id enim (ut cæterea taceam) compendii inde haberent Instructores, ne cogerentur errores in Academiis haustos prius dedocere, quam solidam instillent doctrinam. Sed de hoc satis.

Nobis hoc loco propositum est definire, in quo natura Scientiæ posita sit, ac primum quid Scientia, quid Sapientia, quid Intelligentia. 2. Quæ illius causæ. 3. Quæ scientiarum sint species &c. Sit itaque

SECTIO I.

Quid sit Sapientia? quid Scientia?

IV. S. Bernardus Claræval. dicebat, Sapientem esse, cui res sapiunt, prout sunt: sed hoc sapere pertinet ad conservationem esse proprii; aliena vero sapere, ad transitum in alienum, sicut Hector apud Homerum ob vulnus alienatos, dicitur aliena sapere. De priore loquitur S. Greg. Nyssenus, Est enim Essentialitas constitutiva Entis; est Sapientia indita rebus, & principium essendi & operandi & agendi & conservandi entia. Vide quæ tradidimus Tract. XXIII. de Primalitatibus. Hæc sapientia non est præeminentia Entis secundum quid, sed entis simpliciter. Ens simpliciter corrumpitur nunquam. Non enim corrumpitur esse, sed hominis; neque hominis simpliciter, sed hujus vel illius; ita nec herbarum, nec ventorum esse, sed hæcceitas. Mutatur autem res, & in omnibus præsidet sapientia, cui omnia vivunt. Quo pacto autem unaquæque res cognoscat, particularium est doctrinarum opus: omnes enim res cognoscitivas esse, cognitione indita, Dogma est probabilissimum. Thomæ Campanellæ, quem vide L. 6. Metaph. cap. XI. art. 4. Ex quo bene notanda sequentia.

V. Dicimus 1. Vim cognoscendi esse indivisam ratione sui: dividi autem ratione subjectorum divisibilium, ut lux: & sicut lux est una in se infinita, velocissima, pulcherrima, sagacissima; ita Sapientia in Primo Ente una est: At in creaturas effusa modificatur & polluitur, pigrescit & hebetatur, suscipitque alia esse, & nomina, & dicitur Ratio, scientia, ars, sensus, phanthasia, memoria, intellectus: sicut lux in corporibus concreta vocatur albedo, rubedo, viriditas, croceitas, quoniam impurificatur, & a suo esse distrahitur & graduatur. Nec tamen color est lux solis, sed participatio illius; ita neque scientia, ars, sensus, phantasia, sunt Sapientia Dei, sed participationes ejus: & cum Deus subtrahit has participationes, res incidere ignorantiam, sicut abeunte Sole colores vim sese manifestandi & operandi amittunt. Functionem vero Sapientiæ esse, res nosse prout sunt; & ordinare ad finem, quidquid ipsi subest; prout vero sunt, nosse, impossibile esse creaturis, quoniam cognoscens cognoscit omne secundum modum sui, sicut visus rubedine aspersus, videt quidem omnia, sed rubra; seipsa quoque abdito modo, & certissimo sapere cuncta, dicimus. Et quia participatio primi Entis beatissimi est omne ens, ideo dulce sapit cuique suum esse: & fugit alienum esse sui destructivum, quoniam dulcedinem alterius esse non novit intrinsecus; & Deus utitur dolore & hac ignorantia ad permanentium rerum & ad quandam ipsarum felicitatem: si enim lignum nobilius esse ignis saperet, cuperet esse illud fierique; & aqua & tellus non repugnarent igni agenti: sed certum esse bonumque pro incerto non avent permutare. Aviditas enim sequitur cognitionem. Ideo maxime proprium esse cuncta amant, quia illud maxime norunt quod sunt; nosse enim est esse; alienum quod non sunt, nisi accidentaliter, non cupiunt, nisi accidentaliter. Et in hoc omnes creaturæ laudant primum Ens, a quo, ut sint, habuerunt, & ut sentiunt cupiuntque esse, quod sunt, & propter finem, ad quem ordinantur. Non enim extra primum Ens sunt, & in eo, id quod sunt, sciunt abditissimo modo vix explicabili. Unde quamvis metaphorice laudent Deum respectu nostri, quoniam Angeli eminentius, lapides longe inferius, nihilominus quatenus entia, vere laudant, quoniam sapiunt suum esse: & S. Hieron. in Ezechiel. 10. Elementa sentire non inficiatur; & in 8. Matth. *Omnia*, inquit, *sentiunt Creatorem*, quanquam in se videantur insensata: ... obediunt ei, ut dicitur etiam in Ecclesiastico, & venti & mare obediunt ei Matth. 8. & 7. Marci 4. & Lucæ 8. & D. Thoma, magis amant Deum quam seipsa amore naturali, non metaphorico; & delectantur vere, non metaphorice. S. Dionysius; & D. Clemens Romanus introducit Apostolum Petrum declarantem, Simoni Mago, quod Christus Sapientia Dei non fuit solum quando apparuit nobis in homine Christo, sed semper & ubique: & hoc probat, quoniam, inquit, ubique est ordo, & ratio in rebus materialibus, & semper artificio quodam fuerunt compositæ & organizatæ, ergo ubique, ait, semper fuit sapientia in cunctis rebus. Ubi Clemens ex sapientia participante declarat participatam, & inesse rebus intrinsecam declarat. Et Ecclesiasticus locutus est, quod Deus creavit sapientiam in spiritu sancto, & effudit illam super omnia opera ejus; & ideo benedicunt omnia opera Domini Domino, ibidem & in Psalmis & Daniele & Baruch: & Theodorus Platonicus res cunctas adorare summum Bonum, eique vovere pro modo suo affirmat; & cum eo Ficinus in Timæum. Quare rem attendentes, & non vocem, analogam esse Sapientiam, sicut entitas, videmus, & non metaphoricam.

VI. Ex his Collige Sapientiam primo Divinam infinitam, unde ortum habet Angelica, & humana, & animalis, & vegetalis & naturalis gradatim. Naturalis inest cunctis entibus, qua sentiunt, quod sibi convenit & disconvenit sine specie & discursu expresso, sed impresso, sicut in horologio. Per speciem enim & discursum sentire (ait S. Thomas) accidit sensui, quatenus est ratio quædam. Nam sensus naturalis est participio vegetalis, per essentiam naturalis; sic vegetalis per essentiam, participio est animalis. Animalis per essentiam, est participio rationalis. Rationalis per essentiam, est per participationem Angelicus. Angelicus essentia, est participio

Divi-

Divinus. Etenim omnes gradus superiores sunt in inferioribus participative, id est dispersius, particularius & diminutius. Inferiores vero in Superioribus sunt eminenter, id est unitius, universalius & plenius, juxta regulam Dionysii, Thomæ & Origenis, in Deo autem supereminenter. Ideo confunduntur nomina essentialia, ubi Deus quoque propter hoc vocatur *Spiritus*, similiter Angelus & aoima: sed veotus prius dictus est Spiritus, ut ex quo. Similiter Salomon vocat sensum ipsam animam a Deo infusam. *Terrena inhabitatio* (ait Sapient. 9. 15.) *deprimit sensum multa cogitantem*, & Iob ait, cap. 38. v. 36. *Quis dedit Gallo intelligentiam?* quam David negat equo & mulo: & D. Thomas cogitativam vocat intellectum, ratiooemque io secunda secondæ, prudentiam tribuit brutis.

At differentiam genuinam nos inter & bruta Aristot. non agnovit, Operatiooes enim quas immortali tribuit animæ, brutis conveniunt magis, quibus qui eas negant, ut hominis immortalitatem tueantur, veritatem suspectam reddunt, & Theologiam convellunt: quæ non ex Vniversalis peripateoci ootitia, sed ex divinorum sapore, hominem a brutis distinguit, quemadmodum apud Lactantium lib. 3. & D. Bernardum in Lib. de consider. Iustinum, Basilium & Ambrosium manifestum est. Aristot. autem hunc saporem Dei negat in anima: oegatque inter Deum & hominem amicitiam, idcirco nihil concludit. Nos autem in brutis spontaneitatem, nō libertatem; Rationem & intellectum sensualem, non mentalem, qui nec nomen intellectus, sed æstimativæ tantum mereantur, agnoscimus, uti & Philosophus Christianus distinguit.

VII. Sapientia ergo humana hæc est. Quidquid tactu intrinseco percipimus, ita ut illud in oobis, & tios in illo simus, sapore ejus affecti, illud sapimus, quia actio eorum est communicatio entitatis. Hæc antem paucissima sunt, & quasi nulla. Vix enim quæ gustamus & tangimus, & objecta per se sensuum, ita sapimus. Neque enim totam lucem suscipit in oculo spiritus, neque prout est. Sapere ergo hoc, quod scilicet non sapimus nisi paucissima ex parte & imperfecte, est sapientia ad quam pertingit homo; & quod neque omnia, neque nihil sapimus, sed aliqua, oon tamen omnino.

Si sentiens vis esset pura potentia, aut sentiret res, non sentiendo se a rebus affectam, sentiret profecto res prout sunt: sed quia sentit alias res propter hoc, quod sentit se immutatam ab illis, propterea non sentit sicuti sunt. Noo omnia entia sentientia eodem modo sentiunt idem objectum, qooniam alia juvantur ex toto, vel ex parte: alia læduntur pro sua temperie & gradu. Hoc autem ex sensu vario, hominum & brutorum intelligo per discursum conditum luce divioitatis. Nam singula animalia, singulique homines idiotæ, putant res esse, prout sibi videntur. Plura de his vide in Tract. XLIII. de sensibus externis.

Ioterim asserimus sapieotem esse, cui res sapiunt prout sunt, & sapere esse, rem percipere sicuti est. Nam quicunque putant se aliquid scire, propterea ita putant, quod credunt, se rem sicuti est, scire. Qui vero putant se nihil scire, propterea id putant, quod nullam rem, sicuti est, putant se scire. Qui vero hoc unum scire profitentur, quod nihil sciant, itidem propterea id profitentur, quod potant se hoc assecuros esse, prout est, videl. qood nihil sciant. Similiter qui ex parte putant aliquid scire, & ex parte ignorare, quoniam putant partem rei ignorare, vel non sicuti est, scire, sed aliter, partem vero scire. Ergo quoniam putantes scire, veritatem dicunt, se scire: sicuti putantes ignorare, veritatem, dicunt se ignorare: nam qui colorem in columbæ collo non verum esse dicunt, putant eos ignorare, qui putaot se illum scire, ita esse verumque. Propterea dicimus, veritatem esse rei entitatem sicuti est: Falsitatem vero sicuti non est. Ipsa enim entitas iotellecta, quatenus intellecta ac scita, veritas dicitur. Quatenus vero ignorata non dicitur falsitas, sed nescita per insipientiam: at ignotata sicuti est, & scita sicuti non est per desipientiam, dicitur falsitas. Et propterea quidam putant nihil esse verum, vel quia non potest percipi, sicuti est; vel quia non est, sed apparet esse, & fallit nos, velut somnium & chimæra.

Quas ob res, qui neque hoc scire profitentur, utrum sciaot aliquid, vel nesciant, non recte dicuot. Etenim hoc necessario sciunt, hoc se nescire: & licet hoc non sit sapere, quia est per negaoionem; sicut tenebrarum visio, ooo est visio, sed privario visionis: tamen hoc habet humanus animus, quod scit, se tunc nescire, quatenus percipit se oon videre in tenebris, & in silentio non audire. Si enim hoc non perciperet, esset lapis, cui idem sorte sit illuminari & non illuminari quoad visionem. Propterea cum his, qui negant, se scire, qood nesciant, disputari, ooo potest ex concessis, quoniam principium omnis disputationis tollunt. Nam unde perceperunt, quod o. sciunt se nescire, aut scire, nisi ex eo, quod res sicuti sunt, non posse percipi post longum studium noverunt? Ergo notum est illis hoc, & dum hoc negant, posioonem negant. Item sciunt quid est veritas, & quid est sapere, alioquio non possent dicere se veritatem ignorare. Dicere enim est affirmare aliquid. Porro cum dicunt, se ignorare, utrum ignorent, vel sciant, & utrum loquantur hoc an oon? helleboro indigent inferius suggerendo.

VIII. Quæritur ergo, utrum possibilis sit scientia homana proprie dicta? Quæstio hæc celeberrima fuit apud antiquos Philosophos, fuere enim insignes cæteroqnio Philosophi, qui oegarunt scientiam esse possibilem ulli hominum licet ingenioso & iodustrio, sed omnia esse dubia & incerta, nilque certo & evideoter ab ullo mortaliom scitum unquam esse aut sciri posse. Ita Platonici illi, qui Academici dicebaotur in plures postea Sectas habita ratione temporum & doctrina divisi, vel Acataleptici dicti, hoc est nihil certo comprehendentes: vel Sceptici, hoc est, considerantes; vel Pirrhonici a Pirrhone Eliensi acerrimo hujus Sectæ Propugnatore. De his plura Cicero Academ. qq. lib. 4. & multo plura ac meliora D. August. in libro contra Academicos, & ex professo Sextus Empiricus; quibus adde Thomam Campanellam Lib. 1. Metaph. Quid quod etiam oostra memoria Viri oonnulli Scepticorum placita in vitam & pretium revocare visi sint non minore probitatis, & Religionis periculo, quam literarum. Quam controversiam ut rite decidamos, nonnulla præmittenda sunt.

IX. I. Variæ sunt hujus nominis *Scientia* acceptiones. Nam latiore significatu sumitur pro omni cognitione certa & evidenti: sive ea ex ratiocinio, sive ex sensuum experientia ducatur: dummodo ex objectis ipsis ea cognitio sit profecta: si enim aliorum testimonio nitatur, tum scientiæ nomen vix sibi assumet,

sed potius fidei. II. Strictius & magis proprie scientia accipitur pro cognitione certa & evidenti rei necessariæ, seu pro cognitione per Demonstrationem acquisita; sive ea sit speculativa, sive practica. Cum enim quæstio aliqua proponitur, si adeo est perspicua ut nulla probatione egeat, sed attentionem duntaxat vel mediocrem desideret, tum illius cognitio *Intelligentia* nominatur.

Quod si probatione opus habeat illa vel authoritas erit, vel ratio? Authoritas ad fidem, vel humanam, vel divinam pertinet. Iam ratio quæ probationis vel argumenti loco affertur, vel ita suadet, ut non omnino persuadeat, tumque assensus ille hæsitans & dubius *opinio* dicitur: vel omnino persuadet, idque vel ob falsam veritatis speciem, tumque *error* oritur ex assensione præcipiti & inconsiderata; vel ob ipsum veritatis lumen, & rei ipsius evidentiam animus persuadetur, tumque ea cognitio proprie *Scientia* dicitur, cum scilicet est clara & certa ratione subnixa. III. Scientia adhuc strictiore significatu accipitur pro cognitione per demonstrationem acquisita, eaque speculativa. Quo quidem modo Aristoteles 6. Ethic. c. 3. scientiæ nomen usurpat. Nam eo loci quinque Virtutes intellectus enumerat: Intelligentiam, Sapientiam, Scientiam, quæ in rebus omnino necessariis versantur, in iis scil. quæ aut nunquam fiunt, ut Dei attributa, aut per se certas aut necessarias causas eveniunt, ut corporum cœlestium conversiones. His addit Prudentiam & artem, quæ circa res contingentes & liberas occupantur. Ad *Intelligentiam* vero, ut diximus, prima rerum principia pertinent. *Sapientia* res altissimas per causas altissimas persequitur, ut Metaphysica: Scientia vero, ut Sapientiæ opponitur, res inferiores per causas itidem inferiores, sed necessarias contemplatur.

II. Quæstio proposita extendit se ad Scientiam late sumptam, prout Scientia seu scire, *est affirmatio vel negatio vera, certa & evidens*, hoc est ita indubitabilis, ut non possit, qui per primam operationem intellectus apprehendit terminos, hærere aut dubitare, quin judicet.

III. Certitudo Scientiæ est constantia ipsa in affirmando vel negando, propter quam non potest sciens hæsitare aut dubitare. Evidentia Scientiæ, est illa claritas intellectualis (deducta metaphora ab eo, qui apertissimis oculis aliquid videt, & quasi *evidet*) per quam intellectus veritatem indubitabiliter cognoscit & percipit.

IV. Hinc Scientia triplex: una dicitur Scientia *ex terminis per se notis*, hæc est cum apprehenso subjecto & prædicato alicujus propositionis illarim rapitur intellectus ad judicandum certo & evidenter. Solet quoque appellari Scientia *cujus prædicatum est de ratione subjecti*; item *Scientia ex terminis immediatis*. Ita scimus omnia prima principia: ita etiam illa, quæ experimentaliter scimus, e. g. nostram existentiam, nostras sensationes &c. Altera est Scientia per medium terminum distinctum: quæ distinguitur in duas; quarum prima dicitur *a priori*; secunda *a posteriori*. Illa deducitur ex medio termino, qui significat aliquam veram causam rei, quæ significatur per terminos conclusionis: at Scientia a posteriori est, cujus medius terminus significat effectum, & termini conclusionis significant causam.

V. Opinio, seu opinari est judicium affirmans vel negans cum aliqua suspicione & formidine ne forte sit falsum. hinc plurimum distat Opinio a Scientia. An autem quandoque stare possit simul cum Scientia, videbimus infra.

X. VI. Omnes res duplici pollere cognitione, tempe innata & abdita, (de qua egimus supra & alibi) & illata seu acquisita. Innascitur enim in nobis, & in cunctis rebus cognitio nostri esse & principii, unde habemus esse. Idem enim & principium & principiatum aliquo pacto, & differunt sicut essentiale, & participativum. Infertur verò & additur nobis, & cæteris entibus, cognitio rerum aliarum extra nos, quæ nos moventes faciunt nos sibi similes. Anima enim & omnis vis cognoscitiva fit illa res, quam cognoscit, vel ex toto, vel ex parte, ut omnes Philosophi (excepto Avic.) fatentur. Dum ergo cognoscens fit res cognitæ aliqua modica ex mutatione, non totali, ideo contingit confusio & oblivio interdum, & propter hoc. Dum autem continuo cognoscens fit alia & alia res, quæ cognoscenda objicitur, ipsa res cognoscitiva a se alienatur & fit aliæ res. Ergo cognitio sui & principii sui in ea occultatur & abditur: cognitio vero aliarum superadditur & manifesta est: sed quia semper amat se & suum principium, ergo res omnes revertuntur ad suum principium, quando expeditur a cognitione & negotio aliarum rerum, & sæpe repugnat innata notitia cum illata: & quia omnis notitia parit appetitum, idcirco appetitus repugnantes sunt in rebus. E. gr. Calor animalis appetitu innato semper ad Solem tendit: appetitu vero illato vult esse animalis pars. Unde Spiritus calidus (anima brutorum) nunquam vellet egredi de corpore, & edit, & bibit, & operatur opera animalis secundum notitiam & appetitum superadditos; sed tamen semper attenuat se, & tendit sursum in Cœlum, notitia & appetitu indito. Et sicut nosse & appetere se est causa noscendi & appetendi alia, in quantum noscit se factum alia: ita etiam operari propter se est causa operandi propter alia. Dum enim attenuat & liquefacit, ut possit sursum evolare, convertit simul cibum in fluorem ad nutrimentum corporis, & vaporem ad sui nutrimentum, & retentionem in corpore, & per consequens ad animationem & vitam totius. Hic relucet sapientia Conditoris.

Præterea, quæcunque recedunt a suo principio, & a notitia indita ad illatam, propter aliquem finem recedunt; quo expleto, revertuntur ad principium. Hic finis duplex est: alius scil. intellectus ab eis, alius a prima causa utente eis. Sicut finis aquæ ascendentis per terram spongiosam super montes, aut per petiam laneam ex parte immersam aquæ in scypho, est sui dilatatio & amplificatio, sed tamen Dei est irrigatio plantarum & terræ instauratio, & fluxus per campos ad vitam plantarum & brutorum. Sic solaris caloris finis est ejus amplificatio ad frigoris destructionem: sed Dei est generatio plantarum, aquarum, metallorum & animalium, in quibus calor retinetur postea volitione addita, quo munere expleto per volitionem inditam, semper sursum ad solem revertitur. Tandem.

XI. Respondeo ad quæstionem. Homo plurima scire potest in hac vita mortali: seu est possibilis Scientia humana plurium veritatum in hac vita. Demonstratur. Potest homo

mo in hac vita mortali plurima affirmare vel negare certo & evidenter; sed affirmare certo & evidenter est scire, ergo. maj. probatur. Potest homo cogitare & apprehendere v. g. quod bis quatuor sunt octo: quod si Sol est, dies est, & ita de sexcentis aliis, ita ut non possit dubitare de veritate: sed qui potest ita cogitare & apprehendere, potest affirmare certo & evidenter, ergo. Probatur 2. Plures homines de facto plurima sciunt, eaque judicant affirmando vel negando certo & evidenter, hoc est indubitabiliter; sed ab eo quod est, seu ab actu valet argumentum ad potentiam, ergo. Audi denique D. August. contra Academicos ita disputantem. "Multa sunt, quæ "Academici in dubium revocare non possunt: quale "est illud: scio me vivere, aut cogitare; ubi nec dici "potest, fortasse dormis & nescis, & in somnis vides; "quia & dormire & in somnis videre viventis est.

Licet quoque cum Thoma Campan. Scepticos sic adoriri: O Sceptici, quando vos alloquor, quare respondetis? dicunt, nescimus. Ad vocantem, non autem ad silentem? ergo percipitis vocem vocantis, & interrogantis. Dicunt, nescimus, an percipiamus; sed ita videtur, & nescimus, utrum nos interroges. Tunc, inquam, profecto palam est quod vos interrogem; neque enim respondetis non interroganti; &, quod videtur, est. Præterea, quare comeditis & itis in domum vestram declinantes alienam, & disputatis? Respondent forsan, se nescire utrum comedant, eant domum, & disputent: sed ita videri. Ajo, cur ita videtur, & non aliter? Respondent, neque hoc scimus. Interrogo, videminine vobis edere, nec ne? profecto non audebunt negare, non enim possum dicere quod non edam, & quod nihil faciam, neque vere, neque apparenter, alioquin non moverentur ad has operationes, neque responderent interroganti, nisi vere vel apparenter, sese vocari perciperent. Quod si fatentur ita apparere, jam concessum est quod sciant ita apparere: si vero dicent se nescire, utrum appareat an verum sit, quod faciunt: tunc palam fatentur se facere ac scire, se facere vere vel apparenter: sed dicunt, nescimus utrum hoc respondere, sit respondere, an fodere, an currere; cur enim magis dicitur respondere quam aliter? & cur hoc sit scribere, & non psallere? & cur hæc sit penna & non tabula? quibus, inquam, vos conceditis jam aliquid esse respondere, sed dubitatis quid sit? Nam de impositione vocabuli declarantis entitatem rei contenditis, ergo conceditis aliquid vos scire, videlicet quod sit, vel appareat, sed quid sit ignorate, & utrum scribere sit saltare.

Verum quid frustra contendimus verbis, quibus stultus non corrigitur. Ecce verbero Scepticum, & dico, sentis dolorem nec ne? si dicis non sentio; tamdiu instabo, ut te sentire fatearis, ergo scis & dolere re. Si dicat apparenter se dolere, ita multiplicabo ictus ut clames vere, vere, & tunc addam ergo vere aliquid scis.

XII. Objic. 1. Quidquid homo cognoscit in hac vita mortali, illud ipsum antea percipit sensibus externis, videlicet vel visu vel auditu vel altero sensu: sed nihil eorum quæ percipit homo sensibus potest scire, ergo nihil eorum quæ percipit homo in hac vita potest scire. Resp. 1. Neg. maj. quæ falsa exinde est, nam homo cognoscit & cogitat etiam de illis, quæ non percipit sensibus, nempe Deum, Angelos, animam propriam, quæ objecta sensibus externis sentiri nequeunt: cognoscit ista quidem homo per modum quendam symbolicum, qui dicitur *cognoscere per species alienas*. Resp. 2. Omissa maj. N. min. probas. homo nihil eorum quæ percipit sensibus potest affirmare certo, & evidenter, sensus enim sunt fallaces, & sæpe repræsentant falsum. Resp. Negando, quia sensus non fallunt, sed intellectus & mens nostra aliquando fallitur, quia res perceptas sensibus non bene examinat & considerat, & idcirco quasi æquivocatur. Sed

Instas. Oculus dum videt baculum submersum in aqua dimidium, videt illum velut fractum: dum videt stellas, videt eas quasi minimas scintillas, & solem instar orbiculi &c. cum tamen sint maxima corpora, ergo sensus sunt fallaces. Resp. Istum errorem non esse imputandum oculo, sed nostræ phantasiæ. Rationem dat D. August. qui L. 3. contra Academ. c. 9. sic ait: "Prorsus verum est, quod de remo in aqua oculi vident: nam causa accedente, quare ita videatur, si demersus aqua remus rectus (& non fractus) appareret, magis oculos meos falsæ renuntiationis arguerem; hoc de turrium motu; hoc de cæteris innumerabilibus dici potest. Idem S. Doctor L. de vera relig. cap. 32. repetit: "Si quis remum in aqua frangi opinatur, & cum inde aufertur integrari, non malum habet internuntium (scilicet oculi visionem) sed ipse malus est Judex."

XIII. Objic. 2. Nemo scit, nisi sciat se scire: sed nemo scit se scire illa quæ percipit sensibus, ergo nemo scit absolute illa quæ percipit sensibus. Confirmatur. Omnes sensus possunt falli, vel saltem dare occasionem errori, ergo.

Resp. Conc. maj. quæ idem significat ac id quod est scire certo & evidenter: qui enim ita scit, eo ipso etiam reflexe quantum satis est, scit se scire, indeque venit indubitabilitas scientiæ. Nego autem min. ad Confirm. Dist. maj. omnes sensus simul sumpti, & percipientes modo suo eandem rem dare possunt occasionem errori. N. maj. Omnes sensus seorsim & distributive sumpti &c. Conc. maj. vel ant. Alioquin, ut ait Tertullianus, si sensus omnes aut sensationes, quæ plures unam eandemque rem sentire possunt, etiam simul sumpti, & cum adjumento judicii ex occasione saltem fallere possent; *Culpandus esset Creator, qui tam fallaces internuntios* (hoc est ipsos sensus *nobis dedisset*.

XIV. Objic. 3. Multi ex obstinatione & errore sibi persuadent esse vera quædam, quæ reipsa falsa sunt, tanta certitudine, ut non majori affirmentur ab aliis evidenter vera, ergo quilibet jure dubitare potest, num ex obstinatione & errore, an ex evidentiæ vi aliquid affirmet. Resp. Conc. ant. & nego cons. etsi qoandoqne contingat obstinatos & errantes, quantum ad externos effectus, perinde obfirmari in suis placitis erroneis, ac sapientes in evidentibus cogitatis suis: attamen anima & intellectus, si diligenter attendat, & secum habitet, patentissime discernit diversimode intrinsecus se habere, cum judicat ex vera scientia, ac dum assentitur ex obstinatione. Quemadmodum licet quoad externa plures perversi perinde, & quandoqne impensius gaudeant & exultent in rebus pessimis; ac vir probus de conscientia virtutis & benefacti: nihilominus anima clarissime discernit inter bonum virtutis, & delectationem operis

 flagi-

flagitiosi. Vnde Poeta (6. Æneidos) reposuit inter pœnas Inferorum *mala mentis gaudia*, a quibus longe discrepant *bona mentis gaudia*.

XV. Maneat ergo certum & evidens, dari saltem aliquid quod vere sciatur, quod vel inde patet, quoniam quando aliquis scit phantastice, solus fallitur; & quod dieit noo apparet itidem aliis, sicut ipsis: sic febriens ex parva linea in pariete videt quasi serpentem, quem tamen cæteri noo videot: & furentibus multa videntur, & affirmantur, quæ sobriis negantur. At nunc egn scio me scribere, & quicunque sciunt, quid vocemus scribere, nempe actionem talem, videntes me oune, dicunt me scribere. Neque falli cnotingit omnes; nam postquam scripsero, legunt scripturam haoc viri multi, & dicunt esse scripturam, & legunt eodem modn; ergo non scripsi apparenter, sed vere, quandoquidem omnes consentiunt & sentiunt, quæ dico in hae charta, consimiliter. Ergo vere egn scribo, ergo datur veritas & scientia aliqua, saltem quia res est, & si non quid est, & quam omnis homn fatetur.

XVI. Restat ut ennfutato uoo errore, nempe nullam prorsus dari Scientiam, explndatur & alter priori e diametro oppositus illorum Philosophorum, qui Dogmatici appellabantur, eo quod dicerent hominem omnia scibilia omninn scire pnsse atque adeo de nulla re dubitandum esse a Philosopho, sed omnia asseveranter affirmanda vel neganda, quasi cuncta asserta sua pro indubitato dogmate venditaotes. Sed manifeste & breviter redarguitur hic error. Homo in hac vita mortali, tantum potest scire, vel ex terminis immediatis, vel per medium terminum distinctum: sed neutro modo pntest io hac mortali vita scire omnia, ergo. min. ostendetur in seq. assert. Audire juvat quid in bac materia sentiat Ludovicus Vives (Hispanus, obiit Anno 1536.) qui in suis Commentariis super libros S. Augustini de Civit. Dei. quodam lnco, vid. in Lib. 2 t. cap. 4. citans Aristot. ita scribit: "Differentiæ rerum, inquit Aristot. hoc est "rerum proprietates & naturæ, ignoratæ nobis sunt, "qui noo modn recondita illa & abstrusa naturæ noo "assequimur, sed ad exprompta hæc, & quæ Natura "palam proposuit, caligamus & hallucinamur, ut nno "male Socrates affirmasse videatur nos nihil scire. "Et tamen non desunt, qui se nihil nescire profiteantur, vel hoc solo nomine cæteris imperitiores, quod "nondum eruditione eo progressi sunt, ut intelligant "omnia sic esse a Natura involuta & abdita, ut nihil "pene detectum apertumque nostris ingeniis relinquat. Itaque is mihi demum verum disciplina"rum confecisse circulum videlicet, qui a rerum "omnium ignorantia per artes omnes peregrinatus, "ad rerum omnium ignorantiam, præterquam hujus "ipsius redierit.

Hanc veritatem quoque perbelle novit Nicolaus de Cusa, E. R. Cardinalis, qui tres libros de docta hominum ignorantia conscripsit. In quorum primo cap. 1. cum citasset Socratem reputantem se nihil scire, nisi quod ignoraret; Salomonem asserentem cunctas res difficiles, & sermone inexplicabiles; Baruch Prophet. dicentem, absconditam esse Sapientiam & locum intelligentiæ ab oculis omnium viveorium, ita scribit: "Si igitur ita est (ut etiam "profundissimus Aristoteles in prima Philosophia affir"mat) in naturæ manifestissimis talem nobis difficultatem accidere, ut nicticoraci solem videre attentanti, profecto cum appetitus sciendi in nobis frustra non sit, desideramus scire nos ignorare. Hoc si ad plenum assequi poterimus, doctam ignorantiam adsequemur. Nihil enim homini etiam studiosissimo in doctrina perfectius adveniet, quam in ipsa ignorantia, quæ ipsi propria est, doctissimum reperiri, & tanto quis doctior erit, quanto se magis sciverit ignorantem." De hac *Scientia ignorationis* etiam S. Dionys. multis in locis mentionem facit eamque perfectissimam scientiam appellat. Tanto quisque fit veritati vicinior teste Isidoro in Lib. 3. sent. cap. 23. quanto se esse longius ab ea fuerit arbitratus.

XVII. Redeuntes ergo ad principium hujus Tractatus, dicamus quod Sapientia in nobis ab Authore naturæ inest essentialiter, & datur, sicut potentia & amnr essendi: Scientia vero per sapientiam, extrorsum objectantia respicientem, accidentaliter acquiritur. Ens autem sensibile est, quod primo objicitur cognnsciturque confusa nntitia: namque & infantes, & lnnge sentientes rem esse, quæ in ipsorum agit sensum, primitus sciunt: mox vero distinguunt quid sit, & quid non sit, quod esse sciunt. Quiditas ergn sensibilis est primo notum distincte: si tamen ad exactam definitionem pervenire, & ad totius notitiam totaliter quis possit. Porro, Sapientia humana non est rerum conditrix, neque interna rebus, ut possit ipsas a priori & intrinsecus cognnscere, sed quia in se agunt, exterius sentiens quia sunt, mox rimatur quid sunt. Vox ergo ENS, prima est, primæ notionis coofusæ index, ac *nominaliter* sumpta dicit quid & essentiam rerum seu quidditatem: *verbaliter* vern quia & actum essendi, hoc est esse seu existentiam. Existentia vero est esse in alin & extra causam, uti & veteres monuerunt. Hic Nota

Quod in se est, vere est, simplicissimum, & unum, ergo & primum, infinitum: nec sua essentia distinguitur ab existentia, ergo non est in se ut condistinctum, nec in alio. Et quod in alio, finitum est; finitur enim ab alio, & multiplex est, ex essentia & existentia compnsitum, ex unitate & multitudine, ex identitate ac diversitate, ex ente & nno ente. Nunc ergo cum existentia rerum notitia incipit in nobis: & illud existat quod extra suum principium est, quod sane in se est, si enim extra se, jam principiatum esset. Quod autem extra est, oritur; quod oritur, ejus, unde nritur, similitudinem gerit, quam pro sua essentia accipit. Ergo ad rerum cognitionem nobis pnssibilem consideranda est primitus origo seu Natura. In hoc autem inspiciendæ sunt Primalitates, Principia, Causæ, Elementa, semina, conditiones & occasiones originis, & quidquid ex his subsequitur in rebus, ad existentiam ortis deductisque, ut quantitas, qualitas, vis, actus, actio, passio. Præterea & quæ excipiunt existentiam, tempus & locus; & tandem similitudo earum & dissimilitudo cum causis suis, & cum coexistentibus rebus, & insuper, quæ accidunt illis a coexistentibus & propter coexistentiam.

Ille igitur sapiens dicetur, cui res sapiunt, uti in se sunt; cui aliter sapiunt, quam in se sunt, is insipiens est & ignarus. Et talis videtur esse homo. Etenim ea quæ scimus, sunt minima pars eorum,

quæ

quæ ignoramus: imo illa ipsa, quæ nosse putamus, non nisi imperfectè & ex parte novimus, ut magis patebit ex dicendis.

Nam singula animalia, singulique homines idiotæ putant res esse, prout sibi videntur. Vnde capra genistam prædicat simpliciter dulcem, & idiota mel, putantque (sicot Arist. facit, & Medici quidam cum Protagora) se esse rerum mensuram, quare sane non nisi Deus est, qui & sator essentiarum. Voluit autem Deus artifex rerum juxta mensuram donationis suæ, ut non omnia omnibus eodem modo sentirentur, ne per hoc eadem cunctis placerent ac displicerent: ac proinde placentia non sufficerent, & displicentia nulli essent usui. Si enim nos ac bestiæ omnes trioceo vesceremur pane; vix sufficeret triticum muscis, & serpentibus & capris, generaque animalium multa perirent. Sique omnibus displicerent castaneæ, frustra creatæ essent. Vt nihil ergo fit absque usu, etiam stercus hominum sapit porcis, gallinis, arboribus & vermibus ex illo natis; aliorumque animantium stercora, ut Zibethi &c. placent nobis; nec omnis res omnibus, etsi omnibus omnes. Propterea ergo fecit Deus, ut alia aliter afficerentur, atque sentirent, ac subinde appeterent aliud. Appetitus enim fertur in cognitom probe & jucunde afficiens; odium vero in cognitum prave injucundeque afficiens. Vtrum ergo quæ sapimus nos, prout sunt, sapiamus, incertum est mihi, atque ignorare profiteor; & hoc nosse, quod videlicet ignorem, an sapientiam prout sunt entia, sapientia mirifica est.

Indocti vero & bruta, se sapere, prout sunt, res obstinate arbitrantur. Inter corporales sentientes res, homo in mediocritate reputatur. At quia aliter afficitur quam ignis, & lapis & vermis; & quia non est pura potentia sensus, neque rerum mensura, sed mensuratum in Ente omni, præterquam in Deo: neque res ulla, res alias, prout sunt, sentit, sed quælibet pro modulo suo: Deus autem solus omnia novit prout sunt, qui solus non patitur a rebus ut sciat, sed scit eas, quia facit eas, datque singulis propriarum entitatum mensuram, quippe qui est ipse res omnes eminenter; & non fit per immutationem res ipsæ, ut sciat ipsas sicut nos immutamur in ipsas ut sciamus ipsas, sed est. Ergo intelligere suum est esse vel per esse: nostrum vero est fieri & pati, vel ex passione judicium.

SECTIO II.

Vnde oriatur scientia?

XVIII. Scientia est accurata & certa rei cognitio. Dico *rei*, sive illud sit universale, sive singulare. Dubitari autem potest an cognitio scientifica ortum ducat ab universalibus, an a singularibus?

Dicimus scientiam esse singularium, & Vniversalia esse similitudines singularium (substantiales vel accidentales.) & ex singularium cognitione colligi propositiones communes, etiam apud Aristotelem, qui inductione & experimento eas producit. Sed quoniam dum singularia investigamus, non omnes singularitates memoria tenemus, sed eas modo, in quibus conveniunt cum aliis, quas idcirco vocamus Communitates & Vniversalia: ptoptereа Scientia nostra est debilis & imperfecta. Divina vero, quæ singularia minutissimaque attingit, perfecta est. Idcirco videtur Scholis scientia esse Vniversalium, cum tamen hæc universalia non scirentur, nisi particularia scirentur. Sed quoniam non omnia singularia scimus, quia sunt innumerabilia: at quibus conveniunt inter se, sunt paoca, & facile memoria tenentur: idcirco Scientiam de universalibus facimus, & tradimus, ut deinde alii ex illis paucis universalibus considerent particularia omnia, quæ ipsis offeruntur; ita quod quidam circulus sint. Nam scientia per inventionem est a singularibus, qua deinde per universale, tradimus propositiones, unde cæteri homines discant alia singularia, quatenus sunt similia iis, quæ peperunt scientiam in inventore. Quatenus autem dissimilia sunt, novo indigent sensu. Qui enim fecit scientiam v. g de Homine, quod omnis homo habet caput a collo sustentatum, a plutibus singularibus per sensum ipsum accepit. Cæteri vero sequaces illam propositionem, ut veram, applicant omnibus aliis individuis, quia similes sunt iis, a quibus orta est scientia. Verum si obvius fuerit homo Acephalus, ut Plinio ponitor (monstrum forte, nam si integram nationem Acephalorum velit, fabulosum est) tunc illam propositionem corrigit, & discit hoc singulare per sensum proprium & novum. Scientia ergo facta ex multis sensationibus propriis, vel alienis, vel mistis, compendium est eorum, quæ sensus novit.

Cæterum de Scientia, quam Galenus L. Introduct. c. 8. definit, quod sit conveniens, firma & nunquam a ratione deficiens, sive declinans cognitio, ait Leo a Stipite Parte 1. Relig. mentis, cap. 2. pag. 14. Hanc apud Philosophos, præsertim dum rerum naturas perscrutantur, non invenies, multo minus in re medica; verbo, ne ad homines quidem venit.

XIX. Quapropter Aristoteles relinquens Platonem ponentem scientiam de Voiversalibus, imperite relabitur in illius sententiam. Debuisset enim mordicus tueri scientiam perfectam esse de singularibus per singularia: communem vero & imperfectam de universalibus per universalia: contrarium potius ipse docet. Nec illa propositio acceptanda erat, quod scientia sit sempiternorum, alioquin nec Deus sciret singularia & corruptibilia, quod quidem Aristoteles, sed falso docet. Hinc miror Theologos quosdam affirmare scientiam esse sempiternorom duntaxat, cum tamen doceant Deum scire singularia. Scire profecto, est rem sapere prout est; sive corruptibilis sit, sive incorruptibilis, alioquin nesciremus Petrum corrumpi, & calorem extingui. Nihil quidem ad scientiam spectat, utrum sit corruptibilis vel incorruptibilis, necessaria, an contingens, sed tantummodo nosse illam, sicuti est.

Quando ergo Plato dicit, quod non existente rosa, datur ejus definitio, quæ convenit ejus ideæ, quæ nisi extaret, falsa esset definitio; & Arist. respondet, quod extat in esse specifico objective; Plato autem in natura: Controversia non potest decidi per Logicam, ut putat Arist. quoniam revera conjunctio prædicati cum subjecto est essentialis, & de eo quod est essentialiter, verificatur; non de illo quod est intentionaliter, nisi ex parte scientiæ, quæ est intentionalis: & quidem non cogimur gratia scientiæ ponere universalia in natura: quia scientia est signum; signum autem potest esse signati, præteriti & futuri, nedum præsentis: sufficit ergo ad scientiam inventivam, quod illud aliquando sit. Ad doctrinalem vero credere propositioni universali, quam ex his, quæ aliquando sunt, inventor formavit: nisi forte abstractio universalis non

possit fieri a nobis, nisi quia est in mente Dei, in qua nos sapimus, licet hoc nobis sit ignotum, sicut oculo imago visibilis, quæ fit in eo.

Verum quoniam Plato non ponit Vniversalia propter Scientiam solum particularium, sed propter perfectionem scientiæ. Scimus enim ex singularibus hominem esse animal rationale: & circulum esse figuram, a cujus centro ad circumferentiam lineæ omnes sunt æquales. At non est invenire hominem, cui nihil desit in animo & corpore: nec circulum prorsus absolutum, ut definitio monstrat: neque sphæram perfectam, quæ tangat planum in puncto, idcirco putavit ideas dari oportere: unde Scientiæ perfectio desumatur, in quarum idearum notitia manifeste ponenda videtur, a cujus accessu & recessu de bonitate individuorum judicamus. Sic dicimus bonum aurum, quod ad auri ideam accedit magis, ut quod vocant de vigesima perfectione. Si autem non daretur idea optimi, nulla differentia esset inter hoc & illud, neque de rebus veritas cognosceretur.

Quapropter recte Plato docet de Individuis incipere Scientiam, quoniam ab eis excitamur ad contemplandas ideas, sed in ideis perfici: & tunc vere doctum esse hominem, cum ideam noverit: quoniam a recessu ab ea metitur perfectiones, & imperfectiones rerum.

XX. Ex his deduco, quod si verum est, nos nihil intelligere, neque singulare neque universale nisi per ideam, & quia efficimur id quod intelligimus; oportere primam Causam ideis esse fœcundissimam, & essentiam suam esse Ideas. Nam & nos sumus id quod intelligimus, saltem intentionaliter; quoniam aliunde capimus, non ex nobis. Deus ergo, qui ex se format ideas, intelligendo se tanquam participabilem, est ipsæ Ideæ. Profecto Aristot. stulte ponit in nobis ideas rerum objectivas, & non in Deo. Et quia Dei idea est causa rerum, nostra vero est causata a rebus, quas de novo intelligimus, propterea putandum erat, recte Platonem dixisse, quod extarent ideæ, & essent causæ generationis rerum, & scientiæ. Si enim illæ non essent, Deus non fecisset res certis modis formisque constantes: neque res in nostro intellectu sui similitudines imprimerent. Et quia hoc faciunt universalia & particularia; imo universalia extrahimus ex similitudine particularium, propterea & Plato erravit, ponens ideas specierum & non individuorum, neque generum, neque accidentium. Multo autem magis erravit Aristoteles, qui nihil eas conferre ad generationem dixit; & opus naturæ non esse ut artis. Si enim in natura multa reperitur ars, ut patet in anatomia animalium & plantarum: utique ab artificiosa causa natura generare debebat, non autem a stupida temerariaque. Ars enim imperfectior & indoctior, quam natura apparet, ergo natura operatur secundum Ideam.

XXI. Vbi præcipue animadvertendum, animalia plurima, & plantas fere omnes, sponte ex terra oriri, & lapides & metalla fieri a Sole ex terra, non autem ab aliis lapidibus metallisque; sola autem perfecta animalia a suo simili fiunt; & tamen agendo animal nescit quid facit, neque homo scit hominem componere. Ergo oportet asserere a simili fieri in virtute & sapientia ejus: sed per virtutem ideæ in artifice primo relucentis, qui utatur his instrumentis ad modificanda semina & disponenda ad generationem, non autem ad generandum prorsus principaliter, sicuti nos utimur typographia ad libros conficiendos & penna. Ita Deus utitur ad conficiendum animalia imperfecta typo, quia majori indigent elaboratione, sicut nos bombardas non facimus nisi in typis. Verum Angelos & Animam Mundi ipsorum Principem (uti putat Campanella) omnibus rebus naturalibus uti; & formare omnia juxta ideas quas in mente divina inspiciunt per ideas, quas ipsi ab ea acceperunt. At cum calor generat calorem, & frigus frigus, non requiri ideas in Angelis; quoniam hæc sunt instrumenta primæ naturæ data a Deo, prædonataque vi sua amplificativa & effusiva, ne prorsus destructis instrumentis deficiat rerum officina & propagatio. Et quidem hæc agere suum simile in virtute ideæ divinæ a qua habent tale esse, ita quod non aliud: & Angelos amplificare ea, ubi oportet amplificari; quod non intellexit Plato, sed putavit ideas tantum esse Compositorum. Aristut. autem quoniam non cognovit Opificem primum, neque ideas ex ejus mente, neque ideata intellexit, & pro fabulis habet, quæ physica constant Demonstratione. Dicat, quæso, quomodo ex stupidis elementis tot rerum varietas pulcherrima formatur, tot animalia & plantæ absque seminibus, & lapides & metalla? Profecto unus fungus clamat adesse ideam & opificem in omni re. Modificationes has tribuit circulo obliquo insipienter & motui ejus. Motus enim res stupida est, & hæc non intelligit mirifica facere. Plura de his vide in Tract. XXXI. De Ideis.

SECTIO III.

De Scientiarum distinctione, & modo procedendi.

XXII. Si cum Peripateticis Scientias penes objecta dividas; infinitæ prope erunt, sicut & res considerabiles. Oporteret enim sicut inventa est Medicina pars Physicæ, ita dari de cunctis corporibus singularibus propriam scientiam: & sicuti Perspectiva de visualibus; & Legalis de Justitia; ita aliam de audibilibus; aliam de olfactibilibus, aliam de fortitudine &c. quoniam infinitas habet considerationes quodlibet sensus & virtutis & mentis objectum; & scientiam propriam requirit. Et sicut Mathematica de Quantitate, ita dabitur alia de Qualitate, alia de Relationibus, alia de motibus scientia &c. sine fine. Sed eas homo tantum dividit, quas non potest simul capessere, & penitius scire cogitur.

Præterea cum idem objectum a duabus sæpe scientiis consideretur, ut Deus a Philosopho & Theologo, & Justitia ab Ethico, & Politico, & Rhetore, & Theologo, consequens est, ut non objecta dividant Scientias & constituant, sed modus considerandi, quam *rationem formalem* objecti appellant peritiores; & illi quidem secundum naturam forte melius dicunt, hi secundum nos.

Modus autem considerandi vel sumitur a fine, ut in Mechanicis frequenter: alio enim modo lignum considerat Ferrarius, & alio faber lignarius, & alio Architectus: Vel ex principiorum ratione, & sic aliter de Deo Physicus, ac Theologus tractant: quoniam iste ex revelatis, ille ex effectibus: sic & Physicus de motibus Cœli quoad essentiam & accidentia eorum tractat; Astronomus vero quoad quantitatem.

Acci-

Accidit autem ut principiis & fine & modo procedendi distinguantur interdum.

Et quoniam omnis Scientia ad utilitatem nobis data est, teste Apostolo 1. Cor. 12. 7. utilitates variæ eas dividunt. Nam Theologia est propter beatitudinem æternam; Physica ob conservationem corporalem, ideo scrutantur de omnibus corporibus nobis utilibus & noxiis. Metaphysica ex hac ad illam felicitatem viam inquirit. Mathematica ad metiendum & mensurandum ea quæ dicta sunt. Logica ad recte docendum & declarandum eadem. Grammatica ad significandum cæteris quibuscum vivimus. Poetica ad repræsentandum vehementius & delectabilius. Rhetorica ad persuadendum bona eorum, & mala dissuadendum. Habet ergo diversas utilitates, & bona particularia: sed quæ bonum universale & æternum proponit, omnibus imperat, ut Architectonica. Talis autem est Theologia sacra, disciplina divinitus revelata, quæ ex Veteri & Novo elicitur Testamento, Verbo Dei patefacta & Prophetarum testimonio confirmata, ad quam, juncto Verbi Dei non scripto seu Traditionibus Ecclesiæ, tanquam ad Regulam exactissimam, nunquam & nusquam a recto deflectentem dirigenda & corrigenda sunt humana inventa si veræ Sapientiæ cupimus esse Propugnatores. At quia litera occidit, spiritus autem vivificat. 2. Cor. 3. 6. & ratio est anima legis, factum est quod Hæretici ad unum omnes privato suo spiritu & interpretatione nixi opiniones suas erroneas ex SS. Bibliis conati sint, & hodiedum conentur stabilire & pertinaciter contra sensum Vniversalis & Orthodoxæ Ecclesiæ, quæ est Romana. Theologia proinde aliam rationem formalem habet altiorem sui objecti, quia procedit ex principiis ab altissima causa revelatis. Profecto enim si Deus est, & nostri curam gerit, & nos capaces præceptorum ejus sumus. Ergo nobis illa revelavit, quæ scire oportebat, & per nos scire non poteramus.

XXIII. Procedit ergo Theologia demonstrative ex revelatis, tanquam ex propriis; & ex physice, aut metaphysice demonstratis non nisi tanquam ex communibus probabilibus: omnia enim incertiora sunt revelatione. Est tamen Demonstratio, sed humana ex eis. Nam licet omnis veritas sit Canonica in Cœlo, & Natura, nobis tamen non nisi revelata divinitus. Item procedit ab auctoritate Philosophorum, ut ab extraneis, teste S. Thoma, & non citat eos, ut Judices, sed ut testes, & non contra credentes Theologiæ, sed contra incredulos illos, qui talibus auctoritatibus pronius auscultant. Quapropter errant, qui putant Aristotelem citari a D. Thoma ut judicem in Schola Christi, aut ut approbatorem veritatis Christianæ; vel confirmatorem, & non potius tanquam testem contra Aristotelicos & Gentiles. Absit enim ut veritas Dei ab homine pendeat. Tractat quidem de Revelatis ut evidenter credibilibus: & in *τὸ evidenter* est scientia a signo. Signa autem sunt miracula, prophetia, martyrium, linguæ &c. & sic demonstrationes sunt ex propriis. In *τὸ credibilibus* designatur Objecta fide teneri, sed ad scientiam incedente: nam & Syllogismis dogmata declarantur.

XXIV. Metaphysica vero tractat de omnibus prout & quatenus sunt, & nihil præsupponit, nisi apparere quædam, quæ vera & falsa esse possunt: & sic de Scientia disputat & opinione; & tandem esse, quia res sunt, intelligit, & de rerum entitate, & non-entitate considerat, & Principium primum, quod idem esse, & non esse, non potest. Dehinc de Potentia, Sapientia, & Amore, Primalitatibus Entis, & de abstractis rebus, & ad Deum elevatione. Distinguitur autem ab omnibus, quia de rebus omnibus prout sunt, & de Primo Ente mox principalius tractat, & de propriis ipsis propartibus, & propassionibus Entis, in cognoscendo vel essendo: cæteræ vero non de omnibus, nec prout sunt.

XXV. Mathematica, non de rebus, sed tantum de affectione quadam corporum, quæ est magnitudo & numerus, tractat, & præsupponit quæ de iis sensu novit. Procedit autem ex propriis, quando ex his probat; ex communibus, quando communia principia metaphysica attingit, ut de quolibet vera est affirmatio aut negatio. Omne totum est majus sua parte &c. Ex extraneis vero, quando transgreditur sua præsupposita, ut cum probat terram non esse extra centrum, quoniam sex Signa supra horizontem semper cernimus. Hæc probatio est physica, ex visu, & potest falli, quoniam refractio facit videri stellas, quæ sunt infra, esse super. Et quia Terram esse rotundam, aliter Physicus, aliter Mathematicus probat; ideo Scientiæ distinctæ sunt, quoniam quilibet ex suis præsuppositis procedit. Metaphysicus autem & præsupposita probat.

Theologus iisdem utitur, ut servorum operibus. Idem autem Objectum, si non æque principaliter a duobus Artificibus tractatur, ut quilibet consideret ejus principia, partes & passiones, sed sub alia ratione ad alium finem, & non æque. Logicus quoque accipit Categorias a Metaphysica, & Scientiam esse, conficitque Instrumentum procedendi in sermone mentali, & vocali & scripto juxta formas intellectui connaturales a Physico, & Metaphysico investigatas. Idcirco procedit ex communibus & universalibus principiis Logica, quoniam est Instrumentum commune Scientiarum: ex propriis autem, cum agit de Modis sciendi.

XXVI. Moralium autem utilitas ex dictis patet. Modus procedendi est ex jactis principiis moralibus, & ideo semper quasi ex finali causa arguit, quæ est Summum Bonum, aut disponens ad illud; sed ab authoritate Legis, quæ publica est, & Dei primi Legislatoris demonstrat. Sensum autem Dei non habet (prout jam supra monuimus) nisi tota Ecclesia Sanctorum, cui dedit suas revelationes & scripturas. Frustra enim dedisset, nisi & sensum dedisset. Idcirco Lex Divina, præter Scripturæ sanctæ auctoritatem, habet pro fundamento Syllogismorum, Ecclesiæ sententiam, & sui Capitis, & omnium SS. Doctorum authoritatem & unitatem. Vbi enim non consentiunt, probabile faciunt argumentum: qui autem prædictis contradicit, non habet partem in Theologia, sed in Hæresi. Sic qui legem publicam in Politia frangit, hæreticus est Civis, non verus Civis (ut & Socrates novit) in eo, quod frangit, & frangendum esse contendit: nisi novas in Leges Respublica consentiat nutu Dei.

Procedit etiam Moralis ex Physicis, sicut ab extraneis: sed tamen quatenus Physica fundat mores ex propriis secundum naturam, non secundum nos. Vt Legista accipit a Physico, partum septimi, & decimi

cimi mensis (imo quandoque plurium) posse legitimum esse; & Justitiam superflua abominari, quoniam in corpore humano membrum plus accipiens infirmatur; sic & anima omnis per intemperantiam.

Quapropter Legislatorem humanum omnia scire: Divinum vero a Deo doceri convenit, siquidem ejus est, omnia Reip. membra recte disponere ad felicitatem pro præsenti, & futuris temporibus: quod universalibus regulis difficile est ob casus particulares discordantes: ideo remanet in Republica potestas applicationis secundum æquitatem naturalem, non autem faciendæ Theologiæ, sed declarandæ, quoniam Dei solius est illa.

XXVII. Verum enim vero ista paulo altius repetentes, Quidquid scimus, vel spectat ad Potestativum, vel ad Cognoscitivum, vel ad Volitivum. Idcireo Triplex est Scientia instrumentalis regulativa actuum ipsorum erga objecta. Objectum quippe Potestativi est possibile & impossibile, quod ex quantitate Potentiæ, & objecti perpenditur: & ad hoc negotium inventa est Mathematica, quæ de numeris, ponderibus & mensuris rerum omnium considerat. Et discursus circa objecta intelligentis animæ vocatur perpensio: & finis ejus sunt determinationes, & commensurationes & numerationes.

Objectum Cognoscitivi sunt Verum & Falsum, & discursus erga ipsa vocatur argumentatio vel Syllogismus; & finis eorum sunt Definitiones, & Axiomata: & Scientia regulatrix actuum intellectus quærentis & docentis verum & falsum, dicitur Logica seu Dialectica.

Objectum Volitivi est Bonum & Malum: discursus ad ipsa vocatur Probatio, & examen. Finis ejus sunt Electiones & Reprobationes, quæ sunt principia scientiarum huic Primalitati servientium. Est autem scientia hæc moralis, seu potius Legalis. Lex enim unius hominis est virtus privata: Lex familiæ seu domus est virtus œconomica: Lex Civitatis est virtus politica. Lex in Bello, est virtus militaris; & virtus regula est affectionum, & operationum, ne declinent in minus ad Primalitates Nihilitatis; neque in majus ad impuritatem Primalitatis, extra finem se superexcedentis.

Objectum Executivi est Factibile & Agibile. Discursum ad ipsum est Consilium. Finis sunt, deliberationes & Decreta, quæ sunt principia Actionum. At artes factivæ sunt plurimæ illi servientes. Architectonica autem, quæ omnibus imperat, est una conflata ex Logica Cognoscitivi, ex Morali Volitivi, & Mathematica Potestativi, quoniam operationes ad extra sunt indivisæ. Dicatur forsan Magia, unde dicuntur Magistri, qui præsunt operibus cunctis volitione capessendo, scientia dirigendo, Potestate tractando. Et quemadmodum non est amplius Ens, ui deest una primalitas: ablato enim amore essendi, vel sensu essendi, vel potestate essendi, definit Ens esse: ita ablato amore operandi, statim definit operatio.

Tres igitur sunt Scientiæ Instrumentales, & quasi eminentiæ quædam omnium scientiarum directiones. Adde quartam operatoriam seu Magistralem. D. August. L. 9. de civit. Dei, cap. 8. in 3 Classes partitur scientias, ex quibus Deus tripliciter cognoscitur: Author naturæ; lumen doctrinæ, & felicitas vitæ; hoc est per Physicam, Rationalem & Moralem.

XXVIII. Scientia Moralis dividitur in Ethicam, Politicam & Oeconomicam: prima regimus proprios mores seu nosmetipsos; Politica Rempublicam, & Imperium. Oeconomica, familiam: militari rem bellicam: sed revera unica Scientia est, divisa per nostram imbecillitatem in plures. Principia autem ipsarum in sensu actionum & passionum humanarum fundantur; & conservationem respiciunt, quoniam istæ scientiæ praxin respiciunt. Quæcunque ergo conservant nos in nobis & in Republica, & in fama, utilia & honesta dicuntur; quæ vero obsunt & destruunt, econtra. Est autem unus homo, pars familiæ. Familia vero Reipublicæ, ergo Ethica est pars Oeconomiæ, Oeconomia Politiæ. Virtus est Regula conservandi individuum; lex est virtus conservans speciem, id est Rempublicam & cum hæc a sensu absint, regulæ ex consuetudine bona vel mala percipiuntur, & ex sapientum authoritate, maxime autem divina, cujus est Mundi regimen. Propterea Machiavellistica Politia (cui vicina Mazarini) pessima est, quoniam discordat a primo Rectore, quem ipse non agnoscit; ergo & a toto Mundo, & a fato; ergo sibi & aliis perniciosa, dum prodesse credit, veluti puerorum astutia, medico & Magistro, & patrifamilias repugnans, perdit eos.

Demum supereminet his scientiis Legislatura, quæ & Ethicam, Politicam, & Oeconomicam & Militarem, & omne vivendi genus, & seorsim, & communiter dirigit ad suos fines per regulas, quas Leges vocamus. Legislatoris ergo est omnium rerum naturas nosse, & hominum mores, & qui, & quibus muneribus apti sunt secundum naturam, & quæ illis prosunt, atque nocent, ut possit quemque proprio in ordine ponere, ita ut mutuis officiis sese juvent, atque juventur ad felicitatem; quam non nisi a felicissimo Ente primo sperare licet: & hujus spei objectum nosse, viasque ad ipsum, consummatæ sapientiæ est.

Item Legem æternam & naturalem prænosse Legislator debet; ex quibus Jus Gentium per modum conclusionis, & Jus positivum seu Civile per modum determinationis & specificationis derivant leges; & quæ ab his non derivantur, non esse leges, sed enormitates tyrannorum, aut insipientum, aut Hypocritarum: qui adulterant, Tyrannus Potestativum, Sophista Cognoscitivum, Hypocrita volitivum, sane principia causarum, & causationum & effectuum ostentant.

Propterea inter omnes non nisi Metaphysicus Legislator esse potest; & quidem insufficienter absque Deo. Deus ergo Creator & Gubernator omnium solus sufficienter & veraciter Legifer est. Quapropter omnes homines, qui legem dederunt hominibus, Deum habuere Magistrum, vel saltem habere simulavere runt. Quemadmodum & qui Philosophi non sunt, Philosophiam sophistice profitentur; & qui sancti non sunt, sanctitatem per hypocrisin ostentant.

XXIX. Legislatoris instrumentum est Ars imperatoria, quæ Legum custodiam habet; & Judicaria, quæ eas particularibus applicat, & Rhetorica, quæ suadet legis observantiam, & transgressionem dissuadet; accusat & defendit, laudat & vituperat, consolatur & contristat, prout opus est ad bonum, ad quod per Legislatorem dirigimur. Rhetoricæ abusus est, sicut coquinariæ ad medicinam collatio, quando saporem non sanitatem procurat. Ergo Poetica quoque Instrumentum consimile est, facitque idem quod Orator, sed alia ratione: quoniam verba trutinat, & nume-

nomeris colligat, ut facili jocundoque animo præcepta capiantur. Propterea transfert verba metaphoris, & ſenſum ſabulis, ut periculum ſimul & faſtidium, docentis & docti, vitentur. Vnde ideas eventuum in Repub. ſabricatur, ſiquidem in Epopeia militarem propinat ſcientiam, & mores & vires. Habet aotem vim magnam in Repub. perdendi mores vel meliorandi, ſiquidem in Tragœdia eventus cavere, ac ſufferre truces; quam parum ſortunæ cavendum ſit, inſinuat. In Comœdia ex triſtibus eventus lætos promittit; mores populorum cujuſque deſcribit. In Satyris vitia idealiter vituperat. Quapropter getmina Dialecticæ non ſunt, ſed Legiſlaturæ, vel Moralis ſcientiæ, quæ pro objecto habent Bonum. Dialectica autem ipſum verum potius reſpicit. Non eſt quidem Logica ſcientia diſcretiva veri a falſo, ſed Inſtrumentum rationale Cognoſcitivi Principii, quo omnes ſcientiæ formantur & docentur: Et ideo ars Rationis inventum, non ſcientia rerum inventrix.

XXX. Quapropter quemadmodum Grammatici non eſt ſcire, an hæc propoſitio: *homo eſt aſinus*, ſit vera, ſed tantum an congruenter ſit pronuntiata; ita neque Logici eſt hanc veritatem & falſitatem dignoſcere; ſed tantum an propoſitio habeat propriam formam in argumentatione: neque enim rem ullam habet Logica pro ſubjecto, ſed tantum ſciendi modum cujuslibet ſubjecti; unde videtur eſſe Inſtrumentum Metaphyſici, quo ſciendi modus in omni facultate formatur, non reſpiciens affectus, ut Bonum ſicut Rhetorica, & Poetica, ſed doctrinam tantum formaliter, non materialiter. Omitto hic tractare de Subalternatione ſcientiarum: ſicut & de diviſione ſcientiarum in practicas & ſpeculativas, quarum prima olim dicebatur Ars, quod omnes capiebant: In hoc novo autem uſu loquendi inutilis quæſtio de nomine eſt, utrum v. g. Logica (quod etiam de aliis dici poteſt) ſit practica vel ſpeculativa? ut optime obſervat P. Joan. Bapt. Ptolomæus Diſſert. 39. Logico-phyſica, ſect. 1. num. 5.

SECTIO IV.

Scientiarum humanarum imperfectio pluribus declaratur.

XXXI. Sæpe laudatus a nobis Reverendiſſimus D. Hieronymus Hirnhaim cap. 5. ut ſcientiarum incertitudinem demonſtret, conſequenter ſcientias omnes e medio tollat, prout aperte ſuſtinet cap. 3. *Scientiam non dari*, aodacter a ſcientiarum Patronis poſtulat quantum in ſingulis facultatibus a nobis pro certo ſciatur? quandoquidem de ipſis Scientiarum principiis quandoque litigatur.

Vtque a Theologia facultatum omnium Regina capiamus exordium, quid eſt, inquit, in illa, de cujus evidenti notitia gloriari poſſimus? Multi ſunt, qui Dei exiſtentiam ſibi videntur metaphyſice demonſtrare, quorum tamen univerſæ demonſtrationes intellectum non ita convincunt, quin diverſis reſponſionibus ab Atheo quopiam poſſint eludi.

Sunt qoi excepta Perſonarum Trinitate, omnimodam in Deo unitatem ac ſimplicitatem defendunt; alii non tantum virtualitates, ſed actuales etiam formalitates in Divinitate admittunt.

Nonnulli diſparatas Relationes ajunt ſufficere ad perſonalitatum diſtinctionem; alii Relationum oppoſitionem ad diſtinctionem illarum requirunt.

XXXII. Secundum quoſdam Deus eſt in ſpatiis imaginariis, cognoſcit individuum vagum, facit Ens rationis; alii negant hæc omnia.

Si de concurſu Divino fiat mentio, ſi de efficacia gratiæ, aut de phyſicis Prædeterminationibus, vel Præfinitionibus, illico Phariſæi cum Sadducæis confligunt. Illi Scientiam Mediam tanquam providentiæ divinæ neceſſariam, & libertatis noſtræ cum infallibilibus Dei decretis optimam conciliatricem ubique deprædicant, ita ut jam etiam a Nobilibus quibusdam Matronis Sanctarum numero in Litaniis inſeratur: *S. Scientia media, ora pro nobis.* Alii econtra jam pridem ab Auguſtino notam, ſed ut inutilem contra Pelagianos & Maſſilienſes rejectam, eam ad nihil valere judicant, niſi ut mittatur foras & conculcetur ab hominibus.

Quis hucusque circa actus Dei liberos difficultatem enodavit? Nodum Prædeſtinationis ſolvere conatus eſt Eminentiſſimus D. Cardinalis Sfondrati; an aſſecutus fuerit, aliorum eſto judicium. De ſpecie impreſſa Dei, de Viſione beatifica, ejusque præciſionibus & reflexionibus, de majori proportione perfectioris intellectus cum æquali lumine gloriæ; de oculo corporeo ad viſionem Dei elevabili, aut non elevabili, quantæ verborum & ſententiarum pugnæ?

Jam ſi Deum mediante Verbi perſonalitate hominem factum conſideremus, quis Vnionis hypoſtaticæ modum attigit? quis tot myſteriorum tenebras circa Chriſti merita & ſatisfactiones, impeccabilitatem & libertatem elucidavit? Quis ſcire certo poteſt, an ſi Adam non peccaſſet, Dei Filius in carne impaſſibili veniſſet, aut non veniſſet?

De linguis Angelorum, de ſpecifica & numerica ipſorum diſtinctione, de modo intelligendi, de via, merito & peccato illorum, multis jam ſæculis diſcurritur ac litigatur, & adhuc plurium quæſtionum ſub Judice lis eſt. Quis dicere poteſt ſine falſitatis periculo, quomodo Dæmones ab igne infernali torqueantur?

XXXIII. In Moralibus Theologiæ materiis quanta ſententiarum diſſonantia! In materia de virtutibus theologicis quantæ tricæ! quis circa virtutes morales per ſe infuſas, ſcholarum opiniones conciliabit? De peccatis quid dicam? In quo peccatum conſiſtat, acriter etiamnum diſputatur. Si de peccatis in particulari agitur, lege Caſuiſtarum libros, quantas non ibi reperies Judiciorum contrarietates? Nam frequentiſſime quod unus condemnat, alter juſtificat; in nulla tamen materia periculoſius erratur. Quomodo Sacramenta ſuos cauſent effectus, an phyſice, an moraliter influant, adhuc neſcimus. Circa illorum reviviſcentiam, & ſingulorum in particulari formas ac materias, quam plurima ſunt etiamnum controverſa.

Nec tantum in Scientiis divinis, ſed etiam in humanis magna ſe offert altercandi materia. Prædicamentorum Decalogus non ab omnibus admittitur. Circa Vniverſale quanta ſciſſura? Hi clamant illud a parte rei exiſtere; alii dicunt eſſe purum Ens rationis. Circa univocationem Entis quanta ſententiarum æquivocatio! Circa Modos & Relationes quanta prælia! Circa rerum eſſentias, exiſtentias, diſtinctiones, ſpecificationes, individuationes, negationes & privationes; tranſcendentales item reſpectus & connexiones, quanta opinionum diſſidia?

Personalitatem, seu rationem suppositi de fide novimus: in quo tamen consistat, hucusque ab omnibus divinatur. Substantiæ perseitatem, & inalietatem accidentis nemo perfecte hactenus explicuit; nec genuinum rei spiritualis & corporeæ discrimen ullus adhuc assignavit.

Sed relinquamus hæc a sensibus abstracta: ea enim ipsa, quæ ante pedes nostros jacent, & quotidie ob oculos versantur ignoramus; & cum illo Astronomo lustrante sidera, incidimus in foveam coram nobis positam.

XXXIV. Adstruitur passim Materia prima pro formarum subjecto, & nescitur in quo ratio subjecti, aut ratio formæ consistat. Quantum in illa materia est chaos? quantæ tenebræ? an dependeat essentialiter a forma? an unam appetat (metaphorico appetitu) præ altera? an ejusdem sit speciei in sublunaribus & cœlestibus? Quin imo de ipsius existentia prout illam describunt Peripatetici merito dubitatur, cum SS. PP. illam jam pridem exploserint.

Veniamos ad Causas, quarum 4 Peripatetici, alii 6. assignant, neutri univoce, sed analogice. An accidens aliquando saltem inadæquate producat substantiam, imo quid sit producere, quid formam educere, jam tot sæculis disputatur & clamatur: & doctiores fatentur se ignorare. De potentia obediennali subjectiva & effectiva; de potentia creativa creaturis communicabili vel non communicabili quanta ingeniorum collisio! & tamen vix adhuc ex illis excussa est vel unica scintilla veritatis.

De Infinito disputant in infinitum. Circa spatia & tempora imaginaria quam diversæ imaginationes? Circa Replicationem quantæ replicæ! alii cum Valeriano de Magnis gloriantur se Vacuum inveniisse; alii inventionem veritate vacuam explodunt.

Non pauciores circa plenum, quam circa Vacuum sunt controversiæ. Certe quomodo vas plenum cineribus, adhuc fere tantum aquæ capiat, quantum sine illis cepisset, nobis est incognitum. Sunt qui penetrationem in certis corporibus, dispositionibus ac circumstantiis naturaliter dari admittunt, sed alii pertinacissime negant. Dicant hi, quomodo substantia rarefacta condensari possit sine penetratione, & unicum thuris granum in sui rarefactione tot partes extra partes emittere, ut illis replere possit locum centies & vigesies millies se majorem. De Creatura ab æterno creabili immensum disputationis Chaos. Æternitatem nullus hucusque comprehendit: quin imo quid ipsum tempus sit ignoramus. *Quid sit tempus*, inquit S. August. L. 12. Conf. *Si ex me nemo quærat, scio: si quærenti explicare velim, nescio. Et quia explicare nescio, scire meum est ignorare.*

Materia Continui etiamnum doctissima ingenia exercet: nullus adhuc potuit explicare quomodo minima festuca componatur; vel quomodo rota, sive virgula, sine partium discontinuatione & fractione circum axem suum rotetur? Quis perfecte novit continuum a contiguo distinguere? Motum facile videmur capere, revera tamen non ita facile ipsum definimus & explicamus. Sunt multi qui morulas in illo judicant necessario admittendas; alii habent illas pro absurdissimo commento.

De primis Elementis quantæ discordiæ? sunt qui negant Ignem elementarem, æthereum vero judicant omnino fabulosum. Sunt qui solem esse calidum, & lucidum negant, existimantes tam parum lucis aut caloris inesse Soli, quam doloris insit aciculæ pungenti carnem delicatam: hi consequenter negare tenentur Ignem esse calidum: nec est potior ratio de Sole quam de Igne, & par fatuitas Soli lucem, & igni calorem denegare.

Mirum sane; quod plerique sibi videantur sanos corporis & mentis oculos habere, & tamen hi nivem albam esse credunt, alii nigram potius esse contendunt, quamvis alba videatur, sicut atramenti spuma. Utut sit, experientia certe compertum est nivem nigras post se relinquere maculas, & optimum ex illis confici atramentum. Alii nec nigrum esse putant, nec albam, sed cæruleam & coloris saphirini, talis enim videtur beneficio lentis in cubiculo seu camera clausa, modo non fuerit a sole foris illustrata.

An mare sit altius Terra, quis dimensus est? Circulationes aquarum, montium hydrophilacia, & fontium origenes, causas ventorum æstusque marinos quis ad plenum indagavit? Quis fulminis vim atque potentiam explicuit?

Cur vespertinus nubium rubor serenitatem portendat, non matutinus, veram discriminis causam nullus adhuc assignavit. An & quomodo lumen propagetur in instanti, quis assecutus est? Causam & radicem colorum tam apparentium quam permanentium quis pro certo potest edicere? Multa quidem de Refractione dicuntur, per illam tamen nullus adhuc iridis vel bullarum colores exacte distinxit, sed Iris semper manet Thaumantis, hoc est admirationis filia. Multo minus per refractionem lucis internæ, ac variam densi & subtilis permixtionem, colorum permanentium naturam ac diversitatem sufficienter elucidavit, quorum in minimo subjecto æqualiter denso maxima sæpe diversitas est.

XXXV. Utinam saltem miseri homines ea sciremus, quæ sunt in homine. Quis autem potest dicere pro certo, ex quot Principiis homo componatur? alii unicam nempe Rationalem; alii etiam Sensitivam realiter distinctam in illo ponunt. Nondum ullus intellexit, quomodo intelligat. De speciebus impressis & expressis omnia quæ loquimur sunt incerta. Modum quo visio & aliæ sensationes externæ peraguntur, nullus hucusque ad plenum assecutus est. Non multo plura circa humanum corpus, tametsi visibile ac palpabile, quam circa animam nostram intelligimus. Quis est adeo peritus atque industrius anatomicus, qui gloriari possit omnes naturæ vias in corpore humano sibi esse compertas? Multæ testantur historiæ, res incaute per os deglutitas, per urinam fuisse redditas, ut cerasorum ac prunorum officula, lactucæ frustula, uvarum acinos, semina fœniculi & anisi, acus non tantum parvas, sed etiam crinales. Legimus etiam muscam, quæ cujusdam os involaverat, per vesicam exiisse, ad quam tamen vix ullus rebus ita solidis patere videtur accessus.

Miramur de facto, quibus viis pulmo ad intestina delatus per sedes aliquando excernatur; aut quomodo pleuriticorum sputa ad asperam arteriam perveniant. Taceo hic metastasin, & viam nobis ignotam per quam humores in colica paræsi ex intestinis ad nervos deferuntur. Legimus præterea cultellos & aciculas devoratas, multo post tempore per abscessus crurum & inguinum a natura factos exivisse,

& acum incaute deglutitam, post unum mensem exitum circa autem quæsiisse; sagittas etiam dorso infixas, per alvum innocue fuisse redditas.

Super hæc omnia videntur admirandi abortus facti per vomitum. Legimus etiam infantium fat magnorum sceleta per os fuisse aliquando rejecta. Ad hæc & similia nullus Medicorum aliter melius potest respondere, quam multas in corpore nostro partes & vias dari, naturæ quidem nôtas, nobis vero hucusque incognitas.

XXXVI. Circa officinam sanguinis Medici non concordant. Ejus circulatio, (quam ante Harvæum se jam docuisse gloriatur P. Honoratus Faber) non eodem modo ab omnibus explicatur. Humorem illum, qui sanguini e vena misso supernatat, (*serum* vocant) aqueum esse vulgariter creditum est, donec experientia docuit, illum calore non resolvi, sed coagulari, non secus ab albumen ovi. Si enim aeri exponatur, parem cum alio sanguine ruborem induit, prout testatur Carolus Fracassatus in Epistola anatomica. De utilitate Seri utiliter leges Leonem a Stipite, 1. Parte Relig. mentis. cap. 13. pag. 117. Vide quæ ex illo adduximus Tract. XXX. sect. 2. num.

Venas Meseraicas chylum ad hepar vehere, diu fuit creditum, donec alii lacteas repererunt, quas tamen omnium Medicorum Schola nondum recepit.

Quid dicam de diebus criticis? de statis & ordinatis febrium periodis? de annis Climactericis? de morbis Epidemicis & malignis? de apoplexia, epilepsia, pica mulierum, & plurimis aliis morbis, quorum causæ adhuc ignorantur, tametsi quidam superciliosi sibi videantur eas omnino comprehendisse.

Pro quartanæ febris alimento, aliqui crassum, alii vero tenuem humorem assignant, & consequenter illam diversissime, imo contrarie curant. Nihil communius apud Medicos, quam quod bilis copia gignere soleat febres, sive intermittentes, sive acutas; alii econtra omnes febres oriri potius ajunt ex defectu bilis. Communis etiam hucusque fuit sententia, in somno magis quam in vigilia concoctionem vigere. Video tamen a nonnullis RR. contrarium doceri, non sine rationum pondere.

Quomodo generatio hominis perficiatur in utero, quo tempore anima rationalis infundatur a Deo, quis hucusque pro certo novit? Quis credidisset dari ova uterina, alia masculis, alia fœmellis concipiendis dicata, quæ virilis seminis accessu prolifica reddantur? ut docet Beckius ratione simul & experientia suffragante per quorum etiam copiam ait optime explicari mulierum fœcunditatem.

Quam frequenter diffident, sibique contrariantur Medicorum consilia & curationes, dum unus calidum suadet, alius frigidum; hic becticam, ille contrarium in homine morbum curat; quin imo sæpe vix ullus morbi naturam assequitur; adeoque parum quandoque prodesse videtur Medicorum copia, nisi ut verificetur illud Rasis: *Qui plures vocat Medicos, incidit in errores plurimorum.* Et tamen non de lana caprina, sed de corio humano tunc agitur.

Quantæ jam in medicamentorum delectu Medicorum sunt discordiæ? aliqui in morborum curatione utuntur rebus chymicis arte Spagyrica præparatis, quibus se jactant profligare morbos etiam cæteroquin incurabiles, non tantum cito, sed etiam tute ac jocunde. (quæ tria Medicus & Chyrurgum probant perfectum). Alii hæc omnia cane pejus & angue, tanquam naturæ inimica, vel ad minus periculosa (tum defectu accuratæ elaborationis, tum improportionatæ dosis) execrantur. Sunt qui Magisteriis, item fæculis & aliis quibusdam officinarum præparatis majorem vim, quam crudis rebus attribuunt. Alii econtra hæc rident tanquam mortua prorsus corpora, omnisque virtutis expertia. In ipsis medicamentorum præparationibus quanta difformitas? quot non circa tincturam corallorum, circa aurum potabile, tincturam lunæ &c. circumferuntur processus? e quibus hunc iste, alius alium præfert. Quin etiam in Galenicis medicamentorum præparationibus maxima est varietas. Inspice Zwelfferum, invenies ab ipso passim traduci officinarum insaniam. Nescio tamen an ipse rem acu semper tetigerit, nam in multis suis reformationibus, non tantum ab æmulis, sed etiam ab asseclis reprobatur & reformatur.

Denique tanta est circa rerum naturas Medicorum ignorantia, ut non sciant exquisite virtutem unius herbulæ, quam pedibus quotidie calcant, simplicium qualitates non nisi ab experientia discere possunt *experimentum* autem in medicinalibus esse *periculosum* pronuntiat Hippocrates. Hinc etiam pauci student novis rerum experimentis, ne in humano corio ludere videantur. Id tamen singulare habere dicuntur Privilegium, ut solis impune liceat occidere: gravissimus tamen Theologus quidam candide fatetur se Medicorum inexpertorum (quorum non pauci) Exomologeses ægerrime excipere.

Necessarium est ergo, ut magna sit judiciorum medicinalium fallibilitas, & nescio an pronuntiare debeam injuriosum esse Medicis illud cujusdam Poetæ Distichon:

Nulla quidem vestri est tam regula firma Galeni,
Quam non interdum curva refellat anus.

XXXVII. Pertranseo Mathematicas disciplinas, & venio a rebus physicis & naturalibus ad illa, quæ ab humano pendent instituto, circa quæ tamen Authorum opiniones sæpe non minus discrepant. Sæculares Principatus Jura pro morum & justitiæ regula condiderunt, sine quibus etiam Jurisconsulti loqui erubescunt. Quam tamen contrariæ ac incertæ sunt illorum interpretationes? quam dissonæ conciliationes? Multæ Leges cereum dicuntur habere nasum, quas unus in hanc, alius in illam partem trahit & inflectit, adeo ut Corpus Juris Justinianæi JCtorum, uti Sacra Biblia Hæreticorum parem subire torturam cogatur. Ex. gr. Nuper spectabilis quidam & Clarissimus Vir, a theoria simul & praxi laudatissimus, edito quodam libello, plures quam ducentas Juris communis & Bohemici differentias a se observatas, citatis Jurium textibus, publicæ luci exposuerat. Cum ecce paulo post quidam alius præfatas Jurium differentias moderari conatus, etsi non in omnibus, saltem in plerisque contrarium calamum (non sine censuris minus moderatis) opposuit, ita ut præfatorum Jurium consonantias, in iisdem ipsis allatis differentiis, paucis exceptis, luculentissime demonstrasse sibi videretur. Hinc patet plurima in

Jure esse dubia, ac in utramque partem a Jurisperitis disputabilia. Recte S. Bern. apud Weberum in suo Annulo memoriæ 59. dictam. 4. *Multi sunt Jurisperiti, sed non omnes justitiæ periti*, nempe magis student Legum notitiæ, quam administrationi justitiæ. Nec mirum. Quid enim in ejus Theorematis adeo certum esse potest, cum clara & obvia jura uni videantur similia & consonantia, alteri vero dissonantia, & sicut album & nigrum sibi opposita. Heu! quanta ingeniorum & sententiarum differentia, quæ si tanta est in dijudicandis ipsis Juribus, quanta non erit in iisdem ad praxim applicandis? vide & legeJoan. Corasium in suis miscellan.

Nihil dicam de dominio duorum in solidum, de mero Imperio Magistratus, de venditione hypothecæ contra pactum cum debitore initum, circa quam inter se digladiati fuisse leguntur Bartolus & Baldus Jurisconsultorum clarissimi. De valore plurimorum Contractuum, & innumeris aliis quæstionibus, quæ variis tam rationibus quam authoritatibus adductis, pro & contra usque in hodiernum diem disputantur. Pervadamus Tribunalia, & inveniemus in iis non pauciores Juris, quam facti quæstiones in utramque partem agitari, & causas divinatorie sæpius decidi. Hinc in uno eodemque Dicasterio pro diversitate temporum, & Judicium, circa eundem Casum & Facti speciem contraria non raro deprehenduntur præjudicia.

Quin imo sont, qui glorian tur se ejusdem Juris adminiculo causam injustissimam posse stabilire, & æquissimam subvertere, quod utinam speculative solum noverint, & non etiam practice. Quibus accense Advocatos illos, qui utrique litigantium parti simul & semel clanculum patrocinantur. Hujusmodi forenses Rabulæ ingeniorum suorum versutia causas distorquent, injustitiam palliant, æquitatem explodunt. Quorum est *Jura confundere lites suscitare, transactiones rescindere, dilationes innectere, supprimere veritatem, fovere mendacium, quæstum sequi, æquitatem vendere, inhiare actionibus, versutias concinnare*. Verbo, Jus & animam suam vænalem habent. Petrus Blesensis.

XXXVIII. Nec Jus Canonicum est semper sufficiens certitudinis regula, in quo plurimæ adhuc sunt controversiæ, quæ Judicem expectant. De peculio Clericorum, & superfluorum proventuum Ecclesiasticorum dominio contrariæ sunt AA. sententiæ. In omni fere materia Causæ in Consistoriis, & Curia Romana quotidie tractantur, quibus pro & contra non desunt Patroni, neque ambigui Canonum textus, quorum contrariæ interpretationes adferuntur; Interim certum est non intentionem verbis, sed verba servire intentioni. Quis jam hic genuinum Juris sensum, & veram Legislatoris intentionem acu tangere potest, nisi is, qui Legem tulit, verborum suorum agat interpretem?

Parum igitur in Scientiis nostris & certitudinis & veritatis. In Medicina, *Judicium difficile*, ut Hippocrates ipse testatur. In Jure, *omnis definitio periculosa*. Omnis enim Regula Juris cum periculo enuntiatur, cum modica circumstantia destruatur. Jac. Cujatius in recitat. posthum. circa medium. In Theologicis sumus ad solem noctuæ. In Ethicis tandem quot erronea sunt dictamina? maxime dum generales gnomæ ad particulares casus & materias applicantur. Ipsi qui mundana gubernant subjecti sunt erroribus, nec Mundos regitur Scientiis, sed opinionibus. Utque paucis verbis ea, quæ dixi, complectar: Diminutæ sunt veritates a filiis hominum, & de ipsa veritate vix aliquid veri tenemus, & tota nostra SCIENTIA anagrammatice IT NESCIA.

XXXIX. Ex dictis formabis hoc argumentum; Sapiens est cui res sapiunt, prout sunt, uti rectissime dicebat Doctor Claraevallensis; & cui aliter sapiunt, quam in se sunt, is est insipiens & ignarus. Talis autem est homo; quod multipliciter probatur.

(1) Ea, quæ scimus, sunt minima pars eorum, quæ ignoramus. Neque enim cognoscimus Deum, neque Angelos, nec nostram Animam, neque quæ sunt extra Mundum, & quæcunque sensu non sapimus. Nonne Terra tota quanta Cœlo comparata est punctum? Quis autem Terraqueum globum interius exteriusque novit? Ergo fatendum, nos scire minus quam punctum indivisibile. Hoc autem minus est nihil, ergo nihil scimus. Sed sicut pediculus in capite animalis, nihil scit de animali ejusque essentia, ex partibus internis & externis, sed tantum modicum usum habet quem sibi capitis surfur & particula præstat, sic nos in Mundo: & sicut vermus in ventre hominis, aut termes in caseo, qui totum ignorant hominem, & caseum, & statum suum, & seipsos.

(2) Quæ oculis & sensibus nostris exposita sunt, ignota sunt quoad quidditatem, & situm, & quantitatem & relationem. Ipse nimirum Sol apparet bipedalis quantitatis, & tamen dicunt esse sexcenties majorem terra. Quid autem sit Sol, nemo definivit, neque qualis; & utrum stet in centro Universi aut moveatur in gyro, dubitant prudentes Ptolomaici & Copernicei: Peripatetici vero nesciunt, utrum sit lucidus & calidus. Quod si Sol notificans omnia, est ignotus, quid de cæteris dicemus rebus?

(3) Quas videmus res, non ex toto videmus, sed tantum superficiem videmus, & tangimus; interiora vero ignota sunt. Quæ autem gustamus, nec nobis pandunt nisi saporem. Colorem enim & quantitatem, & atoma, & materiem, & quidditatem, per saporem nescimus: quapropter rem nullam scimus, nisi particulam ejus exteriorem. Quod si qui dicat, nos scire totum quia scimus partem, cui simile est totum, sicut ex modico calore, totum scimus calorem, & ex parte superficiei totam, is non satisfacit. Quoniam totum & heterogeneum non est simile parti. Item scire per aliud, non est scire illud, sed aliud. Quapropter Deum per effectus & Angelos scire, non est sapientia, quoniam non sapimus Deum, nisi per aliud, sicut tangimus scopum per figuram.

(4) Quæ sensibus nostris patent, sunt mera accidentia, color, sapor, motus, odor, superficies, qualitas tangibilis; substantias autem non nisi per accidentia sapimus. Ergo non ipsam sapimus, sed effectum & vestes, sicut qui gustat carnem assatam per fumum, quod non est gustare; & qui non tangit hominem, sed vestimentum, quod non est jactus hominis. Ergo non datur sapientia nisi ex parte valde exigua, quod confirmat Apost. dicens, *ex parte cognoscimus*, & alibi, qui putat se sapere, ipse se seducit. Et Salomon ait: Dixi sapiens efficiar, & sapientia longe recessit a me. Datur ergo modica,

exilis

exilis & ex parte, quod non est vere ſapere intrinſecum. Imo neque ſi intrinſecaremur rebus, ſaperemus prout ſunt; quoniam ſapimus, prout ab illis afficimur, alius autem aliter afficitur. Ergo ſciremus res ſecundum menſuram noſtram, non ſecundum menſuram entis & veri.

XL. Reſpondeo, Omnino fatendum eſſe, quod ea quæ ſcimus, ſint minima pars eorum, quæ ignoramus: ſed hoc ſcire ſumma ſapientia eſt nobis, ad Dei Magiſterium nos invitans & cogens: cognoſcentes ſane convenire nobis ſcire ea, quæ intelligimus, nos ignorare, nedum vitæ corporali neceſſaria, quæ ſcire omnibus brutis datur, quantum ſufficit: quod eſt ſcire ſecundum quid; ſed etiam quæcunque quibuſcunque ſunt, & inſuper quæ Dei & totius Entis, quod eſt ſimpliciter ſcire univerſali Philoſopho ſeu Metaphyſico dignum propriumque. Siquidem cognoſcimus ignorantiam noſtram, atque exiſtere quam plurima ignorata. Id quod nemo ſcit, niſi qui plurimum philoſophatus eſt, ſcientiam quærens, non gloriam, aut pecuniam, aut honorem ex ſcientia. Hic enim videt, quantum deſit ad ſcientiam; & quomodo inſectatur volantes aves, & quæ plures ſectatur, & plures emergere, ita ut nec ſufficiat dubitare, nedum ſolvere intellectus ad rerum perſcrutationem. Ad pauca autem reſpicientes Scioli, putant ſe ſcire, quoniam quam multa ignorent, ipſi ignorant. Quibus ignotatis neque ſciant, quæ putabant ſe ſcire, niſi ſimul illa, & omnia ſciantur. Vnde Socrates poſt omnium rerum perſcrutationem dixit: *Vnum ſcio, quod nihil ſcio.* Et D. Hieronymus poſt totius Scripturæ ſanctæ interpretationem propriam, & aliorum Græcorum, Latinorum & Hebræorum, variasque eventilationes verbi divini, dixit: *Hoc de his ſcio, quod nihil ſcio*, nempe reſpective. E contra Hippias modice in Grammatica & Dialectica ve ſatus, putavit ſe omnia ſcire; aliique rudiores, eo quod ſciunt verba Magiſtri, putant ſe omnia ſcire. Quibus ait Apoſt. *Qui vult ſcire, is ſtultus fiat, ut incipiat ſcire*, id eſt prius intelligat ſe nihil vere perfecteque ſcire.

Non tamen propterea tollimus ſapere ex parte, hoc eſt ſicut, & quantum homini neceſſe eſt ſcire. Hoc autem parum ita locuples eſt, ut infinita pene ſciamus per diſcurſum ex illo modico. Nonne Geometra ex noto palmo, menſurat ulnas & paſſus, & milliaria, & ex his ambitum Terræ: ſiquidem ambulans ex Borea in Auſtrum, milliaria ex Poli depreſſione metitur, quotquot milliaria dat unus depreſſionis gradus, & multiplicatis 360. gradibus, totum terræ ambitum ſcit. Partes Cœli partitur in circello ſimili ipſi cœlo, & per proportionem, quæ ſimilitudo eſt quantitatum, de parvo ad magnum menſurando aſſurgit, inſpectisque motionibus ſtellarum in circulis, eclypſes prædicit, diſtantias & magnitudines in parva tabella. Ecce quantum fructificat modica ſapientia! ſic in phyſicis ex particula caloris ſapit calores omnes in ſuo ſimili, & ex uno innumeros Mundos.

XLI. Eſt ergo nihil Scientia humana in comparatione; ſed aliquid in ſe, & quantum ſufficit vitæ humanæ. Multa ſcimus aliorum ſenſibus, nempe præterita & abſentia: & in cauſis ſutura, quando ſimiles vel tales ſolent producere effectus: & effectus oſtendunt occultas cauſas per hoc, quod novimus manifeſtas cauſas ſimiliter effectus ſuos facientes. Solem pedalem ſenſus videt, ſed tamen ipſemet ſe corrigit, quia videt ſe decipi in magnis, per diſtantiam apparentibus parvis, quibus propinquans majoritatem deprehendit. Hinc ſcit Solem diſtantem videri minorem. Mox metitur hoc ab umbra terræ in pyramidem effuſa: ubi autem luminoſum eſt majus opaco, ſenſu didiceramus pyramidalem fieri umbram. Hinc ſyllogizamus Solem terra majorem, & ex quantitate umbræ iterum magnitudinem.

Quod autem dicitur, quidditates non innoteſcere ſenſibus, verum eſt de his, quæ ſenſibus per ſuus effectus patent, ut Angeli & Deus; non autem de his, quæ per ſe movent ſenſum, ut calor, frigus, lux; neque de his, quæ una cum per ſe moventibus innoteſcunt. Nametſi hominis quidditatem ex ſolo colore non novi: tamen e actionibus, operationibus, ratiociniis, ſenſationibus, figura, ſimilitudine, differentia, quidditatem ſentio. Hæc ſæpe ſentiendo, & ex his diſcurrendo ad interiora per rationem tanquam per pharetram ad ſcopum, atque per intellectum tanquam per jaculum intus legendo ſeu tangendo quidditatem attingo. Quod autem ſemper aliquid ejus ignotum ſit, nemo negat. Neque enim Peripatetici profitentes ſapere, ultimas differentias ſe ſcire affirmant. Nos quidem ex heterogenea parte neſcimus totum; ſed ex inſpectione tonus hujus, alia tota ſcimus; ex homogenea vero, & totum ſuum, & alia tota. Dei quidem divinorumque entium non communicantium nobiſcum in materia, & actione & paſſione quidditatem attingimus quantum & eſſe, per effectus; & qui omnes effectus ſcrutatur recte, & intrinſecus, plus ad quiditatem aſſurgit, ſed ſimilitudine analoga, non univoca. Propterea ſummi quidam Theologi profitentur ſe noſcere Dei exiſtentiam, ſed non eſſentiam ab effectibus: alii vero non mediocres, etiam eſſentiam, ſed imperfecte: quod quidem analogice, non autem univoce.

SECTIO V.

Reſpondetur aliis quibuſdam dubiis circa ſcientiam.

XLII. Dubitabis I. Si philoſophandum ſit, ſecundum ſenſum, & hic cum incertiſſimus ſit, & non ſapiat; videtur potius philoſophandum juxta ſenſum brutorum, quam hominum. Aquila enim viſu nos præcellit, & procul magis conſpicit; & felis, quæ etiam noctu videt. Araneæ quoque & formicæ acutius vident, quæ fila & calliculos & nodulos, & morſum grani intuentur; apis vero ceram & fabricam cellularum, & mellis guttulas minimas, nobis occultas, quod quanta ratione tractent Salomon admiratur, ſapientiſſimaque vocat animalia. Canis quoque & vultures odoratu nos ſuperant, unde ille ferarum ſentit odorem relictum in tranſitu, nos latentem; hi cadavera ad longiſſimam diſtantiam. Equus inſidias paratas olfacit. & lupus fracturam exigui ſtyli & ligniculi, quod nos latet, ergo credendum potius videtur brutorum quam noſtris ſenſibus.

Fallimur ergo cum velut gratos odores nominamus Zibetium (ſudor eſt ex teſticulis animalium) & muſcum (qui ſordities eſt & excrementum) cum non ita ſint in natura; vel ſi ita ſunt, brutis credendum non nobis eſt.

In ſonis idem evenit: nam Muſica hominis diſplicet lupo ſagacibus prædito auribus; ululatus vero lupinus

pinus placet. Habent Luſciniæ aliæque aves muſicam noſtra meliorem, ut neſcias an noſtra, vel illarum muſica vere ſit.

Circa guſtum quoque magis illis credendum videtur, quoniam operam dant ventri majorem. Quod autem ajunt Medici, hominem eſſe temperatiſſimum & menſuram rerum, imperite dicitur, quoniam nobis eſt temperatiſſimus homo; non naturæ, Aſino enim aſina videtur temperata, homo vero excedens; & qui hectica laborant, aſinino utuntur lacte, ad temperiem conciliandam, non ſic humano. Item ſi medium conſtituendum ſit inter calorem & frigus, humidum & ſiccum, is non erit homo, alioquin tot gradus eſſent in exceſſu, quot in defectu ultra citraque, hoc autem vanum eſt, nec prodeſt ad diſcernendos gradus inferiores, neque ad valde ſuperexcedentes.

Reſpondeo: Quod præſtantia ſenſus non conſiſtat in organi bonitate, ſed in ſpiritus excellentia, qui ſentit in organo. Poteſt enim vir ſapiens in domo vili habitare, & ſtultus in pomposa. Spiritus autem temperies videtur eſſe melior in homine, quoniam medius eſt inter Cete & acarum, ſi hæc ſint extrema ſecundum quantitatem. At cum Elephas præcellat aſinum, homini in magnitudine & figura propinquiorem, & aranea exigua ſagacior eſt; attendi debet non corporis quantitas, ſed ſpiritus temperies, & in quo philoſophatur, habitaculum. Homo quidem cerebri magnitudine cuncta præcellit animalia, & cellarum amplitudine, & forſan tactu guſtuque. Licet enim limax ſit mollior, tamen ob exiguitatem & mollitiem comprimitur ſpiritus ejus in eo, & antequam excedentia judicet objecta, habitaculum & ſpiritus diſſolvuntur. Siquidem & pueri propter multam humiditatem, licet ſubito patiantur, ægre tamen diſcurrunt: quoniam in repletis non liberis habitat cellis. Ægre etiam recordantur, quoniam ſpiritus multus aggeneratus delet præcedentes notiones, & cura augendi corporis, & inaſſuetudo arctatioque ſyllogiſmos. Spiritus autem hominis Liber in bene formatis cellis, facile prætentos motus, & cum præſentibus confert; & ex uno ſimili multa ſimilia judicat; & recordatur patiens aliquid; omnium ſubinde paſſionum ſuarum & alienarum, & ſemel quidpiam videns, non modo memoria retinet, ſed in illo plurima videt; hoc eſt omnia ſimilia, & contraria per diſcurſum ſubitaneum & ſagacem.

Porro licet Aquila a longe videat, ex re tamen viſa non conſiderat omnia ſimilia & contraria: ſic licet juvenis acutius videat, quam ſenex; haud tamen conſiderat omnia con videndo, quæ cauſant & concauſant rem viſam, & effectus ejus, & ſimilitudines aliarum cum ea, & contrarietates & relationes. Propterea quaſi non conſiderantes extemplo appetunt, amantque vel oderunt fugiuntque quod ipſorum cognitioni offertur. Senex vero & ingenioſus vir illa omnia penſiculat ponderatque bona & mala latentia in re viſa, vel tacta quocunque ſenſu, & ex præteritis & præſentibus cuncta prævidet, in eum enim finem pollet memoria.

Hinc licet lupus audiat ſagaciter, & canis odoretur procul, & quæ nobis ſunt inodorabilia, tamen non niſi rem unam vel pauciſſimas ex auditu vel olfactu percipiunt objecta; homo vero plurima.

Propterea bruta credunt omnia eſſe quanta, qualia & quomodo illis apparent; homo vero nequaquam; ſed Solem majorem æſtimat, quoniam expertus eſt, quæ a longe conſpiciuntur, minora videri. Item ſapores non eſſe, niſi ſibi, quales videntur; cum præsciat aliis aliter videri, quod pueri non prænoverunt; bruta vero etiamſi prænoverint, non conſideraverunt. Quod autem vir ita ſimul plurimumque poſſit conſiderare, non modo habet ex ſpiritus & organorum interiorum probitate, ſed etiam ex Mente a Deo immiſſa, quæ ſpiritum & hominem totum informat, ejusque operationes perficit, divinæ ſapientiæ, unde derivatur, propinquior eſt.

XLIII. Mutatur autem in homine ſapientia cum ætate, quoniam ſpiritus corporeus, quo Mens involvitur, ita quoque mutatur, ſine quo dum forma eſt hominis, non datur illi philoſophari, niſi rapiatur ab inferis ad ſuperas. Quapropter philoſophandum eſt homini ſecundum ſenſum proprium, & ſenſum animalium, ſed decernendum eſt ſecundum proprium: res enim ſunt ſibi, ſicut videntur ſibi, cum quo ſciet etiam aliter eſſe aliis, non quia res, ſed quia cognoſcens eſt aliud, cognoſcendique modus: & interdum utrumque: & hoc eſt ſapere, brutis negatum. Verbo, hoc ipſum eſt noſtrum ſcire, noſſe quod neſcimus res, ſicut ſunt, ſed quadam adulterina ratione ex notis argumentamur ad quod non ſapienter novimus.

XLIV. Non acquieſcis, ſed urges cum Heraclito nullius rei poſſe dari ſcientiam, tum quia nec res ipſas ſentimus, ſed earum tantum imagines ſeu ſpecies; tum quia nec has imagines percipimus uti ſunt, propter continuam earum mutationem. Manifeſtum eſt enim, quod entia noſtra omnia ſunt calore conſtituta, qui continuo proprium attenuat ſubjectum & ſurſum exhalat, & loco exhalantium aliæ ſuccedunt partes, quod Ariſt. in 1. de gen. & corr. fatetur: & Origenes ait, quod homo eſt ſicut uter, in quem influit & refluit ſemper aqua alia, & in L. 2. Regum, quod *ſicut aqua dilabimur*, & Job *homo nunquam in eodem ſtatu permanet*.

Reſpondeo ut prius, quod ſcire eſt, noſſe res prout ſunt: hoc ergo ſapere nobis datur, quod non licet ſapere. Præterea ſi ſcimus res in continuo fluxu eſſe, nec poſſe ſciri, recte ſcimus. Inſuper, neque tanta varietas eſt, quin poſſint ſignari a nobis res multæ, & ſignificari; lapides enim & metalla poſt aliquod tempus ſervant idem pondus. Ergo exhalatio quaſi nihil abſtulit ab eis. At ſi dicas, illud quo ponderamus, etiam variatum eſſe, quia & ipſum exhalat: afferam aurum ſervatum in aqua, ubi exhalare quaſi nihil datur, & ipſum poſt liquefactionem ſervat idem quoque pondus. Quapropter licet tantillum varientur, non perditur ſcientia & prædicatio: nam & hoc tantillum variationis fieri ſcimus. Ipſe quoque homo permanet idem quoad partes heterogeneas: nam & jecur, & cor, & manus & caput & alia membra permanent: particulæ autem influunt & refluunt, hoc autem ſcimus. Sed ais: dic quot particulis, & quibus miſturis, vinculis, reſpectibus conſtat caro, aut ſolum hepar? Dicam, Neſcio. Nos enim non ſumus fabri, ſed cognitores. Cognoſcimus autem craſſo modo res craſſas. Neque enim atomos videre aut numerare licet. Quorum autem fabri ſumus, ſcientiam habemus, ut hujus ſcripturæ & carminis quot ſint ſyllabæ & pedes, ſed non quot guttæ atramenti & atomi chartæ, quoniam rerum materia non ſit a nobis, ſed concinnatur. Deus ergo ſolus ſcis totum

&

& partes, & guttas roris & vias lucis & numerum arenæ, ut ait Ecclesiasticus.

Quapropter fatendum est, scire nostrum esse imperfectissimum, & res variabiles, & hoc nos scire privative, non positive: scimus, idem individuum esse Petrum, secundum formam; & tamen augeri & minui & mutari continuo secundum particulas. Nec indiguimus scientia harum particularum, ideo non est data nobis. Sic api est data scientia guttarum mellis, & araneæ sensus filorum tenuissimorum, quoniam in illis vivunt; qui nobis negatus est. Nec Natura superfluam scientiam, nec mancam distribuit rebus: sed quantum sufficit cujusque conservationi. Vnde appetunt alia & aliter; sed quidquid est, cupit scire simpliciter, & quid sibi ad hoc deest, sapit homo, unde necessario sequitur aliud genus animæ superius ordinis esse in homine.

XLV. Dubitabis 2. Quid sentiendum de Dogmate Protagoræ, docentis Hominem esse mensuram omnium rerum, existentium quidem ut sunt; nonexistentium, ut non sunt: ac tales res esse, quales cuique videntur, sive nobis, sive brutis; nam quales sunt, tales etiam sentiuntur. Fiunt enim motu, ac continuo motu servantur, & continuo mutantur, ergo nunquam sunt in facto esse; proprio exercitio servantur, & non quiete, siquidem eorum etiam esse est fieri, ergo exerceri & moveri. Hinc fit ut aliis aliter videantur.

Porro nihil est absolute tale magis, quam non tale; sed per motum & mistionem & relationem unius ad alterum, huic quidem tale, illi vero non tale fieri, ac videri, & phantasiæ tale præsentari; & propterea varias esse opiniones sapientum de eadem re. Præterea, nulla res secundum seipsam est unum aliquid. Albedo enim & quisque color, nec oculorum aspectus est, neque corporum motus; sed ex aspectu motuque medium quoddam resultans, id est talis oculorum passio. Amplius enim, quidquid est, motum est; motus autem actio & passio, ex quorum mistura omnia fiunt. Color ergo, sapor, odor nihil sunt, sed quod fiunt in sensili agente, & sensu patiente: Quibus non concurrentibus aut discissis, nihil sunt objecta prædicta. Neque enim Objecta sunt, sed quid compositum ex rerum actione & sensus passione. Nam nec ullum agens & patiens ens est secundum seipsum, sed ex congressu alterno tale fit utrumque; neque enim ignis est calefaciens, neque manus calefiens, nisi in congressu alterno.

Denique confirmari posset hæc doctrina exemplo Dei, cui omnia apparent bona, atque sunt, quoniam sapientissimus est, testante Moyse. Gen. I. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Igitur & esse & conservatio rerum fiunt & diliguntur a Deo tanquam bona; ergo etiam quæ nobis videntur peccata & mala, quemadmodum infert Simon Magus apud S. Clementem, & secta novissima Libertinorum Germanorum.

Respondetur, quod quidem sic vere cuilibet res apparet, non autem quod sit in se, sicut nobis apparet. Non enim homo est mensura rerum, sed Deus Author rerum, qui proprium cuilibet, quem dedit essendi modum, optime novit: nec ab eis accipit scientiam, quid, & quantæ, & quomodo sunt. Sed dat, ut sint sic, & tantæ &c. Absit ut persuadeamus nobis omnia esse licita & honesta, quæ nobis ita videntur: sicut nec in se peccata, quæ per conscientiam erroneam nobis fingimus: Nempe inter laxam & erroneam scrupulosamque media via tutissime incesseris. Sed hæc ad Theologos Morales.

XLVI. Dubitatur 3. Quodnam sit subjectum Scientiæ, Mens, an Spiritus, h. e. anima rationalis, an sensitiva? Si prius, quomodo ergo in anima immortali recepta semel scientia deleri potest, & fieri oblivio, præsertim a tenui vapore vini, vel fuligine atræ bilis, vel calore attenuante spiritum, vel adventu alterius scientiæ ac motionum. Prout legimus de Georgio Trapezuntino Secretario Eugenii Papæ IV. qui floruit in Græcia circa Annum 1435. obiitque Anno 1486. annorum 90. quod is in senio omnes literas fuerit oblitus. Idem de aliis quibusdam qui ex infirmitate proprii nominis obliti sint.

Resp. Rationem hujus esse, quod Mens scit una cum spiritu; idcirco hoc deficiente, aut immutato, ipsa nequaquam scit, sed afficitur affectione Spiritus. Sed cur in ea non remanet Scientia exhalante Spiritu? quoniam est utriusque, non solius: remanet autem illa solum, quæ a superis defluit, & quæ abdita est. Sed ab infirmitate, & Spiritus abscessione, quo eum sapiebat, amittit scientiam communem utrisque ex objectis corporeis partam. Quæ veritas ut magis clarescat,

XLVII. Vrgeri potest fortius 4. & ostenditur, quod sapere humanum sit desipere, quoniam per ipsum sapere animal ignorat seipsum quid sit, & operationes & actiones proprias. Item ignorat homo an mortui sint vivi, & dormientes vigilantes, & stulti sapientes: an econtra; & illud verius esse. Quod multipliciter probatur ratione, experientia & Oraculis. Sic inquam.

Qui alienatus est a sui notitia, per id quo alienatur, desipit & insanit: hoc facit nostra sapientia; nam nostra anima ignorat quid sit anima, ergo nostra sapientia facit hominem desipere. Vnde Philosophi innumeris quæstionibus impliciti sunt, quærentes animam: & tamen ipsorummet anima est quærens, & quærit seipsam & non invenit, quid stultius? Vide quæ diximus Tract. VIII. sect. VI.

Præterea nescit homo, utrum vivus sit vel mortuus, liber an captivus? & in hanc insaniam nos inducere conantur Cartesiani negantes non tantum Brutis animam, sed ultro fatentur, nisi Fides cogeret, nec homini eam concessuros. Quomodo ergo aut quid scimus, si nec nos vivere scimus? Videtur ergo scire esse delirium, & quid est ignoramus, & utrum vere simus in Mundo, & sicut qui somniat, putat se vere videre, vereque manducare, idem evenit cunctis vigilantibus, jam enim eo devenerunt quidam, ut Solem lucere negent, nisi apparenter, neque calidum nisi eminenter ut granum piperis. Nec adeo mirum, cum jam ostensum sit colores aliis aliter videri; & idem nobis apparere dulce, aliis amarum; & alias res aliis placere, aliis displicere: profecto si res sunt, & nos eas sapimus, sunt omnibus eædem. Nunc autem quot capita, tot sententiæ, non modo inter plebejos, sed inter Philosophos & Legislatores. Ergo Mundus est, ut recte dicitur in proverbio *Cavea stultorum.* Spiritus a sole genitus in corporibus terrestribus agitatus, & originem suam repetere non valens, corpus orga-

organis format, quibus possit illud movere, & se, atque illa nutrire. Quapropter calor solis sepultus, est anima plantarum & brutorum. Sic & anima humana, si est quid nobilius, est magis quoque sepulta, quoniam in corpore fœculento terreoque sibi magis dissimili detinetur: quod autem sepultum est, mortuum est. Si ergo in regno mortis anima est, nihil vere sapit, donec reviviscat. Vnde Trismegistus *in lib. de bono mortis, corpus* vocat *sepulchrum portabile, indumentum ignorantiæ, & pravitatis, ac mortem vivam*, Plato vero *carcerem*; conformiter Apostolo, *Quis me liberabit de corpore*, alias, *de carcere mortis hujus?* Sic & Euripides exclamat: *Quis scit an vivi sint mortui, & mortui vivi?* Sed & Theologi appellant mortem *principium vitæ & natalitia*. Vnde D. Thomas & Gregorius ajunt, infirmos ad mortem videre entia incorporea, & alia sapere, quoniam a corporis vinculis jam liberantur.

XLVIII. Nec imperite quærunt Veteres, num res sint, quales apparent dormientibus, an vigilantibus? sapientibus, an insipientibus? sanis, aut ægris? Tandem si cui res non sapiunt, est insipiens: & cui sapiunt, non prout sunt, est desipiens: cum visum sit nunc sapere desipere, ergo ignorare est privatio insipientia. Sic Columbus ignarus invenit novum Orbem, quem Lactantius Theologus, & Xenophanes Philosophus extare negat. Flavius Nauta usum magnetis; & alius mechanicus Bombardas, & alius idiota Typographiam invenit: at vocati Sapientes vulgo mirari ista vix sciunt satis: & stulti & indocti faciunt miracula, & sapiunt divina. Sapientes vero obstupescunt. Vnde S. Augustinus audiens mirabilia S. Antonii ait: "Surgunt idiotæ, & rapiuot regnum "Dei. Nos autem cum scientiis nostris in tenebras "dejicimur." Vnde & Christus noster sapientibus videtur stultitia, & doctis Judæis scandalum. Et Aristot. docet Deum non mittere somnium, eo quod non optimis & sapientibus, qualem se reputabat ipse, immittuntur. Sed si novisset se nihil scire, & stultum se fecisset, ut inciperet scire, aliter dixisset.

Imo sancti doctissimi Augustinus & Thomas, ubi putant se nescire aliquid, recte loquuntur; ubi vero sapere, indocte. Nam negat ille Antipodas secundum sapientiam; & iste habitationes humanas sub Æquatore: & ambo erraverunt.

Resp. Itaque, quod anima indita corpori, est extra originem suam. Sicut solaris calor in visceribus terræ, & dum a variis rebus movetur patiturque, sui oblivionem & ignorantiam incurrit. Verum sicuti calor solis, licet sit factus lapidis & plantæ & animalis, in quodam gradu, essentia; & vitam animalis procurat, & perpetuum nutrit careerem: nunquam tamen intermittit facere tenuitates & sursum ad cognatum Solem evolare, quem innata scientia novit, ast illata erat oblitus. Sic nunquam anima a Deo immissa cessat ad Deum reverti, ubi tantillum a corporea mole & illatis passionibus liberatur, quoniam innatam notitiam non amittit, licet ejus usum ob additas passiones intermittat. Quemadmodum filius semper amat Patrem, licet inimicus patris sit factus ob rixas supervenientes. Hoc autem Religio ostendit, quæ est reversio ad suum principium.

XLIX. Omnes quidem res duplici videotur pollere cognitione, videlicet *innata* & *illata*. Innascitur in nobis, & in cunctis rebus cognitio nostri esse & principii, unde habemus esse. Idem enim & principium & principiatum aliquo pacto, & differunt sicut essentiale & participativum. Infertur vero & additur nobis & cæteris entibus cognitio rerum aliarum extra nos, quæ nos moventes faciunt nos sibi similes. Anima enim & omnis vis cognoscitiva, fit illa res quam cognoscit, vel ex toto vel ex parte, & omnes Philosophi, excepto Avicenna, fatentur. Et quidem in omnium gentium Theologia decretum videtur, quod intelligere sit esse. Platonici quidem Ideas ponunt in Prima rerum causa, & non esse realiter distinctas ab essentia Dei, & Deum intelligere seipsum, quia est sui idea. Arist. in 12. Metaph. putat intelligere Dei esse ejus Essentiam, quin & omnium substantiarum incorporearum intelligere non distingui ab intelligente, ut & Averroes ibi declarat. Christiana veritas hoc constanter docet, videlicet intelligere Dei esse suum esse; & intelligere Angeli, quo intelligit se ipsum, esse suum esse; & quo intelligit alia a se, non esse nisi adventitium ejus entitatem. De anima vero humana utrum seipsam per essentiam intelligat, & sit suum intelligere, diversa opinantur Theologi. S. August. enim videtur affirmare, & Henricus de Gandavo putat, intelligere abditum identificari cum ipso intellectu. D. Thomas ponit, intellectum humanum non intelligere se per essentiam, neque esse actum in genere intellectum, neque in genere intelligibilium. Nihilominus pater in doctrina ejus, intelligere identificari cum esse in Deo, & Angelis essentialiter. Sed in rebus inferioribus intellectionem esse informationem: & propterea non esse essentiam, sed accidens, & esse quoddam accidentale; & Cajetanus putat, non esse actionem, neque passionem, sed qualitatem. Telesius quoque increpans impietatem Aristot. docentis Deum non intelligere inferiora, quia vilesceret, declarat Deum non ab inferioribus scientiam inferiorum suscipere; sed in seipso habere tanquam causa causatorum scientiam. Idem comprobat S. Justinus. Quapropter non video quid obstet quo minus asseramus identitatem inter sapere & esse: & quidem si fiat scientia per informationem, manifeste identificatur eum esse ipsius intellectus apud Peripateticos omnes; non enim fit tertium veluti ex materia & forma, ex intellectu & intelligibili, sed quid magis unum; ergo non solum intellectio sui est esse suum, sed & intellectio aliorum. Nam Peripatetici intellectio actus præcedens identificationem intellectus & intelligibilis: similiter & sensus, cum fit sensibile actu, sentit actu. Ergo & sui & aliorum intellectio pertinet ad esse. Si vero fiat per immutationem modicam, ut Telesius docet, externorum cognitio, etiamnum pertinet ad esse. Quidquid enim totaliter immutatur, transit in naturam immutantis totaliter, at si parum immutatur, fit parum & ex parte ipsum immutans. Est ergo illud aliqualiter, quoniam non amisit esse proprium omnino: & qoia quando magis fit sentiens facultas ipsum sensibile, magis sentit: Vnde quæ a longe nos immutant, & parum in illorum esse immutamur, parum intelliguntur sentiunturque; ideo fatendum est, omnimodam sapiendam esse omnimodum esse. At non quia quod totaliter transit in alienum esse, destruitur in suo, ideo notitia non sit esse. Nam notitia sui, est esse suum, notitia aliorum, est esse aliorum. Etsi in illud, quod sentitur, sentiens immuta-

mutatur, sentiet illod tanquam suum sensarione non fastidiosa & laboriosa, sed voluptuosa, quoniam non fit per passionem, sed per esse prorsus. Sed in hoc decipiuntur Peripatetici, quod putant, omnem scientiam requirere sciens, & scitum, & speciem, qua scimus, & actum sciendi; unde quærunt etiam in Deo speciem, & actum & objectum seorsum, & falluntur: quoniam horum distinctio requiritur in his, quæ fiunt, & non in his quæ sunr: cum enim aliqua res fit, requiritur agens & patiens, & passio & actio & species, qua illud agit, istudque patitur: unde quia scientia nostra fit per passionem ab objectis, putant requirenda esse hæc omnia in scieotia entitatis innatæ, quæ est esse, & non passio. Et sane si inspiciant rite factum esse, quod similius est intellectioni sui, quam fieri, quod intellectioni aliorum correspondet, invenient cessare actum, & actionem & passionem in ipso facto, & agens & patiens; quod enim est, non amplius patitur, ut fiat. Hinc est quod veluti fieri est laboriosum, ita esse est jocundum: & consimiliter intellectio externorum est cum labore, vel saltem cum aliquo conatu; interni vero esse absqoe labore, & absque dolore, & absque tempore & successione, dum non sit intellectio reflexa.

L. Hoc quoque vel ipsa exteriorum scientia declarat, quæ dum acquiritur, laboriosa est, & cum tempore exercetur & difficultate, postquam vero acquisita est, jocunda: quando namque spiritus artem cytharizandi addiscit, laborat, & dum vult pulsare chordas cytharæ, cogitat quam primo, quamve secundo, & quomodo pulset, & ubi digitos apponat, & consulit intra se, & aggreditur modos negotiose. Ast ubi factus est Cytharista, tunc pulsat chordas nullo consilio deteotus, nulloque labore fatigatus scientiæ, sed operis tantummodo. Et pueri, & nos linguam latinam addiscentes, fatigantur, & pensiculando proferunt sermonem; ubi vero fuerint Grammatici, nullus labor aut consiliatio intervenit, sed statim & expedite loquuntur. Hoc autem ideo evenit, quia in talem loquendi qualitatem animus transivit, & esse tale acquisivit, quo potest loqui & opetari, nam operatio, ut alibi diximus, est ipsum esse effusum.

Quamborem non recte Aristot. neque Telesius arbitrati sunt, omnem scientiam esse passionem, vel immutationem, quæ sunt esse agentis objecti diffusum in patientem animam: sed simpliciter pertinere ad ipsum esse, pronuntiare debebant; & ad fieri tantum pertinere imperfectam scientiam; sicut perfecta domus haber esse domus, imperfecta vero fieri. Quod si scientia acquisita facta entitas scientis, fit extra tempus & extra laborem, & passionem & actionem, & agens & passum, quoniam hæc omnia cessant, ubi acquisita est: multo magis scientia sui innata supra tempus, supra laborem & passionem & actionem, & agentis non indiga ulterius. Et hoc quidem modo sese norunt entia cuncta notione abdita innata, non acquisita, quæ essendi est primordiale principium, seu Essentialitas, Primalitas, sicut Amor & Potestas. Et quidem si canctæ res amant proprium esse, norunt quoque notitia naturali, veluti amant amore naturali.

Ad experientiam, quæ add. favere videtur, nempe nihil difficilius esse quam seipsum nosse, ut dicit oraculum; cum neque oculus seipsum videat, neque auris seipsam audiat, ergo neque anima seipsam novit; alias non fierent tot disputationes, utrum sit ex elementis, corporea an incorporea, vel a Deo, vel a Colchodea, vel ut potestas, vel actus, vel harmonia, vel spiritus, vel complexio. Quod si autem anima maxime cognoscitiva seipsam ignorat, quomodo lapis & lignum & ignis noscent seipsa propterea quod sunt seipsa? nisi forte ita desipimus, ut dicamus animam non esse seipsam; & quidditatem ab eo, cujus est quidditas, separemus. Ad hæc

LI. Resp. Animam, & cuncta entia seipsa pernosse primo & essentaliter, cætera vero secundario & accidentaliter in quantum norunt seipsa mutata & facta aliqualiter ea, a quibus immutantur. Non ergo sentiens spiritus colorem sentit, sed seipsum ptimo & per se, mutatum a colore & coloratum a colore sentit colorem, seotit & postea corpus substratum objecto colori. Ita intellectus intelligit se factum intelligibile objectum, ideo ex consequenti intelligit objectum. Et cum objicitur, quare anima nescit quid ipsa sit, & aliunde investigat, & ab actionibus suis? Resp. quod cognitio sui est impedita a cognitione aliorum: sumus enim inter contraria entia geniti, & patimur a calore & a frigore, & ab innumeris objectis continuo; & ideo quasi in aliorum esse transimus, quoniam pati & immutari, est fieri aliud; ergo quasi in sui oblivionem & inscitiam cadit anima, quia alienorum viribus exagitatur semper. Vnde non inepte Plato putat, a corporis passiunibus, cui conjungitur, trahi in oblivionem, & a laboribus in fabricando nutriendoque corpore & ab opacitate ejusdem corporis: idcirco & Trismegistus corpus appellat mortem vivam & indumentum ignorantiæ, quoniam alienat nostrum spiritum & mentem a proprio esse & notitia, & traducit ad notitiam & esse corporis & externorum.

Similiter puta, cuncta entia inferiora continuis exagitata externorum passionibus, minime proprium esse dignuscere, sed quasi a suo esse cuncta abalienari & in insania versari, & in morte, & nos esse in regno mortis.

Et non quidem animum se non intelligere, quia est potentia pura, ut dicunt Peripatetici. Angelos vero seipsos nosse, quoniam sunt actus misti potentia tam in genere intellectionis, quam intelligibilium: sed quia nos versamur in regno mortis & passionum, nostri inscitia teoet, illos vero seipsos sapere quoniam hujusmodi agitationibus non tanguntur. Vnde melius August. & Thomas Angelos discere externa, non patiendo, sed a Deo species rerum suscipiendo, docent, quam Scotus, qui rebus ipsis discere putat; oisi forte dæmones pravi in pœnam ita modo discant, quod probabile est.

At nequaquam asseruerim animam omnino ignorare scipsam. Si enim est sua quidditas, suam novit quidditatem; sed quia non in sua puritate, sed in externorum objectorum mistura, quæ ipsam exagitant, idcireo notitia reflexa videtur ipsi propria magis pro præsenti statu. Et similirer res cunctæ se habent, & multa quidem neque reflexa scipsas norunt, quoniam Spiritus a materiæ crassitie sopitus & impedit non discurrit. Et si ad simile discurrat, ut a calore ad calorem; non tamen ad assimilatum, videlicet non ad calefaciens, neque ad ejus actus & copulationes & principia.

LII. Verum enim vero abditum sui ipsorum scire nullis negatur. Omnia enim norunt se se esse; & conservare sese student, & similiter anima: sed quan-

do inquirit quid ipsa sit, & quomodo est in corpore, quomodo operatur nutritionem, generationem, intellectionem, & in varios errores incidit, circa cognitionem sui: hoc a passionibus externis habet, & ab usu cognoscendi alia ab se, quo notitia sui impedita. Et manifeste multa quæ didicimus, obliviscimur, quoniam novæ passiones obliterant priscas; & quamvis spiritus semper sit alius, quoniam exhalat, alius gignitur ex sanguine illi succedens, non tamen hæc videtur ratio oblivionis propriæ, sed alienorum entium, in quorum esse transiens spiritus passus, cum elabitur, non communicat illud spiritui advenienti. Et idem patiuntur res cunctæ nostrates in continuo versantes fluxu. Unde quis opinari posset, eandem ob causam in nobis nostri fieri oblivionem, sed non prorsus ita est, quoniam spiritus adveniens est idem, quoad esse nativum cum exhalante, sed non quoad adventitium. Verum & hoc est pars causæ oblivionis: quoniam multiplicitas suorum esse adventitiorum obnubilat esse nativum: & novitas sui, & cum novo esse adventitio, impedit collationem cum præterito, & unitatem entitatis, ergo & notitiam sui. Sed oblivio in actu rei, cujus remanet habita notitia, fit ab adveniente passione, non a spirituum defluxu, nisi quatenus novas acquirunt defluendo passiones.

LIII. Et ut tandem, quod dico, absolvam, mistio alieni esse multiplicis & vehementis cum suo esse unico, a se non patiente, efficit io rebus ignorantiam sui manifestam, & relinquit tantum scientiam abditam. Et quamvis a quibusdam entibus patiendo anima oblectetur; a quibusdam vero sola notitia afficiatur absque voluptate vel dolore, nihilominus a cunctis a se alienatur. Et longus usus malorum efficit eorum sensum naturalem, & sine dolore: unde solum vehementia objecta efficiunt dolorem, cum tamen omnia inducant alienationem vel parvam: ea vero oblectant, quæ spiritum in suo conservant modo, vel ad suam operationem invitant, & adeo sui esse amore delinitum omne ens, amat voluptuosa. Et dum hoc tantummodo attendunt, nihil objecta curant dolorifica, vel mediocria; unde ignorantia aliorum in eis nascitur, & sapientia tantum sui, & tunc a malis externis correpta pereunt, quoniam fugiendi declinandique modum ignorant.

Et hic videtur latere doctrina Dei, qui nos a nostri esse sensu arcet, videlicet a voluptate, per alienorum esse dolorificum oobis, & ita ad cogni ionem rerum a se factarum verberibus nos trahit, & nos in statu mortis esse monet, ut discamus ad vitam pervenire, & libertatem ab eo petere. O altitudo divitiarum sapientiæ Dei! Entia ergo beata seipsa norunt in fonte sui esse Deo, & hoc est voluptas: externa non norunt, quoniam a seipsis alienarentur: ergo si norunt, vel quia sunt causæ ipsarum, ut Deus; vel quia a divino esse ideas accipiunt, ut Angeli, beatifico modo norunt; idcirco Angelos pravos a rebus discere externis arbitramur. Si concedunt cunctis in rebus voluptatem, in cunctis rebus sensum concedant oportet; quoniam voluptas est sensus, vel non sine sensu propriæ conservationis. Hoc autem ex dolore patet, quoniam cuncta dolent, & sese mutuo aversantur, fugiunt, sequuntur, pariunt.

Ad Arist. & Telesium respondetur, quod cognoscere non est pati, nec immutari absolute, nisi in quantum pati & immutari est, vel causat esse, vel imperfecte id, a quo patimur vel immutamur. Quapropter si esse est ratio cognoscendi, & cognitio aliorum facit esse aliud: ergo esse animæ, & cujuslibet cognoscentis est cognitio sui: imo cognitio facit rem esse quod ipsa est, unde stabilitur esse principium primordiale entis ipsam Sapientiam, velut Potentia & Amor. Et quidem nihil possumus, neque scimus, neque amamus, nisi in quantum possumus, scimus, & amamus esse nostrum prius. Nam possum levare pondus, quia possum levare me ponderatum. Et calorem sentio, quia me calefactum sentio; & amo calorem blandum, quia amo me blande calefactum. Non ergo requiritur, ut cognoscens patiatur vel immutetur a seipso, sed ut sit seipsum ad hoc, ut noscat seipsum; velut non immutatur, neque patitur cognoscens alia, nisi propter hoc ut fit alia, & postea cognoscat, saltem posterioritate originis. Omne enim judicium est de ipso vel simpliciter vel immutato. Vide quæ tradidimus Tract. IX. sect. VII. & VIII. Junctis iis, quæ in Tract. XLIII. De sensibus externis dicentur.

TRACTATUS XLII
DE
SEMINE.

CUm Deus hunc Mundum aspectabilem conderet, in quo tanquam pulcherrimo suæ sapientiæ theatro, illustre bonitatis & potentiæ specimen, ac quoddam Mundi archetypi simulacrum adumbrabat, non momentaneum ipsum condere voluit, sed in ævum duraturum. In quem finem indidit rebus, alias corruptioni subjectis, sibi simile, priusquam deficiant, producendi, ut continuata hac similium productione, idem ex seipso veluti renasceretur, & nulla ex earundem interitu perfectio deesse videretur, & perpetuitas Mundi ea ratione conservaretur. Non est autem unus idemque propagationis modus: alia siquidem protinus sibi simile generant, effundendo & communicando seipsa, ut ignis ignem. Alia duntaxat potestate, quia nimirum illa substantia, quæ dicitur potestate, non actu, similis vim inditam habet a progenitore seipsam perficiendi, & sensim ad perfectam similitudinem perducendi. Hæc autem substantia appellatur SEMEN, de cujus natura modo agimus.

SECTIO I.

Quid sit Semen, & an omnia mediante eo generentur?

I. Thomæ Campanellæ Lib. 2. Metaph. cap. 2. art. 1. Semen est compendium causarum, & Principiorum & Elementorum & Primalitatum in effectus substantiam veniens. Democriti & Anaxagoræ Schola ex atomis taoquam ex principiis, & seminibus, & elementis generans omnia, non distinxit inter hæc, ut passim

passim ex Lucretio habemus; distinguendum tamen. (ait idem Camp. cit. l. cap. 5. art. 8.) Semina enim, nisi vocabulis abutamur, sunt compendiatarum causarum contractiones in aliud ens numero producendum. Vide Tract. XXIII. sect. 1. Neque calor aut frigus sunt ipsum semen & ratio seminalis, ut quidam interpretantur Augustinum; sed ratio illa, qua calor & frigus concurrentes faciunt hoc vel illud ens. Quod si Anaxagoras intellexisset, non coactus esset ponere virtutes seminales in formatis particulis, sed in formatione earum prout ab idea pendet, & sic mentis dignitatem validiorem fecisset.

Receptissimum est Chymicorum Principium: *Omnia ex semine*, quod eo sensu verum est, si nomine seminis, etiam rationes seminales, intelligas, semen enim est causa efficiens, quatenus includit vigorem illum igneum & virtutem plasticam. Nomine seminis comprehenditur omne illud principium, radix & origo, e cujus idea prodeunt non solum animalia, sed & plantæ, metalla & gemmæ &c.

II. Dico 1. cum D. Marco Marci: Semen recte definitur, substantia inorganica & simplex, in qua actus substantiæ, & confusa idea corporis organici formaliter inest: Species autem distincta, atque ipsa organa solum potestate Idear. Operatr. fol. 9. Cum igitur generationes veluti circulo quodam se excipiant, astrorum motibus in eo similes, quod ad idem principium, unde ordiebatur motus, terminentur: ipsum autem semen medio sit loco inter utrumque motum, quod & desinat in ipsum, & ab eo circuletur nova periodus. Semen itaque est substantia continens materiam & opificem corporis formam, & ita simul agens & patiens, non tamen secundum idem. Quia vero præter fœtum, plura alia connasci solent, tum plantis, tum animalibus: etenim in genere oviparorum, priusquam fœtus incipiat in sua membra distingui, ovum conformatur, in quo diversæ insunt partes, nimirum albumen, vitellus, chalazæ seu grandines, cortices & membranæ, ex quibus postea fœtus coagmentatur. In viviparis autem secundinæ & hepar uterinum. In Plantis demum præter internam seminis pulpam, inest veluti grando quædam in meditullio ipsius nuclei, a reliqua seminis medulla manifeste discreta, ipsaque coosistentia, dum adhuc tener est fructus, translucida & sapore dulci in omnibus, quantum degustare licuit quantumvis amaris seminibus. Et tum quidem facile separatur a reliquo semine tenui pellicula illam ambiente. Postea vero cum adolevit semen solida concretione ita confunduntur lineamenta ut non facile unum ab altero sensu distingui queat. Ex hac autem seminis portione, dum germinant semina, radiculæ traduntur, quin & totum corpus plantæ ex eadem constitui videtur, reliqua seminis parte, quantumvis mole exuperet, neglecta, aut in prima folia absumpta. Vnde videmus granum v. g. tritici, non modo culmum, sed & spicam aristis horridam proferre, vix tamen aliquid semini decedere, ut videatur corpus illud non tam seminis quam loculi rationem habere, in quo verum semen, sive illa nuclei medulla secure & absque offensa hospitetur. Præter has internas partes habent quoque semina corticem extra ambientem, & in quibusdam insuper adnatam pulpam, idque magna varietate. Vnde subtilius rem pensando, videbitur non minus plantarum, quam animalium genus, ex ovo nasci, cum non minus in plantarum semine distinguere liceat partes, albumini & vitello, aut etiam grandini analogas, siquidem neque in omnibus animalium ovis inest differentia albi & lutei.

III. Dubitabit igitur non injuria quis, an hæc, quæ attulimus, præter fœtum & cum fœtu nasci solita ex semine producantur? Nam si ita: erit aliquid semine prius. Etenim semen animalis dicitur, quod ab utero fœminæ receptum in fœtum perficitur. Terra autem est veluti vastus quidam uterus rerum inde nascentium, in quo semina recepta in sui generis fœtus adolescunt. At hæc jam ex semine formata, & suis organis distincta supponimus, priusquam terræ committerentur. Præterea illa tantum videntur ex semine nasci, quæ vel partes fiunt, vel sine quibus nequit produci fœtus: at ex solo nucleo, reliquis omnibus neglectis, planta perficitur: non igitur poma & reliqui fructus, aut quidquid postea adnascitur seminibus, ex semine dicetur procreari. Præterea pulli in ovo ex grandine formati nutriuntur albo & luteo: non igitur ovum ex semine, neque pars ex semine formata videatur ab alia comparte essari & consumi.

Hanc difficultatem ut expediamus, adverte, non esse dubium, an ex semine producatur & nucleus, & pulpa & quidquid postea subnascitur; siquidem hæc non minus sunt partes plantæ, quam folia & flores. Sicuti ergo tota planta in seminis potestate continetur; ita illius partes omnes. Nam cum suas habeant figuras, absque eo quod aliquando mutentur, necesse ab hac seminis virtute dependere. An vero ad illud semen referri debeat, ex quo planta primum adolevit, an vero quod eadem seminavit, dubitamus.

IV. Sciendum vero in semine idealiter & confusa ratione plantam ex integro contineri, uti postea ostendemus: facta vero evolutione illius confusæ speciei, sicuti idea sensim explicatur, ita partes singulas ad illius normam figurari; non quod simul omnes perficiantur, sed ordine quodam, parte una speciei ex alia evoluta, dum ad extremum nihil sit, quod evolvi debeat: tum enim veluti decursa periodo, ad principium revocatur novi motus, dum nimirum anima partem materiæ subit necdum ulla specie insignitam. Et hæc *Semen* dicitur, nimirum substantia confusa specie corporis inde constituendi insignita. Vnde videtur ad rationem seminis pertinere, ut sicuti nulla species distincta illi inest, ita quoque nulla partium dissimilitudo, nulla fabrica eidem insit. Opus enim nequit recedere a sua idea, a qua regulatur. In hoc ergo versatur cardo quæstionis dubiæ, an partes semini circumjectæ ad motus finem jam decursi (de quo Num.) an vero ad principium incepti referri debeant?

Et videtur ad hanc quæstionem dicendum, illa tantum quæ ad partes plantæ, seu animalis pertinent, sive in prima formatione, sive postea in augmento, atque etiam ea, quæ semina tueri & vallare debent, ne priusquam germinent, aut in ipsa germinatione pereant, sive ab animalculis erosa, sive vi frigoris enecta, aut nimio calore absumpta; hæc, inquam, sola ad principium motus seminalis esse referenda, reliqua omnia, ut flores, fructus illorumque appendices & veluti coronides, ad finem motus pertinere,

Iiii 2 cum

cum sint perfectiones plantæ, & non media necessaria ad novam generationem, Vnde illa tantum, quæ terræ committi solent, ad semen, de quo nunc agimus, erunt referenda. Et vero flores non esse necessarios ad seminis procreationem inde liquet, quod multæ arbores florent absque eo quod fructum aut semen ferant, & econtra non floriferæ semen producant. Quin & arte administra fit, ot quæ utrumque ferunt, & semen & fructum, illud quandoqua desit. Nam & cerasa absque nucleis, & uvarum acini absque gyrartis producuntur. Vnde non videtur necessaria connexio inter species, quæ ad fructum, & quæ ad semen pertinent: eum enim adempta medulla deficiat semen, non etiam fructus, necesse hujus speciem non ad medullam, verum ad partes huic circumjectas continuatam fuisse. Quæ autem mutuam habent colligationem in specie consusa, necesse simul tolli & deficere. Vnde fit quod oculo avulso deficiant rami frondesque, quin & folia & flores, & quidquid inde enascebatur: quia nimirum hæc universa larent in illa avulsa gemma simul connexa & convoluta.

V. Ex his igitur efficitur, illa tantum, quæ eum semine terræ debentur, ad principium, non vero ad finem motus referri. Non est autem necesse in principio novæ circulationis, mox rudimenta coospici, seu plantæ, seu animalis: sed sicuti quædam velut additamenta atque apices ornatus & majoris perfectionis gratia, ad finem operis adjiciuntur: ita par est existimare vim prolifieam a quibusdam aliis, quæ postmodum inserviunt futuro operi, exordiri. Nam cum anima ideam contineat, non modo qualis fieri, sed etiam qualiter fieri debeat fœtus, necesse ut potestatem habeat condendi illa instrumenta, quibus postea opus habet in delineatione & eorporis fabrica. Vnde fit quod non nuda semina transferantur in suam matricem, verum dum adhuc plantis inhærent, domicilia sibi constituant, cum quibus secure deferantur in agrum naturæ; ubi dissoluto rursum corpore, tum demum incipiant rudimeota veri fœtus. Non dissimili modo quo textores facere solent, qui fila licio circumvolota, & radiis pectinatis discriminata prius firmant, inde revolventes telam texunt.

At vero animantium, quæ viviparæ dicuntur, semina, cum protinus utero concipiantur, non opus habuere ejusmodi thecis & domiciliis, quibus inclusa servarentur: sufficit enim illa agitatione, quæ in coitu fit, Spiritus sanguini ea ratione misceri, ut iis vesiculis sive bullis, quæ semine spumeseente concitantur, tantisper adserventur, ne priusquam utero concipiatur semen, dissipati ipsum destituant. In ipso tamen utero multa prius moliuntur semina, tum ad procreationem fœtus, tum ad illius incrementum necessaria, quemadmodum tunicas seu membranas fœtum involventes, & hepar uterinum, tum quæ per ipsum ramificant, venas atteriasque vasaque umbilicalia.

VI. Major est dubitatio de Oviparis, an nimirum volucrum ova ad semen referri debeant? An sint veluti quidam illorum fructus quibus verum semen recondatur? Ratio dubitandi est, quod tum insecta, tum etiam perfectæ animantes interdum absque coitu ejusmodi pariunt ova, quæ subventanea dicuntur. Etenim bombycum genus suis tumulis egressum indifferentes fœminæ omnes ova pariunt, nulla ad sensum differentia, nisi quod sterilia sunt, quibus coitus fœcunditatem non conciliarit. Econtra vero cum dictum sit, semen habere vim efficientis & materiæ: conster vero ova in pullos absumi, non videtur a ratione seminis excludi posse. Et cum plantarum semina ovo assimulentur, videbitur tam in his, quam in illis æqua ratio esse debere.

Nostra sententia est, ova secundum externam speciem atque partes in eo contentas non produci a semine, sed esse veluti fructus ipsius animalis, in hoc a plantarum fructu differentes, quod hi interdum sui, non generationis gratia producantur. Animalia vero semper in ordine ad generationem, non quidem ut semen, sed ut promptuarium seminis in quo & recondi & opus ordiri, quin & victum habere possint. Vnde in hoc differunt semina oviparorum a plantarum semine, quod hæc e terra germinent, in qua humorum adest ubertas, quibus veluti sanguine menstruo nutriuntur; neque proinde opus sit cum semine in utero reponi illorum nutrimentum, illa duntaxat portione excepta, ex qua prima fœtus rudimenta constituuntur; quemadmodum in semine oviparorum sufficit illa copia sanguinis, quam uteri acetabula seosim stillant in carneam placentam atque secundinas. At vero semina Oviparorum, quia perficiuntur extra uterum, in ipso ovo undique concluso, in quo non modo fœtum conformari, sed etiam increscentem nutriri necesse fuit: oportebat non modo materiam fabricæ sed etiam nutrimenti ad tempus exclusionis suffecturi simul includi. Non est autem nutrimentum seminis opus; sed aliunde assumptum & ab alio elaboratum: non enim plantarum semina in terra succos generant, neque sanguinem menstruum animalium semina, verum genitos succos sanguinemque attrahentia iis debite alteratis nutriuntur. Nunc ad alteram tituli partem, nempe an omnia nascantur ex semine, transeundo

VII. Dico 2. Sine semine vel surculo, vel stolone, vel præparato principio seminali ex institutione & lege naturæ nullum vivens nascitur de novo: nascitur tamen sine semine proprii nominis. Ita Jo. Bapt. Ptolom. Phys. partic. dissert. 2. sect. 5. Prima pars probatur, quia omnibus fere Eruditis hoc videtur, & casum eliminat. Nam ex putri vivens nasci, perinde est ac ex fortuita & contingente combinatione elementorum & corpusculorum fieri animatum corpus organicum plantæ vel bruti. Et in his terminis ponendus est status quæstionis; ita ut quemadmodum agitatione ventorum nubes quandoque regulari figura efformantur: ita ex volitantium corpusculorum varieque immixtorum concursu formetur & animetur planta vel brutum? Sed hoc ipsum longe incredibilius quam quod ex fortuita typorum jactatione tandem emergat compositio ordinata ordine Libri Æneidos. Nam longe mirabilior fabrica est corporis organici unius vel plantulæ vel bestiolæ, ergo &c. Profecto qui ista censeret, difficile deinde evinceret, non posse ex pari contingenti putrefactione bovem aut equum, aut aliud ex animalibus, quæ perfecta dicuntur, enasci: modo constructionem & fabricam vel muscæ unius per accurata microscopia observare dignetur. Vnde tandem innumera animalia sine idea hoc pacto oriri posse fateri adigeretur; multumque illi negotium esset cum Ethnicis Epicureis, ut illorum insa-

infaniam quoad Mundi fortuitam ex atomis coagmentationem revinceret.

Neque dixeris Deo ita disponente & providente insecta animalia ex putri nasci; respondeo enim, vel Deus certa principia seminalia designavit & providit ad horum ortum, & mecum sentis: vel Deo dirigente & providente causas secundas ad alios fines, dicis ex accidente naturali prævisso quidem a Deo, sed juxta contingentem incursum corpusculorum & atomorum eveniente nascitura illa insecta: & ajo perinde esse directionem illam Dei ad alios fines quoad hanc combinationem ac generationem, ac si nulla esset directio naturalis: vel dicas cur similiter ex accidenti naturali contingere non possit nubium combinatio ordinata ordine Æneidos?

Neque iterum dicas ex combinatione illa putris, primo efformari semen idoneum, ex hoc vero enasci plantam vel animal. Resp. Effugium hujusmodi non prodesse, semen enim illud est inchoata planta vel animal, cujus est principium immediatum naturale, & organizationem habet perinde mirabilem, licet nobis invisibilem & difficile intelligibilem, ut minutissimorum quoque animalium corpora, quæ perfectissime sunt organizata, quamvis qood vulgo non ultro videantur, dici soleant animalia imperfecta.

Secunda pars probatur. Quia moraliter est impossibile, hoc est nisi contra omnium opinionem & sensum effugia ludicra excogitemus, est impossibile designare semina proprii nominis innumerarum plantarum & insectorum animalium, quæ de novo oriuntur. Quemadmodum vel ex ipso clarissimo Redi, licet animalia omnia ex proprio semine nasci ingeniose defendente ejusque observationibus patere satis potest. Esto enim plurima quæ circumferuntur vulgo tuto contemni possint, omnia tamen neque unt ita exponi, ut in singulis hujusmodi animalium & multo magis plantarum generationibus designetur paratum & appositum semen proprii nominis.

Vltro enim concedemus. I. Vermes nunquam enasci ex carne putrefacta, sed ex ovis muscarum super illam relictis. II. In terra ex profundis cryptis eruta, & aeri exposita herbas oriri non ex occulta qodam vi seminali, quæ terræ etiam profundissimæ insit, sed ex semine aereo, & effluvis ex aere defluentibus, ut satis probatur ex eo, quod duntaxat herbæ proveniant ex ea terra, quæ vulgo nascuntur in ea regione. III. Fungos quoque ex semine aliquo produci damus, aut saltem ex aliorum fungorum particulis; quod eo experimento plures probant, quo aqua ubi excocti sunt fungi effusa serotinis horis super aream constratam levissima terra eaque impinguata equino vel suillo fimo, fungi proveniunt sequenti die. IV. Quod triticum quandoque nascatur ex tritici cineribus sparsis per agros: nimirum quia fatis est vis seminalis residua adhuc inter eos cineres. V. Falsum sit quoque Apes generari ex putrescentibus tauri carnibus: de quarum ortu infra agemus. VI. Denique ex cadaveribus vermes revera nulli oriantur, sed aliunde accedant ad ea voranda. Hæc, inquam, & plura similia transeant.

VIII. At quid reponi poterit I. Quoad pilos, ungues, capillos, quos graves & eruditi viri negant anima totius corporis animari? absurdum enim illis videtur animam rationalem inesse & informare crines &c. Vndenam aut unguium semen proprii nominis adducemus? II. De musco & visco super alias arbores enascentes id ipsum dico. III. Et multo potius de mucore ipso & situ, quo obducuntur alia corpora, ut panis, caseus &c. humido aeri exposita. Etenim microscopio observatur mucor ille referre speciem sylvulæ ex arboribus & plantis cum ramis & foliis, floribus & baccis: sed mucorem & situm seminari posse, & semine provenire rarus erit qui credat.

Confirmatur ulterius ex eo, quod innumerabiles vermiculi invisibiles observantur microscopio corporibus inesse I. enim, Visibiles quoque inveniuntur in medio casei, etiam ubi exquisito microscopio constiterit nullam rimulam in casei crusta inesse; ne videlicet repones vermiculos minimos illuc perrepsisse. Porro viris doctis incredibile jam est quod ajebat Gassendi: scilicet eos vermes procreatos ex ovis vermium relictis super herbas, quas oves depastæ erant, ex quibus lac emunctum, unde ille caseus. Sed de his suo loco. II. In omnibus partibus organicis animati corporis, præterquam in arteriis, observati sunt & detecti ab ipso D. Redi, & ab aliis, innumerabiles vermiculi, uti in morbis cancro, lue venerea, sabie &c. manifestum, quorum tamen ova aut semen proprii nominis seria probabilitate nemo designet. III. Digna scitu est observatio docti Betavi, qui aquam, cui triduo piper infusum erat, per tubum vitreum capillarem elevari curavit, (prout memorabitur Tractatu . . de Vacuo) & in superficie suprema capillaris illius aquæ elevatæ, quæ vix aciculæ apicem occupasset microscopio detexit plusquam 30. vermes innatare. IV. Celebris est observatio apud Malpighium quoad Gallas, & stellatas pilulas quercuum, & vesiculas quasdam in foliis fagorum. Nimirum in gallarum medio & centro efformatur ovum, quod innectitur fibris & filamentis textura mirabili distributis per totum gallæ corpus: ex ovo deinde vermis editur, qui gallam perforat, & conversus in muscam evolat. Nec in illud posse referri videtur ortus illius vermis, quod musca quæpiam per ramos volitans pupugerit corticem illorum, ovumque suum ibi deposuerit: etenim non ex fortuito allapso, sed ex præstituto fine naturæ galla præparata est ad ova vermium hujusmodi fovenda, quod tum ratione fibrarum, quibus ex destinato innectitur ovum toti Gallæ, tum ratione conformationis idoneæ & accommodatæ ad ovum illud medium tanquam externus cortex & putamen contioendum. Adde ex Colero, ex hujusmodi Gallis quercuum sequens circa Festum Michaelis desumi prognosticon: si in illis deprehendatur aranea, infaustum; si musca, mediocrem; si vermiculus, bonum; si nihil omnino: pestem designare. Sed hujus ominis vanitas ex eo colligitur, quod vermis in muscam, quæ inde avolet, mutari possit, unde vacuum relinquitur hospitium.

Quapropter probabilissime dici poterit plurima viventia, tum vegetativa, tum sensitiva non ex semine proprii nominis; sed ex præparato principio seminali ortum ducere. Ad quod roborandum facit antiquorum fere omnium sententia de rationibus seminalibus inditis a Deo Elementis hujus Mundi in ipso rerum exordio, quod præcipue & sapienter de . xit D. August. L. 3. de Trin. cap. 7. 8. & 9. de qu vide Tract. IX.

SECTIO II.

Quando, ex qua materia, (& an omne animalium genus ſemen conficiat) oriatur?

IX. Ad meliorem intelligentiam modo dictum obſervandum, tum ova, tum ea quæ vulgo dicuntur ſemina, improprie ita dici, cum ſint ex ſemine orta; aut ſemina quidem, verum ſuis loculis & thecis adhuc involuta & concluſa.

Semina autem proprie dicta nullam admittere compoſitionem. Itaque dum ova producuntur, aut ſemina in plantis maturantur, non eſt exiſtimandum ſemina produci, ſed jam tum ex ſemine novam generationem inſtitui. Semen autem produci, poſteaquam ſpecies perfecte evoluta, terminum attigit ſuæ evolutionis; tum enim ſola ſpecies confuſa terminatur ad illam portionem materiæ adjunctæ, quæ corpus erat nutritura, ni ſpecies evolvenda defeciſſet. Vnde apparet recte Ariſtot. dixiſſe *Semen eſſe reſiduum alimenti utilis*. Hæc autem portio jam animata & ſpecie totius rei producendæ inſignita, a corpore deciditur in coitu, fervore nimirum ſpirituum eliquata, & ad teſtes vi propulſa, e cujus poſtea centro nova fit evolutio & circularis progreſſus ſpeciei. Tametſi vero una numero anima ſit plantæ, & ſeminis ab eo deciſi, eaque ratione videatur ad plantam referri, & in cenſu partium reponi: quia tamen prius quam ad principium revocatur novi motus ponitur ſpecies defeciſſe, quam in omnibus animæ veluti normam ſequitur, nequit propterea ad plantam referri, quæ nihil agit extra regulam. Ita quidem res habet in plantis, quibus ſemina ſunt conjuncta.

Quæ autem coitu generant, longe alia horum videtur ratio: nam quia ſemina deciſa mox ad uterum pertingunt, non opus habuere iis munimentis, quibus, externam vim aliis ſeminibus accidere ſolitam a ſe prohiberent. An vero dum excernitur ſemen, tum producatur veluti ſuccenſum eo libidinis æſtu; an longo tempore aſſervatum, ſive in teſtibus & vaſis ſpermaticis collectum, ſive alicui parti annexum, coitus vero impetu deciſum, & avulſum a generante, dubitari poteſt.

X. Et vero conſtat circa teſtes colligi lacteum humorem, qui tempore coitus effunditur, & immoderato illius uſu ita abſumitur, ut pro lacteo humore ſanguis purpureus inde profluat. An vero hic humor ſeu ſperma, ſemen dici debeat, incertum. Nam ſi ita, quid prohibet in teſtibus diu aſſervatum calore dictarum partium in fœtum animari? Deinde conſtat ab effræni coitu mirum in modum vires collabi, oculos cavari, & caput pilis nudari, totumque corpus arida ſiccitate & marcore abſumi. Ex quo ſequitur longe diverſum a lacteo teſticulorum humore, parum a ſanguinis natura differente in ipſo coitu deperire: ſiquidem ſanguine magna etiam copia profuſo, illa incommoda non ſequuntur. Quæ etiam mens Hippocratis fuiſſe videtur, in Lib. de genitura, ubi ait: "Genitura viri ex univerſo humido, quod in corpore "continetur, proficiſcitur, ubi id quod validiſſimum "eſt, excernitur. Cujus rei iſtud eſt argumentum, "quod ubi rem veneream exercemus tantillo emiſſo, "imbecilles evadimus.

His igitur de cauſis in eam ſententiam quidam ſunt adducti, ut credant a toto corpore, & ſingulis membris ſemen abradi; rati non alia ratione cerebrum, aut cor, aut hepar, aut reliquas partes ex ſemine conſtitui, niſi ex ſingulis veluti quædam reſegmina confluerent in genituram, atque ita ex partibus cerebri cerebrum, ex aliis alias ſuis principiis homologas confieri. Neque hi longe abſunt ab illorum opinione, qui atomos omnium principia poſuerunt, quarum ſincreſi & diacriſi omnia generarentur.

E contra ſunt, qui negant in partium cenſu reponi debere, ipſum cum Ariſt. definientes *Excrementum quoddam utilis alimenti*: quandoquidem conſtat defectu alimenti deficere, & illius proventu exuberare: & quos ciborum copia in Venerem ſtimulabat, inedia fractos eſſe temperantes. Vnde in vino exuberans alimentum, luxuria fertur habitare. Quin etiam certis medicamentis in venerem nocturnaque prælia fieri fortiores & ab aſſumpta berba Indica 50. coeundi vires conſequi affirmant. At vero conſtat medicamentis nequaquam nutriri, quod fieri oportebat, ſi ſemen a corpore decideretur; nam ut multum decedat, neceſſe prius multum colligi. Deinde in Gonorrhæa verum profluit ſemen, neque tamen a corpore avulſum, ſiquidem ut plurimum inter dormiendum & citra aliquem ſenſum profluere ſoleat.

Quod autem multa ſeminis profuſione vires offendi corpuſque emaciari & veluti inareſcere contingat, non propterea ſequitur ejuſmodi vires in ſemen cogi: verum quemadmodum uſuvenit inedia affectis, ut deficiente alimento vires alterantur, abſumpto nimirum humido, quo partes exſuccæ & marceſcentes irrigantur: ita quoque multa ſeminis profuſione ſubducitur illud humidum, quod regenerari conſuevit ab alimentis: Spiritus quoque in illa efferveſcentia & libidinis æſtu velut accenſi, & non aliter quam in ira percitis ſubagitati confertim diſſipantur, quorum defectu neceſſe vires collabi.

XI. Noſtra igitur ſententia his aſſertionibus continetur: I. Semen aliquo modo eſſe partem generantis & ad illius ſubſtantiam pertinere. Cujus ratio hæc eſt, quod anima generantis ipſum quoque ſemen attingit: neque tamen una numero anima ad res divulſas videtur pertinere; neceſſe igitur priuſquam decidatur ſemen, conjunctum fuiſſe generanti. II. Non opus eſſe ex toto corpore aut illis ad minus membris, quæ principes dicuntur, ſemen abradi. Nam ſi neceſſe illius partis, quæ ex ſemine formari debet, aliquod rodimentum in eo extare, non erit ratio cur magis a corde aut cerebro, non etiam reliquis omnibus membris, aliquid tale decedat; ſiquidem una pars ex alia eſſe nequit: & tum quid aliud erit ſemen, quam homo eliquatus in illud confuſum, & ex mille partium figuris coalitum Chaos? Et ſi ita, qua ratione ſingula ſe expedient ab illa confuſione in ordinem & debitum ſitum redigentes; neque tum dicendum ſemen potentia, ſed omnino actu eſſe organicum. Sed & in ſeq. quæſt. liquebit partium varietatem non ad rationem materiæ ſed ad vim efficientis eſſe referendam. IV. Veroſimilius videtur ſemen pertinere ad teſtes, indeque in coitu avelli. Perſuademur autem hiſce rationibus. Quia nimirum teſtibus exſectis deficit ſemen prolificum, & licet iis læſis aut attritis prodeat liquor ſimilis genituræ, ſemen tamen nequaquam dici poteſt, cum nihil ex eo generetur. Quod idem confirmant ſteriles, qui potenter coeuntes, ſemen emittunt copioſum, & tamen infœcundum.

Igi-

XII. Igitur liquor lecti similis, qui ad testes & vasa spermatica colligitur, per se non meretur dici Semen. Vnde illud quod in Gonorrhea profluit citra aliquem sensum, est prorsus infructuosum, & ex quo nihil omnino constitui valet. Verum autem semen, seu nucleus ipsius seminis, & τὸ θεῖον in substantia testium continetur, qui & humido primigenio abundant, & spirituom large affluentium copia turgent, potissimum vero in coitu, tum enim uodique collecti, etque illa confricatione effervescentes cum impetu demum prosiliunt, nequeunt enim illis angustiis contineri, verum eo humore, qui circa testes colligi dicebatur, associato, multaque agitatione se permiscentes erumpunt.

Humor enim ex Spirituum mistione non aliter atque ovi album ex multo acre concepto inflatur & velut lactescit a spuma. Et henc sententiam innuere videtur Arist. L. 2. de gen. animal. *Inest*, inquit, *in semine omnium, quod facit ut fœcunda sint semina, vid. quod calor vocatur, idque non ignis, non talis aliqua facultas est, sed Spiritus qui in semine spumosoque corpore continetur*, & natura, quæ in eo spiritu est, proportione respoodet elemento stellatum, nempe illud cui anima & virtus plastica proxime insunt, non sensu deprehendi, neque ejusmodi humorem esse, qui in coitu prodire cernitur; verum quid Spirituosum & coelestis naturæ in eo latens. Quia tamen ex utroque unum corpus coelescit, quod vulgo dicitur Semen, ex eoque partes omnes coagmentantur, merito e nobis dictum fuit idem agere & pati a seipso.

XIII. Ad ea vero argumenta, quæ nostram opinionem labefactare nituotur, qood nimirum ex copia alimeoti fiat seminis proventus, ex inopie ejusdem defectus Respondemus, Partes non modo solidas, sed etiam spirituosas refici ab alimento, & unamquamque corporis partem ex eo allicere, quod sibi maxime convenit, juxta vires a netura uoicuique tributas; quæ cum insigniter vigeant in testibus, ut qui non tantum sui gratia, sed etiem ad speciei conservationem a natura sint facti: inde fit ut ex copioso alimenro, non modo quod sufficiat illorum nutritioni, sed etiam quod exuperet in corpus geniturae ad se trahant. Er eum illius copia turgent, inflaotur membra generationi dicata, & ad libidinem velut quodam œstro stimulant. At vero deficiente alimento, quemadmodum fit in iis, qui frugaliter vitam ducunt, quia singulæ partes minus accipiunt, quam ipsis debetur, fit ut etiam testes solita portione priventur. Et tum quidem tametsi virtute ettrahendi aliis præpollent, non tamen excessu qui geniturae debetur, sed quod pro illorum nutricatione sit satis, congerunt in suam penum. Vnde videtur illud Aristot. in bonum sensum trahi cum dicit, Semen esse residuum alimenti utilis, non quia revera aliquid superflui ex alimento fit semen, sed quia copioso alimento partibus renutritis. quod exsuperare debebat, testes attrahentes in semen convertant.

XIV. Quod attinet medicamenta, quorum usu in bello Veneris fortes fieri affirmant; dicimus hoc fieri, non quod seminis fiant materia, vel qoia ipsum generent, sed quia modo mirabili partes generationi dicatas, potissimum testes corroborant, ut & copiosum attrahant alimentum & prompte in semen convertant. Etenim medicamenta respicere certas corporis partes, & easdem lædere aut juvare, experientia constat. Non tamen deficiunt aut emaciantur hi Sardanapali; quia non tantum Venerem, sed & Bacchum Ceremque colunt, Apiciumque culinæ Præfectum habent continuo saginantem, & assidua rigatione mercorem & intempestivem siccitatem prohibentem.

Ita quidem res habet in viviparis: neque dissimilis origo Oviparorum, nam & hæc testes habent seminis opifice, aut quid testibus analogum; quin & semen protinus in utetum fœminæ recooduni, contre quam fiat in plantis, quarum semina diu extra matrices suas multis casibus exposite essetvantur, pruindeque non similiter opus habuere ejusmodi munimentis. Quia tamen semina oviparorum non in utero sed extra perficiuntur, non erat consultum absque omni munimento eo pecto fluide prodire. Itaque factum, ut fructus animales, quæ ove dicuntur, prius essumerent, & pro futuris domiciliis sibi adornarent; in quibus & nutrimentum repositum habent, & solido cortice ab extre incidentium casibus violentis se tuerentur.

In apicem vero colligitur hæc virtus, quæ jem tum, priusquam ove producantur, evoluta parte speciei, veluti stamina ducit futuro operi idonea, quemadmodum in sæpedicta grandine observamus. Quibus absolutis ovum maturum prodit, necdum corporis pars ulla conspicua fit. Quod si tamen contingeret diu in utero ova asservari, verisimile ejusdem loci calore, non minus quam ex incubetu in pullos animari & in utero excludi; quemadmodum in quibusdam oviparis usuvenit, quæ tametsi ove intra se concipiunt, non tamen ova sed animatos fœtus pariunt.

Ex hucusque dictis epparet, quid Semen, & quomodo tam in animalibus, quam in plantis producatur; qua retione autem idea inibi contenta paulatim evolvatur, videre est in Tract. XXVII. An vero in universum omne animalium genus semen faciat, & an etiam alia, præter hæc, nondum ex his liquet. Sunt autem de quibus potissimum controverti potest Res minerales, ut Metalle, gemmæ, lapides & reliqua quæ fodiuntur, vel sponte prosiliunt e terræ visceribus. Item ea quæ in sublimi fiunt, METEORA dicta, ut *nubes, nebulæ, ros, imber, grando, nix, fulgura, ignes, cometa, venti, procellæ, irides &c.* nam & hæc opinantur quidam ex semine nasci.

XV. Igitur quod atinet animantia, ea omnia, quæ sexu distinguuotur & coitu generant, necesse semen procreare, ex quo non diversum, sed omnino in specie simile oriatur. Nam & illa quid insecta, quæ diversum animal perere videntur, quemadmodum muscæ vermiculos, perfectam similirudinem, tametsi post plures mutationes, consequuntur. Omne enim vermiculorum genus, qui lanugine condiri latent, eut foliis arborum se involvunt, eut scobe sepelliunr, aut demum ovis mira erte contextis tumulant, in volucellas transmutantur, iis omnino similes, a quibus vermiculi sunt procreari.

Quæ autem ebsque coitu proveniunt, alia quidem sua sponte nasci videntur, ut quæ in plantis, illarumque pertibus cooriuntur, qoemadmodum & culicum & vermiculorum complura genera; alia non absque eliorum ope; ut apes. Quæ igitur spontaneo ortu proveniunt, pleraque & sexum habere & coire videntur, unde consequens est, semen procreare. Etenim absque coitu nasci quædam, & tamen alies

coitu

coitu generare, testimonio sunt tanæ, muresque, qui in cœno & quisquiliis nati, sibi in specie similes generant.

At vero quæ sibi simile producere feruntur absque coitu v. g. apes, dubitari potest, an etiam absque feminis interventu. Et quidem quod attinet Apes, existimant aliqui non generari a sui similibus ex aliqua parte femini analoga, verum ex ipsis floribus colligi & in alvearia comportari; neque enim (inquit Virgilius)

- - - - - - *concubitu indulgent, nec corpora segnes*
In Venerem solvunt, aut fœtus nixibus edunt;
Verum ipsæ foliis gnatos, & suavibus herbis
Ore legunt.

Et quid mirum floribus melliferis illarum semen contineri, cum & ex vitulo ejusmodi flores depasto nascantur? Non aliter ac bombyces ex eodem foliis mori enutrito enasci ferunt. Nam in nutrimento superstites vires, quin & essentias rerum contineri probabilissimum, adeo ut interdum veluti circulo in suam originem semina relabantur.

XVI. Itaque Natio illa supra Ægyptum, quam a locustarum esu Acridophagos dicunt, tali fato omnes occumbere memorantur, quod sensim orta prurigine & latius serpente, demum putrescentibus membris in quoddam insecti genus locustis assimile rursum animeentur illorum carnes tale consumptæ. Neque rationibus destituuntur, quibus persuasum apes non ex apibus, sed ex floribus nasci. Quod si enim ex suo feminio generantur, quid causæ quod non singulis annis nova examina prodeant, sed interdum plures annos infœcunda sunt alvearia, cum tamen naturaliter incitentur animantes ad simile procreandum? Et si generant, an omnes, an aliquæ, & quot numero unaquæque. Nam cum insecta præ aliis sint fœcunda, & numerosos edant fœtus, oporteret apes magno sane numero provenire.

Præterea a quo dictæ matres generantur? Nam si ab alia, qui fit quod interdum duæ pluresve reperiantur ejusdem examinis duces? atque tum scindantur geminæ studia in contraria partes, bellaque cruenta inter se conserant. Et unde tanta dependentia omnium ex una si diverso fatu sunt ortæ, ut matre extincta reliquæ omnes commoriantur?

XVII. Econtra sunt, qui putant apes eo quo alia insecta modo generari. Quæ sententia haud improbabilis videri debet; verisimileque dictam Matrem, quæ meliore Jure Pater, aut Rex diceretur, alias imprægnare, & tum ex eodem coitu ipsam quoque concipere & sibi similem parere. Aut si non placet coire apes, dicendum utrumque sexum in illis misceri, collectumque ex floribus succum sanguinis menstrui loco esse, cui suam genituram permisceant, & demum hanc in pullos animari, primum quidem vermiculo assimiles, tum quæ nymphæ dicuntur, postremo in apes mutari. Illud certum fœtus novos in specialibus domunculis seu favis albi caloris generari, e quibus cera dicta virginea, omnino candida, conficitur si seorsim ab aliis favis excoquatur: super omnia vero admirandam animalculorum istorum, non minus ac formicarum prudentiam in colligendo conficiendoque melle favorumque architectura, suntque omnis impuritatis ac fœtoris inimicissima.

SVBSECTIO Vnica
De Vegetabilium propagatione.

XVIII. In Vegetabilibus, quia diversa est ratio propagationis, non idem est Seminis modus. Nam alia quidem per se, alia non nisi in aliis proveniunt, qualia nimirum sunt viscus, & fungorum genera. Quæ autem per se habent ortum, alia radice, alia surculo, alia semine, alia flore, alia aliter propagantur: nam & oculi avulsi (gemmæ dicti) & in aliam arborem insiti (inoculationem vocant) sub cortice, late effrondescunt. Quæ igitur per se proveniunt ex aliqua arboris parte, sive trunco, sive ramis, sive radicibus avulsis, non videntur ex semine nasci, siquidem ejusmodi partibos nequit definitio seminis adaptari. Oportet enim ex semine, veluti materia, partes omnes plantæ constitui, quod non fit in radice, aut ramo satis. Non enim ex his aliqua ratione mutatis, aliæ partes diversæ rationis noviter suboriuntur, sed tanquam ex novo principio, reliqua subsequuntur, non aliter atque dum suæ arbori inhærebant. Itaque ejusmodi ortus, non tam generationi quam accretioni videtur assimilari, facta nimirum evolutione speciei ad partes illas, quæ nutritione noviter accedunt. Postea vero ostendemus ea, quæ originem habent ex aliqua parte, in eadem potestate & confusa ratione contineri. Quia ergo in ejusmodi avulsa gemma, tota illorum species quæ inde ortum habent, convolvitur; non mirum si ex ea, etiam in peregrina arbore, frondes, folia flores quin & fructus nativi proveniant.

Quæ autem foliis aut floribus satis germinant, dicendum ex semine proprie dicto nasci, cum non minus hæc, quam reliqua semina, contineant illam simplicem essentiam & convolutam speciem totius plantæ; neque quidquam ex his nisi prius in materiam dissolutis, constitui potest.

XIX. Quod attinet Mineralia, major in his est difficultas, & ratio dubitandi ob magnam contrariamque dissidentium auctoritatem. Etenim Metallis suum inesse semen, ex quo unumquodque metallorum prodient, Schola Hermeticorum asseveranter docet. Vnde Augurellus inquit,

in auro
Semina sunt auri, quamvis abstrusa recedant
Longius, & multo nobis quærenda labore.

In quo indagando mortalium turba spes avaras consumit labore indefesso ad faciendam auream sementem, aureamque messem. Persuasum siquidem habent, si ejusmodi semen consequantur, sive ab auro tractum, sive alio modo repertum, eo in aurigenam matricem conjecto (quod argentum vivum esse putant) efficere ut protinus germinet, & in immensam auri molem adolescat, adeo ut illius exigua projecta parte per undas.

Æquoris, argentum si vivum tum foret æquor,
Omne vel immensum verti mare posset in aurum.

Putant enim assimile aurum grano tritici, quod extra suam matricem nihil omnino producit, quia nimirum illius virtus solida compage corporis concreti tum alligatur; exceptum vero gremio telluris, & humore genitali corporis repagula molliente protinus exerere vim prolificam, & sursum quidem culmum proferre spica & semine turgidum; deorsum vero radicem fibrasque agere. Ita ergo de auro opinantur, solido nimirum corpore, & in penetralibus vim aurificam & verum auri semen latitare; quod cum neque ignis,

neque

neque ulla violentia liberet a corporea concretione, cum & aqua chrysulca dissolutum & liquori fluido assimile factum, nihil omnino in ratione misti patiatur: ad aliam aquam magis auro cognatam mentis oculos intenderunt, in qua aurum non aliter atque glacies in aqua prompte dissolveretur atque ita difflueret, ut neque aurum inde fieri, neque unum ab alio ulla vi secerni posset. Hanc vero aquam mystice & per ænigmata nobis designarunt, *argentum vivum*, *menstruum*, *sanguinem Draconis*, *acetum*, *urinam pueri*, *lixivium* & aliis innumeris attributis nuncupantes, ex analogia nimirum ad ejusmodi res depromptis: de qua innumeri recentiorum & veterom extant libri, qui tamen omnes miris ambagibus rem involventes, non tam instruere quam illudere videntur, ut pronius sit suopte ingenio Marteque proprio, quam ex ejusmodi scriptis, consequi rei veritatem. Unde factum, ut multi hujusmodi ambagibus circumventi, nihil non experti fuerint in rebus etiam dissentaneis, & a natura auri & metallorum prorsus alienis. Cum ergo ars Chrysopœiæ prorsus occulta habeatur, neque ab ullo clare prodita, nihil ex ea certe de seminis metallici ratione licet afferre. Vide quæ diximus Tract. XI.

XX. Nec nostri est instituti, aurificum illud corpus hic investigare, ex quo auri semen adepti, aurum accumulemus: sed, sive in auro lateat, sive alteri mineræ ignobiliori concreditum, specie externæ ignobilitatis eludit hominum avaras spes. Illud solum nobis est propositum hic determinare: an nimirum illa substantia, quæ vel in ipsis metallicis venis aurum producit, vel extra reliqua metalla in idem convertit, semen proprie dici mereatur?

Supponendum ex dictis, per semen nos intelligere substantiam simplicem & homogeneam, cujus forma essentialis sit idea corporis organici, in quod perficiatur ipsum semen per evolutionem confusæ speciei. Est igitur de ratione seminis ad corpus organicum referri; deinde ut potestatem habeat condendi illa organa seu partes dissimilares, quæ idealiter in illius essentia continentur. Demum quia ratione hujus ideæ exemplaris est indifferens ad omnes, necessaria fuit species intermedia, per quam actu ad singulas determinaretur.

XXI. Si quæras, in quo consistat hæc partium dissimilitudo, cui species seminalis debetur? Respondeo, non consistere in differentia essentiali. Ratio, quia est effectus formæ simplicis & individuæ naturæ: quin ratio partium organicarum est effectus formalis ejusdem essentiæ. Erit igitur differentia accidentalis, potissimum quæ ad colores & figuram pertinet. Unde sufficit corpus ex semine producendum natura sua habere partes colore &c. a se differentes, idque non casu aliquo seu contingenter, sed ex præscripto ideæ seminalis. Non tamen necessarium videtur res omnes ex semine ortas eo modo increscere, cum tota interdum species simul evolvi & terminari, ipsumque corpus seminale illam molem æquare possit. Alibi autem ostendimus, non minus incrementum, quam primam formationem fœtus, ex evolutione speciei dependere. Videndum itaque num aurum & reliqua metalla, aut etiam res minerales habeant prædictas conditiones, ut ex semine generari dicantur.

XXII. Paracelsi opinio fuit, omnia metalla, atq; adeo res minerales esse veluti partes heterogeneas ejusdem naturæ metallicæ: semen vero aquam mineralem, ex Oceano telluri circumfuso, infusam in subterraneos specus, in quibus velut in utero concepta perficiatur in metallicam plantam: inde suos ramos undique proferre, & latissime fundi: & aliud quidem trunco, aliud ramis, aliud radicibus assimilari; & esse quod cortici, medullæ, floribus, foliis, fructui, quin & semini proportione respondeat. Hac igitur ratione in metallis, non quidem sigillatim & per se, sed simul expensis non deerit illa dissimilitudo partium in ordine ad corpus organicum: quæ cum ex una simplici natura ex se ad omnes indifferente procedat, videbitur per speciem, & ejusmodi ideas exemplares ad singulas determinari, atque eo pacto rationem seminis participare.

Sicut ergo plantarum natura primitus ex radice ad truncum, frondes &c. progressum facit, ita ut nusquam desint ejusmodi partes essentiales; ita in ipsis quoque metalliferis plantis idem evenire videtur, totaque differentia in varia accidentium miscella illorumque permutatione consistit: non autem de his jam arte elaboratis, & per se expensis, verum de tota planta simul inspecta judicium ferendum est. Nam aurum argentumque, & reliqua metalla, non magis sunt partes metallicæ plantæ, quam oleum, resina, pix: sicuti enim metalla in vitriolum, sulphur, & argentum vivum, & hæc in oleum, salem, & spiritum dissolvuntur: ita illa eadem a sua planta primitus eliquantur. Sicuti ergo plantas dijudicamus & inter se distinguimus non a rebus, in quas unaquæque dissolvitur, aut quæ inde proliciuntur, sed a partibus a natura productis, & soliditate, figura, colore, pondere &c. a se differentibus: ita metallica planta ex suis membris a natura, non arte productis æstimari debet.

Quod autem non ex omnibus mineris singula metalla eliquentur, hæc est ratio; quia cum succi sint, & veluti sanguis illius plantæ, aut certe ad fructum referantur, non mirum videri debet, si talis perfectio desit plantis immaturis, aut succi prædicti necdum maturitatem sint consecuti. Nam cum temporis decursu æs in aurum mutari contingat, teste Gebro, quidni in planta hoc idem contingat? atque ita venæ metallicæ, quæ hodie in æs aut argentum liquantur, annorum decursu maturescentes in aureum succum veluti ex chylo in sanguinem permutentur. Quod etiam inde videtur stabiliri, quod non eadem sit perfectio auro argentove, ætate adhuc immatura eliquato: hoc enim quia crudum, nimis molle, & ab igne fugax, facile ab eo dissipatur.

XXIII. Objicies: Aurum, argentum & reliqua metalla, non modo vi ignis eliquari a planta sua, sed etiam in subterraneis locis, non aliter atque si igne liquata fuissent, procul ab ejusmodi metallica planta reperiri. Nam alibi quidem simile arenæ & veluti granulorum, alibi in bracteas dilatatum, alibi arbori aut plantæ æmulum, in aurea virgulta & aureos ramos frondescit, absque ulla alterius metalli aut rei mineralis permistione. Non igitur sanguis metallicæ plantæ, aut ejusdem fructus dici meretur, qui nunquam solitarie & extra suam plantam generatur.

Responderi posset, negando in illis locis primam generationem auro convenire, sed secundariam & accidentalem. Nam primo quidem aurum in sua metallica arbore nasci, inde aquis mineralibus dissoluta illius compage aurum eliquari, alioque diffluentibus

aquis procul a nativo ſolo colligi, & forma loci invitante in varias figuras coagulari. Aut certe dicendum ſpecie vaporis in ſublime efferri, ibidem noo aliter ac ſpodium ſenſim aecumulari. Etenim ab ejusmodi aquis metalla diſſolvi, teſtimonio ſunt vitrioli & aluminis genera, noo alia ratione ortum habentia.

Sed & a fumis metalla in ſublime tolli, imbres atteſtantur, quibus ferrum & æs aliquando depluiſſe fertur: oeque enim in nubibus credibile hæc generata fuiſſe, verum ſurſum elatis vaporibus ſimul abrepta, deinde vero impetu ventorum in ſe repulſa & coacta, eedentibus aquis, confluxiſſe: demum fulguris igne in metallicam maſſam refuſa, & ſui, & turbinis impetu in terram recidiſſe. Simili ergo modo aurum colligi & aecumulari, vapore quidem effugiente ob levitatem, auri vero atomis ob pondus ſenſim accumulatis, dum plurium ſimili modo evectorum confluxu, juſtam magnitudinem, & ex forma loci ſuam figuram conſequantur.

Confirmari poteſt hæc opinio, quæ ex ſemine generat metalla, quia nimirum ſimilem ortum habent gemmæ, resque minerales. Etenim quod Vitriolum & alumen in cubos & teſſelatim concreſcant: Adamantes & Amethyſti in pyramides acuantur; Chryſtalli in hexagonos cylindros figurentur, & quod lapidum genus reperiatur adeo exactæ rotunditatis, ut torno elaborati videantur: & quod demum multa ex his magnitudinem habeant definitam, quo alio referri poteſt, quam ad vim formatricem ſemini propriam? Cur enim adamantes nunquam vaſta aliqua mole viſuntur, niſi quod ab ejusmodi ſpecie anima limitetur? neque eoim materiæ defectus accuſari poteſt, cum facile ea, quæ uno eodemque loco multis exiguis originem dedit, io unam grandiorem gemmam coaleſcere potuerit.

Hæc in favorem Sententiæ Paracelſi dicta ſunto. Nnne quid nobis vero ſimilius videatur, ediſſeremus.

XXIV. Et ut omnis æquivocatio tollatur, a ſuppoſitionibus ordiemur. Et Primo quidem certum eſt formas ſubſtantiales per ſuam eſſentiam limitari in ordine ad effectus in ſubjecto producendos: hanc autem limitationem a radicali idea dependere; quod idem eſt ae ſi dicamos: Eſſentiam cujusque rei, quatenus ad ſuos effectus refertur, habere vim ideæ exemplaris. Quæ licet in ſe ſpectata ſit ſimplex & individua eotitas, in ordine tamen ad ſuos effectus, ioeſt quædam moltitudo & partium ordo, oon modo ſobjecti ſed & temporis. Neque enim ſubito id totum, quod poſſunt operantur, neque omnes partes ſubjecti aqualiter afficiunt; verum ordine quodam ex uno effectu ad alium facto progreſſu; quemadmodum exemplo bombycum conſtat. Et cum omni tempore rei eſſentia ſit invariabilis, & non minus in una, quam alia parte ſnbjecti tota ratio inſit, neceſſe omnino per aliud quod inæquali modo ſe habens determinari, nt inæqualirer agat. Hoc autem fieri dicimus per aliam ſpeciem ſive ideam intermediam inter hanc radicalem & illius effectum: nam hæc adæquate ſuo exemplari reſpondet & ubique & ſemper ineſt tota eidem cum forma ſubjecto: quia tamen eo modo non minus confuſa ratione ineſt, tota oimirum in toto, & tota in qualibet parte, oon minus quoque indeterminata per illam manet, quam per ideam radicalem. Ut itaque determinetur forma, neceſſe prius evolvi confuſam ſpeciem. Et tum quia partes ſpeciei, aliæ prius, aliæ poſterius evolvuntur; & aliæ ad hanc, aliæ ad illam ſubjecti partem determinantur, inde fit ut inæqualiter mutetur ſubjectum, & modo hi, modo illi effectus ad præſcriptum ſui exemplaris ab anima producantur.

XXV. Porro idea radicalis omnibus coovenit formis cum illarum ſit eſſentia, non vero idea accidentalis, illis duntaxat formis propria, quæ ad corpus organicum referuntur: & cum ſola anima ſit actus corporis organici, ad ſolam animam pertinebit hæc proprietas exemplaris. Aliæ formæ omnes neque ideas habent, præter illam radicalem, oeqoe ſuos effectus ex ſe partiuntur, verum protinus agunt adum omnem quam habent agendi poteſtatem. Dixi *ex ſe*, quia per accidens ſit aliquando ut impediantur, quo minus totum opus ſimul procedat. Tametſi enim formæ ſnbſtantiales non habent contrarietatem proprie dictam, quia tamen contrario modo, & qui ſimul cum alio ſtare nequit, afficiunt ſubjectum, ea ratiooe ſibi adverſari dicuntur. Poteſt autem & ex toto, & ex parte impediri formalis effectus: nam ſi aliqua forma & lucis & ſimul caloris ſit productiva, ſubjectum natura frigidum ſolius caloris, non etiam lucis effectum prohibebit. Cum itaque formæ non niſi per ſuos effectus ſibi adverſentur, tot eidem ſubjecto formæ præfici poſſunt, quot eſſe poſſunt formales effectus ita a ſe differentes, ut vel contrarii non ſint, vel miſtionem patiantur. Tum vero e poſſeſſione ſubjecti depellitur forma, cum in totum contrarii effectus ab alia forma inducuntur. Latent tamen interdum formæ, quod tametſi conſpicuæ illarum ſignaturæ aboleantur; alias tamen habent occultiores, & quæ ſenſum effugiant, quibus velnti glutine ſubjecto pertinacius adhærent. Unde fit, ut in chylo & ſanguine, quin etiam in ſubſtantia carnis, peregrinæ formæ hoſpitentur: quia nimirum per omnes illas mutationes nihil omnino fuit productum, quod occultioribus illarum ſignaturis adverſaretur. Latent vero eousque, & veluti ſerviunt duram ſervitutem, quousque aut vetuſtate collapſis, aut vi a ſocia forma adjutæ everſis contrariis ſignaturis jugum excutientes ſuæ libertati ſe reſtituant. Et tum veluti ex orco prodire, & noviter naſci videntur. Sæpe tamen ex commercio alterius formæ, velnti degenerantes a ſeipſis, facie peregrina & novo inuſitatoque ſchemate in ſcenam prodeunt.

XXVI. Non vero ſemper eſt neceſſe ad ingreſſum uoius formæ aliam excludi, quod ex illo Ariſtot. dicto, *Generatio unius eſt corruptio alterius*, quidam perſuaſum habent, tanquam ſi anguſtia loci plures cohabitare prohibeantur. Idem ſit in corruptione, ut perimatur aliqua forma absque eo quod aliqua de oovo generetur: qoemadmodum, ſi ſenſim facta evolutione ſpeciei, anima per illam determinaretur ad producendum in toto contrarias ſignaturas iis, quarum adminiculo forma corrumpenda in eo ſubjecto fulciebatur. Quod igitur alia corpora magis aut minus compoſita, alia ſimplicia eſſe dicantur, noo ad materiam, ſed ad formam referendum eſt: nam cum ex 4. Elementis vulgo omnia æqualiter conſtare dicantur, nequit ea ratione unum eſſe altero magis compoſitum. At vero formæ aliæ alias præſupponunt, quia neqoeunt producere ſuos effectus niſi in ſubjecto certa ratione affecto. Itaque tam-

tametsi proxime ex Elementis fiant corpora illa, quæ mixta imperfecta dicuntur: non tamen etiam planta aut animal inde constitui potest, aut iisdem puris nutriri. Forma autem posterior non mutat suo accessu totum subjectum, sed juxta scientiæ modum ea tantum amolitur, quæ suis signaturis adversantur, ita tamen si viribus agendi illis prævaleat. Et inde fit quod assumpta alimenta, tum in chylo & sanguine, tum etiam in carne suas primævas formas, viresque agendi superstites habeant: quia nimirum aut non adversantur illi formæ, aut ab illa nequeunt superari. Et inde etiam ratio petenda, quod ab insuetis alimentis lædi contingat: dissident enim horum formæ ab iis, quæ jam domesticæ factæ in substantia corporis hospitantur. Itaque horum appulsu ob contrarietatem virium orta seditione natura alteratur.

XXVII. Absurde igitur faciunt, qui de bonitate & noxa alimenti absolute pronuntiant, & nulla habita ratione consvetudinis, non modo sanis, verum etiam morbo affectis eandem victus rationem instituunt, cum idem diversorum respectu, & bunum & malum esse possit. Tametsi enim anima jus summum in corpus habet, ipsique serviunt formæ reliquæ omnes, quibus ipsa leges constituit, ut omnes conspirent ad unum finem; ita anima corpus moderante, ut ad functiones per ipsum exercendas omnia rite peragantur: habent tamen in reliquis prædictæ formæ suam libertatem, seque mutuo lacessentes pro virium modo jugo servitutis premunt & juxta Idea exemplaris rationem subjectum varie mutant. Unde fit, quod occultis odiis dissidentes interdum contrario modo illud afficiant. Et tum vel æquo jure subjectum moderantur, utriusque signaturis in eo conspicuis, vel una alteri prædominatur. Est autem perfectior aliis forma, quæ pluribus dominatur, & quæ plures & nobiliores habet effectus. Itaque in animalium genere perfectiora sunt, quæ magis compositas habent partes, & quæ pluribus organis fuot instructa. Et absolute loquendo, animalium genus longe superat dignitate ea, quæ plantarum genere continentur, quia nimirum hæc universa minus operosam habent compositionem.

Est autem omnium opinione receptum, interComposita infimo dignitatis gradu metalla, resque minerales contineri, cum hic sit ordo naturæ, ut inferius superiori, & minus perfectum perfectiori serviat, ejusque gratia sit conditum.

At vero sicuti, plantæ animalium gratia sunt conditæ; ita mineralia, & ea quæ terræ sinu occultantur, plantis servire, in easque tandem perfici videmus. Sic pereunt imbres

At nitida surgunt fruges, ramique virescunt
Arboribus, crescunt ipsa fœtuque gravantur.
Hinc alitur porro nostrum genus, atque ferarum.

Imbribus quidem plantæ adulescunt; at non puris & quales pater æther in gremium telluris præcipitavit, verum tincturis rerum mineralium fœcundatis. At vero si metalla resque minerales omnes constituunt ejusmodi metallicam plantam, ut sint veluti partes organicæ ejusdem, qua ratione dicetur hæc imperfecta, quæ & partium multitudine & numerosa varietate non modo plantas, sed & complures animantes longe superat?

Deinde videmus partes organicas, aut gratia operationis a natura esse factas, aut aliquem usum toti conferre & ejus emolumentum & incolumitatem. At vero mineralia respectu illius plantæ, neque operationem habent, neque aliquem usum præstant, siquidem una aliqua parte recisa & a toto avulsa, nihilo deterius se habet reliquum.

XXVIII. Præterea quæ semine generantur, per evolotionem fiunt speciei a minimis figuris ad sensim majores facto progressu ad ultimum usque terminum maguitudinis: evolutio autem speciei fieri nequit, nisi partes organicæ babeant incrementum, non quomodocunque, sed viventium more undique distributo alimento. Tametsi enim species extima habeat materiam extra ambientem, in quam se exsinuare valet; non tamen etiam partes intra figuram & centro propinquiores. At vero Metalla resque minerales non habent ejusmodi vias, quibus introferatur alimentum, quales in plautis & animalibus videmus; solida enim compage tenentur nullis venis & arteriis intersecta.

XXIX. Dices: Quamvis venæ & arteriæ desint metallis, habent tamen alias vias, quibus introrepat alimentum; neq; enim eousque solida esse quin poros habeant subtiles, quib. introsorberi queat alimentum.

Verum contra hoc est, quia si eo pacto nutrirentur metalla, oporteret ea ratione assumptum alimentum sensim mutari, & demum aurum fieri, quod multi in cassum aggressi, ubi aurum amalgama diu coxissent, tandem spe frustrati, argentum vivum prorsus immutatum deprehenderunt. Deinde negamus argentum vivum per ejusmodi poros subintrare metalla; oporteret enim ligna magis porosa simili modo pervadi, neque ab ingressu per ejusmodi poros continuum dissolveretur, quemadmodum fit ab argento vivo, quo omnia metalla velnt in tabem rediguntur; non aliter ac figulina necdum excocta & igne solidata, humore contabescunt.

Præterea si per ejusmodi poros subintrat alimentum, qua ratione in vasto aliquo corpore partes in recessu & centro propiores suam portionem consequuntur? cum enim lentissime eo feratur alimentum ob angustias nimirum viarum, præripietur hic illis commeatus, siquidem jam mutatum alimentum subsistet ad partes propius sitas, cum quibus longa consvetudine inuit cognationem.

XXX. Sit ergo nostra conclusio, Metalla resque minerales nequaquam ex semine generari, neque rationem metallicæ plantæ iisdem convenire. Rationes autem in contrarium adductæ mera opinione & falsa similitudine nituntur; quemadmodum si homo, non ex analugia, sed revera parvus mundus diceretur, quod ipsum tamen unum est ex commentis Paracelsi.

De Gemmis major est difficultas an ex semine nascantur? Pro affirmativa quidem pugnant rationes non contemnendæ, idque suadere videtur definita magnitudo & figura quibusdam gemmis propria. Gemmarii quoque dicunt lapidem habere nutrimentum non aliter ac pullos in ovo existeutes: maturis vero jam gemmis deest hoc centrum undique reliquo assimilatum. In ortu autem simili modo ac plantæ radicibus affixæ suis hærent ad sui generis solum & matricem, unde alimentum trahere ex eoque augeri videntur. Attamen opposita negativa, quia antiquior ac plurium auctoritate suffulta, neque rationibus destituta, illi est proferenda.

Kkkk 2 SE-

SECTIO III.

An semen sit animatum?

Per animatum intelligimus substantiam ejusmodi, cui anima actu inest. Aristoteles quidem animam definit, quod sit *Actus corporis organici potestate vitam habentis*, de qua egimus alibi. Quod si ergo semen est ejusmodi corpus, erit illius actus anima. At vero qui potest simul organicum & inorganicum esse?

XXXI. Dicendum, Semen revera esse animatum, non potestate sed actu, hoc est anima vere & actu inest semini, licet actum vitalem sensibilem eliciat nullum. Etenim cum semen, qua tale, sit substantia & non accidens, necesse in ratione seminis constitui per aliquam formam substantialem, cujus proprietas sit illa virtus plastica, quæ nulli alteri potest convenire, ac proinde ab ea est inseparabilis. Cum itaque effectus sit hujus substantiæ non minus incrementum quam prima conformatio fœtus: siquidem eadem virtus format & ad auget foetum, necesse etiam in perfecto & adulto fœtu eandem persistere. Nam, ut ait Galenus *in Lib. de formatione fœtus*, in animantium corporibus illa anima, quæ partes conformavit, adhuc videtur permanere, neque enim natura animal deseruit, neque insitarum virium ipsa oblita est: quas enim ab alio non accepit, sed ab ipso semine habuit, fieri non potest ut eas abjecerit. Et quia nutritio & augmentum opera sunt vitæ, & non sine organis fiunt, erit hæc forma actus corporis organici potestate vitam habentis ac proinde anima, aut certo vivere dicetur, neque tamen animatum esse.

XXXII. Observa tamen, & memor esto eorum, quæ diximus Tract. VIII. & XXVI. Inter errores Peripateticorum ab Aloysio Kimmet recenseri num. III. Istam propositionem: *Quod constituit substantiam, debet esse substantia*. Neque enim contendimus hic formam seminis, qua talis, esse substantiam, sed animam quæ utique substantia est, esse in illo. (Sive unitum adhuc sit generanti, sive ab eo decisum.) Passim quidem in scholis auditur: Ideo materiam & formam necessario debere esse substantias, quia constituunt & faciunt substantiam. Item, ideo formam cadavericam fingunt esse novam substantiam, quia cadaver, dum noviter generatur, abscedente anima, ipsum est nova substantia. Item unio inter materiam & formam debet esse substantia; quia alioqnin, inquiunt, dum generatur homo, non generaretur substantia; cum anima non generetur (nempe rationalis) & materia prima, quam etiam a corpore humano non distingnunt, ipsa quoque non generetur: ergo infallibiliter & evidenter putant se inferre, debere intervenire unionem, quæ generetur, & sic substantia.

Sed in merissima inanitate fatigant se, cum istud vulgaris Philosophiæ effatum aut principium sit penitus falsum. Potius enim oppositum sequitur. Cum enim constituentia sint *partes totius*: *Totum* autem *constitutum ex partibus*, nulla autem pars sit totum illius, quod constituit, consequenter potius est diversa a toto. Sic anima rationalis est pars hominis constituens hominem, ipsa proinde non est homo. Idem est de corpore hominis, quod constituit hominem & homo non est: ita unitas est pars binarii, & constituit binarium, unitas tamen non est binarius. Et sic posses exempla infinita adducere, quibus falsitas patet axiumatis hujus, cujus tamen, uti plurium similium, certitudinem, tanquam sacratissimam aram, religiosissime observandam volunt, contra quæ vel hiscere sit pœnam capitalem incurrere. Quod iterato inculcat pag. 662. ubi

XXXIII. Videamus, inquit, quid significet hic terminus *constituere*. Quid autem aliud indicat, quam esse partem alicujus totius? Quid enim est quidpiam constituere, nisi facere aliquid cum altero, se communicando, conjungendo, consociando? Quumodo dabis mihi totum, quod non constitutum sit ex partibus, aut partem quæ nun constituat totum? Ut ridiculum sit laborare aliquos ingenti contentione, ut reperiant essentiam partis; pro quo *regulas partium* consarcinant, nova appellatione *regulas* nominando, quod alii *definitiones* vocant; quasi mirum in ea re lateat mysterium. Quare non etiam dicunt Regulam hominis, regulam equi, regulam Angeli, regulam Dei &c. pro eo quod dicunt definitionem hominis, equi &c. Arcanum oporteat aliquod in essentia partis absconditum sit.

Sed equidem, pergit num 26. pag. 663. non agnosco in hoc quidquam mysterii. *Pars* mihi est, *quidquid constituit totum*; *totum*, *quod constituitur* ex partibus. Nec ista correlativa aliter, quam correlate definienda sunt. Quis me corrigat, si dicam, pater est, qui genuit filium; filius est qui patrem habet? Quis me non intelligit, si ita loquar? Quo circa propositio illa æquipollet huic: *Pars debet esse illud ipsum, quod constituit*, in specie saltem, quod considera quæso, quam ab omni veritate remotum sit. Sic evidentissima sequela corpus humanum est homo, cum hominem constituat: semilibra carnis est libra, quia constituit libram: unitas constituit infinitas species numerorum, binarium, ternarium, quaternarium &c. ergo unitas erit binarius, ternarius, & sic in infinitum: ligna & lapides erunt domus, quia constituunt domum. Materia prima erit elementum, mixtum, ferrum, lapis, planta, animal, quia constituit omnia hæc, Denique in artefactis, in naturalibus, in moralibus, ubi partem videbis, illud erit suum totum, quod constitutio. Hactenus ille.

XXXIV. Semen brutorum & hominum animatum esse negat P. Arriaga cum multis: affirmant nobiscum non pauciores, quibus consentit Georgius Prugger in Parte 3. Epitumes pag. 241. ubi ad q. 17. respondet; tam semina oviparorum, quam viviparorum primo statim informantur ab anima sensitiva. Ratio est, si semen animalis non esset informatum anima sensitiva, tunc in plurimis casibus non poterit ostendi causa creata & proportionata effectus geniti. Ad Deum autem confugere nulla hic cogit necessitas, nec philosopho convenit, ergo. Prima pars antecedentis patet ex eo, quod plurima animalia nasci deberent extra uterum, eo loco & tempore, ubi nulla causa creata sufficiens assignari potest, v. g. quando ova in fornace in pullos maturantur, aut a gallina alterius speciei v.g. anatum ova foventur & excluduntur. Posterior pars ex solutione objectionum ostendetur.

XXXV. Objic. 1. Si ovorum semina vivant, tunc in cerebro hominis adhuc viventis essent integra agmina vermium, qui ex illo post mortem prorepunt. Quis autem tam vermiculosum caput cerebrum non rideat? R.N. suppositum, nempe omnium illorum vermium

mium, qui ex cadavere gignentur, jam actu in cerebro præexistere semina, hoc enim inconveniens esset, licet non forent animata. Nam quædam etiam ovalia insectorum semina, vel ex terra, vel ex aëre, vel a muscis aut aliunde cadaveri afflantur, atque ex his exclusa animalcula se statim multiplicant: quod probabile facit experimentum Franc. Redi, ut videre in Phil. Burgund. tom. 3. parte 3. dissert. 1. cap. 1. ubi testatur quod cum carnem mortuam vasis vitreis rite obstructis inclusisset, ne unus quidem vermis exputrescente carne visus sit emergere. Cnm antem velo Neapolitano vas, in qno carnem mortuam, alias quoque vermibus obnoxiam, sic obduxisset, nt aer quidem subire, muscæ vero aut vermiculi penetrare non possent, ex carne paulatim corrupta nullus vermis nasci sit visus, tametsi muscæ aut vermes sua ova in velo reliquerint. Deinde non negamus sæpe etiam accidere, ut in vivente animali lateant multæ particulæ seminales, quæ ex terra attrahuntur una cum succo a plantis, & cum plantis ab animali devorantur, generari non tantum in ventre vermes, & ranas, & serpentes &c. sed & in cerebro scorpiones, nam ex flore per nares attractum busonum semen legimus.

XXXVI. Verum antequam ad alias objectiones progrediamur, vel ex eo stabilitur nostra sententia, quod constet ex historiis, in utero brntorum semen humanum in effigiem hominis perfici. An igitur anima humana nterum bestiarum animatum dicent? sed & ova animari & perfici constat in similitudinem progenitoris, non vero incubantis, quin & alio quovis colore v.g. sub axillis febricitantium, pullos inde excludi. Quod si anima non continebatur in ovo, quæ ipsa sibi ejusmodi organa concinnarit, qnibus sensum & motum obit, quis Mercurius in fimo, aut cinere latens animam introducit ad pullos animandos?

Respondent aliqui cum Arist. motum a progenitore inchoatum natura sua continuari, ferriqne ad ultimam substantiæ perfectionem, etiam longo post tempore accedentem; quemadmodum, inquiunt, fit in machinis, quæ automata dicuntur, hæc enim accepto principio motus, seipsa demum agitant, & sponte eousque moveri videntnr, dum totum circuitum peragant. Sicut ergo ille primus impulsus potestate continet medium & extremum motum: ita quoque ad generantem referri non modo fabricam corporis, sed etiam animam postremo loco accedentem.

Ast hæc similitudo non facit ad rem. Etenim in illis motionibus, quibus machinæ se impellunt, omnes dicti effectus non exuperant vim a motore inditam ipsis machinis, siquidem in genere motus omnes continentur. At virtus plastica, qnam veluti impulsum imprimi putant semioi, accidens est, etiam in illorum sententia; non igitur in tota serie motionum proxime vel remote eidem respondet aliqua substantia & multo minus nobilissima, qualis est anima. Tametsi ergo demus ab ejusmodi vi corporis fabricam constitui, & singularum partium figuras contexi, aut etiam colorari, quia nimirum hæc universa non transcendunt perfectionem sui generis; non tamen etiam substantiam, quæ alterius est ordinis & dignitatis. Unde necesse præter illam vim seminificam, utpote accideus, longe quid perfectius in semine contineri, ad quod referri possit animæ exortus. Et cum ex postea dicendis constet, vim plasticam esse ejusdem geoeris & homologam speciebus imaginationi dicatis, suaque natura ab anima dependere, non minus quam species sensibilis ab objecto; absurdum profecto ejusmodi speciem rei inanimatæ tribnere: & cum omnium sententia hæc virtus insit semini, inerit quoque anima.

XXXVII. Qui vero negant semen animatum, ab his petendum, an de omni semine, tum animalium, tum plantarum, hoc pronuncient? Nam si ita, erit semen tritici v. g. exanime, & absqne vita: at enm vixerit in spica aut siliqua, utpote pars plantæ animatæ, quidnam dicetur ipsum, cum jam maturum aut sponte exiliret, aut in sementem colligeretur exanimasse? Neque enim credibile sponte sua & nulla illata vi interire, quandoquidem universa suæ student conservationi. An igitur ad ingressum alicujus formæ inhospitalis interire putant semina, qua ratione dicunr Peripatetici generationem unius esse corruptionem alterius? At quænam, & unde prodierit hæc tam hostilis forma, docere debent, nulla enim ejus habentur indicia.

Quod si sola separatione a suis plantis fieri pntant, ut semina corrumpantur, siquidem non tantum sed etiam radice sureuloque, quin & trunco aliquæ feruntur, an etiam hæc a suis plantis avulsa necessitatem habent moriendi? At qua ratione mori dicetur, quod etiamnum vivit & vegetatur? An non viderunt media hyeme avulsa virgulta, & exsuccas frondes loco tepido asservatas & humore irrigatas intra dies paucos effrondescere, productisque floribus luxuriare? Quod si non sufficiunt hæc, quibus indiciis vitam colligere licebit? Nam si exanimes florent rami, quidni arbores & universum plantarum genus, reliqua omnia, absque eo quod vitam habeant, operari dicamus?

XXXVIII. Magnnm quoque ad dictas rationes afferet momentum, si quis animum intendat ad illa animalcula, quæ ex corruptione & putredine, proindeque absque seminio, nasci ferunt; qnale nimirum est quod corruptis frugibus oritur vermium & culicum genus, ex ligno cossi & teredines, ex vestibus tineæ, ex limo ranæ aliaque insecta. Nisi enim ejusmodi formæ delituissent in rebus, ex quibus oriuntur dictæ animantes, quid quæso aliud inesse potuit tam firmum & stabile, quod tanta elegantia, tamque constanti & nnnquam variabili arte, distinguit corporis fabricam unicuique speciei debitam? aut unde tum anima prodit, ant quo Opifice eadem generatur. Esto demus ex homine vermes, ex equo scarabæos, ex juveaco apes, ex asino crabrones generari, non tamen opinor plantas ant excrementa degenerare dicent, cum inde animalia generantur, nisi forte minus nobilem putant formam animalis, quam sit plantæ excrementi?

Confirmat nostram opinionem, quod ex ea perobscuræ multæ & arduæ difficultates prompte dissolvantur, quæ insolnbiles alioqui censentur. Et qui contrariam sequuntur opinionem, multa absurda & quæ fidem superant, admittere coguotur. Rationes quoque in oppositum adduci solitæ levis sunt momenti. Si enim

XXXIX. Objic. 2. Animam esse actum corporis organici; juxta nos autem semen est substantia inorganica, ergo ab anima actuari non posse. Respons.

 Ani-

Animam non definiri ab Aristotele in se, & ex principiis essentialibus, sed (more suo) ab effectibus & in ordine ad corpus, quod ipsa constituit, non invenit: siquidem ratio corporis animati, est formalis effectus animæ. Proindeque si illam definitionem sustinere velis, sumi debet ab ultima perfectione quam adipiscitur corpus ab anima, quando nimirum suis organis est distinctum ac expolitum, non quidem subito sed pedetentim illam consequendo. Cum ergo dicitur anima actus corporis organici, ita intelligendum est, quod corpus organicum non nisi ab anima esse possit, cum alterius formæ simplicis, simplex quoque sit effectus. Non autem est necesse, corpus animatum protinus sua organa habere perfecta, cum & ab ortu quibusdam oculi, quibusdam alia desint instrumenta: quin & mutari quandoque contingat aliqua, & sibi in totum dissimilia fieri, ut cum pennæ, aut diversa crura, aut etiam capita nova renascuntur. Deinde dicimus corpus organicum idealiter, & ὡς ἐν τύπῳ sumi, non vero effective. Tale vero est semen, nimirum corporis organici specie informatum & insignitum, quam necessario consequitur ex conjugio animæ. Error itaque crassus est Peripateticorum (quem numero V. inter novenos, recenset P. Aloys. Kimmet pag. 671.) dicentium, per animam constitui non tantum hominem, sed etiam corpus humanum cum anima rationalis jam supponat corpus humanum organizatum per animam sensitivam & formas partiales: quæ organa remanet post discessum animæ & compositum sortitur nomen cadaveris: antea vero, ubi perfecta fuerit illa substantia seu massa corporea, determinat Deum ad animam rationalem insuper creandam, ne opus humanum sua causa finali careat.

XL. Objic. 3. Ex nostra thesi & suppositione, nempe dari animam sensitivam (quæ a vegetativa non distinguitur entitative) communem plantis, brutis, hominibus, confundi genera: cum enim necesse sit animatam esse substantiam, ex qua nascitur animal, erunt plantæ frugesque simul animantes & plantæ: si enim forma inest animalis, non potest negare suam appellationem, quæ sumitur a tali forma; sicut ab albedine subjecto inhærente non potest non denominare illud album. Itaque granum tritici erit & triticum, & gurgulio; & faba idem cum suo verme ex se nato; & homo idem quod bufo & serpens &c. Resp. Species a nobis cognosci & definiri non præcise in sua essentiali ratione, tametsi non absque ea definiantur; sed quatenus in sensum cadunt, partesque ea ratione fiunt mundi sensibilis: siquidem non nisi beneficio sensuum a nobis cognoscuntur. Itaque quamvis semen equi v. g. non differat essentialiter ab equo: quia tamen per equum intelligimus non simpliciter nudam essentiam, verum animal quadrupes, hinnibile & ad cursum aptum &c. nequaquam illius semen, Equum, sed semen equi licet appellare.

Neque ab omni actu essentiæ desumitur nomen substantiæ, sed juxta potestatem, quam tum exercet in tali subjecto per actiones & sensibiles effectus nobis innotescentem. Hinc etiamsi una eademque anima insit bombyci & papilioni, non tamen papilionem appellare licet prius, quam a se mutato pennæ innascantur. Igitur quacunque ratione inest anima illis frugibus & plantis, ex quibus Insecta prodeunt, sive hæc eadem sit cum anima plantæ ad motum utrumque & plantæ & animalis successivo decurrendum determinata; sive alia ejusdem veluti inquilina tantisper operiatur, dum fasces eidem tradat prior forma suo munere jam defuncta: non poterit ab illa nomen & ratio substantiæ desumi prius, quam imperio decedente altera forma sui dominii promat indicia. Cum autem dicunt &

XLI. Objic. 4. Propterea inanimatum videri semen, quod nullam actionem præ se ferat vitæ indicem, siquidem nulla talis potest esse actio absque organis. Resp. Actiones animæ distribui in illa genera non absolute omnes, sed secundas & organicas, quales nimirum exercet in corpore jam perfecto: habere autē & alias actiones inorganicas, quæ *primæ* dicuntur, quibus organa sibi construit. Quod si enim per alia organa & hæc iterum per alia organa fierent, esset processus in infinitum. Dicetur ergo semen animatum & vita præditum, non quia nutriatur, aut seipsum moveat, sed quia tum producit illa instrumenta, quibus utrumque suo tempore obire solet. Dici quoque potest, semen utero conceptum protinus nutriri. Nam cum utrumque simul fiat, ortus nimirum figuræ corporeæ & ejusdem augmentum, necesse in principio formationis jam tunc semen nutriri; neque enim ratio exigit, ut etiam extra uterum nutriatur ad hoc, ut animatum & vegetabile dici mereatur; alioquin neque plantæ cum radicibus evulsæ extra terram animatæ dicerentur.

XLII. Objic. 5. Fluida non animantur, ergo nec semen. ant. prob. cum enim anima sit actus corporis organici, fluida vero non sint sed alieno termino terminentur, non possunt esse organica variisque figuris coalescere. Est autem ratio eadem totius & partis: sicuti enim totum corpus ex partium figuris constat, ita unaquæque corporis particula sua figura definitur. Unde consequens est, sicut nulla esse potest absque figura, ita neque fluida & absque concretione. Resp. N. ant. & ajo corpus organicum referri ad animam, non quia fluidum repugnet animari, sed quia actiones organicæ, in quibus perfectio animæ consistit, nequeunt sine organis perfici. Itaque pro singulorum usu non una omnium est concretio & soliditas. Nam aliæ quidem dura & pene faxea compage coaluerunt, aliæ mollissimæ aut etiam fluxiles, aliæ medio modo habent: quia nimirum sicut in quibusdam necessaria fuit figura, quæ non nisi solidis inesse potest, ita in aliis fluxilis mobilitas requirebatur. Non enim pars solida ab alia parte avulsa excurrere potest usu id quandoque exigente, ut nimirum partibus oppressis reliquæ opem ferant, vim & robur eo colligentes, unde periculum & interitus imminet. Ejusmodi partes vagæ sunt spiritus & sanguis, quorum accursu ad vitæ fontem emori & deficere videmus.

XLIII. Et vero sanguinem esse animatum, testimonio S. Scripturæ non uno ex loco firmari potest: nam cum sanguine jubet abstinere Hebræos, continuo rationem subdit, *etenim anima est in sanguine.* Levit. 17, 11. Unde etiam a suffocatis abstinere eos voluit. Act. 15, 20. ne forte in carne sanguinem quoque animatum deglutarent. Ridicule vero hunc nodum solvere volentes, Scripturam torquent, dum inquiunt, anima est in sanguine, non ut in subjecto, sed tanquam in suo nutrimento, quo corpus ac proinde anima conservatur. Erit igitur causa prohibitionis

bitionis illud omne, quod corpus nutriendo servare potest: atque ita non modo sanguis, sed & caro, & omne genus edulii pari modo prohiberentur, cum absque his non modo vita, sed ne sanguis quidem diu conservari possit.

XLIV. Deinde quod pro absurdo habent unam partem ab alia non minus animata nutriri, ita enim futurum, ut omnibus assumptis a parte aliqua omninm voracissima omnibus interitus ea ratione imminent. Respondeo Partes singulas non modo ad sui tutelam, verum etiam ad totius incolumitatem, cujus gratia sunt conditæ, conspirare. Quemadmodum igitur fit in ædibus ruinosis, ut imminente ex unius casu ruina, avulsis hinc inde saxis aut trabibus, unde minus periculi ingruit, luturæ ruinosum iisdem fulciamus: ita quoque in corporis fabrica res habet, ut si principes partes, a quibus omnium salus pendet, laborare & veluti labascere contingat; tum in subsidium partes minus nobiles accersuntur, quibus veluti rimæ partium ruinosarum farciantur: unde non modo sanguine, verum etiam pinguedine quandoque nutriuntur partes exsiccæ & a torrido calore marcentes. Neque tum existimandum partes absumi, aut ab aliis vorari, non enim pars aliam partem sua appositione nutriens absumitur, sed magis perficitur & nobilitatur: quemadmodum in Rep. cives in Curiam & Senatoriam dignitatem conscripti. Portio enim sanguinis, quæ cordis substantiam sua appositione nutrit, non perdit suam essentiam, verum illa concretione & consistentia, veluti nova veste novæque dignitatis ornamentis induitur. Nam licet de ratione argumenti sit major moles noviter acquisita sub ejusdem essentiæ unitate: non tamen est necesse id totum de novo produci, sed illud tantum quod ad perfectam similitudinem deesse videtur. Quod si ergo pars illa, quæ apponitur, sit jam animata, non fiet mutatio in substantia, sed in solis accidentibus. Deinde vero qui fieri potest, ut fluido in genere animam negent, cum eandem humido radicali natura sua fluido tribuant?

XLV. Postremo colligunt multa absurda, quæ nostram videantur positionem comitari. Quod si enim, inquiunt, demus semen animatum esse, cum fide constet immortalitas animæ humanæ, erit necessario talis in semine humano; atque ita sæpissime eveniet hominem interire, quoties corrumpitur semen; neque ab homicidio excusari temere & absque copula illud effundentes; proindeque matrimonia esse illicita inter senio confectas personas, ubi nulla spes concipiendi; imo neque fas erit coire conjuges, si prægnantes sint, aut aliunde inhabiles ad concipiendam prolem. Quin & semen esse baptizandum, quæ omnia a praxi Ecclesiæ longe sunt aliena. Et vero quis credat tot myriades animarum cum semine perire & extra omnem salutis spem constitui, quandoquidem vix centesima pars seminis utero concepti perficitur in fœtum, tametsi probi & absque culpa sint progenitores, quod providentiæ divinæ & infinitæ bonitati minime convenit.

Respondeo, non mirum ex uno falso supposito plurima sequi absurda. Supponit hoc argumentum 1. in corpore humano præter unicam animam rationalem esse nullam, quod absolute negamus, quia & sensitivam realiter a Mente distinctam defendimus. 2. Animam rationalem informare semen mox ab instanti conceptionis, quod iterum censemus improbabile; illus tamen urget Authores, qui contra doctrinam Arist. quam sequi videntur SS. Canones, tenent statim a conceptu infundi a Deo animam rationalem; unde sane sequitur in abortibus plurimas interire animas, & committi homicidia etiam ante diem 40. aut 80. procurando abortum.

XLVI. Nec obstat celebratio Festi Conceptionis immaculatæ BB. Virginis ipso die conceptionis, nempe octava Decembris, quasi per integros novem menses anima illa purissima ab omni labe originali fuerit unita corpusculo seu embryoni & semini beatorum Conjugum a primo conceptionis instanti, nisi novum fingas miraculum: Nequaquam enim sic sentit Ecclesia, sed cultum & devotionem plebis eo die inchoatum permisit dissimulando, tum quia non constat pro certo, quo tempore vel die anima rationalis fœtui infundatur, tum ne turbaret prædictam populi devotionem, uti docte deducit Illustrissimus D. Angelus Manrique Tomo 1. Annal. Ord. Cisterc. ubi hæc habet: "Quod autem intellecta mysterii veritate, etiam hoc tempore festivitas eo die (nempe 8. Dec.) celebranda immota perseveret, sit hæc permissa anticipatio (quæ juxta communem Philosophorum incideret in 26. Febr.) per indulgentiam, ne ignarum vulgus quacunque mutatione turbandum ab innata in Reginam cœlorum devotione dimoveretur.

XLVII. Neque nostra sententia de duplici anima pro absurda aut erronea haberi debet, utpote quæ communiter a Medicis docetur, firmisque nititur rationibus, ut alibi demonstravimus, nec ullatenus S. Fidei adversatur. Eam vero ex Scholasticis tenent Guillelmus Ockam in 4. q. 7. Mayron in 2. dist. 27. unica. Picus Mirand. Lib. 33. de eversione singul. certam. Immerito itaque eam graviore censura notavit Toletus Lib. 2. de anima q. 7. vocans erroneam & temerariam veræque Philosophiæ adversam, nam rationes quas ipse in contrarium allegat, nihil probant, & authoritates S. Scripturæ, non eo quo ipse vult & violenter trahit, collimant. Quin imo tantum abest, ut veræ Philosophiæ adversetur, ut & S. Fidei mire consentiat, & ea probe intellecta, ad intima secretioris Philosophiæ penetralia iter nobis pandat, & demum gravi errore mentem liberet, ne contra decreta SS. Religionis animam rationalem ex traduce eruamur derivare.

SECTIO IV.

Quid sit, & quomodo se habeat in semine virtus plastica?

XLVIII. Præcedente discursu ostendimus semini inesse animam seu Spiritum, qui materiam pro ejusque speciei forma disponat & organizet: quæ quidem anima in specie humana per traducem propagatur, quod vel ex eo patet, quod videamus non raro prolem paternos mores & inclinationes sequi ac imitari, quin & habitus virtutum ac vitiorum referre, quæ nulla ratione ad nudam materiam referri queunt, utpote in sola anima illorum radice consistente; non rationali, ergo sensitiva. min. prob. Cum enim anima rationalis a solo Deo fit creata, absurdum videtur illas imperfectiones & habitus vitiosos causa perfectissima & optima conereari: nequaquam vero absurdum hæc a progenitore cum parte substantiæ, ipsaque anima sensitiva, vel jure hære-

hæreditario ad liberos transferri. Cum illa eademmet anima transit illa virtus plastica seu formatrix, qua de hic agimus. Quid autem illa sit, quæ ex semine cujusvis, tum plantæ, tum animalis, corpus fabricat, magna dubitatio & opinionum varietas, tum Medicos, tum Philosophos hucusque exercuit, & multos in desperationem, in admirationem adegit omnes.

XLIX. Latet profecto Divinus Opifex, qui in imo corporis recessu operatur absque omni instrumento, & sine tumultu, opusque producit admiratione dignum, tanta rerum dissimilium varietate & elegantia refertum, idque ex rudi & informi materia, in qua nulla dissimilitudo, nulla varietas sensibus occurrit. Non enim existimandum, in semine præextitisse illam soliditatem & duritiem pene lapideam, quæ inest ossibus; aut illum viscidum lentorem, qui membranis & articulorum vinculis præstat firmitatem roburque. Absurde enim facere videntur, qui velut Cementarii ipsis utuntur Elementis in rebus a natura constituendis; ut si soliditate duritieque opus habeant, necesse sit ex Elemento terræ omnium solidissimo plurimum assumere; quemadmodum si murus construeretur ex lapide, calce, arena; quasi vero fluidum nequeat solidari & consistere, quod tamen plurium experientia convincit. Nam & rorem in pruinam densari, & aerem in nubes nebulasque cogi, aquasque pluvias aut igne ebymien attenuatas absque ullius permistione in densam glaciem firmari: quin etiam in saxa horrida compluribus locis quasi momento rigescere, absque eo quod terra misceatur. Sed & adversari sibi videntur ita sentientes, siquidem transmutari dicunt unumquodque elementum, & ex aqua rarescente aerem, ex eadem densata terram fieri.

L. Et quid mirum ex eadem materia aliud quidem lentescere, aliud solidari & indurescere, aliud fluidum manere, cum tam differentes colores, tot diversæ ex illa eadem existant figuræ? An sicuti ex admista terra partes solidantur, ita quoque assumptis aliunde pigmentis colorantur? At qua ratione tot figuras inducent, quibus terebris, tot fistulas tubulosque cavabunt? Frustra profecto aget, qui hanc in formatione fœtus conspicuam veritatem non ad plasticam vim, sed ad ignavam inertemque materiæ molem referre nitetur. Neque ratione aut experimento consequi valebit ejusmodi partes in semine contentas, quæ cum postea ortis habeant cognationem, nisi forte in atomos resolutas putant hujusmodi solidi portiones, latere tum, postea vero plurium coalitu & syncrisi non prævia aliqua alteratione, solidum rursus procreare.

LI. Existimant plerique, vim plasticam esse de genere Qualitatum, & adventitiam subjecto a Generante semini inditam, quæ illius sit vicaria & instrumentum: hi vero necessario supponunt semen anima destitutum. Quod si enim animatum esset, quorsum illa virtus sequestra & operis perficiendi vicaria? ipsa anima non minus vim habente quam virtus illa ab eadem producta. Hæc itaque subsistere nequit. Incredibile enim est ab una individua qualitate tot tamque differentes effectus derivare. Nam si virtus semini indita omnes illius partes æqualiter efficit, & non minus in una quam in alia parte tota illius ratio consistit, neque magis ad eos quam ad cerebrum refertur, qua ratione in designatione fœtus, hic quidem cor, ibi cerebrum formari potest? Nam materia quidem simili modo habet, & ad omnes est indifferens, causa vero eadem omnibus æqualiter assistit, cur non igitur in omnibus idem effectus?

Alia quoque difficultate urgentur opificem formam a subjecto distinguentes, nam & quia per se mobilis, & quia ad motum materiæ movetur, potest depravari.

Præterea si qualitas est non substantia, quæ in semine tam artificiose ludit, quousque se extendit illius potestas? An prima tantum lineamenta ducit? an etiam explet formatas a se partes? An debita mole auget? Nam si ita, cum hoc fiat non citra operationem vitæ, erit semen animatum per qualitatem, eaque ratione via nobis præcludetur ad dignoscendas & a se distinguendas rerum substantias. Quod si enim planta aut animal a qualitate habet incrementum, cur non ab eadem imposterum conservatur? At si non excedit prima corporis lineamenta, confestim anima subsequente, quæ dearticulata membra vegetet, sensimque augeat: Contra hoc facit, quod assignari nequeat tempus factæ dearticulationis, in quo non simul accreverit; siquidem uterque motus, & augmenti & conformationis est de genere continui; neque proinde prima magnitudo in eo dari potest. Difficile igitur erit hujusmodi AA. assignare modum, quo illa qualitas in semine producatur; constat enim semen circa testes colligi & elaborari. An igitur aliunde eo defertur, an ibi demum accipit vim genitalem? Et quo genitore, & a quibus membris, & per quas vias? Et an priusquam excernatur, an vero in enitu effervescens & velut igne venereo succensum? Hæc quidem singula, ut credibilem facerent opinionem, diligenter ab iis erant explicanda.

LII. Ut igitur convenienter rebus & verosimilius loquamur, necesse a quibusdam suppositionibus, aut datis, aut demonstratis incipientes, ansaque progredi, dum & ea, quæ tenebris mersa latebant, in apricam lucem proferantur. Prius vero manifesta aut minus dubia, a rebus ambiguis & obscuris removebimus.

Igitur virtutem plasticam non ab extra venire, sed a seminis progenitore ortum habere hanc vim formatricem non dubitamus; siquidem illa similitudo, quæ est inter generans & genitum, nequit alia ratione constare; nam quod non ex alio semine nascitur homo, quam quod vir seminavit in uterum mulieris, veluti sementem illud recondens, argumento, est ex eodem vim prolificam traxisse. Quod si enim ab extra veniret, quid prohiberet ex semine humano quandoque bovem, aut equum, aut plantam nasci? Et nisi a generante dependeret formatio fœtus, qua ratione magis homo, quam vermis ex eo nasci diceretur? siquidem non minus vermibus, quam humanæ proli partam substantiæ & materiam, unde oriantur, tribuit.

Præterea si non ex homine in hominem propagatur, unde dicetur advenire? Et cum quolibet loco & tempore prolificum excernatur, necesse toto orbe diffundi substantiam illam seminificam, vel singulos homines, singulas comitari: & tum quid causæ, quod substantia illa nusquam deficiens, in solo

homi-

homiue, oon etiam extra hominem, semen efficiat humanæ generationi aptum? Aut quo evolat illa cujusque hominis socia homine extincto? Aut unde eo nascente subito in lucem prodit? Cum igitur in semine sit, & a seminante propagata, videndum qua ratione insit, quomodo & quando genita, & demum quæ illi · natura. A notioribus ad minus nota progre

LIII. C .aet primum quæsitum, videtur hæc plasti .irtus æqualiter diffundi per totam seminis massam; quod idem valet ac si dicamus, esse totam in toto, & totam in qualibet parte. Cujus ratio hæc est, quod ex uno semine interdum singuli, interdum plures fœtus cooriuntur, & noo minus ex una aliqua parte, quam ex toto fœtus integre perficiatur: & demum quod oulla partiom confusio, perturbatio nulla, nisi rarissime contingat, quod tamen fieri oportebat, si difformiter se haberet ad subjectum. Parte enim seminis decisa, oecessario deperiret portio fœtus sobjecta illi virtuti, quæ defecit cum seminis portione; & confuso aut in semet coovoluto semine, quod facile fit ob flnidam oaturam, confusio figuræ ex partiom transpositione induceretur.

Verum tametsi in ordine ad snbjectum non habeat partes diversæ rationis, in se tameo considerata, non est omnioo simplex sed velut composita ex multis: siquidem illa virtutis portio, ot ita dicam, quæ cerebrum cooformavit, nequaquam cor aut hepar est effectura; & quæ ossibus figuram dedit, neqoaqoam membranas extendet, aut intestinorum spiras coovolvet: oam cum ea ratione sit indifferens, multi vero effectus, quo pacto indeterminata in actum prodire, aut quid aliud in semine ipsam determinare potest? Non repugnare vero ejusmodi compositionem, tum ratione, tum exemplis ostendere licet. Nam in vitrea aut Chrystallina lente ita se habent picturæ rerum objectarum, quæ in superficiem expansæ singula objecti puncta in illam planitiem diducunt, & ad quodlibet ejusdem punctum totam speciem cootrahuot. Vnde fit, ut licet sobjectum uniformiter se habeat ad partes omnes, magna tamen sit dissimilitudo partium formæ, ooo modo quoad compositionem, verum etiam directiooem ad singula puncta differentem. Etsi enim unumquodque punctum speciei ad singula puncta crystallinæ lentis incidit idem quoad essentiam, quia tamen hic casus inæqualiter se habet, magis & minus oblique: ex illo inæquali casu ejusmodi directiooem radii coosequuntur, ut inde protracti diversimode refringantur. Analogiam habes in speciebus imaginationi dicatis, quæ præter confusam compositiooem, insuper ordinem discretasqoe & varie complicatas uniones retinent sub illa coofusione.

LIV. Cum itaque hac ratione in onaquaque seminis particula, quantumvis exigua & insensibilis æstimator a seosu, tota virtus eaqoe indivisa colligatur, oon mirum videri debat, si quaodoque ex pusillo semioe plores & quandoque velut numerosi fœtus nascantur, quemadmodum in piscium genere, & quibusdam iosectis videmus. Quomodo vero virtus in tantum confusa, noo agat coofuse; & licet ubique sit tota, non tamen eosdem obique producat effectus, quadantenus coocipi potest si prædictam analogiam cum speciebus sensuum internis ob oculos ponamos, de qoibus tract. seq. ubi de visione, meotio recurret, eodem enim modo evolvuotur species confusæ seminis, approbante paritatem Magno P. Athaoasio Kirchero, dum scribit, D. Marcum Marci naturæ arcanom quoad hoc accurate penetrasse, &, ot verbis ejus utar, rem acu tetigisse.

LV. Tametsi enim in semine confusa sit virtus plastica, habet tamen potestatem se evolvendi ex illa coofusiooe: quemadmooum radii Solis e crystallioa leote virtute refractiouis evolvuntur. Eo itaque modo, quo est confusa, quia indeterminata, oihil operatur, quemadmodum species simili modo affecta, oihil omnino repræsentat. At eum illius potestas sit actu, & quod erat involutum, incipit evolyi, quia tum partes differunt per hujusmodi ideas & rationes seminales, mox & membra incipiunt distingui, & a se differre. Radii enim alii, quia loogiores, ad extimam superficiem figuræ pertingunt; alii subito ab exortu finiuntur: & alii quidem superficie sphærica, alii aliter terminantur; ex quo omnis varietas in fœtum derivatur.

Hoc aotem ex subjecta figura magis planum fiet; in qua primum confunditur figura in uno aliquo puncto, sive intra, sive extra figuram assumpto: inde radiis protractis & rursum evolutis, servata proportiooe distantiæ utrimque a puncto intersectionis ad homologas figuras illorum extrema desinuot.

LVI, Denique arbitramur vim plasticam semini inditam noo ad efficieotem, sed ad Exemplarem causam referendam esse. Vndenam alias persvadebimur plantarum geous esse animatum, si ooo ab anima determinata per speciem seu Ideam, ad cujus evolutionem diversas operationes sensibiles eliciente? Accedit quod tam externa species, quam illa quæ imaginationi deservit, noo nisi exemplari modo concurrat ad illas functiones: anima vero sit, quæ circa alterius opem sentit & imaginatur. Simili ergo rationo habebit species in fœtu constituendo, partibusque singulis in eo constituendis, siquidem hæc omnia in potestate animæ cootinentur. At quia hæc ex se indifferens est ad omnes; per illas determinatur & limitatur, ut hic quidem eerebrum, ibi cor aut hepar efficiat. Quod si non placet una specie contineri vim plasticam & illam sensus interni opificem, formam, per me licet, dummodo servetur analogia inter has & illam.

SECTIO V.

An virtus formativa sit idea solius figuræ illius, an etiam aliarum qualitatum, ut sunt color, odor, sapor?

LVII. Videbitur alicui sufficere idea solios figuræ. Nam eum in radicali idea omnes dictæ qualitates potestata iosint, satis esse videtur, per speciem figuræ ad singulas partes figurandas determinari: ipsæ vero partes jam formatæ vim exemplaris habebunt ad reliquum apparatum inducendum pro cujusqoe exigentia & usu. Deinde si dantur species aliarum qualitatum, oportebit similiter illas confundi & postea evolvi, quod soli figuræ est proprium: quæ autem figura assignari potest odori aut sapori? Neque apparet, qua ratiooe ex tam diversis formis una virtus coalescat?

Præterea cum alibi sit ostensom, colorem esse ipsam lucem certo modo affectam & rebus colora-

tis inſitam, omnemque varietatem & differentiam accipere a lucis internæ refractione, non poterit a ſpecie regulari, ſiquidem illius principium eſt extra animam.

Idem videtur oſtendi ex facili permntatione dictarum qualitatum. Nam & ex alimentis, & ab incidentibus aut aliarum rerum miſtione permutantur. Itaqne folia, flores, fructus, aliter in ſole & locis apricis, aliter in umbris colorantur: & plantæ alio translatæ uon ſimiliter atqne in ſolo nativo guſtum afficinnt. Semiaa quoque rebus odoratis imbutæ, vim illam transfundunt in plantam fructusqne ex ea natos. Quin & in carnibus animalinm diverſimode nutritorum nou easdem cupedias experimur. At ſi extarent illarum ſpecies, ſicuti hæ ab invariabili radice ortæ mutari neqneunt, itaque neque ad aliam qnalitatem ſubjectum traduci poteſt.

Demum ſi ſpeciebus figuræ cohærent reliquæ, neceſſe omnium effectus ſimilem habere nexum, cnm poteſtas animæ ab omnibus ſimiliter determinetur; itaque futurum ut incipiente figura protinus adſint colores: & ſimili modo res habet & odore & ſapore, quod etiam non ita fit. Nam in ſale nrticarum terraque, foliata dicta, uoo oiſi cryſtallinæ urticæ, vitesque excolores figurantur; odor vero & ſapor non vitium aut urticarum, ſed ſalis. In nebuloſis quoque figuris, quales conſequi ſolent chymicas diſtillationes, præter lineamenta nihil eſt reliquum. His tamen nou obſtantibus

LVIII. Dicendum, non modo figuram, ſed etiam reliqua, ut colorem, odorem, ſaporem, ſuas habere ſpecies neceſſarias ad ſni productionem, ex illisqua connexis totalem vim formativam conſtitui. Quamvis enim a ſe differant dictæ qnalitates atque etiam ſpecies ſenſuum externorum; neque poſſibile ſit ſpeciem ſooi, uniri viſibili aut odorabili ſpeciei: internas tamen ſpecies, quæ referuntur ad imaginationem, habere aliquam unionem non repugnat. Et cum virtus formativa aut non differat a ſpeciebus internis, aut ſi differt, magna tamen inter has illamque ſit ſimilitudo, uoo difficile erit analogiam formare.

Hæc opinio his fere rationibus perſuadetur. Quia nimirum ſicuti res omnes ſuas habent figuras, quibus ab aliis differre uoſcuntur, ita quoque odoribus a ſe differunt; & ſnam quæque ad guſtum facit ab aliis differentem impreſſionem. Sicnt enim ab equo bovem, ab homine ſimiam, a pyro pomum, a lilio roſam figura diſtinguimus: ita ſalem a ſaccharo, ceram a melle, acetum a viuo, peponem a limone, diverſarumque animantlum carnes guſtu dijudicamus; & ex fragrantia odoris moſchum, ambram, thus, myrrham, lilia, roſas &c. infallibili ſigno conjicimus. Simili modo res ſe habet in coloribus: nam alia quidem perpetuo eosdem referunt colores, ut plerique fructus floresqne arborum & folia pene univerſa: alia, tametſi quandoque colores mutant, habent tamen vel aſcititios, vel ſi ſuos habent, non tamen eadem numero videtur eſſe planta; nam quæ albos tulit flores, vix aliquando ita degenerat, ut impoſterum luteos aut puniceos ferat.

Cum itaque ſingulis ſpeciebus ſuus ſit odor & ſapor, minus qnam figura ſeparabilis, adeo ut ex ſaporibus tanquam individnis eſſentiæ comitibus illarum vires & oaturas æſtimandas noo male cenſuerit Galenus, neceſſe ab aliquo principio ſtabili depeodere. Niſi vero admittantur dictæ ſpecies, nulla alia origo tam firma certaque eſſe poteſt: oeque illa eſſentiæ radix ex ſe indifferens ad omnes, limitatos producet effectus. Porro ab anima eſſe, & ooo ab extra ejusmodi qualitates, teſtimonio ſuot alimenta, qnæ a diverſis aſſumpta, diverſimode mutantur; differt enim Chylus ex eodem pane in homiue & cane: quæ differentia non t[illegible] d Chylum, ſed etiam ſanguinem carnemque ex e[illegible] n pertinet.

LIX. Rationes in oppoſitum factæ, [illegible] utur ſolutionem. Ad 1. enim dicimus illam in[illegible]ferentiam animæ eſſe in cauſa cur admittere cogamnr tales ſpecies; uegamns vero ex ſola figura ſufficienter determinari, ſiquidem partes diſſimiliter figuratæ v. g. carnis, oſſis, cartilaginis, nihilominus ſimiliter ſapinnt olentqne. Quin diſſoluta compage partis figuratæ idem remanet odor & ſapor. Secunda ratio pro abſurdo ducit confundi & evolvi ſpeciem odoris & ſaporis, quod ſeqni videtur ex noſtra poſitione, quia nimirum evolutio nequit absque figura eſſe; figura vero nulla convenire videtur odori & ſapori. Ad hoc Reſpond. quod tametſi odor & ſapor non habeant aliquam figuram ex ſe: quia tamen coextenduntur ſubjecto figurato, & inæqualiter occupant, illius partes, videtur ex illa inæquali coordinatione, non minus quam ex colorum ſitu, quædam ſimilitudo figuræ naſci. Et tametſi difficile ſit cognitu, qua ratione ex tam diſſimilium rerum ſpeciebus coaleſcat plaſtica virtus: poſſe tamen, quin & neceſſarium eſſa ita coaleſcere alibi quidem evicimus; nunc vero uno exemplo declaramus.

LX. Dormientes quandoque videmur epulis intereſſe, & ad appoſita fercula opipara voluptuoſe affici. Tum itaque aut favum edentes, aut ſcyphos Baccho pleuos large vacuantes convenienter ipſis rebns ſomniamus, & oou modo illam ſuavitatem, quæ pertinet ad guſtum, in utroque percipimus, verum etiam fragrantiam odoris in unoquoque diſtinguimus, & colore mellis aureo, vini raſeo, inſuperque hujus blando frigoris morſu ſuaviter oblectamnr. Quin & ſonum vini in pateram effuſi, & veluti ſpumantis & cibi maſticati audire tum videmur. Simili modo loquentes coram intnemur, ut & vultus & geſtus orisqne conformatio ſermoni adaptentur, quæ profecto nou alia fiunt ratioae, quam nexu illarum ſpecierum, quas in penu memoriæ aſſervari dicimus. Qua igitur ratione ſpecies imagini dicatæ tametſi ad diverſos ſenſus videntur pertinere, ſibi tamen cohærent: eadem dictarum qualitatum ſpecies counecti, virtutemque formativam ex illis conſtitui dicemus. vide quæ habentur Tract. XXXI. de Ideis.

LXI. Ad illam vero difficultatem, quæ ſpeciem colori idcirco adimit, quia hic non ab anima, ſed ex refractione lucis producatur, dico quod tametſi color non differat a luce, ſubeſſe tamen ipſi animæ, ſive dicamus ipſam lucem, oon minus quam alias qualitates ab anima produci, ſive ſolum modum & veluti figuram eidem tribuere, ſufficit enim alterutrum ad novam ſpeciem inducendam, qua anima ad hunc illumve modum, id eſt colorem producendum determinatur.

LXII. An vero ſicuti in ſpecie viſibili, una eſt ſimplex qualitas, quæ primo & per ſe eſt coloris, ſecundario figuræ imago: ita virtus formativa unius ſpe-

speciei simplicis evolutione subjectum disponit ad utrumque, figuram nempe & colorem, an alia hujus, alia figuræ idea? Et hoc posterius videbitur fortè dicendum, siquidem divelli & deperire contingit speciem coloris, superstite specie figuræ: quemadmodum patet ex illis figuris, quas in ultimo argumento pro exemplo adducebamus. Nam si una utrique servire potest, quid causæ quod solam figuram inducit, non etiam colores ex præscripto ideæ superaddit? In principio quoque formationis fœtus integrè dearticulatur absque ullis coloribus, quod non fieret, si talis figura ex specie coloris proveniret. Posse autem divelli colores à figura, constat per imaginationem, quam interdum habemus de rebus figuratis citra omnem colorem. A rebus quoque longius sitis species figuræ, non etiam coloris ad sensum venit: ut cum hominem procul intuemur, neque tamen colores in humana figura discernimus.

LXIII. Placet tamen non minùs opposita sententia, quæ una tantùm specie est contenta: si quidem præeligendum, quod paucioribus æquè benè absolvit intentum. At posita specie coloris, necessario sequitur figura, igitur otiosè fingitur alia species. Quod vero interdum deest color, non hoc fit defectu speciei, sed ob indispositionem subjecti: siquidem aut nativa luce coloratum alienam excludit; aut ad refractionem, quæ tali debetur colori, est indoneum. Itaque in illis salibus apparent lineamenta vitium & urticarum tanquam effectus plastica virtutis: desunt autem colores, quia principium concretionis est ab extra, nim. ab aëre frigido; unde nequit refractio fieri ex præscripto ideæ, verum ex vi frigoris salem congelantis. Aut certe dicendum, salia non minus ex se habere lucem ingenitam quam substantiam fixam, indeque fieri ut neque ab igne illorum candor deteratur. Nebulosæ vero figuræ in distillationibus conspicuæ, quia illarum subjectum est vapor, ob instabilitatem, nullas admittit coloris impressiones.

LXIV. Quod autem fœtus a principio sit concolor famini, dico sub illa specie candoris latere & involvi reliquos. Et sicuti partes paulatim perficiuntur, ita quoque colores evolvi. At vero speciem solius figuræ ad sensum venire negamus. Tametsi enim in magna aliqua distantia prius discernitur figura quam illius color, non tamen hoc fit per speciem figuræ; verum ob distantiam objecti ejusque excessum confunditur imago illius picturæ ob novam intersectionem radiorum in humore vitreo aut cristallino inductam. Itaque perspicilla cava, quia extendunt pyramidis internæ conum, & ex medio humore in retinam transferunt illius basim, non minus limpide colores, quam ipsam figuram sensui restituunt, quod nequaquam fieret specie coloris deficiente. Et cum species internæ per omnia assimilentur externis, neque imaginationi tribuemus speciem figuræ excolorem, nisi eo modo quo fuit in sensu, confusa nimirum specie coloris. Quodsi quandoque figuram nude & in abstracto videmur considerare, non hoc fit imaginatione sed intellectu, unum ab alio abstrahente.

LXV. Quod demum objiciunt ex eo, quia diversa alimenta, & ea quæ famini, aut rebus ex semine genitis diversimode miscentur, varia permutari illas qualitates, atque etiam a causis extra agentibus novas induci experimur, idcirco non videri a principio interno aut ab anima nasci. Ad hoc respondeo, quamvis a supradictis aliqua mutatio proveniat, remanere tamen in illis etiam mutatis aliquid nativæ & priscæ originis, neque ex toto posse aboleri. Itaque si Persica in nucipersicum ex insitione mutentur, & melones uvæque moscho associentur, manet sub illa fragrantia Moschi, quod & peponem & uvam redolet. Et in nucipersico sapor persici non obscure seipsum prodit. Et cum hoc perpetuum sit in omnibus, quantumvis differant causæ supradictæ, necesse ad unum commune principium, quod omnibus æqualiter insit, revocare. Quomodo autem causæ suprad. mutationem afferant, non est hujus loci expedire.

LXVI. Superest ut de principio evolutionis aliquid dicamus. Dubitari enim potest, an unum centrum constitui debeat evolutionis in tota specie confusa? an vero, sicut plura sunt principia & veluti fontes aliarum partium, ita quoque diversæ sint evolutiones? & ex alio quidem centro cor sese evolvat in eam, quæ ipsi debetur formam arteriasque ex eo deductas; ex alio cerebrum cum omni nervorum propagine; ex alio sanguinis fontes, hepar venæque?

LXVII. Est autem necessarium prius evolvi & perfici partes, a quibus reliquæ dependent. Sic videmus cor ante aliarum exortum sanguineis fibris fruticare & jam tum manifeste pulsare, quia nimirum vitalem vim omnibus infundit. Et quia cerebrum non minus rependit, quam recipit a corde, non erit posterior hujus exortus. Hepar quoque tametsi minus nobile, non tamen minus necessarium membrum; siquidem omnibus aliis, ipsi quoque cerebro ac cordi sufficit nutrimentum.

LXVIII. Qua igitur ratione incipit motus Evolutionis? Resp. Partes speciei non minus cohærere quam ipsa membra, quæ sicuti varietatem, ita quoque ordinem & nexum eisdem tribuunt. Deinde dico, non nisi unum esse centrum evolutionis. Demum non omnia simul fieri, sed partes principes, ut cerebrum, cor, hepar ante alias perfici; hoc enim experientia constat, a qua ne latum unguem discedere licet. Qui autem experiri volet, ova volucrum inspiciat secundo aut tertio ab incubatu die pertusa, & videbis in his manifeste cordis effigiem, instar sanguinis concreti guttam, modo mirabili se agitantem, fibrasque cruentas ex eo undique deductas. Et tametsi jam tum adsit motus vitalis cordis & arteriarum, necdum tamen apparent rudimenta ulla partium reliquarum. Inde cerebrum incipit conglobari, ex eoque spinalis medulla in caudicem protendi; desunt extremi artus, alæ pedesque, & caput informe nihil præter loca refert, in quibus organa sensus postea sculpuntur.

LXIX. Simili modo aspexisse se testatur D. Marcus Marei humanum fœtum formica haud majorem, in quo caput natibus truncum & velut galeatum, ipsaque spinalis medulla visebatur; brachia vero & crura necdum erant formata: verum ad scapulas informe quid ad instar alarum prominebat. Ex quibus liquet non omnes partes speciei simul & æqualiter evolvi, tametsi cohæreant omnes, verum celeritate & tarditate plurimum differre: & quæ celeritate præstant, ante alias perfici, tametsi forte a centro longius absint. Non enim est necesse in evolutione speciei omnes partes subjecti æqualiter consequi illam distinctionem, quæ ipsis debetur, sed magis minusve pro ratione motus. Itaque cor centro maxime vici-

vicinum ob celerem evolutionis motum omnium primo perficitur; inde cerebrum tametsi remotum, non minus tamen cito & ante alias consistit. Partes vero interjectæ quia illarum species ob tarditatem motus serius explicantur, informes persistunt tantisper; quousque enim manet confusa idea, nihil omnino perfici potest.

Porro speciem inæqualiter evolvi, ita ut alia parte subjecti distincte, alia magis minusve confusa insit, liquet exemplo specierum, quæ lente crystallina transmissæ in camera obscura ad certam distantiam recolliguntur in vivacissimam picturam: ultra vero citraque magna inæqualitas perturbat: quod partes aliæ distinctè, aliæ obscure & veluti per nebulam, aliæ omnino non discernantur. Hoc igitur modo concipiatur semen, quemadmodum aer plenus ejusmodi picturis, in quo radii mille modis se intersecantes vario incursu simul confundunt & explicant non una ratione figuram.

LXX. Quæres: Quid sentiendum de Monstroso partu humano, quod ab umbilico in gemina crura utrique communia desinit, qua ratione nempe cieatur ad motum? Supponis enim (& merito) duas animas rationales inesse: adeoque illius motus ratio & mensura dependet ab imaginatione & appetitu: in quibus cum summa sit libertas ut hoc illo ve modo fiat magis: minusve cruribus deductis, aut celerius tardiusve incitatis, vix est possibile per omnia in unum conspirare. Vnde fit, ut ex illa inæqualitate appetitus magna perturbatio & impedimentum motus suboriatur: nam uno crus extendente, alter contrahet; & illo tardante motum, hic accelerabit?

Resp. dupliciter tale monstrum obire motum. Nam & altero quiescente, & sicuti nullam vim conferente, ita neque resistente, alter progredietur, & tum gestari dicetur ab hoc ille: utrique enim æqualiter parent membra communia; & utroque annitente. Neque tamen confusio metuenda ob inæqualem utriusque appetitum, si quidem non est necessarium ad singulos passus novam legem & mensuram motui præfinire, cum plerumque absque deliberatione ex solo habitu & consuetudine fiat.

Sed quid si uno adnitente, resistat alter, cujusmodi erit ille motus? Non enim esse potest violentus, cum non fit ab extra, sed ab insita vi ipsis musculis, atque interno principio mobilis. Neque naturalis utpote præter inclinationem subjecti, passo non modo vim nullam conferente, verum etiam resistente: & ob hanc causam neque ad præternaturalem videtur revocandus. Resp. Tametsi pars illa numero sit una, quia tamen ad duos pertinet, non mirum illorum comparatione non modo diversas, sed etiam contrarias admittere rationes. Itaque idem motus ejusdem membri naturalis dicetur ad unum, violentus ad alterum relatus.

Cæterum ista confusio plurium inter membrorum in isto casu, accidit in prima conformatione seu designatione partium, ex corradiatione nimirum plurium specierum ad locum unum; oportuit autem ista semina a principio distincta, posito demum centro evolutionis, confluxisse.

Potest quidem etiam membrorum confusio fieri formato jam fœtu: nam etiam tum subinde coalescere, testimonio sunt plantæ, quæ prius distinctu postea vero mutuo accessu propius adductæ, seu vi, seu ob incrementum spatio, quod medium erat, intercepto sese stringentes, & demum arctius complexæ in unam arborem adolescunt. Quid igitur prohibet ita connasci fœtum ex diuturno unius ad alterum cohæsu facta indissolubili partium unione? præsertim cum virgulta ob duritiem solidamque compagem minus apta videantur ad coalitum, quam molliculi fœtus.

TRACTATVS XLIII. DE SENSIBVS EXTERNIS.

De sensu inversim, seu in quo consistat proprie sensatio, declaravimus alibi, nempe in Tract. VIII. de anima, ubi quæstionem illam, utrum perceptio sensus fiat per speciem sensibilem, distulimus in hunc locum excutiendam. Itaque sensuum externorum organa & functiones leviter perstringemus, eo quod accurata organorum contemplatio magis ad Medicos quam Philosophos pertinere videatur; sed nostrum est in qualitates ipsas, quæ sensus feriunt, paulo accuratius, quam fieri solet, inquirere.

SECTIO I.

De Tactu, & illius Organo.

Quinque vulgo numerantur sensus exteriores omnibus notissimi, a qua receptissima opinione neque nos recedemus: quamvis non desint, qui tres adhuc addant, nempe famem, sitim & coitus voluptatem, idque propter tot organa distincta, aut certa non nisi unicum statuendum censent. vide Bontekoe Oeconom. animal. pag. 47. Pro cujus ultimi declaratione

Recte docet Thom. Campanella Lib. 1. Metaph. cap. 4. art. 2. Omnem sensum esse tactum realem causaliter, & fieri per passionem realem & non intentionalem, ut Peripatetici opinantur, qui tactus pro varietate organorum subdividitur. Ostenditur hæc veritas. Siquidem quando patimur (sive perfective, sive corruptive) realiter patimur; nam realiter in nos agunt objecta, alioquin non realiter pateremur, neque realiter sentiremus. Item non modo res activæ sentirentur, sed etiam passivæ, & quæ non communicant nobiscum in materia, sicuti angeli & ipsa materia: cum autem activæ solum sentiantur, & quæ robustius agunt, magis; consequens est, ut sensus sit passio realis; quod Arist. in tactu & auditu fatetur. At in omnibus fateri cogitur; ipse enim ait fieri per assimilationem agentis patientisque, & propterea organa sensus innata & res similes non sentiri, quoniam non patimur a simili, sed a contrariis. Verum Aristotelici parum sibi constantes, non esse realem passionem & immutationem sensus asserunt, sed alii intentionalem, alii spiritualem dicunt. Rationes illorum

lorum sunt istæ. Si enim inquiunt (1) naturalis realisque immutatio foret in sensatione, omnia corpora naturalia sentirent dum alterantur. Manifestum (2) est in visione, color enim lapidis non recipitur in oculo, sed species lapidis; nec Petrus, sed imago Petri in pupilla inspicitur. (3) Colores in oculo recepti non immutant oculum, non enim remanet albus vel niger ex hoc, quod sentit album nigrumve colorem, ergo sine alteratione sentit intentionaliter. (4) Ipse aer, per quem transeunt colores, non coloratur; Si autém naturalis esset alteratio, coloraretur: & quidem eadem res ab innumeris spectatur hominibus, & radii visuales earum sese intersecant, & tamen res visibiles non impeditur in diagonia, quod evenire oporteret, si species reales inter sese resecarent. Unde quidam concludunt species hujusmodi esse indivisibiles, & Aphrodiseus L. 2. de anima cap. 38. negat esse passionem realem & species reales, sed docet esse habitudines relativas, ut sicut columna mihi sit dextra & sinistra, ita color fiat in oculo & speculo per præsentiam sensibilium.

II. Sed profecto errant valde; Arist. enim toto c. 1. num. 4. lib. 2. de anima, sensum passionem esse realem & per alterationem fieri plurimis docet exemplis. Ipse quoque Aphrodis. in primo de anima, cap. de animæ sensibus, sic definit sensum: "Est potestas "animæ, per quam id, quod ipsam habet, suscipiendis "sensilibus simile factum, quadam actione intercedente, atque adhibita actione eadem sensilia & ju"dicare & discernere potest. Et mox declarat sentire esse per similitudinem quæ fit per alterationem, & quo pacto in principio sensus agenti objecto est dissimilis, & per alterationem fit similis. Et in seq. cap. docet, oculum realiter recipere colorem, & fieri illi similem, & ideo proprium non habere colorem, aut habere talem, ut mox videre possit. Et in sequentibus declarat auditum fieri per tactum realem, nempe per illapsum motus aeris extrinseci & commoventis intrinsecum auri. Similiter tractans de Odoratu ait: *Odorum est, quod eam animæ potestatem habet, quæ facta odorem odorabilem immutatione ... similitudine odorem excipere ac judicare natum est.*

III. De gustu vero & tactu ipsi omnes docent idipsum: neque enim nisi calefiat manus, sentit calorem, neque linguæ dulcedinem, nisi dulce fiat.

Quapropter cum palam sit, ipseque Aristot. & sequaces omnes fateantur tactum fieri per naturalem immutationem, nullo pacto alii sensus per intentionalem fiendi, ut ita dicam, erunt. Omnis enim sensus Tactus est. Etenim nisi sensile sensum tangat, non fit sensatio. Et hoc dico de *sensili per se*, non per accidens. Sunt quidem sensus organa graciliora, quæ tactum ita exquisitum habent, ut alterius generis videantur, cum tamen sint unius. Palam enim quod gustus, vel ipsorum testimonio, sit tactus intrinsecus magis; qui & vires latentes rei tangibilis, non tantum vigentes, ut communis tactus percipit. Omne enim tenue gracileque patitur magis, quam crassum; & omne penetrans agit magis quam adhærens. Quia ergo alia sensoria sunt graciliora & admittunt interius objecta, idcirco videntur sentire aliter. Ecce quidem mentula tactum Veneris habet, quam manus non habet; manus v. pulsationem febrilem sentit, quam pes non sentit. Pes spinam percipit, quam unguis non percipit.

Item lingua percipit saporem, qui latens calor nativus cum rei substantia est agens, quem non percipit mentula. Nares vero admittunt tenuitatem exhalantem ad sentiendam animam, quam lingua non admittit. Aures rerum motiones per aerem delatas, in aereo excipiunt tympano, quas nares decipiunt nequaquam. Oculus tandem non modo tactiones habet has, sed lucis tactum per suam transpicuitatem se infundentis admittit. Et quia lux tincta coloribus rerum insilit, & per consequens magnitudinibus coloratis, idcirco rerum percipit colores, & figuras & quantitates. Aures rerum motiones per aerem delatas in aereo excipiunt tympano, quam nares nequaquam excipiunt. Et quia lux tincta insilit coloribus rerum, & per consequens magnitudinibus coloratia idcirco rerum percipit colores, & figuras & quantitates. Quapropter ad pauca respiciunt, qui intentionalitates afferunt, excludendo realitates. Non enim modo reale est quod crassum, sed & quod tenue. Neque quod robustum est modo, ut calor multus, sed & quod exile, ut languens, qui est sapor.

Insuper dico, cum species intentionales in sensibus recipi dicunt, seipsos seducunt. Aut enim sunt intentionales, quia sola intentione nostra considerantur, & hoc stultum est: nam nos & bruta sentimus absque intentione peripatetica: vel quia sunt reales, sed exiliter, & non constantes, ut color Iridis, & hoc nos dicimus: at non semper, nam aliqua objecta fortia imprimunt se ita sensibus, ut expelli vix queant. Siquidem calor potens tactum afficit, remanetque in eo realiter: similiter lux multa oculos afficit, ut discedente lumi... adhuc oculi luce affecti perseverent, ut eti... lumen nivis. Quod Aphrodis. & Arist. confitentur.

De Gustu idem novimus, deque sonis magnis in auditu remanentibus, & de fœtoribus in naso. Verum quoniam non manent quantum opus est, ut immutent organum in sui naturam, vel non adeo robusta sunt objecta (hæc enim declinamus) propterea non videntur realiter recipi. Sic calor exilis aquam non immutat in vaporem, sicut fortis: non tamen propterea ille exilis dici debet intentionalis. Sed & hoc mirabile, quod invenerunt speciem soni, & saporis & caloris, qui nullam habent speciem præter seipsos: decepti a formis, quæ in oculo recipiuntur, unde putant omnia objecta formas esse, quod mox reprobabimus. Sit itaque

IV. Conclusio. Nullæ species intentionales ab objectis in sensus nostros profluunt. Probatur 1. Quæ sit earum specierum natura intelligi non potest: neque enim sunt corporeæ aut divisibiles, cum in minima subjecti, aut interjecti medii parte tota & integræ reperiantur. Quod si (ut plerique volunt,) sint indivisibiles, aut inter corpus & spiritum ambigant, quomodo sensum movent, eumque persæpe lædunt? quomodo res extensas repræsentant, cum sint indivisibiles?

Secundo neque origo & causa earum imaginum satis idonea afferri potest, cum corpora plerumque inertia & otiosa tam excellentes formas ex se fundere non possint. An forte e potentia subjecti eruuntur? aut corpora, ut vulgo responderi solet, sunt earum imaginum causæ æquivocæ? Id sane adhuc mirabilius

videtur, e crassis & terrenis corporibus formas adeo spirituales indefinenter procreari aut educi. Jam quibus vehiculis ad oos usque perveniuot? an solitariæ prorumpunt, an propagatione quadam diffunduntur, idque in puncto temporis? Hæc nescio an vera sint, mihi sane videntur adeo esse obscura & intellectu ardua, ot cognitioni rerum explicandæ minus sit idonea. Ita quidem est, attamen noo minor difficultas premit omnes circa naturam, originem, propagatiooemque lucis, uti vidimus Tract. XVIII. & infra denuo audiemus.

Confirmatur. Vt demus coloris speciem in oculo depingi, an calor forte per quiddam aliud percipitur? Quæ figura ant imago calorem exprimet? sic ubi verberatus aer auris tympanum pulsat, ant suavis exhalatio olfactus ferit organum, nihil oecesse est futiles illas & evanidas, aut soni aut odoris, adde & saporis species comminisci, quas nemo cogitando, aut disputando assequi potest.

V. Nunc ad argumenta respondentes dicimus ad 1. quod non propterea erit immutatin intentionalis & noo realis, quia realiter alterata non sentiunt: sensus enim nobis non est ipsa passio, sicut Peripateticis, sed perceptio passioois & impressionis illatæ sensui ab objecto, imo actus est judicantis de passione percepta. At Aristoteli est assimulatio sentientis cum sensibili: propterea si necesse est fieri per alteratiooem realem, quoniam realiter patitur sensus, ac realiter seotit, sicut ligoum cum ignitur, ignit. In oostra quoque Philosophia omnis passio est simul quodam modn sensatio, vel qnodam modo sentiendi causa, quia omnes res contrariæ seipsas mutuo ad necem persequuntur & fugiunt & expellunt, ergo & contrarium quodam modo sentinnt, & simile, adeoque oecesse est quodammodo sensum eis inesse. quin si non qnodsm modo sentirent contrarietate... & amicitiam, non se muto infectarentur, neque aversarentur, nec proinde fieret actio, quomodo nec generatio & corruptio, & omoia versarentur, in chaos, propria loca & cognita corpora non petendo, neqne aliena fugiendo, & ibi manerent, ubi primo posita essent, uti magis declarabitur in Tract. de Vita. At neque si oon fieret in omni passione sensus, probent Aristotelici passionem non esse realem; cum evidens sit, quæ in nos magis agunt realiter, sentiri magis, quæ minus, quæ nihil, nihil.

VI. At cum volunt sensibile positum supra sensum noo sentiri, ideoqoe non esse realem actionem, quoniam sentiretur magis, qno agens patienti se applicaret magis: Nego absolute falsum hoc axioma. Neque enim odor, neque sapor, neque sonus, neque calor sentiuntur, nisi intrinsecus recipiantur. Cum vero a longe in nos agunt, ab aere deferuntur, si aerem afficere potentes sunt. Palam enim ignis calefacit oos, ooo tactu modo immediate sed per intermedium quoque aerem, calorem effundendo; magis tameo cum sine medio tangitur.

Nec obstat, qund colorem non videamus oculo superpositum, ex quo decepti sunt adversarii, quia putant colorem & colorata esse objectum visus, quod falsum est; Objectum enim est id, quod per se agit in potentiam & per ipsum alia, & ipsum oon per aliud. Cum ergo lux per se visibilis sit, & omnia videri faciat, & ipsa ab aliis oon fiat visibilis, idcirco ipsa est verum, primum & universale objectum visus. Quandn igitur hanc aspicio chartam, oportet eam distare ab oculo, ut possit ex ea lux in oculum resilire: nam lux tincta charteo colore insilit in oculum movetqne spiritum ad coloris notiooem, & per consequens etiam colorati. At ipsa lux oculis superposita magis videtur, quam remota, licet ob sui robur oculum lædat: sicut & ignis magis sentitur, dum tangitur immediate, quam per aerem, licet destruat suo ardore tactionis organum; sic vitrum & aqua natantis oculum tangentes, quoniam transpicua sunt, & locem immediate oon impediunt, bene videntur. Ergo objectum proprium, nisi tangat, non sentitur.

Ad 2. Cum ajunt oon esse colorem Petri, neque Petrum in nculo, concedimus, at non sequitur, non moveri visum realiter ab objecto. Nam Petrus noo est objectum visus, neque color, sed lux. Lux autem realiter intrat oculos; color ergo videtur per lucem ipso fœdatam, & figura per colorem, & Petrus per utrumque syllogismo quodam sensuali. Dicimus ergo ab his, quæ objecta propria oon sunt, moveri sensum realiter, sed per accidens: ideoque non ipsa, sed alind, cui mixta sunt, sentiri. Id autem palam realiter movet.

Ad 3. Negamus, propterea quod colores non remanent in oculo, & in aere, immutationem non esse realem. Nam neque vox, quæ realis percussio est, remanet: neque lux abeunte luminoso; neque imago in speculo abeunte eo, cujus est imago, & nihilominus realiter recipitur vox in aere, & lux & figura in speculo, & realiter videtur. Quod ipse Aphrodiensis fatetur & D. Thomas ex eo, quod realiter lux calefacit & alterat aerem, licet Ægydius & Scotus inficientur: sed inaniter probaot ex hoc, quod recipitur in oculo, suam negationem, ex quo nim. contrarium elicere debuissent, nisi ex Arist. verbis, proprio negato sensu, philosophparentur. Dicimus ergo in oculn & aere colores recipi non per se, sed per lucem illis tinctam, quod Aphrodisius ipse exinde animadvertit, quod lux ex herbis exsiliens, aerem & adversum parietem herbaceum facit, & ex purpura purpureum, & ex albore nimio aerem albidum, objectaque corpora. Nec quia non remanent colores isti, reales non sunt. Propterea enim non remanent, quia tanti vigoris non sunt, ut aerem qneant per se immutare, sed per lucem. Lux autem in transpicoo tanquam in simili facile recipitur. Non autem perseverat, quia ipsum non immutat: oeque enim potest ipsum urere, in ignemque lucidum vertere, cum jam fit attenuatus; istic vero fit atteouatio. Item aer tenuis est, & lucem non potest continere multam, at nec transpicunm ullum, nisi ipsa conglobetur & remaneat, ut in stellis, vel in densitate ignita, sicut in carbone & ferro. In aere autem conglobari nequit, quoniam ad suum cognatum semper globum revertitur, a quo pendet. Ergo nec color potest in aere permanere, si lux ipsum deferens abiit. Patet hoc in Iride, ubi lux fœdata a vapore, coloratur; vapore aotem dissoluto evaoescit color, quooiam lux abit aut non fœdatur; aer enim illi similis; est oec ipsam fœdat; vel si fœdat, nobis fœdatio illa occulta est hoc modo videndi præditis assuefactisque, ooo autem aotipheronti. Sic etiam calor solis in aqua, vel exilis ignis, non propterea dicendi sunt intentionalis, eo quod oon permanent, sed non robusti aden ut possint stabiliter immutare; vel quia subjectum non est recepti-

ptivum coloris permanentis. Non enim color ipse agit in aerem, sed lux colorata; sic & in oculum, in quo non remanet, luce abeuote nisi exiliter, si enim peoitus immutet, destruit, id quod facit perseverans albor nivis & solis lux. Quod autem ajunt ex eo, quod colores in aere non se mutuo impediunt, intentionales esse judicandos aut indivisibiles falsum est, oam locis ignorant naturam, quæ nim. in quos insilit angulos, resilit, & usquequaqoe & undequaqua multiplicatur, & in qoovis aeris atomo angulos facit, & pyramides innumeras, & se mutuo intersecant propter suam incorporeitatem. Vnde plures candelæ umbras plures ejusdem styli jaciunt & per plura foramina opposita exerunt radios. Quoniam ergo ooo colores, sed lux fœdata ab eis resilit, non se impediuot luces com sint ejusdem naturæ.

Ad 4. Quod colores non sint indivisibiles nec intentionales ostendit color nivis, qui oculos sua actione rarefaciendo obcœcat; & albor & herbaceus color & umbrosus, & qui in aere spectantur & in adversis corporibus ad præsentiam albissimarum rerum, & herbarum & nigrarum. Item in speculo recipitur imago & color divisibiliter sparsim io partes. Illod Aphrodisei dictum plane ineptum, nempe sensationem esse meram relationem sine passiooe: quis enim unquam vidit solam approximationem vel præsentiam sufficere ad sentiendum? Sane præsentia visibilis visionem non facit nisi per lineam rectam, neque si sit visibile proximum, ut propria auricula &c.

Omnis ergo sensus est tactus, & fit per passionem fortem, aut debilem, per se vel per accidens: actio autem & passio non fiunt nisi tangendo per Aristot. 1. de gener. Tanguntur autem quorum extrema sunt simul.

VII. Hactenus de tactu generice sumpto: nunc de Tactu specifice sic dicto agemus. Tactus organum vel in cuta ipsa positum ast, cum ea sit tota fere nervosa, vel in aertis corporibus cutam inter & cuticulam interjectis, quas papillas nervosas Malpighius appellat, potissimum collocatur. Verum utres ipsa fiat apertior;

VIII. Observandum est: 1. Cutem ex nervorum, arteriarum & venarum ramulis magna ex parte esse cootentam; in eam vasa excretoria seo lymphatica ex infinitis peoe glandulis oriunda desinere, per quæ sudor & halitus erumpunt. Nam illud vero proximum videtur, sudorem & crassiores halitus, qui continuoter e cute exhalant, per arterias in eas cutis glandulas deferri, quæ com sint granis milii similes, a Stenone miliares dicuntur; atque inde per vasa quædam his glandulis propria expelluntur. Sic io piscibus, ut in anguilla cavitas quædam in cute prope initiom spinalis medullæ cernitur, quæ utrumque in meatus usque ad caudam porrectos variis tubulis & papillis distinctos desinit. Nec dubinm est, humorem per eos tubulos exprimi, qui piscium motum faciliorem efficit: ut solent naves axungia aut pice obduci, ut reluctantis aquæ vim facilius frangant.

IX. Secundo. Cutis animalium ex moltis quoque musculorum & tendinum fibris contexitur, quæ in Rajæ piscis cnte crassiore cernuntur. Quin & in homine ipso musculorum abdominis tendines in cutim manifeste desinunt, in ea scilicet parte lineæ albæ, quæ est super umbilicum. Hinc cutis ut tendines, in substantiam glutinosam coctiooe ipsa facessit.

X. Tertio. Ex cutis involucro instar retis formato, quodque mucoso humore perfunditur, nerveas fibrillas in fasciculos collectas prodire existimat Malpighius. Sic in vola manus aut digitorum apicibus rugæ extant in certum ordinem digestæ, quæ detracta cuticula nihil esse deprehenduntur, præter earum papillarum capita, quæ in cute ipsa altas habent radices, & supra corpus quoddam reticulare assurgunt. Atque, ut ipsi qnidem videtur, hoc est præcipuum tactus organum, ut linguæ papillæ, de quibus postea, sunt præcipua Gustus instrumenta immo tenues illæ febrillæ cuticulam ipsam magna ex parte efficiunt. Eo quippa est crassior, quo papillæ sont majores & crebriores, ut in vola manus, & in pedibus avium cernere est. Quoetiam reticulare corpus, unde papillarum pedunculi assurgunt, crassius est, hoc papillæ longius proferuntur, ut in nostris & unguibus avium patet.

XI. Quarto. Sub cute infinitæ, ut diximus, apparent glaodulæ miliares, quarum unaquæque sua venula, arteriola, nervilo, & vase excretorio instruitur. Horum vasorum ostiola inter pilos certo ordine digesta cernuntur. Sudorem per eas glandulas & vasa secretoria excerni jam diximus: imo perspiratio insensibilis per ea foraminula omnino perficitur. Vnde si manum calentem vitro crystallino admoveris, statim id nebula quadam inficiet; nec vapores illi, qui continenter ex corpore exspirant, aliunde quam e glandulis subjectis oriuntur, dum serosus humor, quam arteriolæ una cum sanguine advehunt, per vasa excretoria et inutilis amandatur.

XII. Quinto. Nigredo papillarum, quæ in pedibus, labro superiore bovis, aut suis cernitur, forte oritur ex mucoso humore, quo retiformis plexus in summa cute imbuitur: hinc enim certis in locis nigrescit, ut in lingua, in aliis albicat, ut in palato: atque ex eo forsitan homore nigredo æthiopum ducenda est: nam in iis nec cuticula, nec cutis ipsa atro colore inficitor, sed a mucoso humore & plexu reticulari nigredo illa videtur repetenda.

XIII. Ex iis, quæ diximus de tactus organo, facilius intelligentur præcipui tactus ipsius effectus, quos inter dolor & voluptas primas tenent. Dolor oritur vel ex pressione fibrillarum, quæ ex iis papillis miliaribus hinc inde diffusæ cutis texturam efficiunt, cum eæ premuntur fortius, ex earum divisione fit dolor, qui definiri solet, *sensio molesta a continui solutione profecta*. Non quod in omni dolore necesse sit fibras ipsas divelli, ut in vulneribus fieri solet: nam frigus, calor, flatus ipsi, aut alieni eorporis partes quasi cuneatim adactæ dolorem creaot fibris illæsis, nisi quod eæ plus satis aut premuntur aut tenduntur, aut a se invicem distrahnntur.

Voluptata vero tum perfunditur quadam tactus, cum spiritus placide & æqualiter diffusi nullo obice retardantur; aut si forte paulo vehementius agitentur, ut in [illegible]stillatione accidit, tamen in statum naturalem mox restituuntur, aut certæ cum molestiæ causa tollitur: nam voluptas maxima molestiæ detractione cootinetur. Sunt & alii affectus ad tactus organum spectantes, quorom tractationem Medici sibi vendicant, physici vero, qui rerum causas persequuntur, summatim eos delibant. In magna ea parte ad glandulas miliares referuntur. His continentur ductus sudoriferi, & juxta clariss. Malpighium papillæ pyramidales sibi mutuo parallelæ, ex qoibus innumerabiles fibrillæ dimanant. Fatetur tamen author Phil. Burgund. Reg. has papillas a peritissimis Anatomicis non-

nondum esse conspectas, uti nec valvulas, quas in vasis sudoriferis, ut laticem seorsum vel liberius effundant, eut retineant: eas tamen negare non audet. Utcumque res sit, id liquet, nervosas fibrillas præcipuum esse tactus organum, singulis poris, præsertim majoribus, glandulas subesse cum vasis excretoriis, quæ forte papillas nerveas madore suo aut halitu perfundunt. In plerisque poris majoribus, per quos sudor emanat, pilorum radices insunt. Si meatus inter rugas cuticulæ quasi paralleli disponuntur, atque eorum intervalla innumeris poris minoribus, quasi punctis distincta apparent. Cum pori omnes humore quodam oleoso implentur, tum pleni & tensi cutim lævam & planam efficiunt: at exhaustis eo humore, aut alieno subeunte, cutis aspera videtur & rugosa: ut cum lixivio lavantur manus, tum enim rugæ veluti sulci fiunt majores. Interim meatibus externo frigore occlusis vapores intus coerciti cutem attollunt: hinc exterior manus superficies frigori exposita statim scabra fit & aspera.

XIV. Huc referuntur rubræ illæ maculæ, quas Ephelides (Sommer-Flecken) vocant, quæque tum faciem aut manus inficiunt, cum soli sunt expositæ: tum enim partes biliosæ una cum sero ab arteriis in glandulas perlatæ, & seroso humore destitutæ in cute remanent, ut probabiliter explicat Willisius, quod ejusmodi maculæ (Gall. les lentilles, lentigo, Schweiß-oder Leber-Flecken) in iis sint frequentiores, quorum cutis est mollior eut rarior, quique flavis sunt capillis: nam in iis æstus solis humorem biliosum, eumque rarefactum eousque perducit, qui a cuticula densiore sistitur.

XV. Nec difficili ratione psora, aut scabies ex lympha in glandulis cutis male affecta oritur. Sive corruptus & impurior sanguis, & solutiur in glandulis cutis excrementa deponat, quæ fermento suo cum succis per eadem loca transeuntibus effervescunt & coagulantur: sive humor glandulis contentus restagnet & corrumpatur, ut in iis qui vitam agunt desidem, aut qui fœtidis locis concluduntur. Hinc enim perspiratio insensibilis impedita sanguinis massam pervertit: seu denique fermentum illud virulentum contagio quodam ab aliis infectis prodeat, & meatibus cutis exceptum serosum humorem glandulis contentum ad fermentescendum proclivem statim pervertat. Non aliter atque in cerevisiæ floribus cernimus, quorum pars vel minima novæ & nondum fermentatæ infusa, statim eam fermentat, & acriorem efficit.

XVI. Rem vero ita esse, cum ex cutis fabrica, tum ex ipsa nimium communi experientia constat. Hinc qui carne salsa, aut fumo indurata crebrius vescuntur, huic incommodo sunt obnoxii, quod acrior sanguis recrementa sua in cutem emittat. Quæ autem sanguinis & lymphæ aciditatem nimiam, vel scammonism detrahunt, aut benigniorem & texturam & oleosam tribuunt, ut sulphur inprimis, & ejus præparata, hæc vi quadam specifica eum pruritum sanant. Præcipiebat olim Cl. Sylvius, ut mixtura ex sulphure, nitro & butyro recenti manuum carpi & poplites illinerentur. Quod a multis non sine suo commodo factum novimus. Sic præter alia bene multa, quæ in hanc rem præscribit Willisius, illud est facillimum, ut indusium aquæ fontanæ cum pulvere sulphuris incoctum & exsiccatum per aliquot dies induatur. Hæc de Tactus organo sufficiant.

SECTIO II.

De Gustu, ejus Organo & Objecto Sapore.

Cum hic sensus sit velut Explorator quidam in ea corporis parte collocatus, qua iter cibis patet, ut salubria sint eut perniciosa discernat, facultates aut vires corporum ex saporibus potissimum internoscimus: neque ulla datur regula ad rerum vires & temperationes dijudicandas magis idonea, quam ea quæ ex variis saporum differentiis depromitur. Unde 1. de Gustatus organo, 2. de Saporum natura & origine paulo accuratius agemus.

XVII. Conclusio Prima. Gustus Organum in papillis nerveis, quæ summam linguæ superficiem exasperant, esse constitutum, ut verisimillimum arbitramur. Nam Gustus, ut ab Arist. fuit observetum, & præcedente sect. ostensum, est quædam Tactus species, & utriusque objectum sensorio admoveri debet: tametsi res sapida altius linguam subit, quam res tactilis manum; illa quippe meatus linguæ penetrat. Hinc subita spirituum refectio a vini libamine, & post longam inediam, non prius lingua vini spiritum aut generosum liquorem attingit, quam nuvas in vobis vires experiamur. Quod utique fit, quia liquor penetrans nerveas papillas subit, hincque ad nervos ipsos pene in momento pervadit. Id vero fiet apertius cum pauca de linguæ structura dixerimus.

Ac primum Lingua musculus est fibris innumeris instructus, quæ summa varietate disponuntur, ut flecti in omnes partes possit. Præter extimam illius membranulam, quæ epidermidis aut cuticulæ loco haberi potest, cuique subjecta est glutinosa quædam substantia variis foraminulis, instar reticuli pervia, est alia membrana, aut corpus nervosum & papillare, præcipuum videlicet Gustatus organum. Nihil enim sunt eæ papillæ, nisi funiculi ex intima linguæ membrana, quæ mucosæ & reticulari subjicitur, prodeuntes. Ita quidem mucosam substantiam penetrant, & in extimam linguæ superficiem oblongo capitello proferuntur.

Secundo. In mucoso & reticulari involucro radices habent cornua quædam, quæ in lingua Leonis, ursi & quorundam quadrupedum tanquam dentes asprini assurgunt: atque hi linguæ velut aculei, ut ungues & cornua animalium ex reticulari corpore jam solidiore facto, & extima cuticula concrescunt. Nam si ungue detraxeris extimam cuticulam, externum simul eorum cornuum involucrum auferes, nec evelli possunt, quin portio reticularis corporis circumjecta laceretur: eaque evulsa in nervoso aut mucoso corpore foveas relinquunt; adeo ut eorum origo obscura esse non possit. In eum autem videntur usum formata, ut ex palati glandulis humorem salivalem scalpendo exprimant, præsertim in ruminantibus. Deinde per interjecta illa cornua cautum est mollioribus papillis ne continuo attritu & asperioris cibi contactu indurescant aut lacerentur: non alia pene ratione quam manuum digiti unguibus muniuntur, quo tutior fiat & fortior apprehensio. Plura vide apud Malpighium in tract. de Mechanica animal.

XVIII. Objectum Gustus est Sapor; hic prout est in objecto, Aristoteli est affectio vel proprietas corporis humidi genita a sicco terrestri per calorem excocti. Ex qua tamen definitione nihil discimus, cum non explicet naturam hujus affectionis, neque ubi sita sit. Thomas Campanella L. 2. Met. cap. 5. art. 8. ait, Sapor est

est ipsemet calor attemperatus secundorum entium materiei, cum qua subiens linguæ poros, sentienti spiritui suæ activitatis mensuram, & materiei qualificatiooem cognosceodam præbet. Manifeste enim sapor agit: actio autem secundorum est a primis activis. Omnes enim gradus elementati caloris saporea sunt: ooo tamen omnibus iidem, sed alii aliis pro linguarum structura admittente aliter alibi sapidum objectum ad seotieutem animam. Ideoque quod nobis ast dulce, oon est capræ similiter dulce, nec arbori. Sicuti quod magoum est formicæ, parvum est nobis: hoc autem considerare sapientiæ est; quæ ex illata passione, de agente objecto judicat non passive, nec actione, sed actu, prout alibi declaravimus. Est enim homo suæ scientiæ mensura per sensum; aliorum vero per considerationem.

Hinc quis gradus caloris, quæve materiæ dispositio inest objecto saporoso ex actionibus jam dictis mensurat Meos. Quæcunque sentit calida esse per rationem, in nostro autem tactu ac gustu nec calorem liberum, nec irretitum, qualis in sapore imprimunt, sed non calida, oec saporosa apparent, ea nostro calore nostraqoe temperatura minorem calorem stupidioremque temperiem sortita esse, judicat. Deinde quæ insipidum obtinent gustum, oobis æque calida dicit; quoniam a simili oon patitur ullum ens: sic &, cum tangit æque calida, accidit.

XIX. Solent Medici novem saporum species distinguere, acrem vid. acidum, pinguem, salsum, austerum, dulcem, amarum, acerbum, insipidum: quorum tres primi e tenui materia prodennt; medii e mediocri; postremi e crassa & terrena. Sic eos sapores varie ex Elementorum qualitatibus ducunt; quæ sane multis ratiooibus refelli possunt. Vt enim nihil dicam de aciditate, quæ calidis juxta & frigidis insidet, sapor amarus in teoui corpore, ut in crasso reperitur, prout in spiritu absyothii distillato cernere est.

XX. Roberto Boyle Sapor omnis oritur a Sale. Si ergo juxta Chymitos denominatio corporis desumenda sit a qualitate prædominante, sane omnia olea chymica, ut Cinnamomi, cariophyllorum &c. salina dicenda erunt, cum vel maxime feriaot linguam.

Citato Campanellæ in genere Saporum est salsus primus, & secundom recessum ab eo fit oumerus ordinatus. Sicut in genare colorum lux est prima & secundum accessum & recessum ab illa causatur multitudo & ordo: noo enim est secuoda rubedo, vel viriditas, sed albedo quæ vicioior luci; tertia pallor, & cætera. Loquendo de Saporibus *Stipticus* vocatur, qui linguam stingit quasi panno, oon quidem calore sed molis indigestæ atomis obtusis; quemadmodum enim pomum cum a principio digeri per solem cœperit; iocst & quædam amarities si & calor multus comitatur crassitiem qua constipantur pori. Cum autem coctus fuerit iste sapor magis, tunc fit *ponticus*, qui solet pungere linguam, quales sunt fructus acerbi, cujus partes incipiunt a calore acuminari. Post hunc subsequitur *acidus* multiplex. *Acetosus* enim est in aceto, & *acer* in arangiorum & limonum medulla, & *ardens* in cæpa; prout calor multus unitior, aut rarior, & partes magis minusve acuminatæ fuerint. Sapor enim non est purus calor, sed calor cum propria mole ageos. Sequitur *dulcis*, cum videlicet acuties elabente calore cœperit ex parte exhalare: hic blande linguam subit, emollit duritiem, humiditatem miouit, calefacit suaviter. Estque multiformis, alia enim dulcedo mellis calidior; alia mannæ solutior, alia pineorum, & ovorum & carnis & sacchari; prout oempe partes fiunt materiæ acutiores & minus acutæ, & calor major minorque, & materia laxior, deosiorque. Dulce concalefactum magis dum exhalat tenuitas blanda, amarescit, remanente crassiuscula parte cum calore onitiori, sicut patet cum carnes assantur usque ad ustionem, & cum appia mala fracescunt, & sacharum epotum bilescit. Et quidem ex tenui parte dulcedinis fit unctuositas, qualis io oleo; ex crassa fit amarities, qualis in amurca. Non enim amarescunt nisi urantur & subsidant. Colocyntia tamen ex caloris vehementia, ut io bile. Hoc enim in crassitie usta, propterea qnod unitior, amaritiem agit. Tandem ex amaris bene incoctis fiunt aromatici sapores, quorum alii ardent, ut in pipere; alii stiptici suaves sicut in mirto, cum blanda coctura solia dimittit amaritudinem, alii acres sicut in cinnamo & cariophyllis. Et quidem aromatici sunt plurimi, ex varietate cocturæ, & materiei crassitie, tenuitate, acutie & obtusitate; & qui calidiores & corpulentiorea sunt stomachosiores, quales in Rhabarbaro. Alios gradus oos non agnoscimus, quamvis inoumerabiles sint, & alii quidem ad linguas aliorum animalium. Ex his ramen nobis materiæ qualitatis & caloris vires, venari licet, & copiam & inopiam. Ex crassatiooe combusta liquefactaque fioot sales virtuosorum saporum, amaritiei vicinorum.

XXI. Democratici negant caloris diffusivi sui vires in saporibus, arbitraotes fieri omnes ex figurarum rationa, aogulosi enim discerpunt lingoam ac videotur austeri; alii repleot crassitie affliguntque ut amari: aliis intrant facile ex rotundis compositi atomis, ut dulces; alii minus crassi blande intrantes suavitatem inducunt, alii acuminati secuodum magis & mious.

Sed profecto non recte, nec sufficienter. Amaritiem enim, & io adusta crassitie experimur, & in vebementi calido non crasso, qualis in colocyntida & in flava bile. Item saccharum dulce in bilem transit amaram, quod non fieret, nisi adderetur calor major: atomorum enim figura in ea non mutatur, nec transpositio aliquid facit. Nam si toille modis in mortario saccharum contundas, non mutabitor in amarum. Ergo nova qualitas activa additur amarescenti.

Præterea vitrum & lapilli contusi in aculeata aroma solvuntur, nec tamen saporis acuti, aut aromatici, aut salsi vim acquirunt. Sunt ergo figuræ atomorum commodæ ad saporem, & partes ejus ad agendum cum calore, noo autem per se sapores absque caloris vi. Patet etiam, quod amara bilis in aquas, & vina intecta, & modicum salis, amaritiem & salsedinem in multa aqua expandunt. Hoc autem non accideret, nisi ex concinnata temperie nova, nova qualitaa esset sapor, nempe sparsa moles atomorum alium accipit ordinem & situm & agendi vim.

XXII. Maoeat itaque saporem esse caloris nativi elementati cum sua sibi attemperata mole agentis, actionem: non autem passionem indicemque esse temperaturæ gradus, & caloris io elementatione. Nec esse saporem nisi oobis, & non ubique, sed in lingua, & prout excedit nostrum calorem, & texturam lioguæ, efficere sententiam nobis, non antem brutis eandem, oec secundum naturam: & hoc intelligere homini datum angelico; non plebejo.

SECTIO III.

De Olfactu, ejus Organo & Objecto seu Odore.

XXIII. Tanta est inter Olfactum & Gustum cognatio, ut hujus gratia ille a natura tributus videatur; isque rerum, quæ gustari debent, sit velut explorator, ne temere noxia degustemus. Hinc olfactu ex distillatione male affecto, statim Gustus ipse imminuitur, ac generosi liquoris odor, aut medicaminis fatiscentem stomachum, & vires prostratas nonnihil reficit, aut nauseam interdum excitat. Ratio forsitan hinc petitur, quod paris quinti ramus ad olfactum pertineat, cum par illud Gustui quoque famuletur.

Quod autem sit Olfactus Organum, inter Medicos non mediocriter controvertitur. Plerique Avicennam secuti processus mammillares, qui intra cranium & radices narium utrimque patent, genuinum statuunt olfactus sensorium. Aristoteles idipsum in tenui membrana, quæ interiores anfractus narium succingit, positum existimat. Et hoc probabilius redditur vel ex eo, quod sensoria non in cerebro, sed in externis sint partibus constituta: ea quippe non in cerebro, quod est sensus communis sedes, sed in membranis extra cranium velut in excubiis natura collocavit. Unde qui compressas a natura, vel ab ictu nares habent, hi plerumque aut nullo aut debili sunt odoratu, quod fibræ olfactoriæ nimium arctentur. Canes sagaciores intimos narium anfractus numerosiores habent, & tenuem membranulam, quæ cartilagini anfractuosæ obducitur, magis complicatam & multiplicem: nec tamen tubercula mammarum papillis similia habent ampliora.

XXIV. Hanc porro membranam narium interiorem esse proprium olfactus organum ex mirabili illius textura publice ostendit insignis Anatomicus & Philosophus Vernæus. Primo: Narium cava innumeris prope lamellis cartilaginosis, quæ in plures alias, tanquam in totidem folia diducuntur distincta apparent, atque ex lamellæ ad radices narium positæ sunt numerosiores, sed angustiores, & ossi cribroso omnes adhærescunt: adeo ut satis sit verosimile os cribrosum ex earum lamellarum extremis coaluisse & foraminula, quibus pertusum cernitur, nihil esse præter lamellarum intervalla. Secundo: Interior membrana omnes lamellarum anfractus & recessus obducit: sicque mirabili naturæ artificio tenuissimæ illius telæ, quod genuinum est olfactus organum, superficies intra angustum spatium adeo extenditur: eaque luci exposita infinitis pene velut radiis, nervulis nimirum, venulis & arteriolis distincta apparet, ita ut præcipuo cuidam usui destinata videatur. Neque ob aliam causam, sic est explicata & ampla, nisi ut halitus odoriferus, qui satis est debilis, plures illius membranæ partes afficiat, in his hæreat, & nervorum fibras percutiat. Hinc lamellæ cartilaginosæ sunt numerosiores in animantibus, quæ exquisito sunt olfactu, ut in carne venatico; in homine vero, cujus olfactus est obtusior, paucæ admodum sunt.

Quorsum autem tam exquisitus in ea parte sensus, aut membranæ textura tam peculiaris, nisi huic usus quoque sit peculiaris a natura tributus? Hinc in destillatione aut coryza, cum hæc tunica nimio humore madet, olfactus penitus obtunditur. Iam vero id minime dubium videtur, distillationes capitis non tam a cerebro, quam a glandulis male affectis proficisci: atque id optime cautum est a natura, ne colluvies serosa in cerebrum usque penetret. Nam in oculis & naribus ipsis infinitæ sunt glandulæ, quæ seorsum humorem secernunt. Postquam enim hic aurium cavitates, oculos, nares, & fauces irrigavit, ex auribus per aquæ ductum, ex oculis per puncta lachrimalia in nares, hinc partim per ingentem hiatum in fauces, partim per angustum fretum in oris cavitatem, tum per œsophagum in ventriculum & intestina, tum forte in vasa sanguinea per chyli & lymphæ ductus suum circuitum absolvit. Cum autem quantitate aut qualitate is humor peccaverit, tum morbi & catarrhi imprimis oriuntur. Sunt autem glandulæ velut cribra, quibus serum a sanguine secernitur. Hoc de organo olfactus.

XXV. Saporis analogum est odor, qui nimirum calor est cum tenui substantia penetrare apta naris spongiam (seu dictam membranulam) & nervulos, spiritui que proinde communicari. Unde discernit, & caloris vires, & exhalationis simul dispositionem & corporaturam, quemadmodum Spiritus gustans ex sapore calorem, & substantiam crassam agnoscebat.

Putamus autem odores nequaquam esse atomorum figuras defluentium ex corporibus ac nares penetrantium, sicuti placet Democriticis. Odor enim res activa est suique diffusiva, ut multis experimentis docemur; nec nisi calore deferente posse odorari, incensationes & agitationes atomorum, & putrefactiones exhalantes odoriferæ admonent: gelationes vero & immobilitas, & quæcunque obstruens exhalationi vias, odorationem impedientes. Odor ergo est tenuitas cum calore agens in spiritum, annuntiansque odorabilis naturam, non omnis, sed quod nostro spiritu non excellentius valde est in viribus, neque deficientibus, nec ordinaria confectione consimile ut dictum de Sapore. Gradus enim saporum & odorum correspondent caloris cum materia temperaturis.

XXVI. Differunt itaque in hoc maxime odores a saporibus, quod odores sint tenuiores, illi crasiores, sed utrique ex iisdem principiis activis, aut ex simili fere partium configuratione oriuntur. De odoribus itaque ex Phil. Burg. tom. 6. part. 2. Phys. cap. 3. habe sequentia.

Ad primum illud certum videtur odorem cum substantiali effluxu esse conjunctum; nam contrario vento difflatur, vento secundo advehitur. Quæque odora sunt, nisi arctiori custodia serventur, suum odorem magna ex parte amittunt; cum humore frigido perfunduntur, vix odorem suum spargunt. Nec tamen necesse est novum halitum jugi & perenni fluxu ex aromatibus, aut lignis odoriferis continenter diffundi: sed fieri potest, ut ex sulphureis & oleosis corporibus visc osi halitus erumpant, qui tamen a suis fontibus non facile divellantur: cujus generis effluvia e corporibus electricis erumpere dignoscuntur.

2. Odores, ut sapores spiritu, sulphure & sale contineri verosimile videtur: illa enim plus odoris fundunt, in quibus aut spiritus aut sulphur est uberius: tumque gratus est & sensum demulcet odor, cum pars sulphuris purior cum spiritu exhalatur. Sed crassum sulphur sale aculeatum insigniter fœtet.

3. Ple-

3. Pleraque corpora cum propius admoventur, minus gratum odorem fundont, quam ubi sunt remotiora. Nam tenujeis spiritus olfactum juvant, crassiores offendunt: motus etiam & fermentatio odores plurimum intendunt. Sic uvæ ante omnis odoris expertes, ubi contusæ fuerint, fermentescunt; pania ipse, calx cum aqua dituitur, & alia id genua plurima ex fermentatione odorem founi longe lataque spargunt.

XXVII. Neque id eos fugit, qui unguenta temperant. Ambra ignavi est odoris. Zibetum (Gall. *civette)* quo purius est, hoc minus grate olet. Ex utriusque tamen mistura odor gratissimus exoritur: ut si decem grana ambræ cum tribus granis Zibeti mista conmderis, atque unam aut alteram guttam succi limonii, qno augeatur aciditas aot fermentatio, instilles, suavissimũ unguentum obtinebis. Sic Moschus, ubi purus est, non olet suaviter; misce cum aliquot guttis spiritus rosacei ardentis, fragraotissime olebit.

Aliam D. Boyle compositionem affert. Sume 8. partes ambræ (*ambre gris*) 2. Moschi, 1. Zibeti, misce optime, & cum ea compositione aut flores, aut floracem, aut quidvis aliud temperare tibi licebit.

XXVIII. Multa cum putrescunt, ait hic Author num. 4. magis fragraot, ut quædam brutorum sicciora, Moschus, Zibetum, & alia hujus generis: nam ex fermentatione & attritu partium sæpe odor fit gratior. Videtur autem confundere putrefactionem cum fermentatione contra monitum Leonis a Sripite, qui omnem odorem ex putredine ortum insalubrem & fœndum dicit; ex fermentationo autem (quæ nihil aliud est quam partium diversæ naturæ dissociatio, aliarumve tum prehensio & mixtio, tum expulsio & præcipitatio, quod fit per acidum succi) suavem & salubrem cum quadam fragrantia. Nihil fere est urina diu servata fœtidius: qui tamen moschum ex Indiis advehunt, cum odor magna ex parte exhalavit, pelle ejusdem animalis iovolutum, aut vesicis inclusum in fœtidis locis per dies aliquot solent appendere, & vesicas variis foraminulis pertundere. Qno quidem modo, teste Boyle, pristinam moscho fragrantiam restituunt, quod quidam antiperistasi adscribuot.

XXIX. Plura in haoc rem afferri possunt, quæ D. Boyle fuse explicat, & ex eo recenset Phil. Burg. ut suot: 1. Ex mistura duorum corporum, quæ odoris sunt expertia, odor vegetus & ingratus prodit: ut cum calx viva & sal armoniacus simul contunduntur: hic odor urinosus exhalat, quod salis volatilis particulæ sursum tollantur, & nares feriant.

2. Ex duobus corporibua simul permistis, ut ex duabus partibus olei terebinthinæ, & una spiritua vitrioli leni igne destillatis liquor clarus exit, odoris ab utroque diversi, nam sulphur plane redolet.

3. Spiritus nitri, aut aqua fortis ex admistione spiritus vini, suavem odorem, ut saporem contrahit. Quod si loco Spiritus nitri, spiritu Salis communis, qui in salispetræ præparatione est plurimus, eodem modo cum spiritu vini purissimo paraveris, liquorem habebis adversus calculom, ut ego arbitror, utilissimum; usum tamen ejus non addit.

4. Vini Hispanici duabus libris si paucas aliquot uncias spiritus vitrioli & cærulei addideris, ac simul digerantur, gratum odorem ex mistura præbebit. Sed odor longe erit suavissimus, si spiritui vini purissimo, spiritus vitrioli æquale pondus per aliquot hebdomadas digerendum adjeceris, & liquorem exstillaveris. Adeo ut hinc liquere possit, quantum sulphur vini, ut loquuntur Chymici, vegetabile, sulphur minerale, quod in spiritu vitrioli ioest, aut exaltet aut perficiat. Simul quantum contextus corporum ipsa digestione mutari possit. Liquor ille adeo subtilis & suaviter olens phialæ bene occlusæ, sed in loco calidiore per aliquod tempus relictus, in odorem ingratum, quique allium referebat, degeneravit. Sic sal tartari succo ceparum perfusus & per unum aut alterũ diem digestus, allii odorem contraxit.

5. Odorum fragraotiam ipsa compositione aut præparatione intendi posse, hoc exemplo confirmari potest. Moscho optimo spiritum vini purissimum affunde; adeo ut liquor digito emineat; in vase vitreo accurate clauso per aliquot dies citra calorem digerenda colloca, donec spiritus vini tincturam aliquam, quæ tamen rubra non est, adeptus fuerit: eam tincturam in vas aliud effusam, ut exquisitam serva. Moscho in vase residuo tantundem spiritus vini iterum affunde, qui tardius quidem & debiliorem tincturam, vel, ut loquuntur, essentiam e moscho elicit, quam alteri phialæ impone: quod reliquum est moschi, ad alios usus adhiberi potest. Sed quod ad rem nostram magis pertinet, prior tinctura non multum fragrat, & vix eam aliquid Moschi exsolvisse quis crediderit, & tamen si vel illius guttam vini Hispanici, aut alterius vini optimi libræ affuderis, odore Moscho illud statim perfundet.

SECTIO IV.

De Auditu, ejus organo & objecto seu sono.

XXX. Quæritur 1. Qualis sit constructio officinæ acusticæ, sive Auris? Resp. Potentiæ auditivæ organum est *auris*, quasi ab *hauriendo* sic dicta, hujus constructio in homine est hujusmodi. Exteriores partes, quas auriculam vocamus, homini natura nec duras fecit, ne facile contundi & lædi possent; nec nimis molles, ne facile collaberentur & indecore ac noxie sono meatum intercluderent: sed cartilaginosas, media quadam inter carnem & ossa natura. Introrsum vero viam struxit obliquis anfractibus ad instar labyrinthi impeditam, ne forte sonus rapido delatus aere vehementius nimio impetu recta in organum irrueret, illudque rumperet, sed illis flexibus & angiportubus mitesceret. Adhæc meatus ille est admodum angustus, ne quid facile inimicum intro penetrare possit, imo viscoso & denso humore excrementitio inficitur, ut eo velut glutine & luto tenaci bestiolæ noxiæ irrepere tentantes irretiantur & detineantur. Foramen tamen illud ex iis demum angustiis dilatatur in cavitatem quandam quasi orbicularem, cujus medietatem operit pellicula aliqua sive membrana, quam *tympanum* auditus vocant. Quæ membrana osseo circulo innexa, & tribus ossiculis armata, ob figuram *malleolus*, *incus* & *stapes* dictis, quorum officium est, ut tympanum tendant aut laxent, prout ex usu fuerit. Post tympanum sequitur secundus meatus magis interior, qui ab Arist. vocatur *cochlea*, ab aliis *pelvis*, continens aerem implantatum. In extremitate huius specus aliud est foramen ovale tenui membrana obductum, quod fenestram vocant. Post hanc sequitur tertius meatus, vulgo labyrinthus, eo quod in varias spiras contortus sit. Post hunc restat alius & quartus meatus omnium

um angustissimus, qui propterea vocatur *foramen cæcum*; ad hujus finem obtenditur alia membrana seu cuticula subtilis & siccissima, quæ nervo auditorio copulatur. Quæ quidem membrana ultima probabilius est subjectum auditionis. Qui plura volet & accuratiorem hujus organi descriptionem adeat tentamina Clariss. & Doctiss. Viri D. Perrault, qui in 2di voluminis parte tertia organum auditus præter cæteros, qui hoc argumentum pertractarunt, accurate & dilucide explicas & iconibus exprimit, ut quoque habentur in Phil. Burg. tom. 6. p. 112.

XXXI. Si quæras, quænam auris sit optima? Respondet S. Bernardus in epist. Auris illa bona, quæ libenter audit utilia; prudenter discernit audita, obedienter operatur intellecta.

XXXII. Quæritur secundo: Quid sit, & in quo consistat sonus? Resp. Sonus in motu quodam aeris tremulo & reciproco positus est. Et quemadmodum spiritus primalitas per lucê ipsius spiritus agnoscit ea, quæ deferuntur à luce, ipsamq; lucem, & pat corporeitatem, & calorem sentit corpulantias, sive tenues sive crassas calore temperatas, in naribus & lingua: & per calorem innatum ipsius spiritus calores & frigora suscipere ac sentire per tactum potens est: ita nunc per motum, quo semper agitatur spiritus natura mobilis, natus est suscipere exteriores motus, ac proinde de moventibus & mobilibus judicare, & quidquid per motum communicari potest, addiscere: propterea diximus aures factas esse implantato aere plenas. Omnis quidem motus quatenus fit, motus dicitur; quatenus vero communicatur mobili spiritui in auris tympano & supradicta membranula ultima, vocatur *Sonus*: propterea ergo non omnes motus sentiuntur, quoniam nostri spiritus motibus quibusdam sunt minores, aut ordinarii aut distantes.

Duplicem autem annuntiationem facit Sonus. Alteram qua discernimus vires moventis, mobilisque, & quantitatem, saltem confuse. Motus enim ingens moventis vires ingentes annuntiat; exilis, exiles; gravie magnum movens aaremque multum impellens, acutus gracilem quantitatem, fortiter tamen impellentem: asper diversitatem mobilia seu moventis; sonorus æqualitatem moventis aut motionis: consonans consimilitudinem motionis cum innata motione spiritus: dissonans, discrepantiam, tollit enim spiritum a sui motus symmetria.

XXXIII. Quapropter non recte Musici consonantias omnes in Mundo esse eas, quæ in nostra Musica habentur, qualis est inter primam & tertiam, quintam & octavam &c. gradusionem vocis: asinis enim & serpentibus, & leonibus aliæ sont consonantiæ, quia aliter temperatum habent spiritum, non secus ac de gustu & olfactu diximus; imo & in genere hominum, alia aliarum Nationum est Musica; Hispana enim sapit asperum, Gallicana blandum, Italica medium tenet locum, Turcica luctuosum quid refert, Scythica obstreperum & dissonans.

Similiter & hominibus ejusdem Nationis alia aliis placet melodia pro cujusqua temperie. Imo & pro differentia loci & temporis. Nam io loctu musica importuna. Eccli. 22. 6. In bello clangor tubarum violentus & impetuosus placet ad commovendos spiritus in iram erga hostes. In templo lenis, & suavis cum quodam acumine ad sedandas passiones, spiritumque ad contemplandum elevandum. In otiis titillantes soni ad lasciviam saltumq; provocantes. In luctu graves & deficientes luctuosique valent. Spiritus enim cum rerum externarum afficitur odio, vel amore, vel spe, vel veneratione, vel ira, vel quacumque alia passione, aliis movatur motibus. Siquidem cum irascitur impetuosus ad externas fertur partes, intendit nervos, turbat oculos, sanguineque subsequente vultum tingit. Cum vero contemplatur, curam corporis omittit, & ad primalitatem secundam convertitur, nempe cognitionem; cum timat, introrsum se colligit, unde oculi eius abscessu obscurantur, vultus pallet frigetque.

XXXIV. Qui ergo sapienter Musicus est, intelligat oportet, quibus motibus in quacunque passione positus moveri soleat spiritus, & differentias, & motus, tarditates, velocitates, crebritatem, magnitudinem, parvitatem, imbecillitatem & robur, sagaciter indagat; atque cautè momenta modulosque, quos per notas quasdam ostendere in scriptura solent, describptis spatiis elevationes & depressiones per lineas, notabunt characteribus velocitatis tarditatisve &c. Cujus rei arcanum Musici nostri ignorantes, applicant cuilibet affectioni quascunque notas sibi placere visas, & verba, quæ cantantur, omni modulationi absque discretione infeliciter adaptant. Hinc sub officio divino ludenre organo & chelybus magis ad saltum pedes, quam ad contemplandum animi excitantur, detestando abusu.

XXXV. Alteram per sonum annuntiationem habet Spiritus, non qua sonus est, sed qua ad significandum aptus est. Significat autem quatenus alicujus est signum, vel naturale, ut gemitus, risus, aliæque interjectiones, & arborum collisiones & lapidum, quæ nostras, aut aliarum rerum passiones repræsentat. Vel quatenus imponitur ad significandum. Omne enim animal, id, quod patitur & per passionem novit, imitatur ore, lingua, dentibus, gutture, palato, labiis, exspiratum aerem figurando ideandoque instar conceptarum rerum, exinde significandarum. A principio quidem naturaliter imitando significabant, donec dispersio hominum in varias regiones aliter a cœli calore, atque terræ frigore varia illarum fecit, ut cogerentur aliter rem pronuntiare eandem, variavit linguas. Mistio deinde variorum populorum, Nationum commiscnit varietate vocabulorum fecitque nova. Novitas rerum agnitarû coegit etiam nova facere, vel facta mutuari per metaphoram vel veteribus nova addere, efficereque Synonyma.

XXXVI. Fit autem sonus ex peculiari quadam aeris agitatione, quam efficit corporum collisio. Itaque in corporibus, quæ collisa sonum afficiunt, tria partium genera licet distinguere. Primum eas quæ sunt sensibiles, complectitur; hæ quidem vim habent elasticam, sed non facile ob suam molem flecti aut comprimi possunt. Secundum genus est particularum insensibilium, quarum adeo elaterium vel levi impulsioni cedit, sicque vel minima vi aliquot particulæ flectuntur, aut comprimuntur, eæque pro vi sua elastica resiliunt, & pristinum situm recuperant; tumque corpuscula multo adhuc minora, quod est tertium partium genus, secum commovent. Quo particulæ commotæ sunt exiliores, eo spatium, in quo is motus perficitur, angustius exigunt, maior adeo est motus velocitas: nihil enim in tam arcto spatio motum retardat, nec interjecta corpora huic motum exhibent aut obiciunt. XXXVII.

XXXVII. Quamobrem ex corporum collisione oritur mutuus partium sensibilium attritus: hic particulas insensibiliter comprimit & flectit; sed eæ in pristinum redeunt statum cum incredibili celeritate, quod in spatio pene indivisibili moveantur. Hinc aer tam perniciter impellitur, ut huic non liceat ad latera se recipere, & vim impressi motus eludere. Quare non tam corporum collisio, quam particularum resultus & quasi in integrum restitutio vera est soni causa. Nec multum interest, qua vi, quove impetu tendantur, aut flectantur particulæ collisi corporis, dum celerrima sit earum restitutio: ut in bombardili quantumvis lente elaterium sustuleris, ex celeri recursu vis ejus proficiscitur.

Quamobrem non prima corporum collisio, sed particulæ ex illa collisione commotæ sonum efficiunt. Quod in locis, quæ sonum iis impressum tamdiu conservant, aut in fornicibus, manifeste cernitur; neque enim soni continuatio in locis, quæ resonantia dicuntur ex prima collisione, sed ex fremitu insensibilium particularum dimanat. Quam enim partes sensibiles in ipso collisu accepere impressionem, eandem particulis impertiunt, atque ex iis particulis tremulus ille motus in aerem commeat. Illæ porro particulæ duplici motu agitari possunt: 1. Cum partium sensibilum motum subsequuntur, cumque mutua duriorum corporum collisio præcedit. Sed sæpe particulæ ipsæ immediate commoventur, ab aere imprimis, qui celerrime motus plures corporum particulas simili motione exagitat. Atque hæc ab aere particularum commotio multo est facilior, quam quæ a duris corporibus proficiscitur: plures enim aer circumfusus particulas tangit, quam solida corpora sua collisione possint commovere. Deinde particulæ omnes corporis solidi ab ipsis partibus ejusdem corporis itidem motis tremulo motu agitari debent, sed satis fuerit, si aer verberatus superficiem corporis solidi percellat; nec minor hinc oritur sonus, quam si totum corpus concuteretur.

XXXVIII. Quæritur 3. Quodnam sit medium soni, per quod propagatur & defertur ad organum? Respondeo non esse corpus sonorum, sed aera, aquam & quævis corpora solida: quin imo Franc. de Lanis contendit corpora solida aptiora esse transferendo & propagando sono, quam aer: quod ex eo confirmari videtur, quod noctu, dum aer maxime quietus, consequenter sonus in eo minus impediri posset, dum volumus accurate excubias agere, fossula in terram facta eidem aurem applicare solemus, quo modo a longe adventantes percipimus, quem tamen sonum in aere non sentiremus. De aqua quoque experientia nos reddit certiores, siquidem pisces certo sonitu vocari solitos comparuisse Plinius refert: quin & tonitrua vehementer formidant, quod non fieret, nisi sub aquis audirent. Vrinatores quoque sub aquis vehementiores sonitus se percipere asseverant, & tanto facilius, quanto minus ab aquæ superficie abfuerint: quod manifestum signum est, sonum per aerem &c. penetrare. Impediri autem sonum experimur & obtundi pluvio tempore & aere vaporoso. In aulis quoque peripetasmatis stratis vox obtusa absorptaque difficilius percipitur, quam cum nudantur tapetibus muri. Hinc quoque ratio deducitur, cur in pleno hominibus loco Musica languescat, quia absorpta intra humanorum corpora cava ora vim perdit. In aula lana vel paleis strata sic obtunditur sonus, ut vix percipiatur.

XXXIX. Illud principii loco statuendum cum D. Perrault, sonum ex corporum collisu sic effici, ut peculiaris illa aeris agitatio, posita sit in spatii ipsius, in quo unaquæque aeris particula commovetur angustia, simul & in velocitate incredibili, qua motus ille perficitur. Et sane si quis intento animo maximos quosque naturæ effectus perpenderit, is utique facile animadvertet eos partium subtilitate & motus celeritate contineri. Applica tantum aurem uni arboris excisæ extremitati, seu trabis, & vel digito pulsantis ex altera parte 50. aut plurium pedum distantia excitatum sonum quasi in momento senties. Quantum motus velocitas potentiam in machinis adjuvet, omnibus notum est, idque multo est illustrius in ipsa percussione, cujus vis est pene infinita.

XL. Atque hinc præcipua soni phœnomena clara fiunt & perspecta. v. gr. Sonus aures duntaxat, non alia movet corpora: nam pluma campanæ agitatæ admota vix commovetur: cum tamen ventus & aliæ aeris actiones tactus, non auditus organum feriant, quod in sono spatium illud aeris, in quo fit motio tremula, sit arctius, & particulæ commotæ sint angustiores, quam ut vim suam in alia corpora conferant. Sed quæ est in auditus organo textura & partium subtilitas id efficit, ut illam aeris agitationem & impressionem facile excipiat. Ea vero motio tanta cum celeritate, ut ejus vim aer commotus eludere non possit; quod propter ejusmodi fluiditatem in aliis motibus fieri solet: quin & eadem corporis agitati motio pene integra longius provehitur. Hinc fit, ut aliæ aeris commotiones, cum sint multo tardiores, præcipitem illam aeris motionem, quæ sonum efficit, aut parum, aut nihil infringant.

Item repentinæ illius & celerrimæ motionis vis, cum sit pene incredibilis (ut in percussione cernere est) vicina quæque corpora impellit; unde ex una infinitæ prodeunt percussiones, & creberrimæ reflexiones, dum una collisio aut vibratio, innumerabiles alias procreat, quæ simul junctæ sonum efficiunt, eo majorem, quo prima collisio est fortior, & circumjecta corpora eam repetitis reflexionibus magis augent.

Vnde quo plures sunt particulæ in prima collisione agitatæ, eo sonus est vehementior: Sed eadem est cujusque soni velocitas, sive intensior, sive languidior fuerit prima collisio, adeo ut pro ratione interjecti Spatii propagatio soni retardetur 1. ut si 1200. exapedas sonus 7. secundis minutis percurrat; 14. minutis secundis duplum spatium, nempe 2400. hexapedas decurrat: quod utique in Regio Observatorio, & alibi fuit pendulorum ope observatum. Quod si sclopeti aut ignis missilis sonum unius minuti secundi tempore 1200. aut circiter pedum spatium percurrere deprehendas; duobus minutis secundis sonum a lumine anteverti, alterius penduli beneficio, alius observator duplicis spatii intervallo dissitus comperiet.

XLI. Quæritur 4. An sonus propagetur per esse physicum, hoc est motum & tremorem realem, an per esse intentionale seu species? Resp. cum supra eliminaverimus species intentionales in sensu externo, maxime in Visu, de quo mox; multo minus in Auditu admittendas: attamen de hac quæstione ite-

iterum agemus Sect. 6. de actinobilismo seo radiatione, ubi doctiorum opiniones referemus.

SECTIO V.

De Visu, ejus organo & objecto, seu luce.

XLII. Inter sensus externos nobilissimus omnium visus, & merito habetur. De quo

Quæritur I. Quænam sit structura Oculi? Resp. Fabrica oculi hæc est: Oculus tribus constat membranis & totidem humoribus. Membrana omnium durissima, quæque est duræ matris propago, densa est admodum & firma, parte posteriore sclerotica, seu dura nominatur, ut pars illius anterior cornea vocitatur. Ex musculorum tendinibus contexta oculum suæ orbitæ alligat. Secundo oculi membrana ex nervi optici pia matre, seu tenui tunica producta suam ducit originem, parte sui posteriore choroides, anteriore uvea nominatur, eaque cum sit perforata, foramen illud pupillæ nomen accepit. Quæ nigrior in homine ex atro choroidis colore apparet; non item in fele & aliis animantibus, in quibus choroidis superficies concava, fulvo aut alio colore nitet. Tertia oculi tunica cæteris minor e medullari nervi substantia prodit: hæc mucosa in oculi interioris conclavi instar chartæ candidæ lumen, aut species per pupillam trajectas excipit, eamque esse proprium visus organum jam vulgo creditur. Hæc circa humoris crystallini limbum desinit, eaque cum inferioris iridis ora connectitur. Irim vocant fibrarum contextum in orbem apte dispositum, qui exterius circa pupillæ foramen variis distinctus apparet coloribus: quæ vero crystallinum cingit, & cum retina cohæret, nigris velut ciliis compingitur; unde & processum ciliarem vocant.


XLIII. Tres itidem sunt oculi humores. Primus est aqueus, qui tunica cornea & uvea inclusus, globosam oculi figuram efficit: secta cornea hic diffluit; eumque admodum esse spirituosum hinc licet colligere, quod acerrimo frigori expositus vix congelatur. Humorem aqueum excipit crystallinus in lentis formam ut tubi optici aut microscopii vitrum, ab omnipotente artifice sic elaboratus, ut radii per pupillam, velut conclavis obscuri foramen, cui vitrum convexum aptari solet, subeuntes, eo modo infringantur, qui ad distinctam objecti imaginem in fundo oculi tanquam in opposito pariete delineandam requiritur. Substantia hujus humoris clara & pellucida, mollis est, ut comprimi aut dilatari facile possit, ac ne diffluat, tenui membranula, quam araneam vocant, involvitur. In piscibus & avibus est globosior. In hominum & quadrupedum genere pars illius anterior est magis complanata, sed cornea magis protuberat.

In illis radii per crystallinum globosum trajecti citius coeunt; unde & vitreus humor in iis est parcior. Contra in homine cum inflexi radii per crystallini anteriorem superficiem minus convexam trajecti tardius concurrant, magna humoris pellucidi & vitro fuso similis copia inter crystallinum & fundum oculi interjacet. Qui humor ne diffluat, tenui quoque membrana obducitur. Quanquam eadem forte membranula, quæ vitreum humorem involvit, crystallini quoque partem superiorem tegit. Quod in charcario pisce primus observavit Steno: adeo ut crystallinus humor non propria tunica, sed communi cum vitreo muniatur; nec diversa sit ab ea, quæ idcirco hyaloides seu vitrea dicitur. Hinc crystallinus in vitrei humoris excavato sinu, tanquam gemma in annulo continetur.

Hæc omnia facilius ex subjecta figura a D. Perault mutuata percipientur, qui & pulchre comparat oculi fabricam cum tubo optico, idque novo quadam ratione. Nam humores in oculo idem præstant, quod vitra in telescopio, aut microscopio.

XLIV. Hoc loco quærendum esset 2. quod sit præcipuum visus organum, an retina, ut vulgo creditur, an potius, ut multis argumentis pene demonstrat D. Mariotte, tunica choroides, quæ retinæ substernitur, sit proprium visus organum. Quod ea tunica sit piæ matris quædam productio ex infinitis pene fibrillis composita: cum in retina nullæ fiant ejusmodi fibrillæ, imo ne membrana quidem illa dici potest, sed humor potius ex intima nervi optici substantia concretus; neque opaca est, ut choroides, sed nonnihil tralucet. Hinc facis accensæ lumen a choroide ita reflectitur, ut canis oculus de nocte lucidus quodammodo appareat: hæc enim cum sit candida, lumen fortius regerit. In felium oculis lux quoque vegeta, sed cæruleo colore tincta cernitur, quod in iis choroides sit eo colore infecta. In homine, cujus choroides est nigra, is fulgor non apparet; neque enim lux ex nigris corporibus tanta vi reflectitur.

Hoc etiam luculento exemplo confirmatur. Charta in orbem secta, & parieti ad oculi altitudinem affixa, e certa distantia sub obtutum non cadit, cum partes vicinæ hinc inde videantur: cum sc. locus imaginis in ex parte choroidis, quæ deficit, seu in basi nervi optici existit; lumen enim basim illius nervi non afficit; unde objectum coram positum non cernitur. Nunc oculi figuram subjiciamus.



Primum occurrit cornea tunica EIE, nonnihil protuberans; quaoquam non tantum promineat, quantum hæc figura exprimit.

Hæc

Hæc tunica radios ab objecti punctis A B C prodeuntes infringit ad perpendiculum, & nimium divergentes colligit, ut per foramen uveæ seu pupillam o o, quam paulo ampliorem fecimus, subeant.

E o, E o tunica est uvea. Spatium inter corneam & uveam comprehensum aqueo humore completus, qui ad crystallinum usque diffunditur.

Crystallinus F P F, radios in cornea fractos, in aqueo humore paulo rariore jam divergentes sic frangit, ut qui ab eodem puncto B exeunt, in fundo oculi B colligantur. Sic fiunt quidam velut penicilli: dum B o, B o, radii jam a se invicem distracti coguntur in o B, o B. & punctum B objecti imprimitur in fundo oculi D per plures radios coeuntes. Idem dicendum de punctis A & C. radius B I b, qui irrefractus oculum penetrat, dum ad perpendiculum incidit, est axis visionis.

Spatium LL. est vitreus humor, d G d nervus opticus, ad latus versus interiorem oculi angulum deflectit. d E, d E scleroticam tunicam exhibet: huic proxima est choroides: intima quæ fibrillis solet distingui, tametsi nullæ apparent E c b a F retina dicitur. E F E F processus Ciliares designant. Nunc igitur

XLV. Quær. 3. Quo modo fiat Visio, & qua ratione objecti visibilis distincta species in fondo oculi delineetur? Vulgaris quidem fert opioio, species rerum intentiooales ab objectis in oculum manare: sed quia superius eas explosimus, scire vis, qua ratione ergo rerum imagines, uti experrimur, in oculo depingantur. Respondeo, Distinctæ rerum imagines tum pinguntur in oculo, cum plures radii ab eodem objecti puncto prodeuntes ita in tunicis & humoribus oculi inflectuntur aut franguntur, ut cum ad fundum oculi pervenere, idem punctum confluant. Probatur primo: Quia ocoli globus est instar tubi optici, qui obscuri cubiculi foramini sic aptatus est, ut rerum extra cubiculum positarum figuras in chartam aut parietem oppositum trajiciat. Apertum tubi orificium corneam tunicam exprimit circellus chartaceus in medio pertusus, qui vitrum tegit, uveam in sui medio perforatam, lens convexa tubi optici humorem chrystallinum, obscuritas cubiculi, concamerationem oculi, qua lux omnis excluditur, præter eam quæ per uveæ forameo admittitur, satis aperte exhibet.

Secundo id quoque explicatur & probatur ex oculo artificiali. Vitrum est amplum & convexum orbe chartaceo inclusum; idque corneam tunicam repræsentat. Crystallini loco est lens itidem convexa, seu vitrum pellucidom in medio densius quam in extremis; charta retro posita organum ipsius visus (sive sit retina, sive choroides) nobis exhibet, eaque adducitur aut retrabitur uti libuerit, dum distincta objecti imago in ea depingatur. Quare ea machina sic in fenestra collocatur, ut radii ex objectis illustratis in vitrum anterius illapsi, tum lentem chrystallinam subeuntes, distinctam in charta, quæ fundum oculi repræsentat, rei picturam delineent.

Tertio: Idipsum ex structura oculi superius exhibita fit manifestum. Sit enim objectum A B C. tum illius pictura erit distincta, cum puncta A.B.C. in fundo oculi a, b, c sic pingentur, ut plures radii ab unoquoque puncto, ut A, profecti, in unum itidem punctum a coeant. Nam tunica cornea E I E radios ab eodem objecti puncto A prodeuntes infringit, & nimirum divergentes colligit, ut per foramen uveæ seu pupillam O o subire possint.

Quarto: Crystallinus F P F, radios qui ab eodem puncto A prodeunt, sic infringit, ut in eodem puncto a colligantur, & fiat velot quidam penicillus, ut loquuntur o p a: sicqua punctum A distincte pingatur in fundo oculi a. Confusa autem visio futura est, si radii ab eodem objecti puncto prodeuntes diversas in oculi fundo partes occupent: ut cum solis radii per fenestræ rimam obscuri cubiculi excipiuntur: si rima paulo est apertior, hoc splendidior quidem, sed magis perturbata solis, vel objecti imago futura est. Nam singula objecti puncta radiosas pyramides vibrant, atque ejusdem puncti plures radii in diversis tabellæ oppositis punctia imprimuntur. Quo autem foramen, per quod lumen admittitur, est angustius, hoc panciores radii subeunt, & facilius coguntur in ordinem, tumq; distincta est objacti imago, sed languidior: unus quippe aut alter duntaxat radius ex uno objecti puncto per rimulam subit.

Est itaque, ut diximus, pupilla instar furaminis, quod aptatum est in obscori cubiculi fenestra aut pariete. Cum remotius est objectum, aut nimis exigua luce perfusum, pupillæ forameo subinde dilatatur. contra ubi vicinius est objectum, aut admodum illustre, pupilla contrahitur, ne confusa imago appareat: cum scilicet plures, quam par sit, admittuotur radii, qui cogi in ordinem, aut in eadem tabella ordinari nequeunt.

XLVI. Objicies primo Forameo uveæ in nobis est apertius, quam oculi concameratio exigat; atque huic propior est retina seu tabella opposita, quam ut in ea radii possint apte disponi, aut penicillo delineari. Nec demum ut in occluso cubiculo tabella, sic membrana in fundo oculi affixa, potest propius accedere ad crystallinum, uti cernimus in oculo artificiali. Nam quo longius objectum distat, hoc charta propius lenti seu interiori vitro est adhibenda, & contractior imago futura est. Ergo visio non eo modo, qoo diximus, perficitur, sola nimirum radiorum refractione in fundo oculi. Neque exempla, quæ attulimus, huic explicandæ satis sunt idonea, atque omnino ad species intentionales confugiendum videtur.

Resp. Species illas, quæcunque sint, ipsa visione esse obscuriores & omnino supervacaneas. Quod vero negant radios posse in fundo oculi concurrere, id forte verum esset, nisi crystallinus globosior radios frangeret & inflecteret. Deinde uveæ foramen, cum objectum est vicinius, varie constringitur. Quin etiam crystallinus humor processuum ciliarium ope forte fit planior, aut globosior. Imo satis illud videtur probabile idipsum obliquos oculi musculos præstare; adeo ut crystallinum propius aliquando furamini uveæ admoveant, ut rei visibilis situs, aut distantia exegerit. Atque ut io oculo artificiali, ubi charta rite collocatur, ut objectum procul dissitum exhibeat, nihil necesse est eam a lente magis removere, quo alterius objecti aliquanto magis dissiti reddat imaginem: sic ubi objectum longius removetur, nulla fere in oculo fit mutatio, cum multum augetur illius distantia.

XLVII. Objic. secundo: Ea membrana, quæ rerum imagines in fundo oculi excipit, non est plana, ut charta in oculo artificiali, vel in obscuro cubiculo apte collocata sed concava, in qua distortas, ut in speculo concavo rerum imagines reddi necesse est. Resp. Rerum species & majores & distinctiores in cavo imprimi, quam in plano: dummodo charta quæ excipit, fere sit homo centrica cum lente ipsa. Quod ab Archiduce Maximiliano olim observatum fuit, dum ingentam globum extruxit, in quem ait Scheinerus, intrognessi admittebamus rerum externarum per lentem convexam

xam

tam in parietem concavum species, quæ ob id ipsum longe ordinatius & ampliores videbantur, & distinctius compositæ, quam si in superficiem aliquam planam allapsæ essent.

Objic. 3. Rerum simulacra per radiorum penicillos in fundo oculi, ut in cubiculo clauso depingi possunt, sed ea non exprimunt res ipsas quæ videntur. Primo enim inversa pinguntur, deinde non ejusdem sunt figuræ cum rebus ipsis quas exhibent. Nam corpus solidum per superficiem in oculo delineatam, circulus per ellipsim, quadratum per figuram oblongiorem exhibetur. Ergo perceptio rei visibilis ductu illius imaginis, quæ in fundo oculi imprimitur, non continetur: sed species admitti debet, quæ fit res ipsa in repræsentando, ut loquuntur, unde & intentionalis vocitatur.

Resp. Aliam esse rei impressionem in visus organo, aliam perceptionem; illa judicium nostrum non determinat, ut oculum afficit, vel ad cerebri interiora deducitur, sed quatenus ad objectum ipsum dirigitur: quasi oculus radios evibraret, non exciperet. Secus res eversæ, ut in retina depinguntur, non in propriis locis apparebunt. In cujus quippe usum sensus a natura sunt concessi, ut res in propriis locis perceptas aut fugiamus, si noxiæ; aut prosequamur, si utiles judicentur; id quod homini cum brutis commune. Hinc cæcos, qui baculis decussatis objecta tangit, dextro baculo, quæ ad sinistram sunt posita, percipit: quod vis & quasi intentio animæ ad res ipsas, quas percipit, progrediatur, radiorum velut impulsum sequens. Res igitur quæque in eo situ cernitur, ad quem pupillæ acies convertitur. Hinc in speculo deorsum jacente, ut in aqua, objecta quæque depressa apparent.

Instabis: Unde ergo muscæ & alia animalcula tot oculis prædita, non multiplex, sed unum tantum objectum percipiunt? Resp. Idem de homine & reliquis animantibus quæri posse, cur ab iis simplex, non geminata res videatur. Nec enim id accidit, quod species in nervorum opticorum concursu intra cerebrum uniantur, ut vulgus Medicorum putat. Cum enim alterum oculum digito paululum attollimus, tum res ex adverso posita duplex conspicitur, nec tamen nervi optici tum divelluntur: sed quia imago objecti in eadem regione seu in eadem retinæ parte, in utroque oculo non depingitur. Itaque illud est probabilius, rem unam & in eodem situ ab utroque oculo conspici, cum uterque, quique irrefractus oculum penetrat, axis visualis, quo res distincte cernitur, in idem objecti punctum dirigitur.

XLIX. Objic. quarto cum Gassendo, utriusque oculi pupillam in contrarias partes dirigi, & quantum una ad interiorem angulum accedit, tantum alteram in exteriorem, seu in sylvestrem deflecti; adeo ut axes utriusque oculi semper sibi mutuo sint paralleli, neque in unum punctum coeant.

Resp. Primo. Rem eandem a visu percipi, cum uterque oculus radiis velut conjugatis, & in eandem perceptionem destinatis attingit. Sic ubi globulum duobus digitis decussatis contrectamus, quasi duplicem tangere videmur. Nam facultas quæ cerebro inest, ex diversa nervorum impressione, non unum sed duplicem percipit globulum. Non dissimili ratione cum oculorum alterum digito attollimus & radiis velut disparatis rem aspicimus, tum eam geminam percipimus; superiores quippe unius oculi radii cum alterius itidem superioribus, medii cum mediis, inferiores cum inferioribus, simul agere aut conspirare ad unius rei perceptionem solent, quo rem unam & eandem enuntient. At si forte ita detorqueantur oculi, ut dextri unius radii cum sinistris, aut disparatie alterius concurrant, tum res planæ diversæ judicantur. Hujusmodi hominem se vidisse Gassendus commemorat, cujus alter oculus gravi concussus plaga & in diversum a naturali situm deflectens efficiebat, ut res omnes gemmatæ ei apparerent.

Resp. Secundo. Utriusque oculi pupillas videri parallelas, cum objectum eminus spectatur: tum enim utriusque intervallum pene insensibile est cum distantia comparatum. Sed res aliter se habet cum cominus cernitur, ut cum legimus: tum enim ita ambæ pupillæ diriguntur, ut earum axes in idem punctum objecti convertantur. His explicatis non erit alienum varia visus phænomena expilare.

L. Quær. Primo. Quot modis fiat visio? Respondeo tribus modis. Primo *recta*, cum inter objectum & oculum est linea recta, & utrumque in eodem pellucido. Secundo *refracta*, cum inter oculum & objectum est aliud pellucidum, quod radium a via recta abducit. Tertio *reflexa*, cum radii incipiunt velut redire & objecto fieri viciniores, quam si recta procederent. Et visio quidem recta objectum oculo sano repræsentat, quale in se est. Reflexa autem & refracta non semper est conformis suo objecto: prout vero exemplar se habet in oculo, talis quoque perpetuo fit visio. Quod experientia constat, si lenticula vitrea crystallino humori fiat similis, & species transmissa, ut diximus in opposita papyro in debita distantia, excipiatur. Visio itaque non in pictura, quam oculus habet in se, neque in hujus repræsentatione consistit: siquidem plures ignorant aut negant tale aliquid in oculo se habere. Item potest imago illa in retina efformari absque visione, ut contingit tum in animalibus, quæ apertis oculis dormiunt v. g. lepores, ubi utique objectorum illis observantium species oculos illorum penetrant, & in retina terminantur, absque eo quod videantur: imo nobis ipsis vigilantibus, sed distractis, contingit, ut quæ ante oculos habemus, non videamus: simile quid accidit auditui: Visio itaque consistit in actione vitali seu repræsentatione objecti in anima, cujus imago est illa pictura. Cum ergo eadem sit essentia locis & coloris a primo luminoso ad sensum usque continuata, quidnam diei debeat objectum primarium & per se dubitas? an non illud quod proxime sensum tangit? Et hoc est lux.

Quær. Secundo. Cur nonnulli objecta, nisi propius oculis admota distincte intueri non possint: cum alii, ut senes procul ea ab oculis removere cogantur: illi myopes; hi presbytæ dicuntur. Resp. Humoris crystallini eam esse proprietatem, ut radii ejusdem puncti in superficiem expansi media refractione, in certa distantia rursum colligantur ad unum punctum quam distantiam providentia Creatoris obtinet retina. Quia vero objecta remotiora hanc basin radiosam minori intervallo per ejusdem figuræ pupillam terminant; quo utraque distincte perveniat, processus ciliares corollæ in modum ambiunt humorem crystallinum; eundemque contrahendo vel dilatando efficiunt sphæræ majoris vel minoris, quo basis radiosa produci vel contrahi valeat. Hac quidem ratione Myopes, quibus pupilla est portio minoris sphæræ, & æquo plus distat retina, perspicillis cavis conum producunt.

Econ-

Econtra Senes & presbytæ, sive qui remote res intuentur, & quibus portio est majoris sphæræ, iisdem convexis conum abbreviant. Lens enim cava hanc proprietatem habet, ut radios refractione dilatet, & per hoc una cum lente convexa species versus retinam producat. Hinc accidit ut Myopes adscito tali specillo egregie quidem ad remota bene videnda juventur: sed tamen sub magnitudine apparente minore, quia anguli ad decussationem minores efficiuntur. In presbytis vero, sive qui remote res intuentur, contrario modo proceditur. Clar. D. Joan Marcus Marci Phil. Vet. rest. pag. 195. Athan. Kircher Artis magnæ &c. pag. 120. Et Phil. Burg. tom. 6. pag. 136. & 137.

SECTIO VI.

De constructione & usu Instrumenti Mesoptici.

P. Athan. Kircher Lib. 2. part. 2. de Arte magna lucis & umbræ agit quoque de arte Sciagraphica, sive de naturali rerum adumbratione: ex quo incideoter in gratiam curiosi Lectoris pauca hæc placuit excerpere.

LII. Tribus modis rerum delineatio institui potest: vel Orthographice, vel Scenographice, vel Sciographice. Orthographicam descriptionem hoc Instrumento perficiendam dicimus, cum objectum sive res delineanda parallelum ad parallelogrammum mesopticum sive velum situm obtinuerit; & sic frontispicia domorum, turrium, templorum, & quidquid rectis radiis in oculos nostros fertur, delineamus. Ad hanc speciem revocamus quoque omnes illas figuras, sive ichnographice, sive scenographice delineatas, quibus similem in velo depingere præcipimus.

Scenographicam delineationem dicimus, cum objectum lokophanum seu obliquo situ rem delineamus; cujusmodi sunt, quæ in obliquo horizontis situ posita delineanda præcipiuntur, aut in verticali plano lateribus abscedentibus.

Sciographicam dicimus, cum projectionem umbræ alicujus corporis jubemur delineare; & tunc inter tigillum G F, & velum, corpus sciagraphice delineandum poni debet. In omnibus vero objectis, in quibus cum maxima transformatione res depingere desideramus, primo orthographia rei in objecto transformandæ in ipso velo depingenda est.


Instrumenti autem hujus Mesoptici secundum artem Sciagraphicam inventi ab Athan. Kirchero talis est confectio.

I. Fiat parallelogrammum A B C D, quatuor tigillis invicem commissis conclusum, cujus latera A B & C D quinque, A C vero & B D, quatuor palmorum habeant longitudinem. Huic velum subtilissimum, & prorsus diaphanum, puta Neapolitanum, cujusmodi nobiles fœminæ ad tegumentum faciei passim uti solent, obtendatur.

II. In puncto E, lateris C D, tigillum transversum mobile, seu cursor organi ita transfigatur, ut pro machinatoris arbitrio, nunc protrahi, nunc retrahi possit. In F vero puncto cursoris E F, aliud tigillum G F, transversum agatur, ita tigillo E F, insertum, ut pro rerum delineandarum opportunitate, nunc elevari, nunc demitti possit; habebisque Instrumentum perfectum, ut figura sequens docet.

LIII. Propositio I. Datam quamcunque figuram polygonam, trilateram, quadratam &c. sive regularem sive irregularem in velo mesoptico, tum scenographice & orthographice delineare.

Primo quidem si quis objectum quoddam orthographice delineare desideret, is figuram parallelam statuet; si scenographice, horizonti, vel plano verticali abscedenti, vel inclinanti exponet. Quo peracto tigillum E F, pro magnitudine vel densitate imaginis instrumentum ita firmabis in loco suo, ut nulla ratione ab eodem dimoveri contingat.



Dein-

Deinde applicato oculo ad foramen sive extremitatem G tigilli G F, manuque quiescente supra lignum (quod duobus fulcris innixum a lateribus data opera annexis sustinetur) juxta ductum visus in figuram objecti directi in ipso velo, rubrica, creta vel alia quavis telam colorante materia, quæ tamen facile deleri possit, figuram ultra velum objectam in ipso velo nullo negotio describes.


Consectarium. Si instrumentum hoc in editiore quodam loco ita disposueris, ut ex eo situs alicujus urbis aut Monasterii undequaque appareat, eam in velo scenographico secundum omnes turres, tecta, ædificia &c. (applicato videlicet oculo ad G extremum tigilli G F, & penicillo sequente radii visivi in prototypon incidentis processum) perfectissima Symmetria describes. Eodem modo camporum, pratorum &c. situm commodissime delineabis.

Verum hoc loco quæri posset, qua ratione memoratæ rerum descriptiones in velo peractæ in chartam transferendæ sint? Resp. hoc dupliciter fieri posse 1. punctatione acus: quod fiet si verum supra chartam præparatam applicaveris, ac juxta designationem puncta chartæ impresseris.

2. Si delineatio facta fuerit quadam rubrica, quæ spuma plumbi & minium dicitur, habebis dicto citius petitum, sic chartam prius madefactam velo superimpositam compresseris, omnem enim colorem velo inhærentem una cum rebus delineatis attractum in se derivabit.

LIV. Propositio II. Omnium rerum dimensiones hujus instrumenti ope perficere.

Sit altitudo & latitudo rei mensurandæ C B, B D; sitque tantummodo unus passus notus in linea C B, scilicet C I. Sed altitudinis, latitudinis, & singularum partium intermediarum ad invicem proportiones & consequenter quantitates habebis cognitas. Inspice figuram sequentem.



Consectarium. Ex his patet, qua ratione unica statione loco immoti altitudinem & latitudinem singularum partium alicujus fabricæ quantitates cognoscere possimus, dummodo pars minima altitudinis aut latitudinis, aut intervallum duarum columnarum in fabrica cognitum sit. Hoc artificio, ait Kircher, altitudinem Cupulæ S. Petri, cognita sola altitudine columnæ unius ex iis, quæ coronidem ambiunt 600. fere pedum geometricorum a fundo Collegii Romani incipiendo, una cum latitudine, distantiis columnarum ejusdem frontispicii invenimus.

LV. Observandum tamen est, hanc dimensionem minime esse licitam, nisi in maxima distantia; in hac enim vix sensibilem errorem committes; at quo vicinior fueris rei mensurandæ, tanto majores errores, nisi cum arte processeris, committi necesse est. Cujus quidem rei alia ratio non est, nisi projectio optica, quæ cominus & e propinquo altitudinem aliquam tanto semper majorem determinat, quanto basi fuerit vicinior; tanto minorem, quanto altior: unde consequenter nota mensura alicubi assumpta, reliquis interruptis partibus æquari minime poterit. In remotiori vero distantia, cum angulus visivus, sub quo tota altitudo longitudoque mensuranda videtur, sit admodum acutus; reliquæ quoque partes vix sensibilem inæqualitatis differentiam habebunt. Qua ratione tamen dimensio etiam rerum ex propinquo spectatarum inveniri possit, nempe geometrice & arithmetice, tradit ibidem fol. 128.

SECTIO VII.

Quid lux, lumen, radius, splendor?

Egimus quidem Tract. XVIII. de Calore & Luce; quia tamen proprius hic de iisdem tractandi locus est, juvabit doctissimi P. Kircheri, aliorumque Authorum mentem specialiter in hac & sequenti sect. afferre.

LVI. Dum rem quandam certam & evidentem, extraque omnem dubitationis aleam positam dicere volumus, dicimus *id luce meridiana clarius esse.* Nihilominus, quæ humani imbecillitas est ingenii, meritoque Sciolorum confundit superbiam, in nulla ferme re, quam in ipsa luce & circa naturam lucis cæcu-

cœcutimus. Marsilius Ficinus Florentinus Philosophus & Medicus, sectæ Platonicæ, floruit seculo 15. in Lib. de Lumine c. 11. ait: *Lumen non tam inest, quam adest illuminato. Actus est illuminantis, non qualitas illuminati, nec est quid corporeum.* Insignis ille ex RR. Philosophus Romanus P. Ptolomæus Diss. 13. de visu Sect. 5. sic ingenue scribit: Obscurissimum est intellectu quid revera sit lumen, quod ad præsentiam corporis lucidi circumquaque posita corpora opaca illuminat: attentis enim & expensis quibusdam ejus proprietatibus videtur esse effluvium quoddam, localiter circumquaque fluens quasi per canales, & meatus institutos a natura in corpore diaphano: aliis vero ex ejus proprietatibus consideratis impossibile hoc ipsum & absurdum videtur: nempe lumen esse substantiam corpoream localiter diffusam. Hinc in tres sententias super hac re discesserunt Eruditi; quas ibidem refert. Tandem num. IV. analogiam inter lumen & impetum inducit, sed utrumque vocat *accidens mirabile*; eo quod habeant proprietates discrepantissimas ab accidentibus elementaribus; puta contrario carent; in instanti propagantur &c. Difficillimum perinde intellectu, quid sit lumen, quid impetus: at quid in rebus naturalibus scitu facile? Ita Ptolomæus.

Citatus mox Marsil. Ficinus ait: Quid sit lumen, nullus absolute definit, sed quid non sit, semper argumentamur. Lumen, inquit ipse, solius illuminantis proprius est actus, & naturalis. Neque corporis illuminati sit qualitas, neque tamineit quam adest illuminato. Medium quid inter substantiam & accidens seu quasi atem, transit enim de substantia in substantiam. Hinc patet lumen proprium esse naturæ cœlestis: nec oculus quantumvis acer lumen ipsum in se purum sulumque cernit, utpote quod incorporeum est proportionemque oculorum superat, ut divinum. Illuminatum ergo magis quam lumen cernunt.

Et cap. 12. Lumen est spiritualis quædam, & subita, & latissima a corporibus & natura eorum sine detrimento proprio emanatio, nitoris scil. cujusdam a diaphanis, id est transpicuis. Et iterum cap. 13. Quod lumen spirituale quiddam sit potius quam corporale, ex eo constat, quia passim sine tempore propagatur, sine offensione implet perspicua corpora, sine ulla inquinamento se sordidis circumfundit.

Præterea corporibus his se facilius largitur, quæ longius a corpulenta mole discedunt. Quid anima nisi lumen? corpus enim ab anima diversissimum illi quasi Eclypsim obducit, sicut luna conjuncta Soli; imo vero sicut mixtio terrena a cœlo lumen reddit opacum, facitque colorem ex lumine: sic corpus circa animam reddit ex intelligentia sensum. Quemadmodum radius calorem quidem permiscet aeri, lucem vero retinet non permixtam; sic anima corpori vitam communicat, intelligentiam vero nequaquam; instar lucis sine compressione sui se colligit in angustum, sine distractione rursus explicatur in amplum. Nec aucto corpore crescit ipsa, nec diminuto decrescit.

LVII. Ex Convivio Platonis hæc habe. Sicut cor Mundi Sol suo circuitu lumen, perque lumen virtutes suas ad inferiora demittit: sic corporis nostri cor, motu suo quodam perpetuo proximum sibi sanguinem agitans ex eo spiritus in totum corpus, perque illos luminum scintillas per membra diffundit quidem singula, per oculos autem maxime. Ad altissimas quippe corporis partes, spiritus maxime, cum sit levissimus, evolat, eisque lumen per oculos, cum ipsi perspicui sint, atque omnium partium nitidissimi, uberius emicat. Inesse veru oculis & cerebro lumen aliquod, licet exiguum, animalia multa, quæ noctu vident, testimonio esse possunt, quorum in tenebris coruscant oculi; ac etiam si quis certo modo oculi angulum digito presserit contorseritque, circulum quendam instar oculi in cauda pavonis intra se lucidum intueri videbitur.

Quod autem radius emissus ab oculis vaporem secum spiritualem trahat & vaporem sanguinis, ex eo perspicimus, quod lippi & rubentes oculi spectantis proxime oculos radii sui emissione cogunt morbo simili laborare. Vbi apparet radium usque ad obvium illum prutendi, & cum radio una vaporem corrupti sanguinis emanare, cujus cuntagione oculus spectantis inficitur. Prout idem testatur Aristot. de menstruo fluentibus fœminis specula maculantibus; quod ex eo fieri arbitror, quia spiritus seu vapor sanguinis tenuissimus est, adeo ut aspectum fugiat oculorum: sed in speculi superficie factus crassior, claro perspicitur. Hinc si in rariorem materiam aliquam, v.g. pannum aut linum incidat, ideo non videtur, quia in superficie rei illius non restat sed penetrat. Si in densam quidem sed asperam, uti saxa, lateres & similia, corporis illius inæqualitate dissipatur & frangitur. Speculum autem propter duritiem sistit in superficie spiritum; propter æqualitatem levitatemque servat infractum; propter nitorem, spiritus ipsius radium juvat & auget. propter frigiditatem rarissimam illius nebulam cogit in guttulas.

Eadem ferme ratione quoties hiantibus faucibus obnixe anhelamus in vitrum, cjus superficiem tenuissimo quodam salivæ rore conspergimus: siquidem halitus a saliva evolans in ea materia compressus relabitur in salivam.

LVIII. Nunc audiamus P. Athan. Kircherum, magnum illud Germaniæ ac Societatis Jesu decus, hic tamen, si sibi non contrarius, certe perplexus deprehenditur, dum Lib. 1. in Arte magna Lucis & Vmbræ p. 1. cap. 10. vult Lumen nihil aliud esse, nisi sensibilem qualitatem physice productam a corpore lucido præsente in corpore perspicuo; non tamen educi de potentia materiæ perfecte diaphanæ. Parte autem a. ejusd. Lib. 2. cap. 2. hæc habet: "Lux communicatur per radiosam luminis profluentiam, quæ est velut egressio quædam localis, effluxusque a corpore suo, mundanis corporibus. Atque hæc mirifica luminis propago a fonte suo (corpore lucido) quidem oritur, ab eo tamen non divellitur; inde quidem diffusa, nunquam tamen effusa: radici namque suæ, velut matri semper adhæret, germina ramosque a radice propagat, qui ab ea & ortum habent & propagantur, & nutriuntur, augentur, conservantur."

LIX. Distinguitur autem Lumen a radio (quem Optici *lineam luminosam* vel illuminationem per lineam rectam vocant) tanquam lumen ternum a secundo, siquidem Radius est lux secunda a prima exiliens in rectum & acutum, neque in lineam tantum, sed & in conum prominens. Luminis autem propagatio non concipitur fieri lineis circa radios, siquidem circumvolvitur, & inter radios semper plus distantes omnem implet locum; & lumen quidem esse potest

ſine radiis actu præſentibus, ut patet in aurora: non tamen radii ſine lumine, utpote a quo emanant.

Idem ibidem cap. 3. inquirens de entitate radiorum, ſintne ſubſtantia, an accidentia? ſic ait: "Mirificæ radiorum vires adeo omnibus Philoſophis "hucusque obſcuræ viſæ ſunt, ut vix fuerit, qui aliquid circa tam abditam naturam certo aſſerere auſus "ſit. Subſtantiæne igitur erunt, an ſpecies tantum & "imagines primæ lucis intentionales, ut vocant? "Certe cum radii per ſe luceant, lumen emittant & "calefaciant, in realium ſeu phyſicarum rerum album "potius, quam intentionalium conſcribendi videntur. Neque tamen inter accidentia (ut quidam volunt, quos alibi ſequitur Kircherus) numerandi, cum accidentium proprium ſit ſubjecto adeſſe vel abeſſe ſine ejusdem corruptione: at radii nulli rei alienæ videntur accidere, neque a fonte abeſſe, ac ei iterum adeſſe; a Sole ſiquidem diſcedunt nunquam, ſed eidem ſemper adſunt, ergo reſpectu ſolis accidentia dici non poſſunt, uti nec calor reſpectu ignis. Cum vero iidem radii æthereo ſive cœleſti Mondo illum perpetuo illuſtrando adſint, neque ab eo unquam abeſſe poſſint, ergo neque ei accidere, conſequenter nec ætheris accidentia ulla ratione dici debent. Sed forſan aeri accidere poſſunt: notum enim eſt aerem ſine radiis obſcurum, iis accidentibus luminoſum fieri.

LX. At explicare quænam illa ſint accidentia, hic Rhodus, hic ſaltus. Forſan ut qualitates? ut colores? Sed neque ſibi hæc conciliari poſſunt. Colores enim mixtorum, uti & qualitates propriæ, ita inſunt ſubjectis, ut ſine ſubjecti corruptione auferri non poſſint: at jam viſum eſt radios nunc abeſſe, nunc adeſſe aeri, ſubjecto manente innoxio & incorrupto, ergo radii non habent in entitate ſua colorum & qualitatum rebus propriarum rationem. Loquimur autem hic non de quolibet accidentium genere, ſed de eo quod alicui ſubjecto proprium & naturale eſt, utrum videlicet radius ad ſui exiſtentiam ſuſtentaculo & fulcimento indigeat, quo ſublato & ipſe pereat?

LXI. Certe ſi rem penitius conſideremus, radios nullo hujusmodi ad exiſtendum fulcimento indigere, videtur manifeſtum. Nam ſi ullo egerent, cognato ſibi potius, quam alieno egerent. Et ſi hoc, egerent aereo, aqueoque non egerent. Cur ergo in aerem & aquam deſcendunt in ſubjecta ſibi non propria, ſi in æthere ſolo ſuſtinentur, & in his tamen quotidie ſunt, nulla eorum ope in eis ſunt, ſed per ſe ſunt in eis, & ſuis viribus in eis conſiſtunt. Ergo aer, aqua, æthera radiorum non ſunt ſubjecta (ſaltem inhæſionis) ergo ſunt ſubſtantia. At cujus generis? materia, an forma? an ex utrisque compoſita? non primum, incorporeos enim & immateriales dicimus. Neque forma, cum trinam dimenſionem ſuſcipiant, fractionis quoque flexionisque capaces ſint, corpora potius dicentur quam forma, non quidem qualiacunque, ſed elementaria; non palpabilia, ſed rariora rariſſimis, ſubtiliora ſubtiliſſimis. At quomodo corpora, ſi omnia etiam duriſſima cryſtallina corpora penetrant, cum tamen corporum penetratio (naturaliter) fieri nequeat? Dices forte, corporeos eſſe in quantum trinæ dimenſionis ſunt capaces: incorporeos, in quantum denſa quævis in momento penetrant: non quidem formæ quales phyſicæ ad exiſtendum materia indigentes, neque quales divinæ ab omni corporis contagione ſemotæ, ſed medias inter utrasque. Sed ſi hoc jam tertium quoddam entium geous, hucusque omnibus Philoſophis ignotum, aſſignabitur, radioſamque luminis profluentiam, non jam in qualitatum, ſed primum Categoriæ album referentes, radios ipſos a ſe, & in ſe ſubſiſtentes, a fonte tamen ſuo nunquam ſeparatas formas ſimplices, & ſubſtantias ſine corpore corporeas dicere cogemur. Quod qui aſſerere voluerit, per me licet: ego ſane vi luminis raptus continuæ ratiocinationis impetu hucusque devolutus, quid in tam perplexo negotio dici debeat, neſcio. Vnde & in re adeo ardua ego nihil facere quidpiam determinaverim, ne novam Philoſophiam Mundo obtrudentes, alibi dictis contradicere videamur. Hæc Kircherus.

LXII. Sed quid ad hæc Peripatetici? Opinionem vulgarem illorum, qui cum Epicureis, & Ariſtotele in problematis & in 4. Metaph. putant lucem indigere poris ut penetret adamantem & cryſtallum, jam refutatam habes ex dictis, Tract. XVIII. Nunc unum vel alterum ex RR. audiamus. P. Joann Bapt. Ptolomæus loco ſup. cit. ait: „Sententia vere Ariſtotelica definit lumen eſſe actum, vel efficaciam vel modificationem quandam perſpicui, ex qua fiat proxime perſpicuum: ſcilicet modificatio eſt diaphani, cujus ratione ita afficitur organum viſus præſens, ut anima ſentiat & videat, non quidem ipſum diaphanum, ſed principium unde modificatur, & qualificatur diaphanum, nempe corpus opacum vel lucidum, vel illuminatum:„ hanc cenſet eſſe ſinceram Ariſt. interpretationem L. a. de anima text. 66. & alibi, ubi paſſim habet, diaphani non opaci efficaciam & energiam eſſe lumen. Verum ex hac definitione luminis, quidquid ſit de mente Ariſt. equidem nihil omnino luminis percipio, ſed meras tenebras.

LXIII. P. Balthaſar Stromayr S. I. argumento 13. ſuarum theſium, cum fuſe atomiſtarum figmenta confutaſſet, tandem in hæc verba concludit: „Quod ſi autem ſubſtantia quædam corporea, lux eſſe non poteſt: tum quia cum aere penetrari deberet; tum quia eo momento, quo valvas claudimus, tenebræ inducuntur, quo autem deveniret ſubſtantia lucis intra conclave? deſtrui non poſſet, nec valeret momento expelli, quid ergo illi fieret? Accidentaria itaque qualitas ſit oportet, quæ dum lucido corpori ceu fonti ſuo inexiſtit, *lucis*; dum medium diaphanum pervadit, illudque perſpicuum reddit, *luminis*; dum recta defertur linea, *radij*; dum a polito terſoque corpore repercutitur, *ſplendoris* nomenclationem ſortiatur. Quanquam eadem in omnibus accidentaria forma ſit; idque potiſſimum habeat muneris, ut ea, in quibus terminatur, corpora, oculis animantium conſpicua reddat. Quod facile inde colligimus, quod unica ejus abſentia tenebris involvantur univerſa proximarumque etiam quarumvis rerum aſpectus adimatur. Quo vero pacto, qua ratione cuncta hæc munia exequatur lumen, quomodo tam ſubito facula nocturno tempore expoſita per tantum ſpatium emittere qualitatem luminoſam poſſit, ſucceſſive an inſtantanee accidens hoc producatur, explicatu, fateor, ſatis eſt arduum. Nec diffiteor a Peripateticis quoque in determinando hoc negotio, non penitus omnia complanata eſſe.„ Hæc ille.

Author Phil. Burgund. tres ſupradictas de natura luminis ſententias, dum alii nihil præter qualitatem eſſe

esse putant; alii effluvium substantiale, quod a corpore lucido jugiter manat. RR. plerique lumen modo one quadam, aut impulsione cujusdam ætereæ substantiæ (secundum Elementum vocant) concoeri: has, inquam, arbitratur conciliari posse, si de suo quisque jure nonnihil concederent. Vide si placet tom. 6. part. 3. phys. gen cap. 5.

LXIV. Illud certum est, lumen in sui generatione a corpore lucido non educi de potentia materiæ perfecte diaphanæ, sed ei extrinsecus advenire a perfecta luce; quod sic demonstrat sæpe laudatus Kircherus L. 1. de luce & umbra. parte 1. pag. 23. Formam educi e potentia materiæ subjectæ, nil aliud est proprie; quam formam oriri a generante per transmutationem materiæ substratæ habentis in se quoddam illius formæ rudimentum: ar nulla ratione hoc lumini competere potest, sed diaphano extrinsecus id ut adveniat oportet, quia lumen a lucido producitur in Diaphano, sicut in vulgi opinione species in aere: quæ species sensibiles & objectorum simulacra ab objectis in medio, & in organo sensuum gignuntur, non per earum eductionem ex materiæ patientis potestate, sed potius ab objecto inducuntur in materiam, ergo lumen non educitur ex potentia materiæ. Quod & ratio convincit, siquidem in eodem medio sicut sunt & giguntur ab objectis contrariis formæ contrariæ, ut nigrum & album: ita subjectum idem nequit esse in ultima dispositione ad formas contrarias: formæ vero quæ de potentia materiæ educuntur, si contrariæ contrarias requirunt dispositiones, ergo. Item, forma quæ nascitur immediate ad præsentiam sui efficientis, & ad absentiam immediate denascitur, non educitur e potentia materiæ: talis forma lumen est, ergo. Sicut denique imago vultus nostri non educitur e potentia speculi, in quo formatur nobis præsentibus; ita nec lumen.

Porro ad pleniorem intelligentiam propagationis luminis & specierum quæ nihil sunt præter lumen modificatum, sit

SECTIO VIII.

De ἀκτινοβολισμῷ, seu Radiatione.

LXV. Hanc quæstionem universalem hunc in locum distulimus, quia de radiis visualibus, nec non de Actinobolismo Osmetico, seu radiatione odoriferorum objectorum hic egimus sphærice virtutes suas diffundentium. Corporum naturalium corradiationes, miras fundare in natura rerum consensus dissensusque leges, is solus nescire potest, qui Artis Magneticæ fuerit ignarus. Cum enim omnia corpora naturalia a sapientissimo Mundi Architecto hujusmodi actinobolismo dotata sint, certe per illum mira aguntur. Sunt enim hujusmodi radii velut manus quædam, quibus res, cum immediatione suppositi agere semper non possint, se invicem, si distantes vel amico vel inimico concursu corripiant. Sunt autem hujusmodi Actinobolismi sive Corradiationes nihil aliud, quam subtiles & insensibiles quidam vapores, queis res se invicem, si amicæ sunt, foveant; si inimicæ, destruant. Quarum catalogum exhibet πολύσοφος P. Athan. Kircherus in sua Arte Magnetica. Ad hanc corradiationem sive actinobolismum omnia sive animalia, sive plantæ revocantur; quorum unum alterum, si amica fuerint, hoc circulari consimilium virtutum ἀποῤῥοίᾳ, sive effluvio recreat fovetque; inimica vero, unum alterum dissimilium virium effluvio dissipat consumitque. Estque hic magnetismus omnibus rebus naturalibus in triplici naturæ regno peculiaris. Nos hic paucis agemus 1. De radiatione Virtutis plasticæ seu formatricis in spermate. 2. De radiatione Elementorum & mineralium. 3. De radiatione corporis luminosi. 4. De radiatione osmetica. Quare sit

SUBSECTIO I.

De Actinobolismo virtutis plasticæ.

LXVI. Est autem hæc virtus formatrix, quæ ex semine cujusvis tum plantæ, tum animalis fabricat. Dici autem vix potest quantum hæc plerorumque Medicorum Philosophorumque exercuerit ingenia, quam multos in desperationem, in admirationem omnes adegerit. Hæc unicuique membro animantium debitum situm, figuram, colorem, proportionem & qualitatem designat; hujus opificio sane mirifico corpus in tot fistulas, canales, meatus tubulosque cavatur. Qua ratione hæc faciat, nemo, quod sciam, ait Kircherus, recte tradidit. Nos breviter singula juxta principiorum nostrorum analogiam perstringemus.

Supponimus ex dictis Tract. 42. hanc plasticam vim se æqualiter diffundere in totam seminis massam, hoc est, esse totam in toto ac totam in qualibet seminis parte. Hujus rationem vide ibid. sect. 4. num. Difficultas solummodo est, quomodo virtus in tantum confusa, confuse tamen nuo agat, sed maxime ordinate? Hoc explicari potest ducto simili a Phorismo chromatico, dum species objecti immittuntur in conclave obscurum, ubi in puncto concurrentiæ omnes simol in charta proxime adjecta nihil distinctum exhibent, quo tamen magis & magis ad proportionatam distantiam removent, eo distinctius sese explicant. Sic eadem prorsus ratione in spermate imaginemur nobis contineri plasticam vim sive formæ Opificem, sicut species colorum in aere. Semen enim aphrodisio motu & actinobolismo spermatico deciduum in uterum mulieris, ceu locum radiationi prolificæ naturalem profusum: ibi, materia quidem simplex ac homogenea; secundum sensum, involutum, naturali tamen vasis calore promovente, radiatione sua paulatim incipit evolvi; atque per hujusmodi ideas & rationes spermaticas, partes incipiunt differre, mox & membra distingui & a se distare. Ordinis autem ratio postulare videtur, nobiliores, & a quibus reliquæ quasi dependent, partes radiatione prius evolvi. Itaque videmus cor ante aliorum exortum sanguineis fibris etiam tum manifeste ceu Instrumentum vitale, spiritus pulsare; deinde cerebrum, post hoc jecur, deinde pulmo & stomachus sua paulatim lineamenta ostendunt, cujus experimentum captare licet in ovo, cui incubat gallina.

Quemadmodum enim species ex centro in orbem radiant singulæ radiis suis inconfuse, ita & species plastica virtutis ex centro in circumferentiam: non secus ac Mens Mundani Opificis ex centro Terræ evolvit universas mundanæ machinæ species in disparatissima membra, in Elementa & Globos cœlestes. Primo quidem Solem, veluti in cor quoddam Megacosmi conglobavit: Firmamentum in cerebrum; Saturnum in lienem Mundi; Martem in hepar;

hepar; in pulmonem Mercurium; in Spiritus & sanguinem Jovem; Venerem in semen Cœli; in hypochundria denique Lunam, omnia in magnum hominem fœdere bono effinxit: ita & in parvo homine specierum una cum eulore, sapore exterarumque proprietatum evolutione fieri, nullum dubium esse debet.

LXVII. Illa vero ad stuporem admiranda corporum diversitas quoad delineationem & physionomiam cæteraque affectiones, adeo ut rarissime vel duo reperiantur subinde sibi per omnia similes, non in solam vim plasticam conjiciendum est, sed multum contribuunt imaginationes & affectus ac versatilis ingenii humani perpetuus motus in parentibus, dum se cognoscunt, vigens, quæ phantasiæ veluti radiatione sua dispositam attingunt materiam, eidemque eam imprimunt varietatem. Qui vagus animi motus cum in cæteris animantibus cesset, mirum non est adeo similia ut plurimum reperiri, ut vix dignosci possint, & non nisi maculis colorum distingui. Modum autem quo parentes filiis imprimant rerum vehementer animo agitatarum species, vide in arte magnetica Kircheri cap. de Magnetismo imaginationis.

Idem Lib. 9. sect. 1. q. 1. pag. 113. Mundi subterran. sic ait: Phantastica sive imaginatrix facultas prodigiosas prorsus Sympathiæ & Antipathiæ leges fundat. „ Miramur, cur nonnulli homines natu-„rale odium concipiant contra flores, fructus, ani-„malia &c. Sudent ad præsentiam etiam abscondi-„tæ felis; rosæ odore in lipothymiam cadant; lilio-„rum fragrantia pene exanimentur, idem de simili-„bus antipathicis affectibus judicium sit, de quibus „liber integer conscribi posset: quæ tamen origi-„nem aliunde non traxerunt, nisi ex matre, quæ „similibus rebus tempore gravidationis offensa, va-„riisque imaginationis stimulis agitata, odium in „fœtum transtulit. Ad hanc classem quoque revo-„cantur illa signa, quæ fœtui imprimuntur a matri-„bus, quorum non est numerus, atque ex vehe-„menti rei, quam appetunt, desiderio, quam *pi-„cam* Latini, *κίτταν* Græci vocant, nascitur; dum „mulier gravida rei habendæ cupiditate anxia ubi se „fricat, ibi Spiritus animalis, phantastica vi excita-„tus, accurrens id effingit, quod imaginatione con-„ceperat. Hinc monstrosorum fœtuum origines; „hinc pleræque affectiones, inclinationesque exoticæ, „quas in nonnullis hominibus comperimus, exsur-„gunt.„ Sed de his Lector consulat L. 3. Artis Magnet. de Magnetismo imaginationis.

LXVIII. Sane omnia in Mundo mutua corradiatione fieri satis superque mox dicta imaginationis potestas declarat, cujus radii tantam vim habent, ut hominem in eam rem, quam animo vehementer agitat, convertere videantur. Quid enim magis ridiculum, quam hominem radiantis imaginationis vi illusum eo devenire, ut alius quidem in testam vitrumque conversus collideretur, obviis cessisse; alius gallorum cantu excitatus in eum conversus, brachiorum agitatione, voceque ridicula, alarum ad hæc succussione cucurrimm, aliaque gallis propria æmulatus legatur. Nonnemo capite se privatum putavit. Quosdam in diversa animalia uti lupos, ursos, canes, cervos ramosis cornibus conspicuos conversos lege apud Schenckium in observationibus medicis. Unde vero mira hæc vis?

Resp. Causam efficientem esse radiationem phantasiæ materialem res extrinsecas vehementi imaginatione apprehendentem; formalem & exemplarem esse humorem melancholicum cellulis cerebri receptum, qui propter dispositionem pravam & præternaturalem tenacitatemque immobilis, species extrinsece apprehensas mediante phantasia ceu agente principali, vectore spiritu in disposito humore velut speculo quodam imprimit, quæ deinde reflexæ movent phantasiam, & ad id determinant, quod ipsæ referunt: non secus ac colorum species per medium radiantes, tunc primum comparent, cum in obscuro loco ceu speculo quodam recollectæ fuerint. Sicut igitur colores extrinseci per punctuale foramen transmissi in obscurum se præsentant; ita & extrinsecæ per fortem & vehementem apprehensionem phantasiæ ceu per censorium quoddam in nebulosum vaporosumque cerebri medium transmissæ, illisæ reflexis radiis phantasiam ad id movent, quod referunt.

LXIX. Idem sentiendum est de somniantium speciebus: neque enim ulla differentia inter somniantes & melancholicos, nisi quod illis in naturali vapors speculo dormientibus; his in præternaturali vigilantibus species rerum ope phantasiæ exhibeantur: qui quidem humor subinde ex stomachi vaporibus, ut in somniantibus; interdum ex hepate, uti hypochondriacis ex splene & hypochondriis; uti & ex fumosis exhalationibus in fœminis menstruatis originem trahit: & hunc dicunt ad repræsentationes specierum aptissimum esse humorem, qui vehementissima alicujus objecti apprehensione, aut ex violenta aliqua animi passione, puta iræ, amoris, vindictæ, timoris, diuturna ferventis animi meditatione cocta excitatur, ac in cerebrum sublevatur, ibi pertinaciter hærens, ceu speculu quodam res devectas ad phantasiam (intellectu rationisque dominio interim spirituum turbulentia & crassitie ligato) veluti reflexo quodam radio reverberat. Hoc autem ita se habere experientia docet; mutata enim & correcta phantasia, mox cessat insania. Sic resectis cornibus, & naso, capiteque, imposito substitutisque fictitiis cornibus cervi, farcimine loco narium, pileo plumbeo loco capitis, ejusmodi phanatici curati leguntur. Liberantur autem sola apprehensione, hac, quæ sequitur, ratione.

Cum enim hi una omnes ingenti formidine afficiantur ex rei, quam apprehendunt, molestia maxima: certum est hunc humorem melancholicum mœrore mentis plurimum augeri; ac proinde tetra hac cerebri fuligine dissipata, hominem ad pristinum statum propediem redire. At hæc fuligo in melancholicis dissipari non potest, nisi ingenti gaudio, cujusmodi foret, si hoc tam abominando illis objecto amoto, quod formidant, liberantur. Si igitur Medicus peritus singulari industria vanam illam cornuum v. g. cervinorum apprehensionem ita ficte amputaret, ut phantasia vere illa amputata crederet, fieret haud dubie, ut hoc immenso gaudio, cor spirituum suppressorum ope dilatatum, spiritusque mœstitudine congelati rarescentes in cerebrum diffusi humorem illum mollirent, & in raritatem ducerent: raritate introducta vanæ species & umbræ

umbræ phantasticæ per illam consequenter dissiparentur, quibus dissipatis pristinæ tandem serenæ mentis luci procul dubio restituerentur.

LXX. Rem exemplo declaro. Si quispiam in speculari superficie cornua cervi, caput Elephantis, hominem sine capite, aut simile quid diaphanis coloribus, hoc est salium variorum tincturis, de quibus in Magia lucis & umbræ Kircherus, depingeret: deinde in loco obscuro solis radios in dictum speculum immitteret: certum est in oppositam muri partem lucem una cum coloribus reflexam ibi figuram, quam in speculo depinxeramus, exhibituram. Videbuntur igitur cornua crevi in muro depicta tamdiu, quamdiu pictura manserit in speculo. Si vero opacantem speculi materiem abraseris, jam omnis una cessabit specierum apparentia. Ita prorsus in melancholicis affectibus evenire putandum est, in quibus specularem superficiem refert fuligo & vapor densus recipiendis imaginibus aptissimus in cerebri receptaculis collectus, qui si in spiram agatur, hominem mira vertigine agitabit. Si Spirituum agitatione in undas fluentes crispetur, ridicula sane & ἀσύστατα variarum specierum in homine simulacra affinget: si vero glutinosus fuerit, & tenax immobilisque, tanquam in speculo quodam extrinsecum objectum forte eidem imaginationi impressum ad phantasiam reflectet; quæ quamdiu reflexo hoc simulachro molestabitur, tamdiu simul etiam rei conceptæ insania agitabitur. discussa autem nube speculi, vanam quoque conceptæ rei formidinem evanescere necesse est.

LXXI. Illud mirum alicui videri posset, cur in reliquis sapiens, circa unum tantum aliquod objectum deliret Melaocholicus? Respondeo, hoc fieri propter continuam rei ex vapore simulachri immoro in phantasiam reflexionem, non aliter ac si in catoptricis imago rei non sibi sub determinaro angulo videatur, infinitis aliis objectis visibilibus extra radium constitutus visum fugientibus. Vnde vero mira hæc rerum harmonia proveniat, nunc dispiciamus.

Nemo hucusque Philosophorum fuit, qui humores multum, uti in corpus, ita & in animam posse negaverit, experientiaque rerum magistra docet: sequuntur enim, Galeno teste, animi mores temperamentum corporis; cum enim simul juncta sint, ad invicem compati necessum est: in his quæ sunt ad aliquid secundum esse, facta mutatione in uno, necesse est & alterum mutari. Sic phantasia & melancholia mentem aberrare faciunt; humore vero melancholico dissipato mens serenitati restituitur; amores quoque, timores, dolores, tristitia & voluptas, seu lætitia sunt passiones animæ; secundum animam enim timemus & amamus tanquam principium: in his autem corpus pati videmus, & immutari; timentes enim pallent, lividi contabescunt; zelotypi vanis suspicionum umbris delirant; suspirant amantes; alii aliis passionibus agitantur, quæ subinde tantis eos invadunt symptomatis, ut nisi opportune iis succurratur, in aperta mortis discrimina præcipitentur. Atque hoc est primum mirificarum, quæ in anima contingunt, operationum fundamentum.

LXXII. Alterum est alimentorum qualitas, quæ tantum subinde potest, ut hominem prorsus in alium convertat. Omnes enim phantasticæ operationes originem suam trahere videntur a vaporibus: vapores a prava membrorum, lienis, hepatis, cordis, cerebri dispositione; hæc ab alimentorum qualitate, qualitas vero species in vapore cerebri impressas ea qualitate, qua ipsa una cum objectis repræsentatis est, afficit: quæ denique reflexione sua phantasiam. phantasia ulterius totam animam alterat. Ita P. Kircherus.

LXXIII. Verum ad nostra principia juvat eandem materiam paulo conformius retexere, maxime cum ideæ seminales per species imaginativas, tanquam ejusdem naturæ & congeneres, eo clarius percipiantur. Et quia hæ nobis domesticæ, illarumque effectus in nostra potestate atque ita notiores; necesse ex harum notitia viam inire ad illas quoque noscendas.

Sciendum autem I. Species sensibiles seu memorativas non ipsi animæ inesse, sed in subjecto materiali sedem obtinere, eamque esse cerebrum aut certam illius partem. II. hujusmodi imagines subjecto inesse confuse, non aliter quam in medio species objectorum, in cujus quolibet puncto radii ex toto objecto confunduntur. III. licet species imaginativæ in ordine ad subjectum habeant confusionem; in ordine tamen ad se esse prorsus inconfusas; illamque distinctionem, ordinem nexumque retinere, quem objecta sensu percepta, vel per actum imaginativæ inter se unita, vel demum ob similitudinem & analogiam sibi sociata habebant. Vnde non solum species humana caput collo & non humeris, pectus ventri, hunc cruribus, atque deinceps partes reliquas inter se debito modo & ordine sibi connexas exhibet; verum etiam quæ similia sunt, ut leo leoni, caput capiti, manus manui se sociant; eademque serie ac nexu, quo in penu memoriæ fuerunt unitæ sibique sociatæ; inde rursum evoluta in organo sensus interni pinguntur. Species enim jam evoluta aliam sibi sociatam & annexam trahit & evolvit.

Vnde fit ut ob illum nexum, quem habent species similes aut analogæ, sæpius aberrare, & ex una serie in aliam labi contingat. v. gr. Si minus attente recitare incipiam orationem Dominicam, *Pater noster, qui es in cælis, sanctificetur nomen tuum*; fac le hinc delabor in illum versiculum Maronis, *semper honos, nomenque tuum, laudesq; manebunt*: propterea quod dictio hæc *nomen tuum*, non minus cum *laudesq;*, quam cum *adveniat regnum tuum*, cohæreat in alia serie. Itaque fit ut inter orandum ea ratione sæpius excidamus ex uno psalmo in alium ob ejusmodi particulas utrique communes devoluti; & ubi a Leone de tribu Juda meditatio cœpit, mox cum Samsone aut Hercule diversi leones nobis fiunt importuni; eo quod species per actum intensum aut sæpius repetitum sint impressæ, magis prompte & citra errorem ejusmodi nobis occurrunt. Qua quidem ratione etiam per plures horas absque hæsitatione perorare, & contextum verborum eadem serie, qua memoria sunt commissa, indepromere licet. Quod si ita peroranti species quædam aliena ex improviso interveniat, nullum nexum habens cum dicendis, ut si tumultus extra fieri audiatur; aut forte persona quædam honorata valde & illustris ingrediatur, confestim filum interdictionis intercidit ur, nec progredi valemus, nisi rursus speciem antegressam revocemus. Sic econtra ea, quæ ad species

ceret, sub alia quam ovali non videretur; eo quod athmosphæra sive sphæra recta ob expirationis raritatem a terra altior, sub obliquissima vero ob densitatem exspirationis vicinior sit. Quid gravium & levium motus aliud, nisi pereonis quædam radiatio, dum exhalationes in altum diffusæ, illinc accensæ versus nos perpetuo radiant? Quid calor ignis nisi radiatio ab igneo corpore in adstantes sphærice diffusus?

Inter metalla & hoc admiraoione minime caret, ea non radiatione duntaxat virtutis sphæras fundare, sed & materialibus suis effluviis seu efflorescentiis nescio quid radiosum effingere: ita variæ vitriolorum, salium nitrique efflorescentiæ, nivis quoque flocci in quasdam veluti stellulas efformantur, quæ omoia experimentis comprobantur. Sit unicum ex mille.

Ex urtica in cinerem redacta lixivium conficias. Lixivium hoc noctu cœlo exponas in tantum, donec glacialem cutim contrahat; & videbis, mirum dictu, in ipsa glacie expressam totam & perfectam urticæ figuram, eo fibrarum ductu foliorumque laciniosorum serratura, quam in veris deprehenderes. Si porro microscopium adhibueris, videbis cum admiratione totam figuram urticæ, ex minimis & quasi infinitis stellulis concrevisse.

Idem in quacunque alia planta usuvenire crediderim: ut vel hinc appareat, in cineribus rerum semen quoddam latere radiatione sua simile speciei affectans. Ita manna, nitrum, vitriolum, alumen microscopio inspectum nihil aliud sunt quam stellatæ figuræ diversissimæ corpora. Cur autem nix præsertim stellata corpuscula exprimat, varii varie explicare conati sunt. Quidam Democritum secuti omnia in atomos conferunt; nonnulli in plasticam nivis vim; alii desperatione acti, rei tam occultæ causam minime definiri posse censuerunt Nos dicimus plasma hoc nivis stellatum non aliunde provenire quam a spiritu calido intra niveos floccos concentratos, qui dum uodique frigidis corpusculis circumdetur, tandem qua data porta ruens corpus niveum terebrando in stellatam seu radiosam efformat figuram: quod & manifeste demonstrat multitudo & varietas radiorum, quæ sane a plastica nivis virtute minime sunt, cum hoc constantem & determinatam figuram det rebus, ut Kircherus supponit.

Hæc & multa alia disces experientia, si io subtili folio glaciei, cujusmodi ut plurimum sub initium hyemis maoe supra aquas concrevisse reperimus: io hujusmodi folii medio ponatur carbo accensus, vel globus ferreus candens: mox enim videbis calore e centro diffuso glaciem efformati in crustam stellatam. Idem igitur in molli nive fieri censendum est. Vide quæ de generat. vegetabilium diximus Tract. XXVII.

SVBSECTIO III.

De radiatione corporis luminosi.

LXXVIII. Observandum I. Idem dicendum de speciebus visibilibns, quod de lumine; nihil enim aliud illæ sunt, quam lumeo modificatum, ex luce nimirum rebus inclusa & illapsa coalescentes.

II. Aerem & aquam duobus modis posse calefieri: tum quia substantia ignea ei permiscetur; tū quia forma lucigena a Sole velut radice exorta, sua radiatione huc pertingit; & ab hac forma actu perspicuum fieri, legeq; refractionum & reflexionum veluti norma dirigi. Quin & illarum ministerio per specula cava, aut vitreas lentes ex ipso aëre ignem urentem prosilire; noo vero ex atomis igneis per hunc dispersis colligi, quæ non subjacent his legibus fractionum. Non enim ignis in aere latens speculo uniri potest, ut eo modo, quo aer luminosus in flammas mutetur. Inesse tamen, præter hanc formam luminosam, utrique Elemento substantiam igneam, ex eo coostat, quod æstivis diebus eousq; peruruntur, ut etiam noctes inde æstuent.

LXXIX. Posset quoque dici cum D. Marci Lib. de Arcu cœlesti pag. 156. Quod lux, more reliquorum accidentium, dependeat a forma substantiali, quæ *Lucigena* dicatur; sive jam hæc sit forma ignis, sive alterius naturæ eandem cum igne vim habens. Hæc autem forma una communis est, quæ tam in aëre, quam in Sole lucem suam fundit ex se; & sicut lux in aere continuatur luci in Sole, ita hæc forma lucigena suam radicem in Sole habet.

Forma ergo lucigena natura prior luce in medio perspicuo hunc suum fœtum parit pro conditione & natura subjecti: in his quidem lucem puram, in illis coloratam, prout nimirum ad hunc illumve modum luci induceodum determinatur. Non est ergo in aere, aut alio subjecto nisi per radiationem & dependenter a centro, cui forma lucigena inest. Et tametsi una sit toti medio communis, & sicuti unius essentiæ, ita & unius virtutis: non tamen ubi corpus opacum permeavit, lumen æque intensum producere potest in reliquo medio. Ratio est, quia dependenter agit a partibus prius productis, ubi ergo suas vires in corpore opaco per multigenas refractiones attrivit, non potest huic luci jam infractæ aliam lucem magis intensam continuare. Natura enim justissima cum sphæram habeat definitam: neque omnibus summam perfectionem conferro possit, illam hac ratione dispensat, ut quo partes centro suo suæque origini sunt propiores, eo lucem accipiant uberiorem, quæ cum discessu a centro proportionaliter minuatur.

LXXX. III. Præcipuam difficultatem in eo consistere, an lumen ex centro corporis lucidi diffusum in instanti producatur per totam activitatis sphæram, an vero successive, ita ut partes centro viciniores prius, quam remotioris circuli & majoris radii producantur? Ratio dicendi quod fiat successive, licet nobis videatur actio momentanea, desumitur ex eo, quod juxta communem hypothesin Mathematicorum Terram in centro Vniversi immobilem statuentium, tanta sit velocitas stellarum fixarum, ut spatio unius minuti secundi (quod est 2160. pars horæ) corpus cœleste conficiat milliaria germanica 3937940. quæ mora arteriæ pulsui fere respondet. Ita P. Gaspar Schott io fine Scholii in cap. 8. Dial. 1. Itinerarii 1. P. Kircheri. Hanc velocitatem qui concipere potest, non mirabitur productionem luminis successivam. Hanc autem productionem successivam necessario admittere coguntur, qui volunt partes remoliores luminis produci a vicinioribus corpori luminoso aut lucido. Qui vero instantaneam tueri volunt, edicant quomodo corpus lucidum, aut ejus forma lucigena in tanto spatio & sphæræ latissimæ partibus simul & semel agere queat.

Quibus tamen omnibus inconvenientibus obviari putat Joan. Marcus Marci, si una forma simplex luci-

gena per totum medium supponatur, quæ quidem producat uniformiter difformiter simul totam lucem ita ut quando in speculo amphitheatrali (in quo fiunt a speculis invicem dispositis infinitæ repræsentationes, quæ ab unius speculi motu tolluntur in momento & reducuntur) noviter speculum admovetur aut amovetur non nova lux producatur, sed novus lucis existentis modus: quæ tamen forma lucigena suam habeat radicem in sole v. gr. aut corpore lucido. Hoc modo vitatur infinita illa multiplicitas specierum & luminum. Non enim erunt plures luces, quam sint corpora luminosa intra eandem sphæram.

LXXXI. Dices: Ex hactenus disputatis de Potentia Visiva patet, nos præter lumen & colorem nullas agnoscere species, ut vocant, intentionales. Quod si ita, formas hoc argumentum: Ut color emittat species sui, debet quidem esse illuminatus; non tamen est necessarium, ut totus aer usque ad potentiam visivam sit illuminatus; ut patet experientia, quia videmus ex obscurissimis locis lucem distantem; ex profundissimis puteis stellas in meridie. Et licet daretur ibi esse aliqua lux, est tamen minor, quam ut visionem determinet adeo claram objecti, ergo hoc referendum ad speciem objecti, quæ sine luce per tenebras defertur.

Confirmatur: Quia quando noctu ex obscurissimo cubiculo videtur lux ex monte, forte ad 12 milliaria distans, non potest probabiliter affirmari per totum illud spatium usque ad cubiculum productam esse lucem: siquidem tunc alios homines nobis præsentes, nec parietes ipsos ulla vi percipi constat, ergo species distinguuntur a luce & colore.

Resp. In profundis puteis & locis valde obscuris, ex quibus ignis aut stellæ cernuntur, non deesse lucem visioni parem; manifestum est, si lente crystallina ejusdem stellæ seu ignis radios colligas in charta, in qua imaginem non minus clare quam in retina depictam videbis. Quod vero retina, non etiam alia objecta vicina illuminentur, provenit ex nimia lucis attenuatione, quam rursus coire in unum quasi punctum facit vitrum lenticulare, cui humor crystallinus assimilatur. Cæterum illa idea, quæ in retina vel corrhoide formatur, sicut in subjecto materiali recipitur, ita divisibilis est tam in essendo quam repræsentando, mutaturque juxta mutationem objecti secundum partes.

SVBSECTIO IV.

De Radiatione Osmetica & Acustica.

LXXXII. Dum quæritur, an odor, sapor, color &c. sint accidentia absoluta seu qualitates, & affirmativam, probari ex Mysterio Eucharistico, indignor; minime enim convenit Philosopho positiones suas ex obscurissimo Fidei mysterio velle instaurare & illustrare. Nec enim juxta sensus nostros ibi debet judicium ferri: tangimus enim non minus quantitatem, quam videmus colores, & figuram, olfacimus odorem, gustamus saporem: & tamen catholici præstantissimi Philosophi ac Theologi negant quantitatem (externam) esse accidens absolutum; quantitatem vero internam cum materia identificant, quæ utique per transsubstantiationem tollitur cum substantia panis & vini.

Placet tamen audire discurrentem iterum Athan. Kircherum de actinobilismo hujus sensus. Supponit is odorem esse qualitatem secundam ex primarum commistione resultantem, dominante sicco & calido. Certe, inquit, nisi per ἀκτινοβολισμὸν osmeticum, seu radiationem a subjecto sphærice per medium diffusam, nulla ratione hæc qualitas sensorio sisti potest.

LXXXIII. Dubium autem exoritur, an hæc radiatio osmetica fiat deferendo odorem per esse suum reale, an vero per esse intentionale? Priorem partem tuentur omnes ii, qui halitum fumosum, seu fumidam evaporationem, & consequenter substantiam, non qualitatem, odorem existimant.

Alteram multi in dubio relinquunt. Nos dicimus odorem, quem ipsæ res per medium emittunt, non esse halitum formaliter, sed subjective, id est, odor ille quem percipimus, nequaquam existimandus est esse fumida illa exhalatio ex corpore odorifero evaporative in medium diffusa, sed in halitu ille inest subjective, & ab eo per medium, veluti vehiculo quodam, defertur; & sic intelligimus eos, qui fumosam exhalationem odorem vocant.

Concedit itaque Kircherus odorem non emitti sine effluvio atomorum seu corpusculorum, cum accidens physicum non transeat ex subjecto in subjectum. Fit igitur (pergit Author) radiatio per medium aliquo usque quidem per esse suum reale; per esse tamen intentionale etiam in loca remotiora, non secus ac da specierum soni transmissione dictum. Hæc ille.

Assignat quidem dogmatis sui rationem, & prioris partis hanc: cum medium, teste Philosopho, patiatur a sono & odore: medium autem pati ab odore nihil aliud sit, quam aerem ita pati a re odorata ut redoleat; at cum redolere nihil possit, nisi odore secundum esse reale affectum, uti nec esse candidum, nisi candorem habeat: recte dicimus in aere (id est in corpusculis odoriferis aeri mixtis) odorem realem recipi, & consequenter per aerem deferri secundum suum esse reala uniformiter & difformiter. Secundam vero partem aliter non probat, quam quod incredibile videatur ejusmodi corpuscula ad tantum spatium dispergi, puta cum exposito cadavere, tetro ejus excitatæ fœtore aquilæ & corvi ex remotissimis locis advolare cernuntur, id ergo per intentionales species fieri putat. Sed

Contra est, quod ratio prior assignata æque probet odorem secundum esse reale per totam athmosphæram seu spatium diffundi & propagari, ac per partes viciniores, nam & remotiores aeris partes redolent. Speciebus autem intentionalibus non est opus, si qualitatibus activis concedamus, vim sui communicativam & diffusivam, ut alibi de calore & frigore ostendimus.

LXXXIV. Hinc melius sentire videntur, qui etiam species audibiles negant, sed sonum ipsum secundum suum esse reale semper ad potentiam acusticam pervenire adstruunt: ita quidem ut medium transonans & receptivum soni actu moveatur motu locali concussionis ac vibrationis tanquam dispositione necessaria. Quæ opinio satis est communis, & videtur constare experientia. Nam motus ille aeris tremulus manifeste se prodit in fidibus instrumenti musici, in plectro quod colophonia obductum asperitate sua, & quasi denticulis chordas motu illo reciproco exagitat. Nam si id oleo aut sebo illinas, tum nullum edet sonum

num. Itaque crebri illi subsultus & repetitæ vibrationes sonum efficiunt.

Præterea cum vitrei scyphi, cui aqua infusa est, margines digito celerius moto premuntur, tum quidem tremulus aquæ motus, & subsultatio, quæ fit aeris agitatio pulchre satis explicat. Si pulsatæ itidem campanæ proximus pileum manu extuleris, hunc tremulum pilei motum vel manu senties. Quare cum posito motu illo tremulo fiat sonus, sublato tollatur; planum fit naturam soni in eo motu, aut quasi fremitu aeris esse constitutam.

LXXXV. Si opponas, incredibile videri, quod sono penetrante in cubiculum clausum, moveantur muri cubiculi; Respondetur, non esse necesse omnes partes muri commoveri, sed subtilissimas aeris inclusi particulas; imo dum motus est vehemens, experimur quoque sensibilem tremorem & concussionem murorum. 2. Cum sonus est tenuis, & cubiculum ita clausum, ut non possit sonus penetrare per rimas & poros, non auditur, ergo signum est, quod cum sonus propter tenuitatem non potest concutere medium resistens, impeditur a propagatione. 3. Etiam sonus tenuis editus ex percussione muri in parte exteriori penetrat, & percipitur intra cubiculum optime clausum: sonus autem multo major editus non ex percussione muri cubiculi, sed alterius corporis non ita perfecte auditur. Cujus ratio non videtur esse alia, quam quod muri cubiculi a percussione recipiunt motum crispationis: e converso cum non percutiuntur muri cubiculi, sed aliud corpus separatum, motus crispationis recipitur in aere, qui non potest ita facile movere muros cubiculi, prout requireretur ad sonum propagandum.

Ex adverso ipsemet P. Honoratus Fabri credibile non putat ad sonum levem campanæ v. g. totum circumstantem aera commoveri ad usque potentiam auditivam: sed tenuissimas solum quasdam particulas ab ære campanæ vibratione illa elisas excussasque eousque propelli, quod quidem sibi perceptu facile affirmat, nobis autem minime.

LXXXVI. Statuimus proinde, quod Sonus sit crispatio aeris a corpore sonoro causata, & ad Organum acusticum propagata. Quæ propagatio per aerem elastice & crispanve motum, non fit instantanee, sed successive & paulatim, per circulos undulatim progredientes, cujus analogiam habes in aqua stagnante, si lapidem injeceris. Hinc enim etiam surdaster audit; si corpus sonorum manu tangat, aut mordicus teneat; quia tremor per ossaturam propagatur ad aerem *innatum*, etsi tympano læso. Per flammam, nebulam, pluviam minus auditur sonus, quia tremor aeris minus procedit per aerem tot filamentis, ex quibus velut globulis pendent, implexum. Procul minus percipitur sonus; quia vibrationes remissius procul fiunt, quod partes aeris motæ magis magisque a se recedant crescentibus circulis, ac divaricentur. Per tubum acusticum crescit sonus, quia cum tubus crescat in conum, crescunt etiam vibrationes ejus; sicut ideo & campana major grandius sonat quam minor. Pulsato barbyto subsultant flammulæ & atomi in radio solis conspicui, quia tremorem aeris excipiunt. Prius videtur fulgur, quam tonitru audiatur; & findente quopiam procul ligna, prius videmus ictum securis, quam sonum percipiamus. Qui ex alto loquitur, facilius intelligitur, quam qui ex humili; quia tremor deorsum promovetur etiam aeris gravitatione; sursum impeditur. Qui in cella loquitur, auditur tanquam remote distans, quia parum aeris tremuli per januam exit. Qui in carcere prorsus occluso, crassis muris obsepto clamat, non auditur, quia muri firmitas tremores vocis non excipit: secus si muri sint tenues, tunc etiam murum tremere patet ex vase aquæ muro superimposito, vel ex appenso speculo radium solis reflectente; sic tympano imposito cum acicula supra murum, sub quo hostis cuniculos agit, ex subsultatione acus deprehenditur motus subterraneus. Difficilius auditur Concionator, dum populus est frequens, aut templum peristromatis vestitum, quia tremor aeris dispergitur & minus reflectitur: econtra quia parietes calce recenter incrustati plus reflectunt, distinctius auditur: Sub dio, quia nihil reflectitur, difficillimum est concionari. Vltra fluminis ripam clamans difficulter auditur, dum aqua est turbida, quia lævigata superficies aquæ minus tremorem aeris turbat, quam asperata.

LXXXVII. Quæ cum ita se habeant, palam fit sonum non esse qualitatem absolutam, cum omnia experimenta commonstrent, non esse nisi tremorem corporis sonantis & aeris, qui est solum modalitas. Si enim absoluta foret, quæ esset ejus causa efficiens? cur campana sonaret, sive eam ligno, sive ferro, sive saxo percutias? Quomodo recipietur ea qualitas, aut progredietur de campana in aerem? mutabitne subjectum? Mittamus itaque quæstionem de speciebus soni, ut plane inutilem & vanam, cum sonus ipse, id est tremor realis utique ad organum promoveatur.

Denique sicut aer & aqua luminis & soni, sic odoris quoque subjectum sunt. Sic per lumbricos terrestres igne tostos hamoque infixos allicies agminatim in gurgite pisces: fugabis si asæ fœtidæ succo vermium massam infeceris. Similiter eliciuntur ex antris suis cancri assata carne ranarum. Quamvis non negem odoratum obtusiorem esse aquatilibus quam terrestribus animalibus, seque habere radiationem in aquis ad radiationem odoris extra aquam, sicut radiatio refracta ad directam: uti enim luminis radius in medio densiori frangitur obtunditurque, ita & radius odoris. Sed de his satis.

TRACTATVS XLIV
DE
SVBSISTENTIA.

CVm duo summa Christianæ Religionis mysteria S. Trinitatis & Incarnationis non intellecta subsistentia explicari non possint, hoc loco extra Philosophiam parumper excurrendum est. Inquiremus ergo 1. Quid nomine Subsistentiæ, Hypostasis, Personalitatis intelligatur? 2. Quid Natura, quid Suppositum? 3. Quid addat Naturæ Personalitas?

SECTIO I.
Quid hypostasis, subsistentia, personalitas?

I. Sciendum ante omnia, longo tempore dissidium fuisse Græcos inter & Latinos, non tam de re quam de nomine seu significatione genuina hujus vocis *hypostasis*. Nomen enim *hypostasis*, quod Latini subsistentiam vertunt, interdum sumitur pro ipso subsistendi actu; interdum pro re quæ subsistit. Quemadmodum vocabulum *Intelligentia* modo sumitur pro actu intelligendi; modo pro re intelligente, quo pacto Angelos aut substantias separatas appellamus *Intelligentias*.

II. Porro *Subsistere* quinque fere modis usurpatur. Duobus communi usu; tribus apud Philosophos. Communi usu *subsistere* interdum sumitur pro vero esse, non pro inani ejus specie; præsertim si verum esse non raptim transeat, sed aliquamdiu permaneat duretque. Qua significatione scribit Aristoteles in L. de Mundo ad Alexand. Ea quæ in aere cernuntur, partim specie tenus esse, partim hypostasim sive substantiam habere Et Dionys. Areopagita asserit malum non habere hypostasim; quod ideo ait, quia malum qua tale, non habet esse ullum, sed in defectu potius alicujus esse consistit.

Et in sacris literis Jobus cap.7. de se dicit: *Si mane me quæsieris, non subsistam.* Interdum vero pro *subesse* quocunque modo, quasi *substare*, quo pacto in ædibus fundamentum, in columna basis, in vino fæces, in urina sedimentum, *subsistere* dicitur, & hypostasis appellatur.

III. Apud Philosophos autem, *subsistere* (1. modo) sumitur pro *esse per se*, hoc est, non in subjecto inhæsionis. Quo pacto omnis substantia (sive completa sive incompleta) subsistere & hypostasin habere dicitur, & interdum subsistentia seu hypostasis appellatur. Quo pacto non tantum primæ substantiæ, sed etiam secundæ, & substantiarum partes subsistere dicuntur. Imo D. Thomas in 1. sent. dist. 23. q. 1. art. 5. ad 4. sæpius ait, quia subsistere hoc pacto convenit substantiæ, qua ratione substantia est; idcirco secundas substantias prius sibi vendicare *subsistentiam*, quam primas. Hoc sensu solis substantiis convenit hypostasis; accidentibus autem non nisi analogice; ut si dicas, albedo est habens albedineitatem, illud *habens* recte vocaveris parypostasin.

IV. (2.) Pro *esse per se*, id est, non in aliquo (intellige per modum partis, aut formæ) a quo id, quod sic est, in illo suo esse pendeat. Hoc pacto negamus secundas substantias subsistere, quia etsi non insint primis per modum formarum, ab eis tamen in suo esse pendent. Formas item, quæ educuntur e potentia materiæ (ut vulgus loquitur) quia natura sua nisi in materia, esse non possunt, subsistere non dicimus cum S. Thoma alibi citato; imo & ipsi materiæ, quæ prima pars est in compositione rerum naturalium, & minime omnium substantiarum in subjecto inhæsionis esse potest, subsistentiam per se non tribuimus, quod sine forma non cohæreat.

V. Quid, quod post Incarnationem Verbi Divini, ne substantias quidem singulares, finitas & completas, quatenus abstractis nominibus respondent, veluti naturam humanam hujus hominis (quæ sumitur per modum formæ Totius) hoc pacto subsistere intelligimus, quia ab aliquo supposito in suo esse pendent: quemadmodum fide orthodoxa credimus humanam Christi naturam modo quodam ineffabili pendere in suo esse a Verbo Divino, ad cujus subsistentiam (personalitatem) assumpta est, tametsi humanitas in Christo propriam & peculiarem existentiam habeat, quidquid dicant Thomistæ.

VI. In hac igitur significatione dicimus non solum omnes primas substantias prædicamentales, Personasque divinas subsistere, eo quod in nulla re sint tanquam formæ aut partes, sed etiam ipsam Divinam essentiam, quæ per modum formæ tribus Personis communis est, imo & animam rationalem, etiam dum est in corpore, ut forma in subjecto; in Composito autem ut pars in toto, subsistentiam habere; ex eo, quod nec essentia a divinis personis, nec anima rationalis a materia aut a toto Composito in suo esse pendeat.

VII. Vbi tamen obscuro hunc loquendi modum non ab omnibus teneri: sunt enim qui subsistentiam illam absolutam in Divinis negent, nec animæ rationali subsistentiam propriam concedant.

VIII. (3.) Pro *esse per se*, hoc est ita esse, ut quod sic est, neque actu, neque potentia sit in aliquo per modum partis, aut formæ, vel quasi formæ. Quo pacto sola supposita subsistere, subsistentiamque habere dicimus, & substantias hypostasesque vocamus, non jam ipsam essentiam divinam, nec animam rationalem etiam a corpore separatam; eo quod Divina essentia actu se habeat per modum formæ; anima vero rationalis, saltem potentia sit forma subjecti & pars compositi.

In hac significatione definit Hypostasin Basilius Magnus in libello de differentia hypostasis & usiæ ad Gregor. fratrem Nissæ Episc. „ Hypostasis est, non indeterminatæ substantiæ conceptio. „ Aut, ut Fonseca explicat, Suppositum: Quod sit substantia completa omnino determinata in suo genere. Quæ definitio & acceptio hujus nominis hypostasis jam olim

olim a S. Dionysio Areopagita Lib. de cœl. Hierar. cap. 7, usitata, cum vocat divinam essentiam τρισυποστάτον, id est in tribus hypostasibus sive personis. Item a Tertulliano in Lib. adversus Praxeam cap. 12. aliisque locis, ubi distinxit naturam a persona. Item Justinus Martyr in expositione fidei, ubi non longe a principio scribit, voces has *ingenitus, genitus, procedens*, non essentiam sed hypostases significare, valeot enim, ut ait, ad discernendas personas, Patris, Filii & Spiritus sancti, & indicandas nobis singulorum proprias subsistentias.

IX. Redeundo nunc ad suprad. Græcos inter & Latinos olim differentiam, si in prima aut secunda significatione aut sensu sumatur *hypostasis*, convenit quoque essentiæ & naturæ; & ita dicere, in divinis 3. dari hypostases, hæresin sonat Arii: & dicere unicam dari hypostasin in Divinis, sumendo in significatione tertia, prout personam notat, pariter hæreticum est, nempe ad sensum Sabellii, qui personas confundebat in unam, quasi Pater, Filius & Spiritus S. non re, sed solo nomine distinguerentur. Tandem per mutuam declarationem quod nomine hypostasis intelligant Græci, hæc discordia sublata fuit. Vnde in hodiernum diem absque scrupulo promiscue apud Latinos hypostasis & persona usurpantur, cum olim tempore S. Hieronymi res nondum liqueret, sic enim scripsit ad Damasum Papam: " Sufficiat nobis dicere unam substantiam, & tres Personas; caveamus tres hypostases, "si placet, nomen non bonæ suspicionis est. Et paulo "post, mihi credite, venenum sub melle latet.

SECTIO II.

Quid sit Natura, quid Suppositum.

Cum ex Mysterio Incarnationis Fides nos doceat, Verbum Divinum assumpsisse hanc humanitatem, non autem hunc Hominem; quod quidem reali actione factum est, non sola consideratione. Hinc merito corrigenda venit illorum Philosophia, qui Naturam & Suppositum sola ratione, aut expressione, seu diverso concipiendi modo distinguenda putarunt. Vt vero liquidius constet, quo distinctionis genere discerni debeant, prius quid utrumque sit, exponemus.

X. Natura, prout in hac quæst. a Theologis usurpatur, nihil est aliud quam essentia rei, sive ea universalis sit, ut humanitas & animalitas, sive singularis, ut Platonitas, Lentulitas, quo verborum genere Cicero quoque aliique disertissimi penuria vocabulorum coacti sunt uti. Conveniunt autem dupliciter Natura, & substantia pro essentia rei sumpta. I. quatenus neutra dicitur absolute, sed comparate, nempe respectu ejus, cujus est natura sive essentia, puta hominis, bruti &c. II. quatenus utraque concipitur, vel simpliciter conceptu, ut in exemplis adductis, vel definitive, ut si dicas naturam & substantiam hominis esse, quod sit animal rationale; & naturam ac substantiam particularem Platonis esse, quod sit humo hic aut ille, id est constans ex natura humana & hac differentia individuali.

XI. Differunt autem, quatenus nomen *substantia* hoc modo sumptum magis usurpatur in universalibus, quam in singularibus: nomen autem *natura* æque in singularibus ac universalibus. Qua forsitan de causa fit, ut potius quæri soleat, quid intersit inter suppositum & naturam, quam quid intersit inter suppositum & substantiam sive essentiam rei. Hæc enim difficultas propter singulares essentias excitari solet, quæ potius dicuntur naturæ quam substantiæ aut essentiæ.

XII. Suppositum definiri solet a Theol. *Substantia completa incommunicabilis*, cujusmodi est Petrus, Franciscus & omnia Individua humana. Accidentia enim non vocamus supposita, sed apposita & innixa suppositis: incompletæ vero substantiæ, cum partes sint & a toto perfectionem accipiant, supposita non dicuntur, cum omnes Suppositi nomine intelligant aliquid completum & perfectum. Denique quidquid pluribus communicari potest, sive ejusmodi sit, ut in eis multiplicetur, quales sunt naturæ universales, tam abstracte quam concrete sumptæ, sive ejusmodi ut multiplicari nequeant, sed unum & idem omnino in eis sint, qualis est Divina essentia in tribus personis, & esse posset natura humana in Verbo Divino & aliis personis divinis, aut etiam in puro homine, si a Verbo relinqueretur propriamque personam constitueret; id, inquam, omne suppositi rationem non habet, quod non subsit aliis omnibus, sed in eis potius, ut commune quidpiam insit. Significant enim hujus nominis Impositores *Suppositi* ultimum quidpiam, & quod nulli inferiori determinatorie prædicationis subjecto per modum formæ informantis communicari possit: quamvis alia ratione pluribus communicetur, veluti per modum efficientis, aut exemplaris aut finis, aut etiam subjecti: quo pacto idem homo numero communicatur pluribus filiis per generationem, id est participationem seminis. Idem Prototypon pluribus servit efformandis exemplis &c.

XIII. Nec dissentit hæc definitio Suppositi ab illa Boetii in Lib. de duabus naturis & una persona Christi. *Persona est rationalis naturæ individua substantia.* Vide D. Thom. 1. p. q. 29. art. 1. & DD. in 1. sent. dist. 25. ita tamen ut verbum *individua*, non idem valeat, quod singularis, sed idem quod *incommunicabilis*, ut ab omnibus exponitur.

XIV. Potest quoque definiri Suppositum, substantia completa omnino determinata in suo genere. Tametsi enim omnis substantia singularis determinata est ad singularitatem, vel ex ipsa natura sua, ut essentia Divina; vel per differentiam aliquam contrahentem & individuantem, ut qualibet natura creata sub specie infima contenta: est tamen adhuc (sive creata illa sit, sive increata) determinabilis ad plura, in quibus sit aut esse possit; (quæ supposita vocamus) ipsa autem, in quibus est, aut esse potest, ulteriorem determinationem in suo genere accipere non possunt, quamvis possint in alio genere, puta accidentium variorum &c.

Denique definiri potest Suppositum more logico in hunc modum: Suppositum est omnino ultimum prædicationis subjectum, hoc est, quod nullo modo de pluribus naturali prædicatione dici potest. Hinc in Concretis, tam substantialibus, quam accidentalibus, importatur in recto, per terminum *habens*, qui notat ens fundamentale seu substractum sumptum, cui innititur velut basi natura constans ex materia & forma.

XV. Vocatur quidem communiter ab Authoribus *terminus intrinsecus substantiæ*: verum cum terminus duplex sit; compositionis nempe & resolutionis; in columna enim capitellum est terminus compositionis, ut

ut in ædificio tectum. In resolutione vero utrobique est basis & fundamentum: sic dubium adhuc manet, sitne Subsistentia terminus compositionis & velut aplustre, ut plurimis Modistis placet, an vero analyticus seu basis & fundamentum succollans totum ædificium metaphysicum, uti volunt Authores mox citandi Illustrissimus D. Caramuel, & Eximius P. Franc. Bonæ spei, aliique non ignobiles.

XVI. Ex dictis infertur, Primam substantiam in creatis coincidere cum supposito; secus in divinis; tametsi enim Deus sit prima substantia, vel verius supersubstantia per excellentiam, non tamen est suppositum; econtra Personæ divinæ ita sunt plura supposita, ut non sint dicendæ (saltem absolute ac simpliciter) plures primæ substantiæ, sed unica. In rebus autem creatis ex eo perspicuum est hæc non distingui, quia omnis substantia completa, finita & incommunicabilis (quæ est ratio suppositi creati) est prima substantia prædicamentalis, & vicissim omnis substantia prima prædicamentalis est singularis, completa & incommunicabilis, ut inductione patet. Quæ tamen suam adhuc patiuntur difficultatem, uti videre est apud Fonsecam hic L. 5. Met. cap. 8. q. 5. sect. 9. quibus prætermissis, sit.

SECTIO III.

Quid addat Natura Personalitas?

Quæritur hic, utrum in rebus creatis ratio ipsa personæ aut suppositi sit quid rei, seu quid positivum naturæ superveniens, & ab ea distinctum? Vel aliter, quæ sit ratio formalis subsistentiæ, sive, (quod idem est) quis effectus formalis subsistentiæ? Quod ut melius intelligatur, quæ nobis videntur certa, ab incertis sunt separanda.

XVII. Certum est I. Non esse de Fide, subsistentiam esse quid positivum naturæ superadditum: id enim nusquam fuit definitum, ac contrarium magna pars Theologorum & Philosophorum defendit. Hinc Durandus sola ratione suppositum a natura discernit, quæ opinio quibusdam minus tuta videtur. Imo P. Pontius Disp. 18. Met. gravem notam inurere non est veritus P. Wadingo & Durando, dicens eos cum hæreticis convenire, & sicut illi in hoc passu erravetunt, ita & illos errare, a qua tamen censura eos vindicat P. Franc. Bonæ spei Tract. 1. Phys. Disp. 4. Dub. 1. resol. 4.

Sic enim Christo humana subsistentia non ipsa, sed penes nostrum concipiendi modum tantummodo deesset. Scotus subsistentiam nihil esse putat præter negationem, tum actualis, tum aptitudinalis dependentiæ ab alio, tanquam a supposito. Neque ab hac sententia multum alienus videtur S. Thomas 3. p. q. 2. art. 2. " Non quodlibet, individuum in ge" nere substantiæ, etiam in rationali natura, habet ra" tionem personæ, sed solum illud, quod per se existit; " unde manus Socratis, quamvis sit quoddam indivi" duum, non tamen est persona, quia non per se " existit, sed in quodam perfectiori, scilicet in suo " toto.

XVIII. Certum est II. Rationem personæ, & negativa & positiva dictione exprimi solere: quemadmodum in figura exprimenda interdum voce affirmante utimur: ut cum dicimus eam esse terminum corporis & complementum; corpus sua figura circumscribi: aut negante etiam cum negamus corpus extra suam figuram extendi. Sic per subsistentiam negamus rem esse in alio ut in perfectiori, aut esse juris alieni: id vero asserimus personam per subsistentiam in se sistere, esse sui juris, esse integrum agendi principium. Sic PP. Concilii Francofurdiensis in epist. ad Episcopos Hispaniæ, *In Deo homine*, inquiunt, *gemina substantia est, non gemina persona. Nam persona personam consumere potest, substantia non substantiam, quia persona res juris est, substantia res naturæ.* Unde licet in Christo sint duæ res, quæ maxime inter se differunt, humana scilicet & divina natura, unica tamen est persona, & quidem divina: quia natura humana in alio perfectiori existit, & proinde non sui, sed alieni juris est. Unum quoque est integrum agendi principium: sic corpus & anima in homine unum suppositum, unam efficiunt personam: neutra enim pars est sui juris. His explicatis sit.

XIX. Conclusio I. Subsistentia seu personalitas non consistit in meris negationibus. Est contra Scotum, qui teste Fonseca Lib. 5. Metaph. q. 6. sect. 2. subsistentiam posuit in duplici negatione, eo sensu, quod suppositum creatum dicat, præter naturam, negationem dependentiæ actualis, & aptitudinalis; tum partis a toto per se, tum etiam naturæ ab alieno supposito, seu quod idem est, ab alieno per se sustinente. Proinde nec formam Socratis, dum existit in corpore, esse suppositum, quia pendet a Socrate tanquam pars illius: nec etiam eum est a corpore separata, quia est apta ut sit pars Socratis. Neque item natura humana Christi, quia etsi non habeat aptitudinem, seu naturalem propensionem (sic enim interpretatur Scotus aptitudinem) ut sit in alieno supposito (alioquin violenter quiesceret) in proprio tamen actu est in alieno supposito, tanquam natura in eo, cujus est natura.

XX. Clarius & accommodatius ad nostrum propositum exponit hanc Scoti opinionem Eximius P. Christoph. Haunoldus Theol. Tract. 1. Lib. 4. cap. 3. Controv. 1. §. 2. Si quæras quid illud sit, quod natura humana Christi de facto non habet, & quod excluditur ab illa per unionem hypostaticam, ex cujus absentia non sistit in se, nec est persona distincta a Verbo, sicut esset persona distincta, si non esset unita Verbo? respondent Scotistæ, non esse aliud, quam negationem hujus Unionis hypostaticæ.

Contra hos probatur nostra conclusio argumento Illustrissimi D. Caram. quod urget quoque de Lugo, Raynaudus, Comptonus, Arriaga & alii, desumiturque ex definitione PP. damnantium errorem Nestorii. Philosophi enim ex suis principiis de subsistentia nunquam cogitassent, sed fides propter assumptam naturam nostram in unionem Verbi difficultatem movit. Et nihilominus etiamnum de officio & munere subsistentiæ inter nostros Philosophos non liquet. Constat, inquit Arriaga, effectum formalem subsistentiæ nobis prorsus esse incognitum. Hinc tanta opinionum varietas, quod alii in negativa, alii in positiva entitate modali, aut nescio quo complemento superaddito quasi aplustri collocent, alii vero juxta nominis etymon pro basi constituant ædificii metaphysici.

XXI. Antequam hæc conclusio probetur, suppono I. cum P. Francisco Bonæ spei Tract. 1. Phys. Disp. 4. dub. 1. resol. 4. In sententia asserente subsistentiam esse

esse formam positivam, dici posse. 1. Effectum formalem subsistentiæ esse principium & basim suppositam naturæ, eo modo, quo materia prima est principium & basis supposita formæ. Vel dici posse 2. Illius effectum formalem esse, esse terminum ultimum substantialem & finem superpositum naturæ, eo modo quo forma superponitur materiæ. Prima pars est Illustrissimi D. Caramuelis suæ Philosophiæ Lib. 3. Disp. 1. sect. 1. cujus verba inferius referemus; eamque omnino putat Eximius P. Bonæ Spei esse plurimorum hominalium, Ockani quodl. 4. Gabrielis in 3. dist. 1. q. 1. & Durandi in 1. disp. 34. q. 1. qui sic negant suppositum nihil superaddere naturæ, ut tamen velint cum Magistro Baehone in 3. dist. 1. q. 1. art. 3. aliquid esse infra naturam suppositabilem, quod ad rem nostram vocat *suppositativum prababitum natura*, ut etiam ex his verbis manifestum est, *licet natura suppositabilis sit idem realiter cum esse suppositabili, dummodo inter illa sit ordo ex natura rei, & dummodo prababeat sufficiens suppositativum, potest ab illo suppositari*. Quod ipsi quidem videtur verius ex eo, quod etiam Durandus loco cit. comparet suppositum ad naturam, sicut album ab albedinem; album autem nihil quidem *supra* albedinem dicit, per modum termini (compositorii) albedinem terminantis, tamen aliquid dicit *infra* albedinem per modum suppositativi albedinem suppositantis, aut si mavis subjectantis: igitur ex mente Durandi, idem dicendum de supposito respectu naturæ creatæ.

XXII. Supposita veritate hujus expositionis, restant circa præsens dubium tres valde celebres sententiæ. 1. illorum modo dicta de subsistentia basi. 2. Scotistarum post Scotum communiter ac nominatim Fabri, Meurisse, Poncii &c. supra relata. 3. Realium, Suarez, Hurtadi, Lugo, Oviedi, Arriagæ, Telles &c. Post Thomistas, Capreol. Cajetan. Bannez, Joannem a S. Thoma & Complutenses Carmelitas asserentium esse entitatem aliquam positivam naturæ superadditam. His prænotatis & suppositis

Probatur assertio nostra. 1. Subsistentiæ divinæ prout condistinctæ ab essentia præscissive sunt formalitates positivæ, ergo supposita divina, Pater, Filius & Spiritus Sanctus non constituuntur in ratione personarum negationibus. Consequentia est legitima. ant. probo. Personæ non distinguuntur in natura, ergo in subsistentiis, ergo hæ sunt positivæ. Hinc progredior ad creaturas: quia conceptus subsistentiæ debet esse univocus creatæ & increatæ, maxime in Scoti sententia, qui admittit in Deo & creaturis *Ens*, *substantiam* & alia prædicata univoca.

2. Verba Conciliorum & P P. definientium, post unionem inter Verbum & naturam Christi, non mansisse subsistentiam seu rationem personæ ex parte Humanitatis, sed hanc esse spoliatam propria subsistentia. (non eo sensu quasi præhabuerit aliquam subsistentiam prius, quam assumeretur, sed, uti verba Innocentii III. *Persona Verbi assumpsit personam hominis* interpretatur S. Thomas 3. p. q. 4. art. 2. ad 3. id est impedivit ne propriam personalitatem sive subsistentiam haberet:) Hinc ita arguitur. Verba Conciliorum & PP. in sententia Scoti verificantur quidem, sed inepte atque prorsus ridicule. Quod sic ostenditur. Convocantur Ecclesiæ Primores ac Purpurati Patres ex dissitis Regionibus ut conveniant examinatori; quid? Utrum Verbum univerit, aut an assumpserit eum natura humana etiam personam? hoc est, ex principiis Scoti, utrum assumpserit duplicem illam negationem, nempe actualis & aptitudinalis dependentiæ, aut clarius, an ita natura humana fuerit unita Verbo ut sit unita, an vero ita fuerit unita ut non sit unita? Aliter, ut utar verbis Fr. Bonæ spei, hæc propositio, *quod Verbum assumpserit naturam humanam, & non personam*, sic explicari deberet, Verbum assumpsit naturam humanam, & non reliquit illam inassumptam; vel sic, Verbum fecit a se naturam humanam dependentem per unionem, & non reliquit a se illam independentem per unionem, quæ propositiones sunt identicæ & ridiculæ. Neque erat necessarium ex omnibus Orbis partibus Episcopos convocare, qui post longum examen, post orationes & preces, invocato Spiritu sancto definirent, Verbum non assumpsisse personam, hoc est, ita sibi univisse humanitatem, ut ipsa esset unita. Quis enim non videat hujuscemodi diffinitionem esse identicam, atque catholico Concilio indignam? Neque tam absurdi erant Nestorius & ejus asseclæ, ut admissa prima locutione, cum aperta in terminis contradictione secundam negarent, ergo &c. Hoc argumentum, teste Fr Bonæ Spei semper vehementer Scotistas torsit, Quid illi respondeat hic Author, dabimus infra.

XXIII. P. Christoph. Haunoldus loco cit. ait, hoc argumentum habet prima fronte apparentiam; reipsa non urget, nisi aliter instauretur. Tunc enim foret ridicula definitio Concilii, quando in terminis formalibus definiret aliquid, quod adeo est lumine naturæ notum, ut ridiculum sit id negare: nam hujusmodi hæresis non alia diffinitione rejicienda esset, quam hellebori porrectione. Jam vero Nestorii hæresis non fuit talis. *Per unionem non tollitur negatio unionis. Post unionem manet negatio unionis. Per unionem natura non spoliatur negatione unionis.* Sed hæresis Nestorii fuit, nullam dari unionem physicam inter Verbum & Naturam humanam, sed mere affectivam, & cum hac affectiva unione consistere tutam rationem personæ & personalitatis humanæ. Hoc est quod P P. damnarunt, & definierunt dari unionem physicam, & per eam tolli seu excludi personalitatem propriam humanitatis: quidquid illa personalitas sit, in quo præscindebant a quæstione philosophica, an subsistentia sit positiva vel negativa, ipsis enim sufficiebat definivisse dari unionem physicam exclusivam personalitatis humanæ, seu dualitatis personarum; & humanitatem posse existere sine propria personalitate.

Ad argumentum ergo superius Caramuelis sic respondet Haunoldus in forma: Dist. maj. Est ridiculum illa definire in eo sensu, in quo non erat ridiculum ea negari a Nestorio. N. in eo sensu, & sub illis formalibus terminis & explicito conceptu, in quo fuisset ridiculum ea negari Nestorio, Conc. maj. & eodem modo dist. min. negatur consequentia.

XXIV. Audiamus nunc, quo modo Haunoldus præfatum argumentum reassumat & instauret. Sic infit,

insit, & supponit ex parte erroris Nestoriani quatuor. Primum est, quod *persona* penitus nihil aliud importet, quam *Natura*. Secundum, quod sicut omnia constitutiva Naturæ, sunt positiva & substantialia, ita omnia constitutiva Personæ sint etiam positiva & substantialia; hoc enim clare sequitur ex priori. Tertium. Quod repugnet unam personam Physice uniri alteri personæ, ita ut ex parte utriusque personæ maneant omnia constitutiva personæ. Quartum. Quod inter omnia constitutiva naturæ humanæ Christi & Verbum intercesserit aliqua qualiscunque unio. His 4. datis, evidenter deducitur Error Nestorii, nempe unionem hanc non potuisse esse physicam, sed debuisse esse tantum Metaphoricam & affectivam. His suppositis,

Concludit & concedit Haunoldus, quod ex PP. definitione & damnatione erroris Nestoriani non possit immediate deduci subsistentiam creatam esse positivam: hoc enim definire non pertinebat ad illorum intentum, quibus satis esse debebat definivisse Vnitatem Personæ in Christo sine confusione Naturarum.

Censet tamen illorum P P. mentem fuisse, subsistentiam creatam exclusam per unionem Verbi, esse aliquid positivum & substantiale & hoc sufficere, ut sententia communis Patrum illorum auctoritate probetur hoc modo: Spectatis verbis PP. & toto processu, quem instituerunt contra Nestorium, videntur PP. in tribus ultimis recensitis cum Nestorio convenisse, & in solo primo dissensisse. Et quidem de 3. & 4. puncto non est difficultas; solum pro secundo puncto est reddenda ratio persuadens, quod cum Nestorio convenerint, nempe quod omnia constitutiva, tam Naturæ quam Personæ, sint positiva, quod præstabimus sequenti Conclusione.

XXV. Conclusio 2. Subsistentia sive hypostasis secundum Dialectum metaphysicam nominis rigore conservato, est formalitas realis, in qua sicut in primo & stabili fundamento omnes formæ consistunt. Ita Caram. loco cit. Franc. Bonæ spei Tract. 1. Phys. Disp. 4. dub. 1. resol. 4. Hæc definitio consonat D. Thomæ, qui teste Hurtado Disp. 2. Met. §. 55. subsistentiæ tribuit esse subjectum naturæ, & non econtra, ut faciunt Tomistæ definientes subsistentiam esse ultimum terminum naturæ substantialis, cum potius deberent, si sequerentur D. Thomam, dicere eam esse fundamentum primum substantialis naturæ.

XXVI. Antequam probemus hanc thesin, Observandum pro fundamento, quod *Substantia est Ens per-se*. Componitur ex *Ente & perseitate*. *Ens* est idem quod *habens*, aut *suppositum substractim sumptum*, sive ut alii loquuntur *subsistentia*. Ergo *Ens ut sic*, sive *fundamentale*, quod *subsistentia* dicitur, & *perseitate* seu *natura substantiali* contrahitur sic potest definiri: Subsistentia *est basis & fundamentum reale sustentans substantialem naturam*. Adhortante Caramuele, seu Theologum agas, seu Philosophum, subsistentiam in natura ne statuas, quia natura a subsistentia sustentatur. Via recta, brevissima & facillima est; longiores & prolixiores semitæ, exorbitantes. Philosophiam via est ad Theosophiam; nondum est recta quamdiu brevior atque facilior reddi possit. Recte igitur philosophabimur, si in Theologiam tanquam in verum scopum collimemus.

„Oportet ponere in Divinis (ait Scotus quodl. 1. „sub init.) aliquam entitatem realem in existentia actu- „ali, & aliquam unicam primam, in comparatione ad, „quam, tanquam ad simpliciter primam consideretur, „omnis ordo quorumcunque quæ in Divinis sunt. „Quapropter in 3. dist. 1. q. 2. §. ad quæstionem. Si adjungas ea quæ dixerat in 1. dist. 4. q. 2. §. circa finem. Constituit in Deo unam subsistentiam absolutam tanquam basin & fundamentum naturæ, attributorum & omnium proprietatum. Cui subscribunt Durandus, Paludanus, Capreolus & alii ibid. citati. Ergo oportet in Metaphysicis (hoc est in Ideis abstractis a differentiis Entis increati & creati) ponere aliquam entitatem realem, quæ sit unica & prima basis existentiæ & reliquarum omnium formalitatum; in comparatione ad quam, tanquam ad simpliciter primam consideretur omnis ordo quarumcunque formalitatum quæ in rebus sunt. Hæc igitur Entitas simpliciter prima *Ens fundamentale* dicitur, quod fundamentum sit contrahentium omnium differentiarum. Vocatur etiam *Habens*, quod easdem & sustentet & habeat, & ob eandem causam *basis & fundamentum*. Prout perseitatem fundat, appellatur *Suppositum, subsistens, subsistentia*. Sed si perseitas fuerit intellectualis, speciali nomine *persona, hypostasis & prosopon* denominabitur. Hoc bene notato

XXVII. Probatur I. Concilia & SS. Patres nomina Subsistentiæ & personæ confundunt, ut constat ex verbis Justiniani Imperatoris in secundo volumine Conciliorum relatis, & ab omnibus Græcis & latinis Patribus receptis, *Omnes sancti Patres consonanter nos docent, aliud esse naturam seu substantiam & formam, & aliud esse subsistentiam sive personam*. Sed ex iisdem clare colligitur personam esse principium seu basim naturæ, ergo recte dici potest effectum formalem subsistentiæ esse, esse principium seu basim suppositam naturæ. Probatur min. I. quia id significat primo Concilium Calcedonense his verbis: *qui* (scilic. t Christus) *duabus in naturis sine confusione, &c. cognoscitur, sed utriusque natura servata proprietate, & in unam personam, atq; in unam hypostasin* (id est subsistentiam) *concurrente*. Nunquam autem dicitur subjectum concurrere in formam, sed forma in subjectum, ergo ibi significatur subsistentiam se non habere per modum formæ, termini & finis, supplementi aut modalis entitatis superimpositæ, &c. sed per modum subjecti & principii ac basis.

XXVIII. Probatur II. clarissime ex Concilio Lateranensi consult. quinta canone I. ubi Martinus V. definit, *Deum esse unitatem in Trinitate*, & explicat, *unum Deum in tribus subsistentiis*. Item ex Concil. Constantinopolitano (referentibus Granado tomo 3. in primam partem, & Salmanticensibus tomo 2. in primam partem) in quo extat epistola ad Damasum, in qua asseritur, a Nicena Synodo dictum esse, *ut coæternum regnum* (id est Divinitas) *in tribus perfectu subsistentiis credatur*. Ecce; regnum coæternum in subsistentiis credendum asseritur, non subsistentiæ in Divinitate.

Hanc veritatem alte concipiens D. Thomas in quæst. 9. de Potent. art. 5. ad 2. sic ait: *licet tota & perfecta Divinitas sit in qualibet trium personarum secundum proprium modum existendi; tamen ad perfectionem* &c. Nota, in quacunque persona radicaliter sum-

ſumpta, hoc eſt in quacumque perſonalitate, ut in baſi & fundamento, non tamen realiter diſtincto, concipitur aſſe Divinitas. Et idem Doctor Angelicus in 1. ſent. diſt. 34. q. 1. ſupponens individuationem debere ſumi a fundamento, ſic ait: "Dicendum quod "Perſona & Eſſentia omnino re in divinis non diſtin- "guuntur. In illis enim, in quibus aliud eſt eſſentia, "quam hypoſtaſis vel ſuppoſitum, oportet quod ſit "aliquid materiale (hoc eſt fundamentale) per quod "natura communis individuetur & determinetur ad "hoc ſingulare. Vnde illam determinationem ma- "teriæ, vel alicujus quod loco materiæ ſe habet, addit "in creaturis hypoſtaſis ſupra eſſentiam & naturam: "unde non omnino iſta in creaturis idem ſunt. Ecce "ſubſiſtentia creata, vel eſt materia, ut nonnulli opi- "nati ſunt, vel aliquid loco materiæ ſeu ſubjecti ſe ha- "bens.„ Atqui non eſt materia, quia alias Verbum non aſſumpſiſſet materiam primam hominis ſeu corpus, quia non aſſumpſit ſubſiſtentiam; ergo hæc eſt aliquid quod loco materiæ ſe habet, hoc eſt, quod eſt materiæ ſimile in hoc, quod ſicut illa formas ſuſtinet, ſic ſubſiſtentia proportione ſervata eſſentiam & naturam ſuſtentet.

Quod ſi autem Subſiſtentia eſſet Modus, aut res actuans naturam, a natura deberet ſuſtentari, & inintelligibile redditur Incarnationis Myſterium: quis enim auderet aſſerere Verbi æterni perſonalitatem ſuſtentari ab humana natura? Eccleſiæ phraſis hæc non eſt: Patres enim uniformi labio docuerunt naturam humanam ſuſtentari divinitus ab increata perſonalitate. Præterea hæc aſſertio, *Deus eſt homo* & ſimiles, loquendo de Chriſto, eſſent omnino falſæ, ut alibi oſtendimus.

XXIX. Quæres incidenter: Vnde derivetur etymon nominis *Perſona?* Reſpondeo cum Caram. Apud Scholaſticos PERSONA dicitur, quaſi *Per-ſe-una.* Ita Doctor Ang. 1. p.q.29. art. 4. in corp. Hoc eſt, Entitas quæ ſit una, & ſit per ſe. Vtrumque characterem expreſſit Boetius lib. de duabus naturis his verbis: *Perſona eſt rationalis naturæ individua ſubſtantia.* Ecce quia eſt ſubſtantia, eſt *per ſe*; & quia *individua*, eſt *una*, ergo eſt *per-ſe-una.* Dixi *apud Scholaſticos*, nam aliter ſumitur a Politicis; aliter a Grammaticis. Illa ergo formalitas, quam Metaphyſici vocant Ens, (ſubſtractim ſumptum) in ſubſtantiis materialibus, vocatur *ſuppoſitum*, & in Intellectualibus (angelo, homine, Deo) *Perſona.* Hanc veritatem optime noverat Ambroſius Calepinus (in editione ann. 1627. apud Henricpetrinos) qui ſic ait: "Tria igitur neceſſaria ſunt, ut aliquid *Perſona* dica- "tur. Vt ſit individuum; non enim in univerſalibus, "ſed in ſingularibus tantum Perſona dici poteſt. Vt "ſit in genere ſubſtantiæ, nam accidentia, cum per ſe "non exiſtant, nec per ſe agant, Perſonam conſtituere "non poſſunt. Et ut ſit quid rationale. Quoniam "id eſt perſona, quantum ad ipſam actionem, quod in "ſe habet, quod poſſit agere, vel non agere. Et hoc "habent ſolum rationabilia, ideo de ratione perſonæ "eſt, ut ſit quid rationale. Non ergo lapidis, vel ar- "boris, vel irrationalis animalis, ſed vel Dei, vel an- "geli, vel hominis perſona dicitur.

XXX. Dices, hanc definitionem Perſonæ, traditam a Boetio, admiſſam a D. Thoma, & expoſitam a Calepino, Deo & angelis, qui non ratiocinantur, convenire non poſſe. Reſp. ex D. Thoma, 1. p. q. 24. art. 3. & q. q. de potent. art. 3. ad 10. & 2. 2. q. 85. art. 10. ad 2. & in 1. diſt. 25. q. 1. ad. 1. art. 1. ad 4. vocem illam *Rationalis* poſitam pro voce *intellectualis*; quo ſenſu & Gregorius homil. 10. in Evangel. vocat angelum *animal rationale*, hoc eſt *Vivens intellectuale*, & Dionyſius c. 5. Cœleſt. Hier. non ſolum angelos, ſed & Deum affirmat eſſe *Rationalem.*

XXXI. Probatur III. ulterius ex auctoritate SS. PP. & Scholaſticorum, & ex communi eorundem loquendi modo, ajunt enim, quod unio hypoſtatica non ſit facta in natura, ſed in perſona, id eſt, non fuit naturarum (Divinæ & humanæ) inter ſe, ſive in naturis, ſed in perſonalitate Verbi; ergo perſonalitas habet ſe per modum ſubjecti, principii & baſis naturæ. Vnde ad rem noſtram D. Thomas. 1. p. q. 29. art. 2. in corp. *ſubſtantia ſecundum quod per ſe exiſtit*, & *non in alio, vocatur ſubſiſtentia.* Alias enim deberet dici ſuperſiſtentia, & non ſubſiſtentia; ſuperpoſitalitas & non ſuppoſitalitas, ut patet conſideranti. Quid multa? SS. Patres ſemper uſurparunt ſubſiſtentiæ & perſonalitas nomen in ea ſignificatione, qua ſolebant etiam ſignificare ſubſiſtentias divinas, ut videre eſt apud Petavium Lib. 4. de Trinit. Quis autem credat, quod ſi putaſſent ſubſiſtentiam creatam eſſe puram putam negationem unionis, nunquam hoc diſcrimen inter perſonalitates increatas & creatas adnotaſſent?

Et hinc P. Haunoldus inſtaurat urgetque argumentum Caramuelis, adducendo SS. Patres: e quibus unum alterumve adhuc audire. S. Athanaſius Sinaita ait: eſſe traditionem apoſtolicam & doctrinam in Eccleſia indubitatam quod natura & perſona non ſint idem; reclamantibus licet Philoſophis, quos ait viam Hæreticis ſtraviſſe. Theodoretus, qui a principio faverat Neſtorio, ſed deinde reſipuit, in ſuis dialogis tradit diſtinctionem naturæ & hypoſtaſis nullam quidem eſſe, ſi externa ſpectetur ſapientia, hoc eſt, Philoſophorum & Hæreticorum. Sed ſi SS. PPum doctrina ſpectetur Naturam & perſonam differre plurimum. Idem docent Epiphanius, Vigilius, Eulogius apud Raynaudum.

XXXII. Ex his licet formare hoc argumentum. Juxta SS. Patres Philoſophi antiqui errarunt non diſtinguentes ſubſiſtentiam a Natura: atqui non erraſſent, ſi ſubſiſtentia ex mente PP. eſſet negatio unionis cum aliena ſubſiſtentia, ergo ex mente Patrum ſubſiſtentia non eſt negatio, ſed aliquid poſitivum contradiſtinctum a natura. min. prob. Philoſophi non compararunt ſuppoſitum creatum cum ſuppoſitis increatis & divinis, ſed cum quocunque ſuppoſito creato. Jam ſi ſubſiſtentia creata eſt negatio, hæc negatio reſpectu ſuppoſiti alicujus creati eſt negatio neceſſaria. Atque ex valde communi RR. hæc negatio neceſſaria eſt identifica cum natura, ergo Philoſophi in eo ſenſu, quo illi locuti ſunt de perſona & natura non erraſſent.

His communibus argumentis adjungere placuit & illud ex Haunoldo, quo pro ſubſiſtantia poſitiva ſic arguit. Si ſubſiſtentia eſt mera negatio, tunc ſubſiſtentia Petri, ſecundum quod facit differre a Bucephalo in ratione ſuppoſiti, non eſt id ſecundum quod differt a Deo in ratione ſuppoſiti, conſequens non credo AA. veniſſe in mentem, nemo enim unquam duas hujusmodi ſubſiſtentias aſſeruit, unam ad excludenda ſuppoſita creata, aliam ad excludendum ſuppoſitum divinum. Sequelam facile probo ex dictis & conceſ-

 ſis.

sis. Illud est subsistentia Petri respectu Bucephali, per quod repuguat natura Petri uniri Bucephalo: atqui non repugnat uniri Bucephalo per illam negationem, per quam repugnat uniri Deo: ergo alia est subsistentia respectu Bucephali, & alia respectu personæ divinæ, maj. est certa, min. prob. Natura Petri repugnat (in sententia AA.) uniri Bucephalo per negationem necessariam identificatam naturæ humanæ Petri; Deo repugoat uniri per negationem contiogentem separabilem a natura; sed hæ negationes sunt inter se distinctæ, quia altera identificatur cum natura, altera non, ergo in sententia Add. subsistentia adæquata Petri est aggregatum ex natura & negatione contingente, & ex altera negatione necessaria, quorum neutrum secundum se est sufficienter exclusivum omnis alterius suppositi; & per consequens Petri natura non per idem subsistit respectu Bucephali, per quod subsistit respectu Dei. Ita Haunoldus.

Verum enim vero, ut mihi quidem videtur, absolute non habet vires, nisi contra illos authores, qui subsistentiam creatam ponunt in negativo, & negant unam naturam creatam posse etiam supernaturaliter uniri hypostatice alteri creatæ v. g. naturam hirci cum subsistentia cervi; quod tamen Joan. Caram. non judicat implicare, sed concedit hoc sensu Hirco-Cervum non esse Ens-rationis.

XXXIV. Maneat igitur subsistentiam esse, non quidem naturæ actum, sed basim naturæ ipsi suppositam, ut nomina ipsa *substantia & suppositi* indigitant. Videamus modo qui satisfieri queat objectionibus.

Objic. I. Si subsistentia esset principium & basis naturæ, materia prima haberet subjectum sustentationis, & consequenter male definiretur primum subjectum; sed hoc est falsum, ergo. Prob. min. quia materia prima ab omnibus communiter definitur primum subjectum &c. ita scilicet ut omnes formas materiales substantiales sustentet, & non sustentetur; non generetur, sed creetur, ergo &c.

Resp. negando minorem, ad ejus probationem Resp. I. P. Thomam Campanellam docuisse ante omnia creatum a Deo spatium, idque incorporeum sustentans omnia corpora, adeoque primum sustentationis subjectum, etiam ipsius materiæ, penetrans omnia & ab omnibus penetratum, ergo non est verum materiam primam simpliciter & absolute ab omnibus haberi pro primo subjecto sustentationis. Resp. II Abstrahendo ab hac sententia exotica, nihilominus negando assumptum, nempe materiam primam esse subjectum sustentationis absolute primum, sed respective ad formas omnes materiales substantiales a se distinctas; ipsam autem in subsistentia concreata sustentari.

XXXV. Instabis I. Illa subsistentia revera est materia prima, quia illi convenit simpliciter definitio materiæ primæ, & fungitur munere illius; ergo supra illam necessario juxta fidem admittenda est alia entitas fungens munere subsistentiæ, per modum complementi, quam modum dicimus. Resp. Neg. ant. quia per subsistentiam intelligit Ecclesia & omnes Ecclesiæ Patres moderni, aliquid realiter distinctum ab essentia & substantia suppositi. Vnde in Concilio Toletano XI. in confessione fidei definitur, *unam tantum esse in Deo substantiam:* ac proinde & aliquid realiter distinctum a materia, quæ est pars naturæ sive substantiæ materialis, juxta Arist. & alios. Ad probationem ant. nego, quod illi cõveniat definitio materiæ primæ, quia materia definiri debet *uniuscujusque formæ materialis substantialis immediate primum subjectum sustentationis*, idque ex mente Aristotelis: Subsistentia vero, *primum subjectum & basis naturæ substantialis*; immediatum quidem sustentationis respectu materiæ primæ; mediatum autem sustentationis respectu formæ materialis; sed informationis tantum respectu spiritualis. Denique de fide est, materiam fuisse assumptam a Verbo, & non subsistentiam ejusdem compositi, cujus pars erat materia: unde clare sequitur, subsistentiam & materiam esse in eodem composita realiter distincta; ac proinde nec subsistentiam fungi munere materiæ primæ, quod est formas materiales sustentare, non vero naturas supposítare, unde in eo, quod loco cit. dicit Arist. errat, prout in aliis pluribus. Neque ex hoc infertur materiam generari aut educi e potentia subsistentiæ, prout vulgo dicitur formas materiales educi e potentia materiæ, licet hoc admittat Franc. Bonæ spei, saltem respectu Dei, & ne putes eum loqui sine auctoritate, citat pro se Antonium Andream & Niphum 4. Metaph. q. 9. apud Murciam.

Instabis II. Substantia definitur immediatum subjectum *quod* sustentationis subsistentiæ, ergo subsistentia non potest esse subjectum seu basis naturæ substantialis, quia alioqui præsupponeretur sibi ipsi, ut patet consideranti. Resp. In nostra sententia substantiam aliter explicari, nempe ut sit quod exigit naturaliter subsistere *ut quo*, vel *ut quod*.

XXXVI. Objic. II. Ista basis vel esset materialis, vel spiritualis? neutrum dici potest, ergo. prob. min. quia si materialis, quomodo ex ea educetur forma spiritualis? si spiritualis, ex ea non poterit educi materia prima. Respondet Bonæ spei, fore diversæ speciei; materialem, e qua educitur forma materialis; spiritualem, e qua forma spiritualis. Nos autem negamus suppositum, dicimusque neutram educi ex subsistentia, sed materiam, & formam spiritualem creari a Deo. Dicimus 2. Substantias seu naturas materiales, habere subsistentias materiales. Naturas spirituales, ut Deus, Angelus. Spirituales. Ex pure materiali, & ex pure spirituali systema humanum constituitur, utriusq; particeps. Homo enim est substantia semicorporea & semispiritualis. Componitur ex subsistentia, ut opinatur Doctissimus Petrus Lorca Ord. Cisterc. (floruit sæculo XVII.) in 3. part. Disp. 28. num. 30. materiali & natura. Natura humana partim est materialis & partim spiritualis, corpore & anima rationali seu Mente. Corpus quantitate materiali, immateriali Animus donatur. Illud corporeis qualitatibus & sensibilibus, hic exornatur spiritualibus. Idem dic de Relationibus.

XXXVII. Objic. III. Natura Divina est prior subsistentiis; ergo subsistentia non est basis naturæ. probatur ant. quia Natura est earum principium, principium autem est prius principiato. Resp. 1. hoc argumentum nil concludere in creatis. 2. In divinis dari mutuam prioritatem; nam in Patre Natura divina est prius, quam Filio sit communicata, quia Natura Divina communicata Filio est posterior filiatione, & communicata Spiritui Sancto est posterior spiratione, quia non est communicata nisi mediantibus processionibus illis, per quas constituuntur Filius & Spiritus sanctus. Vnde ex hoc argumento nihil colligitur contra hanc sententiam. Sed de his in Theol. 3. Neg. ant. quia inprimis Subsistentia Patris

Patris est Innascibilitas, unde non habet principium, ac proinde nec Naturam divinam se priorem: deinde Natura divina in Filio, filiatione; in Spiritu Sancto, spiratione est posterior, ut dictum est.

XXXVIII. Hæc sententia, inquit, Franc. Bonæ Spei, in rigore theologico, & sistendo in auctoritate ac ratione esse probabiliorem cæteris: attamen omnes fere Scholasticos tenere Subsistentiam esse Modalem entitatem superadditam, quam & ipse sequitur. Mallem ego sentire cum P. Thoma Mlodzianowski Præl. Metaph. Tract. 1. Disp. 4. docente, quod Subsistentia sit substantia prima seu ipsum individuum prout dicit rationem totius & perfecti. Quæ totalitas perit, vel additione, ut guttæ ad guttam, lineæ ad lineam; vel substractione, ut unitatis a denario. Itaque Primarius effectus Subsistentiæ erit reddere naturam stantem per modum totius. Effectus formalis secundus, habere negationem partis, seu dicere negationem essendi in alio, tanquam in toto. Hac via procedendo Subsistentia non erit Modalis recula superimposita naturæ, sed formalitas connotans negationes prædictas; prout Vnio hypostatica &c. Nomine autem formalitatis, nil aliud intelligimus, quam conceptibilitatem seu denominabilitatem objectivam, a qua subjectum proxime est aptum taliter vel taliter concipi ac denominari; sive est ipsum subjectum taliter conceptibile seu denominabile. Et quando illa formalitas non est pure intrinseca, sed in ordine ad extrinsecum, tunc posito aut sublato hoc extrinseco exurgit, sive resultat & perit formalitas, non quidem entitative, sed conceptibiliter, id est, non realitate destructæ aut productæ de novo entitatis, sed realitate novæ conceptibilitatis aut denominabilitatis.

XXXIX. Dices: Quando Continuum permanens dividitur in partes, & consequenter fiunt plura tota & supposita, quis novas producit subsistentias? Certe qui in entitate terminativa ponunt, non video quid respondere solide possint: qui autem nobiscum in basi, non urgentur, dicent enim novas subsistentias jam fuisse præcontentas in totali priore: sicut P. Fonseca dicit differentes individuantes tali casu, fuisse ante divisionem partes unius totalis differentiæ individuantis.

Quæres 1. An suppositum sit de essentia hominis? Ante resp. & ut evitetur omnis æquivocatio, præsupponendum est quid nomine *Essentiæ* intelligatur. Nam *essentia* potest sumi logice & metaphysice. Essentia logice sumpta est idem ac quidditas, seu id sine quo res non potest concipi; sic albedo est de essentia albi, nec enim album potest concipi sine albedine. Si sumatur essentia metaphysice, erit pars potentialis naturæ quæ natureitati præsupponitur, nempe corpus seu materia prima in homine, & *Ens a se* in Deo. Si ergo essentia accipiatur Logice, de essentia hominis subsistentia est, quia homo in concreto non potest intelligi sine subsistentia: Si metaphysice, non solum subsistentia sed etiam forma substantialis exulat ab Essentiæ conceptu. Ita Caramuel Philosophiæ suæ rationalis & realis Lib. 3. Disp. 5. sect. 1. num. 838. Alibi tamen hominem metaphysice definit num. 180. *Homo est habens humanitatem.* Metaphysica igitur definitio, ut sit legitima, debet importare in recto ipsum *habens*, & naturam, quæ habetur, in obliquo. Subsumo, atqui quod ponitur in definitione in recto, utique est de essentia definiti, ergo suppositum seu habens (sunt enim termini synonymi) est de essentia hominis. Aut fallor, aut sibi contradicit Vir doctissimus.

XL. Quæres 2. An Subsistentia sit operationum principium? Videtur quod sic, juxta celebre axioma illud Philosophicum *Actiones sunt Suppositorum*. Respondeo: Axioma istud (cujuscunque sit) esse verum, si debito modo exponatur. Omnes naturas & formas esse totales rationes agendi *ut quo*, proximas aut remotas, & solam subsistentiam esse principium *quod* & radicale certum est. Ex. gr. Petrus elicit actum intelligendi; & si causas efficientes hujus intellectionis investiges, omnes singulatim exponam. I. Intellectus est tota ratio agendi formalis, & proxima; anima rationalis est tota ratio agendi remota. Homo qua intellectu præditus, est principium *quod* proximum. Homo præcisus ab intellectu, est principium *quod* remotum. Tandem ipsa subsistentia seu substractum hominis, est principium *quod* & radicale. Quod autem dicitur, *Actiones suppositorum esse*, asseritur supposita esse principia, quæ operantur: quia sicut ego calamo scribo; sic ipse ego calore calefacio, & intellectu intelligo; calamus autem non scribit *ut quod*, sed *ut quo*, quoniam est instrumentum; calor calefacit etiam *ut quo*, & intellectus intelligit *ut quo*, non enim sunt agentia *ut quod*, sed agentis virtutes, quibus mediis, tanquam operandi rationibus, ego eliciebam illos actus. Communiter dicimus actiones esse suppositorum denominative.

XLI. Sed arguis contra, cum Arriaga Disp. 4. met. num. 124. Natura humana Christi eodem modo efficit suos actus naturales, sicut aliæ naturæ humanæ; sed in Christo non influit suppositum, ergo nec in substantia creata, minorem probas ex communi PP. sententia asserentium omnes actiones ad extra esse communes toti Trinitati.

Respondeo, rationem desumptam ex Incarnationis mysterio nullius esse roboris, quia sunt aliquæ actiones notionales, quæ non sunt communes toti Trinitati. Verbum æternum assumpsit naturam humanam, quam non assumpsit tota Trinitas. Nec potest dici ipsam naturam esse principium *quod* assumptionis, & Verbi personam conditionem; non enim natura humana adsumpsit hypostasin divinam, sed econtrario divina hypostasis assumpsit naturam humanam. Cum autem Patres dicunt, actiones ad extra esse communes omnibus tribus personis, agunt de illis, quæ proveniunt ab omnipotentia ceu a principio *quo*; quia cum hæc virtus sit una numero in omnibus tribus personis, debet omnes denominare: non vero agunt de actionibus quæ proveniunt ab assumpta natura; hæ enim extrinsece proveniunt a tota Trinitate, intrinsece autem a sola persona sustentante. V. gr. Christus respexit Petrum Luc. 22. 61. hæc visio qua realitas, entitas, producta fuit a tota Trinitate; qua actio vitalis debuit esse ab intrinseco, & procedere ab oculo & anima tanquam a principiis formalibus (proximo & remoto) *ut*

quo: sed a Verbi hypostasi tanquam a primo fundamento, quod esset principium radicale & *ut quod*, illa enim actione vitali nec Pater nec Spiritus Sanctus vivebant, nec videbant, sed Christus.

XLII. Conclusio 3. Probabilis est sententia tenens, quod subsistentia vel ratio personæ nihil rei, seu nihil positivum & distinctum addat ipsi naturæ; sed ejus effectus tantum sit terminare aut complere Naturam. Ita præter citatum Mlodzianowski, Author Phil. Burgund. tom. 2. tract. 1. q. 2. conclus. 2. & 3. Probatur. Nam Verbum Divinum sic Naturam humanam assumpsit, ut quidquid est in homine perfectionis, assumpserit. Nam ut ait Apostolus ad Hebr. 4. *factus est nobis per omnia similis absque peccato.* Atqui si ratio personæ esset quid positivum præter naturam, Apostolus hanc perfectionem excepisset, cum peccatum ipsum excipiat, ergo ratio personæ humanæ quam Christus non assumpsit, non est entitas positiva naturæ superaddita. Confirmatur. Non aliunde nobis innotescit subsistentiæ a natura vel substantia distinctio, quam ex mysteriis S. Trinitatis & Incarnationis. Ergo si ea commode explicari per illam terminationem possint, citra additionem alicujus rei aut modi, aut citra distinctionem positivam inter Naturam & subsistentiam, illa distinctio erit omnino inutilis: id autem fieri posse, facile docetur. Nam in Sanctissima Trinitate natura Divina non distinguitur a tribus personis; in mysterio quoque Incarnationis facile intelligimus naturam humanam non per propriam, sed per Verbi personalitatem subsistere: cum ea non sit ultimo completa, nec principium totale & integrum suarum actionum, & cum altera perfectiori sit unita, aut conjuncta, ut corpus cum anima, aut aquæ gutta cum Oceano. Nec SS. PP. ut mysterium Incarnationis explicent, modum aliquem, vel entitatem naturæ humanæ deesse tradunt, sed unionis tantum hypostaticæ meminerunt, ac subinde docent *minus lumen majori cedere, ex quo totus splendor Divinitatis se infundit lucernæ humanitatis*, & assumptum hominem in Verbi persona subsistere, non in propria. Hinc Symbolum, quod S. Athanasio tribuitur, *Sicut anima*, inquit, *rationalis, & caro unus est homo; ita Deus & homo unus est Christus:* Sed nulla entitas modalis deest corpori, ut uniatur cum anima, ergo nec deest humanitati Christi, ut cum Verbo divino conjungatur.

Scio equidem quid probationi petitæ ex S. Damasceno, qui lib. 3. c. 6. ait, humanitatem assumptam esse a verbo cum omni entitate positiva illi debita, responderi possit, nempe optime dixisse Damascenum, Verbum assumpsisse humanitatem cum omni entitate positiva illi debita in ratione humanitatis; suppositum autem non est necessarium humanitati, ut talis sit, sed ut homo sit: & ideo Verbum non assumpsit suppositum, quia non debebat assumere hominem, sed humanitatem. Et propterea illi non multum fido.

XLIII. Restat ut videamus, quid Add. respondendum; Tenendum itaque pro fundamento, subsistentiam non aliud physice (juxta hanc sententiam) a natura distinctum suo intellectu comprehendere præter ejusdem naturæ terminationem & complementum; terminus autem ille ut quid distinctum a natura concipitur, cum ea possit hoc vel illo modo terminari. Non est tamen quid rei, aut positivum naturæ superadditum: cum rei terminatæ non aliud addat terminus, quam hoc solum quod non ulterius progrediatur. Itaque suppositum in recto naturam includit, quæ ulterius non progreditur, & negatio ipsa in obliquo, ut ajunt, importatur, fere ut de Relatione discurrimus juxta Principia Connotatistarum.

Objic. 1. Natura humana in Christo, vel aliquid amisit, vel nihil; si nihil, ergo ut ante unionem hypostaticam personæ nomen & rationem habuisset, ita & unione peracta. Quod si aliquid rei amisit, ergo personæ ratio est quid positivum naturæ superveniens, & ab ea distinctum. Resp. Naturam humanam nihil rei amisisse, sed additione novæ substantiæ, quæ antea fuisset sui Juris & completa, jam unum fuit cum Verbo, & totale agendi principium, & ad sublime fastigium, quo majus nullum concipi potest, per unionem physicam & substantialem, non autem solum per inhabitationem Verbi, aut unitatem affectus, uti contendebat Nestorius, evecta fuit.

Instabis. Natura humana in Christo est sui Juris, cum sit liberrima: est item individua & singularis, ergo nihil ei deest, quo minus persona dici queat. Quid enim ei abesse potest, cum subsistentia non sit quid reale a natura distinctum? Resp. Naturam humanam nihil rei amisisse, sed additione novæ substantiæ, quæ antea fuisset sui juris & completa, jam unum fuit cum Verbo, & totale agendi principium, & tam sublime fastigium consecuta. Itaque in forma Resp. Dist. ant Natura humana in Christo est sui juris & liberrima, nomine partis, ut ita dicam, Conc. in ratione totius, N. Non est enim totale & singulare agendi principium et est item singularis & individua logice, cum de multis non prædicetur: sed non est individua physice, cum in alio perfectiori existat, nec sola operetur. Nec demum nec quidquam deest quominus subsistat, nisi substantialis quædam extensio: non secus ac gutta aquæ in se subsistit, estque sui juris: sed cum alia aqua conjuncta jam non censetur sui juris; nec propria subsistentia sed aliena terminatur.

XLIV. Hic tamen moneo, altioris indaginis quæstionem esse, unde desumatur principium Individuationis, a subsistentia, an a materia signata quantitate, an aliunde?

Melius fortasse responderis dicendo subsistentiam humanam, quoad entitatem non distingui a natura: tametsi connotative & formaliter ea non remaneat in Christo: ut in gutta aquæ Oceano affusa manet entitative illius totalitas, non formaliter, cum non habeat amplius rationem totius. Sic persona significat naturam integram, & separatam a nobiliori. Quamobrem non remanet in Christo persona humana. Elementa v. g. quæ per se subsistunt, in mixto ut in lapide unum quoddam constituunt; in animali vero partem tantum illius, nempe corpus efficiunt, quod rationem non habet suppositi. Sic in homine corporis & animæ conjunctio personam solet constituere, non item in Christo, quod tertia adsit substantia, cui corpus & anima substantiali modo conjungitur. Sic accessione novæ substantiæ

sit

fit novum suppositum, vel hypostasis, ut multis in locis explicat S. Thomas.

XLV. Objic. II. De una & eadem re non possunt affirmari contradictoria: sed dicimus Verbum Divinum assumpsisse naturam humanam, non assumpsisse personam, ergo natura humana & persona non sunt una eademque res. Resp. dist. maj. de una eademque re simpliciter & omni modo sumpta non possunt verificari contradictoria. C. maj. diversimode accepta. N. & Concessa min. Dist. consequens. Natura & persona non sunt eadem res entitative. N. connotative. Conc. consequentiam. Vide quæ diximus Tract. XL. de Relat. & XLVIII. de unione. Displicet enim distinctio, quam nonnemo dat in hunc modum, distinguendo minorem. Verbum Divinum assumpsit naturam humanam, jam ad aliud pertinentem, seu alieni juris. Conc. completam & solitariam ac sui Juris N. Quid enim hoc est aliud quam dicere, Verbum assumpsit naturam humanam nondum unitam, sed seorsum existentem. N. jam alteri unitam Conc. quod nugatorium sensum facit. Aliter quæstio institui posset, in hypothesi, quod natura humana individua jam existens completa & solitaria, si assumeretur in unionem hypostaticam Verbi, quid amitteret? positivam entitatem? an meram negationem unionis? Non debemus autem nobis imaginari, quasi de facto res ita se habuerit.

XLVI. Quæres denique utrum hæc propositio homo est personalitas sit vera? Respondeo debere absolute negari ab illis, qui asserunt subsistentiam esse modum aut formam naturæ: est enim in illorum sententia similis huic: *homo sedens est sessio*. Qui autem asserunt naturam subsistentiæ inniti, admittunt hanc propositionem, æquivalet enim huic, *habens humanitatem est habens*.

Objicies. Si personalitas est homo; aliquid præcisum ab humanitate erit homo; ergo non est de hominis quiditate humanitas. Probatur illatum, quia personalitas potest concipi sine humanitate.

Resp. Omnes has enuntiationes, *Ens est substantia, substantia est vivens, animal est rationale, personalitas est homo*; esse contingentes & quinti Prædicabilis, non secus ac hæc, *homo est albus*; quæ est vera cum homo habet albedinem, falsa autem cum non habet; estque album id quod potest specificative concipi sine albedine, non autem reduplicative, hoc est qua album. Hinc ad instantiam dico Personalitatem esse hominem, non semper, nec necessario sed contingenter, vid. quando habet & fundat humanitatem sine qua personalitas specificative sumpta potest concipi, non tamen si sumatur reduplicative, hoc est qua sustentans ipsam humanitatem.

TRACTATVS XLV
DE
TERMINIS PHILOSOPHICIS.

INscripsimus hunc Tractatum non de Terminis quibuscunque, est enim nomen æquivocum & diversæ significationis, aliter apud JCtos, aliter apud Logicos, aliter apud Grammaticos usurpatur; singulæque facultates propriis utuntur terminis; volo dicere hoc nomine *Terminus*. Hinc de Idiota in quacunque facultate dici solet, quod ne quidem intelligat *Terminos*. Pessime proin faciunt qui summulas, ut vocant, parvipendunt; impossibile enim est proficere in Philosophico studio illum, qui ignorat ea, quæ in hoc præsenti Tractatu succincte quidem tradentur. Ostendemus autem 1. Quid sit Terminus logice sumptus & quotuplex. 2. De Suppositione varia terminorum. 3. de æquipollentia eorum & oppositione. Demum de 5. terminis universaliter prædicabilibus agemus.

SECTIO I.

Quid sit Terminus, & quotuplex.

I. Aristot. Lib. 1. Priorum, definivit Terminum his verbis, *Terminum voco, in quem resolvitur propositio, ut prædicatum & de quo prædicatur apposito vel separato esse vel non esse.* Hanc definitionem clarioribus verbis Juniores perstrinxerunt, quibus *Terminus est extremum propositionis.* Sed si bene examines, hæ duæ definitiones, non sunt omnino eadem, quia terminus bifariam sumi potest, resolutorie & compositorie. Si turris erigatur, capitellum est fabricæ terminus; si prosternatur aut resolvatur, fundamentum est terminus destructionis & resolutionis. In Propositionis syntaxi analogice philosophare. Dictiones (voces sunt significativæ) seorsim sumptæ sunt principia & elementa, ex quibus componitur propositio, cujus termini aut extrema sunt subjectum & prædicatum, ut in hac propositione *Homo est animal*, quæ sicut linea duobus punctis, sic illis terminis *homo & animal* clauditur. In resolutione aliter procedendum est: voces prout sunt connexæ per copulam *est*, non sunt resolutionis termini; actualis enim propositio resolubilis est; non autem dicetur resoluta, quousque nexu sublato maneant illæ voces *homo & animal*, in quas illa resolvitur. Vbi Nota I. In prædicta Definitione τὸ *Extremum*, intelligi non positione, sed officio, vid. quod immediate jungitur copulæ, ut patet in ista: *ardua est in cælum via*, ubi τὸ *via* subjectum est, licet non præcedat positione copulam *est*. Nota II. quod copula *est*, non sit terminus, si formaliter sumatur: bene tamen materialiter sumpta, terminus fieri potest: ratio prioris est, quia ut sic est essentialiter medium nectens extrema: ratio secundi, quia possumus dicere, Verbum *est*, est verbum substantivum. Nec propositio resolvitur in Subjectum, Prædicatum & Copulam: sicut nec Totum physicum in materiam, formam & unionem.

II. Hinc colligitur quid respondendum sit quærenti, An dictiones, quæ extra propositionem sunt, sint termini? Nam si agamus in sensu compositorio, dictiones prædictæ non sunt termini, nisi potentia seu in actu primo: solæ autem dictiones intra propositionem positæ sunt termini actualiter. Si vero agamus

 in

in sensu resolutorio, termini propositionis (nempe qua resolutæ) sunt voces quæ non sunt actualiter in propositione: & illæ, quæ actualiter ipsam constituunt, sunt termini in actu primo, potest enim in eas dissolvi propositio, & hac destructa adhuc illæ voces manebunt tanquam veteris ædificii rudera & termini resolutionis.

III. Totam rem egregie & radicaliter ad captum Tyronum dilucidat Doctor Romanus Johan. Bapt. Ptolomæus Lib. 1. Element. Phil. thesi XXX. & XXXI. his verbis: Sapientes veritatis amatores, cum animadverterent inter involucra verborum veritatem subinde latere, nec facile retegi; ex linguis communibus confecere sibi linguam peculiarem, qua brevissime & clarissime loqui possent. Ad hunc finem amandarunt a lingua severius philosophica verba cuncta, excepto Substantivo SUM, constructo cum duobus Nominativis seu Rectis, atque ita quidquid affirmate loquuntur, designant facile: cum vero negandum est quidpiam, addunt particulam *non* ante verbum prædictum. Illis vero nominativis, veluti appendices appendunt quidquid vocabulorum necesse est ad sententiam ex toto aperiendam. Ex quo loquendi modo plurima emergit utilitas, uti patet consideranti. Et hoc est Artificium Logicum, quo Philosophi ex artificio grammatico selegerunt sibi linguam, ut diximus, peculiarem, quæ vocari potest lingua Philosophica.

En hujus sermonis philosophici Paradigma & Anatome! Exemplum sit in lingua vulgari, si quis ita loquatur: *Petrus habet facultatem intelligendi; & habet potentiam sentiendi.* Philosophus lingua sua sic brevissime dicet: *Petrus est homo.* Similiter si quis dicat: *Petrus currit,* Philosophus verret: *Petrus est currens*, adhibito participio, quando aliud nomen non suppetit pro secundo nominativo. Utraque illa locutio, vel oratio philosophica, & quæcunque alia similis appellatur *Propositio*, græce *Protasis*, quia per illam loquens proponit, & exponet quid cogitet: vocatur quoque enuntiatio, quia per illam enuntiat, & manifestat secretam mentis suæ cogitationem. Duo illi Nominativi, seu nomina vocantur *Termini*, seu *extremitates* seu *extrema* propositionis, quia terminant & claudunt utrimque propositionem. Hioc jam scis, quid sit terminus in casu nostro, quod obscurius alii explicant, dicendo: *Terminum esse id, in quod resolvitur propositio*, quæ potius per proprietatem datur, quam a priori.

Porro primus ille terminorum, seu nominum significat id, de quo magis principaliter loquimur, aut saltem id, quod primo loco volumus manifestare: & nomine reflexo (quam vocamus secundam intentionem logicalem) ille primus terminus vocatur *subjectum*, quia velut subjicitur loco fundamenti, cui imponitur significatum secundi termini sequentis post verbum seu copulam *est*, ac propterea supponitur receptive seu substantive.

Secundus vero iste terminus nomine reflexo (seu secundo-intentionaliter logice) appellatur *Attributum*, alias quoque Prædicatum (barbaro quidem vocabulo & male sonante, sed tamen usitato) quia significat, quod velut attribuitur & applicatur significato primi termini: prædicare quoque apud Philosophos idem est ac dicere, aut enuntiare apud Grammaticos, inde secundus terminus *prædicatum* appellatur.

IV. Nunc ad Terminorum divisionem transeamus.

1. Terminus alius est scriptus, alius vocalis, alius mentalis: ex his formamus propositiones scriptas, vocales, mentales: unde & triplex Logica, Scripta, Vocalis, Mentalis; quæ inter se omnino distingui debent, versantur enim circa diversa objecta, ut alibi diximus Tract. XXXIII.

2. Dividitur in Categorematicum, & Syncategorematicum. Siquidem in oratione concinnata in propositionem, reliqua vocabula, præter illa tria (nempe subjectum, copulam, & prædicatum) promiscue appellantur Syncategoremata, seu adjectiva. E. gr. *Homo albus est ambulans.* Illud *albus* est syncategorema, seu adjectivum. *Homo tantum est ambulans*, illud *tantum* est adjectivum, seu Syncategorema. Terminus itaq; Categorematicus est & dicitur, qui se solo, non conjunctus cum alio, aliquid significat, indeque propositionis partem constituere potest, ut Nominum & Verborum casus recti, hoc est illorum, Nominativus: horum Modus Indicativus cum tempore (nisi quæstio de præterito & futuro) præsente. Syncategorematicus vero, non ita significat, sed alteri junctus orationem complet. Hujusmodi sunt: Nominum & Verborum casus obliqui. 2. Adjectiva præcise sumpta, ut doctus, diligens &c. quibus junge adnomina, ut cœlitus-doctus, prodigedicax &c. Et quia teste P. Philippo du Trieu, Dialectici hac de re admodum varie loquuntur, dum aliqui mordicus contendunt Adjectiva esse categorematicis adnumeranda, cum potior esse prædicatum in propositione, ut cum dicitur; *Petrus est albus:* ad æquivocationem evitandam, vocemus Adjectiva Grammaticorum terminos mixtos, eo quod videantur participare aliquod de Categorematico ob rationem dictam; & de Syncategorematico quia imperfecte significant suum significatum, semper enim substantivum aliquod subintelligitur: aut subdividamus Syncategoremata in duas classes, ut prima sit eorum, quæ concordant in genere, numero & casu cum alterutro termino ut in exemplo sup. allato illud *albus*, & cætera adjectiva, eaque vocemus contractius *Syncategoremata primaria*; alterius classes vocentur syncat. *secundaria*, qui nempe non concordant modo prædicto cum termino alterutro propositionis ut sunt adverbia, vel casus obliqui, vel præpositiones cum casibus suis.

3. Signa quantitatis, ut Omnis, Nullus, Quidam &c. æquipollentia.

III. Dividitur in *Simplicem* & *Complexum*, seu *Complexum & incomplexum.* Ille unam tantum notionem vel ideam exprimit, ut *homo, circulus:* complexus vero is dicitur, qui plures notiones aut ideas complectitur; seu pluribus vocibus, ut *homo justus*, seu una tantum voce contineatur, ut *justus*, significat enim rem cui justitia inest.

Huc pertinet divisio termini in *Concretum & Abstractum.* Concretus idem fere est qui complexus; (si sit adjectivus) & rem significat cum forma quadam adjacente, ut *album* est id cui albedo inest. Terminus quo ea forma exprimitur, *abstractus* nominatur, ut albedo, aut rotunditas.

Concretus subdividitur in Substantivum & Adjectivum; & hic vel vere, vel quasi talis. Vocatur autem

autem Concretus Adjectivus etiam 1. *Connotativus* cui opponitur *absolutus*, qui concretum substantivum & abstractum comprehendit. Item 2. *Denominativus*, qui a Connotativo in eo tantum distinguitur, quod prior subjectum suum respiciat formaliter, sine omni alio dependentiæ respectu; alter vero duplicem involvat respectum, unum ad denominantem formam, alterum ad subjectum denominatum. Vide Tract. XLIII.

IV. In Terminum Notionis primæ, seu Conceptus directi, & Notionis secundæ seu Conceptus reflexi, hoc est ab operatione mentis notioni primæ additi. Aliter. In Terminum *primæ* & *secundæ intentionis*. Explico. Voces primo-intentionaliter significant res ipsas secundum se, v.g. *homo*, *equus*. Secundo-intentionaliter, denominationes extrinsecas in ordine ad Scientias. Sic in idiomate latino prima hominum intentio fuit conceptus suos æquipollentibus vocibus exprimere: ut autem artem ignorantibus grammaticam traderent, voces similes ad singulas classes reduxerunt, & secundo Decreto seu intentione classes denominarunt, dicendo: Omnes hujus Classis dictiones sunto *Nomina Propria*: Omnes illius sunto Nomina *Adjectiva*; illæ sunto primæ declinationis; illa secundæ &c. hæc nomina sunto generis masculini, illa fœminini &c. Qui omnes termini & similes sunt intentiones secundæ grammaticales. Sic hi termini, Vocalis, consonans, muta, liquida, gutturalis, uvalis, palatina, labialis, balbutiens, mollis &c. secundæ intentionis Orthographicæ, quæ pars est Grammaticæ. Longa, brevis, communis &c. Metricæ. Nec aliter factum in Logica, cæterisque facultatibus, uti alibi jam ostendimus. Hinc enim distributio terminorum categorematicorum, seu mavis nominis substantivi in varia Prædicamenta seu Categorias. Si enim secernamus terminos seu nomina, quæ significant omnes omnino res, vocamus illos, qui latissime patent, *supertranscendentes*, ut ens: alios, qui in una tantum serie, puta Divina, Angelica, humana, materiali &c. Transcendentes: alios non ita late patentes, genera, species &c. qui uni soli competunt, ulterius non divisibiles seu [illegible]municabiles, individua. Hinc divisio Termini

V. In Communem & Singularem. Ille dicitur, qui multa singularia significat, & subdividitur in Collectivum, & Universalem distributivum. Collectivus multos significat per modum unius, & de nemine prædicatur in particulari, ut Collegium, Respublica, Conventus. Huic affinis est Terminus, qui Universalis copulativus dicitur (aut universalis arithmeticus) ut omnes Apostoli sunt duodecim. Universalis Distributivus, idem qui Univocus, qui iterum in 5. species Prædicabilium subdividitur, de quibus infra.

Singularis est, qui rem unam significat, non prædicabilem de pluribus; ut Joannes. Hic subdividitur in Determinatum, Demonstrativum & Vagum, de quibus mox, ubi de suppositione terminorum.

VI. Palmaris divisio Termini est in *Univocum*, *Æquivocum & Analogum*, de quibus vide Tract. VI. Illud solum hic addo, Aristotelem subinde nomine Univocorum, Æquivocorum &c. non verba seu terminos, sed res ipsas intelligere: sic *homo & equus*, quatenus in nomine & ratione animalis conveniunt, ab Arist. appellantur *Synonyma seu Univoca*, quia ratio essentialis animalis ipsis est communis.

At vero *homo*, *cygnus*, *nix* &c. quatenus in voce & nomine *Candidi* conveniunt, & generatim omnia, quibus accidens aliquod commune est, a quo eandem denominationem accidentariam sortiuntur, non dicuntur ab Eo Synonyma seu univoca, neque etiam proprie homonyma seu Æquivoca, nec analoga, sed paronyma.

V. Quæres: In quo differant nomina metaphorica ab Æquivocis? Resp. Nomina metaphorica, seu translata, quæ etiam æquivalent duobus nominibus appellativis, diversas rerum classes, licet aliquo modo similes, significantibus, in hoc differunt ab æquivocis, quod ista videntur casu & fortuito imposita ad significandas duas vel plures rerum classes: Metaphorica vero ex industria imposita fuere ad significandam unam rerum classem, propter aliquam similitudinem vel proportionem, quam illæ res habent cum rebus ad aliam classem pertinentibus, & quam proprie & præcipue illud nomen significat. Ex gr. Eodem nomine *homo* appellatur ipse homo & hominis imago depicta propter similitudinem, quam habet imago cum exemplari. Eo æquivocum! *Herba* dicitur *viridis*, & *viridis ætas hominis*, propter proportionem nonnullam, quam habet juventus hominis cum herbæ viriditate. Ex qua proportione impositum est illud nomen ex industria (sicut τὸ *sanum*, animali, cibo, urinæ, medicinæ &c.) Eo analogum! Hic observa, P. Ptolomæum hic thesi 37. Lib 1. Element. hæc reputare pro æquivocis, cum hac admonitione. " Cæterum, hujusmodi nomina deinceps non vocabis metaphorica, sed stylo philosophico dices analoga, licet idem, omnino significet. Analoga autem, seu nomina, analogica si forte audias ita explicari: *Analoga sunt illa, quorum nomen commune est: ratio vero importata per nomen partim eadem, partim diversa*: Scito, his verbis, id ipsum quod prædiximus designari. Confundit ergo æquivoca seu terminos æquivocos (quales sunt Gallus, aries, fucus, tartarus, anus &c.) cum analogis (sanus, pes, principium &c.) quæ non videntur cohærere cum illis, quæ præced. thesi 36. dixerat, ubi æquivoca nomina proprie loquendo ait taliter imposita diversis rebus omnino, sine illa reflexione facta unius ad alteram.)

Verum enim vero hæc facile complanari possunt, si advertamus cum Card. Sfondrati Lib. 1. Log. cap. 1. §. 1. Analogiam proportionalitatis subdividi in Propriam & Impropriam. Proportionalitas propria est, cum ratio proportionalitatis similis intrinsece reperitur in omnibus analogatis, ut ratio principii respectu fontis & cordis; ratio Entis, ex sententia Thomistarum, in Deo & Creaturis; & hanc Analogiam aliqui ad Univocationem referunt. Proportionalitas impropria, seu metaphorica est, quando ratio proportionalitatis tantum improprie in aliis reperitur, ut *risus* in prato & homine, pes in scamno & animali, addo ego, viride in herba & homine juvene: hanc Thomistæ negant esse veram analogiam; &, meo judicio, recte, est enim mera metaphora. Viderint tamen Thomistæ, quo referant appetitum suæ Materiæ primæ, metaphoris accenseant, an æquivocis? certe, ut alibi ostendimus ex S. Thoma, metaphoricus non est, sed naturalis.

VII.

VII. Dividitur Terminus in *Concretum*, *abstractum*, *substratum seu substractum*. Hic terminus *Homo* sic resolvitur, habens humanitatem seu naturam humanam. Humanitas quæ habetur, est *abstractum*. Suppositum (hypostasis, persona) quod illam habet & instar basis sustentat, nominatur substratum & substractum. Substratum quidem, quia subsistentia, juxta Etymon, substernitur naturæ. *Substractum* dicitur, quia cum præciditur ab humanitate, succidi videtur & subtrahi. Hæ sunt partes, quibus totum componitur, nempe *homo*, quod *Concretum* vocatur. Nam rebus ipsis cognitis, voces quis posset ignorare? Nam terminus substratus est vox, quæ suppositum aut subjectum significat, qua tale. Abstractus, est vox quæ significat naturam aut formam habitam: & Concretus, est vox quæ utrumque nimirum suppositum aut subjectum in recto, & naturam seu formam in obliquo importat. Circa celebrem hanc divisionem tamen, quædam veniunt notanda. Nam.

VI. Notandum (I) Concreta accidentium principaliter ac ferme unice solam formam significare, v. g. *album*, non significat primario subjectum, sed formam albedinem; subjectum vero tantum insinuat quasi in obscuro, quia sola forma distincte apprehenditur, subjecto ignoto & latente. Idem dicendum de Concretis Substantialibus & Artefactis.

(II) Abstracta ex modo significandi sumi ut partes, & Concreta ut totum. Album enim significat rem, quæ habet albedinem; hanc principaliter & ex parte rei significatæ; illam connotative & implicite ex modo significandi; quo fit ut abstracta de concretis prædicari non possint, quia pars non prædicatur de toto.

(III) Eandem entitatem posse esse Substratum & Concretum, partem & totum, sed diverso respectu. Nam *homo* est totum, & Concretum secundum se consideratus: at respectu Æthiopis aut homini nigri pars est: est enim subjectum, substractum & substratum nigredinis.

Observandum igitur pro Regula generali, quod in omni vera propositione oportet, ut idem omnino in recto dicat subjectum, quod prædicatum, ita ut tota distinctio, si qua intercedit, se teneat ex parte obliquorum. Hæc Regula bene imprimenda est memoriæ, quam juvat exemplis illustrare percurrendo quinque Prædicabilia.

Homo est animal, est Primi Prædicabilis seu Generis, & reddit hunc sensum: Habens humanitatem (id est animalitatem & rationalitatem) est habens animalitatem. Estque æque vera ac hæc, habens togam & pileum est habens togam. Quid facilius?

Petrus est homo, est Secundi Prædicabilis, seu Specifica, & exponitur, habens humanitatem & petreitatem, est habens humanitatem.

Petrus est rationalis est III. Prædicabilis, & æquivalet huic, habens humanitatem petreizatam, est habens rationalitatem.

Hic homo est risibilis, quæ ad IV. spectat, æquivalet isti: habens humanitatem & petreitatem, est habens risibilitatem. Et tandem hæc: *Homo est albus*, quæ est V. Prædicabilis, resolvitur in hanc, habens humanitatem est habens albedinem. Ita D. Caramuel. Cui in vanum opponit Fr. Bonæ Spei hanc: *homo discurrit*, quasi vero resolvi nequeat simili modo, quo præcedentes dicendo, habens humanitatem est habens discursum.

VII. Concordat Caramueli Card. Sfrondrati Lib. 1. Log. cap. 2. §. 2. statuens ad cognoscendam veritatem prædicationum sequentes Regulas. I. *Ad veritatem propositionis affirmativæ non requiritur, ut ea quæ importantur in obliquo ex parte subjecti, sint realiter idem cum recto vel obliquo prædicati.* Hæc enim est vera *album est dulce*, & tamen albedo & dulcedo non sunt idem. Et ratio est, quia copula *est* cadit tantum super rectum, nihil enim in obliquo aut prædicatur, aut subjicitur. II circa prædicationes Abstractorum & Concretorum. *Concreta substantialia de substantialibus, accidentalia de accidentalibus vere prædicantur.* v. g. Homo est animal. Homo est albus, album est coloratum &c. Ratio est, quia nihil est in subjecto, quod non etiam sit in prædicato; res enim habens humanitatem est etiam habens animalitatem, & econtra. Hæc enim est natura Concreti, ut ita explicite dicat unam formam, ut non excludat aliam non oppositam primæ. Vide S. Thom. de ente & essent. c. 3. Hæc Regula est certa. Econtra sit III. Regula: *Abstracta non prædicantur de Concretis; nec Concreta de Abstractis.* Vide S. Thomam 3. de ente & essent. & 1. p. q. 3. art. 3. Falsæ sunt ergo hæ propositiones; *homo est humanitas*; album est albedo. Ratio est, quia ad veram prædicationem requiritur identitas inter Rectum subjecti, & rectum prædicati; sed τὸ *homo* non importat in recto naturam, ut perperam multi volunt, sed *habens*, seu *suppositum*.

Hinc tamen excipiuntur I. Prædicationes identicæ in Divinis, ubi nec est pars, nec totum, imo implicat aliquid concipi in Deo per modum partis (uti nec in Christo personalitas Verbi, aut Natura Divina subeunt rationem partis, pars enim necessario sonat imperfectionem). Et ideo istæ sunt veræ: *Deus est Deitas*, *Pater est paternitas*. I. Transcendentia, istæ enim sunt veræ: Ens est entitas; unum est unitas; bonum est bonitas, &c. S. Thomas 1. 2. q. 55. art. 4. ad 1. & q. 21. de verit. art. 4.

VIII. Sed quid de hac propositione? *Humanitas est animalitas*. Resp. Esse veram materialiter tantum, non formaliter: tametsi enim a parte rei non sint duæ res, ut tamen præcisioni aut conceptui substant, ratio unius non est ratio alterius, sed habent se ut includens & inclusum; alioquin ubi esset animalitas, ibi etiam esset humanitas: si ergo animalitas concipiatur ut pars humanitatis, prædicari de hac non poterit. In hoc ergo Syllogismo: *Humanitas est id, quo homo est homo; humanitas est animalitas, ergo animalitas est id quo homo est homo.* Consequentia non tenet, quia variatur appellatio. In majori enim humanitas sumitur præcisive & ut distincta ab animalitate tanquam totum a parte; in minori vero humanitas sumitur ut pars subjectiva humanitatis.

VIII. Dividitur Terminus in *finitum* & *infinitum*. Terminus infinitus dicitur, qui aliquid determinate negat, sed nihil determinate significat, quod fit præposito *NON*. Idque contingit solis nominibus, ut *non-lapis*, hoc est ens quod non est lapis. Verba nunquam infinitantur, ut bene advertit S. Thomas lect. 3. periherm. lib. 2. quia si ipsis negatio altera præponeretur, propositio esset omnino negativa, ut *Petrus non est equus, lapis non vivit.* Hinc orta distinctio Negationum. Negat altera, & altera infinitat. Negativa dicitur, *Petrus non est Equus*. Infinita, *Petrus est non-equus*.

Dices

Dices: Non equus est negatio, sed Petrus non est negatio, seu nihil, ergo non bene dico, Petrus est non-equus. Respondet huic objectioni Card. Sfondrati, Petrum esse aliquid, & hoc indicatur per copulam *EST*, & tamen imperfectum, & cum carentia perfectionum, quæ sunt in lapide aut equo, & hoc significat ille terminus *non-lapis*: sensus ergo propositionis est, Petrus est aliquid quod non est lapis, aut quod non est equus, nec tamen determino quid sit. Addit.

Quamvis autem in propositione negativa verbum *est* non copulet, sed separet prædicatum, adhuc tamen dicitur copula, quia repræsentat carentiam prædicati. Sed de hoc egimus alibi.

SECTIO II.

De varia Terminorum Suppositione, & Appellatione.

IX. Suppositio, prout hic sumitur, nihil est aliud, quam usus (acceptio, significatio, usurpatio, quæ sunt synonyma) termini in oratione pro se vel prout suo significato. Circa quam definitionem.

Nota I. Cum non possimus res ipsas in disputationem adducere, illis supponimus, hoc est substituimus voces, quæ proinde melius dicerentur supponi pro aliquo, quam supponere.

Secundo, Eandem dictionem varias posse habere suppositiones, ex quarum varietate æquivocatio nascitur & fallacia, nisi distinguantur.

Tertio, In rigore aliud esse significationem, aliud suppositionem. S. Thomas q. 9. de potent, art. 4. & in 3. sent. Dist. 6. q. 1. a. 3. Suppositio enim restringit limitatque significationem ad unum. Si dico, *Antichristus fuit malus*, vox Antichristi significat certum hominem; & tamen est propositio *de subjecto non supponente*, quia nullus est talis homo, cui intellectus illam qualitatem applicare possit. Hinc patet, proprie loquendo, terminos extra propositionem significare quidem, sed non supponere: suppositio enim est limitatio significationis, quæ limitatio non contingit nisi adjungatur vox alteri fiatque propositio. Exemplo sit vox *homo*. qui terminus communis est. Idcirco

X. Quæritur I. Quotuplex sit Suppositio? Resp. I. Suppositio propria (impropria omissa, quæ a Dialecticis non attenditur) alia est *formalis*, alia *materialis*. Hæc est, cum dictio vel vox sumitur pro seipsa, non pro alia re significata, quod per particulas græcas λη vel τὸ indicari solet, ut in his exemplis. *homo est vox dissyllaba. Vox est monosyllabum*, vox est sonus &c. quamvis in hoc ultimo exemplo, & similibus suppositio videatur mixta, nempe partim materialis, partim formalis; significat enim non solum seipsam, sed etiam omnes alias voces. Formalis suppositio est, cum vox supponit pro re significata. Voces ergo non significativæ supponunt tantum materialiter.

Resp. II. Suppositio formalis, alia est *simplex*, alia *personalis*. Simplex est, quæ rem significat, aut secundum prædicata sua essentialia præcise, aut (ut alii volunt) prout subest secundis intentionibus. Quod ideo disjunctive explico, quia in sententia Scoti, & quotquot universale a parte rei independenter ab operatione intellectus, admittunt, in hac propositione, *Homo est species*, Subjectum supponit simpliciter, non tamen subest secundæ intentioni, seu præcisioni intellectus, cum formalitates metaphysicæ antecedenter ad operationem illius discernantur ex natura rei.

Personalis suppositio, est usurpatio vocis pro re, prout a parte rei independenter a nostris conceptibus existit, sive pro re sumpta adæquate, v. g. *homo est animal, Petrus est homo, Petrus currit*, in quibus subjectum supponit personaliter.

Resp. III. Suppositio personalis, alia est *discreta, seu singularis*, cum terminus pro aliquo singulari supponit, ut *Petrus currit, hic homo docet*. Alia *communis*, quando nomen pro suis inferioribus supponit, & hæc Suppositio communis est quadruplex: *Distributiva, Copulativa, Determinata* & *Confusa*.

Distributiva seu Universalis est acceptio termini communis pro suis significatis copulative seu distributive sumptis. Est vero acceptio copulativa & distributiva, quæ integras propositiones conjungit, ut *omnis homo est animal.* Homo distributive supponit, sic enim resolvitur; & Petrus est animal, & Paulus est animal &c. At cum dico omnia Elementa sunt quatuor: signum illud *omnia*, non distribuit, quia non potest repeti prædicatum ad singula inferiora dicendo & aqua est 4, & terra est quatuor &c. Iterum Distributiva alia est *absoluta*, alia *accommoda*; alia *pro singulis generum*; alia *pro generibus singulorum*.

Suppositio *copulata seu collectiva est*, cum terminus accipitur pro suis inferioribus copulatim sumptis. ita ut prædicatum ad singula inferiora repeti non possit, uti supra jam dictum.

Suppositio *Determinata seu disjunctiva est usus termini communis, vel nullo, vel particulari signo affecti pro suis inferioribus disjunctive enumerandis.* Tunc autem fit disjunctiva enumeratio, cum particula disjungens singulis propositionibus, & non tantum singulis & simplicibus terminis applicari potest, v. gr. in hac propositione, *Leo rugit* sic fit descensus; *vel hic leo rugit, vel ille leo rugit*, ita ut aliquem in particulari designare possis, aut ad aliquem deveniendum sit, qui rugiat: si secus, descensus fiet disjunctim, & particula *vel* simplices tantum terminos, non integras propositiones afficiet, eritque *suppositio confusa*, ut in hac: *aliquis oculus necessarius est ad videndum*, resolutio hoc modo fit: *Vel hic, vel hic oculus est necessarius*, sic tamen ut nullum in particulari designare possis, de quo verum sit dicere, *iste est necessarius*, sed *vel iste, vel ille*.

XI. Quæritur II. Quænam sint Regulæ Suppositionum? Resp. Regulæ Distributivæ suppositionis sunt sequentes.

Regula I. *Signum universale affirmativum distribuit terminum proximum cui immediate præfigitur: Signum verò universale negativum distribuit omnia, quibus tam proxime, quam remote, mediate vel immediate proponitur.* Nota, signa universalitatis affirmativa esse ista: *Omnis, quilibet, totus* &c. Negativa: *Nullus, nemo, non, nec* &c. Mixta sunt: *contingens, probabile, tantum*; hæc enim sic resolvuntur: *Contingit hominem esse album*, hoc est, *potest esse albus, potest non esse albus*, sive *potest esse non-albus. Probabile est Gallos victum iri*, hoc est, *dantur rationes fortes suadentes Gallos victum iri*, & *dantur non minus fortes suadentes contrarium. Tantum homo est risibilis*, hoc est *solus homo risivus est & nullum animal praterea.*

Regula II. Prædicatum Propositionis affirmativæ, tam universalis, quam particularis, supponit *disjunctive* & *determinate*. Ita Sfondrati contra Summulistas pag. 178. Logicæ. Sui tamen immemor pag. 490. in Advette secundo in terminis docet contrarium, nempe in hac propositione *Omnis homo est animal*, prædicatum *animal* supponere *confuse*. Hæc contradictio clarissime patet ex Regulæ hujus probatione, quæ talis est. "Probatur (inquit "hic Author) hæc Regula, tum quia in suppositione "confusa nunquam deveniri potest ad unum deter-"minatum inferius: sed potest in hac propositione: "*omnis homo est animal*, assignari certum animal "quod conveniat homini, videlicet rationale, reli-"quis omnibus exclusis: tum quia propositio con-"vertens, ut sit vera, non debet plus continere "quam conversa: sed illa propositio, *omnis homo "est animal*, convertitur in hanc: *aliquod animal est "homo*, quæ utique est determinata, & plus conti-"net quam confusa, signum videlicet determina-"tionis: & regula Conversionum habet, ne varie-"tur suppositio; si ergo convertens est disjunctiva "& determinata, ergo & conversa. Tum denique "quia suppositio, & propositio disjuncta & confusa "non est contradictoria Negativæ distributivæ: (u-"traque enim est vera: *aliquis oculus est necessarius "ad videndum: nullus oculus est necessarius ad viden-"dum*, si hæc distributive, illa confuse supponat) "sed tantum suppositio determinata. Sed hæ duæ "propositiones: *Omnis homo est animal, aliquis "homo non est animal*, sunt contradictoriæ,ergo non "potest animal in prima confuse, & in secunda dis-"tributive supponi.„ Hæc ille. Ergo multo minus in una eademque propositione *Omnis homo est animal*, prædicatum potest disjunctive & determinate, simul tamen confuse supponere.

Regula III. Omnis terminus nullo signo affectus, aut signo particulari, supponit determinate (subintelligo in materia contingente, nam in necessaria, supponit universaliter) v. gr. homo disputat, aliquis homo est doctus, idque in propositione de utroque extremo verum est.

Limitatur tamen primo, nisi propositio aliqua ex hisce vocibus constet, *desidero, appeto, debeo, polliceor, promitto, necessarium est* &c. Hæ siquidem voces inducunt confusionem. v.g. *polliceor tibi equum*, aut filiam in matrimonium (si plures habeat) sensus est, vel istum, vel illum, sive unum ex omnibus, aut unam filiarum: nullum tamen, nullamque determinate.

Regula IV. Pro dignoscenda suppositione confusa, optima hæc est, si dicas, eum terminum supponi confuse, qui nullum habet determinatum inferius, imo ne quidem a Deo determinabile, de quo prædicatum verificari determinate possit. v. gr. *aliquis oculus est necessarius ad videndum*, ne Deus quidem determinare potest, dexter ille, an sinister sit; & de utroque, tam dextro, quam sinistro, negari potest esse determinate necessarium: secus est in propositione determinata. Notæ vero ut diximus, & signa hujus confusionis sunt ea verba: *Oportet, necessarium, polliceor, opto, debeo* &c.

Regula V. Quando prædicatum numerum significat, subjectum supponit copulatim; ut, omnia Elementa sunt quatuor.

Regula VI. In propositionibus, tam affirmativis, quam negativis, non est bona consequentia a sensu distributivo ad collectivum. Non enim valent istæ consequentiæ: *possum ferre hunc lapidem, & istum, & illum &c. ergo omnes simul. Iste bolus non frangit jejunium, nec ille, nec ille &c. ergo nec ullus. Die festo non teneor audire primum sacrum, nec secundum, nec tertium, ergo nullum.* Ratio est, quia omnis consequentia continetur in præmissis, & ex illis deducitur: sed sensus collectivus non continetur in distributivo, hoc est in singulis particularibus; plus enim sunt omnia, quam singula singulatim: sicut nec unitas continet decadem, sed bene decas unitatem.

Quandoque tamen valet illatio a terminis distributive sumptis ad collectivum sensum, ut alibi declaravimus. De his & aliis illationibus quando teneant, aut non, doctissime & fuse tractat Jo. Bapt. Ptolomæus Lib. 3. Element. Phil. a thesi XV. usque ad XXV. inclusive, quem vide.

XII. Quæritur 3. Quid apud Dialecticos sit *Appellatio?* Resp. Est applicatio significationis formalis unius termini, ad significatum formale vel materiale alterius termini. v. g. *Aristoteles est magnus Philosophus*, τὸ *magnus* appellat Philosophum formaliter qua talem, sive Aristotelem, non secundum corpus aut quantitatem, sed secundum scientiam philosophicam. Si vero dicas, *Aristoteles Philosophus est magnus*, τὸ *magnus* appellat super materiale, ut sensus sit, Aristotelem fuisse magnum corpore & statura, (quod falsum) non Scientia Philosophica.

Regulæ Appellationis sunt istæ. I. Quando subjectum ponitur substantive, & adjectivum ex parte prædicati, prædicatum stat formaliter, & subjectum materialiter, caditque appellatio in suppositum substantivi. V. gr. *Medicus est magnus, album est dulce, hic homo* (denotando Christum) *est æternus*. Sensus est: Medicus est magnus homo, vel magnæ staturæ; lac quod est album, est dulce: Persona Christi est persona æterna. Vide S. Thom. 3. p. q. 16. art. 7. & 9. Et ideo hæc est falsa: *Christus est falsus*, quia ut dixi, prædicatum adjectivum, aut per modum adjectivi appellat supra suppositum. Ita Eminent. D. Sfondrati hic pag. 184.

Dices: Si prædicatum Adjectivum, aut quasi, cadit supra suppositum, hæc propositio non erit falsa: *Essentia divina generat*, quia τὸ *generat*, cadet supra personam, quod verum est. Resp. Illud Complexum, *Essentia Divina*, non exprimere suppositum, sed tantum naturam, & ideo propositionem esse falsam; nec reperitur identitas inter rectum prædicati & subjecti, quod tamen requiri supra diximus.

II. Regula. Quando substantivum & adjectivum, vel quasi, ponuntur ex parte ejusdem extremi, appellatio est formalis, caditque supra formale subjecti. v. gr. *Petrus est magnus Logicus; magnus Logicus disputat*; sensus est, Petrus ut logicus est magnus &c. Quod tamen sic non est in terminis disparatis, v. g. *Petrus est niger logicus*, patet enim non esse nigrum ut logicus est: neque tunc si prædicatum supposito non conveniat; sufficit autem ut suppo-

supposito ratione sui, aut formæ adjunctæ convenit. Non valet ergo ista propositio: *Christus est peccator magnus*, quia hæc magnitudo, tam respectu humanitatis, quam Divinitatis repugnat. Valet vero ista: *Christus est mortuus*, quia supposito divino mors convenit respectu assumptæ humanitatis. Et hoc modo variæ propositiones theologicæ verificantur prupter *communicationem Idiomatum*, ut vocant, de Christo, quæ nihil aliud est, quam *mutua divinorum humanorumque attributorum ac nominum de Christo & de se invicem prædicatio*; vi *cujus* nomina concreta substantiva, quæ significant, aut naturam divinam aut humanam, vel illarum proprietates, vere possunt prædicari de omnibus concretis nominibus positis pro persona Christi, id est pro supposito Verbi Divini, sive illud suppositum significetur nomine Dei, sive nomine hominis, modo non importent creatum suppositum, & absit reduplicatio, nec propositio possit favere Hæreticis.

Sic Christus nomine Christi significatus est vere quid creatum, & in rigore dici posset creatura, modo non significetur nomine Verbi, Filii Dei, & personæ, sed in quantum assumendo in tempore humanam naturam est Compositum, quod ante Incarnationem non erat. Hic autem Syllogismus expositorius; *Christus est creatura; Christus est Deus, ergo Deus est creatura*, laborat fallacia accidentis, in eoque mutatur suppositio. Eodem modo Concreta Denominativa, quæ significant proprietates divinæ naturæ & humanæ, possunt prædicari tum de Christo, tum de se invicem: hoc sensu vere & proprie, & catholice dicitur Christus æternus, & temporalis, finitus & infinitus, mortalis, immortalis &c. Hinc sit

III. Regula. Variata appellatione non valet consequentia v. g. homo est species, ergo & species est Petrus, quia Petrus est homo.

XIII. Quæritur 4. Quid a Dialecticis intelligatur nomine Status & Ampliationis? Respondeo cum Sfrondato, *Status* termini est, quando sumitur pro uno aut pluribus suppositis solum existentibus secundum differentiam temporis adsignificatam per copulam propositionis principalem. v. gr. *homo currit*, supponit tantum pro hominibus præsentibus, non futuris, aut præteritis. Aliter Status termini is dicitur, qui eam temporis differentiam non mutat, quam verbum propositionis significat: ut *qui pius est, idem est felix*, quamdiu scilicet est pius. Qui ex Deo est, non peccat, nempe quamdiu in gratia est. Sed cum terminus ab eo tempore, quod verbum significat, abducitur, tum *distractio* vocatur: ut cæci vident, claudi ambulant, quod est dicere, qui erant cæci, jam vident &c.

Ampliatio est extensio termini ad plures temporis differentias, quam copula significet. v. gr. *homo est animal*, τὸ *homo* supponit pro præsentibus, præteritis & futuris, possibilibus & imaginabilibus.

Restrictio vero est contractio significationis in aliquo termino. Sic Orator, pro M. Tullio. Philosophus, pro Aristotele, solet usurpari. Sic per Antonomasiam, per Apostolum, solus Paulus intelligitur.

SECTIO III.

De Terminis inter se comparatis, eorumque oppositione, & æquipollentia.

XIV. Termini *disparati* (quos Chrysost. Javellus tract. 9. de consequentiis vocat *impertinentes*, his verbis: *Termini impertinentes iidem qui disparati*, id est, *qui nec se invicem inferunt, nec excludunt*) dicuntur, qui nec oppositionem, nec connexionem ad invicem habent, ut *album & liquidum*. Nam albedo & liquiditas simul inesse subjecto possunt, ut patet in lacte, & simul abesse, ut in carbone. Econtra Pertinentes dicuntur, qui se mutuo inferunt aut excludunt. Hinc per errorem typographi accidisse puto, quod plane contrarium legam apud Eximium P. Henricum Heinlein Disp. 1. Log. art. 9. §. 1. & 2.

XV. *Convertibiles* ita sunt connexi ut separari nequeant, & de se invicem prædicari possint, ut homo, rationale, risibile.

XVI. *Oppositi* dicuntur, qui de se non possunt prædicari; & sunt vel omnino *Incompossibiles*, ut duæ formæ substantiales non subordinatæ in multorum sententia: vel *Contrarii*, ut calor & frigus; vel *Subcontrarii*, qui simul adesse, non simul abesse possunt: vel *Repugnantes*, ut forma & privatio, quæ nec de potentia absoluta simul adesse possunt. Vel contradictorii, qui nec simul adesse, nec simul abesse possunt; vel *Relativi*, quorum unus alterum connotat seu adsignificat, ut Pater & Filius, Dominus & Servus, qui quidem de uno eodemque subjecto dici possunt, sed sub diverso respectu.

XVII. *Ut magis & minus communes* se habere dicuntur Genus & ejus species, ut animal & homo.

XVIII. *Ut excedentes & excessi*, qui aliquando simul reperiuntur inesse, aliquando simul desiderantur, & hi non multum discrepant a Disparatis.

XIX. Denique sunt alii *Denominantes simpliciter*; alii *secundum quid*. *Simpliciter* quidem, quando forma omnes partes subjecti capaces informat. *Secundum quid*, quando latius posset aut deberet extendi. ex. gr. Germanus aut Gallus dicitur albus simpliciter, tametsi habeat crines rufos aut nigros, oculos cæruleos, labia rubra &c. quia his corporis partibus albedo non debetur. Sic quoque simpliciter dicitur videre, qui duobus oculis videt, tametsi non videat naribus, digito, pede &c. quia his membris non competit videre. At Æthiops, qui tantum dentes albos habet, & oculi albumen, cum posset & deberet totum corpus (suppono quod nigredo illi non ab exigentia corporis naturali, sed violentia solis proveniat) dicitur albus *secundum quid*. Sic luscus videns *secundum quid*. Hinc ad mores; ille actus, qui in una vel altera circumstantia deficit, & in reliquis legi divinæ consonat (qualis est Eleemosyna data ex vana gloria) dicitur bonus *secundum quid*. Et ille qui facultatem aliquam ex parte solum utcunque intelligit, doctus *secundum quid*. Unde acute Owenus L. 1. epigr. 41. ad Henricum.

Stultus es, & sapiens; quis credat, Gaure? secundum
Quid Sapiens. Stultus quomodo? Simpliciter.

XX. De æquipollentia & oppositione terminorum Syncategorematicorum jam egimus Tract. XLI. sect. 6 quibus hæc pauca nunc addimus.

TABELLA

Omnium terminorum, singularis & pluralis numeri, oppositionem exhibens.

OMNIS	I							
ALIQUIS	A	I						
NULLUS	C	ct	I					
ALIQUIS NON	ct	S	A	I				
OMNES	A	A	C	ct	I			
ALIQUI	D	A	C	S	A	I		
NULLI	C	ct	A	A	C	C	I	
ALIQUI NON	C	S	D	A	C	D	A	I
ct. Contradic. C. Contrarii S. Subalter. A. Subalt. D. Disparat. I. Identici.	Omnis	Aliquis	Nullus	Aliquis non	Omnes	Aliqui	Nulli	Aliqui non

Explicatio. Angulus communis dat Propositionum ac terminorum singulorum oppositiooem. Subalternatio ex plurali ad singularem semper est manifesta. Hæ enim sunt bonæ consequentiæ: omnes, ergo omnis. Nulli, ergo oullus. Aliqui oon, ergo aliquis non. Et his positis, metiri licet cæterorum opposinonem, juxta Regulas communes, nempe coutradictorie opponi, seu adæquate illos terminos, qui in oullo casu possunt reddere propositiooes, aut simul veras, aut simul falsas. Contrarie, qui pugnant veritate, non falsitate. Subcontrarie, qui pugnant falsitate, non veritate. Disparata dicimus, quæ neutro modo inter se opponootur.

Primo igitur hæc propositio: *Omnes homines sunt albi*, oppotutur contrarie his: *Nulli homines sunt albi. Nullus homo est albus. Aliqui homines non sunt albi, hic homo non est albus:* Ratio, quia in hypothesi, qood tantum exteot duo homines, alter albus, & alter niger seu non albus; omnes 4. prædictæ propositiones erunt falsæ. At opponitur contradictorie his: *aliquis homo non est albus, homo non est albus.*

II. Hæc: *Omnis homo est albus*, æquivalet antecedenti, & opponitur cæteris eodem omnino modo.

III. Hæc: *Aliqui homines sunt albi*, & hæc: *homines sunt albi*, (quæ sunt æquipollentes) contrariantur universalibus negativis. Respectu harum: *aliqui homines non sunt albi*, & *homines sunt albi*, sunt Disparatæ. Si enim ponantur duæ hypotheses, & in prima sint duo homines tantuoi, alter albus, & alter non-albus. In secunda vero quatuor, bini albi, & bini non-albi. In prima hypothesi omnes illæ propositiones essent falsæ; at in secunda veræ. Ipsæ huic: *aliquis homo non est albus*, & huic; *homo non est albus*, opponentur subcontrarie, pugnant enim sola falsitate. Nam in prima hypothesi, altera est vera, altera falsa: io secunda, utraque est vera; nec occurrit tertia hypothesis, in qua sint ambæ falsæ. Et tandem respectu istius: *Petrus non est albus*, sunt disparatæ, quoniam possunt esse simul veræ, & simul falsæ, vid. simul falsæ in prima hypothesi, si in illa hic (Petrus) sit albus, & ille non-albus, tunc enim falsum erit dicere, Petrum non esse album, & falsum aliquos esse albos.


IV. Hæc: *aliquis homo est albus* (cui æquivalet, *homo est albus*) contradictorie opponitur *Nullus & Nulli*. Subcontrarie *aliquibus-non*, & *hominibus-non*. Subcontrarie quoq; *alicui-non*. Item singulari neganti.

XXI. Ex his Infertur I. Deceptum Illustr. D. Caramuelem dum Log. Vocalis, art. 34. num. 629. scribit: "Nomine non-universalis, tam particularem, quam" singularem debere intelligi, nemo negare poterit: quia" hæc veritas; *Omnis homo est coloratus*, oon minus op-" ponitur huic asserto: *aliquis homo non est coloratus*," quam huic: *Petrus non est coloratus*..... Hinc venit," corrigendus Petrus Hispanus L. 1. c. 11. qui intermisit," oppositionem singularium. Hæc Caram.

Veruntamen (quod pace tanti Viri dixerim ipsemet in hoc corrigendus venit, oam hæ propositiones: *Omnis homo est albus*, & *Petrus non est albus*, possunt simul esse falsæ, adeoque non opponuntur adæquate seu contradictorie. Patet hoc, casu quo supponatur Petrus albus, & Paulus non albus: Sunt ergo contrariis annumerandæ, ut recte P. Henricus Heinlein Disp. 2. Log. art. 3. §. 2.

Infertur 2. Non recte dici a Card. Sfondrati p. 488. Log. Subcontrarias proprie non opponi, eo quod tota illarum oppositio consistat in qualitate, quasi vero falsitas non æque comprehendatur hic sub qualitate propositionis ac veritas. Subcontrarias autem pugnare quoad falsitatem, hoc est non posse esse simul falsas in ulla materia, palam est, quam parum duæ contrariæ simul veræ, alias enim & duas cootradictorias simul veras haberemus, utpote Contrariarum subalternas. Pro dictorum meliore intelligentia considera sex hasce figuras.

Homo



Priores 4 figuræ logicos terminos; V. & VI. theologicos morales continent. Et quia diversæ sunt sententiæ, an detur actus ex parte bonus, & ex parte malus? Item an detur actus indifferens in individuo? Observare debebis Figuram V. ordinatam esse pro sententia probabili, nitente duplici principio valde plausibili; quorum primum est, *Bonum ex integra causa; malum ex quolibet defectu*; & secundum, *non datur actus indifferens*. Quamobrem *Bonum*, & *non-bonum* (sicut etiam malum & non-bonum) erunt termini convertibiles.

At VI. figuram instructam esse pro contraria sententia, quæ se demonstrare putat, unum eundemque actum simul posse esse bonum & malum; tum etiam posse esse indifferentem, hoc est nec malum, nec bonum. Juxta quam, *Bonum, malum*; item *non-bonum, non-malum*. Item *bonum, non-malum*; itemque *malum, non-bonum* sunt termini disparati, quod illustratur exemplis.

Eleemosyna ob vanam gloriam erogata, & bona, & mala est: bona, qua Eleemosyna, & qua vanegloriosa, mala. Fricare barbam, actus est indifferens; & ideo nec bonus, nec malus. Actus bonus & nonmalus erit, qui pure bonus; actus malus, & non-bonus, qui pure malus; & uterque videtur possibilis. v. g. amor Dei, & odium Dei. Loquimur autem hic de bonitate morali: de physica enim paulo aliter discurrendum.

SECTIO IV.

De quinque terminis prædicabilibus.

XXII. Conqueritur facete more suo Caramuel noster in sua Grammatica audace Meditat. 2. Metalog art. 4. de Professore quoodam suo his verbis: "Debebamus doceri quinque voces, hoc est Tractatum de Universalibus & Prædicabilibus: & Professor per latissimos Historiæ Ecclesiasticæ campos, de Patria, genere, ætate, parentibus, filiis & discipulis Porphyrii (qui curiosam Isagogen de hisce scripsit) otiose, vel, ut ipsi visum, erudite disputabat. Sed audire debuit, quod Tobias a Raphaele: Genusne quæris Porphyrii, an vero doctrinam ejus, quæ tuos Discipulos ad altiora conducat? Idcirco astutus Juvenis totam Professoris sui Iliadem nuce concludens, hæc sola verba in palimpsesto suo notavit: Porphyrius natione Phœnix (quod nomen ei a Magistro suo Longino impositum, cum prius vocaretur Malchus) sed Patria Judæus, ex Christiano factus Magus, & a vera fide Apostata, vixit sub finem sæculi III. a Christo nato, Isagogen ad Prædicamenta ex Universalibus struxit: quæ, ut ajunt, ex numero filiarum suarum V. esse voluit: *Genus, Speciem, Differentiam, Proprium, Accidens*. Et quia liber utilis, nec in minimo Catholicæ fidei contrarius, ideo in scholis permittitur." Nam recte S. August. Lib. 2. de doctrina Christi cap. 40. Philosophi qui vocantur, si quæ forte vera & fidei nostræ accommodata dixerunt, maxime Platonici, non solum formidanda non sunt, sed ab eis tanquam injustis Possessoribus in usum nostrum vendicanda. Vide quæ in Decreto Gratiani circa hoc eleganter habentur. C. *Legibus*, C. *Qui de Mensa*. C. *Relatum est*. Dist. 37.

Observavit autem Porphyrius in suo Tractatu methodum elegantem, Naturæ videlicet & doctrinæ. Naturæ quidem, quia hæc primo materiam præparat, & disponit, deinde inducit formam; ex hac & materia totum Compositum resultat: ex Composito primo Proprietates, tum accidentia communia. Sic Genus materiæ respondet, differentia formæ, Species toti, & ex specie proprietates & accidentia; hoc enim modo Porphyrius in præfatione quinque Prædicabilium, teste Sfondrati, enumerat, quamvis in ipso opere prius de specie agat, quam Differentia, secutus videlicet methodum arbitrariam, quia Species est correlativum Generis.

Ordo doctrinæ in eo est, quod synthetice & via compositionis procedat, a simplicioribus videlicet ad magis composita, & ab essentialibus ad accidentalia.

XXIII. Quæres: Cur non statuantur 10. Prædicabilia, sicut solent 10. Prædicamenta? Resp. Quia Prædicamentorum numerus desumitur, a modis essendi: Prædicabilia a modis inessendi, qui tantum sunt quinque. Ratio hujus est, quia Prædicabilia non attendunt ad rem, quæ prædicatur, sed solum ad modum prædicandi. Sic albedo æque prædicatur ut species de hac & illa albedine, etsi sit accidens; quam homo de Petro & Paulo. Prædicamentum vero attendit ad res ipsas, unde vocatur series rerum certo ordine dispositarum. P. Thomas Mlodzianow ki tract. 2. Prælect. metaph. Disp. 4. q. 1. Quod atti-

 net

net numerum Prædicamentorum, vide tract. XXIV. supra.

Sciendum ergo, quod Prædicabilium ordo ad hoc inventus sit, ut determinatum quodpiam ens, secundum suam & essentiam, & essentiæ ornatum, penitissime innotescere possit. Si enim interroget, quid sit Homo? respondetur primo per genus, esse animal. Quærenti porro, quale sit animal, sive cujus speciei; sive quid animalis sit? respondetur esse animal humanum, sive esse hominem, sive esse animal, quod dicitur homo. Vlterius interroganti, qualis sit homo per essentiam, sive quæ ejus perfectio primu constitutiva, & ultimo distinctiva? respondetur esse rationale sive Intellectivum. Si porro quæras quomodo homini conveniat ridere vel admirari? Respondetur hoc ei esse proprium, & ideo omni, soli & semper competere (in potentia) quia fluit ex eo, quod intelligit animaliter, sive dependenter a sensibus. Si interrogatio ulterius fiat de ejus probitate, scientia, nobilitate &c. respondebitur, hæc ei congruere contingenter & per accidens.

Itaque habes quinque Classes: *Genus, Speciem, Differentiam, Proprium, Accidens.* Prima explicat, *quid sit res incomplete*; altera *quid sit complete*. Tertia *quid sit essentialiter*. Quarta *qualis necessario.* Quinta, *Qualis contingenter.* Aliud responsum, quod extra limites hos evagetur, formari non potest. Nunc ad singulorum Definitiones.

Genus est, quod prædicatur de multis differentibus specie, quidditative-materialiter. Vt animal de homine, equo, leone &c.

Species est, quæ prædicatur de multis differentibus tantum numero quidditative-adæquate, ut homo de Alexandro, Petro & Ioanne.

Nota illud *tantum*, & collige animal respectu hujus equi, & hujus hominis non esse speciem, quia hic equus & hic homo differunt plus quam solo numero. Iterum, animal respectu Petri & Ioannis non esse speciem, quia Petrus & Ioannes differunt quidem numero tantum; & hæc prædicatio, *Petrus est animal*, tametsi sit quidditativa, non est tamen adæquata & immediata. Non est adæquata, hoc est non prædicat totam essentiam Petri, sed tantum partem ejus materialem.

Differentia est, quæ prædicatur de pluribus differentibus quidditative-formaliter. Et est duplex: *Subalterna* & *atoma*; Illa de differentibus specie dicitur; hæc de differentibus solo numero. Exempla sunto: *Sensibile* & *vitale* sunt differentiæ subalternæ; sensibile enim de homine, equo, & leone & aliis conspeciebus dicitur; vitale de planta & animali. *Rationale* autem, *rugibile, hinnibile* &c. sunt differentiæ atomæ, quia de individuis solum ut universales prædicantur.

Dicunt Adversarii seu potius Authores communiter *Differentiam prædicari in quale-quid.* Et bene loquuntur. Prædicatur enim de Genere *in quale*, de specie *in quid.* At nondum de pluribus, nec ut Vniversalis. Cæterum qua Vniversalis prædicatur de inferioribus speciei, quam constituit, & tunc *in quid formaliter.* Pono exempla. *Animal est rationale, homo est rationalis, Petrus est rationalis.* Et dico primam prædicationem esse *in quale*, secundam *in quid*; neutro modo prædicari de multis. Et subjungo, in tertia prædicari *quidditative-formaliter Species* ex genere & differentia componitur: ex illo quidem materialiter, ex hac formaliter, ut patet in homine; ipse enim definitur *animal rationale:* materialiter quidem dicit formalitatem animalitatis, sed formaliter rationalitatem. In Individuo autem tota species imbibitur, neque hoc aliquid dicit præter speciem & formalitatem individualem seu hæcceitatem (sive illa desumatur a quantitate signata, ut volunt Thomistæ, vel aliunde) qua redditur invididuum.

Proprium est, quod prædicatur de pluribus, quorum singulis convenit ubique & semper. Sub tanto rigore hoc nomen accipi debet, ut hoc Prædicabile constituat. Tale potutur vulgo *risibile*, qood omni & soli homini, ubique, semper putant competere.

Differentia, Proprium & Species sunt invicem convertibilia; valent enim hæ consequentiæ: *Omnis homo est rationalis, ergo omne rationale est homo. Omne rationale est risibile, ergo omne risibile est rationale.*

Accidens est, quod prædicatur de pluribus accidentaliter, ut album & nigrum. Sic hæ prædicationes: *Petrus est albus, Franciscus est Musicus,* &c. sunt quinti prædicabilis.

SECTIO V.

Maxima circa usum horum 5. Prædicabilium.

XXIV. Propositiones quædam generales, sive Canones Catholici in Scholis Dialecticorum appellantur *MAXIMÆ*, quibus vis atque natura cujusque Loci seu argumenrorum sedis continetur, quarum aliquas hic dabimus circa usum 5. Prædicabilium. Sit itaque.

Regula I. De summo Genere. *Nihil eo latius patet.* II. Adjungi omnibus rebus *potest, quibus adjunguntur ea, quæ sub suo ambitu continentur.*

De Genere subalterno. Regula I. *latius & per plures partes diffusum genus est, quam species.* II. *Quæcunque de genere superiore argumentando aut affirmantur, aut negantur* (in majore scil. propositione); & *illa quoque de genere inferiore, & de specie eodem modo affirmari aut negari debent in conclusione.* Sic quia animal sentit, necesse est hominem quoque sensu præditum esse: & quia animal non est lapis, nec homo esse potest. Ex isto axiomate natus est Primæ Figuræ canon ille perpetuus: *Dici de omni, & Dictum de nullo.* Quod enim dicitur de omni homine universaliter & distributive sumto; dici necessario debet de quolibet particulari, ut per se patet, alioquin duæ contradictoriæ essent veræ, *omnis homo currit, non omnis homo currit, vel aliquis homo non currit.* III. *Omnibus quoque illis genus adjungitur, cum quibus ipsa species conjungitur*, hoc est de quibuscunque species dicitur, de iis etiam genus prædicatur. Si Socrates est homo, necesse est eum esse animal. Hoc principium locum habet in affirmatione, non autem in negatione Non enim si lapis non est animal, idcirco non est corpus.

De Specie, Regula I. *Species semper de paucioribus dicitur, quam Genus.* II. Cui species convenit ac tribuitur, eidem etiam genus conveniat ac tribuatur oportet. III. servit pro usu, nam a specie ad genus semper firma est illatio & probatio; ut, Justitia est, ergo virtus est.

De Proprio. Regula I. *Proprium & antecedit & consequitur id, cujus est proprium*, id est convertitur cum sua Specie. II. Cui proprium alicujus rei convenit, eidem etiam id, cujus est proprium, conveniat necesse

necesse est. Et econtra, cui non tribuitur Proprium, ei & id, cujus proprium est, noo tribuitur. Ejus usus magnus est in Expositione sive narratione apud Rhetores; magnam enim orationi copiam suppeditat, ut de eadem multas possimus afferre sententias.

Occasione Prædicabilium, juvat hoc loco tres quæstiunculas expedire. I. Quid & quotuplex sit prædicatum *De omni*. II. Quid prædicatum *Per se* & quot sint modi perseitatis. III. Quid sit propositio de prædicato universali?

Ad I. Resp. Prædicatum *De omni* aliud dici *prioristicum*, quod pertinet ad formam syllogismi; aliud *posterioristicum*, quod pertinet ad materiam veræ Demonstrationis. Prædicatum *de omni prioristicum* est, quod afficitur signo universali, sive jam vere, sive falso, sive necessario, sive contingenter subjecto competat, hæc enim forma syllogistica non curat; tales sunt istæ propositiooes: *Omnis homo vigilat; omnis homo canescit, omnis planta est lapis* &c.

Prædicatum *De omni posterioristicum* est, quod subjecto, & omnibus ejus inferioribus inest, vel absolute & simpliciter, ut in hac, *homo est animal:* vel *non quidem semper, sed statutis* tantum *temporibus, necessario* tamen, ut in hac, *Sol eclypsatur:* vel *plerumq;*, & ex naturali impetu & ordine, nisi obstet impedimentum, ot in hac, *Æstate sunt tempestates; arbores florent; homines canescunt.* Vel denique, oon quidem *positive*, sed tamen *negative*, ut in hac, *Deus est æternus.* Quamvis enim æternitas non conveniat pluribus sub Deo inferioribus (Deus eoim ita unicus est, ut plures repugnent) æternitas tamen secundum se est tale prædicatum, ot si plores Dii essent possibiles, illa *omnibus*, & *necessario*, & *semper* competeret.

Ad II. Resp. quatuor modis dici aliquod prædicatum *per se*. 1. Omoe prædicatum, quod vel *formaliter* pooitur in definitione (ut partes esseotiales) vel *virtualiter* ot ens in definitione omnium rerum; item geoera & differentiæ remotæ) ut in definitione hominis substantia, corporeum sensitivum &c. Denique qoidquid essentialiter de subjecto dicitur, pertinet ad primum modum dicendi *per se*.

2. Quando prædicatum est propria passio subjecti v. g. homo est risibilis. Passio enim aliquo modo pertinet ad essenoam subjecti, quia per *Proprium* subjectum definitur.

3. Primæ substantiæ dicuntur esse *per se*, quia in nullo subjecto, ut Petrus, Paulus &c. Secundæ substantiæ (genera, species) sunt in primis; & accidentia sunt in subjecto, & ideo huc non pertinent.

4. Dicitur *per se*, quando subjectum est causa *per se* prædicati, non vero per accidens, ut in hisce propositionibus: *Ædificator ædificat; Medicus medetur; Sol illuminat* &c. hæc vero: *Medicus cantat, fossor thesaurum invenit, aliquod animal ratiocinatur* &c. non sunt per se quarto modo, sed per accidens. Vbi observa, quod hic quartus modus non pertioet ad modum essendi, sicut tres priores, sed ad modum causandi.

Item: Propositiones, in quibus subjectum de proprietate prædicatur, v. gr. *risibile est homo*, revocari ad secundum modum dicendi *per se*, quia prædicatum pertinet in obliquo ad essentiam subjecti. Propositiones iodirectæ, v. g. *animal est homo*, revocantur vel ad 1. dicendi modum, quia unom extremum pertinet ad alterius esseotiam *identice;* vel pertinent ad propositiones contingentes, contingit enim animali *ut sic*, esse hominem. Quando correlativum prædicatur de altero correlativo in obliquo, ut Pater est filii pater, pertinet ad primom modum dicendi per se; alii dicunt ad secundum, quia terminus ponitur in obliquo in definitione relativi, noo in recto. Hæc propositio, *animal est rationale vel irrationale;* & hæc, *omnis numerus est par vel impar*, spectant ad secundum modum, quia hoc disjunctivum est proprietas animalis & numeri.

Ad III. Resp. Propositio *de prædicato universali* dicitur, io qua posito subjecto ponitur prædicatum, ablato subjecto, aufertur prædicatum. Requiritur itaque ad prædicatum universale. 1. ut sit *de omni*, qualis nnn est hæc; *animal est risibile.* 2. *Per se* & non contingenter, qualis non est hæc: *Nix est alba*, quia sublato subjecto non ideo aufertur prædicatum. 3. Quod conveniat subjecto *qua tali*, & convertibiliter, quales non sunt: *homo est animal, numerus est par* &c. Hæc ergo propositio, *omnis lapis est coloratus*, non est de prædicato universali, quia non convenit lapidi *qua tali* esse coloratum, sed qua mixto, & prædicatum non convertitur cum subjecto. Vide Sfondratum Lib. 3. Log. §. 2.

TRACTATVS XLVI
DE
VENENIS.

NVllo non tempore mirum in modum quantumvis subtilium Philosophorum Medicorumqoe iogenia vexavit admirabilis venenorum natura; neque in hodiernum diem fuit ioventus, qui veras tantarum virium & genuinas causas detexerit. Sunt quippe nonoulli, qui hoc argumentum ob occultos virium recessus impenetrabile atque adeo conclamatum censeant; quidam etsi causas nonnihil describant, uti tamen originem illarum non nisi ex varia ptimarum qualitatum combinatione deducunt, ita audiendi non sunt, quia vel ipsa experientia falsam eorum opinionem esse clare demonstrat. Recole quæ diximus in Tract. XXXIX. de Qualitatibus. Sect. VIII. Nos hoc loco pauca delibabimus ex L. 9. Mundi subterr. solertissimi Naturæ Exploratoris P. Athan. Kircheri in gratiam curiosi Lectoris, cum opera eximia hujus Doctoris io manibus paucorum versentur.

SECTIO I.

De Veneni definitione & differentiis.

I. Venenum nihil est aliud, quam Res non naturalis, quæ quomodocunque tandem corpori humano admoveatur, naturam illius malignitate sua, tota substantiæ dissimilitudine corrumpit & destruit. Dixi, *res non naturalis*, quæ particulæ obtioent locum generis. *Non naturalis* dicitur, quia corpori humano e diametro repugnat. Dico *corpori humano*, ut inde excludantur ooonulla animalia, quæ venenatis rebus vescuntur, uti sturni cicuta, cicooiæ ruberis & serpentibus, ficedulæ scammonea similibusque. Dicitur, *quomo-*

quomodocunque corpori humano admoveatur, ut varia insidiarum tam naturalium, quam artificialium venenorum ratio nobis insinuetur. Natura siquidem venena interdum celare solet blanda & amica quadam qualitate, qua allecti homines ea imprudenter hauriunt. Sic dulcedo quædam in aconito, arsenico & ephemero Colchico reperitur, quæ suaviter introsumpta mortem tandem accelerant. Noverunt hujusmodi qualitates Venefici, qui ad intoxicandos homines simili artificio in cibo potuque præparando utuntur. Sequitur in definitione *naturam humanam malignitate sua corrumpit & destruit*, id est, mistam & misti humani corporis formam vi quadam ei tota substantia dissimili & contraria corrumpit & destruit: & quamvis omnis morbifica causa ex se & sua natura mala sit, quia malum effectum procreat, quia tamen veneni qualitas in summo malitiei gradu posita est, malitiæ nomen per eminentiam meruit; eodem fere modo, quo summum & excellentem putredinis gradum *Libro de Peste* venenosum & pestilentem asseruit Kircherus.

II. Omne autem venenum originem suam trahere ex triplici Naturæ regione, id est mineralium, plantarum ac animantium pulchre demonstrat idem Author, idque ex corporum putredine. Cum enim universa Naturæ inferioris oeconomia in perpetua generationis corruptionisque vicissitudine consistat: generationem vero corruptio, corruptionem necessario putredo sequatur: putredo vero calore fermentata ne otiosa sit, semper vivum aliquid producere attentet; hinc factum est, ut quod putredini inest malignum & venenosa qualitate imbutum, id in se naturali velut magnetismo quodam derivet; atque hoc pacto putredinosum corpus, ex quo nascitur, a sua malignitate liberet, quod nisi fieret, universa telluris substantia hac veneni qualitate infecta, dum continuo propagatur, ingentia & irreparabilia damna naturæ inferret: ne vero aut plantæ aut animalia venenosa jam qualitate imbuta, halitu virulento terram denuo inficerent, ea plerumque in aliorum animalium cibum destinata sunt, unde venenosa qualitas paulatim dissipata consumptaque in nutrimentum animalium quorundam innoxium vertitur.

III. Rursus cum terra basis & fundamentum sit omnium; hinc fit, ut venenum, quod in intimis telluris visceribus ex putredine, ac malignarum qualitatum confluxu nascitur, partim aquæ, partim aeri communicetur; & ne omnia putredine hac contagiosa infestarentur Elementa, mira sane sagacitate Natura ubique de certis plantis insectisque providit, quæ uti ex differenti putredine originem suam trahunt, ita quoque singula ex insito iis appetitu istiusmodi venenum trahunt, & in se derivant, quod ipsis maxime congruum est & συγγένειον: intra terram quidem innumeros vermes, mures, talpas: extra vero omnis generis serpentes, ranas, bufones similiaque animalia venenifera constituit, quæ continuo suctu terram a deleteria qualitate liberarent. In aqueo vero Elemento alia constituit virulentæ qualitatis animalia, uti lepores marinos, loligines, dracones, pastinacas, pulmones marinos innumeraque similia, quæ quidquid intra aquam lethiferum existeret, intra se veluti vivas bursas attractum derivarent; atque hoc pacto ne cum tempore totum inficeretur, a superfluo toxico liberarent; quæ deinde, ne veluti otiosa fine suo carerent, in aliorum piscium escam alimentumque cedunt.

In aere vero, uti ex putredinis virulentæ exhalatione semper quoddam virulentum nidulatur, ita quoque primo de Insectis quibusdam natura providit, quæ putredinoso confluxu, ex quo originem suam traxerunt, in se derivato aerem quodammodo purgarent: cujusmodi sunt, muscæ, aranei, vespæ, omnia alatorum Insectorum genera, ex aquæ putredine ortum nacta, quæ postmodum in hirundinum vespertilionumque & similium animantium alimentum cedunt.

IV. Hinc quoque omnia vegetabilia ex insita malignæ qualitatis putredine, pro diversa plantarum arborumque specie, diversa animalcula generant, non alio fine, quam ut veneno ab iis attracto plantam a pernitiosa qualitate liberent. Quin imo experientia testatur, nullam herbam, sive benignam, sive malignam reperiri, quæ non erucam seu vermiculum generet pro diversitate herbarum & proprietate & viribus differentem, & tanto quidem atrociore veneno imbutam, quanto herba malignioris naturæ fuerit. Hinc tanta vermium, erucarum, papilionumque specie differentium in singulis plantarum, arborumque radicibus, foliis, seminibus, floribus, fructibus exortorum varietas. In pomis quoque, pyris, nucibus, gallis, glandibus, siliquis, leguminibus, singula suos producunt vermes, qui omnes uti ex puri nascuntur, ita quoque majorem minoremque gradum veneni obtinent. Exceptis tamen fructibus acidis, uti Citima, & granata similiaque, quæ quamdiu succo pollent impolluto & incorrupto, animal generare non possunt: secus si abeant in putredinem, uti hæc omnia microscopio licet explorare.

Similiter in animalium Regno videre est, nullum, sive quadrupedum, sive volucrum, natatiliumque genus species, esse, quod non appropriatum vermem generet. Hoc pacto, equi, asini, feles, canes, leones, cervi, & quidquid tandem animalium est, vermes generant. Quamnam causas putas, quod equi, gallinæ, asini & sues; illi pulverum, hi luti delectentur volutabro? nisi quod certis vermibus intercutaneis infestentur: pulveris vero acrimonia verminosa substantia non minus quam volutabro destruatur; quod & de cæteris animalibus pulveratricibus intelligendum.

IV. Nil dicam hic de corpore humano, cujus omnia interiora vitalis Oeconomiæ membra pro *idiosyncrasia* putredinis ad membra comparata vermes differentis speciei generant; quorum nonnulli putredinem, quidam rodendo gangrænam, alii deleteriam qualitatem vitalibus membris inducunt; adeo quidem ut ab hac verminosa substantia, neque cor, neque hepar, neque cerebrum, neque renes, splen, vesica & pulmones, ut nihil de intestinis & stomacho dicam, immunes sint.

V. Mirantur Medici, cur gangræna tam difficilem curam admittat; cujus causam si scirent, forsan congruis remediis facile tanto malo occurrere possent: sunt enim vermiculi arsenicali quadam vi imbuti, qui sub insensibili mole vicinas vivæ carnis partes rodere non cessant, & rodendo carnes in tabum malignitate sua convertunt. Hoc ipsum non ita pridem *Augustus Hauptmannus* in suo Libello *de viva mortis imagine* testatur, in quo luculenter demonstrat, omnes mor-

morbos ex potredine malignante exortos, fuam ex verminofa fubftantia originem habere, addirque, fuiffe in gangræna ex venerea lue exorta per microfcopium obfervatos vermes fere infenfibiles limacum forma, qui intra carnes gangræna infectas non fecus ac vermes in cafeo fodicando fusque deque verterent omnia, & tam velocis generationis, ut onus ejusmodi vermiculus chartæ impofitus fpario, quo *Pf. Miferere* recitari poffet, quinquaginta alios extra corpus ejecerit, qui uti ex fe & fua natura venenofi funt, ita quoque quamcunque carnis vivæ particulam contigerint, infita malignitate in tabum reducunt. Cur itaque non obftante carne viva in gangrænofis refecta, nihilominus malum ferpat, caufa eft, quod vel unicus iftiusmodi vermiculus in ulcere aut viva carne remanens, derepente innumeros fibi fimiles generet, unde hi ferpigine quadam malum fine modo propagant. Vnde acidiffimis acerrimisque liquoribus ad eos interimendos opus effe colligunt.

Si porro putredinem, quæ in variorum animalium cadaveribus elucet, confideremus, comperiemus venenofa animalia, uti ferpentes putrefactos ex fua propria putredine, veluti ex cinere phænicem repullulare; aut fi putredo debiliorem fubierit fermentationem, in aliquam venofam herbam transformari. Nam experientia conftat in iis locis foffisque, in quæ morticina, variorumque animalium cadavera conjiciuntur, utplurimum omnis generis venenofas herbas, uti cicutam, aconitum, napellum, hyofcyamum, afam fœtidam feu cotulam nafci, quæ ut ex venenofæ qualitatis putredine, arfenicali mercurialique imbuta nafcuntur, ita quoque confimilis qualitatis herbas producunt.

Quod idem in non deleteriis herbis contingit; fiquidem ex putrefacto, five hominis, five brutorum cadaverum fpermate, Satyrion, philtricam, fimilesque herbas nafci, quæ radicibus bulbisque, ut & floribus, ea membra exprimunt, ex quorum putredine excreverunt. Quoniam igitur nihil fere in rerum natura exiftit, quod a maligna qualitate prorfus immune fit; hinc nafcitur infinita illa Venenorum differentia, de qua mox.

VI. Tot funt Venenorum differentiæ, quot funt primæ Mineralium mixtorum differentiæ, ita tamen ut quædam mineralia ex fe, & fua natura folum venena proprie dicantur, & ex hujusmodi tanquam bafi & fundamento cætera omnia, quibuscum mifcentur, pro combinationis ratione plus aut minus venenofitatis acquirant.

Sunt autem in fubterraneo Mineralium regno, Arfenicum, argentum vivum, five Mercurius. Cinnabrium Arabice Vfifur, Calx viva, gypfum, Rubrica Synopica, lythargyrium, Ceruffa, minium, ærugo, pyrites, antimonium, rubigo & fimilia, quæ ex fulphure originem trahunt, ficuti jam memoratæ mineralium fpecies: hæ vero miftæ cum variis quadruplici falium differentia & fuccis liquidis bituminofisque fluoribus immenfum fundant venenorum feminarium.

In Vegetabilium regno inter venena potentiffima recenfentur: Napellus, Euphorbium, Cicuta, Aconitum, Tithimallus, lathyris, five catapulia, Scammonea, Colocynthis, Helleborum, Cucumis afininus, Rhododendron, Apium rifus, Thapfia, Hæmorrhois, Stramonium, folanum maniacum, mandragora, pfyllium, plurima fungorum genera. Quæ omnia uti ex fubterreftribus mineralium fuccis, eorumque varia mifcella originem trahunt, ita quoque fingula eorum, ex quibus nafcuntur, proprietates fortiuntur.

In animalium Regno quadruplici; Quadrupedum nempe, Volatilium, Natatilium, Reptiliumque aut infectorum, hæc cumprimis inter venena recenfentur: In animalibus perfectis quadrupedum nullum reperio, quod totam fubftantiam, venenofum, fed quoad partem tantum; uti funt, cerebrum cattorum, fel tauri, fudor nonnullorum animalium, uti cervorum; felium pili intro fumpti, cauda foricum, coagulum leporis, fanguis taurinus, morfus rabioforum animalium & fpuma eorundem; & inter infecta quadrupedia dracones, ftellio five Salamandra, bufo, rubeta, crocodilus, nonnullæ lacertæ mures, & medium inter quadrupedia & volucres vefpertilio.

Inter Volucres, nocturnæ pleræque aves faturninæ naturæ, uti noctuarum diverfæ fpecies nonnihil veneni habent. Infectorum vero aligerum genus omne pene venenofum eft, utpote ex deleteriæ materiæ vapore natum, ut funt cantharides, bruchi, papiliones, mufcæ, locuftæ, cynipes, bombyces, & quidquid denique præter alas compluribus pedibus inftructum eft

Inter Natatilia venenofa cenfentur; lepus marinus, natrix, paftinaca, hirudo five fanguifuga, pulmo marinus, nonnullæ loligines, anguillæ e putridu paludum limo natæ, quædam ranæ, feu bufo aquaticus, ferpentes aquatici, torpedo &c.

Inter reptilia, omnium ferpentum genera: Afpis, phtias, dypfas, vipera, boaceraftes, hæmorrhois, omnia vermium genera, Amphyftæna, Cæcilia; & inter multipedes, fcorpius, araneus, millepeda, fcolopendra. Quæ quidem omnia vel halitu, vel morfu, aut fpiculo, aculeove, aut venenofi liquoris ejaculatione, vel fpuma oris, immediato quoque contactu homines intoxicare folent.

Halitu afpides, dentibus viperæ cæterique ferpentes; fpiculis feu aculeis fcorpiones, tabani, cynipides, apes, & mufcæ quando infederunt cadaveribus venenatis; ejaculatione veneni bufones & cæciliæ, oris fpuma canis rabiofus: nonnulli ferpentes folummodo calcati veneni qualitate homines fiderare comperti funt. Nonnulli quoque fola veneni per medium diffufione inficiunt, uti torpedines, afpides, phtiades. Exempla vide apud Kircherum hic c. 4.

Inter Venena quoque recenfentur peftiferorum corporum lethale contagium. Animalium quorumcunque tandem cadavera five morticina; menftruæ mulierum fordes, ex quibus innumera rebus mala refultant. Omnia denique animalia, quæ tum ex vegetabilibus, tum cæteris animalibus generantur.

Ex hifce 6. Claffibus* venenoforum corporum, & horum malignis qualitatibus una cum alimentis, quibus infunt, omnes morborum fpecies oriuntur.

Prædictorum tabulam Synopticam, præcipuorum nempe venenorum, quibus triplex Naturæ Regnum (Mineralium, Vegetabilium, & animalium fcatet, cum effectibus & Symptomatis, quæ excitant, & una cum remediis unicuique appropriatis exhibet idem P. Kircherus Lib. 9. Mundi

subterran. sect. 2. pagin. 140. quo Lectorem remitto.

SECTIO II.

De Alimenti, Medicamenti & Veneni differentia.

VII. Venenum omnes Medici cum alimento e diametro pugnare asserunt. Medicamentum vero seu ἀλεξιφάρμακον in alimentum, & venenum veluti extrema, medio modo se habere; ab utroque plus vel minus participando: quæ enim inter se summe pugnant, eodem genere participent necesse est, alioquin pugna æqualis inter accidentia esse nequit.

Quare venenum, alimentum & alexipharmacum apud Medicos idem habebunt genus; nimirum ut inter res non naturales ponantur, quas ratione sui effectus causas efficientes vocant. *Res* autem *non naturales* dicuntur, quæ non secundum naturam, nec præter naturam simpliciter existunt, sed tales evadere possunt: alimenta quidem augendo & nutriendo; medicamenta corrigendo; venena vero corrumpendo ac destruendo.

Et ea quidem quæ a natura conservationi destinata sunt alimenta, ut similitudinem quandam cum alito acquirant, a calore innato prius superentur necesse est, antequam in corporibus in substantiam similem converti possint. Medicamenta, vero a calore primum patiuntur, & in actum deducuntur, deinde vero reipsa in corpus agunt, & ipsum ad meliorem statum reducunt. Venenorum vero diversa est ratio: nam sive a calore comminuantur, ut quæ frigida sunt; sive excitentur tantum, uti calida, in corpus agunt, non conservatione aut instauratione, sed totali corruptione. Quemadmodum enim alimentum eo ipso dicitur, quod alere potest, ita medicamenta seu alexipharmaca, quia mederi; & venena seu deleteria (græce δηλητήρια) quia corrumpere ex se & sua natura apta sunt: ac proinde si quandoque prodesse & juvare comperiuntur, hoc tamen non per se, sed per accidens faciunt; quamvis enim alimentum & medicamentum conferunt, aut saltem malitiose non agunt, ex accidenti tamen summam malignitatem inducere possunt totius destructivam.

VIII. Et quamvis Venena proprie alimento contrarietate naturæ opposita sint: Alexipharmaca tamen, etiamsi inter venena quoque recenseantur, ob aliarum tamen rerum mixturam ita obtunduntur, ut omnem suam vim exercere non possint. Vt patet 1. in Antimonio, sandaraca, pyrite, quæ cum terrestrium glebarum haud insalubribus substantiis mixta sint, vires suas oppressas exercere non possunt, ac proinde prius correcta, in medicamentorum usum cedunt. Pari ratione de Colocynthide, Scammonio, Euphorbio, Esula similibusque dicendum est, quæ uti crasso humore constant, ita quoque non adeo efficacia sunt, ut in puris venenis, adeoque in usum medicum prius correcta assumi possunt.

IX. Dico amplius, nullum esse venenum adeo potens & purum, quod prius correctum in usum medicinalem assumi non possit: uti de viperis, bufonibus, scorpionibus, cæterisque serpentibus, quantumvis virulentis constat: viperina siquidem caro theriacæ constituit hypostasin; bufones in efficax assumuntur contra pestem antidotum. Nullum quoque venenum est, quod non in antidotum adhiberi queat in eadem veneni specie, qua quis infectus est: mirum tamen est, venenum unum alteri esse venenum. v. gr. venenum bufonis hominem interimit; araneus vero veneno suo occidit bufonem. Nullum porro est Elementum, quantumvis salubre, quod non putredinem cum tempore generet; nulla vero putredo, quæ non in vermem quendam animetur, qui uti virulentia sua non caret, ita quoque veneni omnis expers non est, quod ipsum vermes ex fæcibus vini ac frumento corrupto intolerabilis fœtoris nati, sat superque demonstrant.

X. Notandum itaque omnem motum effectumque e contrariorum dissidio atque repugnantia nasci. Natura enim dum Mundi hujus universitatem assiduæ mutationi subjecit, simul eam necessario variis dissidiorum generibus, quasi seminibus aspersit, atque 4. rerum primordia, Aquam & Ignem, Terram & Aera contraria instituit, & unicuique quod ex iis ortum processit, aliud quidpiam opposuit dissidii lege: ita morbis ex intemperie contractis, ex temperie vires; morbis ex materia, contrarias materiæ facultates in aliqua specie; & instrumentatiis secundas medicamentorum vires, ex permistione materiæ temperamentique viribus ortas opposuit: imo quod mirabilius est, materiam in una eademque re simplici subinde hanc qualitatum contrarietatem complicasse, complura demonstrant. Hoc pacto pars serosa lactis & butyrosa ventrem subducit: caseosa cohibet & stringit. Iterum, *Galeno* teste, trifolii decoctum morsibus araneæ, aut viperæ pro fomento adhibitum, statim dolores sedat, virusque attrahit: idem vero parti sanæ admotum, dolores similes iis, quos virus facit, excitat. Flores chamomeli olfactu prosunt capitis dolori; folia contra eidem applicata summe nocent. Lapathi folia laxant, semen assumptum constipat. Aloe introsumptum hæmurroidum venas aperit, quas idem foris in emplastri morem applicatum (apud Grammaticos Aloe est g. f.) sanguinem sistendo claudit. Ova liquida, & sorbilia differentem effectum præstant, quam eadem tosta: cujus quidem rei ratio hæc est, quod in herbis una pars majorem humiditatis digestionem habeat quam altera: unde pars plantæ consequenter alium effectum præstat in corpore humano; alium flores in eadem planta, purioris substantiæ, magisque digesti; quarum quidem virtutum differentia artifex calor est (aut verius loquendo instrumentum artificis Spiritus Mundi, ut ignis Coqui) qui pro diversitate gradus alium effectum producit in radice, alium in caule, alium in flore, alium denique in fructibus & seminibus, uti videre est in pomo citrio, cujus medulla intima astringentis est naturæ, & nescio quem mineralem succum exprimit, unde rosiva quadam vi, & frigiditate stomacho nocet; cortex vero calore suo naturali eidem plurimum confert imo uti charactérismo suo naturali cor exprimit, ita quoque eidem mirifice prodest.

XI. Quemadmodum igitur res quædam sunt a tota substantia nobis familiares & amicæ, & quasi naturæ nostræ conservatrices, ut sunt alimenta naturæ nostræ congrua: ita quædam a tota substantia nobis sunt infestæ & inimicæ, ut venena: quorum quali-

qualitates, ideo alii occultas, alii ſpecificas, aut formæ (ideæ) vel totius ſubſtantiæ proprietates dicunt: Sane tametſi vinum, panis, olus, quoad materiam, alimenta nobis multum diſſimilia ſint, quoad formam tamen multum nobis familiaria funt & amica ſimiliaque, eo quod ſpiritum quendam vitæ caloriſque in ſe contineant benignum, ſpiritibus vitalibus oppido proportionatum, cujus appulſu ſpiritus calorque noſter fovetur ſuſtentaturque, tandemque una cum alimento, cui ineſt, in aliti ſubſtantiam naturæ ſimilitudine convertitur, quod primis Elementaribus ſeu manifeſtis qualitatibus adſcribi non poteſt, ergo effectus ille nutritionis neceſſario in ſpiritu ſeu cœleſti illo calore formæ congenio conſtituitur. Vnde nihil nos alere poteſt, niſi & hoc ipſum alatur, ſitque vel fuerit aliquando vita præditum, quod mineralibus non convenit. Vnde pleraque, niſi vegetabilibus conjungantur, ſine nocumento ſumi non poſſunt, cum inanimata ſint, nec ſubſtent nutritioni. Ita P. Kircherus conformiter ſuis principiis.

Huic itaque alimentorum ſubſtantiæ ex diametro opponuntur ea, quæ deleteria, venenataque tota ſubſtantia ſunt, eo quod in nobis benignum & familiare eſt, virulenta & maligna ſua vi, dum omnes humores in ſui ſimilitudinem vertere nituntur, penitus corrumpunt & deſtruunt, ſed media quadam via tendunt medicamenta purgantia, quæ nobis partim ſimilia, partim diſſimilia ſunt, quæ etſi in alimentum nobis non cedant, noſtram tamen naturam non deſtruunt, ſi debito modo adhibeantur, doſique naturæ ſeu complexioni attemperata ſeu proportionata.

SECTIO III.

De Sympathia & Antipathia Venenorum.

XII. Conſenſus (quem *συμπάθειαν*) & Diſſenſus rerum (quem *ἀντιπάθειαν* Græci vocant) non unicos, uti quidam cenſuerunt exiſtit, ſed tot, quot differentia in rerum Natura entia repeꝛiuntur: cum nullum in triplici Naturæ regno mixtum, ſive id minerale, ſive vegetabile, ſive animale exiſtat, quod non cum altero quodam haſce odii, amoriſve leges exerceat, quæ quidem diverſiſſimas operationum ſuarum cauſas ſortiuntur, atque vel ad haſce vel ad iſtas, aliaſve Naturæ claſſes revocantur. In nonnullis concurrunt omnes, in nonnullis aliquæ, in quibuſdam una ſolummodo effectum prodigioſum cauſat. Hujus rei fontes omnino undecim profert doctiſſimus P. Kircherus Lib. cit. de Venenis ſect. 1. p. 112.

Ad 1. referuntur Qualitates primæ, ut vocant, ſecundæ & tertiæ, hoc eſt, calor, frigus, humiditas, ſiccitas. Secundæ, durities, mollities, aſperitas, lævitas &c. Tertiæ, attractio, repulſio &c. II. Claſſis reſultat ex ſubtilium & inſenſibilium vaporum emiſſione, ſive in effluviis. III. ex naturali ſimilitudine & diſſimilitudine contrarios odii, & amoris actus exercet. IV. ex diverſa climatum conſtitutione. V. ex pororum in corporibus conſtitutione, qua unum virtutis profluvium ab alio quopiam emiſſum melius, quam aliud recipit. VI. ex vehementi virtutis imaginatricis motu, quo phantaſtica vis miros ſubinde effectus tum in utero muliebri, tum extra illum in variis objectis producit. VII. Ex metu vacui, quo ſubinde miri in natura effectus naſcuntur. VIII. Ex motu harmonico, quo admirandi quidam motus oriuntur. IX. Ex vehementia paſſionum. X. Ex peculiari cœleſtium corporum influxu. XI. Ex actinoboliſmo ſeu corradiatione corporum, quam proprie magneticam dicit: juxta quam analogice diſcurrendo omnium, reliquarum jam propoſitarum rerum rationes per magnetiſmum veluti in omnibus exiſtentem conſiderat: cum attractio & repulſio, ſive lis & amicitia, conſonum diſſonum, in omni Sympathiæ & antipathiæ negotio occurrere debeat. Sed jam ſingula paulo fuſius repetamus.

XIII. Cum itaque inter humores quatuor Elementares (quos reſpicit I. Claſſis cum ſecundis & tertiis) nonnullæ lites & amicitiæ reperiantur, merito quæri poteſt, qua ratione, aut qua de cauſa hæ peragantur? Maxime cum ſubinde calor quidam reperiatur in animalibus, qui plus poſſit quam vel igneus elementaris calor, ut dum ſtruthio intra unum diem ferrum digerit, quod ab igne niſi longo tempore conſumi non poteſt. Quæritur hujus rei ratio. Reſpondemus id non ſolo calore fieri, cum calor ſtomachi in animalibus valde temperatus ſit: ſed eſſe in illa volucre calori ſtomachi quidpiam adjunctum, cujus virtute extimuletur, idque ex genere ſalis eſſe, ſive id nitri, ſive aluminis, ſive vitrioli, quibus hujusmodi animalia plurimum pollent, qui ſal calore excitatus, idem præſtet in ſtomacho ſtruthionis, quod dicti ſales, præſertim vitrioli, extra ſtomachum in qualibet lamina ferrea præſtant. Spiritus enim vitrioli ei affuſus intra paucas horas id rodit & exedit, experimento vulgo noto: calor enim naturalis, quo ſtomachus a natura imbuitur, in ſalinam volucris materiam agens, ſpiritum ſalium in ea latentem, veluti ſublimat, ad eam efficaciam, ut hunc effectum præſtare queat, id eſt ferrum conſumere. Materiam vero hanc avibus ineſſe, excrementa eorum luculenter demonſtrant, quæ cum tempore tota in ſal nitrum efflo reſcunt.

XIV. Atque hinc colligimus, cur omnes volucres, etiam aquis aſſuetæ, calidiorem ſtomachum habeant, quam cætera animalia quadrupedia, quia videlicet efficacioribus ſalium ſpiritibus pollent, quibus non ſolum oſſa, & quævis dura, ſed & ferrum, æreos nummos, ut corvi, gallinæ, anates &c. digerant, aut ſi non concoquant, ita ſaltem expurgant, ut in excrementis non ſecus recentes appareant ac ſi ex monetario prodiiſſent modo cuſi.

XV. Secundum Sympathiæ & Antipathiæ fundamentum conſiſtit in ſubtili quodam vapore & prorſus inſenſibili, qui emittitur a nonnullis rebus in objecta præſentia. Atque hoc pacto omnia faſcinorum genera proveniunt. Hoc pacto amantes mutuo ſe inficiunt, emiſſis ex oculis ſpiritibus quibuſdam ſubtilibus, qui ex ſanguine, atra & flava bile corrupto elevati, per philtricum oculi organum in rem amatam, diffuſi, ſæva Symptomata excitant, modo amoris, jam inſaniæ, paulo poſt indignationis, aut timoris, derepente gaudii, quæ omnia a ſpiritibus in alieno ſubjecto variæ contaminatis, & pro varia affectionum pugna impulſis, diſſipatiſque oriuntur.

quamcunque rem sibi proportionatam, ut statuas in Ecclesia; candelabra similiaque ad prodigium usque movet. Causam horum reddit Idem Author in sua Musurgia.

XXI. Septimo Certorum corporum quoad poros constitutio facit, ut similia in ignem conjecta, calorem non recipiant, quod homines causæ ignari summe admirantur. Vbi enim per poros angustos igni nullus aditus conceditur, ibi rem frigidam manere necesse est, cum igni non in superficie, sed in intima substantia receptus calorem efficiat. Vnde licet calor in extrinseca superficie nonnihil agat, frigus tamen intus latens virtute sua, mox si quidpiam exterius caloris productum fuerit, e vestigio tanquam sibi contrarium destruit, ut de Adamante fieri referunt. Ita Kircherus. Supponit ergo calorem consistere in particulis igneis corporeis, quæ non nisi per poros subire corpora possint, qui pori sint improportionati, aditum negabunt: quod si ita, quid opus allegare frigus intus latens, & retundens calorem, si angustia pororum id per se præstare sufficiat?

XXII. Octavo Corporum naturalium corradiationes, de quibus egimus Tract. XLIII. Sect. IV.

SECTIO IV.

Quot modis in homine venena nasci possint.

XXIII. Quemadmodum ignis beneficio contra frigoris violentiam nos defendimus, eo fovemur & conservamur: ita quoque non desunt in eo nonnullæ impressiones noxiæ, quæ quem conservare debebant calorem nativum, debilitent, consumant & destruant. v. gr. ambulat homo quispiam in Sole, igni camino assidet, ignem coquendo digerendoque tractat, nescit tamen in aere ab ignis calore suscitari quosdam virulentos habitus, quibus haustis, statim venenum præsens invadit calorem radicalem veneno tota substantia contrarium. Solet nonnunquam contingere ut Nautæ & agricolæ comportatis undique sarmentis ignem, vel ciborum parandorum, vel se calefaciendi gratia, exstruant: Accidit itaque exstructo rogo, quosdam mox gravi dolore capitis perculsos, insaniam & phrenesin incurrisse, nonnullos statim extinctos, alios ægre tandem evasisse, ita de Neapolitanis, nautis narrat *Porta libro Phytogn.* Cujus rei causam cum examinassent, invenerunt tandem, Nautas ex fumantibus Rhododendri (quod virulentissimum fruticis genus est) fatioentis dicta symptomata incurrisse: flores habet aspectu jucundissimos, albos rubrosque, tantæ tamen virulentiæ, ut si in cisternas conjiciantur, integræ alicui communitati exitium creare possiot. Quam facile suffocent homines carbones in loco clauso succensi, aut ceræ vapor, fusive stanni, innumera exempla docent. Vt nil dicam de iis, qui alchimicis operationibus operam dant, quam sæva subinde ex spiritibus metallicis symptomata incurraot, nisi summa cautela & optime armati, operationes peragant. Certe plerosque vel phtisi, vel atrophia aut paralysi tandem extingui, experientia docuit. Ignis itaque summopere nocere potest, Novi pictores, inquit Kircherus, qui eo quod inter pingendum penicillum auripigmento infectum, ore ex mala consuetudine diutius detinuissent, horrendos & plane exitiales morbos incurrerint.

Secundo procedamus ad Aerem, qui quot quantosque venenosæ sobolis fœtus in nobis pareat, epidemici morbi, & pestilentia sat demonstrant, nihil enim aere venenosis impressionibus opportunius: cum quidquid ex terra virulentum deleteriumque exhalat, id immediate aeri communicetur, quem cum perpetuo spirare, & respirare cogamur, tot necessario in nobis diversa, morborum malignorum genera fundantur, quot diversorum venenatorum vaporum differentes species sunt. Quæ vero aerem inficere suo vapore solent, ad sex fere capita referuntur, suntque I. Aquæ stagnantes, ranis, serpentibus, variisque insectis pestiferis scatentes. II. Loca sulphureis, aut arsenicalibus vaporibus, cæterisque noxiis mineralibus habitibus referta. III. Loca quæ morticiniorum, cadaverumque virulenta putredine squalent. IV. Quæ noxiis ventorum flatibus exposita sunt. V. Vbi copiosa veneficarum plantarum, uti napelli, cicutæ, hyoscyami, veratri, solani, stramonii propago viret; hæ siquidem Solis percussæ radiis in vaporem resolutæ, eo aerem mirifice inficiunt, præsertim si post occasum solis hujusmodi loca adeantur. VI. Epidemica lues, qua subinde Provinciæ integræ, urbes & oppida incolis privantur.

Tertio sequitur Elementum aquæ, quod sane tanto atrocius in genus humanum sævit, quanto virulentiores, tum ab halitibus subterraneis, tum a propriæ substantiæ putredinibus impressiones recepit, adeo ut tum illud inito cum terra conjugio, paranympho Sole majorem venenatarum rerum copiam & varietatem, quam salubrium excludat, merito quispiam dubitare possit, quarum virulentia aqua tincta, emissione vaporum uti aerem perpetuo tingit, ita aer ab hominibus inspiratus, veneni paulatim semina plantat. Vnde nisi Divinæ providentiæ dispositione mare salsugine imbutum fuisset, Geocosmum putredinem copia & varietate ioterite necesse fuisset. Noxæ vero, quas ex aere provenire paulo ante docuimus, & aquæ accommodari possunt. Hinc innumeræ infirmitates ex aquæ potu proveniunt, præsertim iis, qui ex stagnaotibus fossis eam inconsultius hauserint. Cum enim immotæ putredinem protinus concipiant, ex putredine vero varia nascantur venenata animalia, uti ranæ, serpentes, vermes virulentia exitiales, uti hirudines similiaque, quorum spermatica corpuscula, quæ per totius aquæ substantiam diffunduntur, ita illa ingentes intra corpus a sitibundis assumpta ruinas machinantur. Exempla cum passim sint obvia, hic afferre supersedemus.

Quarto Terra, uti omnis generationis mater statuitur, ita quoque perpetuo sua nobis exhalatione malum machinatur, omnis Veneni, & malignantis Naturæ impressionum origo, ut nun iam matrem, quam humani generis Novercam a Natura constitutam fuisse, dici possit; cum virulentis mineralium halitibus inceffanter, & aereum aqueumque Elemeotum infestet, nec hisce contenta, intra intimas quoque herbarum fibras, ubi se insinuatir, tot noxiis sociata qualitatibus sævit, ut unde per alimentum conservationem sperare debemus, inde mortem incurramus, cum vix plantula sit, quæ non aliquid virulentum sibi adnexum connatumque habeat; ex vermibus erucisque, quas singulæ sibi proprias generant, sat demonstratur, quæ a nobis in alimentum sumptæ, non ita nativi caloris efficacia consumuntur, quin semper relinquant nonnihil alicui substantiæ contrarium pertitiosumque, quod ex frequenti usu augmentatum, tandem in fe-

bres malignas, morbosque exoticos pro malignantis naturæ conditione erumpat. Cujus quidem rei ratio alia non est, quam verminosa quædam, quam sub insensibili plantarum fructuumque putredinis tegumento absconditam tenet, substantia: quæ utique tanto perniciosior est, quanto virulentioris naturæ fuerit, uti in plantis venenosis accidit, quas dum inconsiderata præcipitantia pro salubribus herbis nonnulli assumunt, non infrequenter mortis cum vita commutatione persolvunt; cum nihil facilius sit, quam ab inexpertis cocis pro petroselino cicutam, pro carduo benedicto hyoscyamum, pro primula veris mandragoram, pro plantagine veratrum, pro buglossa barbam Jovis, dictarum herbarum similitudine deceptis, arripere.

Quinto Restant animalium, quæ in usum nostrum cedunt, nocumenta, quæ si vel minimam putredinem concipiant, illa in alimentum sumpta, ex innata putredinis fœcunditate, mox in insensibilium vermium copiam pullulascunt, quæ tum minime veneni expertes sint, nobis primo quidem inadvertentibus, id veluti intra favillas quasdam absconditum, successu vero temporis, vires paulatim acquirens, tantum excitat incendium, ad quod extinguendum universa Machaonis officina vix sufficiat; unde omnis putridæ carnis esus vitandus, earum potissimum animantium partes, in quibus venenum ut plurimum a natura pulsum nidulari solet, ut sunt caudæ, cerebra in rabiem actorum animalium; bilis enim effervescens dum aduritur, semper ad perniciosam quandam qualitatem disponitur, uti exempla eorum docent, qui felium in rabiem actarum cerebrum loco cuniculorum ab improbo caupone mensæ appositorum dum comedissent, postera die in rabiem acti & ipsi, infelici sane sorte vitam suam furiosa morte concluserunt.

Quantum ab insectis, quæ subinde coquorum incuria intra lebetes eduliorum incidunt, mali nobis insfet, haud infrequentes casus docent: si præterea ollæ, sartagines & cacabi ex aceto carnibus superfuso æruginem contrahunt, dici vix potest, quanta in nobis mineralium haud absimilia symptomata proveniant. Vt nihil hic dicam de venenato animalium morsu, uti serpentum, scorpionum cæterorumque insectorum. Nihil de quarundam immundarum volucrum esu, eorumque piscium qui putrido stagnorum limo aluntur, hi enim uti virulentia sua non carent, ita velis remisque vitandi sunt, ut proinde non sine ratione ea in sacris literis prohibeantur. In hanc autem miseriarum abyssum Protoparentes nostri totum genus humanum per intemperantiam suam ex summo felicitatis fastigio, io quo Deus eos constituerat, præcipitarunt, omniaque elementa contra se armarunt, ut in generis humani vexationem, ultimumque exitium quasi conspirarent.

SECTIO V.

Quædam aliæ quæstiones circa Venenorum antipathiam & causis eorum; item cur venena quibusdam animalibus non noceant &c. enodantur.

XXIV. Quæres: I. Quæ causa, quod venenum alteri veneno inimicum & totios substantiæ dissimilitudine contrarium reperiatur, uti bufonis & aranei experimento notatum? Resp. Causam esse diversitatis veneni utriusque animalis ortam ex eo, quod venenum bufonis vel rubetæ prorsus terrestre fit, ex corrupta putredine & virulento terræ muco ortum; aranei vero venenum sit aereum, subtile ac spiritu turgidum, ex aere, sive murorum lignorumque putridorum poris rimisque natales suos habeat: hinc fit ut aranea spiritibus deleteriis, & mineralium succis plena haud dissimile gignat venenum, quod mox ubi rubetæ corpori immiserit, id pro ea, qua pollet, subtilitate, totum rubetæ venenum sui juris jam factum, in suum venenum convertat, atque adeo rubetam alieno tota dissimilitudine substantiæ veneno infectam prosternat. Cum iterum venenum bufonis humido-frigidum quoad sensum sit, non ex primis qualitatibus ortum (nullum enim formaliter frigidum, sed omnia calida esse, secundum specificam quandam proprietatem formæ seu ideæ suæ existimamus, alias enim calidissima frigidissimum, & frigidissima calidissimum expugnare contra experientiam possent: quod pariter de sicco & humido intelligendum.) Araneæ vero venenum cum pariter totius substantiæ dissimilitudine siccum & calidum sit, utpote ex minerali deleteriæ qualitatis vapore, calci murorum, lignorumque fissura inexistente exortum, non est mirum, ex hujus ignea quadam vi pollentis veneni efficacia, bufonis venenum prorsus contrarium consumi, destruique, quod variis experimentis comprobatum est. Si quis enim acetum, quod radicarum vocant, in aqua lithargyrii præcipitarit, videbit quomodo aqua lithargyrio latentem non duntaxat destruat, sed prorsus in lacteum colorem omni consumpto veneno convertat: simili prorsus modo in antipathia venenorum fieri censeas.

Mira antipathia, & jucundum spectatu duellum est inter viperam & cattum nisi enim hic viperæ caput uno ictu unguium præcidat, succumbet si a vipera morderi contingat. Quod & in vegetabilibus cum admiratione videre est: si enim napellum circa Taxi venenosæ arboris radices plantes, Taxum napelli virulentia, vel intra unam septimanam veluti tabo quodam confectam reperies. Quod enim inter venena, sive id in animalibus, sive vegetabilibus consideretur, potentius & actuosius est, id reliquum debilius ut plurimum conficit. Atque hinc nascitur naturale illud rubetæ & aranei, mustelæ & bufonis odium. Quod vero bufo bufoni, serpens serpenti ejusdem speciei non contrarietur, id fit, quod venena ejusdem sint naturæ, quibus tantum abest ut sibi noceant, ut potius sese mutuo veneno omnibus ejusdem speciei communi foveant & conservent.

Illud quoque notandum, omnia fere mortiferorum serpentum venena non nisi veneficæ facultatis intensione aut remissione differre, uti ex symptomatis singulorum clare patet. Hæc autem intensio aut remissio non alio modo exsurgit, nisi vel ex locis virulentis evaporationibus noxus: evaporationes vero noxiæ non oriuntur, nisi ex supramemoratorum mineralium fumis noxiisque halitibus mucilagini terrestri mixtis, & halitus quidem subterraneus ignis intra terram exaltat; extra vero Solis æstus conceptam ex dicta miscella putredinem in serpentem animat, tanto utique perniciosiorem,

rem, quanto putredinis miscella fuerit calore Solis magis adusta. Vnde in Regionibus calidissimis virulentissimi serpentes, uti sub Zona torrida in India, Arabia, Africa & America. In Italia paucæ Aspides, nullæ fere Dypsades, phtiades, sepes, hæmorrhoi; multo minus in Germania cæterisque partibus ulteriori Septentrioni subjectis comperiuntur. Hinc si quæ reperiantur in Germaniæ solo viperæ & serpentes, illorum virus multo debilius est quam illorum qui in Italia nascuntur, ita quoque viperarum istiusmodi caro in confectionem theriacæ assumi non potest. Caliditas vero dictorum venenorum minime eadem censeri debet cum caliditate Elementorum, sed alterius qualitatis a primis & manifestis qualitatibus specie differentis (quæ item de humido & sicca intelligenda, ut pulchre ostendit Kircher. L. 9. Mundi subterr. sect. 1. de venenis, consectario IV.

Quod autem venena multa sanguinem coagulent, & quasi congelent, id provenire non ex frigore veneni, censendum nisi per accidens, nempe ex eo, quod venena hujusmodi introsumpta caliditate sua naturali illico calorem naturalem, spiritusque vitales in sanguine latentes invadant & destruant; hinc luculenter patet calore, spiritibusque consumptis, sanguinem coagulari, hominisque frigidam constitutionem remanere ex consequenti, qui quidem non veneni frigidi, sed sanguinis, spiritusque a virulento calore privati, effectus sunt: amarus autem sapor, non frigidi sed calidi effectus est, *teste Philosopho*, qui omnes aquas vehementer a Sole decoctas, adustasque humido subtili per attenuationem alteratio, & salis fixi sedimento remanente, amarascere dicit.

Iterum cicuta, hyoscyamus, helleborus sumpta in furorem agunt; qui si frigidorum effectus esset, ratio non foret, quominus frigidæ herbæ, portulaca, cucumeres, citrulli, similiaque, eundem effectum præstarent, quod tamen experientiæ repugnat. Ex calido itaque dictis inexistente specifico mira hujusmodi symptomata prodire, certum est. Accedit, quod odor vehemens, aut melius loquendo, putor fœtorque exoticus non frigidi, sed calidi ex putredine effectus convincatur esse; cum odor succusque malignus, putorque non nisi ex calore excitetur, uti ex omnibus ambustis apparet: aqua autem, glacies, cucumeres, portulaca, utpote formaliter frigida, nisi putredine corrupta fuerint non olent.

At Dices, Argentum vivum in naturali sua consistentia actu frigidum esse vel tactus experimento constare. Resp. Argentum vivum omnium venenorum calidissimum esse, rametsi tactu frigidum sit, eo modo, quo piper etiam æstivo tempore frigidum est, quantumvis ex se & sua natura calidissimum sit. Nec est formaliter humidum aqueum, sed ex pinguedinis sulphureæ a natura ei insita fluxibilitate promanare; unde nulli rei adhæret, neque ut humidum elementare defluit, sed partes partibus ita connectit, ut quamvis separatæ, nulla tamen vel minima particula perdatur, sed in globulo protinus convoluta, conservationi suæ undique studeat. Omnis autem pinguedo, non frigidarum; sed calidarum inflammabiliumque rerum numero adscribitur. Quod ita probatur Tanto quidpiam intensius calidum est, quanto in tenuiorem substantiam magis resolubile est: sed argentum vivum in tenuiorem substantiam est resolubile quam ullum mixtum, ergo, maj. patet quia lenitas & attenuatio rerum a calore, condensatio a frigore procedit. min. prob. Argentum enim vivum totum quantum, nullo sui sedamento relicto, ignis ope in vaporem abit subtilissimum, & frigore ambiente in primam substantiam nulla substantiæ suæ jactura revertitur, ergo vehementissimo calore pollet, & quidem specifico. Si enim aceto & sale ammoniaco in salem sublimetur, tum enim vero nova causticæ facultatis acquisitione ita furit sævitque, ut nulli in rerum natura veneno cedat: causticam vero vim non frigoris sed caloris effectum esse, quis non videt?

XXV. Quæres 2. Quomodo venena animalium hominem inficiant & interficiant? Resp. Juxta principia Chymistarum, qui omnia nascibilium rerum genera ex primitivis mineralium specierum principiis, hoc est, ex sulphure, mercurio & Sale eorumque spiritu originem suam trahere per artem spagyricam se putant demonstrare, quæstionem hanc sat commode resolvi posse: hæc enim quando harmonica quadam proportione in mixtis attemperata sunt, in optimo sanitatis statu hominem constituere dicuntur; si vero quandoque caloris, aut frigoris, sicci aut humidi contrarietate, excessuque unius ad alterum in dissonam constitutionem labantur, tum enim vero statum discordiæ nascuntur semina. Nec quispiam putet omnia ex quatuor elementaribus humoribus originem habere: later enim sub hisce aliud quidpiam cujus 4. rerum principia non nisi quædam quasi vehicula sunt, nempe mox indigitata nomine Sulphuris, Mercurii & Salis, quorum spiritus merito aeri comparari possunt, & ex hisce tanquam causa materiali omnia constare supponunt. Cum itaque Ignem elementarem dicunt, sub eo semper aliquid distinctum ab elementis latere concipi debet, quod illi caliditatem & siccitatem conferat, & hoc Sulphuris nomine compellant: si aquam proferunt, semper eidem aliquid subesse concipiunt, quod illi humidum conciliet, & huic indunt nomen Mercurii. Sal denique inest Elemento Terræ, utpote quod illi siccitate sua fixam consistentiam præbeat, quorum unumquodque dictorum spiritu suo pollet in omnia diffuso, quem aeri comparant. Atque ex hisce omnium, quæ in mundo sunt, mixtorum genera, auxiliariis elementorum copiis sociata, compositionis suæ rationem ducere asserunt; cum enim in rerum natura purum elementum non concedatur, sed corpora elementata sint, ex Sulphure, Mercurio, Sale eorumque spiritibus mista tam certum putant ut nemo inficiari ausit, nisi qui dictorum spagyrica arte ab omnibus mistis singula in sua principia resolutorum separationem nunquam viderit. Quid autem de hac opinione sentiamus, Tract. XXIII. videre est.

Interim ex hypothesi loquendo, quemadmodum ista tria ab omni impuritate defæcata, utpote naturæ congrua, ad salubrium mixtorum constitutionem concurrunt; ita impura & veneficis qualitatibus

taribus imbuta, pixides mortis non immerito vocari possunt, a quibus nempe, mediante Terræ putredine, quidquid in sublunari mundo vitiosum, corruptum & deleteriæ qualitatis reperitur, suam compositionem sortitur.

XXVI. Restat ergo quæstio, qua ratione intra microcosmum hujusmodi veneficæ proprietates operentur, & quomodo harmonicum humorum temperamentum dissolvant? v. gr. Quomodo serpentes lethiferi in nobis venena producant, totius vitalis substantiæ destructiva?

Respondeo, hoc fieri ex dissimilitudine veneni a serpente fusi, tota substantia contraria vitali microcosmi substantiæ: dependet autem hæc contrarietas ab efficacia mercurialium aut arsenicalium spirituum, quibus nunc hic, nunc alius quispiam serpens pollet, qui spiritus uti efficaciores sunt, quam ut illos nostri spiritus vitales aut animales calore nativo superare valeant; hinc tyrannica quadam violentia mox ac sese morsu, aut halitu, aut alio quovis modo intra corpus insinuaverint, susque deque vertunt omnia, ac non secus atque incendium, ubi vires acquisierit, confestim corrumpunt omnia, destruunt & in cinerem convertunt: eodem prorsus modo veneni vis semel intromissa, nisi vel ad primum portæ introitum ei obsistatur, veloci suæ facultatis propagatione confestim totius microcosmi arcem, id est cor petit, quo expugnato, jam veluti de victoria triumphans, omnia sui juris facit, cum ultimo Regni microcosmici exterminio.

XXVII. Quæres 3. An singula membra inimicum sibi venenum habeanr?

Respondeo quod sic. Sunt enim tot differentia venena, quot differentia in corpore humano membra ac partes sunt: ita nonnulla venena, potissimum primæ classis (qualia Arsenicum, Mercurius sublimatus, Aspidum, dypsadum, phtiadum &c.) ad cor principaliter confluunt; quædam cerebrum maxime impetunt, alia hepar: non desunt, quæ miro modo renes & vesicam, alia in sanguinem tyrannidem suam exercent. Quæ cor vitæ fontem petunt, sunt omnia Arsenico-mercurialis proprietatis venena, sive plantas spectes, sive animalia. Quæ cerebrum impetunt, sunt veratrum, mandragora, solanorumque species, hyascyamus, stramonium, quæ introsumpta insita sua virture, humorem massa resoluta ingenti fumorum conglobatione cerebrum petunt, unde iis lethargus, stupor mentis, sudor frigidus, quæ si acredinem adjunctam habent, meningum vellicatione incensioneque in phrenesin quoque & maniam sollicitant; quem effectum eum magnesia saturnina quoque præstet, ex hujusmodi spirituum tinctura eam quoque participasse verosimile est. Quæ vero pulmonem vitiant, sunt pulmo marinus, qui solo tactu δυσπνοίαν, anhelitusque difficultatem confert. Est autem pulmo marinus, putidum & virosum animal, nauseam vel solo aspectu procreans, instar utris aquis innatans, in quo nec oculos nec os se deprehendisse diligentissimo examine refert P. Kircherus dum Narbonensem lustravit Provinciam, totum utrem diceres ex genere exanguium sed venenosorum, quorum copia in lacu quodam salso prope Narbonam, qui per canalem 12. milliariorum ex mari derivatur, alitur. Quod autem solo tactu pulmones inficiat, inde fit, quod vaporem virosum mercurialis salis adusti malignitate fœtum, si vel solis digitis prematur, de se emittat. hic vapor vicinum aerem inficit, iste anhelitu attractus statim ad membrum sibi sympathicum se confert, ubi malignitate sua statim resolutione humidi, pulmonibus ea accidentia adfert, quæ hoc malo infestati experiuntur: idemque præstare videtur, quod Mercurius præcipitatus, una sali vehementer adusto mistus in pulmonibus præstat; ex hujus enim vapore, qui inficiuntur, plerumque in phtisin incidunt; uti passim aurifices experiuntur.

Simili de causa Cantharides, ubi vel introsumptæ, vel etiam manus calore excitatæ fuerint, statim vesicam petunt, eamque una cum sanguinis mictu exulcerant: Est enim virus subtile & spirituosum salis adusti, quo cantharidum corpus pollet, effluvium calore suscitatum, quod ad salsuginosum vesicæ humorem miro quodam magnetismo, tanquam sibi corpus analogum confluit: quoniam vero hic salsugineo humore vesicæ efficacior est, hinc fit ut eum sui juris factum subigat, unde & corrosio, & ex corrosione sanguinis mictus ut oriatur necesse est.

Alia vero venena, dum plerumque virus suum per sanguinem, aut spiritus vitales fundunt, mox, uti ex humido & calido subtili constant temperamento; ita illud quoque protinus hominem corripit, suoque complexu obruit stupefacitque, unde cessante calore & motu animal interire oportet.

Vel etiam nonnulla subinde venena ita sanguinem, spiritusque animales exagitant, ut dum contraria sibi fugiunt, intra venas arteriasque recepta, ibidemque malignitate subsequentis hostis intercepta, in febres malignas degenerent, unde mors; vel etiam quædam venena mercurio-arsenicalia, uti virture rosiva omnia interiora corrodunt & lancinant, ita quoque mortem ei conciliate necesse est, uti ex hæmorrhoi veneno Mercurii sublimati vi pollente patet.

Quomodocunque tandem combinentur atroces venenorum effectus, certum est, illa non nisi ex Arsenici, Mercurii, saliumque depravatorum, quibus venefica animalia pollent κατὰ τὸν μαγνετισμὸν quendam provenire, atque horum cum humani corporis antipathiam aliter concipi non posse, vel ipsa infallibilis experientia docet, quod venena ab animalibus lethiferis infusa corporibus melius extrahi non possint quam medicamento ex ipso animali confecto; ita morsum viperæ vipera, scorpionis puncturam scorpius superpositus & innumera alia scilicet per similium attactum sanat. Antipathia vero ad dicta, sive humores sive membra infecta considerari non debet, nisi per excessum virtutis qua suum sibi analogum obruit, & in depravati sibi veneni naturam convertit. Sed de his satis.

TRACTA-

TRACTATUS XLVII
DE
VITA.

NEmo miretur, quod specialem tractatum de Vita instituamus, cum alibi jam fuse de anima disputaverimus: nec enim idem est vivere, ac animari, nam Primum Vivens Deus, & Angeli vivunt non tamen ab anima vitam habent. Hic igitur conceptum metaphysicum Vitæ in genere inquirimus.

SECTIO I.

Quid sit Vita, quid Mors.

I. Vita dicitur a vi, hoc est essendi virtute potestateque: ea igitur ratione, qua sunt entia cuncta, vivunt: & ubi sunt, & de quo sunt. Solus igitur de se, & per se, & in se vivens DEUS est vita immortalis, semper eadem sibi permanens, immutabiliter omnino, quoniam non est particeps alicujus Nihilitatis, ergo nec mortis. Quæ autem a se, & de se non sunt, vitæ sunt in quantum ille, qui de se est, dat ut sint, vivantque: & quoniam ut divus probat Athanasius contra Arianos, & Justinus Martyr contra Platonicos, quæ a se non sunt, nec de substantia ejus, qui a se est, sed ex non præexistentibus & e nihilo, ea coæquari semper existenti a semetipso non possunt. Etenim præcedit eorum Non-esse ante eorum esse; propterea mortalia sunt omnia. Sicut enim potuerunt aliquando non esse, sic etiam poterunt aliquando non esse, si voluerit qui dat esse subtrahere quod dat esse, & per ejusdem voluntatem possunt perpetuari. Scimus autem illi placere quod melius est, unde optima speramus. Retinent autem quæcunque a se non sunt æternaliter, sigillum suæ Non-entitatis, ipsam scilicet mutationem. Non enim semper eodem modo, ac sibi ipsi semper eadem permanent; sed mutantur, aut in substantia, aut in qualitate. aut in quantitate, aut in operatione, aut in actione & passione. Maxima autem mutatio est in substantia, & hæc proprie absoluteque vocatur MORS.

Cæteræ vero *secundum quid*; omnis siquidem mutatio aliqua mors est. Considerandum est enim, quod in omni mutatione intervenit generatio & alteratio, & motus localis, & omnis mutatio simul. Nec ulla absque altera perficitur. Hinc recte dixit S. Augustinus, & cum eo S. Bernardus omnem mutationem esse aliquam mortem. In substantiali mortem substantiæ, in accidentali accidentis, in motu locali, est mors existentiæ in hac parte loci, vel situ, & generatio existentiæ in alio, & mors quietis, & vita motus: & in mutatione relativa moritur similitudo & dextreitas, nascitur dissimilitudo & sinistreitas: in quantificatione moritur parvitas, nascitur magnitudo, & econverso, & in transformatione perditur informitas & præcedens forma, ut sequens nascatur.

II. Videtur tamen maxime Mors esse Compositorum. Cum enim nec materia corrumpatur, nec forma ideans materiam, neque Primalitates, sed modus & existentia istorum, qui modus atque existentia nascitur ex copula idearum cum materia, atque sigillatione materiæ: consequens est ut compositi & compositionis & existentiæ ipsorum, hujus & illius, sit proprie mors.

III. Cæterum Vitam vulgo dicimus naturalem societatem permanentem animæ cum corpore; mortem vero eorum separationem. At quoniam anima (rationalis) etiam quæ post mortem permanet, vita dicitur tenuis sine corpore apud Virgilium, & vitam corpori, dum inest, dare anima dicitur, non autem ecoontra; profecto in essentia animæ consistit. Essentiatur autem anima potestate essendi, sensu essendi, & appetitu essendi (quæ sunt 3. Primalitates de quibus egimus Tractat. XXXIII.) ac proinde operandi. Quod si vel unum primordiorum istorum desit, vita extinguitur; & hoc Medicina attestatur. Cum enim pulsus omnino deficit, qui est *Potestativi* actus, moritur animal. Similiter si deficit sensus totaliter; aut appetitus totaliter, mors adest. Cum autem vis, aut cognitio, aut appetitus, morbus fit, qui via est ad mortem.

Propterea Deus, quia potentissimus, sapientissimus & amorosissimus est, dicitur vivus, verus & sanctus. Et dicit Joannes Evangelista, in hoc valde laudatus ab Avicenna & Averroe, *Quod factum est in ipso vita erat.* Etenim (ait Avicenna) triangulus qui creatus non vita, sed accidens vitalibus corporibus, in Deo tamen est vita, & idea omnium triangulorum. Apud nos quidem vitam habere dicuntur solum animata. Ergo solum plantæ & bruta & homines: quorum vivere est esse, inquit Aristoteles. At cum vita ipsorum sit ab Elementis, profecto vivere etiam oportet elementa: itemque cœlestia corpora; de quibus teste Origene & Hieronym. dixit Ezech. 1. vers. 20. *Spiritus vitæ erat in rotis*, quorum motus naturalis est index. Ea enim moventur quæ habent in se principium motus, & quæ appetunt, & sciunt motu se aliquid acquirere, vel fugere, vel sese conservare. Unde Ventus compressionis mortiferæ sibi impatiens, motum impetuosum edit, ut effugiat mortem; spatiumque amplum, vitale tenuibus rebus, quibus mors est compressio, nanciscatur: vitam antiqui ex sensu & motu indagavere, ut Aristot. & Simplic. in 8. Phys. testantur.

IV. Vulgo receptum est, ut ea vivere censeantur quæ seipsa movent, hoc est motu provenienete ab intrinseco: sin hoc verum, vivent, omnia composita physica constante ex materia & forma; hoc ipso quod suam quodque habeat naturam quam Arist. definit, principium motus & quietis ejus in quo est per se &c. Interim intellectu difficile est, quomodo planta sei-

 psam

psam moveat, non item flamma aut ignis. Fontem quidem vivum dicimus, ubi continenter fluit; & carbonem accensum indem vivum appellamus: sed voces illæ sunt metaphoricæ: nos hic proprias inquirimus; & cum univocum conceptum vitæ hactenus a nemine datum legerim, analogo contentus ero.

V. Præterea, cum calor, Tellus & aqua & aer conjunctim vitam animalium constituant: unde Deus Telluri & Aquæ ut educant animas viventes & animalia jubendo, ostendit in eis vitas esse: præcipue autem spiritus vitæ dicitur aura indita corporibus apud Moysen & Prophetas. Ecclesiasticus autem ait in cap. 43. loquens de Cœlo & terra & cunctis rebus elementatis. *Omnia hæc vivunt, & in necessitate obediunt Deo.* & S. Hieron. *Omnis creatura sentit creatorem*; & D. Thom. *Omnis creatura, etiam quæ videtur insensata nobis, magis amat Creatorem, quam seipsam.* Et Christus: *Deo omnia vivunt, qui omnia implet*, ait Ierem. & hinc Virgilius: *Iovis omnia plena.* Et propterea rite concludit vitaliter impleri. *Nec morti esse locum, Deum namque ire per omnes Terrasq; Tractusq; Maris, cœlumq; profundum:* & alibi: hæc omnia *Spiritus intus alit, & Mens agitat &c.*

Quapropter Mors est respective, non essentialiter. Cum autem mortuum fuerit corpus in vita animalis, vivit vita naturali, unde & vermes viventes generat; & excitatur ad præsentiam occisoris, & coluber occisus fraxini umbram fugit, & fidiculæ ovium pellesque retinent sensum ovis.

Maneat ergo, omnem substantiam, omnemque virtutem essentialem vivere, vita partiali & propria: non autem accidentia, quorum est inhærere: hæc enim ejus cui inhærent vitam habent. Mundus vero totius vità & communi vivit: & omnes mortes & vitæ secundorum entium, ejus vitam mortalem integrant; sicut in corpore humano, mors panis dum vertitur in chylum, & chyli in sanguinem, & sanguinis in partes corporis; & partes corporis exhalant, moriendo corpori sed non sibi, quia vivunt in aere, ideoque corporis vitæ reficiendæ requiritur cibus & potus & inspiratus aer, ut notat Cicero de Natura Deorum & quæcunque ergo moriuntur in uno esse, vivunt in altero. Hæc de vita radicaliter.

VI. Verquidem ramaliter, vita est conservatio rerum unitarum ad communem vitam & non solius caloris nativi, ut Arist. ait, sed solidi sanguinis, & spiritus & mentis usque ad mortem. Cursus ergo iste vitalis, quoad corpoream partem, sustentatur cibo, potu & spiratione: quoad animam, studio virtutis, sapientiæ & probitatis, Ergo scientiarum & artium usque ad mortem. Pro pleniore dictorum intelligentia recole quæ in Tract. XXIII. tradidimus, proinde tenendum.

Pro fundamento I. Quodlibet Ens est, vel operatur, vel agit, vel inexistit, vel substat, vel adsistit, vel subsistit, quia potest. Hoc subsistere, substare, operari, agere, & inexistere, vel adsistere, aliquem essendi modum specificat, cujus primordiale principium est POTESTAS, quæ ab eis non dividitur essentialiter. Nullum enim Ens videtur esse (existere) nisi quia potest esse. Quod enim esse nequit, non est, quatenus esse non potest. Ergo fundatio Entis est POTESTAS. Potestas quidem essendi præcedit omnem potestatem, quod Nota.

Pro fundamento II. Omne ens constat potentia essendi, sensu essendi, & amore essendi, sicut Deus, cujus imaginem aut vestigium gerunt: & sicut operatio, quæ est essentiæ extensio, non fit, si desit posse v. g. ambulare; neque si desit sensus ambulandi, neque si voluntas: ita nec ens potest esse, cui istorum deest unum. Omnia enim servantur per sensum & cognitionem. Dicimus ergo Potestatem essendi præcedere omnem potestatem, videlicet agendi, patiendi, operandi: sed ab actione potestatis notitia incipit. Dicitur enim potens, quod in aliud sese ipsum diffundere, amplificare & multiplicare aptum est. Aptitudo autem hujusmodi est ab intrinseco, & ab extrinseco, & ab utroque. Ab intrinseco Polycletus dicitur posse pingere, quia in seipso artem pingendi habet: at si non habet instrumenta requisita, aut ab aliis impediatur ne possit pingere, dicitur non-potens ab extrinseco. Hoc patet clarius in exterioribus potestatibus. Sapiens ab intrinseco dicitur posse regere Rempublicam, & natura Rex esse. Filius autem Regis, quamvis stultus, dicitur potens ab extrinseco, quia ei nullum impedimentum opponitur, & obediunt omnes. Ab intrinseco autem dicitur impotens. Qui vero utrimque potest, perfecte posse dicitur.

VII. Distinguimus hic potentiam in activam, & in operativam (illi respondet actio seu actus, huic operatio). Potentia activa est, quæ abundat entitate magna, unde & ipsam elargiri, effundere & amplificare potest. Quapropter necesse est, principium primum rerum esse activissimum.

Potentia autem operativa, non est amplificativa in aliud, neque receptiva alterius, sed conservativa proprii esse. Hanc ignoravit Aristoteles, & ideo reduxit omnes potentias ad Activam. Activa potentia est principium agendi in aliud in quantum aliud. Passiva potentia est qua ab agente quid potest pati faciliter vel difficulter. Sed rursus debebat dicere Arist. quod quia agere est seipsum in alio conservare: operati autem in se, ergo potentia agendi ad potentiam operandi reducitur, & actio ad actum, id est ad operationem: quoniam propter se communicat se aliis, & non propter aliud agens omne.

VIII. Tandem quia operantur entia ut sint, potestas, ut diximus, essendi præcedit omnes. Hæc potestas essendi non est eadem in cunctis: nec est actus quatenus dicitur ab agendo, sed ab eo imponitur. Respicientes autem ad quid imponitur, vocamus hanc potestatem Actum. Dicitur enim actu omne, cum perfectum est operaturque. Ergo quiquid est, eo pacto quo est, actu est. Dico autem actu entitativo. Quapropter quæ habent potentiam subsistendi, sunt subsistendo, ut angelus & homo. Quæ nequeunt subsistere, sed in alio existere, sunt inexistendo, ut calor, figura, motus &c. Quæ vero substare possunt, ut materia, & (juxta opinionem quorundam) spatium continens Mundum, sunt substando. Quæ autem simpli-

ſimpliciter eſſe, eſſendo, & hujuſmodi eſt ſolum Ens primum. Nam omnis modus eſſendi, vel ſubſtando, vel inexiſtendo, vel aſſiſtendo, vel ſubſiſtendo, indigentia pleni ſunt: nam loco, & tempore, & adjacentibus rebus, & cauſis indigent. Purum autem Ens per ſe ipſum eſt horum cauſa. Dicitur tamen ſubſiſtens, quia inter cæteros eſſendi modos hic eſt perfectiſſimus; ſed tranſcenditur a primo Ente abſque *ſub*, & abſque *in*, & abſque *ad*, exiſtente. Propterea dicitur ſuperſubſtantia, & ſuper ens, apud S. Dionyſium.

Pro Fundamento III. tenendum, omnia entia ſenſu ſui eſſe & conſervationis donata eſſe; & eſſe, conſervari, operari & agere, quia ſciunt. Itaque ponimus in cunctis rebus ſenſum naturalem; in Brutis ſenſum animalem; in hominibus ſenſum rationalem; in Angelis ſenſum intellectualem; in Deo ſenſum Divinum. Quod ſic declaratur. Secundum Principium primordiale, ſive altera Primalitas eſt Sapientia. Omne enim ens cunſtat potentia eſſendi, ſenſu eſſendi, & amore eſſendi; ita ut hæc tria, videlicet Potentia, Sapientia & Amor primordia ſint altiſſima, & metaphyſice conſtitutiva, non modo rerum compoſitarum, ſed & ſimpliciſſimarum. Quin imo in eis, & ex eis conſiſtere omnium eſſe, ac potius Primalitates, Primordia & Pro-principia dici debere. Et ſic quatenus eſſentiant *ENS*, vocari debent Primalitates; quatenus autem reſpiciunt ad opus, Principia; & prout ad cauſandum exeunt, cauſas producunt. Diſtinctio tamen originis inter hæc ipſa invenitur. Non enim amatur ignotum, neque impoſſibile. Amor ergo oritur a Sapientia & Poteſtate; & quia non cognoſcitur quod non poteſt cognoſci; licet cognoſcatur quod non amatur; idcirco Sapientiam a Potentia ſola oriri affirmare licet. Nec enim poteſt cognoſci quod non movet cognoſcentem, quale eſt ipſum nihilum.

IX. Omne itaque Ens conſtat prædicta Primalitatum triade, ſicut Deus cujus referunt imaginem; & ſicut operatio, quæ eſt eſſentiæ extenſio, non fit, ſi deſit poſſe ambulare; neque ſi deſit ſenſus ambulandi, neque ſi voluntas: ita nec ens poteſt eſſe, cui iſtorum deeſt unum. Ecce videmus quidem ens eſſe, quia novit eſſe: & nullum ens reperiri ſui inſcium; nam pro ſe pugnat contra non ignota ſui deſtructiva, quia eſſendi & conſervandi eſſe principium ſapientia eſt, quod manifeſtius eſt nobis in animalibus. Ipſa quidem ideo ſentiunt, ut noſcant contraria, inimicaque proprii eſſe deſtructiva, & illa fugiant, ne ab aliis corrumpantur: & noſcant ſimilia, & amica entia ſibi proficua, & ſui conſervativa, & hæc ſectentur, quærant & procurent. Vnde ignorantia eſt cauſa mortis: ſi enim ovis ignoret lupum eſſe ſui deſtructorem, non fugit, & ſinit ſe perimi: & ſi non ſentiat dolorem ſpinarum, & lapidis, & baculi ictus, ſinit ſe rumpi, & frangi & perdi. Item ſi neſciat herbam ſibi prodeſſe ad vitam, non edit, & pereat oportet. Vnde & quæ perdunt ſenſum guſtus, a cibo abſtinent, & moriuntur. Et in confeſſo eſt apud omnes philoſophos, ſenſum datum eſſe atque ſenſoria propter conſervationem *eſſe*; ut ſcilicet proficua & noxia percipiant, & diſcernant. Et quia non modo præſentia, ſed & abſentia bona & mala indigent ſcire; datum eſt eis memorari, & juxta præteritas paſſiones illatas, de futuris judicare, carere & ſectari, & a ſimilibus ſimilia quoque dignoſcere & ſyllogizare; unde & æſtimativo diſcurſu indiguerunt, qui eſt ſenſus in ſimili: & intellectu, qui eſt ſenſus abſentis, & occulti, & communitatis: ſervantur ergo per ſenſum & cognitionem. Generant quoque per exquiſitiſſimum Veneris ſenſum: & quæ carent hoc ſenſu, non generant, nec proinde in ſuo ſimili ſervantur. Generandi quoque ratio videtur eſſe ſapientia, qua vel occulto perſentiſcunt propriam mortalitatem in ſe, unde generant ſimilia ſibi, in quibus vivant.

X. Sapientia quoque miro ordine conſtituit, & architectatur corpora, & organa ſenſuum, & nutritionis, & generationis & motus: baſim faciendo ſolidam ex oſſibus disjunctis & colligatis, ut poſſit erigi, & flecti, & moveri: ſuperextendendo nervos ad ipſa colliganda, & ad deferendum ſpiritum animalem: venas vero & arterias ad deferendum nutrimentum: Caput, in quo mirifice fabrefacto univerſitas ſpirituum reſideat tanquam in arce: Senſoria tanquam feneſtras ad noſcenda mala & bona: Os ad capiendum cibum ad inſtaurationem ejus, quod continuo de corpore exhalat, a calore eductum in aerem: ventriculum, in quo coquatur cibus: inteſtina, in quibus diſtilletur, & pars proficua a fæcibus ſequeſtretur: culum ad fæces emittendas: jecur ad ſuccum utilem coquendum & ſanguificandum: cor ad attenuandum ſanguinem in ſpiritum: & fel, lienem, veſicam urinariam, & renes ad ſequeſtrandas fæces, ſpumam & cineres. Et denique non eſt particula in animali, quæ non moltos ob uſus mira arte fabricata ſit. Hæc autem a ſtupida natura fieri, quis dicat credatve? & cum homo generans iſthæc ignoret, conſequens eſt, ut ſit ſapientia indita rebus. Hanc alii vocant virtutem plaſticam, de qua tanta Philoſophorum contentio cui tribuenda? In præſenti diſcurſu Sapientiam vocamus, quæ eſt principium eſſendi & operandi & agendi & conſervandi entia, ut concludit S. Gregor. Niſſenus. Et quia in cæteris rebus eadem Sapientia relucet, quæ in animali, & ob eoſdem uſus, conſequens eſt ut ſapientia ſit eſſendi principium, non minus quam potentia. Hic jam philoſophare, an Sapientia ſeu Virtus plaſtica vel formatrix inſit Animæ Mundi, an alicui Intelligentiæ, an ſpiritui cuidam intermedio analogo reſpectu Angeli & animæ rationalis, vel Elementis, vel DEO?

XI. Sane ſtultum videtur attribuere formicis & culicibus rebusque viliſſimis ſenſum, & negare illum Cœlo & terræ, a quibus iſta originem ducunt, & quidquid babent, particulamque vilem nobilitare, & totum nobiliſſimum ignobilitare. Vnde dixit Deus, *Producat terra animam viventem*, procul dubio, ut Patres concludunt, de ſuo produxit, quia ſenſitiva eſt.

Videmus quoque unumquodque conſervari a ſimili, & deſtrui a contrario, ergo indiget cujusque ſcientia. Dei autem perfecta ſunt opera nec deficit in neceſſariis; ergo cunctis dedit ſenſum neceſſarium, aliis clariorem, ut aeri, calori, frigori, cœlo, ventis, ſpiritui: aliis obtuſiorem, ut lapidibus, oſſibus, nervis, aquis, terræ. Vide Sect. 7. Tract. IX. De anima

ant; qui proficuis, declinant morbos. Item ait Psaltes: *Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos.* & Moyses: *Honora parentes tuos, ut sis longævus super terram.* Vnde cum Iob ait: *Breves dies hominis sunt: constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt* &c. intelligendus videtur vel de numero io communi, hoc est, ut ætas hominis sit circiter 120 annorum; Equi 30. & Canis 12, &c. vel de statuto voluntatis sequentis prævisionem faciendorum & omittendorum per hominem; non autem de antecedenti; alioquin Medicina, & solertia & prudentia nil valerent, & frustra dixisset Deus in Eccl. 38. *Honora Medicum propter necessitatem: etenim illum creavit altissimus. A Deo est enim omnis medela.* Sic interpungunt Biblia Sixti V. & ibid. v. 3. *Altissimus creavit de Terra medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa.* Et v. 11. *Da locum Medico; etenim illum Dominus creavit, & non discedat a te, quia opera ejus sunt necessaria.* Quæ loca omnia intellige de vere docto & experto Medico, qui oppido rari sunt.

Si quis autem diceret, quod determinatus est hominibus singulis numerus dierum, nec posse produci per medicinam, ignorat propriam vocem. Si enim Deus Decreto absolute decrevit de vita & homine, quidquid facies aut omittes, id eveniet quod decretum est: Sin vero est Decretum condinonatum v. gr. si adhibebis pharmacatalia, aut remedia alia naturalia, puta dietam aut, abstinentiam congruam, sanaberis; sin minus & sensui indulseris, absque mortificatione morieris. Tunc positum est in manu nostra mori, & non mori: ergo decretum nullum, sed pactum & lex.

Quod si etiam media, id est pharmacum hoc determinatum est: ergo quidquid tu facias, vel non facias, non deerit finis, nec modum æque decretum ac finis; ergo haberemus arbitrium non liberum ad aliquid consequendum, sed servile ad exequendum duntaxat, quod decretum erat desuper. Hoc autem falsum est, quoniam homo est liber ab objectis & passionibus, & a Dei compulsu: & actus peccaminosi qui non possunt esse absque culpa contra Deum, non sunt decreti a Deo, nec facti immediate.

Ergo homo potest abbreviare vitam suam, & producere sicut scriptum est: *Ante hominem vita & mors, bonum & malum; quodcunq; voluerit dabitur illi;* Eccl. 15. v. 18. Vide Marsilii Ficini Lib. de vita cœlitus comparanda, c. 1. ubi de delectu ciborum curiosa tradit.

Cæterum omnis hominum scientia ad vitæ humanæ perfectionem spectat. Vitam autem rectam aut planam facit nativitas pro fundamento; educatio pro confirmatione; disciplina pro assecuratione. Bene nascitur, qui a Genitoribus non vitiatis corpore nec animo, non in perturbatione, nec pravis cogitationibus, tempore & loco apto seminantibus originem habent. Indicant enim cum notus desideriorum & cogitationum maternarum nascentes, quod a Genitoribus individualitates contrahimus. Imo & quibus cibis tempore coitus, & dum gestant uterum, vescuntur parentes, eos appetere natos experimur.

Educatio vero multum confert; etenim cum lacte, ut Chrysippus ait, bibuntur mores. Temperies enim infantis facilius mutatur in bonum & in malum, quam juvenum. Disciplina tandem ita operatur, ut firmet aut mutet mores. Et quidquid ex eis in vita subsequitur. Vnde mutatio Musicæ, aut Religionis, aut formæ vestimentorum &c. Rempublicam mutant teste Platone. Maxime autem Conversatio: id enim pueri & simiæ faciunt, quod ab aliis factitari viderunt, præsertim summæ auctoritatis Viris, quales Philosophi, Legislatores & Sacerdotes. Similes autem illis evademus, quos imitamur. Oportet autem utrumque exercere, animumque corpusque: ne vel Sophistarum vel armipotentum præda fiamus.

TRACTATVS XLVIII
DE
VNIONE PHYSICA, ET HYPOSTATICA.

Connectimus unionem physicam & naturalem cum supernaturali, quia Philosophia christiana, ut sana sit, viam ostendere debet & nos recta manuducere ad Theologiam, ita ut ratio subdetur Fidei orthodoxæ, a qua si discrepent Principia Philosophica, quæcunque illa sint, manifestæ falsitatis arguuntur, cum verum vero non opponatur. Nonnunquam mater optima filiam parit pessimam. Sic Communitas, filiam parit pessimam Discordiam, nempe homines ad dissentiendum naturaliter sunt faciles. L. *Item si unus. 17. §. 6. ff. de recept. qui arb. recep.* Sic unio capitales genuit dissensiones inter Philosophos; qui circa conjunctionem materiæ & formæ multa solent disputare, quæ plus habent subtilitatis, quam utilitatis. Quærunt enim primo quid illa sit, an quædam entitas materiæ & formæ succrescens, quæ Modus absolutus nominetur, quæque Compositi partes intime afficiat. Modistæ modis omnibus ejusmodi entitatulam nobis obtrudere conantur, cujus tamen Parcus Naturæ Genius necessitatem agnoscit nullam, ut patebit ex seqq.

SECTIO I.

An uniatur forma materia per entitatem tertiam mediam?

I. Resp. Vnionem illam nihil esse præter modum respectivum: illius enim effectus est prædicatum relativum, quo partes Compositi unitæ, ac totum ex iis conflatum dicitur, quod ex materia & forma unum quiddam essentiale & substantiale emergat. In ipsa autem unione considerari potest & unitio & unio, quæ confundi non debent. Vnitio est actio, qua extrema active uniuntur; unio est ipsa ratio formalis qua extrema formaliter uniuntur. Est autem duplex effectus unionis, alter respectu partium, quæ sunt unitæ; alter ratione totius, quod fit unum: uterque effectus est respectivus; ergo ipsa unio nihil est, nisi relatio, cujus scilicet effectus formalis est prædicatum respectivum.

Et quidem formæ, quæ nihil habent absoluti, quæque a materia non separabiles, per interjectum modum absolutum conjungi non possunt. Nam hoc ipso quod fiunt actu, hoc ipso uniuntur, omni alia entitate detracta, non possunt enim esse actu, nisi in materia. Non quod productio formæ sit unio: illa enim transit, hæc permanet: Sed posita certa dispositione, sicut patet in artefactis, forma talis & ejus unio cum materia resultat, prout explicuimus agendo de formalitatibus relativis, non secus ac posito termino emergit relatio.

Deinde forma actu esse non potest quin uniatur: sed res potest esse sine modo absoluto, ergo unio non est modus absolutus: sublata quippe unione nulla est amplius forma, non igitur unio est modus absolutus, nedum entitas quædam superaddita.

Sed, inquies, nec materia, nec forma est modus respectivus, ergo distinguitur ab utraque. Respondeo. Hoc argumentum de omni relatione formari potest, eique abunde satisfactum in Tract. XLIII. de Relat. Sicut enim albedo non est similitudo, nisi quid aliud connotet, tametsi per se ipsam est alteri similis. Sic materia sola absolute spectata non est unio, nec unita, sed ut comparatur cum forma quæ simul existit.

II. Vbi autem forma est absoluta, uti in viventibus, major videtur esse difficultas. Vbique tamen unio est relatio tantum emergens, cum corpus organicum est dispositum & forma est actu. Cui adde Decretum Dei, quo Deus paratus est concurrere; neque enim agere potest anima in actu secundo, nisi Deus paratus sit in actu primo ad concurrendum. His vero positis statim forma animalis per seipsam, citra ullam entitatem superadditam unitur materiæ.

Eadem est ratio de anima rationali, eadem enim exigit, & per seipsam unitur corpori, cui intime præsens est, dummodo Deus per decretum suum paratus sit concurrere cum anima, ut fiat unum principium integrum animæ cum corpore. His enim positis unio necessario resultat, detracta omni alia entitate. Quod si aliquid desit, aut corpus non sit apte dispositum, aut Decretum Dei non adsit, nulla unio futura est. Verbo, positis omnibus in actu primo proximo proxime & necessario requisitis, quæ requirunt Add. ad unionem modalem absolutam, dicimus nos resultare unionem modalem relativam, uti recte deducit P. Joan. Baptist. Ptolomæus.

Cum autem duplex sit relatio, una corporis ad animam, altera vicissim animæ ad corpus, duplex quoque erit unio: nam unio nihil est præter relationem.

III. Oppones 1. Si unio nihil est distinctum a partibus, non potest dici aut assignari quid Deus habeat pro objecto voluntatis suæ, quando vult Compositum: utique enim Deus potest materiam, & formam & dispositiones ad unum omnes velle, ita tamen ut non sit Compositum, nempe si singula quidem velit, sed loco sejuncta, aut etiam localiter conjuncta, imo intime præsentia, ergo necessario concedenda est unio realiter & entitative a partibus distincta.

Resp. Deum habere pro objecto sui Decreti actuationem formæ respectu talis materiæ, sive quod forma tribuat rationem formalem in certo genere huic subjecto, & negationem concursus ad separationem, si jam actualiter tribuerit, quod facit ut unio conservetur. Duplex ergo habet objectum, positivum & negativum, quatenus enim decernit operationes in hac materia eliciendas & negationem destructionis, ipsam conservationem positivam intendit: quatenus vero non vult producere motum, per quem unum extremum applicetur novo spatio, absque eo quod eidem spatio etiam alterum extremum applicetur, ut sic habet objectum negativum. Aliud ergo habet objectum, dum vult materiam & formam secundum se, & absolute; aliud dum vult materiam recipientem formam aut formam actuantem materiam; aliud, inquam, non entitative sed denominative. Sicut aliud habeo objectum cum dico, hic liber est Petri, aliud cum dico Petrus libri, aut liber & Petrus. Annon diversa sunt objecta harum propositionum: Rex est Hungariæ: & Hungaria est Regis? quid plus est entitatis tamen in uno quam altero? Toties enim aliud habetur objectum, quoties aliud Concretum, non tamen necesse ut semper sit alia entitas. Viden quam debile & elumbe sit hoc argumentum, cui quidam tantopere fidunt?

IV. Arguunt 2. cum Suare & Vasq. evidenter, ut putant: Quando duæ res ab invicem possunt separari, saltem de potentia absoluta, evidens est eas esse distinctas: nihil enim potest separari a seipso. At possunt esse realiter materia & forma substantialis in rerum natura, & tamen inter se non esse unitæ, ut patet in homine mortuo, ergo hoc quod est esse unitum, est aliquid reale ab illis distinctum. Resp. Condonata maj. & min. negando conse-

consequentiam, quia Syllogismus constat 4. terminis. Probare oportebat unionem esse quid distinctum realiter a materia & forma simul sumptis cum omnibus requisitis ad actum primum proximum &c. pro Medio autem assumitur separabilitas. Ergo minor debebat esse hæc: at materia & forma simul sumptæ &c. separari possunt ab illo per quod uniuntur, seu ab unione, quæ aperte falsa est: possunt quidem materia & forma simul esse unitæ, & rursum non unitæ, at ex illa unione nihil acquirunt entitatis novæ, sed solam denominationem, quoniam seipsis immediate uniuntur: neque si desinant uniri, aliquid perit reale, sed cessat illa denominatio: aut dic quid entitatis pereat, quando anima corporis humani cessat animare membrum arefactum? Aut quid corpora sejuncta dum fiunt contigua acquirunt? aut aqua divisa in duas partes quid decedit entitatis?

V. Arguunt 3. Si unio non esset realiter distincta ab extremis, sequeretur hominem non vere generari ab homine; consequens est absurdum, ergo & antecedens. Sequela probatur: quia non posset assignari terminus hujus Generationis: nam materia non generatur, nec anima rationalis, nec tertia entitas totalitatis; ergo nihil præter unionem. Respondeo, hoc argumentum esse infirmius præcedente. Morbus apertus est: supponit enim terminum formalem generationis debere quoad entitatem de novo produci, quod omnino falsum est; nunquid enim ut cibus seu quodvis alimentum vertatur in chylum, hic in sanguinem, sanguis in carnem, ossa &c. & hæc incipiant vivere & animari, nova requiritur entitas? annon sufficit formam præexistentem se communicare materiæ de novo additæ? Audi Illustrissimum D. Joann. Episc. Calagurritanum Disput. 1. Physic. de Principiis cap. 2. num. 17. "Principium generationis per modum termini "*ad quem*, esse præcise terminum formalem, qui "per se intenditur a generante saltem *ut quo:* "in hominis autem generatione forma naturalis "est terminus formalis *quo* per se intentus a ge"nerante: licet enim homo generans non in"tendat generare animam rationalem in filiis, "intendit tamen formaliter eam ipsi communi"care; atque ita anima rationalis est terminus "formalis generationis, non productus sed com"municatus: sicut essentia divina est terminus "formalis *quo* non productus, sed communica"tus, generationis Divinæ, quia licet essentia "Divina non generetur, tamen formaliter per "generationem filio communicatur; & idcirco "forma etiam rationalis, & non unio, est per "se generationis principium." Ecce unum & quidem Illustrissimi Episcop. ex Modistis attestantem quid roboris habeat hæc solemnis objectio! Non est autem melior pro nobis probatio quam confessio partis. *L. Cum te. 5. C. de Transact.*

Respondeo tamen 2. Terminum generationis, non esse formam, nec unionem, sed Compositum. Ita Aristoteles pluribus in locis, juxta quem forma non fit, sed compositum. Ad illam probationem, tunc nullus datur terminus, quando in generatione hominis nihil a generante producitur & in generatione nihil corrumpitur &c. Resp. dist. maj. quando nihil producitur, unitur tamen. Nego maj. negata unione nihil est in homine præter animam & materiam sumptas unitive, Conc. sumptas divisive. N. sed nec anima, nec materia producuntur aut corrumpuntur, entitative & divisive sumptæ. Conc. unitive sumptæ. nego.

Sic ergo generatio debet habere terminum realem vel noviter productum, vel noviter unitum, non tamen semper productum. Duplex igitur est actio; alia productiva seu factiva; & alia solum unitiva. Actio prioris generis semper terminum de novo productum requirit: secus actio unitiva, huic enim sufficit noviter unitus terminus, quia terminatur ad conjunctionem unius cum alio. Et sic licet totum aliquod non dicatur substantialiter aut corrumpi aut generari nisi ratione partium, non tamen noviter productarum, aut corruptarum, sed noviter solum unitarum vel disjunctarum.

Sic homo generando hominem unit partes, imo verius loquendo, non homo generans, sed Deus unit partes creando animam rationalem eamque infundendo corpori; sufficit communicare substantiam seminis quocum anima transit sensitiva, quæ eousque intra uterum maternum organizat materiam, ut Deus ex lege naturæ interveniens, positis dispositionibus animam rationalem corpori incorporet uniatque, quæ creatio interposita, cum sit medium subordinatum generanti, quo finem suum consequatur, non tollit quo minus adhuc generatio totius adscribatur generanti.

Respondeo 3. Dist. jam maj. Omnis actio debet habere terminum vel noviter productum, vel noviter mutatum & alteri applicatum, Conc. præcise productum. N. hoc modo terminus erit ipsum præcise mutatum esse.

Ex quibus fundamentis solves & illud: Vnio in homine producitur unctione distincta a productione materiæ & formæ, scilicet per eductionem; materia & forma per creationem. Nam dist. ant. Vnio producitur distincta actione unitiva, applicativa, mutativa &c. Conc. ant. factiva nexus. N. antecedens. Proinde non sequitur unionem esse distinctam ab extremis; non secus ac Relatio a fundamento connotante terminum; nil enim aliud resultat per actionem unitivam quam respectus inter materiam & formam, accidens nempe prædicabile, non autem physicum & reale.

VI. Instabis: Vel in Composito unica tantum admittitur ratio unitiva, sive unio relativa, vel duplex! neutrum dici potest. Non primum, quia sic jam forma uniretur partialiter per se ipsum, cum unio per quam unitur partialiter, per ipsam formam constituatur, quod est absurdum, videlicet relativum per se ipsum inadæquate

quate referri ad terminum. Sed nec ſecundum, tum quia unica ſufficit, cum impoſſibile ſit, materiam uniri formæ, & tamen formam non viciſſim uniri materiæ; tum quia ſequeretur etiam Verbum per formalitatem unionis ſibi realiter identificatam uniri humanitati: conſequens autem, ait Suarez. tom. 1. in part. 3. Diſput. 8. eſſe falſum & improbabile & contra omnes Theologos. ergo.

Reſp. Conc. maj. Neg. min. & dicimus Relationem hanc unitivam eſſe mutuam adeoque duplicem in Compoſito, quarum una identificatur materiæ veluti ſundamento, quæ prout eſt cauſalitas materiæ in compoſitum, materializatio vocatur. Altera ineſt formæ tanquam fundamento, reſpiciens materiam ut terminum, & quatenus eſt cauſalitas formæ in materiam vocatur informatio. Itaque ad probat. Reſp. ſufficit unica unio, ſi ſit realiter diſtincta, uti catena vel ſimile vinculum. Conc. ſi ſit indiſtincta. N. ant. Ad ſecundam probat. concedo ſequelam. Nego autem min. Cum enim per talem denominationem Deus phyſice & intrinſece non mutetur, ſine ullo prorſus inconvenienti in eodem admitti poteſt. Imo Didacus Alvarez 3. parte. q. 2. art. 7. Diſp. 17. ait hanc ſententiam eſſe communiorem inter Thomiſtas. Nam & ſatis aperte docetur a S. Thoma in 3. q. 2. art. 2. «Sciendum quod in unione humanæ na«turæ ad Divinam nihil poteſt cadere medium for«maliter unionem cauſans, cui per prius humana «natura conjungatur, quam divinæ perſonæ.„ Et ubique tradit, quod nihil aliud creatum reperitur in hujusmodi unione, niſi relatio Humanitatis ad Verbum, quam quidem ait non cauſare formaliter unionem, ſed illam conſequi. Ita expreſſe docet. De Incarn. part. 3. quæſt. 2. art. 8. *Vnio importat relationem quandam.* Et clarius in 3. diſtinct. 5. q. 7. art. 1. *Vnitio eſt quadam actio vel paſſio, qua ex multis efficitur unum, & hanc actionem ſequitur hac relatio, qua eſt unio.* Vnde S. Præceptor, inquit Vincentius Contenſon Lib. 9. diſſ. 3. cap. 1. Speculat. 1. pro fundamento talis relationis nullibi admiſit modum, ſed ſolam actionem aſſumptivam, qua humanitas evehitur ad eſſe Verbi. Plura mox ſect. ſeq.

VII. Oppon. IV. Quæ poſſunt realiter ſeparari, realiter diſtinguuntur: ſed unio in compoſito phyſico realiter ſeparatur a partibus dum corrumpitur totum: ergo

Reſp. I. retorquendo argumentum. Quæcunque ſunt realiter ſeparabilia, ſunt, juxta te, realiter actu diſtincta: ergo quæcunque ſunt per rationem ſeparabilia, ſunt actu per rationem diſtincta. Negabis utique conſequentiam, & dices: quæ ſunt per rationem ſeparabilia, eſſe per rationem diſtinguibilia: quæ autem per rationem ſeparantur, per rationem diſtinguuntur. Et recte. Dicam & ego ſimiliter: Quæ ſunt ſeparabilia, ſunt diſtinguibilia: quæ ſeparata, ſunt diſtincta. Sic ſolent & debent reſpondere, quicunque admittunt præciſiones objectivas aut formales, & negant diſtinctionem formalem ex natura rei. Diſtinctio enim rationis per eos fit, non ſupponitur: hinc gradus metaphyſici a parte rei non diſtinguuntur, ſed per operationem intellectus ſunt diſtinguibiles, hoc eſt fundamentaliter tantum aut potentialiter diſtinguuntur.

Reſpondeo ſecundo Diſt. maj. quæ poſſunt realiter ſeparari tam ſecundum illa quæ dicunt in recto, quam quæ dicunt in obliquo. Conc. maj. quæ poſſunt ſeparari ſolum penes illa, quæ importantur in obliquo, non autem in recto N. maj. Vnio autem ſolum eſt ſeparabilis a partibus ſecundum illa, quæ importat in obliquo, non autem in recto. Vel aliter: Vnio ſympta pro denominatione extrinſeca petita ab ipſa unitione activa agentis eſt ſeparabilis, eſto maneat entitative; ideoque poſt mortem licet maneat materia & forma ſine unione, non tamen perit entitas unionis, cum remaneat entitas fundamenti, ſolo pereunt connotato.

VIII. Inſtabis: Ex iſta reſponſione videtur conſequi, etiam totum hominem entitative exiſtere, quandocunque exiſtit corpus & anima ipſius. Reſp. hanc ſequelam poſſe concedi, ſed hoc ſenſu: ſi per τὸ *entitative unitum* nil aliud intelligatur, quam exiſtere illam entitatem ſeu formam, quæ tribuit denominationem uniti, ſi connotatum vel complementum eſſentiale, a quo in danda hac denominatione indiſpenſabiliter dependet, poneretur. Si vero per τὸ *entitative* intelligatur adeſſe ipſam entitatem unionis completam & potentem denominare ſuum ſubjectum, ut ſic negatur ſequela. Quia vero in hoc poſteriore ſenſu communiter Add. ſumunt τὸ *entitative*, neque priorem explicationem unquam impugnant, ideo rectius facturum putamus eum, qui abſolute negat ſequelam. Quod ſi poſtea inferant, adeſſe jam de facto formam unionis &c. utpote identificatam extremis. Reſp. diſt. illatum, adeſt forma unionis completa. N. incompleta. C. quæ coincidit cum diſt. priore, adeſt quoad rectum. C. quoad obliquum ſeu connotata. N. Vide Tract. de Relat.

SECTIO II.

An ſecundum rei veritatem ex vi Myſterii Incarnationis unio hypoſtatica modaliter ab extremis debeat eſſe diſtincta?

IX. Prima ſententia eſt Gabrielis, qui vult unionem hypoſtaticam eſſe qualitatem abſolutam ſupernaturalem ex dono Dei collatam, quam vocat Gratiam unionis. Hæc opinio communiter rejicitur, quia cum hæc qualitas ponatur vinculum, per quid formaliter uniatur Natura humana & Verbum, ſequeretur Naturam Verbo uniri accidentaliter, quod eſt contra locutionem PP. & Conciliorum, aſſerentium eſſe factam ſecundum ſubſtantiam, Ita Suarez, Vaſq. alii.

Secunda eſt RR. quæ diſtinguit modaliter unionem hypoſtaticam ab extremis. Suarez, Vaſ. Lugo &c.

Tertia eſt, Vnionem hypoſtaticam non diſtingui realiter modaliter a Verbo, & humanitate ſe ipſis ſubſtantialiter unitis. Ita Thomiſtæ, Cajet. Capreolus, Alvarez, Valentia, Wadingus, Tiphanius &c. quibuscum

X. Aſſe-

X. Assero, Ex vi Mysterii Incarnationis non sequitur, Vnionem hypostaticam distingui realiter modaliter ab extremis. Probatur I. Quia nulla est necessitas comminiscendi talem reculam modalem: vel enim requiritur modus tanquam necessarius ad proportionanda extrema ad hoc, ut invicem uniantur, vel ut fiant formaliter unita, neutrum dici potest, ergo. Probatur I. pars min. quia modus ille foret necessarius ad proportionandam naturam humanam; Verbum enim est incapax Modi superadditi, & per se aptum uniri; at nec ratione naturæ humanæ est necessarius, ergo. Prob. min. quia multa possunt esse & intelligi ultimo proportionata ad unionem, absque eo quod intelligatur fieri talem proportionem per unionem superadditam, ergo à pari idem de natura humana dicendum. Confirmatur, Vnio suapte natura supponit extrema proportionata, quæ si carent tali proportione, non sunt capacia unionis, ergo cum proportio in extremis uniendis sit quid prærequisitum ad unionem, sequitur quod ea non sit formaliter per unionem.

XI. Dices: In rebus naturalibus unio ideo supponit proportionem inter extrema, quæ sunt ejusdem ordinis: at Verbum Divinum ex se non est ordinatum ad hanc unionem; neque humanitas ex se habet aptitudinem ad hanc unionem, ergo est lata disparitas.

Contra est I. Quia nunquam Verbum potest habere talem ordinationem, hæc enim dicit imperfectionem, utpote fundata in aliqua indigentia rei, quæ ordinatur, ut patet inductione: omisso autem hoc nomine *ordinatio*, & posito illo *aptitudo*, dico Verbum Divinum ex se & essentialiter sine ullo superaddito habere hanc aptitudinem, quia sustentare naturam, dicit perfectionem in sustentante.

Contra est II. quia natura humana sine unione superaddita ex vi suæ potentiæ obedientialis connotantis efficaciam divinæ voluntatis poterit intelligi proportionari ad hanc unionem. Quod idem contingit respectu omnium supernaturalium ab anima receptorum, ut est gratia & hæc ipsa unio, quæ sine dubio ab add. ponitur esse supernaturalis.

Probatur jam secunda pars min. scilicet non esse necessarium modum distinctum unionis, ad hoc ut duo ista extrema formaliter uniantur. Nam possunt aliqua ex non unitis fieri unita, & ita intelligi sine entitate superaddita, ergo a pari prob. ant. inductione, quia lumen & aer uniuntur sine unione & vinculo medio; ita calor & aqua, partes homogeneæ in continuo &c. Quod si concedant antecedens & negent conseqv. assignando disparitatem, nempe prædicta ad se invicem esse ordinata: humanitatem verò esse indifferentem ad hoc, ut uniatur cum Verbo, vel cum alia ex personis divinis, ideoque ut determinetur, sequiri unionem superadditam.

Contra argumentor, quia ex una parte non est necessaria ista unio distincta, ad hoc, ut duo illa extrema ex non unitis intelligantur unita, quia talis conceptus non necessariò trahit unionem distinctam: ex altera verò parte non est necessaria ad tollendam indifferentiam naturæ humanæ, ut patebit ex dicendis.

Probatur assertio secundò. Si entitatula quædam modalis interponitur inter Verbum & humanitatem tanquam vinculum utriusque distinctum, debebunt extrema illi uniri immediatè, ergo vel id fiet mediante alia unione, vel non? Si prius, abitur in infinitum. Si secundum, ergo sicut immediatè uniuntur huic Modo, sic poterunt uniri inter se absque modo.

XII. Nec dicas, unionem uniri extremis per se, quia non unitur *ut quod*, sed *ut quo*, hoc est, unio non est aliquid quod uniatur partibus, sed est id quo extrema uniuntur. Nam

Contra est. Juxta te unio est distincta quidem entitas ab extremis & cum illis constituit unum, ergo necessariò debet illis uniri, ergo est aliquid quod unitur. Sicut econtra verè dicitur albedo est alba *ut quo*, non *ut quod*, quia verum est dicere, albedo est aliquid, quo subjectum constituitur album: falsum verò est dicere, albedo est aliquid album: Sed in nostro casu de prædicta entitate modali non tantùm verum est dicere, est id quo uniuntur extrema, sed etiam verum est dicere, est entitas quæ ipsa est unita extremis, ergo est unita ut quod, & non tantùm ut quo, neque ipsa minus secundum se, id est secundum suam entitatem, quatenus distinctam ab extremis unitur & adhæret ipsis extremis, quam extrema uniantur ipsi modali entitatulæ.

Probatur III. Vnio illa corporis cum Verbo deberet esse partim corporea, partim spiritualis, cum partim corpus partim animam deberet afficere. Si enim est tota spiritualis, quomodo potest corpori immediatè adhærere, cum anima rationalis, quæ magis est illi proportionat, non possit tamen secundum Add. corpori uniri sine unione modali. At si materialis est, quomodo potest Verbo immediatè adhærere, cum anima rationalis, quæ Verbo magis est proportionata, non illi adhæreat sine modo intermedio? Demum illa unio corporis cum Verbo se tenens ex parte corporis, cum sit materialis, debet constare variis partibus quibus totum corpus adæquatè uniatur Verbo; & illæ partes unionis debent esse unitæ inter se, ergo per aliam unionem distinctam, nam potest quælibet illarum esse sine altera, indigebunt ergo determinari, ergo tot erunt uniones unionum, quot sunt partes corporis unitæ. Iterum si est materialis unio hypostatica, quomodo potest identificari realiter animæ spirituali? Et si est spiritualis, quomodo potest realiter identificari corpori? Modi autem juxta Suarem (ni ludat in nomine) identificantur realiter rei modificatæ, quia negat eos ab illa distingui realiter & simpliciter, id est distinctione reali majore: quo autem modo non distinguuntur ab illa, realiter identificantur cum illa realiter, quia quæ non sunt distincta, sunt idem eo omni modo, quo non sunt distincta.

SECTIO III.

Solvuntur argumenta.

Pro solutione argumentorum serviunt omnia, quæ alibi de formalitatibus & de Relatione tradidimus; hallucinantur enim Add. in eo, quod omnes determinationes rerum indifferentium fingant fieri per formas physicas & absolutas, cum tamen omnes illi Modi non sint nisi formæ aut Formalitates metaphysicæ, accidentia logica, non physica; quod mox patebit clarius. Si enim

XIII. Objicias I. Ea quæ ita se habent, ut possint actu simul existere, & sint debite applicata, nec tamen

men

men unita, debent uniri per aliquid ab ipsis distiòctum iisque superadditum: at potest contingere, ut humana natura & Verbum simul actu existant, sintque debite applicata, & tamen non unita, ergo. Quia ex simultanea existentia humanitatis & Verbi, & ex intima præsentia quam habent, non infertur, humanitatem esse Verbo unitam personaliter, etsi per impossibile ponatur carentia propriæ personalitatis in humanitate.

Resp. Conc. maj. N. min. ad ejus probationem concedo quod affertur, sed Nego habere debitam applicationem, ad quam præter prædicta requiritur connotatio voluntatis Dei proportionantis & elevantis humanitatem: personalitas enim Verbi ut connotans voluntatem Dei volentis ab æterno ut in tali tempore humanitas Christe dependeat formaliter à Verbo, intelligitur proximè disposita & applicata ad trahendam humanitatem in unionem substantialem cum Verbo, eo modo quo diximus in Tract. de Subsist. Ex quibus constat, cur Humanitas sit & dicatur unita Verbo & non Patri. Item cur illa humanitas A. & non B. sit unita Verbo, nempe ob voluntatem Dei connotatam.

Similiter quando in physicis instat Oviedo, materiam & formam unitas existere, vel dicit quid supra existentiam utriusque entitatis, vel dicit utramque tantùm entitatem: si dicat quid supra, habemus intentum, nempe entitatem modalem: si non, ergo existentia materiæ & formæ est unio, quod falsum est, quia hominis jam mortui materia & forma existunt, & tamen non existit unio. Resp. materiam & formam esse unitas est quid distinctum realiter inAdæquatè, distinctione includentis & inclusi; non est tamen quid *prater* materiam & formam, sed est quid *ex* materia & forma novum, neque illud inadæquatè distinctum, & mera existentia materiæ & formæ, sed diverso modo connotantis omnia extrinseca requisita.

XIV. Objic. II. Voluntati Divinæ, quam diximus requiri, debet correspondere aliquid ad extra: at nil potest assignari præter unionem distinctam. Resp. Neg. min. & dico ut supra, unum esse negativum, alterum positivum respondens. Negativum est negatio propriæ subsistentiæ ipsius humanitatis. Positivum est Christus, nempe Verbum unitum humanitati, quod distinguitur realiter inadæquatè ab extremis.

Sic in physicis, cum dicunt Add. Si unio nihil est distinctum à partibus, non potest dici quod habeat Deus pro objecto suæ voluntatis quando vult Compositum: nam Deus potest tantùm velle materiam, formam & dispositiones, ita tamen ut non sit compositum: scilicet si singula quidem velit, sed loco sejuncta, ergo necessariò concedenda est unio realiter à partibus distincta. Respondetur Neg. ant. nam quando Deus vult Compositum absque modo unionis, dicimus objectum volitionis illius esse partes compositi cum omnibus connotatis; his enim omnibus volitis resultat Compositum & denominatio Totius; non volitis omnibus, non est Compositum: quis autem neget esse diversas hasce voluntates?

Hæc autem Denominabilitas realis uniti in physicis non provenit a materia & forma seorsim, sed simul spectatis, earum quidem entitates importando in recto, cætera vero connotata omnia in obliquo, prout relationem consistere dicimus in fundamento, termino & ratione fundandi. Dispositiones enim, etsi sint accidentia, possunt tamen esse de essentia Compositi substantialis, tanquam partes intermediæ, licet non tanquam partes extremæ & primariæ; sicque verum est, quod etsi totum quoad partes primarias & extremas sit quid substantiale, non tamen secundum omnia quæ involvit; atq; ita ponitur in Prædicamento substantiæ secundum præcipuas suas partes & extremas. Sed quid istis immoramur? Alibi jam ostendimus propositionem istam: *Quod constituit substantiam, debet esse substantia*, esse falsam & erroneam. Æquipollet enim huic: *pars debet esse illud ipsum, quod constituit*, in specie saltem, quod considera quæso, quam ab omni veritate remotum sit.

Adverte simul quod Decretum divinum non sit formaliter constitutivum Compositi, nec in illo formaliter consistat unio. Neque absurdum est, quod Decretum divinum ingrediatur conceptum essentialem Compositi; an non Deus ingreditur conceptum essentialem creaturarum, quæ definiuntur entia essentialiter ab alio; Compositum autem omne est ens ab alio sc. a Deo & decreto divino. Decretum igitur Dei est tantum extrinsecum connotatum licet essentialiter requisitum.

XV. Objic. III. Non potest fieri transitus de contradictorio in contradictorium sine aliqua mutatione reali. Vel, ut alii proponunt, non potest nova denominatio advenire alicui sine aliqua, vel in eo, vel in aliquo alio mutatione: manentibus enim iisdem omnibus, eadem affirmari vel negari necesse est; at denominatio humanitatis Verbo unitæ est realis & nova, ergo aliquid novi poni debet, quod non est aliud quam modus unionis, quo extrema uniantur.

Resp. dist. maj. sine mutatione sive intrinseca, sive extrinseca. Conc. intrinsecà tantum, N. hic autem fit mutatio per ipsamet extrema sibi invicem copulata, ipsumq; Verbum Divinum per se & immediatè humanitati unitum facit eam alio modo se habere, & de novo subsistente reddendo subsistenteam in personalitate Verbi. Quod si quæras, per quid humana natura ex non unita fiat unita, ex non assumpta fiat assumta? R. se ipsa. Si instes, cur nunc, & ante non? dico, jam esse debite applicatam. Si rursus quæras, cur jam fiat illa debite applicata. Resp. quia connotant voluntatem divinam, qua natura elevatur. Eadem est responsio ad alterum, cum dicitur de nova denominatione reali &c. distinguendo, sine mutatione intrinseca vel extrinseca, id est, secundum extrinsecum, quia res eodem modo manentes, semper faciunt idem & denominantur eodem modo: neque est necesse, ut omne subjectum novæ denominationis realis intrinsecæ ideo supponat novam mutationem sibi intrinsecam, novamque formam in se recipiat; sufficit enim pro denominationibus connotativis, ut fiat aliqua mutatio secundum extrinsecum: Sic Deus de novo dominatur creans, facta tantum mutatione secundum extrinsecum tenente se ex parte creaturæ prodeuntis è nihilo, & sic de aliis.

Vel aliter ad illam propositionem, denominatio intrinseca nova non potest esse sine entitate nova, respondetur dist. sine entitate nova vel adæquate, vel inadæquate. Conc. sine entitate nova adæquate, N. Sic in physicis unio materiæ & formæ est entitas nova inadæquatè, non autem adæquatè, est enim fa-

ctum

ctum aliquid novum ex materia & forma, non autem aliquid præter materiam & formam.

Instas: Denominatio illa intrinseca de novo adveniens est quid reale & intrinsecum, ergo sic aliquid reale & intrinsecum de novo advenit. Resp. Dist. ant. est quid reale intrinsecum sine extrinseco. N. cum extrinseco termino. Conc. hinc pereunte termino perit relatio quoad formalitatem, non quoad entitatem.

Nec dicas: Relatio quoad entitatem & formalitatem sunt idem, ergo si perit quoad formalitatem, perit etiam quoad entitatem. Resp. enim Dist. ant. sunt idem quoad entitatem, seu entitative. C. quoad formalitatem seu denominative. N.

XVI. Objic. IV. Humanitas Christi est indifferens ad unionem cum Verbo, vel cum Patre, aut Spiritu S. vel ut nulli eorum sit unita: At hæc indifferentia tolli ac determinari nequit, nisi per certum quendam unionis hypostaticæ modum. Si enim quæratur, cur humanitas Christi sit unita Verbo, non autem Patri vel Spiritui Sancto, causa sufficiens nulla reddi potest præter Modum. Eadem est ratio de aliis indifferentiis tollendis.

Resp. Conc. maj. N. min. ejusque confirmationem: qui enim hujusmodi quæstiones faciunt, & eis per Modos respondent, nec quid petant, nec quid respondeant satis intelligunt. Ad quæstionem igitur, qua quæritur, cur humanitas Christi sit unita Verbo, non Patri aut Spiritui Sancto, bene respondetur, quia tota Trinitas eam univit Verbo, non Patri, aut Spiritui S. quia humanitas in Verbo seu in Persona Verbi subsistens non esset, nec idem Christus idemque Compositum, si alteri personæ divinæ fuisset unita: sicut nec idem fuisset compositum, si Verbum assumsisset naturam angelicam, licet eadem fuisset persona.

Pariter in physicis sic distingui potest ista propositio, cum dicitur: materia & forma erant indifferentes & indeterminatæ ad compositum constituendum, ergo ut determinentur in actu secundo ad compositionem novi totius, indigent nova entitate formaliter determinativa. Resp. dist. non fuerunt determinatæ intrinsece ex se. N. non fuerunt determinatæ extrinsece, sc. defectu extrinsece horum connotatorum. Conc. quia in actu secundo materia seipsa fuit sufficiens & capax recipiendi formam, si adessent omnia requisita, quibus positis est absolute determinata in actu secundo.

XVII. Objic. V. Quod est per se unitum, est essentialiter, semper & necessario unitum: at Verbum non est essentialiter neque necessario unitum humanitati, sicut nec anima rationalis corpori, ergo. Resp. esse æquivocationem in hoc termino *per se*: aliquando idem sonat quod essentiale, aut necessarium: aliquando prout excludit præcise intermedium. Hinc maj. absolute negatur. An non Petrus per suam entitatem existit, & tamen non existit essentialiter & necessario, & semper, licet per se, hoc est absque modo existentiæ superaddito? Deinde licet unio non sit quid reale intermedium instar glutinis, est tamen quid connotans multa: etsi enim Verbum & humanitas, materia & forma dicantur seipsis uniri, id tamen intelligendum est suppositis connotatis, quibus deficientibus perit denominatio, quam dat unio, sicut perit relatio sublato fundamento vel termino.

XVIII. Objic. VI. Ubi datur effectus formalis, ibi assignanda est causa formalis; at esse unitum est effectus formalis, ergo danda est causa formalis. Resp. dist. maj. danda est causa formalis eo modo, quo datur effectus formalis. Conc. diverso modo. N. at esse unitum est effectus formalis. Esto. ergo datur causa formalis, nempe unio. Conc. totum.

Instas. Causa distinguitur ab effecto: at unio est causa, unitum effectus. E. Resp. dist. min. unio est causa formalis vera & physica. N. est causa formalis secundum nostrum concipiendi modum. C. & consequenter assero, esse unitum non esse effectum formalem, verum & physicum, sed tantum secundum nostrum modum concipiendi, scilicet ab unione, quæ cum realiter significet multa, explicatur per modum unius formæ simplicis secundum nostrum considerandi modum: sicut relatum esse, dicimus esse effectum formalem relationis, non quod relatio sit forma realiter distincta à subjecto quod denominat, sed quod per modum formæ concipiatur.

TRACTATVS XLIX.
DE
VNIVERSALIBVS.

Illustrissimus D. Caramuel Phil. ration. Lib. 4. sect. 1. præfatur sic: Contemnitur à multis notitia Vniversalium, nec miror, subtilissima est, & postulat felicissima ingenia, imo vix quidem ab istis illustrabitur. Multa Neoterici commenti sunt, multa antiquiores, quærentes Universalitatem. Hæc disputatio, fateor (inquit) tempus meum ita ebibit, ut si sincere loquar, possem dicere, me saltem studii & vigiliarum impendisse in hujus rei examine dimidiam partem. Doctissimos Viros consului, sed mihi non satisfaciebant, imo nec sibi, dubiis meis ponderatis. Quiescunt animi dum superficietenus difficultates investigant: turbantur dum profundius innatant. Puto me in metaphysico Oceano raro supernatare: existimo in hac difficultate ipsummet fundum tetigisse. Hæc ille. Quidni ergo eius insistere vestigiis tutum erit, ita tamen ut cuivis de veritate judicium liberum relinquamus. Sit itaque

SECTIO I.

Quid per Vniversale intelligatur, & quotupliciter sumatur.

I. Vniversalis nomine id intelligimus, quod est commune multis. Singulare vel individuum dicimus, quod dici vel prædicari de multis non potest, ut Socrates de uno tantum, non de pluribus dicitur. Nam hæ voces, *Individuatio, Singularitas, Ecceitas,*

Haeceitas &c. synonymæ sunt, & nil aliud significant apud Philosophos, quam formalitatem ultimo contractivam Entis, per quam est & dicitur hoc. Et definiri potest ratio formalis, quæ constituit naturam singularem. *Haeceitas* enim audit à proaomine demonstrativo Hic, hæc, hoc. Et *Ecceitas*, ab adverbio demonstrandi, quia Ecceitas est formalitas, in qua Petrus distinguitur à Paulo.

II. Vniversale autem vel est incomplexum, quod una voce exprimitur, ut homo, vel complexum, quod multiplici voce designatur, cujus generis sunt propositiones universales; sed de his nobis hic non est sermo, sed solum de priore.

III. Res vero universalis vel communis multis esse potest triplici ratione. Primo ut Causa, quæ multos procreat effectus, sic Vniversalis in causando dicitur Deus, qui est omnium causa maxime universalis. Sic & Sol est causa universalis, sed cum limitatione, nempe sublunarium. Secundo ut signum, quod multa significat, velut imago, quæ multa repræsentat. Sic idea vel imago circuli, quam mens sibi exhibet, omnes circulos exprimit; & hoc vocant Vniversale in repræsentando, hinc Ideæ divinæ sunt universalissimæ, quia sunt expressio rerum universarum. Tertio Vniversale in Essendo, seu unum in multis, nempe unum quod potest dividi in plura singularia; & hoc ipso quod inest multis, potest etiam prædicari de multis, adeo ut universalitas in prædicando sit passio & inseparabilis proprietas ipsius Vniversalis in essendo. Sic homo est quid universale: nam humana natura seu humanitas est in Petro, Paulo, Agnete &c. omnibus individuis humanis, & de iis prædicatur in concreto, dicimus enim Petrus est homo, Paulus est homo, Agnes est homo, & hoc ita ut & pluraliter verificetur, Paulus, Petrus & Agnes sunt homines. Primum in scholis dici solet universale in causando; secundum in repræsentando vel significando. Tertium in essendo aut prædicando: Hic obiter nota, Thomam Campanellam per Vniversale in essendo intelligere Ens perfectum, quod cætera eminenter continet, ut Angelus est eminenter omnia, quæ novit & quæ sub ipso sunt. Primum etiam dicitur Vniversale ante multa; nam causa est prior effectibus; secundum post multa, nam voces aut rerum imagines res ipsas consequuntur; tertium universale in multis.

IV. Triplicem hanc Vniversalis acceptionem Ammonius comparat cum Sigillo, quod ceræ impressum plures exprimit imagines aut characteres. Itaque Sigillum ipsum est universale ante multa, vel in causando: eadem figura, quæ ubique sui similis imprimitur, est universale in multis vel in essendo; vox autem qua figura designatur, aut illius imago quam cogitatione depingo, est universale post multa, seu in significando vel repræsentando.

Primum Vniversale est Platonicorum, qui Ideas divinas, ut causas rerum effectrices & universales statuerunt. Idea enim causans universalis est, non in prædicando, sed in essendo & causando; & quando reducitur ad formam prædicationis, prædicatur analogice, non univoce: ut homo sumptus pro humanitate, dicitur analogice de homine ideali in mente Dei, & in rerum natura, & in intellectu nostro; quoniam ipse est causa formalis ut Sigillum omnium hominum naturalium: & per consequens est causa hominis in mente nostra, qui prædicatur universaliter, quoniam est multa similia uno donata nomine, quod de seipsis nominetur. Revera tamen non prædicatur Universale in causando, nisi in obliquo, & debet in abstracto significari, ut dicatur humanitas & equinitas & albedo: universale vero in prædicando semper est concretum, ut homo, equus, album.

V. Observat hoc loco Caramuel, multos Platonicos laborare æquivocatione, & vix posse intelligere mentem Divini Philosophi. Idea sigillum dicitur (hoc est *signum parvum*. Cicero 1. Acad. hinc adverbium *sigillatim*, hoc est seorsim, distincte) & eodem nomine donatur *Ecceitas*: quomodo vitabitur confusio? Facile, si annotaveris duplicem sigillationem esse, formalem alteram, alteram materialem. Formalis sigillatio dans distinctionem specificam fit per ideam impressam & participatam (quam nos formæ substantiali substituimus) ut si duobus annulis sigilla successive imprimas eidem ceræ: hoc accidit in conversione substantiali, sigillaverat ante materiam Idea panis aut carnis, dein virens. Non aliter si uno eodemque annulo centum sigilla in cera impresseris, omnia centum convenient sigillo formali, different materiali: hoc est, omnia eandem delineationem atque figuram exprimunt; materia different, quoniam non habebunt eandem ceram, sed singula prorsus diversam.

VI. Stoici & Nominales Duce Ockamo non aliud Universale quam voces & conceptus formales agnoscunt. Peripatetici sive reales non alibi, quam in rebus ipsis, aut in naturis quæsierunt; quæ omnia mox patebunt. Porro Vniversale aliud est *Metaphysicum* seu *in essendo*; aliud *Logicum* seu *in prædicando*. Illud Aristot. 7. Metaph. textu 45 definit, *quod pluribus natura aptum est inesse*, ut natura hominis existens in Petro & Paulo &c. Hoc, nempe Logicum, ab eodem definitur I. periherm. cap. 5. *quod de pluribus prædicari natum est*, sic homo prædicatur de Petro, Paulo, &c. Vniversale in prædicando dimanat ex universali in essendo tanquam proprietas illius, nam ex hoc quod res sit apta in multis esse (in quo consistit Vniversale Metaphysicum seu in essendo) sequitur etiam esse aptum prædicari de multis, in quo sita est ratio Vniversalis logici. Complutenses Disp. 4. de passionibus Vniversalis q. 3. decernunt, quod prædicabilitas sit potentia seu aptitudo naturæ ut prædicetur.

Joan. Lalemandet Disp. 4. Log. partit. 5. in fine, admittit Vniversale metaphysicum à parte rei; non autem logicum, ubi sic ait: Audiendus non est Fr. de Raconis dicens, frustra inquiri, per quemnam intellectus actum fiat Vniversale, quandoquidem dantur Vniversalia ante opus intellectus: sed non advertit de Raconis aliud esse Vniversale metaphysicum, & aliud logicum, præsentemque difficultatem esse de Vniversali logico, quod ab intellectu produci, negari non potest, nisi contra communem sententiam Philosophorum dicere velit dari intentiones

ones secundas objectivas à parte rei, & ante opus intellectus. Ita Lalemand, an recte? videbimus infra.

SECTIO II.

In quo sita sit Universalis essentia.

VII. De essentia Vniversalis esse unitatem, constat ex dictis praeced. sect. sed qualis? Materia hujus Tractatus vel ex eo meretur nomen Vniversalis, quod ubique in Philosophia tractetur. Tractat Logica de Vnivocis, Æquivocis & Analogis, de Praedicabilibus, & necessario de Vniversalibus, sine quorum notitia reliqua intelligi non possunt. Tractat Physica de Quantitate & Individuationis principio, & ideo de Vniversali necessariò; quomodo enim cognoscetur Individuatio, si non cognoscatur natura illa communis & abstracta, quae contrahitur per individuationem? Tractat de passionibus Entis Metaphysica; nim. de veritate, bonitate & unitate. Et quia Vnitas juxta Scotum. 1. sent. dist. 2. q. 7. multos habet gradus: " In primo minima unitas est, *unitas aggregationis*. In 2do gradu est " *unitas ordinis*, quae aliquid addit supra unitatem " aggregationis. In 3. est *unitas per accidens*, ubi " ultra ordinem est informatio, licet accidentalis " unius ab altero eorum quae sunt sic unum. In 4to " est *unitas per se* compositi ex principiis essentiali- " bus per se actu & per se potentia. In 5. est *unitas simplicitatis*, quae est vera identitas, quidquid " enim est ibi, est realiter idem cuilibet, & non tantum est unum illi unitate unionis, sicut in aliis mo- " dis: ita adhuc ultra omnes est *identitas formalis*. " Voco autem, inquit, identitatem formalem, ubi " illud quod dicitur sic idem, in ratione sua formali " includit illud, cui sic est idem; & per consequens " per se primo modo. Doctrina ergo de Vniversali- " bus universalis est, & necessaria omnibus."

VIII. Caeterum *Vniversale* est terminus concretus, dicens pro materiali *naturam*; pro formali, *Vniversalitatem*, id est unitatem & aptitudinem essendi in multis. Accipi tamen etiam potest nomine *Vniversalis*, non tantum natura, sed quodcunque unum commune multis. Quod ipsum sic commune, aliud est Complexum (ut propositio universalis v. g. omne totum est majus sua parte) aliud Incomplexum. Et hoc logice sumptum erit subjectum vel praedicatum propositionis universalis. Longius autem sumendo erit aliud in causando, repraesentando, significando.

Ante omnia nosse oportet, quid hic veniat nomine *Natura?* secundo quaenam unitas requiratur ad hoc, ut dicatur natura universalis? tertio quaenam aptitudo inessendi, & praedicandi de multis. Haec enim nisi funditus excutiantur, ut in his essentialibus requisitis ad Vniversale, conveniamus, altercabimur tota die de nomine in vanum. Hinc

IX. Quaeritur I. Quaenam Naturae universalis formanda sit Idea? Ante Resp. Nota I. Variam esse acceptionem hujus vocis *Natura*. Primò enim vocem hanc, *Natura*, adhibemus, ut naturae auctorem, quem *naturam naturantem* Scholastici ruditer dicunt, significemus, ut cum dicimus, Naturam fecisse hominem partim corporeum, partim spiritualem. Idem ergo significat *natura* barbara vox, ac DEUS.

II. Sumitur *Natura* pro viventium generatione, quae *nativitas* vocatur. Et haec est prima, genuina & germana, tum apud Latinos, tum Graecos nominis hujus significatio. Natura enim a nascendo etymon trahit, & Φύσις, ἀπὸ τοῦ Φύεσθαι, quod est nasci, derivatur. Hinc curiosa Physiognomorum Indagatio, qui juxta apotelesma, hoc est siderum influxu & aspectum mutuum tempore nativitatis cujusque mira prognosticare praesumunt. Hoc sensu quidquid cuilibet in sua origine primo advenit, natura illius esse dicitur. Vt cum dicimus quempiam natura Nobilem, aut Puerum naturaliter pertinacem, morbidum aut timidum. Haec significatio juxta D. Boyle posset exprimi in hunc modum: hic homo, aut hoc animal ita natum est, vel haec res taliter generata est, vel res haec ejusmodi est ab ipso primigenio temperamento ac constitutione.

III. Accipitur Natura, pro cujusque rei Essentia, aut quod Scholastici *quidditatem* vocant; attributa scilicet ea, vi quorum habet res, ut sit id quod reipsa est, sive caeteroquin corporea sit, sive secus. Vt cum conamur definire naturam anguli, aut trianguli, aut corporis fluidi, qua fluidi. In qua significatione docet Fides in tribus personis divinis unam esse Naturam; & Verbi Incarnati unionem, non in natura, sed in persona effectam esse. Quo item modo dicere consuevimus, Definitionem esse orationem, quae rei subjectae *naturam* declarat. Quanquam, si stricte loquamur, id est discrimen inter *Essentiam*, *quidditatem* & *naturam*, quod Essentia importat ordinem ad esse rei, cujus est; quidditas ad definitionem, qua quid res sit, explicatur; Natura, ad operationem. In hac tertia acceptione (omissis pluribus aliis,) usurpamus impraesentiarum nomen *Natura*, dum inquirimus de ejus universalitate.

X. Et mox exsurgunt seqq. difficultates, prima an v. g. in Petro, Paulo, Agnete &c. detur revera nemine cogitante natura humana omnibus communis, in qua conveniant & similes sint? Secundo: Cum certum sit, individua humana inter se differre numerice, idque per Haecceitates puta Petreitatem, Pauleitatem &c. an natura humana Petri cum Petreitate realiter identificetur? an etiam formaliter? an Petreitas ab humanitate Petri sit praescindibilis objectivè? an vero, ut volunt nominales, nulla ex parte objecti reperiatur distinctio (virtualis, fundamentalis, formalis ex natura rei)? Denique qui concipi debeat natura universalis simul una & multa? Haec omnia sunt penetranda, nisi Andabatarum more de Vniversali loqui velimus.

SECTIO III.

De distinctione substantiae seu Naturae ab Ecceitate.

Inter principia Entis, quae id intrinsece constituunt, vulgo recensentur genus & differentia; ea quippe ad certam speciem ens determinant. Quo autem dicitur differentia numerica, individuum ab alio einsdem speciei discriminat. Cum plura inter se comparata, nulla insigni differentia inter se discrepant, numero differre dicimus.

XI. Sed hoc loco quaeritur, quid efficiat, ut Petrus sit à Paulo numero distinctus; an materia, aut forma, aut utraque? an congeries multorum acci-

dentium? atque hæc fere sunt principia physica distinctionis numericæ.

Nominales rem unamquamque per se, & essentialiter singularem esse pertendunt. Thomistæ distinctionem specificam à forma, numericam à materia ducendam volunt. Cum autem materia una sit & omnibus rebus communis, hanc utique non solam aut nudam, sed certa quantitate, ut ajunt, signatam se velut sigillatam principium individuationis constituunt. Alii ad principium metaphysicum confugiunt, sive sit Gradus quidam specifico superveniens, qui hæcceitas solet nominari, sive ut aliis placet, sit subsistentia, sive rei existentia, adeo ut difficile sit omnes hac de re sententias referre. Author quidem Phil. Regiæ Burgund. difficultatem banc non magni facit, & facile conciliari posse putat authores, at ego aliter sentio. Iuvat rationes pro & contra ponderare. Quæritur ergo, utrum omnis substantia sit individua ac singularis? quod est tantundem ac quærere, non detur substantia universalis, seu unum in multis à parte rei? ad hoc autem requiritur Voitas formalis, quam etiam essentialem vocant, estque indivisio essentiæ seu naturæ in prædicatis essentialibus, cujus beneficio essentia v. g. humana, non potest dividi in plures essentias ejusdem adæquate rationis. Sic animal est unum unitate formali, quia prout dicit partes essentiales, vid. corpus sensitivum organizatum ad operationes certas, non potest dividi in alias similes naturas distinctas in ratione animalis, sive in plures naturas animalis genericas, licet possit dividi in plures species sive subjecta, quæ æqualiter participant naturam animalis.

XII. Status ergo quæstionis est, an circa operationem intellectus ejusmodi unitas formalis in qua piam natura reperiatur, distincta quomodocunque (sive realiter, actualiter, sive fundamentaliter, potentialiter, virtualiter, formaliter ex natura rei) ab unitate numerica seu hæcceitatibus? si prius, dabitur universale à parte rei. Sin minus, non nisi per intell[ect]um fabricari necesse. Sunt autem variæ Autho[ru]m sententiæ in distinctione hac determinanda. Vnam alteramve expendemus.

Homo à Petreitate distingvitur. Sed quomodo? Aut nullibi, aut hic, quot capita, tot sunt sententiæ. Has majoris claritatis gratia in tres classes dividimus. Sunto in prima Authores omnes, qui cum Nominalibus distinctionem hanc posuerunt in actibus repræsentantibus. Sunto in secunda, quotquot distinctionem posuerunt in ipsa re significata. In ultima, qui distinxerunt hominem à Petreitate penes connotata extrinseca atque diversos terminos. Quibus & nostram demum opinionem Eclecticam subjiciemus.

Sententia prima Classis.

XIII. Prima asserit hominem à Petreitate distingui non intrinsecus & in se, seu ex parte objecti, sed extrinsece mentis conceptu; quia diverso conceptu exprimitur Petreitas quam homo. Primo concipio Petrum expresse, Secundo concipio Petrum confuse. Tertio concipio differentiam inter horum duorum actuum notitias. Petrus prout expressa cognitus est singularis, quia cognoscitur ut est in se & in se revera est singularis. Petrus confuse cognitus est homo universalis, quia confuse agnitus non est potius Petrus quam Paulus, sed solum quispiam homo. Tertio actu confero has duas notitias, & concipio intentionalem utriusque indifferentiam, & tunc concipio Petrum expresse cognitum prout condistinctum à se ipso confuse cognito, & iste conceptus vocatur Petreitas; homo enim & Petrus differunt sola Petreitate.

Hinc constat, juxta hos authores singularia primo mentis intuitu expresso cognosci. Abstractionem speciei ab individuo esse cognitionem confusam ejusdem individui; & similiter abstractionem generis à specie esse cognitionem confusam ejusdem speciei: & hanc abstractionem esse actum simplicem, confusum tamen & secundarium. Cæterum substractionem Ecceitatis ab Individuo, differentia à Specie, fieri tertio actu collativo, qui comparans individuum cum specie cognoscit discrimen, nempe expressionem illam, quam addit individuum supra speciem; & comparans hanc cum genere cognoscit differentiam, nempe expressionem illam, quam addit species supra genus.

Discursu parallelo voces alii substituunt conceptibus afferentes Petrum, Hominem, & Petreitatem non re, non conceptu, sed labio differre solo. Alii distinctionem in scripturis & libris Philosophorum collocant, quibus sublatis, hæc tria, Petrus, homo, Petreitas sine distinctione omnino remanerent.

Sententiæ secundæ Classis.

XIV. Omnes Authores hujus Classis affirmant concretum, abstractum, & substractum distingui non extrinsece in actibus significatis, sed in seipsis. Differunt autem in modo explicandi.

Prima asserit Speciem non solum esse distinctam, sed & separatam ab Ecceitatibus, eamque à singularibus participari.

II. Separationem tollit idearum, distinctionem tamen realem actualem admittit inter speciem & ecceitatem, non aliter ac inter Petreitatem & Pauleitatem; addit tamen, Speciem (Ideam) esse formam singularis seu Individui.

III. Affirmat, speciem ab Individuatione differre realiter ante mentis operationem, ut res a re. Individuationem autem esse formam seu actum contrahentem speciem, & constituentem eam in esse talis. Quia homo v. g. est subjectum Petreitatis, qua constituitur in esse Petri.

IV. In hoc tantum dissidet a priore, quod asserat ecceitates non esse res, sed mere modos, in reliquis parallelizat.

V. Sententia asserit, speciem ab individuationibus distingui ex natura rei, hoc est, distinctione vera existente in rebus ante operationem intellectus, quæ sit maior distinctione rationis, & minor distinctione actuali. Hanc distinctionem sæpe vocant *realem ex natura rei*. *Realem* dicunt, ut exprimant non esse ab intellectu fictam: addunt illud, *ex natura rei*, ut eam ab aliis distinctionibus (nempe physica & modali) discernant.

VI. Sententia eorum est, qui Vniversale credunt esse ante ecceitates, non re sed potentia, quo ad actum nusquam reduci potest. Est P. Fonsecæ 5. metaph. cap. 28 quæst. 3 sect. 2 & deinceps.

VII. Eo-

VII. Eorum est, qui Vniversalia actui intellectus præponi existimant non actu sed solum fundamento, quia in eorum opinione species ab eccеitatibus distinguitur distinctione rationis ratiocinatæ, quia potest homo concipi non concepta eccei tate, & e converso. Idcirco dicunt non dati anta Mentem Vniversale formaliter, sed fundamentaliter, quia datur in rebus ipsis quæpiam capacitas seu fundamentum, ad hoc ut una formalitas sine alia concipiatur. Differt hæc sententia a præcedente, quia Add. sextæ sententiæ asserunt naturam secundum se habere capacitatem, ut existat sine eccеitatibus, quæ tamen potentia ad actum non reducitur defectu causæ operatricis: Propugnatores autem hujus sententiæ septimæ affirmant naturam secundum se habere capacitatem & potentiam, ut cognoscatur sine individuis, & addunt, hanc potentiam ad actum reduci quoties concipitur universale.

VIII. Alii duplex fundamentum dari asserunt ad hoc, ut natura fiat universalis, existimant enim dari unitatem intermediam, quæ nec sit specifica nec singularis. Dicunt enim naturam humanam ex. gr. abstractam a Petro, non esse universalem, quia Petrus non componitur ex natura communi & Petreitate. Inde est quod per duos actus natura fiat universalis. Per primum abstrahitur natura a Petreitate; sed is non sufficit eam reddere universalem, quia adhuc natura remanet semicontracta, & eget ulteriore abstractione, qua à propria singularitate denudetur, fiatque universalis. Ratio hujus, quia natura humana Petri, etiam ut abstracta à Petreitate, adhuc differt à natura humana Pauli, tametsi pariter abstracta à Pauleitate, non quidem distinctione numerica stricta, sed minore quadam, plus enim est quodammodo naturæ in pluribus individuis multiplicatæ & quasi replicatæ, quam in uno solo; nec putandum illam se habere ut corpus Christi in pluribus hostiis consecratis. Juxta hanc sententiam dicere oportet hominem abstractum à Petro non posse de Paulo prædicari, species enim, ut de omnibus verificetur, ab omnibus præscindi debet.

Sententia III. Classis.

XV. Sententia Prima bujus classis considerat diversas potentias in supposito, & exprimit id in ordine ad easdem, & sic penes connotata extrinseca distinguit gradus genericos, specificos & individuales. Petrus habet potentiam movendi se ab intrinseco, virtutem sensitivam, & perfectionem rationalis. Hæc est communis solis hominibus, sensus reperitur etiam in brutis; vegetatio motus vitalis est, qui convenit etiam bruto & arbori. Consideratis istis potentiis formant suas ideas hoc modo: Primo concipiunt Petrum expresse, & iste conceptus solum potest prædicari de Petro identice, quoniam & ipsi & uni competit. Secundo concipiunt Petrum confuse prout habet potentias rationales, & iste conceptus est specificus, quia omnibus hominibus convenit, omnes enim habent rationales potentias. Tertio concipitur prout habet sensus, & conceptus iste est genericus prædicabilis etiam de brutis, quia hæc etiam donantur sensibus atque potentiis animalibus; & sic deinceps usque ad summum prædicatum Ens, quod est genus generalissimum, in quo conveniunt universa.

Secunda & ultima ex plausibilioribus sententiis de Vniversali & Singulari, non potentias sed actus respicit, tum quia multi has à suppositis non distingui asserunt, tum etiam quia hæ specificantur à suis actibus, & ideo facilius sumitur denominatio ab ipso actu, qui ex se specificativus est & non specificatur ab extrinseco. Quia specificatio, quam ab objecto sumit, est mere materialis. In exemplo. Actus videndi v. g. in se habet quod actus visivus sit; ab objecto recipit, quod hujus alteriusve rei visivus sit. Specificat autem potentiam, non in quantum albedinem respicit, sed in quantum colorem ut sic.

Ex his sententiis pleræque (judicio doctissimi Caramuelis) sunt propter suos Authores commendabiles, nitunturque fundamentis sat firmis & solidis, ut possint tueri se, & antagonistas adoriri, ut patebit ex infra dicendis, ubi in gratiam Lectoris Eclectici singulas resumemus & penitius explicabimus.

Modo videamus, quomodo Insignis ille Author Phil. Reg. Burgund. in Edit. altera Paris. de A. 1681. Tom. 2. Tract. 1. Met. q. 6. conciliare studeat sententias diversas circa principium individuationis. Statuit igitur seqq. conclusiones.

XVI. Prima: *nullum est principium physicum Individuationis.* Probatur. Primum enim forma seorsim sumpta non est principium Individuationis, ut fatentur omnes, non enim Petrus & Paulus inter se numero distinguuntur, quia uterque anima rationali donatur. Sed nec materia seorsim sumpta, tametsi constituat individuum, ut principium materiale, uti & causæ reliquæ, attamen non efficitur formaliter individuum, ut est individuum, cum ea non sit determinata ad unam formam potius quam ad alteram, ergo. Quod autem Thomistæ contendunt, non materiam solam, quæ potentia est vaga & indeterminata, sed tali quantitate signatam esse principium physicum individuationis, hoc difficultatem auget, non tollit. Quid enim sibi velint per illam sigillationem quantitatis, non satis, inquit, intelligimus. An quod materia jam sit quantitate sua instructa priusquam individuum constituat? quod si ita sit, individuum erit quoddam ens per accidens, ex substantia nimirum & quantitate conflatum.

Verum subtiliores Thomistæ per illam quantitatis sigillationem, materiam solam intelligunt, quatenus certæ quantitati destinatur, eamque non formaliter, sed radicaliter continet.

Sed contra: materia prius formam substantialem, quam ipsam quantitatem excipit, ergo ea potius erit individuationis principium ut forma, sua sigillatur, quam ut certa quantitate signatur. Hæc ille.

Fateor imbellicitatem ingenii mei, non capio, quî materia possit recipere formam substantialem sine prævia quantitate: dein si forma secum ferat quantitatem, utique secum illam auferet dum separatur, & tot novæ quantitates advenient materiæ quot formæ successive. Qui potest capere, capiat.

Ex iis liquet (pergit idem author) rem non fieri individuam per congeriem quorundam accidentium: prius enim res concipitur individua, quam accidentibus suis ornata. 2. cum quædam ex iis accidentibus

den-

dentibus pereunt, non ideirco res singularis motatur. 3. quia accidentia citra substantiam in Eucharistia conservantur; sic & substantia citra accidentia esse & concipi potest, & tamen tum erit singularis & individua. Ergo res non fit singularis per accidentium congeriem, tametsi ea accidentia rem singularem manifestam faciant.

Secunda Conclusio. *Non est aliud individuationis principium quam rei existentia.* Prob. primò. Quia sine necessitate fingitur gradus quidam numericus præter existentiam, cum hæc præstare possit, quod gradus ille efficeret. Secundo existentia est singularium, & efficit rem singularem: quod enim dat esse, simul & esse, & singulare tribuit: neque enim res universim, sed hic & nunc existit: ac sola demum ex sola demum existentia essentiam ex se vagam & indifferentem omnino determinat.

Porro juxta eundem Authorem Existentia non distinguitur ab essentia nisi virtualiter; hoc est, sunt diversa utriusque prædicata, diversi adeo conceptus; nam existentia concipitur accidere Essentiæ, ut rationale animali. Unde in ordine ad humanas scientias illa distinctio (virtualis) reali æquivalet, quatenus per diversas ideas concipiuntur.

Pro solutione objectionum adverti jubet, triplex esse individuationis principium. Primum est Effectivum; sic causa effectrix rem efficit singularem. Secundum est manifestativum, quatenus nos ducit in cognitionem rei singularis. Quo quidem modo collectio accidentium principium individuationis dici potest. Tertium est principium formale, quod se, speciem ex se indifferentem determinat; nempe existentia.

Id compendii habet hæc sententia, quod pariformiter de substantiis materialibus & spiritualibus discurrat: quare illud absolute negatur, unitatem numericam nullam esse in rebus, quæ materiæ sunt expertes.

Quidni enim Deus efficere possit duos Angelos omnino inter se similes, & solo numero differentes? uti & animæ rationales, non specie, sed numero inter se discrepare credimus.

Dices: Ejusdem formæ non sunt diversi effectus formales: sed existentiæ & principii individuationis sunt diversi effectus formales: nam existentia dat esse seu existere: individuatio efficit rem singularem, qui sunt diversi effectus, ergò existentia non est principium formale individuationis.

Resp. dist. maj. Ejusdem formæ non sunt diversi effectus formales, non sibi mutuo subordinati. C. sibi mutuò subordinati. N. Nam existentia dat esse, & tale esse, ex quo sequitur ut res sit hæc numero non alia. Ut albedo parietem efficit album, unde sequitur similitudo cum alio pariete.

XVII. Pro majori declaratione præcedentis doctrinæ considerare possumus duplicem individuationem, intrinsecam & extrinsecam. Nam Ens singulare est compositum ex sua essentia & singularitatibus, in quibus sunt & accidentia, quæ sortiuntur tanquam propria, si sunt ab intrinseco, & essentialia reputantur illis; si autem ab extrinseco, non sunt essentialia illis in quantum sunt, hoc aliquid, sed in quantum sunt hæc pars Universi. Petrus enim, in quantum Petrus, habet suæ singularis essentiæ integritatem ex accidentibus innatis & connatis, in quantum est hic homo, & per illa definitur, quæ tamen essentialitates magis dici debent, ut sic, quam accidentia. Sed Petrus, in quantum est pars Mundi, habet passiones illatas ab aliis rebus Mundi adjacentibus, quæ sunt accidentia, eo quod superadduntur essentiæ. Nam quatenus pars Reipublicæ est v. g. Judex, vel Agricola, vel miles, & multa patitur agitque ob idem. Quatenus vero Mundi, afficitur à Sole, à tellure, à spinis, à pluvia, à Doctoribus, à cibis, à loco, à tempore, ab aere, calescit, albescit, multaq; alia patitur accidentia, quæ sunt de essentia ejus, ut pars, non ut Petrus hic homo. Hæc autem accidentia exteriora sunt de integritate existentiæ exterioris, interiora vero de interioris. Et ita deberent dicere Peripatetici, nam suppositum à Natura distinguunt, quæ hæc excludit accidentia, illud vero includit. Tunc quæritur, an quidditati seu naturæ essentiale est esse in individuis an non? Si non, ergo de illis prædicatur per accidens. Sin econtra, ergo existentia hæc est huic essentiæ essentialitas.

XVIII. Diximus autem alibi Existentiam distingui ab Essentia ut modum metaphysicum ex natura rei. Et quidem D. Thomas & Cajet. dicunt existentiam esse accidens, dum dicunt esse aliquid reale extrinsecum, quod supposito advenit, ut superadditum naturæ seu quidditati, & non esse prædicatum essentiale; unde nescio, inquit Campanella, quo pacto mox illud reducant ad prædicamentum propriæ essentiæ, cum illis prædicamenta fiot impermista & realiter distincta. Nobis autem non ita repugnans est assertio, quippe qui Prædicamenta distinguimus notiones: & præterea essentia non distinguitur à quantitate (virtutis) in Angelo & Deo, & calore & aliis simplicibus. Quapropter terminus essentiæ est quantitas ejus & idem cum ea realiter, non autem ratione & notione, seu ex natura rei. Linea quoque cujus essentia est quantitas, non habet terminum alterios generis realiter, sed notionaliter, & ex rei natura. Quapropter etsi quantitas corporea sit aliud ens à forma activa materiæ inhærente, & terminet ipsam, & componat cum ipsa: tamen formæ terminus intraneus est modus ejus ejusdem realitatis. A materia autem non est aliud quantitas interminata: sed terminata differt ab ea, ita ut sit altera notio & realitas.

Non est ergo existentia (& consequenter hæcceitas) materia, nec forma, nec compositum, sed omnium modus postremus, seu quantitas, seu mensura transcendentalis; vel realis relatio ad exteriora, vel finis essendi, & principium non essendi, vel relatio inter esse & non esse. Et quatenus habet esse, ad essentiam spectat; & quatenus non esse, ad nihilum. Et cum sit minimæ entitatis, obscura est notio ejus.

SECTIO IV.

Sententiæ præmissæ revocantur ad incudem.

XIX. Prima I. Classis sententia, pro qua citantur fere omnes qui audiunt Nominales (sic eos vocat non Zoilus, sed Theologiæ Angelus Thomas 1. p. q. 14. art. 15. & Albertus Magnus in præfat. Porphyrii tract. 1. cap. 1.) comprehenditur duobus assertis.

Pri-

Primum. *Species universalis prædicabilis est actus repræsentans unum, vel plura individua confuse & sine distinctione.* Probatur I. Universale debet esse unum commune pluribus: atqui communis pluribus est actus significans, non res significata; ergo actus significans est universalis, & non conceptus objectivus. Maj. est ab omnibus admissa, utpote Aristot. in pluribus locis. Minor prob. Nihil quod intrinsecus convenit Petro, potest verificari de Paulo; quia quod Petro intrinsecus convenit, est de essentia Petri: essentia autem Petri est ipse Petrus: sed Petrus non potest prædicari de Paulo, ergo nec Petri essentia poterit prædicari de Paulo.

Prob. Secundo. Ratio universalis debet verificari de omnibus individuis, ergo ratio hominis est Petrus, Joannes & Franciscus. Sed repugnat quod unum sit plura quoad entitatem, non repugnat quod sit plura quod significationem, ergo universale ad in entitate, sed in significatione consistit. Vnum non posse esse multa quoad entitatem, constat; quis unum & plura opponuntur, aut contrarie, aut contradictorie, ita tamen ut in omnium opinione fiot incomponibilia in eodem fundamento. Jam vero unum quoad significationem posse esse multa, hoc est, posse idem signum plurima indigitare, comprobant nomina æquivoca, & analoga, quorum quodlibet simplex cum sit, multa simul significat, vel seorsim & successive expresse, si fuerit æquivocum, vel confuse simul, si analogum aut univocum sit.

Prob. Tertio. Illud est universale, quod de Petro prædicatur & verificatur, dum dico: *Petrus est homo:* Sed verificatur non res, sed actus repræsentativus, ergo. prob. min. si homo ipse esset universalis, esset is sensus; *Petrus est homo universalis*, qui in omnium opinione est falsus. Si autem actus repræsentans, donetur universalitate, erit hic sensus: *Petrus est aliquid repræsentatum actu universali*, & hic sensus est verus.

XX. Secundum assertum. *Hic actus, in quo consistit universalitas, debet esse mentalis, non vocalis aut scriptus.* Prob. Primo. Vniversalitas est in actu significante plura per modum unius; hoc præstat solus actus mentalis, ergo. De majore non dubitas, min. probant. Et primo Verbum mentale *homo* concipit plures homines per modum unius: sed verbum vocale *homo* significat verbum mentale, quod est unum & non plura, ergo verbum vocale non significat plura per modum unius. min. prob. ex Arist. L. I. peri herm. c. I. textu I. ibi: "Ea igitur quæ in "voce consistunt signa sunt affectuum, qui in anima "sunt; & ea quæ scribuntur, notæ sunt eorum quæ "in voce consistunt. Atque sicut non eædem sunt "apud omnes literæ, sic neque voces eædem sunt; "affectus tamen quorum hæ signa sunt primo, iidem "apud omnes sunt. Hinc constat etiam scripturas excludendas esse, quia verbum scriptum *homo* non significat homines plures, sed vocem *homo*, quæ unica est, & absolute singularis.

Prob. Secundo. Natura universalis debet inferioribus essentialiter & intrinsece competere, ergo ratio hominis debet intrinsecus & essentialiter competere Petro & Joanni. Atqui vox *homo*, sicut & scriptura *homo*, sunt Petro & Joan. accidentales, & conceptus *homo* solum intrinsece & essentialiter competit ipsismet, ergo in conceptu mentali consistit universalis hominis natura, & non in scripto aut vocali. Minorem probant. Voces & scriptura significant ad placitū, ergo accidentaliter. Verba mentis significant naturaliter, ergo tantum Verbum mentale *homo* intrinsece & essentialiter competit Petro, Joan. & Adamo.

Prob. Tertio. Actus significans plura est universalis, ergo qualiter plura significat, erit taliter universalis. Atqui actus mentalis *homo* significat plura proprie, intrinsece & essentialiter: vox autem *homo* & scriptura *homo*, vel non significant plura ut supra probatum, vel si significant, significant ad placitum, hoc est, extrinsecus & accidentaliter, ergo mentalis actus seu conceptus formalis solus est specifice universalis; probatur consequentia, quia universale prædicatum debet inesse multis intrinsece & essentialiter, non tantum extrinsece & penes placitū Nomenclatorum.

Hæ rationes favent tribus prioribus sententiis primæ classis, quæ tantum differunt in modo explicandi: omnes enim dicunt universalitatem consistere in actu repræsentativo; differunt autem in expositione hujus actus.

Contra has universim, quæ Caramueli improbabiles & vix intelligibiles videntur, ponit ipse seqq. Conclusiones, quas tu ponderabis. Difficile enim est concipere, quomodo intellectus possit unum vel quatuor vel omnia singularia cognoscere confuse; idque ex duplici capite, tum ex intellectus perfectione, qui nihil potest cognoscere confuse; tum ex ingenio Vniversalitatis, neque enim confusio hujus non dū conceptus sufficit ad hoc, cui objectum fiat universale. Quapropter opponuntur theses seqq.

XXI. Prima: *Simplex formalitas confuse intelligi non potest.* Ostenditur, quia intellectus vel percipit totum Petrum vel tantum rationem hominis? Si hoc ultimum, ergo jam dantur præcisiones objectivæ, quæ negabantur. Si primum dicas, ergo expresse concipit, quia nulla est confusio in intellectu, quando concipit totum objectum.

XXII. Dices I. Similis est in operationibus suis Mens sensui exteriori, utitur enim speciebus impressis expressisque, & in aliis circumstantiis etiam parallelizat: atqui sensus exteriores sæpe confuse concipiunt sua objecta. Nam Visus distantes colores confusus respicit. Auditus sæpe indistincte percipit, atque ideo non raro ea repeti jubemus, quæ vel nondum audieramus, vel nondum bene. Non secus accidit in aliis sensibus.

Resp. Sensus externos in multis rebus esse symbolos menti, non in omnibus; imo in hoc ipso, de quo agimus, à Mente discrepare. Ipsi plurima confuse percipiunt, omnia mens clare. En causam! Exteriores potentiæ sensibiles cum materiales sint, indigent approximatione debita, non enim possunt extra suam Sphæram debite operari: mens vero sphæram activitatis non cognoscit, spiritualis est, & ideo in operando non dependet à loco: tam perfecte enim possumus concipere D. Petrum in Empyreo triumphantem, quam socium nobiscum domi commorantem.

XXIII Dices II. Si non darentur notitiæ confusæ, omnes essent æque docti, quia omnes easdem conclusiones scimus, & tota in eo consistit differentia, quod doctiores clarius ac distinctius eas sciant, confusius & imperfectius eas calleant indoctiores.

Resp. Scire esse rem per causas cognoscere; ille autem doctior qui per causas magis nobiles & necessarias. Defendis eandem sententiam quam Petrus; te sapientior ille, si instruatur demonstrativo analogismo, & tu mere probabili. Præterea admitto clarius & perfectius concipi objectum ab uno, quam ab alio, & proinde ab aliquo minus distincte; assero tamen à nemine confuse intelligi. Instantiam habemus in Schola Thomistica. Deus est immaterialior Angelis, sed hinc non sequitur, Angelos esse materiales, sed solum habere immaterialitatem divina imperfectiorem. Non aliter: esto inconfusius intelligat objectum doctus, ergo indoctus intelligit confuse? Nego consequentiam. Habet insipiens in intelligendo objecto confusionem imperfectiorem. Notitia docti clarior, quam indocti; notitia autem indocti non obscura, sed minus clara.

XXIV. Oppones III. Fatui, ut communis fert opinio, habent notitias rerum confusas & inordinatas species, ergo non sunt impossibiles cognitiones confusæ.

Resp. In intellectu confusionem posse bifariam esse. Primo si dicamus, plures notitias, quæ distincte concipiunt sua objecta, esse confusas, hoc est, inordinatas. Secundo si dicamus notitiam simplicem confuse & obscure attingere objectum. Hoc ultimum censemus impossibile, non illud prius. Fatui, stulti & phrenetici distinctas rerum cognitiones confundunt, deordinant atque indebite miscent, sed simplicia bene apprehendunt, laborant enim judicio, non tamen simplici apprehensione. *Simplici* dixi, quia etiam laborant apprehensione composita. Vos enim intellectualis apprehensiva, non solum Ens concipit & perseitatem, sed etiam ex utraque formalitate substantiam, & hanc sine judicio constituit & componit, & in hac compositione potest esse error, non in simplicium apprehensione, quia indivisibile & simplex vel totum attingi debet, non attingi. Ideo si Petrus (ut isti Authores asserunt) vel non componitur ex formalitatibus præcisis objective, simplex & indivisibilis entitas est, vel tota attingi, vel tota non attingi debet. Si tota attingitur, expresse attingitur. Vel dicito, in prædicato hujus propositionis *Petrus est homo*, vel aliquid exprimitur, aut nihil? Si nihil exprimitur, non differet ab hac *Petrus est*, ergo totus Petrus exprimitur, quia Petrus est indivisibilis, ac per consequens hæc prædicatio est identica, indistincta ab hac *Petrus est Petrus*. Vel si totus Petrus est objective divisibilis, ut asserunt Authores II. & III. classis.

XXV. Oppones IV. Datur actus simplex, confusus & obscurus, ergo non solum est possibilis confusio in compositione, sed etiam in apprehensione simplici. ant. prob. actus fidei sunt simplices & tamen obscuri.

Resp. In apprehensione simplici nihil esse de fide aut contra fidem; imo neque in composita: apprehendere enim Deum quaternum non est hæresis; esset hæresis id affirmare, quia hæresis in judicio consistit.

Præterea, actus fidei obscurus quidem est, confusus tamen non est, neq; deordinatus. Bene connectit apprehensiones, ac de ipsis bene judicat, obscure tamen, non scientifice, nec à principiis probabilibus ductus, sed à motivo extrinseco, nempe à Divino testimonio. Et hæc obscuritas est in alio genere. Sic clare concipio Christum esse passum, ex Maria virgine natum: causam tamen harum assertionum non solum clare non concipio, sed nec obscure: ideo autem dicor obscure cognoscere non quod revera non cognoscam, sed quia non cognosco per causas intrinsecas, sed solum per testificationem revelantis.

XXVI. Objic. V. Obvium argumentum. Video Petrum venientem à longe: prius concipio ipsum confuse sub ratione corporis; postea ex motu colligo esse corpus vivens; postea si propior fiat, ex figura cognosco esse hominem: tandem ex facie & aliis quantitatis organicis dispositionibus cognosco eum esse marem, non fœminam (sic enim indicant vestes) & tandem Petrum. Ergo prius cognoscebam confuse gradum rationalitatis & vitæ; postea vite est expresse cognita, & rationalitas confuse: & sic deinceps, donec tandem petreitas ultimo actu exprimitur. Dantur igitur cognitiones confusæ, quæ totaliter non attingant objectum.

Resp. Hoc argumentum non urgere. Dico enim Gradus metaphysicos corporis, vitæ, sensus, rationis & ecceitatis distingui ex natura rei. Sic quando Petrum è longinquo conspicio, scio esse corpus, rationem corporis expresse attingo. Non datur his actus confusus, qui confuse attingat vitam atq; rationalitatem, sed has formalitates nec expresse nec confuse concipio. Sic similiter ex motu progressivo colligo expresse illud corpus, quod eminus cerno, esse animal, in quo sensitivitatem expresse concipio; rationalitatem neq; confuse neq; expresse, quoniam hanc non concipio. Tandem venio in notitiam expressam ratio nalitatis &c. Ergo non dantur cognitiones confusæ.

XXVII. II. thesis: *Licet Petrus confuse conciperetur, non tamen esset qua confuse cognitus, universalis formalitas, nec de pluribus prædicaretur.* Ostenditur. Cum Petrus confuse cognoscitur, vel cognoscitur totus Petrus, vel solum illa Petri pars, in qua is convenit cum aliis speciei humanæ singularibus. Si dicas hoc ultimum, ergo defectionem facis à prima classe, & admittis præcisiones objectivas; juxta hunc enim dicendi modum, ratio illa qua Petrus ab aliis dissidet, ne confuse quidem cognoscitur. Si primum dicis, nempe cognosci totum Petrum; infero, ergo totus expresse cognoscitur, quia per te est indivisibilis, & nequit partim exprimi, & partim confundi, cum vere nullas habeat partes. Hinc iterum. Totus expresse cognoscitur, ergo nequit de Paulo prædicari, quia hæc propositio *Paulus est homo*, redderet hunc sensum *Paulus est Petrus*, quæ est absolute falsa.

XXVIII. III. thesis: *Omnia individua confuse cognita, non sunt natura specifica universalis prædicabilis de singulis in particulari.* Volo dicere, condonando ultro posse omnia individua simul confuse cognosci (sit possibile aut non) negu adhuc illa sic concepta habere unitatem requisitam ad Vniversale: nego illum conceptum objectivum esse v. gr. speciem hominis prædicabilem de singulis in particulari. Ratio est, quia hæc propositio *Petrus est homo* redderet hunc sensum *Petrus est omnia individua humana confuse cognita.* Hucusque Caramuel.

Impugnatur ulterius prædicta Nominalium sententia, evertendo fundamentum illius. Fundamentum horum Auctorum est, quia unitas nihil est aliud quam indivisio & negatio multitu-

titudinis, ergo illa est unitas Vniversalis, per quam Vniversale est indivisum & negat multitudinem. Sed hoc habet formaliter per actum confusum præscissivum, ergo hic actus est unitas Vniversalis. Maj. constat. min. prob. quia illud est ratio formalis constituendi universale unum per quam natura communis separatur à differentiis contrahentibus; sed actus confusus est formalis separatio à differentiis contrahentibus, ergo est ratio formalis constituendi unum. Maj. prob. quia multiplicatio & divisio naturæ fit per differentias, ex quibus enascitur omnis distinctio; ergo ratio, quæ tollit differentias, tollit etiam multiplicationem. prob. etiam min. prioris Syllogismi. Formaliter seu intentionaliter separare naturam à differentiis est concipere formaliter naturam non concipiendo formaliter differentias, sed hoc facit actus confusus. ergo &c.

Constat autem ex dictis, actum ejusmodi confusum, etiamsi gratis admittatur, non tamen sufficere ad Vniversale: nunc autem argumento ad hominem (ut vocant) ostendemus, Authores istos sibi contradicere ex eo, quod ad rationem Vniversalis exigant unitatem rigorosam ex una parte, cum tamen in actu confuso talis nullatenus reperiatur.

Primo igitur sic argumentor: Ideo negas Vniversale posse dari à parte rei, eo quod à parte rei non possit reperiri unitas rigorosa in natura, quæ dicitur universalis: atqui actus ille confusus non est talis unitas, ergo. prob. min. quia illa non est nisi unitas extrinseca: sicut enim misericordia & justitia divina v.g. non sunt proprie distinctæ, quia tantũ distinguuntur extrinsece per actus intellectus nostri (aut ut alii per connotata) ita è contrario non poterunt omnes homines dici proprie & rigorose quid unum, quia non intrinsece, sed tantum extrinsece ab actu intellectus illis convenit unitas.

Deinde illa unitas consistit in eo, quod repræsentetur instar unius, non tamen unum sed plura, ergo non potest esse unitas rigorosa, quia actus distinguens ratione duas formalitates identificatas facit extrinsece distinctionem inter illas, non propriam, quia non concipit distincta sed unita instar distinctorum, ergo etiam actus ille confusus, qui non concipit unum sed plura instar unius, non tribuet illis unitatem propriam: imo vix ullam, quia non ideo Angelus dici potest juvenis alatus, quia rudes eũ concipiunt instar talis juvenis, ergo etiam objecta plura non ideo dici poterunt quid unum, quod concipiantur instar unius.

Præterea omnis unitas quam habet universale juxta Add. est sita in repræsentatione; in hac autem est aliqua pluralitas, nam ex parte objecti immediate repræsentantur plura, ergo non est rigorosa unitas. probo consequentiam, quia unitas in repræsentatione & pluralitas in repræsentatione opponuntur, & ideo quo plus est pluralitatis in repræsentatione, eo minus est unitatis; cum igitur à repræsentatione non absit omnis pluralitas, consequenter unitas non erit omni ex parte perfecta.

XXIX. Dices: Modus iste unitatis excludens omnem pluralitatem repugnat Vniversali, ergo Vniversale habet unitatem eo modo strictam, quo modo illi competit habere.

Contra est, ergo repugnat Vniversali rigorosa unitas, quod intendebam elicere, cur ergo doces unitatem debere esse rigorosam? dicamus ergo sufficere unitatem similitudinis, quam tu rejicis ex eo quod non sit rigorosa.

Conf. I. Vnum proprie loquendo nihil est aliud quam indivisum in se, ergo unitas propria & rigorosa non debet esse extra rem, quæ est una, sed in ipsa intrinsece, alias non erit ea res indivisa in se, sed potius in alio: sed unitas illa actus confusi non est in re ipsa quæ est una, sive (quod idem est) non est illi intrinseca, ergo respectu illius non est unitas rigorosa.

Confirm. II. Vnitas rigorosa & proprissime dicta est unitas simpliciter dicta & non tantum secundum quid: sed ille actus confusus non potest dici unitas simpliciter, neque universale potest dici ab ea simpliciter unum, quia unitas consistit in exclusione pluralitatis, & consequenter unitas simpliciter dicta excludit omnem pluralitatem: sed Vniversale non excludit per illum actum confusum omnem pluralitatem; tum quia intrinsecam pluralitatem adhuc retinet, tum quia per illum actum ex parte objecti repræsentatur pluralitas, ergo Vniversale nec in esse reali, nec in esse repræsentativo excludit pluralitatem, ergo non redditur unum simpliciter ab illo actu confuso.

Hic tamen cave æquivocationem, si enim stricte loquamur, solus DEus est simpliciter & absolute unus: omnes creaturæ constant ex esse & non-esse prout alibi demonstramus.

Arguo secundo. Juxta Add. ad Vniversale requiritur, ut sit unitas, in ea ratione, in qua est multiplicitas; sed unitas quam tu ponis, non est talis, ergo. prob. min. unitas, quam tu ponis, consistit in eo, quod formaliter seu ex parte modi cognoscendi non cognoscantur inferiora explicite, ergo unitas universalis per te consistit in negatione explicitæ repræsentationis inferiorum, v.g. Pet. Pauli &c. Sed hæc negatio seu exclusio, non est nisi in cognitione, non vero in natura ipsa; multiplicitas autem est in ipsa natura humana v.g. & non in cognitione, ergo per te unitas & multiplicitas Vniversalis non sunt in eadem ratione.

Confirm. Ideo Natura Divina non est universalis, quia licet habeat unitatem & aliquam multiplicitatem nim. in relationibus, unitas tamen non est in ea præcise ratione, in qua est multiplicitas vid. in relationibus, sed in ratione quæ est aliquo modo extra relationes (nimirum in natura) & non plane intrinsece in ipsis relationibus: sed etiam unitas universalis, quam tu ponis, non est in ipsa ratione quæ est multiplex, sed extra illam vid. in cognitione, ergo quem unitas nat. div. est insufficiens ad faciendam illam universalem, tam insufficiens erit unitas extrinseca cognitionis ad faciendam universalem naturam creatam.

Argumentor tertio. Si actus confusus sit unitas formaliter denominans universale unum, ergo vel est actus disjunctivus, vel copulativus? non quod putet non dari medium sed quod Add. quos impugno, id putent, sentiantque illum actum vel esse copulativum vel disjunctivum. Sed actus ille nec est copulativus nec disjunctivus, ergo. prob. min. de primo clare, quando enim dico *homo est animal*, ex parte subjecti fit universale, sed tunc nulla fit disjunctio, non est sensus quod hic vel ille homo sit animal, ergo actus constituens universale, seu determinans illud unum (quæ duo per Add. idem sunt) non est disjunctivus. Eadem minor probatur de utroque, quod nimirum actus constituens universale, neque copulativus, neque disjunctivus sit. Sic inquam Vt fiat disjunctio vel copulatio, debet apparere pluralitas per actum, non tantum ex parte objecti, sed etiam ex parte actus, hoc est plura ut plura debent dis-

 jungi

juogi vel copulari. Atqoi conceptus faciens Voiversale noo cognoscit nec discernit pluralitatem, ergo ipse oon est copulativos nec disjunctivus. Maj. patet, vel quia distinctio est cum dicitur, vel hic vel ista &c. Copulatio vero est cum disitur, & hic, & iste & ille &c. qui duo conceptus exprimunt non taotum ex parte objecti, sed etiam ex parte actus pluralitatem. Min. prob. Conceptus Vniversalis debet per te omnem euferre divisionem seu pluralitatem, requiris enim unitatem perfectam & rigorosam, imo propriissimam, quæ consistit in oegatione & sublatione omois divisionis & pluralitatis, alioquin uoitesilla, quæ per te formaliter consistit io illo actu coofuso, noo redderet universale perfecte unum. Itaque cooceptos ille nullam debet multitudinem, oe quidem subobscure exprimere. Vnde omnes Add. fatentur ooo fieri Vniversale per hone actum *omnes homines*, quia saltem subobscure per illum discernitur pluralitas.

XXX. Restat nuoc ut secundæ sententiæ primæ Classis, quæ conceptibus substituit voces & mera nomina, satisfaciemus. Hanc tuentur illi, qui vere vocantur Nominales, & asserunt Petrum, hominem, enimal, vivens, solum differre vocibus; in rebus seu objecto præter singulares simplices entitates nihil omnioo reperiri. Logica, inquiunt, est Scientia Nominalis, agit tamen de universalibus, Genere, Specie, differentia, & individuo, ergo hæc omnia suot mere vocalia. Maj. probatur ex etymo, quia dicitur λογικὴ, ἀπὸ τῦ λόγυ, atqui λέγος significat Verbum, ergo græce vocator λογικὴ, quæ latine dici posset *Scientia nominalis*. Hinc Chrysaorius, docendus Logicam, expositionem quinque vocum prædicabilium postulavit à Porphyrio; qui remisit libellum, quem inscripsit Isagogen de quinque vocibus differentem.

Quod si illis objicias: Si vox *homo* prædicaretur de Petro, & noo natura universalis, hæc enunciatio *Petrus est homo* redderet hunc sensum: *Petrus est vox homo*, vel saltem hunc: *vox Petrus est vox homo*; hæ autem propositiones sont falsæ.

Respondent, Voces bifariam posse sumi, vel in quantum sonoræ sunt, vel in quantum significativæ sunt (sive materialiter, & formaliter.) Priori acceptione voces nostræ conveniunt etiam brutis, quæ sonum edunt, & aera linguis verberant. Posteriori solum hominibus conveniunt; quie vel ex eorum placito, vel ex naturali ingenio eam induunt connotationem, quæ indigitet proprium objectum. Supposita hac doctrina verissima, respondent Nominales ad objectiooem. In priori acceptione, inquiunt, hæc propositio *Vox-Petrus est vox-homo*, est falsa, quia entitas materialis hujus vocis *Petrus*, non est entitas hujus vocis *homo*. Cæterum in 2da acceptione est verum dicere *Vocem-Petrus esse vocem-homo*, quia hæc quantum significativæ conveniunt, & idcirco idem est dicere *Petrus est homo*, ac dicere *Petrus significatur voce homo*. Sive *Petrus est homo* æquipollet huic *vox significans Petrum est vox significans hominem*.

Sed examinemus, an hoc juxta ipsorum Nominalium principia recta dici queat. Asserunt omnia à parte rei esse singularia, ergo vox *Petrus* significabit hominem singularem A. & vox *homo* eundem hominem A; ergo hæc propositio erit identica, non formalis, *Petrus est homo*, quia exponitur *vox significans hominem A. est vox significans hominem A.* Si dicas, vocem *Petrus* significare individuum A. determinate sumptum; vocem aotem *homo* significare unum iodividuum vage, hoc est aliqnem hominem. Hinc ad hanc enunciationem *Petrus est homo*, in tua sententia, æquivalebit huic vox *Petrus est vox significans aliquem hominem* At hoc non juvat: quia vel ante voces potest mens concipere aliquem hominem vage prout abstractum à differentiis contrahentibus determinate; vel non potest? Si non, recurritur ad impossibile. Si potest, ergo conceditur universale ante voces, ac proinde non in his, sed in rebus asseritur universalitas. Illationem probat Caramuel. Apud Nominales idem est significare hominem ut sic, quam significare aliquem hominem vage & indeterminate; ac propterea idem est dicere *hominem* quam *aliquem hominem*. Aliquem hominem sic vage mens concipit independenter à voce, ergo iodependenter à vocibus concedenda sunt universalia. min. prob. quia etiamsi homines essent muti & aglotti, *aliquis homo* à mente humana vage iodeterminateque conciperetur. Ita Caram. cujus judicio hæc Nominalium sententia falsa quidem, non tamen improbabilis est; sunt ejus formalia Lib. 4. Phil. rat. Disp. 3. art. 4. n. 1362.

XXXI. Quod Nominales tribuunt Vocibus seu nominibus ore prolatis, idem alii, qui Pantographi dici possent, attribuunt characteribus, seu Scripturæ. Ego, salvo meliori judicio, puto conciliari posse totum negotium hoc modo: quandoquidem Ipsemet Caramuel Logicam agnoscat triplicem: Scriptam, Vocalem, & Mentalem (λόγος enim non *sermonem* solum, sed & *Verbum-Mentis* significat. Joan. 1. In principio erat λόγος, & λόγος erat apud Deum, & Deus erat λόγος) fateamur dari Vniversale scriptum seu terminos universales scriptos, & terminos vocales universales nempe quinque prædicabilia, denique conceptum mentis universalem, omnia in repræsentando & significando. An præter hæc detur à parte rei natura quædam universalis inexistens individuis, mox disquiremus.

SECTIO V.

Vtrum Vniversalia distinguantur à singularibus penes diversa connotata?

XXXII. Duæ sunt sententiæ III. Classis (nam de II. Classis agemus sect. seq.) quæ differunt solum io modo, & ideo quæ de alterutra dicemus, de utraque pariformiter suoto intellecta.

Habet hæc sententia (verbis utor D. Caramuelis) Authores acutissimos, & juxta hos datur io rebus distinctio virtualis, quæ revera nihil est præter unam simplicem entitatem, in qua continetur virtus duorum aut plurium effectuum specie distinctorum, qui possent à distinctis causis produci. Vocari volunt *virtualem distinctionem*, quia continet eminenter virtutes plurium effectuum specie distinctorum, & idem præstat unica & simplex causa, quod aliæ per distinctas realiter potentias. Vocari autem volunt *fundamentalem*, quia præbet occasionem menti ad hoc ut eam comparet in ordine ad unum effectum, & postea in ordine ad alium. (NB. has diversas comparabilitates ad diversos effectus extrinsecos seu connotata vocant Scotici formalitates ex natura rei distinctas, unde tricæ de nomine & modo loquendi.)

Res

Res declaratur exemplo. Petrus habet unicam & simplicem virtutem, nempe Animam rationalem; & hæc est principium, quo se movet ab intrinseco, quo sentit, audit, videt, &c. & quo ratiocinatur. Hæc anima, prout refertur ad motum progressivum, ad augmentationem, nutritionem &c. vocatur vita vegetativa sive principium vegetandi; prout respicit actus sensitivos videndi, audiendi &c. vocatur vita sensitiva seu principium sentiendi: prout autem actus discurrendi connotat, dicitur principium intelligendi seu ratiocinandi; prout autem cognoscitur absolute in ordine ad circumstantias extrinsecas individuantes, dicitur Petrus.

Hinc colligunt, distinctiones & differentias graduum debere quidem admitti, quia animal formaliter loquendo non rationale, neque è contra: ratio est, quia subjectum, prout comparatur ad actus sensibiles, non refertur ad intellectuales.

Colligunt secundo, hos gradus non distingui intrinsecus, sed extrinsecus penes diversa connotata.

Colligunt tertio, hanc distinctionem extrinsecam esse veram & realem, quia revera ipsum connotare discursum, non est connotare auditionem, & ipsum referri ad motum, non est referri ad verbum mentis.

Colligunt quarto, non posse mentem præscindere objectiva adæquatè animal & rationale, tanquam duas formalitates, sed semper concipere eandem formalitatem, nunc in quantum animantem, post in quantum intellectivam, comparando eam ad actus sentiendi, sive ratiocinandi.

XXXIII. Hæc opinio sic exposita est Petri Hurtadi de Mandoza disp. 5. Mat. sect. 10. subsect. 1. ubi asserit eam esse Nominalium. Ibidem §. 120. ait in DEO dari quoque istiusmodi distinctionem virtualem inter Naturam & Relationes, vi cujus conveniant Naturæ formaliter prædicata quasi contradictorie opposita iis, quæ conveniunt relationi, ut esse communem & improductam; cum relatio sit producta & non communis. Atque hæc distinctio (addit) virtualis altioris Ordinis est, quam illa quæ in creatis reperitur, ac prætervolat omnem creatam mentem, estque fundamentum mysteriorum Triados & Incarnationis.

Ibidem §. 123. ait, Nominales negantes præcisionem objectivam Thomistarum & Scoticorum affirmare, conceptui universali non respondere objectum unum unitate se tenente ex parte ipsius; sed unum unitate similitudinis; quæ non est unitas simpliciter sed multiplicitas, id est multa similia. Secundo docent, intellectum non posse partiri objectum in duas formalitates, sed idem indivisibiliter objectum cognosci per diversos actus, referendo illud ad diversos effectus, in ordine ad quos diversas sortitur denominationes. Item disp. 6. sect. 4. §. 143. de distinct. admittit distinctionem virtualem in una simplici formalitate. Illam quoque vocat distinctionem rationis eo sensu, quo P. Vasq. tom. 1. part. 1. Disp. 117 cap. 2. nempe diversos conceptus objectivos posse dici distinctionem rationis, si *ratio* sumatur pro objecto in quantum est objectum formaliter, quod perinde est ac cognitio. Nam objectum à cognitione denominatur. Idque desumi vult ex S. Thoma, 1. p. q. 12. art. 7. & 8. ubi ait: "nihil esse formaliter in DEO, quod beati non cognoscunt, quem tamen non comprehendunt; quia in illo non vident omnes effectus: cum igitur unus beatus DEum videt in ordine ad unum effectum, non videt in DEO novam formalitatem, quam non videat alius Beatus, sed eandem, omnino ad diversos refert effectus."

XXXIV. Tametsi autem Hurtadus disp 6. de dist. sect. 2. subs. 1. Distinct. dividat in realem & rationis; præmittit tamen eam non proprie & univoce participare conceptum Distinctionis, sed per impropriam analogiam, posseque vocari distinctionem realem extrinsecam. Vide nostrum Tract. XXI. sup.

Quoad præsens autem, sic mentem suam explicat cit. Disp. 5. unit. univers. §. 126. Quando cognoscitur homo, & intellectus judicat de illa entitate esse sensibilem, illud objectum denominat *animal:* quando vero cognoscit illam entitatem esse discursivam, illam denominat *rationale.* Et quando illam cognoscit ita ut possit illam dijudicare esse hanc, cognoscit in particulari esse Petrum, quod est cognoscere rem singularem in singulari. Per cognitionem autem confusam (per quam fit universale) cognoscit singulare in communi & indeterminate, sed non in singulari.

In his modis concipiendi non respondet ex parte objecti aliud & aliud objectum, sed illud ipsum omnino, quod denominatur *animal*, denominatur *rationale*, *homo*, & *Petrus* per diversos actus in ordine ad diversos effectus: sicut idem lac denominatur album ab albedine, & à dulcore dulce, non enim est una formalitas, quæ denominatur alba, & alia quæ dulcis.

Et licet cognitio animalis sit immediata cognitio rationalis, hominis & Petri; tamen illa cognitio non dicitur attingere formaliter rationale; neq; explicite; neq; in quantum rationale; non quia non cognoscat quidquid ex parte objecti est rationale; aut quasi rationalitas sit nova formalitas ab animalitate, sed quia reduplicatur modus concipiendi: quia enim cognitio animalis non penetrat totam animalitatem cognoscendo omnes ejus actiones, sed tantum cognoscit sensationes à tota entitate fluentes, ideo dicitur cognitio illa repræsentare animal formaliter, & non rationale, quia non vidit discursus, per ordinem ad quos sumitur conceptus rationalis. Itaque illa cognitio repræsentat totum objectum, non tamen ejus operationes; & ideo dicitur illud repræsentare inadæquate, id est inadæquate ex parte modi, non tamen ex parte objecti significati in recto.

XXXV. Hinc quod Thomistæ vocant *cognoscere materialiter rationale, & formaliter animal;* Nominales dicunt esse, *cognoscere explicite objectum esse animal, non cognoscendo sitne rationale.* Cum tamen actus utrumque prædicatum immediate attingat in ordine ad sensationes, & utrumque ignoret, in ordine ad discursum.

Quamobrem, ajunt, *animal ut animal*, non est formaliter rationale, sed ab illo *ratione* distinguitur (tu adverte insignem logomachiam inter Peripateticos circa distinctionem rationis, prout etiam alibi notavimus) quia idem met indivisibile (realiter & formaliter) objectum à diversis cognitionibus accipit diversas denominationes extrinsecas. Et licet ipsi actus non solum numero, sed etiam ratione essentiali distinguantur inter se; ex parte tamen objecti

jecti non respondet unum & aliud, sed idem per connotata diversa, prout identidem inculcatum est.

Dicitur autem hæc distinctio *rationis*, non quod sint duo objecta (in illis enim non ratio distinctionis) sed quod consistat formaliter in actu ita percipiente entitatem illam esse v. g. animal, ut ex vi illius non possit dijudicari an sit rationale. Hia iterum nota quam captiose dictum sit supra, virtualem, fundamentalem, rationis distinctionem reperiri in una simplici formalitate; & tamen se tenete ex parte actus formalis cognoscentis: quid enim aliud hoc est dicere, quam esse objecto intrinsecam, & esse extrinsecam?

XXXVI. Interim sententiæ hactenus explicatæ rationem à priori affert Hurtadus l. c. §. 129. quia nos non concipimus substantiam per se immediate, sed per illius effectus. Vnde non possumus plus de substantia concipere, quam indicant effectus; vel quod per bonam consequentiam ex effectibus infertur. v. gr. cognosco hominem discurrere; colligo statim illud esse principium intelligendi: deinde infero illud ipsum esse principium amandi, quia ex actu intelligendi recte infertur amor; sic in DEO æternitatem inferimus ex immutabilitate. At vero quando tantum cognoscimus sensationem, concipimus ibi esse principium sentiendi; non tamen concipimus esse principium discurrendi; quia sensatio non habet connexionem cum discursu. Et hoc est, in hac sententia, unum abstrahere ab alio. Si licet cognoscatur à Philosopho utcunque Deus, non tamen sequitur cognosci mysterium Trinitatis: licet enim actu naturali immediate attingatur Trinitas personarum, quia est idem cum natura divina: tamen quia actus ille oritur ex cognitione creaturarum, ex quibus non arguitur Trinitas; hinc oritur ut Philosophus non possit dijudicare, sitne trinum illud objectum; quia circa illam denominationem Trinitatis, ita se habet intellectus, ac si non esset Trinitas, & hoc est quod contendit Ecclesia. Vtrum antem intellectus partiatur objectum in duas formalitates, non curat Ecclesia.

XXXVII. Hunc discursum applicare licebit Mysterio Eucharistico quoad accidentia seu species ibidem objectas sensui externo: an sint eadem numero quæ fuerant ante consecrationem, an sint absoluta, an modalia & respectiva, an æquivalentia &c. hactenus non decidit Ecclesia.

Dilucidatur amplius hæc sententia. Video enim immediate albedinem procul distantem: non tamen scio esse albedinem, quia species eam repræsentant imperfecte, quamvis immediate; ergo cum immediata cognitione de objecto componitur ignoratio aliqua de prædicato conveniente illi objecto. Nec bene sequitur, ego immediate video albedinem, ergo cognosco eam esse albedinem; similiter immediate cognosco mysterium Trinitatis, quando cognosco Deum, & tamen ignoro mysterium Trinitatis: quia sicut ignoro esse albedinem colorem quem immediate video: ita ignoro esse trinum Deum, quem scio esse unum; quod est cognoscere formaliter Deum ut unum, & materialiter ut trinum.

XXXVIII. Itaque de Vniversali sic sentiunt Nominales, non dari à parte rei naturas universales in essendo; dari tamen naturas universales quarum unitas est extrinseca, tenens se ex parte intellectus confuse repræsentantis plura ut similia. Vnde actus universalis non determinatur ad unum individuum magis quam ad aliud, sed indifferenter repræsentat omnia, ita ut objectum illius actus possit prædicari de pluribus clare cognitis particularibus. Quare cum dicitur Vniversale *Vnum in multis*, intelligitur unum unitate se tenente ex parte intellectus; ex parte vero objecti unitate similitudinis & convenientiæ, quæ formaliter sunt plura similia. Vnde homo latius patet Petro & Paulo; quia homo complectitur omnia individua confuse cognita, Petrus autem unum solum cognitum in particulari.

XXXIX. Hanc sententiam cum retulisset Caramuel, subjungit talem resolutionem: *Quo magis eam examino, quo accuratius speculor, eo minus placet.* Fatetur tamen magis sibi videri probabilem, quam supra enumeratas. Cæterum distinctionem realem extrinsecam per Connotata passim ipsemet admittit: sic tametsi Intellectum & voluntatem formaliter ex natura rei distinctas in Deo admittat: inter justitiam tamen & misericordiam non nisi extrinsecam per connotata propugnat. Potentiam intellectivam in apprehensivam, judicativam & discursivam tanquam tres formalitates ex natura rei distinctas non memini me legere. Nec calorem continere formalitates distinctas, quæ dicantur calefactiva, attenuativa, exsiccativa, congregativa homogeneorum &c. quemquam docuisse legi. Equidem distinctionem formalem Scoti libenter admiserim inter illa, qua definitiones adæquate diversas habent, hoc est, quoad rectum & obliquum: ut igitur evincas animalitatem & rationalitatem in una eademque anima rationali esse formalitates ex natura rei differentes, ostendendum tibi duo reperiri principia distincta, quorum alterum sensationes, alterum discursus eliciat; id quod citra petitionem principii difficulter præstiteris. Mentem propriam exponemus in calce.

SECTIO VI.

Excutiuntur sententiæ II. Classis, dictæ Realium.

XL. Aristoteles 1. Metaph. c. 6. & Lib. 7. c. 8. tex. 28 asserit Platonem distinxisse actualiter realiter naturas universales à singularibus. Accinit Arist. Doctor Angelicus 1. p. q. 15. art. 1. & q. 84. art. 1. Abulensis in c. 25. Matth. q. 572. Hinc nihil vulgarius inter Peripateticos quam Ideæ Platonicæ, quasi fabulosum commentum, & tanto Viro, qui cognomen Divini Philosophi (& quidem merito) sortitus est. Sunt plurimi qui asserant Aristotelem non percalluisse Ideas Platonis, ac ideo perperam ipsissimas explicavisse. Plato enim agnovit in Deo tanquam sapientissimo Universorum artifice (natura quippe recte vocatur Ars Dei) Ideas rerum creatarum, non secus ac omnes fatemur Ideas artefactorum in mente artificum, ad quarum imitationem prodit omne opus; Aristoteles autem cum non crederet Mundum à Deo creatum, sed fuisse ab æterno, nec fœcundum Ideis Deum confitebatur. Sunt severiores alii, & apud D. Thomam Opusc. 20. Lib. 4. c. 4. affirmant Aristo-

Aristotelem maligne & invide imposuisse suo Magistro temerarias & improbabiles sententias, non solum hic, sed etiam in aliis pluribus difficultatibus. Sane Thomas Campanella Lib. 3. Metaph. cap. 2. art. 4. demonstrat Aristotelem in impugnandis Ideis Platonis sibimet adversari & contra propria dogmata loqui. Lib. autem 12. Met. c. 1. art. 6. hæc habet; Quod D. Thomas negat Angelis providentiam, sed tantum concedat executionem providentiæ in 3. contra Gent. adversus Platonem, ex eo quod Deus singularia quoque curat (quasi hoc negasset Plato) non videtur legisse Platonem (nempe D. Thomas) & ipse fatetur ex Nysseno hoc didicisse. Plato enim in Lib. de Rep. & in Dialogo de Legibus inquit: "Quanto nobilior artifex, tanto exquisitius una & "eadem arte, magna simul & parva curat. Deus "ergo qui curare vult & potest, nunquid magna curabit, & parva contemnet? Absit &c. similis enim "esset fucis.

Quapropter usque ad singularia & minima & infima extendit Plato providentiam Dei contra Aristot. Angelis vero dat executionem providentiæ. Quod ideo hic obiter insinuare volui, ut videat Lector, non raro injuriam fieri viris doctissimis per sinistram interpretationem, imo affictas opiniones à quibusdam sequioris notæ, fingentibus Hercules stramineos, quos plausibiliter expugnent.

Ex Philosophis igitur nituntur Platonem ab huius imputatæ sententiæ invidia liberare Jamblicus Porphyrii auditor in Symbolis Platonis, Appulejus, Eustratius, Bessarion. Seneca epist. 66. D. Augustinus L. 22. de civit. c. 26. Justinus Martyr. D. Thomas, Augustinus Eugubinus, Durandus, Conimbric. Hurtadus Disp. 5. Met. s. 1. §. 2. quos vide citatos apud Caram. Lib. 4. Phil. ration. sect. 1. art. 7. num. 1391. Vbi varios explicandi & propugnandi Platonem modos doctissime more suo profert.

SUBSECTIO I.

Sententia Magnifici Viri D. Joann. Marci Marci circa Ideas Platonicas proponitur.

XLI. Notandum; Fuisse elapso proxime seculo synchronos in orbe literario clarissimos, ac inter se tum epistolis mutuo missis, tum conversatione personali oppido familiares Illustriss. D. Joan. Caramuelem, P. Athanasium Kircherum, & Joann. Marcum Marci Archiatrum Pragensem. De hoc ultimo sic scribit Caramuel Lib. 4. Metal. Disp. 8. art. 10. "E-"vulgavit anno 1635. operatrices Ideas supra vulgi "cothurnum, quæ multorum invidiam excitarunt, "quæ accusatæ revisu, examinatæ & a Viris maximis "approbatæ cum majori gloria & applausu prodie-"runt. Liber est aureus, Pragæ impressus; illis so-"lum ingratus, qui præter vulgatam Philosophiam "nihil intelligunt. Legi poterit, *Idearum operatri-"cium idea* inscribitur, & multa varia, subtilia & "optimis ingeniis digna continet.

Idem Caramuel postquam argumentis P. Suarezii in hac de Vniversalibus materia respondisset, P. Arriagam suscipit expediendum (prout mox audiemus) & statim miratur ausum scribere nullum non rejicere Ideas Platonicas, cum tamen eodem anno, quo Arriaga Philosophiam suam divulgavit, vid. 1632. Pragæ à clarissimo & doctissimo Viro Joanne Marco Marci, Medicæ rei Primario ex post facto Professore, & regni Bohemiæ Physico seu Archiatro publice fuerint Ideæ Platonicæ propugnatæ, & ab eodem non sine contradictionibus & difficultatibus; quas tandem universas evicit, post Venerabilis Consistorii sententiam & magnorum Theologorum censuram cum permissione editus liber, qui inscribitur *Idearum operatricium idea*, in quo Platonicam tuetur universalitatem. Ita Caramuel de amicissimo sibi Marco Marci. Sed audire iuvat ipsummet Marcum, ut pateat, num ejus mentem recte assecutus sit Caramuel. Verba formalia Eius in præfat. Philosophiæ Veterum restitutæ (sic enim inscripsit) ad Lectorem sunt hæc: "Pluribus imposuit nomen Ideæ needum in usum receptum. Vnde quispiam S.,, Theologiæ Lector à me per literas quæsivit, an,, Ideæ meæ essent Ideæ Platonis? Quod mihi quidem,, in mentem revocavit colloquium inter me & P.,, Athanasium Kircher ante annos 23 Romæ habi-,,tum, ubi ille inter cætera his verbis me est affatus:,, Mi Domine Marce, quam pauci intelligunt has I-,,deas? Ita sane experientia me docuit.,,

Cum autem Libellus ille aureus (de Ideis operatricibus) teste Caramuele totus ad synopsin reducatur in Prologo, qui inscribitur *Defensio Idearum*, adversus *adulterinas & suppositititias ideas*, volui ex eodem verbis authoris transcribere, quæ lucem dare possunt nostræ Philosophiæ, quam optarem ad Eiusdem principia elimari.

Dum hæc prælo cuduntur (inquit Marcus) accidit,, præter opinionem, ut rumore nescio quo, hic me-,,us Tractatus doctrinam perabsurdam, & a fide,, sancta alienam continere vulgaretur. Qui rumor,, à levibus initiis eousque processit, ut etiam Ven.,, Consistorium in suspicionem veniret, librumque,, à Theologis revidendum censeret. Quod etiam,, factum. Interea veluti hæreticus & infamis, &,, qui oleum & operam perdidisset, ludibrio habebar.,, Tametsi vero gravissimorum virorum censura, qui,, librum legerunt, & quibus cum pleraque hic con-,,troversa disserui, rumor hic natatus evanuit: si-,,quidem teste Hieronymo, *falsus rumor cito opprimitur*; quia tamen hæc suspicio in quorundam,, animis alte insedit, quæ a libri lectione avertere,, posset: visum fuit pauca præfari, & cuiusmodi I-,,deas intelligamus, quæ adeo cruda quibusdam vi-,,sa, ut nec dum concoquere possint, & quo funda-,,mento à nobis inducantur, breviter explicare.,, *Hic attentum velim Lectorem.*

XLII. Suppono autem hic, utramque naturam (corpoream & spiritualem) virtute Omnipotentis Dei ex nihilo creatam esse, quemadmodum SS. Concilia definiunt. Solus enim qui regnat in æternum, creavit omnia simul. Entitas igitur individua & simplex à Deo proxime creata, à solo Deo conservatur in illo esse, quod habet per creationem, eadem actione continuata, neque ab ulla creatura annihilari potest: quia neque illius creator cogi, vel impediri potest ab alia actione, qua conservatur, cuius substractio est annihilatio.

Cum ergo formæ rerum omnium ex nihilo sint productæ per creationem, illud quidem esse, quatenus à creatione pendet, dicimus non posse annihilari ab ente creato. Non enim cum Aristotele sentimus, qui creationem ex nihilo ignorans, materiam finxit Deo coævam, ex cuius mirabili & inexplicabili potentia formæ

formæ omnes truderentur. Formæ ergo à folo Deo creatæ aliud esse habent in materia à Deo fimili modo creata, in qua fua accidentia operantur, & per fenfibiles fignaturas fuas ideas radicales & effentiales adumbrant. *Ideas* apte vocamus, non prout nobis imponunt, & infcite in fenfum reprobum trahunt: quia fi quis intuitive mentis oculo cerneret hujusmodi formas, in illis corpora vifibilia, omniaque accidentia & perfectiones, quas formæ in fubjecto operantur, velut in prototypo relucerent. Vnde anima v. g. Leonis dicitur Idea sui corporis, quia per fuam effentiam habet, ut in fubjecto in hujusmodi corpus organicum, quale leoni & non bovi debetur, perficiatur.

Secundum ergo hoc esse, quod habent formæ rerum in fubjecto, generabiles & corruptibiles dicuntur: fiquidem materia omnibus communis nequit omnibus fimul fervire ad contrarias motiones; unde quæ fortius operatur, fubjectum alteri præripit, negataque actione, quæ eft retinaculum formæ, excludere illam videtur.

XLIII. Poffunt vero tot formæ effentiales coexiftere in uno eodemque fubjecto, quot esse poffunt actiones contrariæ: ut fi v. g. forma hæc lucis, illa caloris fit productiva, quia calor luci non adverfatur, utraque in eo esse poteft.

Abfurde vero fentiunt, qui dicunt formas fibi adverfari ob indigentiam propriæ effentiæ: fiquidem omnis entitas feipfa perficitur, & nihil extra fe habet; neque à feipfa dividi aut deficere poteft. Eft vero hujusmodi forma, quemadmodum recte docet D. Thomas, in animalibus perfectis, & D. Auguftinus, etiam in iis quæ dicuntur infecta, ex fe individua & impartibilis entitas, fiquidem ab effentia infeparabilis eft unitas. Et qua ratione individuæ actiones, qualis vifio, auditio, imaginatio in re dividuæ fundari poffunt?

Sicuti ergo per replicationem individua natura fubjecto quanto & corporeo co extenditur, ita per illius divifionem numerum fubit, & in plura individua multiplicatur. Et fimili modo corruptis individuis numerus decrefcit, quod enim per fe non habet, neque per fe amittere poteft. Quod fi vero anima individua unius fpeciei corrumperetur, non propterea illa entitas formæ, quam à folo DEO, creatum ponimus, corrumperetur, intellige virtute naturali, nam, quid DEVS fit facturus, ignoramus. Verifimile tamen illas effentias ad perfectionem Mundi pertinere: in quibus omnia accidentia, & omnia individua poteftate & eminente continentur. Et quia in DEUM non cadit fuorum operum pœnitudo. Deinde vero cur hæ majoris perfectionis deficiant, non etiam formæ elementorum, quia ex Scripturis hoc videtur conftare: cognovi, inquit Ecclefiaftes cap. 3. v. 14. quod omnia opera quæ fecit Deus, durant in æternum. Et D. Paulus: Omnis creatura fubjecta eft vanitati non volens propter illum qui fubjecit eam; ad Rom. 8. 20. ubi dicitur creatura expectare ftatum alium corruptionis expertem, nim. in illa fimpliciffima effentiæ unitate, non tam generationi & corruptioni fubjecta.

Nobifcum vero hic fentit Doctor fubtilis, qui dicit unitarem formæ per fe convenire priusquam ad individua contrahatur, eamque etiam in individuis retinere. Quod enim, inquit, convenit rei per fe, femper & ubique convenit.

XLIV. Verumhic nimium follicitos quosdam video, quo nim. loco confiftant formæ à fuis fubjectis feparatæ, ita profecto ut interire eas malint, quam diverforia ignorari. An, inquiunt, fi primus Leo priusquam generavit alium Leonem, interiiffet, anima Leonis à corpore feparata huc illuc oberraffet? an certo cuidam loco fixa adhæfiffet? Refpondeo, quando dicitur Leo interire vel mori, hoc folum per ifta vocabula defignari, nimirum definere esse illud animal quod fuit. Quemadmodum gemma contrita definit esse gemma; & herba contufa non eft jam herba; nihil tamen in his perit effentiale; ita in animali, dum moritur, non eft neceffe illius animam interire, aut à fubjecto feparari, fed præcipuas fignaturas, quibus nofcitur esse animal, tum aboleri; qualia nim. eft vita animalis, quam in æthereo igne fundari dicebamus, fubftantia nim. ex fe & perpetuo mobili, quemadmodum illam definit & recte Capivaccius. Reliquæ autem fignaturæ cum forma à qua infeparabiles funt, etiam in corpore demortuo fupereffe poffunt. Quæ in quibusdam corpus deperditum reaffumit & phœnicis in modum regeneratur.

XLV. Ex hujus vero ignorantia multi in errorum labyrinthos inextricabiles funt dilapfi, dum fpecificas rerum vires & individuas proprietates in demortuis fupereffe vident, qua ratione vero infint, & veram radicem ignorantes. Idcirco opiniones comminifcuntur adeo abfurdas, ut gravius quam ictus mallei aures feriant Eruditorum, quos tamen ipfi, quia diffimiles, pro ignaris habent. Caufa autem hujusmodi errorum, quia hi de Natura difputant natura inconfulta, quam credunt fuis opinionibus poffe mutari. Quid ergo mirum ea comminifci quæ neque funt, neque esse poffunt in rerum natura? Si propius Naturam infpexiffent & opera illius Artis (Spagyricæ) quam ipfi oderunt, & ad cujus nomen horrent, fine qua tamen nequit confpici natura nuda & fine vefte, qualisque fuis amatoribus videri folet. confuluiffent, quam aliter effent affecti, quam puderet fuarum opinionum, quam detumerent in fua inani & falsa Philofophia! Vnico ictu rueret in antiquum chaos cum fuis fundamentis ipforum Phyfica. Quid ergo mirum, fi pro Hæreticis habemur; fi velut abfurdæ videntur noftræ opiniones in ipfa natura fundatæ & ftabilitæ, quia diffidentab illorum, qui nihil funt experti, phantafia: non enim hæc noftra ad veram cotem, ipfam nimirum naturam, affricant, fed ad fuas inveteratas opiniones expendunt.

XLVI. Quod autem diximus posse animali demortuo illius animam in corpore fuperftitem esse, albi quidem folide à nobis demonftratur; hic obiter uno exemplo declaramus. Serpentem minutim concifum, aut etiam contufum, mortuum, opinor, dicent; nullum enim adeft indicium aut veftigium vitæ, at hæc eadem maffa demum putrefcens in novos animatur ferpentes.

. Quis hic mercurius animam ex orco reducit? Ranæ hyeme in liquum refolutæ, inde vere novo aliæ renafcuntur. Vnde hæc forma rediviva? A putredine inquiunt. O Proteum in tot formas & mille figuras variabilem! & cum putredo non fit anima, eam vero reducat, erit fane nobilior quam fit anima.

anima. A Sole dicent generari. Hem quid audio, pro uno Phaetonte innumeros habemus! O filios degeneres, & tali patre indignos! Quid quæso dicerent hi tanti Philosophi, si plantam quasi momento nasci in vitreo vase viderent, cum suis ad vivum coloribus & rursum interire & renasci, idque quoties & quando luberet? Credo Dæmonium arte magica inclusum dicerent illudere sensibus humanis. Pro falso enim & diabolico opere Naturæ habent, quæ nequeunt resolvi in illorum principia & falsas hypotheses.

Verum his in sua amurca relictis, ad illud, unde dilapsi sumus, redeamus. Quod si ergo tum interiret Leo unicus existens, dico posse illius animam in corpore superstitem esse, siquidem non omnes formæ illius signaturæ aboleantur. At omnibus extinctis, ut propterea cogatur anima subjecti possessione decedere & a materia divelli, ubi tum existet forma ea ratione separata? Respondeo formas a materiæ divulsas consortio, quia ex se impartibiles, nullius loci indigas esse. Quia tamen essentia finita necessario aliqua parte loci imaginarii definitur: dico illa parte loci, qua divellitur a subjecto, restare, & neque per se, neque per accidens loco tum moveri. Quid vero Mundi hujus scena finita sit futurum, ignoro: nam & extra subjectum esse possunt, si DEVS ita velit: & uni subjecto omnes, sive sit pars, sive totum Elementum, coëxistere; siquidem nullas tum habebunt actiones, nullas proinde contrarias introducent signaturas, neque igitur sibi adversabuntur. Sed esto, ignoremus modum: an propterea res non erit? Si tale argumentum valeret, quæ absurda non sequerentur? Neque igitur Magnes ferrum trahet, neque ad polum se converter, quia modum ignoramus.

At vero ubi hic sunt illæ ideæ blasphemæ, quas Deo coæternas, neque tamen à DEO creatas ausu Gygantæo a nobis induci quidam nimis inconsiderate in vulgus sparserunt? Absit à nobis hæc impietas, qui neque potentiam materiæ, tanquam DEO injuriosam, sustinemus.

XLVII. Habes, mi Lector, Apologiam D. Marci, in qua multa contra vulgarem Peripateticorum philosophiam, multa contra Cartesianorum sectam quæ brutis animam, Soli lucem, igni calorem, objectis colorem denegat, non veretur, hæc omnia in mera sensuum impressione sita pertendens, nam saporem, odorem, colores ipsos negant alibi existere quam in oculo & organis nostris, quatenus nimirum ex impressionibus, quæ in nobis fiunt, tales exurgunt perceptiones, quæ saporis aut caloris nomine designantur, quæque non magis sint in corporibus vel objectis, quam dolor ex pungente acicula ipsi inest aciculæ. Hæc qua ratione defendi possint non assequor. Sensus quidem, aut perceptio luminis, saporis, coloris in nobis est: sed nisi aliter atque omnes omnium hominum ætatum loqui velimus, fatendum nobis erit, panem album esse & tali sapore præditum. Et quis sanæ mentis dubitet quin durities & liquiditas ipsis insint corporibus? forta non legerunt in Genesi, ante homines & animantes formatos, jam fuisse lucem creatam? Nugas hujusmodi non tradit Marcus noster, sed solida in ratione fundata, contra fidem orthodoxam nihil. Nec temere à quovis privato Doctore aliquid inter fidei articulos recensendum, donec ab Ecclesia fuerit clare definitum, nec consequentiæ velut fide certæ habendæ sunt, nisi omnino constet aut revelatione divina, aut certissimis demonstrationibus aliter fieri non posse. " Non enim, ut Scotus optime, " observat, si aliquod antecedens est de fide, quod ex " eo quis tanquam consequens necessario inferre putat, " ad fidem æque pertinet, maxime si opposita sen- " tentia cum antecedente, & fidei dogmate æque " conciliari possit. "

Ideas, quarum facta fuit mentio, substituit hic Author formis substantialibus Peripateticorum, & recte: & illas subordinat Animæ Mundi, quo per harum evolutionem determinatur ad diversos effectus exercendos & operationes, prout alibi docuimus. An autem illæ ideæ sint dicendæ universales, tu examina.

XLVIII. Si Campanellæ credimus Lib. 15. Met. c. 7. art. 3. Inter Mundi Animam & Corpus mediat Spiritus Platonicus, sicuti inter mentem nostram corpusque: & in Spiritu esse 4 Elementa graduatim, minimum enim terræ, plus aquæ, plurimum aëris, quam plurimum ignis, longe quam plurimum Cœli & stellarum, ad quorum graduum mensuras prodiere stellæ & elementa. Hic Spiritus intus alit omnia generatque, ut & Virgilio videtur. Sed de hoc alibi.

SVBSECTIO II.

Sententia Th. Campanellæ circa Vniversale.

XLIX. Eminentissimus Card. Pallavicinus Lib. vindiciar. cap. 27. apud Fr. Seraphinum Piccinardum in præfat ad Lectorem in sua Philosophia dogmatica edita Patavii A. 1671. quid senserit de hoc Authore famosissimo, his verbis prodit: *Vir erat, qui omnia legerat, omnium meminerat, prævalidi ingenii, sed indomabilis.* Sane ejus scripta ostendunt, fuisse Virum ingenii incomparabilis: id maxime doleo, pauca illorum ad manus pervenisse meas Lib. 2. Met. c. 3. art. 3. ubi ad marginem lego: *utrum detur Vniversale à parte rei?* hæc habet:

D. Thomas de Ente & Essentia, tripliciter considerat genus & speciem, & transcendentales. Primo, secundum quod sunt in rerum natura, & sic dicit omnes esse singulares, & non reperiri universalia. Nec enim homo, communis, nec albedo, nec Ens commune est in Mundo, sed hic & ille homo, & hoc album & hoc Ens. Secundo quatenus sunt in intellectu, & sic habent communitatem: homo enim dicitur de Petro, & Paulo, & Martino &c. tanquam universale de particularibus: est enim unum versum in multa. Tertio modo, præcise & solitarie, id est abstractum, ab accidentibus, quæ illis conveniunt in rerum natura, ut esse album hic, hoc tempore &c. & ab accidentibus quæ illis conveniunt in intellectu, ut esse genus, speciem, esse universale. Tunc, ait, hominem præcise consideratum habere unitatem formalem; Paulum vero ejus individuum, numeralem; non tamen esse hominem per se præcise unum, nec multa; si enim homo in quantum homo esset unus, in uno solo individuo posset reperiri; quoniam hoc esset illi essentiale, quia quatenus homo: si vero esset multa & communis homo in quantum homo, tunc non posset reperiri in uno, ut Phœnix & Sol, & tunc ille unus esset homo communis, si homo quatenus homo est communis. Ergo Paulus esset homo communis, & Franciscus homo communis. Nec in quantum homo præcise est universalis, nec species, nec particularis nec albus. Nam hæc conveniunt illi quatenus est

in intellectu, aot in singularibus, & oon quatenus bomo. Humo ergo præcise est animal rationale tantum, & quia est unum, oon unitate numerali, conveniente sibi in singularibus, vel in intellectu subjective, sed unitate formali, alias uon esset Ens, nec definibile, nisi esset unus; ideo non repugnat illi esse commune, nec proprium. Ergo potest singularizari, & universalizari: singulare autem io actu non iest oisi in intellectu. Vocant Vniversale in actu ipsam rem cum aptitudine ad essendum in multis: in potentia vero ipsam rem cum noo-repugnantia, ut homo quatenus homo uon habet repugnantiam ad essendum io pluribus; sed non sequitur, ergo habet aptitudinem, ut ajunt Thomistæ: Scotistæ vero concludunt, ergo habet aptitudinem.

Sed ajunt Thomistæ, si in quantum bomo habet hanc aptitudinem, ergo quilibet homo habet ipsam, ergo & Paulus potest esse universale & in multis, quod est falsum. Ergo homo præcise ut bomo, nec negat se in multis, nec affirmat.

Sed contra, ait Scotus, ergo noo datur scientia realis de universalibus si non sunt io re absque opera intellectus. Item oec homo generat hominem, quoniam non est communitas cum unitate. Item oec requiritur alia unitas quam oumeralis, quoniam in re per se noo datur universale. Item sensus ipse novit Vniversale, ergo est in re.

L. Nos autem dicimus (resolvit Campanella) in re esse Vniversale, id est, ideam, à qua oritur similitudo, quæ est unitas singularium: & hac ratiooe non dari in singularibus, quæ sola sunt in natura inferiori, aptitudinem essendi in multis per se, nisi per ideam: homo enim generat bominem, & calorem multiplicando seipsum in diffusione Ideæ. Una Ars ædificatoria in meo te artificis plura ædificia construit: nullum autem particulare ædificium habet aptitudinem essendi io multis, nisi illud quod est io meute artificis; & ideo recte D. Thomas à singularitate abstrahit, & recte Scotus dat universalitatem in natura; sed propriam vocem igoorat. Et qoia humo præcise consideratus non est in rerum natura, sed vel singularis in re, vel singularis io intellectu, licet universaliter multas repræsentet, sicut una status Crocodili, plures Crocodilos: sed est in mente Dei, sub qua omnia consideramus teste D. Augustino; ideo unitatem in DEO, & communitatem dicendum erat, quoniam in re, & in intellectu particulare est omoe ens præterquam in repræsentando. In re autem & in intellectu idem homo plures homines repræsentat, quibus est similis, ideo universale io repræsentando ubique est, sc. in re & io intellectu: prædicatur autem quatenus in intellectu formaliter, sed in re fundamentaliter.

Scientia autem non est universalis & communis, nisi confusa & doctrinalis: particularium vero distincta & vera, ut in DEO, & in nobis innata & inventiva. Cognoscitur per Vniversale est per simile, non per seipsum cognoscibile. Deficiunt autem à similitudine omnimoda Entia inter se cuncta: si autem homo quatenus homo est animal rationale, & Petrus, similiter & Paulus & Franciscus & alii, ergo nulla divisio inter eos. Sic nec inter bominem & equum in quantum animal; & sic intar omnia in quantum entia; unum ergo omnia sunt, ut recte dixit Parmenides. Hucusque Campan. quid de hac opinione sentiamus, exponemus infra.

SUBSECTIO III.

Explicantur varii Modi defendendi Vniversale à parte rei.

LI. Primus Modus, si dicamus dari à parte rei Vniversale, hoc est unum in multis; datur enim v. gr. Natura humana, in qua à parte rei reperitur multiplicitas (dantur enim multi homines) & datur simul à parte rei unitas io eadem natura, consistens in similitudine & convenientia specifica, quam à parte rei omnes homines habent in natura humana, ergo.

Verum totius difficultatis cardo versatur in eo, ut probemus similitudinem quam habent multa individua à parte rei in aliqua ratione recte vocari posse unitatem, quod sic præsto. Primo. Fatentur etiam Add. Aristotelem multa similia vocasse quid unum. Nam 5. Metaph. c. 15. ait, similia esse quorum qualitas est una, ergo juxta Arist. duo parietes albi v. gr. similes sont inter se, quia habent qualitatem, hoc est albedinem, non quidem onam oumerice, quia numerice distinguuntur, sed unam specifice. Itaque secundum Aristot. ea quæ sunt similia habent unitatem ideo, quia similia sunt; ac proinde similitudo secundum ipsum est unitas.

Deinde 5. Met. c. 6. dicit expresse, quod bomo, equus, canis &c. sint unum quid, & rationem subjungit, quoniam omnia sont aoimalia & quodam simili modo sicuti materia una, q. d. quod sicuti materia prima in homine & equo & cane & reliquis animalibus est una, quia in omnibus animalibus est similis; ita etiam equus, canis, homo & reliqua animalia sunt unum, quia omnia conveniunt in ratione animalis, & in hac ratione similitudinem habent. Posset ne clarius dicere Aristot. similitudinem seu convenientiam esse unitatem?

Secundo probatur ratione fundata in Aristot. qui loco mox citato sic loquitur: *Vniversaliter namque, quæcunque non habent divisionem, quatenus non habent, eatenus unum dicuntur.* Ex quibus verbis talem conficio argumentationem: quæcunque ooo habent divisionem, quatenus eam noo habeot, eatenus ex mente Philosophi sunt unum: at quæ in ratione aliqua sunt similia, eatenus non habent divisionem, nam omnia eam rationem participant. v. g. quia Petrus & Paulus sunt similes in natura humana, ideo in hac ratione seu prædicato hominis non habeot divisionem, cum uterque sit bomo, ergo sunt unum, non quidem simpliciter sive numerice (quæ simpliciter vocatur unitas) sed secundum quid tantum, hoc est, uno dividuntur secundum omnem divisionis modum, sive ea prorsus ratione, quæ ab aliis, quæ non sunt homines v.g. à leone, dividuntur, à quo Petrus & Paulus non tantum quoad hæcceitatem diversi sont, sed etiam quoad rationem hominis seu prædicatum specificum, quæ diversitas inter Petrum & Paulum non reperitur, sed tantum diversitas numerica, seu quoad hæcceitatem. Et hæc ratio probat, dari veram aliquam unitatem inter ea, quæ sunt similia, licet non simpliciter dictam, quia vere illis convenit negatio divisionis in aliqua ratione.

Confirmatur. Licet paupertas consistat io negatione pecuniæ & divitiarum, potest tamen & soler quis dici pauper, tametsi non omni careat pecunia. Ergo etiam licet unitas consistat in negatione divisionis, poterit tamen res dici una, quamvis noo neget &

& excludat omnem divisionem, ergo licet ea quæ sunt similia inter se, non excludant omnem divisionem, poterunt tamen dici quid unum.

LII. Favent etiam huic sententiæ communes loquendi modi, tum vulgares, tum philosophici. Vulgares quidem, quia boni amici dicuntur habere unam eandemque voluntatem; duo homines eandem faciem, vestem &c. hoc est similem. Philosophici autem, ut cum dicimus, datur à parte rei una natura humana: Petrus & Paulus non differunt essentialiter, sive habent eadem prædicata essentialia: item habent eandem definitionem &c. id est, habent similitudinem in essentia, in definitione &c. neque enim per unitatem identitatem naturæ, essentiæ, definitionis &c. alia unitas & identitas intelligi potest, quam similitudinis, quia falsum est dari unitatem seu identitatem rigorosam inter essentiam, naturam & prædicata essentialia Petri & Pauli.

Ita plane in MS. suo cursu Philosophico docuit An. 1650. Eximius P. Joan. Adamus Weber in Vniversitate Herbipolensi, pro tunc adhuc membrum Societatis: postmodum facto transitu ad Institutum Canon. regularium S. August. & ad dignitatem Præpositurae evectus, editis doctissimis lucubrationibus clarus. Veruntamen, si dicere liceat quod sentio, non videtur mihi attigisse fundum Occani Vniversalis, & præter commissam inconsequentiam doctrinæ, incidere in Sententiam realium Authorum II. Classis, ut patebit ex ejusdem responsionibus ad objectiones. Inconsequentiam quidem observare est in eo, quod non admittat præcisiones objectivas: neget item fieri Vniversale per ullum actum intellectus confuse cognoscentem, propter rationes sect. 4. num. ex eodem authore adductas: hic tamen iisdem utatur argumentis petitis ex Arist. quibus Thomistæ & Scotici fundant distinctionem objectivam, quam virtualem aut fundamentalem vocant, vi cujus intellectus præscindat formalitates metaphysicas ab invicem; & ex quibus inferunt dari ex parte objecti duplicem unitatem; (nempe numericam, & specificam seu formalem) hanc vocat Weberus unitatem similitudinis; sed perperam, omnes enim dicimus cum Arist. similitudinem fundari in unitate, non autem esse ipsam unitatem: committit itaque circulum vitiosum, dum quærenti cur Petrus & Paulus sint unum quid in ratione hominis? Respondet quia similes sunt. Vrgenti, cur similes sunt? quia habent unitatem similitudinis; cum respondere deberet, quia natura humana distinctam habet unitatem formalem, ab unitate numerica seu hæcceitatibus. Distinctam, inquam, aut realiter, aut formaliter ex natura rei, aut modaliter, aut virtualiter pro diversitate opinionum, prout patebit ex seqq.

Audiamus modo responsiones Weberi ad objectiones sibi factas.

LIII. Objic. I. Quidquid est à parte rei est singulare, ergo etiam unitas similitudinis est singularis, ergo non universalis, ergo per eam nequit constitui universale unum. Respondet, negando ultimam & penult. consequentiam, hoc enim ipsum est quod doceo, nim. Vnivers. in re nihil esse aliud quam multa singularia, quæ à parte rei aliquam inter se convenientiam habent.

Vrgebis: Singulare opponitur Vniversali, ergo idem nequit esse singulare & universale. Respondet dist. ant. unum singulare opponitur universali, Conc. multa singularia in aliqua ratione similia opponuntur universali. Nego. Dico igitur, idem diverso modo seu respectu sumptum esse singulare & universali: si enim sumatur unum singulare seorsim, non est universale; si autem sumatur cum aliis multis similibus, est universale. Similiter multa etiam singularia si sumantur exclusa similitudine, non sunt nisi singularia, si autem sumantur cum similitudine, sunt universalia.

LIV. Objic. II. Arist. 7. metaph. c. 13. ait: *Quæ duo actu sunt, nunquam unum actu sunt.* Atqui similia actu sunt duo actu, idem enim non potest sibi ipsi esse simile, ergo non sunt unum actu à parte rei, & consequenter similitudo non est unitas. Respondet multa similia non esse quid unum actu unitate rigorosa (hoc enim repugnat multiplicitati; sed plura: esse tamen vere similia, quæ similitudo est quædam unitas vera non tamen rigorosa; & hæc unitas non repugnat multiplicitati; imo habet eam necessario sibi adjunctam, quia simile qua simile dicit realem distinctionē ab eo, cui est simile & consequenter involvit multitudinem.

Nota manifestam hallucinationem in linea ultima: nam simile qua simile omnem distinctionem excludit, quæ enim enim adæquate sunt similia, idem sunt; similitudo nempe identitas. Omne quidem simile est simul dissimile, secundum quid enim convenit alteri, & secundum quid discrepat, non tantum qua simile, vide quæ tradidimus de Opposit. terminorum.

LV. Objic. III. Arist. de anima tex. 8. ait: *animal universale aut nihil est aut posterius*, hoc est, post operationem intellectus, ergo sensit Arist. non dari universale independenter ab operatione intellectus. Item 2. de anima tex. 16. sic loquitur: *sensus est singularium, scientia vero universalium, hæc autem in ipsa anima quodammodo.* Ex quo infertur, Vniversale non esse extra animam seu à parte rei. Respondet ad 1. Sensum illius loci esse, nullam rem singularem secundum se consideratam esse posse universalem. Hinc Vniversale in re singulari secundum se spectata vel nihil est, id est non datur; vel est posterius, id est tunc erit universale quando illud rei singulari coexistet sibi simili, quæ coexistentia est quid posterius respectu rei singularis secundum se sumptæ. Ad II. respondet, Scientiam esse universalium, quia versatur immediate circa multa singularia quatenus similia, quod etiam Add. docere debent, quia secundum illos omnis actus, sive scientificus sive alii, quantumvis sit universalis in repræsentando, versatur tamen immediate circa multa singularia in aliqua ratione similia. Dicuntur autem ea esse *quodammodo* in anima, quia multa illa singularia, prout à scientia considerantur, sunt objectum æternum, & licet corrumpantur, adhuc tamen anima considerat illa per actus Scientiæ tanquam si non essent corrupta; quod sensus præstare non potest, quia nequit versari circa objectum à parte rei non existens.

LVI. Objic. IV. De ratione universalis est, ut actu non sit divisum, sed aptum dividi, atqui inferiora sunt actu divisa non obstante unitate similitudinis, ergo non possunt esse universale ob unitatem similitudinis. Respondet primo, utrumq; verum esse, nim. & Vniversale requirere aptitudinem ad actualem divisionem, & illam divisionem non excludare: actus enim & aptitudo ad actum non repugnant, imo ab actu ad potentiam seu aptitudinem est evidens

consequentia. Respondet secundo, Naturam universalem, licet à parte rei habeat distinctionem (quod omnes fateri debent) non esse tamen actu divisam quatenus universalis est, seu quatenus habet similitudinem: ut sic enim est una non divisa &c. Hucusque laudatus bic Author, cujus explicatio mihi prorsus singularis visa: nam rem tenet P. Joan. Bapt. Ptolomæus, sed longe aliter propugnat, mirumque in modum se torquet, cum argumentis realium urgetur per sæpe dictam similitudinem, respondendo juxta sua principia de Relationibus.

P. Hurtadus de Mendoza Disp. 5. de Vniverf. sect. 7. num. 68. eandem tenet assertionem, nempe dari universale à parte rei, sed longe alio sensu, quia, inquit, à parte rei datur extrinseca denominatio, quia sicut à parte rei datur cognitio confusa plurium, ita & universalitas. Absolute tamen negari oportet Vniversale à parte rei, quia significat naturam in se unam, & communem multis à parte rei: sic enim intelliguntur Philosophi contra Scotum & Platonem disputantes.

LVII. Secundus Modus sustinendi Vniversale à parte rei Platonicum, si Vniversalitatem exponamus, uti Authores tertiæ sententiæ, cujus sect. 3. n. meminimus. Scientia de Ideis, juxta hos Add. consistit in his tribus assertis:

Primum: *Vniversalia à singularitatibus realiter* (id est ante mentis opus distingui, si emodo placet intelligere,) distingui.

Secundum: *Vniversales naturas includi in singularibus seu Individuis.*

Tertium. *Ecceitatem esse formam contrahentem respectu Naturæ communis & universalis.* Et hoc tertium assertum in causa est, ut possint satisfacere argumentis, quæ contra I. & II. Expositionem Platonis exploduntur.

Dico igitur hanc propositionem *Petrus est homo*, reddere hunc sensum: *Homo contractus petreitate est homo* vel hunc: *habens humanitatem & petreitatem est habens humanitatem*, quod est verum, etiamsi Petreitas realiter distinguatur ab homine. Hinc argumento sequenti in forma satisfit.

Separatio actualis, ais, est signum distinctionis actualis. Concedo assumptum. Ergo Petrus & homo distinguuntur realiter. Dist. consequens, ex parte recti. N. conseq. ex parte obliqui. Conc. Quia *homo* est habens humanitatem, *Petrus* est habens humanitatem & petreitatem: in utroque concreto rectum est illud *habens*, utrique ipsissimum. In obliquis est realis distinctio includentis & inclusi, quia hoc aggregatum ex humanitate & petreitate includit humanitatem, , non autem è contrario.

Si inferas, Ergo hæc Prædicatio *Petrus est homo* est falsa. Nego illatum, quia, ut diximus, in hac propositione non distinguitur subjectum à prædicato secundum id, quod dicit in recto, sed secundum id quod dicit in obliquo; & ideo propositio est vera, & non identica, quia ad propositionem veram requiritur & sufficit, quod recta subjecti & prædicati sint idem; Propositio autem identica, nec habet distinctionem in rectis, nec in obliquis, talis est hæc, Petrus est Petrus, sic enim resolvitur, habens humanitatem petreitatam, seu habens humanitatem & petreitatam, est habens humanitaten petreitatam seu humanitatem & petreitatem. Ecce idem *habens* ex parte subjecti & prædicati, & ipsissimum est quod habetur.

SUBSECTIO IV.

Solvuntur Objectiones.

LVIII. Oppones primo. Et non dari intra singularia naturam communem sic probas, imo dilemmate fortissimo vix non demonstras. Homo universalis si asseratur reperiri in Petro & Ioanne, vel idem homo, qui est in Petro, est etiam in Ioanne, vel si libet, diversus ab eo? Si diversus asseritur, non erit dicendus Species, hæc enim debet esse una saltem negative, & de pluribus distinctis numero verificari. Præterea homo qui est in Petro, si non est in Ioanne, non poterit de Joanne prædicari. Si autem dicatur eundem hominem esse in Petro & Ioanne, adhuc remanet locus instantiæ, quia vel utrique est identificatus vel non? Si non, ergo dantur duæ contradictoriæ simul veræ, ut patet consideranti. Si autem homo (natura humana,) asseratur identificatus utrique: superest apud Conimbricenses & apud Hurtad. Disp. 5. Met. §. 2. Syllogismus fortissimus. *Quæ sunt eadem tertio, sunt eadem inter se; atqui Petrus & Ioannes identificantur uni tertio, nempe homini ut sit, ergo Petrus & Ioannes sunt idem inter se.* Igitur Petrus est Ioannes, & Ioannes est Petrus.

Respondeo dicendo naturam humanam quæ reperitur in Petro & Ioanne & posse dici ab utriusque hæcceitate realiter distinctam cum Platonicis; posse etiam dici utriq; realiter identificatam cum Scoticis, ex neutro sequi inconveniens. Non ex asserto priore, ut nuper ostendimus. Non ex altero, ut in continenti demonstro. Nec utor communi responsione Recentiorum, distinguentium Syllogism. supra positum hoc modo: Quæ sunt eadem uni tertio, eadem sunt inter se, Dist. quæ sunt eadem uni tertio singulari & incommunicabili. Conc. quæ sunt eadem alicuicunque tertio. N. similiter dist. min. Petrus & Ioannes sunt idem uni tertio universali. Conc. uni tertio singulari incommunicabili. N. ergo sunt idem inter se. N. coam. En communem Neotericorum omnium satisfactionem, sed mea & Caramuelis sententia puerilem potius quam Scholasticam, non minus ac illam Raymundi Lullii: Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, in illo tertio. Conc. in seipsis. N. & concessa min: dist. conseq. ergo Petrus & Ioannes sunt idem inter se, in illo tertio, nempe in ratione hominis. Conc. coam. sunt idem in seipsis nempe in Petreitate & Ioanneitate. negat. Ecce Lullianam acutissimam resolutionem primo aspectu pulcherrimam: inutilem si rigido examini subjeceris. Doceat obsecro: quid est esse eadem inter se, in illo tertio? an non est esse eadem uni tertio? Ergo idem est, *quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, in illo tertio*; ac si diceretur, *quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem uni tertio.* Quis autem non videat hanc esse puerilem potius, quam philosophicam enuntiationem? Facilius ergo te expedies ab hac difficultate, propositionem illam maximam à tot hominibus inepte assertam, libere & absolute negando. Omnia enim Principia Philosophica, si pugnent cum dogmate quocunque Fidei orthodoxæ, rejicienda sunt tanquam spuria & falsa; non enim Fides juxta Philosophiam, sed hæc juxta Fidem elimanda venit & accommodanda. Nec audiendi sunt, qui similia Principia admittunt in creatis, negant in Divinis, ut Suarius & alii: hoc enim non est philosophari, sed fingere, vel Metaphysicam contra rationem, vel Fidem contra rerum naturam, His adnumera illos, qui in

divi-

divinis noo edmittuot formam Syllogisticam, de quibus doctissime Vasquez io 1. p. q. 28. Disp. 122. cap. ult. num. 14. quod nostram fidem Catholicam ludibrio exponant: quia illa, quæ necessaria sunt, etiam in Deo debent habere locum, vel si inibi locum non habeant, non necessaria dici debent. Vide Caram. Phil. ration. num. 463. & seqq.

LIX. Oppones secundo, Res universales nec loci nec temporis limitibus circumscribuntur, ideo esse æternæ affirmantur: at quidquid in rebus creatis est, circumscribitur tempore & loco, ergo nihil est quod debeat vocari universale. Resp. Ideæ universales adum se dicunt sua prædicata essentialia, & à duratione & loco, sicut & a singularitate (io quocunque tandem bæ ponantur) præciduntur. Secundum se, nec sunt æternæ, nec temporaneæ, sed præscinduntur ab utroque. Perennant sane, sed bifariam. Et in Deo, & in nobis. Prout perennant in Deo archetypo, æternæ sunt, immensæ sunt, imo & perfectionem includunt infinitam, quoniam sunt ipse Deus. Prout ectypa perennant in nobis, contingentes sunt & mutabiles & successione conservantur. Idea bominis, ex. gr. secundum se dicit sua prædicata essentialia, nempe animal rationale. (Definitionem enim veram & genuinam, quæ ideæ hominis competit, ignoramus). Prout existit in Deo, Deus est: Deus enim ob perfectionis suæ eminentiam continet omnium creaturarum prærogativas ab omni imperfectione abstractas. Hæc hominis Idea, seu essentia contrahitur in nobis in varias existentias in materia distincta per non-ens. Et hæa contractio est simul plurificatio, sicut sigilli impressio in multis ceris. Pront existit nobis finita est, specifica est, communis est, communis est, atque corruptibilium perennat sucessione. Erat in primis hominibus, quibus mortuis in creatis non esset, nisi ante eorum mortem ad posteros extenderetur.

LX. Oppones tertio, Nihil quod Petro intrinsecus convenit, potest verificari de Paulo, ergo non habent naturam realiter communem. ant. prob. Quod Petro intrinsecus aonvenit, de essentia Petri est, èssentia autem Petri est ipse Petrus. Resp. oeg. ant. ad ejus probationem, concedo maj. illam, subsumptum vero, nempe Essentia Petri, est ipse Petrus, distinguo, Essentia Petri totaliter sumpta est ipse Petrus. Conc. Essentia Petri partialiter sumpta est ipse Petrus adæquate. Nego. Ratio est, quia *Homo* non est totus Petrus, nec tota essentia Petri, sed pars Petri, Petrus eoim componitur ex bomine & Petreitate. In ratione hominis cum Paulo & aliis hominibus Petrus convenit, in petreitate dissidet. Ideo quando dicimus *Petrus est bomo*, atque Paulus est homo, idem prædicatum specie de utroque individuo verificatur, quia utrique identificatur, licet Pauleitas & Petreitas inter se non identificentur.

Hic inaidenter duo notari velim. Primum est circa syntaxin Siogularis seo Individui. Aliqoi sic procedunt. Petrus exponitur *bic bomo*, ita tamen ut *Hic* sit fundamentum & rectum, & *bomo* cnosideretur in obliquo. Hoc antem est inintelligibile, quia non sunt obliqua ni babeantur, nec recta ni habeant. Subsistentia est illud *babens*, quod in quolibet concreto subauditur, ergo subsistentia semper debet aoncipi in recto. Hinc est quod hæc propositio *Petrus est bomo* reddat hunc sensum *Hoc babens bumanitatem est babens bumanitatem*. Ecce *Hoc & babens* est in recto, *bumanitas* vero io obliquo. Iuxta hanc compositionem singularis, non est possibile admittere distinctionem realem inter concretum specificum & ecceitatem, si enim Petrus distinguitur realiter ab homine, falsum erit dicere *Petrus est bomo*. Igitur ponere hæcceitatem in obliquo & subsistentiam in recto esset plausibilius, quod præstant AA. Academici, qui Divinum Philosophum interpretantur juxta tertium modum, de quo sup.

Alterum est, dari accidentia Vniversalia quæ ponuntur in definitione Vniversalis physici, sic essentiale est homini ut sic essa coloratum. Et quamvis noo ponatur in ejus definitione explicite, ponitur tamen implicite, cum dicitur, quod est animal. Clarum enim est, animal esse corpus organizatum à calore, & coloratum, & in loco, & in tempore, & ideo subiicentur ejusmodi accidentia, quæ nihil notificant, tum ratione brevitatis, tum quia subintelliguntur. Nec assentimur in hoc Caramueli & illis AA. qui putant dari posse creatoram existentem, quæ sit nusquam, & nunquam. Nec verum est, quod Peripatetici asserunt, essentiam ascidentia omnia abjicere secundum se, quandoquidem ab existentia non sunt. Accidentia vero particularia sunt de essentia Individui, tametsi non ponantur jn definitione illius, v. g. Iulii Cæsaris, omnia, quoniam nec possunt ob infinitatem, & præsuppoountur ipsa communia tanquam nota, particularia vero exprimuntur, quæ ipsum maxime clarificant & distinguunt ab aliis, ut patet in Epilogo descriptionis vitæ illius. Hoc autem asserimus physice loquendo de Homine, & de cunctis Speciebus notis apud nos.

LXI. Oppones quarto contra datam distinctionem supra. Idem est principium constitutivum distinctivumque; sed ratione hominis Petrus constituitur saltem inadæquate, ergo ratione bominis distingui debet eodem modo, boc est, inadæquate. Resp. quid si negem majorem? Albedine constituitur album, non autem albedine distinguitur à nigro, sed distinctione, quia si paries albus albedine distingueretur à nigro, deberet quoque distinctione dealbari, quæ esset magna formarum coofusio. Vnicuique formæ suum debemus tribuere effectum formalem; albedine paries dealbatur, distinctione distinguitur, similitudine assimilatur, durationa perennat, & reliquos effectus formales recipit à propriis formis, quæ siot hujuscemodi effectibus proportionatæ. Sed condonemus bos assertum. Quid inde? Dist. min. Petrus constituitur formalitate hominis in ratione hominis. Conc. in ratione bujus. N. & dist. similiter aoosequens, ergo distinguitur in ratione hominis respectu brutorum & quorumcunqoe oon-hominum. C. consequ. respectu Petri & aliorum bominum. N. consequentiam.

LXII. Oppones 5. Ratio universalis debet verificari de omnibus individuis, ergo ratio hominis est Petrus, Ioannes & Franciscus. Sed repugnat quod unum sit plura quoad entitatem, quod probas, quia unum & plura opponuntur. Resp. admittendo maj. nego autem unam & eandem Speciem non posse identificari pluribus individuis, nec tunc unum & plura opponerentur, quia essent in diversis generibus. Esset illa natura universalis, unica & simplex specifice, & multiplex quoad individuationes. Constat hoc evidentissime in natura Divina: quæ cum sit singularis, identificatur tribos bypostasibus seo personis, & est

unies secundum se, atque trisariam personata: ergo facilius intelligi poterit naturam specificam & universalem esse simplicem secundum se, atque singularizari multifariam

Instas. Natura humana Petri & natura humana Pauli ut præcisæ à suis differentiis individuantibus, vel sunt una intrinsece vel distinctæ? neutrum dici potest, ergo. Non primum, quia alias eadem nature pluribus inesset per inexistentiam, & sic esset actu universalis, & inveheretur Mysterium Trinitatis in creata. Non secundum, quia si illæ naturæ sic præcisæ adhuc realiter distinguantur, vel distinguuntur se totis immediate, vel per aliquam formalitatem superadditam? Si primum, ergo hoc idem de Petro & Paulo possumus dicere, quod se totis distinguantur realiter & non per hæcceitates superadditas, imo hæ superfluerent, cum sufficienter distinguerentur per naturas suas. Si autem dicatur secundum, manifestus erit processus in infinitum.

LXIII. Huic argumento Resp. 1. Illud retorquendo. Christus, qui est in hostia A, & in ille distinguitur ab accidentibus, vel est idem cum Christo, qui est in hostia B, vel ab illo distinguitur? Si est idem, erit communis omnibus hostiis. Si distinctus, erunt in hostiis multi Christi, qui cum specie non differant, numero debebunt distingui.

Resp. 2. Naturam Leoninam, quæ est in Leone A (eadem est ratio de aliis) bifariam posse considerari, vel in abstracto, vel in concreto. Natura Leonina in abstracto est Leonitas; & quæ in Leone A est, non est Leonitas secundum se, sed leonitas habens potentiam ut sit in multis, & actualiter existens in Leone A. Hæc realiter est universalis, & actualiter ab hæcceitate ipsa distinguitur, quia formæ abstractæ à subjecto habent quod sint singulares. Sic dico Leonitatem, quæ est in Leone A. non distingui à Leonitate, quæ est in Leone B. sed esse vere unam & ipsissimam Leonitatem, non quidem unam numerice, sed unam specifice & formaliter, seu universaliter. Natura Leonina in concreto est Leo; & natura Leonina quæ est in Leone A. non est Leo secundum se, sed Leo universalis, quie est Leo habens potentiam ut sit in multis. Analogice philosophare de natura humana. Nec sequitur Mysterium ineffabile SSS. Triados invehi in creata, sed mirabiliter dilucidari ex doctrina Platonis; econtra everti si stemus pseudo-principio Arist. *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.* Et si vera sit opinio Scoti, non sequi illud reperiri in creaturis. Nam in divinis una numero natura est identificata tribus personis, at in humanis non una numero, sed una specie aut genere collocatur in multis. Et quidem quod loco absurdi nobis objicit Arriaga, summæ perfectioni concedit Caramuel, formando hoc argumentum: Philosophia debet ancillari Theologiæ, hoc est, debet tales opiniones præmittere, quæ fidei articulos exponant & dilucident. At stante Arriagæ doctrina divina Trinitas inintelligibilis est: stante autem Platonis aut Scoti sententia, clara & facilis, ergo hæc sententia est propugnanda, & altera omnino rejicienda.

Respondeo 3. cum Scotistis, quos inter se hac in parte divisos reperio. Alii enim admittunt naturam communem & universalem per inexistentiam, neque agnoscunt ullam numericam inadæquatam unitatem. Alii communem tantum volunt per indifferentiam. Priores facile se expediunt, dicendo inprimis illam reduplicationem, *Natura Petri ut est Petri formaliter distincta à Petreitate*, inepte poni, est enim idem ac dicere, Natura ut petreizata, sic enim formaliter includit petreitatem; implicat ergo illam, ut sic sumptam formaliter distingui à Petreitate, sed debet simpliciter dici: Natura quæ est in Petro est formaliter distincta à Petreitate, & tunc concedunt sequelam, quod nempe sit actu universalis. Addunt Naturam Petri & Pauli præcisam ab hæcceitatibus non fore duas, sed unam naturam specifice, natura enim Petri & natura Pauli identificantur negative, ut Petrus Petro. Qui autem non admittunt universale à parte rei, respondebunt Neg. sequelam, aut distinguent: Natura illa erit universalis metaphysice, id est una per indifferentiam, seu communis pluribus disjunctim negative & remote. Conc. erit universalis logice, id est una in pluribus per inexistentiam & pluribus communis positive & conjunctim. Negant. Sed hanc litem inter Scoticos ortam, non facio meam. Tu vide fontem Doct. subtilem 7. Metaph. q. 13. n. 9. & 2. dist. 3. q. 1. num. 10.

LXIV. Oppones 6. Illud est universale quod de Petro prædicatur & verificatur in hac enuntiatione *Petrus est homo*; sed non verificatur aliqua res, ergo, min. prob. Si enim homo ipse esset universalis, esset hic sensus: *Petrus est homo universalis*, qui in omnium opinione est falsus. Resp. Neg. min. ad probat. dico & expendo istam propositionem *Petrus est homo universalis*, & dico differre eam ab hac *Petrus est homo*, quia *homo*, qui est prædicatum istius enuntiationis, revera est universalis, non tamen prædicatur ut universalis, neque ut particularis, sed consideratus secundum sua prædicata essentialia: ideo idem est dicere *Petrus est homo*, ac dicere *Petrus est animal rationale*.

Sed esto, hæc propositio *Petrus est homo*, æquivaleat huic, *Petrus est homo universalis*: hæc autem est omnino vera, quia unum esse aliud est unum alteri identificari, ac ideo tantundem est dicere *Petrus est homo universalis* ac dicere *Petrus identificatur homini universali*: hanc ultimam nemo negare potest, ergo nec primam.

Instabis: Si Petrus esset homo universalis, etiam esset prædicabilis de pluribus differentibus numero & syllogizas sic: Homo universalis est prædicabilis de pluribus numero differentibus; Petrus est homo universalis. ergo.

Rdeo cum Caramuele, hunc syllogismum esse in nulla Figura; ac proinde concessis præmissis impune negari consequentiam.

Addes, hunc syllogismum esse bonum, quia licet non innitatur illi Principio *Dici de omni, atque dici de nullo*, est Expositorius, & innititur illi communissimo axiomati: *Quæ sunt eadem uni tertio &c.*

Rdeo, me non cognoscere syllogismos, quos vocant *Expositorios*: constant enim propositionibus identicis, quæ vocibus solum dissident. Expositorius est iste: *Marcus est Tullius. Tullius est Cicero, ergo Marcus est Cicero.* Sed hoc est verbis ludere, & tandem est dicere Cicero est Cicero, quia licet dentur tres termini vocaliter, datur unus mentaliter, ac propterea mentaliter non datur syllogismus, quia non sunt 3. propositiones, sed unica & hæc identica.

Quan-

Quando autem Syllogismus Expositorius habet tres terminos etiam objective distinctos, mendicat efficaciam ab sæpe dicto axiomate: *Quæ sunt eadem uni tertio &c.* apud multos quidem indubitanter vero, sed apud doctiores falso. Et hæc de Vniversalibus universaliter dicta sufficiant.

TRACTATVS L. & ultimus.
DE VOLVNTARIO, ET LIBERO.

OMnis Philosophia Moralis Summi Boni, & actionis honestæ Scientia contioetur: Illud est extremum bonorum & finis humanæ vitæ ultimus: actio vero honesta est ratio seu medium quo ad eum finem perveniri potest. Nos hoc loco Actionis humanæ Principium à natura coogenitum duplex, Voluntas & Libertas, discutiemus. Sit itaque

SECTIO I.
De voluntate & voluntario.

Est, inquit Cicero, animus io partes distributus duas, quarum altera est rationis particeps, altera expers: quæ divisio Gentilis nostris principiis non convenit. Nam per animum nos mentem intelligimus, quæ est indivisibilis, spiritualis & tota rationalis substantia. Præter hanc io homine animam sensitivam statuimus, nec illi rationem denegamus, sed Menti subordinamus ita, ut appetitus ejus illi subsit, qua in pugna & victoria Mentis hominisque fundatur beatitudo, nemo enim coronabitur, nisi qui legitime certaverit. Porro animæ rationali duæ vulgo assignantur facultates; una cognoscens, quam intellectum, altera appetens, quam Voluntatem vocant. Quas inter si discrimen majus finxeris quam rationis seu formalis ex natura rei, falleris. Vtraque est actionum humanarum principium, neque una sine altera explicari potest. Primum igitur quomodo intellectus voluntatem, se vicissim voluntas moveat intellectum; deinde quæ ad voluntarium & involuntarium pertinent, excutiemus.

I. Quær. 1. Quomodo Mens & Voluntas sese mutuo ad agendum determinent? Resp. Proprie & ad legem veritatis loquendo, nec intellectus voluntatem, nec vicissim voluntas intellectum movet. Non enim sunt duæ res, quæ tanquam duo globi impetum aliunde acceptum sibi invicem communicent. Sed idem est animus, qui ut rem nude & simpliciter percipit, intellectus; ut in eam tanquam in bonam & sibi commodam fertur, voluntas aut appetitus nominatur. Cum autem nihil appeti possit aut amari, nisi idem sit cognitum: hinc fit ut voluntatem ab intellectu moveri, aut potius determinari omnes Philosophi fateantur, adeo ut voluntas nihil agere, nihil moliri possit, nisi facem præferat intellectus. Vnde amentes & infantes sponte quidem agunt, non ex voluntate, quod iis desit cognitio, aut rationis usus; & in hoc non differunt à brutis. Itaque non modo ad exercitium actus, hoc est ad agendum vel non agendum, sed etiam ad speciem actus mens voluntatem ita determinat, ut si rem voluntati proponat ut bonam, & citra ullius mali admistionem, voluntas eam non amare non possit; si ut malam tantum, & nulla ex parte bonam, hanc voluntas omnino respuat; nullum enim malum nisi sub ratione boni alicujus appetitur. Rationem hujus dant, quod voluntas cæca sit, nec potens seipsam regere, unde lucem intellectus sequi necesse est.

II. Verum tametsi prædicta à vero non abhorreant, ratio tamen quæ affertur, rem satis apertam involvit magis & obscurat quam illustrat. Nam si voluntas vis est quædam ab intellectu distincta, frustra ille cæcam irradiat, aut surdam monet. Præterea quomodo voluntas iotellectum sibi consulentem audit, aut eligit, aut quomodo ei consentit, vel se ad agendum applicat, & subjectis viribus imperat? Non potest enim voluntas ab objecto moveri, aut allici, nisi illud sibi præsens exhibeatur; hoc autem fieri nequit nisi per imaginem ipsius objecti; sed voluntas est facultas omnis cognitionis expers: qui igitur fieri poterit, ut objecti sui imaginem percipiat, aut unum præ alio eligat? Nam lux cæco frustra porrigitur.

Responderi solet vulgo, has vires in eodem animo radicari, & tantam esse inter eas consensionem sive sympathiam, ut una ab altera excitari aut determinari possit, quamvis nihil ea percipiat: fere ut oculi pedum incessum regunt, tametsi pedes nihil vident. Solus, inquiunt, modus loquendi, negotium nobis facessit.

Verum neque hæc consensio aut sympathia inter hasce facultates, neque id quod affertur exemplum difficultatem minuit, sed auget magis. Non enim oculus, sed anima ipsa, vel imaginatio oculorum ministerio, pedes & totum corpus movet ac regit; atque illa sympathia inter rationem & voluntatem non efficit ut voluntas ab intellectu dirigatur. Quæri enim merito potest, an voluntas intellectui reluctari queat? quod si non possit, jam utique voluntas non erit sui juris, nec erit indifferens. Quod si Mentis judicio repugnare possit voluntas, quomodo ea unum alteri præfert, certe aliqua ratione ducitur. Ergo necesse est ut ultimum rationis judicium voluntas sequatur; nisi forte impetu ruat in id quod libet.

Verum quid libeat, dijudicare non potest, nisi mens velut facem præferat; ac nisi voluntas ultimi judicii sit sequax, impotens erit, irrationalis & inconsulta. Sed neque potest id, quod fuit à ratione præscriptum, repudiare, aut illius decreta probare vel improbare: nihil enim perspicit, cæca supponitur, neque adeo potest unum cum altero, quod proprium rationis munus est, componere.

Quod autem ajunt, solum loquendi modum nobis facessere negotium, verum est, si ita usitatæ loquendi rationi serviamus, ut res ipsas inter se distingui, quæ diversis efferri solent nominibus, persuasum habeamus, & res nostro cogitandi modo, ut cogitationes ipsas usitatis vocibus omnino addicamus. Id enim omnem pene cognitionem nostram conturbat. Quo igitur rem, quæ suapte natura non est adeo impedita, quam dilucide fieri poterit, expediamus, ex iis quæ

certa

certa ſunt & confeſſa, quæ videantur obicuriora etuamus.

III. Primum itaque idem eſt animus qui immediate & proxime vult & intelligit, quique Intellectus & voluntas dici ſolet. Quatenus enim propendet in bonum ſeu univerſale, ſeu particulare, dicitur velle. Cum autem intellectus rem ſimpliciter apprehendit ut veram, tum ſuas tantum partes agit: ſed ubi bonum percipit aut judicat, ſtatim appetitus aut voluntas commovetur: tum enim intra fines objecti voluntatis ea res continetur. Ergo idem eſt principium & cognitionis & appetitus; quæque dicitur voluntatis functio, cum rationis actione ita cohæret, ut unum idemque ſit utriusque principium, cogitatione non natura diverſum.

Ex quo conficitur voluntatem minus proprie cœcam vocitari: nam idem eſt animus, qui ut bonum intelligit & nobis conveniens, aut malum ut noxium percipit, ſtatim ad illius proſecutionem, & hujus fugam ſe determinat. Neque is cœcus dici debet, cum rem incognitam proſequi aut fugere non poſſet. Atque is error hinc oritur, quod intellectum & voluntatem, ut res diverſas concipiamus: ac Voluntati attributa, quæ ſimul eſſe non poſſunt, animo tribuamus: quod nim. cœca ſit, & intellectus tamen lumine irradietur; quod expers rationis judicia intellectus perpendat, unum alteri anteponatur. Deinde ſi voluntas ad cognoſcendum non eſt à natura comparata, non magis illi cœcitas, quam auribus eſt tribuenda.

Poſtremo ſi voluntas, ut facultas cœca & ab intellectu diverſa ſupponatur, vix explicari poterit, unde actionis cujusque principium ducatur: non enim intelligimus, niſi cum volumus. Jam, ut omnes fatentur, voluntas intellectum ad cognoſcendum movet & determinat; ſed neque voluntas quidquam aggreditur, quod non fuerit ab intellectu præmonſtratum: unde ergo agendi initium ducetur? quanto facilius eſt eundem animum utriusque actionis principium, idemque proximum concipere, quam ſe tot difficultatibus impedire?

IV. Quod ſi ita ſit, illud quoque probabile videtur, voluntatem ſemper ſequi ultimo Intellectus judicium: alioqui voluntas temere & inconſulto ageret, non ut potentia rationalis, quæque rationi indivulſe cohæret. Ponamus enim ultimum rationis judicium ad prudentiam pertinere, & voluntatem contra juſtitiam agere: tum ſane homo erit prudenter injuſtus: quod omnino abſurdum videtur.

Deinde cum ultimo judicio ſeu concluſione intellectus voluntatis actio ita conjungitur, ut ſi animus quid ſit bonum judicet, ſtatim id voluntas expetat: ſi mens nutet & fluctuet, voluntas quoque nutabit, & eadem laborabit inconſtantia: quod idem judicium ab intellectu ſimul & voluntate proficiſcatur, ergo voluntatis proſecutio aut fuga ultimo rationis judicio, quod practicum vocant, indivulſe cohæret, neque ab eo divelli poteſt.

V. Poſtremo nemo eſt qui rogatus cur aliquid agat, non ſtatim reſpondeat, id ſe agere, quia judicat id eſſe faciendum.

Cum itaque propoſitio, cui aſſentimur, eſt univerſalis, judicium dicitur practicum aut propoſitum: hinc nonnullos propoſiti tenaces dicimus. Cum id omnibus circumſtantiis munitum, tum dicitur practicum. Idque eſt concluſio Syllogiſmi, quem in omni actione formamus: quamvis enim ex uſu & prompte operamur, nulla fieri argumentatio videatur, fit tamen, ac tum maxime, cum parata eſt & expedita: nullas enim temporis moras poſtulat: nec quidquam fere moram nobis injicit, niſi ſenſuum infirmitas.

Quo circa ut intellectus id quod vero ſimilius, ita voluntas quod melius ſibi videtur omnino approbat ſequiturque: Nam ut lancem, inquit Cicero, in libra ponderibus deprimi, ſic animum perſpicuis cedere neceſſe eſt, nec poteſt objectam rem perſpicuam non approbare. Eſt quippe animus inſtar bilancis indifferens, ut in utramvis partem propendeat: adeo ut in eam lancem, cui major ſpecies veri, tanquam pondus inhæſerit, omnino deflectat. Non tamen eo usque eſt indifferens, ut dimiſſa re magis perſpicua, amplectatur minus perſpicuam aut veriſimilem, uti nec levius pondus attollet lanceam graviore pondere depreſſam. Hinc enim omnis fluctuatio aut dubitatio oritur, quod paria utrimque videantur rationum momenta. Atque ut ſi æquatis libræ ponderibus momentum quoddam modo uni, modo alteri lanci addas, aut detrahas, hanc utique vel illam lancem deprimes: ſic judicia noſtra commutari neceſſe eſt, cum ſpecies boni commutantur. Sed voluntas judicium intellectus ſemper ſubſequitur, ergo id ſemper amplectitur, quod intellectus melius judicat, ſeu revera ita ſit, ſeu ſpeciem tantum & ſimilitudinem boni præ ſe ferat: hoc eſt, ſeu id melius ſit quoad rem ipſam, atque ut loquuntur, quoad objectum, ſeu ita nobis videatur. Idque maxime quod minus bonum cum meliori comparatum rationem habeat mali; ergo illud ut deterius judicatur, nec poteſt meliori anteponi.

VI. Objic. 1. Si voluntas ſequitur neceſſario ultimum rationis judicium, ergo non determinat ſeipſam, ſed omnino determinatur ab intellectu. Reſp. Voluntatem non ſeſe determinare ſine ratione, C. cum ratione. N. ſi enim ut diximus, in omni electione noſtra Syllogiſmus quidem, quem vocant practicum, cujus concluſionem voluntas ſequitur. Unde amentes aut infantes non agunt libere, quia non poſſunt judicare, an præmiſſæ illius Syllogiſmi ſint veræ, vel falſæ.

Inſtant. Iudicium illud affert voluntati neceſſitatem antecedentem, ergo voluntas non erit libera. Reſp. N. ant. Nam judicium illud eſt liberum, idque voluntas mutare poteſt, aut ſuſpendere: ac neceſſitas, ſi quæ ſit, erit hypothetica, non abſoluta, moralis non phyſica.

VII. Oppon. 2. Nos non ſemper ſequi, quæ videntur meliora; juxta illud Medeæ apud Ovid. communi ſermone tritum - - *Video meliora proboque, deteriora ſequor.* Reſp. diſt. ant. Quæ probamus meliora cognitione ſpeculativa & univerſali, ea non ſemper ſequimur. C. quæ probamus meliora per cognitionem practicam, cum rem omnibus circumſtantiis veſtitam intuemur, ea non ſequimur. N. Quare propoſitis duobus bonis, aut duobus malis, illud bonum amplectitur voluntas, cujus ſpecie magis permovetur animus; id malum refugit, cujus ſpecies illi videtur horribilior. Nam minus bonum cum meliore comparatum, mali habet rationem.

Sed inquies, multa quæ judicamus mala, contra conſcientiam ſequimur, nec quæ magis probamus, eadem am-

amplectimur, quod bonum à nobis est judicatum, sæpe rejicimus. Resp. his & aliis quæ afferri possunt, non aliud effici, quam nos ad ea, quæ sunt reipsa meliora, quæque ita sunt judicata, non attendere, eo potissimum quo agimus tempore: quodque ante est judicatum bonum dimittimus: nam ex vero in apparens bonum animus abripitur. Qui autem dicit se meliora probare ac deteriora sequi, is mentitur & pugnantia loquitur. Agit quidem præter Conscientiam, quod se boni jacturam aliquam facere sentiat; sed id non ei videtur tanti, ut voluptatem aut libidinem, qua cum transversum agit, aspernetur. Hæc igitur majoris boni speciem præ se fert, licet fucata sit & ementita, non vera & germana boni speciei.

Oppon. 3. Quod si voluntas id sequitur, quod ratio melius judicat, nemo erit incontinens; fieri enim non poterit, ut qui de rebus recte judicat, non agat id quod est optimum. Resp. Incontinentem scire quid factu sit optimum, habitu, C. actu, N. habet enim scientiam, sed ea non utitur, neque ad id, quod scit, attendit animum. At si vitii turpitudinem utcunque consideret, hanc scientiam vis libidinis ita obscurat, ut quod jucundum aut bonum in vitio sibi fingit, quasi in luce constituat; quod boni est in virtute, confusa tantum & obscura cognitione, non serio nec attente consideret. Hinc quæ eum possunt à malis actionibus deterrere, ut futura tantum, aut dubia & incerta supplicia, velut perfunctorie & eminus prospicit. Quod si ea tanquam certa & præsentia & mox incurrenda cerneret, vix se in vitium præcipitem daret. Sed

VIII. Inquies, si res ita se habeat, nemo peccabit nisi ex ignorantia; & ad virtutem erit bene compositus, cujus mens bene edocta fuerit; discutiendæ solummodo erunt ignorantiæ tenebræ, omnes statim virtutes aderunt; omnis demum flexibilitas aut indifferentia erit in intellectu, non in voluntate, atque illo præeunte, hæc necessario subsequetur.

Respond. Illud esse omnium ore usurpatum, quod omnis peccator sit ignorans, actu scilic. non habitu. Ponitur autem peccator, quoniam libere eligit quod est minus bonum præ majori bono: & quoniam abutitur bono in alium ordinem, quam à DEO præcipitur. Incertitudo, ais, melioris pro tunc nos decipit. Respondeo, ubi incertitudo pura inevitabilis & non procurata intervenit, ibi nullum esse peccatum, nam defectus potentiæ & sapientiæ non faciunt peccatum, sed defectus voluntatis, quoniam in ipsa continetur potestas & sapientia, & quod potest & scit, debet velle facere. Nec tamen satis fuerit intellectum instruere: nam usu & exercitatione virtutes non minus quam præceptis comparantur. Quæ ex objectis impressiones, & ex appetitu sentiente oriuntur perturbationes fortius animum percellunt confusæ quidem ex iis ductæ, sed pene cogentes rationes mentem in alio deflectunt. Nam animus objectorum impressione, aut sensuum voluptate delinitus ad ea non attendit, quæ rationis lumen ostendit.

Eadem demum est flexibilitas & indifferentia in voluntate, quæ in intellectu, neque una ab altera divellitur: cum idem sit animus qui vult & intelligit. Imo satis est verisimile, nullam esse cognitionem, quæ non sit formaliter aut virtualiter saltem affectio: nulla itidem affectio voluntatis, nullus amor, qui non sit quædam experimentalis cognitio, ac contra actio sine altera potest consistere: nullus adeo est necessitati locus: atque indifferentia seu judicii, seu voluntatis, quamdiu vivimus, tolli non potest. Frustra autem enitimur ut voluntas suas mutet appetitiones, nisi in hoc laboremus, ut mens quoque sua mutet judicia, ne fucata specie boni decipiatur: ne visum vero bono anteponat: id enim semper voluntas sequitur, cujus species animum validius percellit. Quæ omnia magis declarata sunt in Tract. XXIII. supra De Primalitatibus.

IX. Quær. II. Quid sit & dicatur Voluntarium? Arist. lib. 3. Ethic. sic definit: Quod est à principio intrinseco cognoscente singula, in quibus est actio, hoc est, cognoscente singulas actionis circumstantias, finem vid. quæque ad finem ducunt. Vnde bruta & infantes sponte quidem agunt, non voluntarie: iis enim deest perfecta finis cognitio.

Itaque voluntarii nomine id proprie intelligimus, quod fit à principio intrinseco cum cognitione finis. Id enim ex inclinatione nostra & propensione fit, cujus principium in nobis est. In agente corporeo principium quidem dicitur naturale motus, quem juxta consuetum naturæ ordinem efficit. Si dicimus motum lapidis deorsum esse naturalem, ut motum sursum esse violentum & præter illius inclinationem: quamvis forte uterque motus lapidi extrinsecus adveniat. Belluæ in se suí motus habent principium & seipsas movent, quamvis ex perfecta finis cognitione non agant. Hinc sponte quidem, sed non voluntarie, nisi admodum improprie dicuntur operari, sed homo per discursum innatum, non illatum deliberat de mediis assequendo fini opportunis, habetque cum voluntate arbitrium liberum, ut mox dicetur.

Quod igitur fit, aut præter inclinationem voluntatis, aut citra cognitionem, id voluntarium perimit, & omnino involuntarium est. Vnde ex Aristot. vis & ignorantia voluntarium tollunt, minuunt metus, concupiscentia & delectatio augent potius quam minuunt. Quæ quidem si bene intelligantur, magnam lucem afferunt iis, quæ de actibus humanis in Ethica tradi solent.

Itaque Involuntarium, coactum & violentum promiscue usurpari solent: tametsi proprie involuntarium cognitionem perfectam includat, ut coactum saltem imperfectam, qualis est in brutis: sed violentum citra omnem cognitionem esse potest. Sic motus lapidis sursum dicitur violentus, non coactus; percussio canis violenta & coacta, non involuntaria. Sed vitandæ confusionis gratia fiot seqq. conclusiones.

X. Conclusio I. Violentia tollit omnino voluntarium. Violentia enim est causa extrinseca contra intrinsecam inclinationem debitam naturæ agens. Actio enim seu mutatio violenta est, in qua aliquid naturale deperditur, & quod non inerat natura acquiritur, propter eaque eum resistentia absque consensu patientis: hine est quod nulla actio divina est violenta, quia nullum patiens illi resistit, aut non consentit physice. De moralibus autem alia est disciplina. Quapropter Peripatetici in 7. suæ metaph. non recte sentiunt, actiones & passiones Elementorum invicem propterea esse naturales, quod materiam habent non repugnantem, sed communem omnibus; arti-

tificiales vero & ab extrinseco factas, esse violentas. Etenim plus repugnat materia ignis inimicæ terræ ipsam transmutantis, quam lignum navefactori. In hoc enim sola informitas repugnat: in illo vero etiam contrarietas & informitas materialis. Quaproter omnes actiones Elementorum cum fint ab extrinseco, & cum resistentia reagentis patientis, sunt violentæ, considerando naturas earum particulares: considerando vero totum Mundum & universalem naturam, & finem divinum, cui serviunt instrumentaliter, sunt naturales: materiæ vero nihil violentum respectu sui in ulla actione; sed tantum respectu regnantis formæ. In violenta ergo actione physica requiritur agens & patiens & oppositio inter illa maxima autem contrarietas; utque agens sit extrinsecum, vel si intus ast, natura quam mutat, sit oppositum. Et quoniam omnis actio reducitur ad potestativum, & cognoscitivum & volitivum, quaodocunque primalitatibus omnibus passivi repugnat, actio & mutatio illa dicitur violentissima; maxime autem si volitivo, ut occisio hominis juvenis contra pugnantis, potestativi & cognoscitivi vigentis destructiva. Secundo in gradu est violentia, si patiens vult, sed non judicat fieri posse, ut si contra scientiam & fidem suam sanetur: vel si asinus inscius & repugnans ducatur ad pastum. Tertio dicitur violentum, si est solum præter potestativum, ut si lapis projiciatur deorsum, quorsum vult & scit ire, sed tamen majori vi quam ipse possit descendere, pellatur: sic etiam ferrum ad superpositum magnetem vi attollitur, excitato ejus spiritu ad opus sibi alias non possibile. Multaque faciunt amentes ultra potestativum & volitivum, & delirantes ultra propriam scientiam.

Sunt etiam aliquæ actiones supra naturam magis quam contra, ut cũ Sibyllæ divinant, & idiotæ pangunt carmina, elevati altiore lumine. Hoc enim est de Natura Cognoscitivi, non autem de gradu talis cognoscitivi, sed supra gradum eorum. Sic resurrectio corporum ad vitam non est contra Naturam, cum ipsa naturaliter ona vixerint, sed supra Naturam cum in se principium intrinsecum propriæ resurrectionis activum non habeant, sed solummodo susceptivum. Ex his colligitur, aliquas mutationes magis esse naturales, ubi major obedientia, & major consensus patientis & minus temporis & resistentiæ. Aliquas vero minus violentas, ubi resistentia minor. Vnde obitus Senis minus contra Naturam, quoniam potestativum minus repugnat. Sic judica de cæteris primalitatibus secundum magis & minus. Hæc incidenter de Violento physico.

XI. Sciendum enim, vim quæ nobis infertur, aut physicam esse & cogentem, aut moralem: illa in actibus elicitis, qui sc. a voluntate proxime & immediate proficiscuntur, locum non habet: neque enim voluntas cogi potest, aut velle invita. Sed actus extrinseci, quique imperati dicuntur, non eliciti, omnino cogi possunt. Sic terrores & supplicia vim moralem & impulsivam, non absolutam martyribus inferebant.

Cum autem vim inferri posse dicimus actibus imperatis, sic intelligendum est, ut actus, qui solent imperari à voluntate, cujus generis sunt maxime exteriores, cogi possint: Vt cum quis in carcerem truditur: sed tum minime à voluntate imperantur, cum invita ejus qui agit, voluntate fiant. Quod quidem annotamus, ut cavillos qui contra rem adeo manifestam fieri possent, effugiamus. Actus itaque imperati materialiter sumpti, hoc est, qui solent imperari, vim pati possunt, non sunt imperati formaliter: neque enim voluntas imperat, sed tum magis agimur aut impellimus, quam agamus.

Voluntatem ergo non posse cogi palam est, cum enim ipsa sit propensio ad bonum, donec ipsa voluntas est volentas, semper in bonum propendet: & licet executio possit violentari, non tamen volitio: & propterea Deus concurrit ad volitiones, sed non ad volitiones malas, quæ non possunt esse bonæ. Et quidem voluntatem naturalem non posse violentari certum. Nemo quidem potest quacunque vi cogi ne amet, se esse: qui enim occidunt seipsos, putant se fugere non esse, & mala. Vt enim diximus, voluntas movetur in bonum cognitum, quod si illi malorum nubibus obvelatur, dum quærit mala effugere, incidit in pejus. Sic etiam reus tortura coactus, fatetur peccatũ; ubi sane confessio violenta est: tamen voluntas volens confessa est. Nam licet minime vellet, tamen vult omnino, ut vitet dolorem, majus malum, fateri peccatum, ut minus malum. Et quamvis sciat necem ex confessione imminere, tamen illam ut futurum malum reputat distantius, & minus, vel forsan postmodum effugiendum. Vnde sæpe eligimus minus bonum hodie, quam jus pro die crastino. Atque in proverbio est melius hodie ovum, quam gallina cras. Sæpe quoque eligunt mortem, ut finem malorum: & alii præsentia bona, quia sequentia mala non vident. Quidam vir (narrat Campanella de semetipso) quadraginta horas in cruciatibus interrogatus, cogi non potuit (mirabile dictu!) unum dicere verbulum judicibus.

Quid, quod nec Deus potest cogere voluntatem: potest tamen mutare: sed tum, ait S.Thom. non meretur homo, nec demeretur: multo minus objecta, cœlum aut stellæ. Illud quidem concedimus, voluntatem cogi posse, ut ajunt, negative, & prohiberi, ne actum suum exerat: potest enim Deus illi denegare suum concursum. Sed negamus eam positive cogi posse simpliciter ut actum eliciat contra suam absolutam & efficacem inclinationem. Potest enim aliquid velle contra inclinationem conditionatam & inefficaciam: ut si quis velit latroni suam pecuniam dare: tum enim secundum quid cogitur voluntas. Sed contra inclinationem absolutam voluntas cogi simpliciter nequit: cum actus voluntatis, puta amoris, pendeat essentialiter à principio intrinseco & vitali, neque adeo potest à principio tantum extrinseco proficisci.

XII. Conclusio. II. Ignorantia tollit voluntarium, sed non omnis. Probatur & explicatur. Voluntarium id dicitur, quod ex propensione & cognitione voluntatis proficiscitur: ergo si alterutrum ex his desit, aut voluntatis propensio, aut debita cognitio, nullus relinquitur voluntario locus. Neque alia est ratio cur infantes & amentes voluntarie non agant, nisi quod iis desit rerum, quæ agendæ sunt, cognitio.

Illud tamen constat, non omnem ignorantiam excusare à peccato, aut voluntarii rationem tollere. Nam ea potest spectari vel ex parte illius qui ignorat: tumque vel est *Invincibilis*, quæ adhibita omni diligentia morali expelli non potest; sive ea sit Juris, sive facti, eamque vacare à culpa nemini dubium esse potest, maxime si ea sit Juris positivi ignorantia. De Jure Naturali, & primario major est difficultas, si ignorari invincibiliter possit. Nam id videtur omni attenden-

ti-

ti manifestum, parentes v. gr. coli oportere, adeo ut oulla penitus insuperabilis videatur. An autem fornicatio & alia carnis peccata omnibus ita perspecta sint, ut osturalem pariant displicentiam, non ita liquet.

XIII. Ignorantia *vincibilis* dicitur, aum quis vel sibi causa est eur ignoret, val non vult, ut par est, animum advertere.

Ex parte rei, quæ ignoratur, alia est *Juris*, ut si quis ignoret leges suæ civitatis aut communitatis, in qua degit. Alia est *facti*. Item alia est eum errore conjuncta, quæ sc. est falsa cognitio, eaque diai solet pravæ dispositionis: alia est pura inscitia, seu mera cognitionis privatio. Ignnrantia facti plerumque excusat, uti & meræ ioscitiæ, si non sit affectata, aut ex oegligentia.

Ignorantia ratione ipsius actionis, dicitur *antecedens*, eum sc. ita ast illius, quod efficitur, caosa, & detracta ignorantia, actio non fieret. Vt cum apud Ovidium Cephalus Conjugem inter dumeta latitantem occidit. Nec dubium est, quin hujus generis ignorantia voluntarium penitus tollat. Hæc enim consensum omnem anreeedit, & inviti omnino agimus, quod ex ignorantia antecedenti efficimus.

Oppon. I. Quæ fiunt ex ignorantia antecedente, iis non repugnat voluntas, ergo non sunt simplieiter involuntaria. Resp. dist. antiis oon repugnat voluntas actu propter cognitionis defactum. C. non repugnat habitu. N. Hine dolor aut tristitia subseqnitur, quæ manifesto argumento est, id factum fuisse involuntaria & invita voluntate.

Contra, inquies, etiam qui ex concupiscentia operatur, sæpe tristitia aut ægritudine angitur post factum, & tamen voluntarie agit. Resp longe disparem esse rationem: nam tristitia illa quæ subseqnitor actionem ex concupiscentia factam, non actiooem ipsam, sed pœnam huic adjunctam respicit; neque illa actio voluntatis propensioni adversa est, ut ea quæ ex ignorantia proficiscitur, quæque magis ad actionem ipsam quam ad pœnas refertur.

XIV. Opp. II. Metus, propter quem Mercator projicit merces in mara instante oaufragio, oon obstat quominus illa projectio sit voluntaria: ergo à pari licet ignorantia anteeeedens fit causa actionis, id minime impedit, quo minus talis actio sit voluntaria. Resp. disparem esse rationem, quod ignorantia præsuppooat aliquid oppositum actioni, quæ fit ex ignorantia, non item metus. Ac licet Mercator multum in id propendeat, ut suas sibi servet merces, adeo ot illa projectio absolute & io se spectata voluntatis inclinationi adversetur: secus si relative & in ordine ad conservationem vitæ specterur. Itaqne est aliqua in volnntate repugnantia, sed in efficax & conditionata, uti in iis quæ agimus ex ignorantia, quorum sc. causa est ignorantia.

Ignorantia *concomitans* actionem dicitur, cum ita ast causa ejus quod fit, nt ea tamen sublata, oihilominus id efficeretur: ut si quis inter venandum, occiderit inimicum loco feræ: tum enim actio illa neqne est proprie voluntaria, eum omnis absit cognitio; nec prorsus involuntaria, cum voluotas ipsa non reluctetur. Melius loqoendo actio ista est simpliciter voluntaria; sed qnatenus inimiei occisio, nullatenus voluntaria defectu cognitionis hujus circumstantiæ.

Denique Ignorantia dicitur *consequens*, quæ explicitum, aut saltem implicitum voluntatis consensum ineludit: ut si quis non velit doceri, quo die futurum sit jejunium, quo liberius peccet. Hæc proprie est ignorantia affectata, quæ adeo non exensat, ut peccatum augeat: eaque est omnino voluntaria saltem in sua causa. Nam qui vult causam, is simul & ea quæ causam consequuntur, velle censendus est.

Sed ioquies, qui agit ex ignorantia consequente, is sina cognitione atqua adeo non voluntarie operatur, ergo & ignorantia consequens voluntarium tollit aut saltem miouit. Resp. dist. ant. Is agit sine cognitione, idque sua culpa: C. citra culpam. N. ignorat quippe, quia scire non vult, nec mentem ot par ast advertere. Fatendum tamen est ex ignoraotia etiam supina & affectata voluntarium minui ratione cognitionis, sed augetur ratione propensionis: unde & peccata quæ ex illa ignorantia fiunt, iis videntur proxima, quæ ex pura malitia nascuotor.

XV. Conclusio III. Metus voluntarium minuit, non tollit. Probatur. Quæ fiunt ex metu, mixta sunt qnodammodo ex voluntario & involuntario, nt docet Philosophus: Secundum se & universim spectata non sunt voluntaria, ut eum Mercator jactat merees in mare: sed metn majoris mali, quod meliori bono opponitur, fiunt voluntaria. Hujnsmodi actus sunt & dieuntur voluntarii simpliciter, involuntarii secundum quid.

XVI. Oppon. I. Quæ ex metu facimus, eadem inviti & coacti facimus: unde & Contractus ex metu facti sunt irriti: quod metus sit causa externa, malum scilicet futurum. E. quod fit ex metu, non est voluntarium; eum onn sit à principio extrinseco, sed repugnante fiat volontate. Resp. Dist. ant. Quæ agimus ex metu, ea inviti agimus secundom quid & sub conditione. C. absolute & simpliaiter. N. sublato quidem metn non fierent, sed majoris boni conservandi amor vincit rapugnantiam, quæ ex minoris jactura oritur.

Contractus vero, qui fiunt ex metu, Leges declarant irritos, quod eos omnino voluntarios esse oporteat, cum eis maxime Societas homana contineatur. Multi tamen existimant seposita lege civili, quæ obligationem potest tollere, qnæque actus etism libere factos ab judicii infirmitatem sæpe irritat, eum qui metu aliquid promisit, obligari: quia coosensus adfuit, non conditionalis, ut in errante, sed absolutus.

Non immerito tamen solent inter metum gravem, & levem distinguere: neque enim metus lavis à promisso liberat, aut peecatum omnino exeusat: sed gravis & qualis in constaotem virum cadit: isque ex varia, qni metuunt, indole, gravis aut levis definiri debet. Gravis quidem est metus mortis, mutilationis, cruciatus, jacturæ bonorum. Is tamen volnntarium non tollit omnino, ob gravius malum quod effugimus, nt cum metu cædis pecuoia datur. Sed ejusmodi actus plerumque exculantur, cum ex gravi metn fiunt; quanto enim major est metus, tanto minor voluntario, & major est veniæ aut excusationi locus. Quamobrem qui metu injuste incusso aliqnid promisit, is promissis stare, nec jure naturæ, nec lege positiva tenetur: quod promissio sit injusta; ac licet ea sit voluntaria, non est tameo omnino libera, sed vi extorta.

XVII. Oppon. II. Qnæ fiunt ex metu, sunt secundum se involuntaria, & ab iis abhorret qui agit, atqoe omnino sunt mala, ergo sunt absolute involuntaria, non secundum quid.

Resp. N. conf. Nam actiones morales pensari debent ex ipsis circumstantiis, non secundum se tantum, & seorsim à circumstantiis spectari. Sic amputatio brachii, ut vitæ consulatur, est quid involuntarium & malum, ab eoque voluntas abhorret: sed cum relative, atque ut vitæ consultum sit, spectatur, tum est simpliciter quid bonum & voluntarium, neque repugnat inclinationi voluntatis efficaci & absolutæ, sed tantum inefficaci & conditionatæ illius propensioni adversatur.

Instant: Quod fit ex metu, fit à principio extrinseco, ergo absolute est involuntarium. Resp. N. ant. Id quippe fit à voluntate quæ actionem imperat: licet motivum actionis fit quid extrinsecum, quod rationem voluntarii minuit, non tollit.

XVIII. Conclusio IV. Concupiscentia vel delectatio auget quodammodo voluntarium. Explicatur & probatur. Voluntarium, aut latius sumitur, ut est in pueris suo modo & in belluis, tumque id augetur ex concupiscentia; vel strictius, ut in nobis est cum perfecta cognitione conjunctum, idque interdum minuit concupiscentia, cujus nomine nunc intelligimus motum appetitus sensitivi. Qui si voluntatis actum antecedit, id plerumque efficit, ut voluntas in rem propositam vehementius propendeat, ob summam animi cum corpore societatem. Quæ autem voluntatem consequitur appetitus sentientis motio, seu concupiscentia, hæc rei propositæ executionem adjuvat: quæ enim nos delectant magis, iis fortius incumbimus. Ergo concupiscentia tum antecedens, tum consequens auget voluntarium ex parte propensionis; licet antecedens id minuere soleat ex parte ipsius cognitionis. Nam licet is, qui agit ex concupiscentia, objectum ipsum circa quod occupatur, attentius sæpe considerat: intellectus tamen minus attendit ad legem divinam, & ad ea quæ voluntatem à perversa actione avocare possunt. Sed absolute concupiscentia antecedens, quæ omnem rationis usum non pervertit, voluntarium auget potius quam minuit.

Dices. Concupiscentia minui cognitionem, ergo minuit voluntarium. Resp. Concupiscentiam minuere cognitionem veri boni, non fucati & ementiti, quod voluntas præ concupiscentia vero & legitimo anteponit. Quare concupiscentia auget simul & minuit quodammodo voluntarium, sed diverso respectu, auget propensionem voluntatis, minuit cognitionem. Forte melius dixeris, augere voluntarium, minuere libertatem.

Hinc peccatum imminuitur, cum ex vehementi animi perturbatione oritur: non quod de ipsa inclinatione quid detrahat, quia lumen tamen cognitioni obducit & obscurat, liberum arbitrium impedit aliquatenus. Unde qui præ aliqua animi perturbatione prorsus insaniunt, minus voluntarie agunt. Sic motus indeliberati, qui vocari solent primo primi, ut cum ad primum iræ motum in vindictam prorumpimus, non sunt in nostra potestate, nec voluntarii habentur.

SECTIO II.

De Libertate, & Libero arbitrio.

XIX. Agemus primo de Libertatis notione, nomine & divisione, dein de illius existentia, origine & subjecto, nec non de iis quæ libertati opponuntur, tum quæ sit illius natura, quæque definitio, exponemus.

Defectu propriorum vocabulorum magna apud Latinos hac in parte confusio cernitur, quam Græci verborum copia pollentes felicius evitant & homonymiam tollunt. Itaque primum ἐλευθερίαν dixere illam libertatem, quæ servituti corporis opponitur, eamque Cicero definit, potestatem vivendi ut velis. Atque hæc notio libertatis statim subit animum, cum libertatis vocem usurpamus, ut immunitatem à servitute cogitemus. Unde cum Christus D. Judæis dixisset, tum *eos liberos fore, si veritas eos liberaret:* responderunt statim, *nemini servivimus unquam.* Adeo ut libertas hoc modo accepta dominium alterius excludere videatur. Sic dicimus absolutum Dominum, qui alium sibi majorem aut superiorem non agnoscit, Gallice souveraine.

Quod si tamen propria loqui volumus, libertatis nomine non ea, quæ ad ipsum corpus refertur, quæque servituti opponitur: sed quæ animo & menti insidet, intelligitur, & est plena agendi facultas, excludens omne impedimentum extrinsecum: adeo ut libertas potestatem quandam, quæ ad multa pertinet, neque uni rei addicitur, significatione sua comprehendat. Itaque libertas suo intellectu comprehendit solutionem ab omni impedimento, quod nos determinet, aut ad certas res adstringat, & potestatem agendi, quod iis rebus contrarium est, omnino detrahat. Sic liberi dicimur à vinculis, à servitute, ab odio, ab amore, à perturbationibus, à vitiis, à lege ipsa: quando ea possumus efficere, quæ servitus, vincula, lex, vitia aut perturbationes prohibebant.

Sic ubi ad aliquem vitæ statum, aut locum adstricti aut determinati sumus, potestas nobis adimitur agendi ea, quæ cum illo statu aut loco esse non possunt: cumque illa determinatio vitari nequit, ea dicitur necessitas, sive sit absoluta, sive hypothetica, aut moralis. Quare libertas illam necessitatem, aut determinationem excludit in iis, ad quæ liberi & soluti sumus. Qui liber est à servitute, aut à morbo, aut ab aliqua perturbatione, jam illi fit potestas ea efficiendi, quæ servitus aut morbus aut perturbatio prohibebant.

XX. Libertas itaque non solum servitutem, sed necessitatem quoque videtur excludere, & potestatem seu dominium in proprios actus intellectu suo complecti: quin etiam & latius patet libertas, quam liberum arbitrium. Hinc tripartita Libertatis divisio à Magistro Sent. allata, & ab omnibus Theologis usurpata, nempe Libertas *à necessitate*, quæ & liberum arbitrium dicitur: *à peccato, & à miseria.* Prima omnibus, secunda Iustis, tertia Beatis convenit. Prima est Naturæ, secunda Gratiæ, tertia Gloriæ,

XXI. Libertas naturæ duplex est, Coactionis & Necessitatis. Cum voluntas ita ad unum impellitur, ut ferri in oppositum non possit, tum libera non est. Sic bonum in universum necessitate quadam naturæ amamus, non libere. Coactio seu violentia opponitur voluntario; necessitas libertati: omne liberum est voluntarium; sed non vicissim omne voluntarium est liberum.

Rursum Necessitas est duplex: una quæ omnem voluntatis electionem antevertit, & antecedens nominatur: altera est consequens, quæ liberam electionem sequitur, quo modo dicuntur necessario evenire, quæ à Deo supponuntur, esse prævisa. Quare si Deus prævidet me libere peccaturum, necesse est me libe-

re

re peccare; quæ necessitas nihil obest Libertati: sed antecedens eam omnino destruat.

XXII. Liberum arbitrium id dicimus, quod ab omni coactione, & ab ea necessitate, quæ antecedens nominatur, & ab ea quæ est naturalis, solutum est. Liberum arbitrium, quatenus est sui juris, immune à servitute, & prohiberi non potest. Idque ex voluntate proficiscitur, ad quam potestas ista & dominium, tum in suos actus, tum in subjectas sibi facultates pertinet.

Arbitrium vulgo dicitur judicium, quod de re dubia ferri solet: hinc ratio ipsa seu facultas, quæ judicat de rebus agendis, arbitrium appellatur, voce ab actione seu à judicio ad vim judicantem, seu ad rationem translata.

Tenendum igitur, Libertatem ut distinguitur contra servilem coactionem, esse quid nobilissimum & divinum, quo animus seipsum movat & deliberat, ut Dominus sui: & qui ipsam in nobis negant, ut Calviniani, eos perpetuam mereri servitutem. Cum itaque ratio res ipsas examinat & secum deliberat, tum velut judex sedet aut arbitra: sed postquam expensis rebus unam potius quam alteram approbavit, tum in iis quæ ad theoriam pertinent, assentiri dicitur: sed in rebus agendis judicium illud Arist. προαίρεσις seu electio vocatur, eaque & consilium & propositum dici solet. Cum ratio rem unam alteri antepofuit, tum voluntate seu appetitu in eam fertur: unde & actio quæ consequitur, voluntaria nominatur: quare in ipsa electione aut determinatione tum voluntatis tum rationis liberum arbitrium maxime positum est.

XXIII. Dico itaque 1. Hominis naturam libero arbitrio donatam esse à Deo. Hæc veritas adeo manifesta est, & ipsima velut animæ testimonio comprobata, ut mirari subeat, qui fieri potuerit, ut rem, cujus conscii sumus, quam in omni pene actione nostra experimur, quamque præcepta, objurgationes, præmia, supplicia & omnis vitæ ratio demonstrant, non Ethnici modo Philosophi, qui fatalem induxerunt necessitatem, sed nonnulli etiam ex iis, qui se Christianos profitentur, negare ausi fuerint. Probari posset hoc ex innumeris S. Script. locis, ut Eccli 15. Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilii sui. Et Gen. 4. Dixit Dominus ad Cain, sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Sed in re tam perspicua loca congerere & rationes accumulare omnino foret supervacaneum. Nam inter cætera discrimina hominem inter & belluas, & hoc palmare est, quod cæteræ animantes impetu feruntur in objecta, à quibus rapiuntur, nec sunt sui juris, & omnia ad suum corpus referunt: legibus non diriguntur, &c. Sed homo ex nutu voluntatis agit, ipsa sese corrigit, actiones suas examinat, & in sese varie reflectitur. Nec spontaneo tantum aut naturali motu cietur, sed & consulto & deliberato agit, atque ad eum finem non uno quodam tramite contendit, sed huc atque illuc, & quocunque nutus voluntatis duxerit, eo fertur.

XXIV. Opponi solet 1. S. August. dicens: Homo male utens libero arbitrio, & se perdidit & ipsum; usum ut ipse ait, illa est pœna peccati justissima, ut amittat unusquisque quo bene uti noluit. Resp. dist. aut. Primus homo perdidit libertatem à peccato. C. libertatem à necessitate seu naturalem. N. quam enim ante habuit facilitatem ad bonum, regnante concupiscentia & excusso justitiæ jugo amisit. Hinc factus est liber justitiæ & servus peccati. Sed tamen liberum arbitrium inclinatum tantum fuit & debilitatum, non penitus eversum aut amissum. Imo libertas essentialis nullo modo fuit imminuta, sed accidentaria duntaxat. Sic declarat idem S. August. Libertas, inquit, periit per peccatum; sed illa quæ in paradiso fuit habendi plenam cum immortalitate justitiam: propter quod natura humana divina indiget gratia, dicente Domino, si vos filius liberaverit, tunc vere liberi eritis. Unde & Apostolus, Cum essetis servi peccati, liberi fuistis justitiæ: ex quo ostenduntur etiam peccato minime potuisse, nisi alia libertate servire. Liberi ergo à justitia non sunt, nisi arbitrio voluntatis; liberi autem à peccato non fiunt, nisi gratia Salvatoris. Atque ut uno verbo huic loco & aliis respondeam; homo peccando perdidit liberum arbitrium secundum quid, summam nim. bene agendi facilitatem; non simpliciter & absolute, quasi natura liberi arbitrii destructa fuerit. Simili ratione illud pervulgatum S. August. dissolvi potest, hominem lapsum ex gravi necessitate peccare: ex gravi, inquam, necessitate morali, quod ægre peccati illecebris obsistat, non ex necessitate physica & ineluctabili.

XXV. Oppones 2. Ex Apost. Non est volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, ergo nulla est, ad bonum saltem, in homine libertas. Respondet S. Thom. eum Apostoli locum non esse ita intelligendum, quasi homo velit & non currat libero arbitrio, quia liberum arbitrium ex se non est sufficiens ut resurgat homo per actum contritionis supernaturalem, nisi moveatur & juvetur à Deo. Quamvis penes ipsum sit detestari & desistere a peccato, & aliud non committere. Gaudet enim libertate quoad actus naturaler, & facienti quod in se est, Dei benignitas non deest præstando auxilium supernaturale, ad quod non tenetur, alioquin gratia non esset gratia.

XXVI. Oppon. 3. Voluntas necessario sequitur ultimum mentis judicium: nam actio voluntatis est velut conclusio Syllogismi operativi, ut loquitur S. Thomas, eaque ex promissis necessario deducitur, ergo voluntas non est indifferens aut libera, nec seipsam determinat. Resp. dist. ant. Voluntas sequitur necessario judicium intellectus ultimum necessitate consequenti & hypothetica. C. absoluta & antecedente. N. Iudicium enim intellectus voluntatis determinationem includit: cumque Syllogismi practici conclusio sit contingens & singularis, nullo modo officit libertati.

Quæ ut melius intelligatur, & magnis, quæ fieri solent, difficultatibus occurri facilius possit, illud admonendum, omnes actiones nostras ex voluntatis affectionibus proficisci, velut ab arbore fructus boni malive. Affectiones vero quæ in voluntate dominantur, ex quibus motus omnes animi prodeunt, non aliunde quam à finis ipsius amore dimanant: non enim aliud voluntatem ad certos motus inflectit, nisi finis alicujus, aut boni quo frui vult, amor, quicunque sit ille. Iam vero quædam sunt in quo voluntas necessario & à naturali propensione fertur, ut amor vitæ, propriæ integritatis & conservationis, verbo amor suiipsius, & hæc propensio est innata.

Sed quidquid amat voluntas à se diversum, id amore contingenti & libero, non necessario & naturali, sed illato prosequitur. Ex inclinatione quidem naturali, qua expleri appetitum suum animus desiderat, eo

fertur, ut alibi quam in seipso summum bonum quærat, quia seipso satiari non potest; sed ea propensio aut amor naturalis ad nullius rei extra nos positæ amorem nos determinat; nullus est quem formare non possit, & formatum non destruere. Quare amor cujusque finis, quem sibi proponit animus, est id ipsum quod primum eligit, quod cæteris anteponit, & ad quod se libera determinat. Nec quidquam est in animo ab eo distinctum, aut independens, quod eum omnino determinet. Is utique finis nobis propositi amor voluntatem determinat, tum ut ea diligat, in quibus bonum illud amatum reperitur, tum ut refugiat & aversetur, quæ ei sunt opposita, tum ut media seligat finis consecutioni utilia aut necessaria, quæque ipsi videntur utiliora, reliquis anteponat. Manet vero ille amor finis in voluntate, donec ab alio validiore & opposito expellatur. Sed quantumvis sit potens ille aut finis aut mediorum, quibus hunc finem consequimur, amor, non ita voluntatem afficit ac determinat ut contrarium formare non possit; alioquin ubi semel in voluntate primas teneret, nunquam is deleri posset: quamvis longo habitu obfirmatus vix deleri queat, necessitatem tamen absolutam non imponit, saltem physicam.

XXVII. Ex quibus hoc conficitur, sic libertatem esse voluntati intrinsecam, ut nihil eorum, quæ voluntatem eo quo diximus modo, ad agendum determinant, illius libertatem labefactet. Quod enim ad suos motus vel ad actiones ex certis affectibus sit determinata, quod affectus illi aliunde oriri nequeant, quam ex finis alicujus dilectione, quod ex eodem amore unum medium alteri præponat, cum dilecto fini magis idoneum judicatur, nisi alterius finis impressione alio inflectatur; quod sine aliquo externæ rei amore esse non possit; nec facile ex uno in oppositum commeet, nec fieri possit in objectum, quod amabile non judicat, quod iis maxime afficiatur, quæ naturalem amorem explere maxime possunt: hæc, cum in omni voluntatis actu occurrant, illius libertatem non imminuunt, nedum eam possunt destruere.

XXVIII. His explicatis non erit difficile ipsius Libertatis sedem & fontem invenire. Sed res ipsa paulo ab altiori principio est repetenda.

Duo sunt, quæ affectiones voluntatis nostræ maxime determinant, rationis lumen, & quidam voluptatis sensus; eo quippe se flectit animus, ubi major boni species elucet, atque id præfert alteri, quod summo aut universali bono vicinius videtur. In iis quæ ad rerum theoriam & cognitionem pertinent, cum summa est evidentia, judicium suspendere non possumus. Sed in rebus quas expetimus, judicium, ut ita dicam, amoris circa bona quæ rationi recte judicanti sunt perspecta, plerumque cohibemus; cum se. voluptatis sensus rationi ipsi repugnat, neque id nobis sapit quod recta suadet ratio, id enim amarum plerumque nobis videtur, quod ratio ipsa suave esse decernit. Quod ubi fit, tum sane deliberat animus, utrum ex iis eligat, rationi an sensui obtemperet. Hinc sæpe rationi ipsi reluctamur, sensu voluptatis deliniti, quæ fortius animum percellit, quam lux vel evidentissima. Hæc enim quanta quanta sit, nullam videtur libertati vim afferre; id unum efficit, ut quæ nobis proponit objecta, amore quodam rationali & electivo prosequamur, ac generalem illam, quæ a Deo proficiscitur, motionem, seu in bonum universum impressionem ad certum & definitum bonum voluntas determinet. Sed delectationis sensus animum ipsum magis afficit, & efficacius impellit, vim adeo libertatis nostræ quodammodo imminuit: rationem ipsam alio distrahit, & in se mentis aciem atque intentionem pene omnem convertit; neque aliud fere est huic morbo remedium (ut nil dicam de cœlesti gratia) quam ut ultimum illud amoris judicium quantum fieri potest, cohibeamus, idque tum maxime cum voluntate non omnino perturbatur animus. Quod si enim aliquantisper assensum illum sustineamus, dum à nobis quid opus sit diligenter perpensum fuerit, brevi fucus ille & ementita boni species evanescet.

Nunc ad rem ipsam, & quæ sit libertatis sedes, dispiciamus. Sit igitur

XXIX. Conclusio 1. Libertas ad intellectum simul & voluntatem ita pertinet, ut potiore jure videatur ad voluntatem spectare, eique tanquam Subjecto inesse. Prob. 1. pars. Liberum arbitrium definitur à Mag. Sentent. Facultas voluntatis & rationis, dicitur liberum arbitrium, quasi liberum judicium, ergo utrique est facultatis. Prob. 2. Liberum arbitrium est vis electiva: sed Electio sic ad utramque facultatem spectat, ut dubitet Arist. utri potius sit tribuenda, an sit intellectus appetitivus, an appetitus intellectivus. Nam in hoc potissimum videtur liberum arbitrium consistere, ut ex pluribus rebus, quæ in deliberationem cadunt, sic unam eligat, ut eam possit aut non eligere, aut ei aliam anteponere. Cum autem voluntas sequatur præeuntem intellectum, flexibilitas voluntatis & indifferentia in eligendo non aliunde oritur, quam ex flexibilitate intellectus in judicando: facem enim hoc præferente voluntas huc illuc convertitur aut flectitur.

Pars itidem altera Conclus. ex dictis liquet. Nam voluntas ut vis actuosa, quæ sese & alias facultates movet ac determinat, atque ut dominium habens & potestatem concipitur: unde & libertas & electio præcipuo quodam jure illi attribuuntur. Quocirca cum alicujus facti ratio à nobis exigitur & jactare libertatem nostram volumus, non aliud obtendere solemus, quam voluntatem nostram: atque in pactis, fœderibus & contractibus voluntas nostra potissimum convenitur, quod in ea maxime vigeat libertas.

Quanquam idem est animus qui judicat & eligit, nec vires illæ distinguuntur nisi officio; adeo ut superflua videatur illa controversia, utrum voluntas aut intellectus sit sedes libertatis? cum liber sit animus aut homo ipse, non vis aliqua aut facultas. Majoris tamen lucis gratia merito inquiritur, an mens libera sit, ut judicat rem esse faciendam, an potius ex animi inclinatione seu ex appetitu aut voluntate libertas omnis sit repetenda.

Cum autem voluntas in homine sit rationalis ac judicium ipsum rationis citra voluntatis nutum non fiat, illud planum videtur, liberum arbitrium sic utrique facultati inesse, ut fons & radix libertatis sit in intellectu, sed in actu voluntatis magis eluceat. Voluntas itaque est formaliter, ut ajunt, libera, dependenter tamen ab intellectu. Reipsa unum idemque est libertatis subjectum, nempe animus.

XXX. Conclusio 2. Nulla est natura, quæ necessario in bonum aliquod non propendeat: quam propensionem vocare licet appetitum: omne enim Ens ex posse, nosse & velle seu amare essentiatur tanquam

ex Proprincipiis metaphysicis sive Primalitatibus; & quo illud bonum, quod natura sua appetunt, est magis universale, hoc majoris libertatis est radix. Hinc Deus est liberrimus, quia est omnipotens, nec cogi, nec vinci, nec timere ullo aut aliis affectibus, qui libertatem minuunt, percelli: & quia omniscius, nec falli potest, cum ignorantia libertati maxime obsit: cumque sit optimus, velle omne bonum potest. Primo homini in sua integritate constituto magna fuit libertas; post peccatum tamen integra quidem mansit libertas à necessitate; per gratiam reddita est libertas à peccato, & justitiæ faciendæ facultas. Sed Ignorantia & infirmitas seu Concupiscentia non sunt omni ex parte sublatæ. Hinc plena & ab omni miseria libertas, quam ignorantiæ tenebræ & motus rebelles concupiscentiæ multum infringunt, in hac vita esse non potest. Cum enim libertas in potestate & dominio quodam in actus nostros posita sit, quo major est servitus, hoc minor est libertas. Vim itaque illam animi, qua objectum amplecti potest aut respuere, libertatem omnes vocant. Hæc libertas eadem est in omnibus ut Ratio, sed non ex æquo participatur ab omnibus. Multum enim valent educatio, literæ, civitatis mores, Leges optimæ, ut nihil dicam de gratia divina, quæ mentem illustrat & delectationes corporeas aut frangit aut deprimit, ac menti ipsi pristinum in corpus jus & potestatem restituit. Objectorum impressiones, quæque in cerebro à falsis bonis iouruntur vestigia & mentem in diversa trahunt, ea libertatem nostram imminuunt quidem, non extinguunt. Nemo enim fere est, qui vel communibus gratiæ præsidiis munitus, voluptatum illecebras vitare non possit, præsertim si firmis & solidis rationibus animum præparet; si occasiones periculosas fugiat, si in rebus minoris momenti cupiditatibus indulgere non assuescat. Nam ut in Philosophiæ studio, ii majores progressus faciunt, & rarius in errores incidunt, qui assensum sustinent, nec judicium præcipitant: sic in formandis moribus ii magis proficiunt, qui judicium illud prohibent, quod amor noster & vitæ ratio subsequitur. Hos utique voluptas non abripit, neque incautos opprimit; ex victoria reportata alacriores facti novum ineunt certamen, ut victis pudor incutitur: hinc fastidium & odium voluptatum: sic usu & exercitio libertas paulatim perficitur.

His bene perceptis, de quibus omnes pene consentiunt, in quo sita sit libertatis natura, quæque ei opponatur necessitas, & his similia, quæ controverti solent, facile ut puto, si omnis contentionis æstus deferbuerit, dirimentur.

XXXI. Quæres: Quænam necessitas tollat lædatve libertatem? Ante resolutionem

Nota 1. Omnia voluntaria esse necessaria necessitate naturali circa objectum universale, & opponi tantum violento: sicut enim naturale est gravi deorsum tendere, ita voluntati velle bonum; sed erga media, id est, velle hoc bonum potius quam illud, electio est, quæ fit à determinatione. Determinari autem magis ad hoc, quam ad illud, utrum ex ordine causarum ferentium occasionem fit: an à Deo intus movente: an proprio actu libero, difficile est scire, ut constat ex hactenus dictis. At cum volumus facta deliberatione, id est decreti nostri, vel Dei, vel utriusque, necessario volumus, etsi possumus aliter quoque velle: sicut omnis res, dum est, necessario est, quam vocant necessitatem suppositionis. At nulla videtur esse necessitas, quæ non sit suppositionis, excepta Divina: Deum enim esse optimum, sapientissimum & potentissimum, cæteraque attributa essentialia, necessarium est necessitate absoluta; non autem Deum creare & gubernare: nec hominem esse animal rationale necessarium est, nisi supposita voluntate Dei decernentis facere hominem hujus essentiæ, & non aliusmodi, vel quidditate æterna ante volitionem. Solem quoque oriri necesse est, posito hoc ordine qui inditus est mundo. At si Deus alium ponere voluisset aut vellet, utique non oriretur.

Ergo non inepte Theologi quidam in solo Deo ponunt necessitatem simpliciter, in cæteris vero secundum quid. Necessarium ergo non distinguitur contra Naturale, neque contra liberum, sed contra contingens. Naturali enim condistinguitur supernaturale, & utrumque est vel necessarium vel contingens; & utrumque rursus coactum aut spontaneum; & tandem spontaneum dividitur in servile & liberum.

Nota 2. Triplicem reperiri Necessitatem, vid. Quidditatis, inevitabilitatis, & infallibilitatis. Prima est à Deo authore Naturæ, ut Natura: ergo ipsi Deo etiam inviolabilis, ut Triangulum habere tres. Secunda est in Decreto voluntatis Dei, ut Solem cras oriri, quoniam necessarias causas ortui ejus dedit non impedibiles; & Antichristus erit ex Decreto inevitabili. Tertia est à Causis contingentibus postquam determinantur eventus, & non ante; ut ego nunc necessario scribo, id est infallibiliter, quamvis sim causa libera & contingens: omnis enim res dum est, necesse est ut sit, id est necessitate infallibilitatis. Et sic liberi & contingentes eventus, licet evitabiles, tamen necessarii sunt infallibilitate præscientiæ Dei, quia coexistunt æternitati, licet ratione causarum ante eventus sint fallibiles, quoniam omne ens est necessarium ut ens; non ens autem impossibile; contingens vero antequam sit, est partim ens, partim non ens, quia potest esse & non esse; sed dum est actu necesse est, quia tunc non amplius mediat inter esse & non esse; & hæc necessitate infallibilitatis.

Nota 3. Liberum dici, quod indifferens est ad velle, & ad nolle, ad facere & non facere: nec determinatur ad velle & facere nisi à seipso; & sic etiam potest desistere ab ipso velle & ab ipso facere, juxta arbitrium suum.

Nota 4. Servile dici, quod non potest non velle, neque non facere de se, nisi cohibeatur, vel moveatur ab alio: & ideo animalia & naturalia entia, licet sponte operentur, non tamen libere; quia à passionibus & objectis; vel à causa præstantiore reguntur. Sicut servus non dicitur liber in his, quæ operatur ad Domini mandatum & impulsum. Vnde Arist. 3. Polit. ait: Servus non habet liberum arbitrium, mulier habet, sed debile; puer vero imperfectius. At profecto infans & canis liberum arbitrium non habent; non enim potest eis persuaderi, vel per religionem, vel per medicinam, ne appetant aut non accipiant cibum suavem, sicut persuadetur viro per rationem; sed tantum per baculum & coacte: moventur enim à passionibus & ab objectis, non per rationem ab eis expressam, sicut horologium & planta, quæ rationabiliter operantur, impressa tamen ratione ab Authore naturæ vel artis, & non expressa ab eis per Syllogismum, ut alibi diximus.

Nota

Nota 5. Deum ex omni genere cauſarum contexiſſe Fatum, à fando ſic dictum; & quidquid ſit, reſpectu illios eſt neceſſarium, vel neceſſitate eſſentiæ, vel exiſtentiæ. Prima non violatur. Secunda autem vel eſt neceſſaria per decretum poſitum à Deo, ut naſci antichriſtū & ſolem cras oriturum, vel per neceſſitatem actualis exiſtentiæ. Prima vocatur neceſſitas inevitabilitatis, quod enim Deus decrevit, nemo mutare poteſt, nec ipſe Deus. Secunda dicitur infallibilitatis, quia etſi non ſint decreta à Deo ejusmodi eventa, tamē ſunt praviſa, quoniam DEUS non prius videt cauſam quam effectum; alioqnin proficeret in cognoſcendo: & ideo ex coexiſtentia rerum in æternitate naſcitur Infallibilitas: effectus enim dum eſt, neceſſe eſt ut ſit, quamvis à cauſa contingenti, & neceſſe eſt ut cognoſcatur à DEO; nec tamen accipit ſcientiam à rebus: nam infinitas habet in ſuis ideis determinabilitates cauſarum liberarum, inter quas eſt & illa, ad quam ſe determinabunt, & ita dirigit deinde effectus per Scientiam conditionalium; ſciens enim, ad quod ſe determinabunt cauſæ ſecundæ liberæ, ſcit & ordinat uſum illius determinationis: ſic ſciens quod Adam peccaret, ſcivit etiam mutare ordinem vivendi, & animalium erga ipſum propter peccatum inobedientiam, & miſeriarum, in quas incurritur, ordinationem.

Qui autem putat à Deo evenire bona & mala naturæ & moris, vel non decniſſe hominem eſſe liberum, poſſeque repugnare Dei voluntati ac mandatis, vel Deum non poſſe cuncta moderari ut vult; hic non intelligit, quid ſit Deus, nec altitudinem conſiliorum ejus, nec ludum ipſius cum ſuis creaturis, nec finem ipſarum. Id quod nos facimus ſentientes de DEO in bonitate.

XXXII. Dubitabis tamen, an neceſſitas infallibilitatis, qua libere aliquid facimus & ex deliberatione & electione, nullis obſtantibus impedimentis, ſicuti ego nunc ſcribo, & ſic omnia res, dum eſt neceſſe eſt eſſe, non ſemper neceſſitate coactionis, ſed infallibilitatis ſemper. An, inquam, iſta neceſſitas ſit etiam Inevitabilitatis? Inevitabile enim dicitur, quod aliter fieri non poteſt, nec caveri prohiberive, quin eveniat: & hoc ſolummodo verum eſt, cum Prima Cauſa per ſe exequitur imperium & tollit omne impedimentum: ideo quæ ſpectant ad libertatem noſtram dicuntur evitabilia, etiamſi infallibiliter eveniant. Poteram enim ego non ſcribere nunc, cum iſte actus ſit liber; ſed non ſemper actus liberi ſunt evitabiles: non enim remex poteſt non remigare; nec qui eſt in carcere, non manere in carcere, cum urgeant cauſæ exteriores: & tamen (inquit bonus Campanella) ego maneo, & ille remigat: ergo ſola volitio eſt libera & evitabilis, non autem executio omnino itidem. Poſſum enim nolle eſſe in carcere, & eſſe liber; tamen inevitabiliter ſum in carcere, nec poſſum non manere; donec ſeries fatalis impedimenta executionis tollat, dum in invicē res agunt, coagunt & compatiuntur. Item aliquando coactum evitari docet ille, qui cogens hominem mori, impeditur ne perficiat. Attamen ſine dubio tanta eſt voluntatis hæc libertas, ut poſſim etiam me interficere: & 40. horarum ſpatio in tortura perſiſtere, quin tortoribus reſpondeam verbum: niſi Mens deſipiat vel à DEO immutetur. His ita prænotatis

Reſpondeo I. Quæ pura neceſſitate naturalis inclinationis aguntur, hæc non fiunt libere. Prob. Liberum illud dicitur, quod eſt in noſtra poteſtate, cujus ſumus domini, aut quod noſtro ſubditur imperio: quod autem naturali inclinatione expetimus, id non eſt in poteſtate noſtra, nec noſtro ſubeſt imperio, ſed naturæ ipſius; nec demum illud à nobis eſt, ſed à Deo ipſo proficiſcitur. Quare id naturæ jus eſt, non noſtrum: principium id quidem libertatis, eamque antecedit, non illius ditioni ſubditur: ergo neceſſitas naturalis libertati arbitrii ſic opponitur, ut quod neceſſario volumus, liberum dici non poſſit.

Confirm. ex S. Thoma ratione ab eo allata 1. p. q. 82. art. 1. Ubi intellectus neceſſario & naturaliter primis principiis aſſentitur, ſic voluntas neceſſario ultimum finem appetit: quod enim eſt à Natura, idem eſt determinatum ac definitum, immobile & fundamentum omnium, quæ rei conveniunt. Nam natura cujusque rei eſt, quod primum in ea concipitur, & unde omnis motus vel actio proficiſcitur. Ergo amor beatitudinis, uti & cognitio principiorum à natura, non à libero hominis arbitrio repeti debet: atque ut concluſiones, quæ ex principiis eruuntur, ad rationem: ſic quæ eligimus, quæque in conſultationem veniunt, ad liberum arbitrium pertinent. Quod expreſſit S. Thom. 1. p. q.41. dicens: *Voluntas eſt principium eorum, quæ poſſunt ſic vel aliter eſſe; eorum autem quæ non poſſunt niſi ſic eſſe, principium natura eſt.*

Reſp. II. Indifferentia contradictionis vel exercitii eſt de ratione libertatis. Sequitur ex dictis, ubi enim abeſt neceſſitas naturæ determinantis ad unum, ibi relinquitur indifferentia activa ad agere & non agere: atque in omni actu libero abeſſe debet iſta neceſſitas, ergo ad omnem actum liberum neceſſe eſt, ut procedat à potentia indifferente exercitii. Confirmatur. Non alibi magis elucet vis & natura liberi arbitrii, quam ubi aliquid præcipitur, aut ſuadetur, aut in conſultationem venit: dum enim aliquid ſuademus, dicere ſolemus, ecce in tua eſt poteſtate, hoc bonum adipiſci, quare hoc non facis, ut hoc malo careas? &c. Sed nullus eſt locus aut præcepto aut conſilio, ubi nulla eſt indifferentia: quis enim deliberat, num velit eſſe beatus: præcipiat Diabolo, ut bene faciat, ergo ubi nulla indifferentia, ibi nulla libertas. Quod igitur libertatem voluntatis formaliter conſtituit, non eſt actio ipſius voluntatis, quatenus eſt vitalis, & in voluntate ut in ſuo principio excipitur: ſed ipſa actio dicitur libera quatenus procedit à potentia indifferente indifferentia exercitii, non determinata ad unum: & libertas eſt voluntas ipſa ut libere agens & poteſtatem habens tum in ſuos actus quos elicit, tum in eos qui ad ſubjectas facultates pertinent.

Reſp. III. Indifferentia contrarietatis, aut moralis, ad bene vel male agendum non eſt de ratione libertatis. Patet, Tum quia ſufficit indifferentia contradictionis ſeu exercitii, ut voluntas ſit domina ſuorum actuum; tum quia hæc indifferentia ad bonum & malum, nec in DEO, nec Chriſto D. nec in SS. reperitur. Eſt enim noſtræ libertatis defectus, non eſſentia, nec male agimus, niſi cum intellectus male judicat. Error autem vel ignorantia non eſt de eſſentia libertatis; uti nec de rationis ipſius natura eſt, ut male concludat: & utriusque eſt imperfectio quædam, quod cum animus ad verum & bonum tendat, ab utroque tamen poſſit deflectere. Non itaque vera eſt poteſtas, quod peccare, fallere aut mentiri poſſimus. Imo Deus & beati hoc ſunt liberiores, quo major eſt eorum cognitio: quo enim plura noverunt bona, eo plura libe-

libere velle possunt. Et hæc libertas naturalis prout excludit tantum necessitatem naturæ, manet in beatis æque ac in damnatis; dumque S. August. damnatis negat liberam voluntatem, de ea loquitur, quæ peccati excludit servitutem.

XXXIII. Ex hactenus dictis eruitur recte definiri à S. Thoma liberum arbitrium, *vis seu facultas electiva.* Nam illius usus in electione consistit, ac sublata electione omnis actus libertatis tollitur. Cum enim voluntas ita determinate in propositum objectum fertur, ut eo relicto in aliud flecti non possit, aut saltem quoad circumstantias non id sit aliquo modo indeterminatum, cum nullus relinquitur libero arbitrio locus. Recte quoque dixeris, quod sit vis sui ipsius determinatrix, nempe positis omnibus ad agendum prærequisitis, & amotis impedimentis; tunc non solum ab ulla causa inferioris ordinis, sed nec a Deo determinari opus habet. Nunc argumentis add. satisfaciendum.

Quo infinitis pene, quæ ex SS. August. Bernardo, Anselmo & aliis objici soleot, testimoniis occurramus,

Notandum est I. Sæpe voluntarium, cum libero confundi, & voluntatem cum libertate; cum omne liberum sit voluntarium, at non vicissim. Sic Pater æternus gignit Filium voluntarie non tamen libere, quod enim libere fit, contingentiam involvit. Sic Beati Deum amant voluntarie, non tamen libere, summum enim bonum citra omnem mali commixtionem voluptarie propositum non potest non amari. Sic non raro, quod libenter agimus & in id vehementi ferimur impetu, id libere, hoc est non coacte, sed sponte & voluntarie facere dicimur.

Sic intelligendus est S. Bern. Lib. de grat. & lib. arb *Vbi consensus*, inquit, *ibi voluntas; porro ubi voluntas, ibi libertas, & hoc est, quod puto dici liberum arbitrium: ipsam enim voluntatem quia impossibile est de se ipsa sibi non obedire, etiam impossibile est sua privari libertate.*

II. Necessitas naturalis non tam libertati, quam libertatis usui opponitur: nam ex propensione naturali ad omne bonum nascitur libertas ad unum quodque bonum singillatim sumptum. Sed quod necessario vulumus necessitate vel naturali vel antecedente, id non libere, quanquam libenter facimus, neque enim libertas cum libentia, ut ita dicam, est confundenda. Omnis voluntas est libera, sed non omnis actio voluotatis libera censenda est; uti nec omnis actio intellectus est ratiocinatio. Quæ a natura sunt præscripta, de iis nec ratiocinamur, nec consultamus: bruta sponte agunt, non libere: quia necessario & citra deliberationem.

III. Indifferentia, si vocem tantummodo spectes, nihil est positivum, sed negatio tantum determinationis. At si rem ipsam & vim illius vocis consideres, tum est aliquid reale & positivum: est enim vis sese determinandi, quæ adhuc manet, cum agimus, licet non sit amplius indeterminatio illa negativa. Vt enim visio non tollit vim ipsam videndi, sed magis eam perficit: sic actio ipsa non destruit vim illam sui determinatricem, quam libertatis nomine intelligimus. Vnde qui agit, necessario agit ex hypothesi, quod agat: Sed cum hanc necessitatem sibi libere imponat, ea nec libertati, nec indifferentiæ activæ obest. Non quod aliquis simul agere possit, & non agere, ut loquuntur in sensu composito: nam actus & negatio actus simul conjungi non possunt: Sed qui actu operatur, habet potentiam agendi & non agendi, ut vulgo ajunt in sensu diviso. Quæ hic ideo annotamus, ut quæ afferri solent cavillationes, facilius eluantur.

XXXIV. Oppon. 1. S. Bern. Serm. 8. in Cant. ait: Arbitrii libertas est plane divinum quid, præfulgens in anima tanquam gemma in auro &c. Similiter Iustinus ex hoc, quod in Deo est libertas, aliquid nobilissimum esse putat, ergo non oportet imperfectionem: Sed potentia ad non agendum, & indifferentia est imperfectio quædam, ergo libertas non est posita in illa indifferentia, quæ potentiam non agendi includit. Resp. D. st. min. potentia non agendi non est aliqua perfectio, si non sit conjuncta cum potentia agendi; & omnino est inutilis, si non sit eidem conjuncta cum dominio in proprios actus. (si eadem sit realiter potentia agendi & non agendi, & si juncta sit cum aliquo dominio. N. Qui enim agit cum potestate & dominio, huic potentia ad non agendum est necessaria; sic enim agit, ut possit ab agendo abstinere. Tametsi fateor nullam potestatem in non agendo esse positam: cumque per facultatem aut potentiam ab agendo abstinemus, id utique fit agendo & utendo ea potestate. Sed fatendum quoque est potestatem agendi, aut non agendi; hoc vel illud operandi, in idea aut conceptu liberi arbitrii omnino includi. Cum ergo libertas sit quid divinum, non est Deo auferenda, optima namque illi tribuenda sunt semper. At quatenus participat contingentiam, & quatenus dubietate involvitur & inconstantia, in Deo non est. Hoc enim evenit ex ignorantia boni & ex fragilitate naturæ. Cum ergo Deus sit omnipotens & omniscius, libertatem habet non fluctuantem; ergo quod semel vult, semper vult, quoniam quæcunque futura sunt, præcognita illi sunt; neque a meliori occasione, cum secundum optimum omnia faciat. Quapropter ablatis imperfectionibus Libertatem Deo adscribimus.

Sed inquis: Libertas perfectissima, aut est semper velle, aut velle & nolle: si semper velle, hoc est natura & non libertas. In quo ergo differunt naturalia a voluntariis in Deo? si velle & nolle, ergo est pariter nobiscum mutabilis.

Resp. In hoc differre, quod quæ naturaliter facit, non potest non facere, & esse; quæ voluntario, potest quidem, sed ex quo voluit, non potest: & hoc non posse est summa potestas: quoniam optime voluit, & non potest ab optimo recedere, sicut nos, qui propter melius, quod prius latebat, decretum mutamus. Hoc nolle & velle est ex incertitudine & ex fragilitate nostra, quorum neutrum est in Deo: quoniam non a rebus scientiam & amorem accipit, sed dat (teste Dionys. in 7. de divin. nom.) dum enim ipse amat se, facit, ut omnia entia ament se ipsa, quatenus aliquid bonitatis Dei in eis est: & dum intelligit se, facit, ut omnia intelligant se ipsa intellectione abdita, quatenus aliquid veritatis Dei in eis est: cætera vero quatenus ab eadem causa manant: Si enim aliunde res aliquæ manarent, quam a Deo, non communicarent nobiscum, neque cognosci a nobis possent: & dum esse potest, ipse facit, ut omnia possint esse essentialiter & operative, ergo liber est ab omnibus; & omnia non sunt ab eo libera; neque enim Deus potest permittere entia, sed facere: non entia vero permittit.

SECTIO III.

Quotupliciter Deus permittat mala.

Diximus & ostendimus rationibus irrefragabilibus Deum authorem non esse peccati contra impium dogma Calvini: permittere tamen mala fieri physice, non moraliter: pro cujus Doctrinæ radicali intelligentia præsentem hic Sectionem & titulum annectimus, & quæstionem sic resolvimus.

XXXV. Asserendo duplicem Permissionem: alia enim est simplex, qua homo permittitur non esse angelus: alia composita, qua frigus permittitur a calore occidi, & imminui. Ad primam Deus non concurrit, nisi actione negata: ad secundam vero actione negata frigori, & data caloti. Ad passionem namque frigoris non concurrit, quia esset deficere & ire ad non esse; quod Deo nullo convenit pacto, quoniam a seipso recederet ente summo: ad actionem vero caloris contra frigus, quæ est diffusio entitatis caloris, necessario concurrit, quoniam nulla entitas esse potest, quæ non sit a Primo Ente: nisi forte cum Manichæis asseramus duo prima entia duosque Deos. Ex quo ergo est actio caloris, & passio frigoris in morte frigoris, intervenit voluntas Dei permissiva, & activa simul, sed non in eodem: inde est quod sæpe invenitur in sacris scripturis Deus aothor mortis & mali & pœnarum: sicut penuriam facit, vel non dando pluviam, quia dat calori vires dissipandi nubes & vento asportandi vapores: (quas pluviæ causas vulgus assignat) vel dando vires bruchis ad comedendas fruges &c. & hostibus ad necandum homines & expugnandas civitates. In omnibus tamen his voluntas Dei reperitur permittens, partim faciens.

Tertia adhuc datur Permissio conditionis, qua conditur homo & angelus liber, ut possit eligere bonum & malum; non quia Deus derelinquit hominem ut peccet, sed ut liber sit: peccatum enim Deus non permittit, quoniam non habet causam agentem & finalem: est enim, ait S. Thomas, deviatio a fine: at bonus artifex deducit opus in finem, nec permittit contra artis rationem ut deviet aut deficiat (Deus enim non est causa deficiens) sed ut sit liber ad utrumque: ergo peccatum non est volitum, ait, per se, nec per accidens. Derelinquitur ergo homo non ut peccet, sed ut sit liber; vult tamen Deus postmodum ut peccatum non volitum sit occasio boni, non data, sed accepta a Deo, ut justitia eius reluceat, inquit mirificus Thom. 1. sent. d. 46. q. 1. a. Et cum dicit in 1. p. esse de providentiæ perfectióne, sinere ut cadant, intelligitur de relictione in manu consilii & libertate: non autem auxilii subtractione in moralibus sed in physicis.

XXXVI. Datur & Permissio Exorbitantiæ, qua Natura efficere Monstra, & homo peccare derelinquitur: in peccato vero omissionis, quo quis desinit benefacere & natura fructus ferre, liquido constat esse pura permissio. In peccato vero Commissionis intervenit permissio & actio Dei. Non enim homo posset adulterium exercere, nisi Deus ad actum illum concurreret, saltem mediate, ut conservans naturam & vires nostras activas. Neque Pharao Hebræos percutere & vexare, nisi Deus cum eo ageret. Ex quo enim percussio est actus physicus & effusio entitatis, non potest esse absque Primo Ente: sed quia hoc est contra præceptum Dei particulare, & extra ordinem & morem naturæ inditum, videtur esse permissio, etiam quatenus est deordinatio. Non enim videtur Deus sibi ipsi repugnare posse, sed tamen multo minus alia entia possunt repugnare legi Dei, nisi Deus coageret.

XXXVII. Et in hoc controversia crudelis est inter nationes, quæ sæpe vexavit & vexat universitatem hominum, quo pacto vid. Deus, sine quo non possumus peccare, eximat se a peccato, & involvat nos? & cur concurrit, si peccatum est? Homo enim faciens id, sine quo non potest esse peccatum, peccat, etiamsi nolit peccatum, quoniam velle convincitur, ergo multo magis Deus, sine quo non possumus peccare. Vel ergo non datur peccatum, ut Libertini ajunt: vel datur & fit a Deo, ut Calvinistæ: vel non curat Deus, ut Epicurei: vel non intervenit, ut Peripatetici, nisi solum permissive. Sed hoc negat Chrysost. Lib. 1. de Provid. ubi probat, nec Adam permissu Dei peccasse: imo Deus Lege æterna & naturali & positiva vetat peccatum, ergo non permittit nisi indifferentia, sicut jubet bona & vetat mala. Et Iustinus q. 1. contra Gent. quoniam si Deus permitteret mala, ipse magis peccaret, quam nos. Item quomodo permissio stet cum actione, quis doceat? A tibia, ait D. Thomas, est claudicatio: a vi motrice motio: sed claudicatio est a libero arbitrio relicto, ut possit quod vult: motrix virtus a Deo, non autem relicto ut peccet. Nam, inquam, cur vis motrix movet, non ad claudicationis actum modo concurrens, sed ut fiat ipsa claudicatio? peccata enim hujusmodi non fundantur in nihilo & in non-esse, sed in non volita ruptura ordinis divini, quæ est actio.

XXXVIII. Quapropter licet affirmare Deum moraliter non permittere peccatum, quod omni lege vetat: sed physice quatenus relinquit hominem facere quidquid vult & physicas vires & actus ei dat: homo autem modificat ad malum: dat enim Deus velle, sed non velle hoc male, alioquin liber non esset: & a se mala physica permittit, unde elici potest bonum, ut corruptionem terræ, unde generatur planta: sed non mala moralia, unde non potest elici bonum de se, cum sint deordinationes a summo, nec majus bonum elici ex eis potest, sicut ait S. Thomas, licet omnipotens Sapientia Dei deinde ordinet ad bonum suæ Iustitiæ. Idcirco concedamus permissionem, quam Calvinus & Mahometes non intelligunt, cum tamen clarissima sit: Deus enim permittit pati frigus, & hominem non esse in platea, vel non esse sapientem, non tamen permittit non esse simul in domo, cum ipse faciat esse in domo; & non esse hominem, qui adulterat, cum ipse ad adulterium, ut actus est, perducat, & coagat, non autem impellat.

SECTIO IV.

De tribus Necessitatibus, quæ inducunt vel coactionem vel infallibilitatem, vel inevitabilitatem.

XXXIX. Necessitas fatalis & ordinis rerum & causarum effectus ex radicibus Primalitatum consideranda venit in hunc modum. Cum videamus non propterea nos facere effectum, quia scimus illum facere: neque quia volumus: equidem scio scribere, non tamen ideo scribo: similiter sæpe vellem scribere, & non scribo: vellem nunquam peccare, & tamen quod odi malum, facio, ut ait Apostolus. Nec

quia

quia possumus aliquid, propterea fit. Possum enim ire ambulatum, aut dormire: non tamen ambulo, nec dormio propterea. Ergo forsan quia volo, scio, & possum? Nequaquam: homo enim potest se ab adulterio abstinere, & vult, & scit, & tamen adulteratur: & ego volo post prandium scribere, & scio, & possem, & tamen non scribam. Et cur? quia facultates egredientes a Primalitatibus erga objectum non propendent quantum est opus: oportet enim prius posse, deinde intelligere, deinde velle id, quod faciendum est, & tandem applicare Potestativum ad exequendum per imperium Potestativi, quod dat efficaciam consilio & decreto & potestati: & cum cœperimus vel principiare volumus effectum, & cum prosequimur, oportet impedimenta nulla opponi præpotentia mutare aut voluntatem, aut intellectum, aut potestatem. Manifestum est enim, quod cum aliquid agimus, si quid melius occurrat, mutatur voluntas, & non prosequimur: & si amittimus scientiam illius effectus faciendi, quiescimus: & si vires deficiunt Potestativo, quamvis voluntas & scientia non desint, cadimus in via nec prosequimur. Igitur ad omnem effectum producendum requiritur facultas Potestativi, scientia cognoscitivi, & decretum volitivi, & insuper imperium executivi: quod tamen imperium est omnium Primalitatum materialiter, sed Potestativi formaliter. Executivum etiam seu operativum est omnium Primalitatum congressus ad principiationem: sed sicut ex potentia oritur sapientia, & ex utrisque amor, ita actio & exterius opus a Potestativo incipitur dirigente Cognoscitivo & implente Volitivo.

Quapropter recte Origenes dixit, res a Deo propterea cognosci, quod futuræ sunt: etenim scientia non causat res, sed tantum scit; neque ponit, nec præsupponit necessitatem existendi rebus ad extra, nisi videantur ad extra; sed tantum existendi in Mente, in qua cognoscuntur.

Econtra Augustinus propterea res futuras esse docet, quod Deus præscivit; quod tamen non est verum, nisi de Scientia Visionis: si enim aliquid video extra me, illud necessario est: At non propterea causo illud; potest enim aliunde causatum esse, scientia enim præsupponit esse. Quapropter neque peccata necessario sunt, quia Deus prævidit: illa enim prævidentia non est causativa, neque tamen causata. Nulla enim Primalitas ab objectis movetur, nisi occasionaliter, ut alibi diximus. Et quidem Deus cognoscit Nihilum, nec propterea extat Nihilum: neque scientia ejus causatur a Nihilo. At Scientia Dei est causa futurorum simul cum voluntate, & potentia Dei per imperium, non per scientiam solam, aut voluntatem. Vult enim antecedenter omnes homines salvos fieri; nec propterea salvantur: quoniam committit salutem suam illis per liberum arbitrium exequendam, quod tamen multis potest impediri modis. Similiter etiam Deus non vult perditionem hominum, imo vetat peccata & per consilium declinandi peccata rationem docet in Prophetis: nec propterea non peccamus, resistentes etiam spiritui sancto nobis suadenti & cooperanti, ut probatur experientia & scripturæ testimonio, ergo non evenit effectus necessario ex sola scientia, aut voluntate Dei vel nostra: nec quia potest alios Mundos facere, facit, nisi adsit imperium Potestatis. Et quidem Deus etiam imperat, ut faciamus bona, & declinemus mala, nec tamen obedimus: ergo non solum imperium morale requiritur, sed etiam physice executivum imperium, secundum quod Deus potest facere, quidquid jubet, & vult, quoniam nulla causa potest ei resistere: & cum Dionys. de divin. nom. c. 4. p. 4. ait; *Quacunque bono*, id est Deo, *repugnant, Boni virtute & sunt, & repugnare possunt*, intelligitur de resistentia vel repugnantia, quam facimus Deo volenti & imperanti solum moraliter, non autem physice exequenti simul potioribus viribus atque ordinariis.

XL. Unde Theologi agnoscunt potentiam absolutam, & ordinatam secundum modum rerum. Ut enim Dionysius ait: *Non est Dei, naturas violare, sed servare.* Igitur cum necessariis causis concurrit necessario, necessitate accepta; cum liberis, libere; cum contingentibus, contingenter; non tamen coacte cum coactis, nisi metaphorice ex hypothesi. Et quidem nemo hoc capit, nisi qui Deum considerat esse Eos, & non aliquod Ens: causa enim omnis ducens alteram ad effectum violat ejus libertatem, quoniam non est ejus essentia, & quoniam habet aliquam cum illa oppositionem, saltem quia hæc non est illa: sed Deus est causa universalissima, & Ens, in quo continetur omne Ens; & ejus Natura est omnis natura: ergo quando cooperatur cum aliqua natura, non habet illam violentare, sed conservare & perficere ejus esse & operari. Et qui animam suam non amplificat super totum esse, spoliatque omnibus affectionibus particularizantibus Primalitates, is non intelliget unquam quod nunc diximus.

XLI. Quapropter necessitatem ab Efficienti causa dividimus in Necessitatem approbationis seu deliberationis: & Necessitatem Prognosticationis: & in Necessitatem Determinationis seu imperii. Prima spectat ad Volitivum, secundum quam volumus omne bonum nos, & Deus: sed nos sive verum sive apparens bonum; Deus autem omne bonum verum, ab apparentia enim ipse decipi non potest. Et quamvis velit etiam peccata, & apparentia bona, non tamen ea vult approbative, sed permissive tantum physice ut fiant, & ordinative, quatenus ordinat ad bonum; & sic scriptum est in Evangelio: *Necesse est ut veniant scandala*, quoniam Deus præordinavit ad bonum, etiam ipsa mala: & hoc dicitur necessitate seriei vel finis, non agentis Causæ. Volitivum enim respicit finem & perfectionem rerum.

Secunda spectat ad Cognoscitivum, qua Deus cognoscit & præscit omne verum, decernitque: ab ipso enim cernere, quod est videre, sequitur decernere, quod est actu ponere post videre: & hæc visio non ponit necessitatem, sed præsupponit: Ex hoc enim quod sunt, videntur & sciuntur a Deo, & ab homine, & non quia sciuntur, sunt, alioquin essent Mundi innumerabiles, & homo volaret, cum Deus etiam hos Mundos sciat, & quomodo potest homo volare. Sed notandum, quod sicut vult omne bonum, ita scit omne verum. Voluntate enim speculativa vult omne bonum intra se; sed practica seu approbationis vult omne bonum extra se: nec tamen propterea est omne bonum: quia bonum est omnem hominem salvari in Paradyso, non tamen salvatur omnis homo, quoniam non est bonum salvari malos: Voluntas enim speculativa, quæ respondet Scientiæ simplicis intelligentiæ, non ponit res in actu exteriori. Voluntas autem practica, seu comprobationis & deliberationis

ultimæ, ponit res io actu exteriore, sicuti scientia Visionis: & illa vocatur *Antecedens*, ista *Consequens* apud Chrysost. & Damasc. Theologos. Similiter ergo necessitas prævisionis noo est activa, neque finalis, sed Idealis & formalis.

Tertia necessitas pertinet ad Potestativum: & sic erit necessario quidquid Deus imperat executiva per se; non autem si executive per aliud. Deus enim imperavit Iudæ ne malefaceret, neque proderet Dominum, ipse tamen prodidit, quoniam Deus non imperavit executive per se, sed commisit executionem causæ liberæ, *qua cum* agit, non *in quam* etiam agit. Intentatoe enim malorum est, & non implanat, neque per ipsum stat, quo minus fiant a nobis bona, ut dicitur Eccli. 15. quoniam non sunt ei necessarii homines impii.

Prima radix necessitatis finalis dicit in animo: *Volo hoc.* Secunda idealis dicit: *ita faciendum est hoc.* Tertia effectiva dicit: *Fiat hoc.* Quando ex nihilo producit, ait: *Fiat cœlum.* Quando vero ex aliquo, & cum alio dicit: *Producat terra herbam virentem:* &, *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos: & si audieritis me, bona terra comedetis.* Quando vero ipse in aliud, & cum alio facit efficaciter, ait: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram:* & hoc prius pensiculatis etiam futuris eventibus ex consilio voluntatis suæ, sicut dicit Apost. 1. Ephes. Nam prius dixit consilio & probatione: *Non est bonum, hominem esse solum.* Mox addit, igitur *faciamus ei adjutorium.* In sacris ergo Scripturis omnes hi modi continentur & elucidantur.

XLII. Propterea cum dicunt SS. DD. *quod voluntati Dei nemo resistit, & quod scientia Dei non fallitur,* quia est causativa: *neque Electio, quia facit quod eligit.* Et Chrysost. dicit contrarium, quod Christus elegit Iodam, & tamen electio finem oon est sortita: & elegit Israel; nec propterea stetit: *& quod non cadit passer absque voluntate Patris,* quod exponit Ambrosius, id est *absque scientia.* Omnes facile conciliantur: quoniam voluntas practica cum imperio, & Visionis scientia cum imperio activo, & imperium cum executivo non falluntur, & infallibiliter eveniunt omnia, & inevitabiliter eis præsuppositis: & cum nos resistere spiritui sancto, & voluntati, & scientiæ Dei, dicimur, ut ibi: *Vos semper Spiritui S. restitistis:* & alibi: *Principes fuerunt* (ait Dominus) *& ego nescivi.* &, *Nunc scio quod times Deum:* &, *Præcepta mea non custodierunt, & imperium meum & jugum meum fugerunt,* Omnia ista intelliguntur de voluntate speculativa, & de scientia speculativa, & de imperio speculativo antecedentibus praxim causarum liberarum, & ooo de practicis volitionibus, & scientiis & imperiis, post pensata pensanda: & similiter de practicis per aliud exequendis, id est per causas liberas in sua manentes libertate: non autem de per se exequendis; sic enim imponitur necessitas inevitabilitatis: noo tamen coactionis.

XLIII. Et sic distingue, ut alia sit necessitas coactionis, quæ repugnat Spontaneitati; ut cum lapis pulsus sursum cogitur ire contra suam propensionem. Alia est necessitas naturalis, ut cum calor calefacit, nec potest non calefacere, & tamen sponte hoc facit. Alia necessitas servilitatis, quæ repugnat libertati: ut canis serviliter appetit & currit, objectis & passionibus & instinctibus actus, ut servus ab Hero. Alia est necessitas infallibilitatis, qua libere aliquid facimus, sed ex deliberatione & electione, nullis impedimentis obstantibus, sicuti ego nunc scribo; & sic omnis res dum est, necesse est esse, non semper necessitate coactionis, sed semper infallibilitatis. At utrum ista necessitas sit etiam inevitabilitatis, dubitatur: Inevitabile enim dicitur, quod aliter fieri non potest, nec caveri, prohiberive, quin eveniat: & hoc solummodo verum est, cum Causa prima per se exequitur imperium & tollit omne impedimentum: ideo quæ spectant ad libertatem nostram, dicuntur evitabilia, tametsi infallibiliter eveniant. Poteram enim ego non scribere nunc, cum actus iste sit liber; sed non semper actus liberi sunt evitabiles, non enim remex potest non remigare, nec inclusus non remanere in carcere, cum urgeant causæ exteriores: & tamen Petrus manet in carcere, & alter remigat, ergo sola volitio est libera & evitabilis, non itidem executio. Possum enim nolle manere in carcere, & velle esse liber; tamen inevitabiliter sum in carcere, nec possum non manere; donec series fatalis impedimenta executionis tollat, dum in invicem res agunt, coagunt & compatiuntur. Item aliquando coactum evitari docet ille, qui cogens hominem mori, impeditur ne perficiat. Attamen sine dubio tanta voluntatis est hæc libertas, ut possim etiam me occidere: & per 40 horas tortus (prout author fecit) non respondere extorquentibus responsionem: nisi Mens desipiat, vel a Deo mutetur. Qui tamen nunquam temerat libertatem, sed perficit: & cum desipientiam aut maniam immittit, culpas deinde non imputat. Et cum inclinat voluntatem ad quodcunque bonum, etiam nolitum, ut Pauli voluntatem ad fidem Iesu, non lædit libertatem, quoniam voluntati bonum est naturale objectum: si autem ad malum inclinaret per se, utique læderet, quoniam contra naturam voluntatis humanæ ac divinæ est illud malum nobis, propterea Deus intentator malorum prædicatur in scripturis & inspirator bonorum.

XLIV. Igitur Prædestinatio Dei ut Patris ad suî imaginem fingentis hominem propter se, antecedens peccatorum humanorum prævisionem, non semper completur in rebus, nec voluntas antecedens, nec intellectio antecedens seu speculativa, sed tantum practica; & ideo qui prædestinati sunt solum antecedenter a Deo ut patre, habentur pro prædestinatis conditionaliter, non absolute, sed solum pro præscitis. Qui vero consequenter a Deo ut Iudice post prævisionem meritorum & demeritorum, juvantium & destruentium effectum primæ prædestinationis, hi habentur pro prædestinatis absolute, & pro Reprobatis, ergo absque meritis præcessit Prædestinatio: sed cum meritis ejus firmatur executio: & non absque demeritis fieri potest reprobatio, ut optime concludit etiam S. Thomas in Opusc. de Prædest. & providentia, & in 1. p. q. 19. art. 6. exemplo Iudicis, quidquid dicant alii in aliis locis argumentorum & authoritatis non intellectæ vi compulsi. At Chrysostomus & PP. omnes & scriptura nobiscum sentit: quæ Deo salutem, & nobis perditionem in Osea, & in cunctis locis adscribit. Nec enim odiens Deus creavit Esau & Iodam, teste sapientia, licet antequam nascerentur odio habiti dicantur apud apostolum, argumentantem non decernentem, ut monet Chrysostomus, & Patres; vel si decernentem, inquam cum Hieronymo & dictis PP. ex prævisis demeritis in obstinationem productis.

ctis. Ideo Petrus Apost. clamat, *Satagite ut per bona opera certam faciatis vocationem vestram.* 2. Petri 1. 10. Et rogat Ecclesia, *ut prædestinatorum nomina liber scriptus retineat.* Retinet enim eum per bona opera effectus Prædestinationis, non causa curatur.

O. A. M. D. G.

SUPPLEMENTA

inserenda suis singula locis notatis.

I. Spectat ad Sect. X post num. XLVI. Tract. VIII. De Anima.

POstquam hæc scripseram, pervenit ad manus meas Libellus, cujus Inscriptio, Principia Philosophiæ antiperipateticæ, Authore Ioan. Henrico Wiber, impressus Ratisbonæ 1707. ubi num. margin. 104. habetur hæc assertio. "Forma "substantialis brutorum est certa organorum, nervo-"rum, sanguinis & spirituum modificatio, qua habi-"ta bruta possunt proprias sibi functiones obire. "Probatur conclusio. Brutum per talem dispositio-"nem constituitur in esse Bruti, hoc est, in esse talis "substantiæ, quæ potest tales operationes exercere, "quales cernimus in substantiis illis, quæ bruta no-"minamus, ergo talis modificatio, sive talis disposi-"tio est forma substantialis bruti.

Nempe juxta hunc authorem anima brutorum & forma clavis, aut Horologii eodem modo se habent. Cur non probat & animam hominis consistere in simili modificatione seu organorum dispositione, qua habita proprias sibi functiones obeat? An forte vidit officinam mechanicam omnis generis instrumentis instructam hoc ipso obire functiones artis sine fabro illa applicante & moderante? Et forte non deessent, qui hominis denegarent animam, nisi Fides aliud doceret, cum in meridie sic cæcutiant, uti Soli lucem denegent. Annon in equo mortuo corpus organicum remanere cernis, quod vocas cadaver equinum, & non bovis, & tamen animam abesse fateris?

Placet tamen ex parte, quod num. 105. subdit: "Quæres hic, an non dici possit, animas brutorum "esse spirituales substantias, longe tamen imperfe-"ctiores anima rationali, & ab illa substantialiter, spe-"cie ac toto, ut ajunt, cœlo, diversas, nullius judicii, "nullius discursus, nullius actus liberi capaces; im-"mortales quidem in tantum, in quantum a causa "creata destrui non possunt, sicut & materia; mor-"tales tamen, quatenus post separationem a corpore "exiguntur a Deo destrui, utpote jam defunctæ officio "suo, unico sc. officio sentiendi? Videtur hæc sen-"tentia sufficienter probari seqq. rationibus.

Dixi placere mihi *ex parte*, quatenus congruit Ideæ, qua concipio Spiritum analogice convenientem Angelico, Menti humanæ, capacem rationis & judicii sensualis, expertem tamen libertatis; adeoque non solum fungentem officio sensus externi, sed & suo modo interni, puta memorativæ, & æstimativæ, quin & ratiocinandi discurrendique potentiarum, prout infra Tract. XIV. magis declaratur. Qui Spiritus a Pneumocosmicis statuitur Universi Anima, vegetans in plantis, repens in reptilibus, volans in avibus, rugiens in Leone &c. verbo, qui sit & dicatur Anima Mundi. Dixi *analogice*, est enim longe inferioris ordinis, quam spiritus humanus, & non asserere univoce convenientem animam homini & bruto, & quæ tantum differat secundum magis & minus, erroneum quin & hæreticum censemus.

Probat autem Wiberus sententiam per modum Dubii a se propositam ratione. Primo quidem videtur possibilis species substantiæ spiritualis infra animam rationalem, quæ imperfectiori modo cognoscitiva sit: Sicut dantur aliæ species substantiæ spiritualis supra animam rationalem perfectiori modo cognoscitivæ, ut Angeli. Tales autem substantiæ spirituales cognoscitivæ imperfectiores animæ rationali, aliæ esse non possunt, quam animæ brutorum.

Hanc rationem amplector, & confirmo ex eo, quod gradus perfectionis entium creatorum desumi debeant a participio majore vel minore Primalitatum, Potentiæ, Sapientiæ & Amoris. Sicut ergo Spiritus angelici multo superioris ordinis ob perfectiorem participationem prædictarum Primalitatum esse censentur & sunt, quam animæ rationales seu Mentes humanæ; sic infra has constitui potest series & status animarum brutalium.

Probat 2. Videtur impossibilis esse substantia materialis cognoscitiva: si enim substantia materialis posset cognoscere, videtur etiam possibilis substantia materialis, quæ possit ratiocinari, quod dici non potest.

Hæc probatio, quæ Cartesianorum Achylles, prorsus displicet; tum quia nimium probat, dum brutis omnem cognitionem & sensum derogat contra evidentem experientiam; tum quia oritur ex ignorantia Primalitatum, non enim sentit & cognoscit substantia materialis seu corporea qua talis, sed quatenus essentiata per Primalitatem sapientiæ, ut alibi ostendemus, tum quia falso nititur supposito, nempe animam sensitivam esse corpus; est enim spiritus animans & movens corpus, ut nauta navim.

Probat 3. Videtur contra rationem esse, quod cognitio brutorum, quæ in multis brutis secundum vim suam directivam aut repræsentativam perfectior est cognitione spirituali hominum stultorum & infantum, quod, inquam, hæc materialis, adeoque secundum entitatem suam imperfectior esse debeat cognitione illa spirituali brutorum.

Hæc probatio similiter falsum supponit; nempe cognitionem Stultorum & infantum oriri ab anima rationali: oritur enim ab anima sensitiva realiter distincta, quæ juxta dispositiones organorum suas perficit operationes: & quia in brutis sæpe perfectiores reperit quam in præfatis hominibus usu rationis privatis, non mirum quod secundum quid præcellant bruta.

XLIX. Sed hinc oritur difficultas an animæ brutorum sint divisibiles an atomæ? Videmus autem animas Insectorum dividi, ergo non sunt Spiritus. Respondeo Indivisibilitatem non esse Proprium quarto modo Spiritui, nec soli competere: nam in sententia SS. Augustini & Thomæ animæ brutorum materiales, saltem perfectorum, nilominus asserantur indivisibiles. Aliter quoque responderi potest animas Insectorum non dividi, sed per sectionem corporis replicari, sicut per divisionem continui v. g. aquæ, fiunt duæ aquæ, non tamen forma aquæ per hoc dividitur; & forma ignis per discontinuationem materiæ replicatur duosque constituit ignes.

L. Hinc absolute negatur ista propositio: quod omnis substantia spiritualia sit intellectiva, rationalis & libera, capax meriti & demeriti, visionis beatificæ &c. Differentias notabiles quam plurimas inter discursum brutalem & humanum alibi assignabimus.

Nec obstat, quod hæc sententia videatur propinqua erroribus Manichæorum, dudum ab Ecclesia damnatis. Hi enim, inquis, docebant animas brutorum in eo tantum differre ab animabus hominum, quod hæ perfectius intelligerent, quam illæ. Hæc objectio nostræ opinioni supra expositæ non obest, cum non tantum secundum magis & minus, sed toto ordine & specie distinguamus animas brutorum hominum. Quamobrem respondet Wiber, referendo fideliter errorem Manichæorum, Ajebant enim Manichæi animas hominum & brutorum esse ejusdem speciei atomæ: & sicut anima unius hominis, ratione perfectioris dispositionis organicæ, perfectione non essentiali, sed tantum accidentali, perfectius intelligit, quam anima alterius: Sic ajebant, animas hominum perfectius intelligere, quam animæ brutorum sed perfectione tantum accidentali. At juxta præfatam doctrinam animæ brutorum, licet spirituales essent, differrent tamen specie essentialiter, substantialiter, ac toto cœlo ab animabus hominum; adeoque docendo animas brutorum esse spirituales, æque parum acceditur ad errorem Manichæorum, ac docendo animas hominum esse tales ad errorem Origenis docentis Animas hominum esse Angelos.

Nec novum est, ex certis & inconcussis principiis, ac sana doctrina a pseudo-dialecticis sumi occasionem erroris, & pessimas deduci consequentias, quod tamen veritati puræque doctrinæ non obest. Quod attinet textus scripturæ, in quibus lex ait, animas brutorum esse in sanguine. Levit. c. 17. v. 11. & 14. Deuteron. c. 12. 23. responderi potest cum S. August. L. 2. contra adversarios legis & Prophetarum, c. 6. *Dictum est anima carnis est sanguis, quomodo dictum est, Petra est Christus? scilicet, non quia hoc erat, sed quia significabatur.* Nihil itaque videtur obstare, concludit Wiberus, quo minus quis dicat, animas brutorum esse substantias spirituales. Sed

Num. 115. Respondet ad quæst. hanc: "Licet "mihi non constet de aliqua decisione Ecclesiæ, quæ "sententiam hanc rejiciat; licet etiam, sequendo tan"tum rationem, meo saltem judicio, hæc sententia sa"tis probabilis videatur: licet denique per eandem "abunde satisfiat Peripateticis, non sine multorum applausu, objicientibus Philosophiæ nostræ non" posse a nobis explicari animas brutorum. Respon" deo nihilominus, sententiam, quæ asserit brutorum" animas consistere in sanguine spirituoso conformi" orem esse scripturæ. Quid quæso clarius allegatis" textibus? Quia anima carnis in sanguine est. Le" vit. 17. 11. Sanguis eorum pro anima est. Deuter." 12. 23. potius ergo sequi debemus scripturam," quam argumenta rationis."

LII. Equidem fateor hanc sententiam a Wibero commendatam fundari in sacris literis, quam & Thomas Campan. tuetur. At qui concordet Cartesianorum atomis, non assequor. Spiritus enim vitales ab intrinseco moventur, & sunt actuosissimæ naturæ: atomi autem materiales non nisi ab extrinseco, & quidem 1. Motore Deo cientur, ex se inertes & ad omnem partem moveri indifferentes. Sane qui omnem motum ab intrinseco causis secundis negant, Saracenorum T T. dogma tenere videntur, tollentium omnem activitatem propriam causis creatis, & comparantium sagittæ directæ a Sagittario, prout diximus in Tr. XV. de Causis.

II. Subjungi potest vel ad calcem Sect. I. vel ab initio Sect. II. Tract. XIII.

VII. Prænotandum 1. Præcipuum ac primarium vinculum, quo causæ inter se cum suis effectibus conjunguntur, ne agere videantur in distans non agendo per medium in eo situm esse, ut per poros unius corporis penetrent tenuissima effluvia, quæ ex alterius corporis poris insensibiliter transpiraverant. Et hæc insensibilis transpiratio in corpore humano est multo major illa, quæ excernitur per sensibilia excrementa. Hinc quando corporis pondus plus solito augeri incipit, sine majoris cibi vel potus additione, vel sensibilium excrementorum retentione, facta est adiapnevstia seu pororum constipatio.

2. Possunt aliqua corpora continuo emittere effluvia per plures annos, nec tamen sensibiliter minui quoad molem seu quoad pondus. Sic putant aliqui contingere in effluviis magneticis. Item in moscho & ambra. Item electrica virtute lapidum pretiosorum &c. Quod tamen forte contingit ex eo, quod aliunde advenientia similia effluvia denuo subinde ejusmodi corpora subeant, adeoque defectum suppleant, imo subinde augeant, quod accidit in Vitriolo aeri libero exposito cum pro certo habeatur totam athmosphæram innumeris abundare hujuscemodi effluviis, quæ sibi similibus sponte adunantur, nec non ab uno terræ polo ad alterum continuo propagantur.

3. Effluvia hæc sæpe diffunduntur velocissime & citissime, ut patet in apertione phialæ, in qua reconduntur acuti odores. Item in venenatis & pestiferis, quæ sæpe etiam in momento intima præcordia penetrant.

4. Effluvia ut plurimum retinent naturam seu essentiam determinatam propriamque corporum illorum, unde emanant. Sic videmus diversas salium particulas in una eademque aqua dissolutorum, nihilominus suas retinere naturas. Item liquores distillatos non minus inter se specie differre ac ipsa corpora, prout innumeris constat experimentis.

5. Effluvia sæpe retinent naturam suam propriam, etiam post transitum per poros aliorum corporum, quantumvis solidorum. Id probari potest ex magneticis & Torpedinis piscis effluviis. Item illius veneni,

ni, quo ſtapedes inuncti per calceos inficiunt pedes & corpus hominis. Item in fulmineis.

6. Poſſunt tamen ſubinde, quando ſe alii effluviis in aere permiſcentur, tertiam quandam naturam induere: quod colligitur ex eo, quod ex permixtione effluviorum diverſæ naturæ videamus produci novos effectus, qui a ſingulis effluviorum ſeorſim non producuntur, ex quibus argui poteſt ea novam induiſſe naturam.

7. Dum aqua aliique liquores evaporant, ſeu in auras abeunt, ſecum vehunt ſubtiliora corpuſcula aliorum corporum, quæ ſæpe contingit eſſe diſperſa vel diſſoluta in ipſa aqua vel liquore evaporante.

8. Spatium quod eſt circa univerſum globum terraqueum ad magnam etiam altitudinem expanſum partim refertum eſt effluviis, & rationibus ſeminalibus determinatæ naturæ & omnis generis corporum, ſicut & mixtis.

9. Ex effluviis in aere diſperſis, & ex ibidem genitis plurima rurſus decidunt cum pluvis, rore, nive, grandine, pruina &c. Multa vero permeant poros omnis generis corporum; multa tantum externæ ſuperficiei adhærent; multa inſpirantur cum aere ab animantibus, multa forte attolluntur altius ad corpora Planetarum & aliorum ſiderum.

10. Effluvia ejusmodi maxima vi pollent in operando, tum in aliis corporibus, tum inter ſe invicem. Obſervandum enim non modo effluviorum tenuitatem ac eorum numerum ſupra quam credi poteſt ingentem plurimum conferre ad illam efficaciam, quam exerunt in ſuis operationibus: verum etiam impetum & velocitatem, qua corporum poris ſe intrudunt; ibi enim quaſi agmine facto, qua data porta præcipitia ruunt, & exiguis quaſi cuneis ipſos poros laxant, dividunt, lacerant ac ſubtiliorem ibi incluſam ſubſtantiam, a qua ipſorum corporum ſubſiſtentia ſubinde dependet, expellunt aut immutant ita ut totius corporis compages diſſolvatur & concidat, ut patet in fulmine.

11. Cum Verulamio tria genera effluviorum diſtinguere licet. *Abſciſſa* vid. ſeu interrupta & diſcontinuata. *Ramoſa*, demum alia *Ramoſa ſimul & cellulata.* Prima pertinent ad corpora inanimata. Secunda ad Vegetabilia. Tertia ad animantia; quæ differentia tamen videtur magis quadrare ipſis poris corporum. Poſſunt etiam dividi in ſimplicia, id eſt, quæ pertinent ad unicum Elementum, ut ſunt aquea, terrea vel ignea. Compoſita quæ habent naturam determinatam alicujus mixti. Decompoſita, quæ fiunt in nova mixtione effluviorum determinatorum.

12. Corpora magis denſa & graviora ut plurimum minorem habent effluviorum perſpirationem: hæc enim fere ſunt inanimata, habentque poros abſciſſos, interruptos anguſtisſimos & rarisſimos.

Notandum quoque, quod corpora duriora & denſiora durabiliora ſint & minus corruptioni obnoxia, ut patet in mineralibus. Hinc non video, cur corporibus diaphanis tot tribuantur pori, per quos lux tranſeat, cum vitrum, adamas &c. corruptioni minime noſcantur obnoxia, ſicut aurum. Hinc vegetabilia ut plurimum breviore vita gaudent, quam animantia; & ex vegetabilibus illa citius pereunt, quæ leviora ſunt, & minus compactæ indolis. Ex quo rurſus colligitur facilem nimis perſpirationem obeſſe vitæ prolongationi & viventium incolumitati.

Hinc fortaſſe, quia hyeme minus perſpiramus, minus tunc morbis obnoxii ſumus. Quia vero niſi nutrimentum defectum suppleret perſpiratæ ſubſtantiæ, brevi tempore omnia viventia abſumerentur, ideo quæ magis perſpirant, magis etiam nutriuntur, ſeu majorem alimenti quantitatem aſſumunt, breviori vita fruantur vel minus incolumi ac firma.

13. Effluvia diverſæ indolis poſſunt emanare ab eodem corpore, iisdemque poris corporis. Sic ex corporibus mortuis primo erumpunt ſpiritus tenuiores, dein effluvia craſſiora. Ex floribus primo ſuaviter olentia, dein fœtidi odoris. Ex Tabaco, dum viride eſt, aqua inde deſtillata ſuavi calore balnei ſanandis vulneribus præſentisſimum eſt remedium: oleum autem, quod per diſtillationem ultimo egreditur, venenum eſt omnium pene efficacisſimum.

14. Frigus per ſe impedit aut imminuit effluviorum tranſpirationem. Hinc carnes, fructus, flores in hyeme non tam facile putreſcunt ut in æſtate. Per accidens tamen poteſt frigus vel poros dilatare, vel latentia in illis ſubtiliora corpuſcula irritare, ut concepto impetu ſibi ipſis viam aperiant & copioſius erumpant.

III. Inſeratur ad finem ſect. V. Tract. IX.

Pro declaratione præmiſſorum advertenda veniunt ſequentia.

I. Dari Archæos familiares; dari etiam Archæos hoſtiles, ſeu pugnantes. Familiares dicuntur illi, qui ſimilibus & familiaribus Ideis ſeu accidentibus ſunt inſigniti. Hoſtiles econtra, qui contrariis ſunt inſtructi. Priores ſympathiam, poſteriores antipathiam fundant.

II. Familiares Archæos dici poſſe replicatos, non ſolum quod omnes, quanquam diverſisſimis ac remotiſſimis in locis conſtituti, ſint unus idemque Mundi ſpiritus, & ſecundum hanc radicem, non tantum ſibi invicem, ſed etiam hoſtilibus identificati; ſed ideo vel maxime, quod ſimilibus ideis ſint inſigniti. Quod ſi enim in humanis unus amicus ab alio amico vocatur ALTER EGO, quaſi replicatus EGO: multo magis in hac Vniverſi Scena, unus Archæus nominari poteſt alter, in quo non ſolum ſimilitudo & familiaritas accidentium, ſed ſubſtantialis quoque identitas concurrit.

III. Archæos quosdam eſſe quoad ſpeciem, alios vero quoad individuum replicatos. Quoad ſpeciem replicati ſunt, qui accidentibus ſeu ideis ſpecifice tantum ſimilibus ſunt inſigniti, & nihil ſecum de uno eodemque individuo participant ſeu communicant. Quoad Individuum ſeu individualiter replicati ſunt, qui ſecum communicant in accidentibus eodem Individuo propriis & conjunctis ante factam replicationem. Archæi quoad ſpeciem replicati ſunt ſingula Individua ſub eadem ſpecie phyſica vel ſimilitudinaria. v. g. cæpæ in agro & in granario, mora in arbore, & mora in cute, luna in cœlo,

culo, & luna in lapide, ova plura gallinæ ſuppoſita, chordæ duæ æquitenſæ, duo homines, duo urini adipes &c. quæ omnia de eodem individuo nihil communicant. Archæus quoad Individuum replicatus, eſt in illis corporibus, quæ aliquando idem individuum conſtituebant, ut in catto & genitura ipſius, in ventre & in embryone, quem ab illo ſcrophia concepit; in frutice ac decerpto ramuſculo, in ſanguine & vulnere, in pure & fontanella, in Tarantulæ veneno, ipſaque tarantula, in lacte & uberibus, in ſecundinis & puerpera, in capillis, unguibus, urina aliisque excrementis, ipſoque homine ex quo deſumpta ſunt: ſimiliter in quibuscunque licet inſenſibilibus effluviis & corporibus e quibus emanarunt; in lardo & verrucis, Perſicaria & ulceribus. In his & ſimilibus exemplis diſtingui poteſt inter Archæum majorem & minorem, genitorem & genitum. Nec multum refert, an Individuum illud, cujus Archæus replicatur, ſit compoſitum per ſe, an vero per aggregationem, juxta communem loquendi modum, ſive conſlans partibus non adeo ſtricta unione colligatis, prout ſibi uniuntur partes farinæ in eodem ſacco, inter quas tamen ſympathia notabilis intercedit.

IV. Quod Archæus replicatus aliquando bene, quandoque male afficiatur. Aliquando major Archæus ſeu genitor minori compatitur, ut in maleficiis ſympatheticis, in putrefactione ſanguinis, ſecundinarum, peciarum, emplaſtrorum &c. Aliquando congaudet, ut in ſympatheticis curationibus. Aliquando minor Archæus majori compatitur, ut in Embryone ad mortem catti genitoris extincto: aliquando etiam congaudet, ut in ſpiritu ſanguinis limpido ad bonam hominis illius valetudinem, de quo ſanguis emanavit.

V. Senſum & conſenſum, quem omnibus Vniverſi hujus corporibus competere docet experientia, non eſſe ſenſum animalem, ſeu unum aliquem ex quinque ſenſibus, quibus animalia ſunt prædita (non enim omne, quod ſentit, animal eſt) ſed eſſe ſenſum naturalem appetitumque, ſenſui tactus analogum. Vnde non ſequitur ex eo, quod omnia corpora in hoc Vniverſo ſibi conſentiant, & mutuas affectiones percipiant, omnia titulo animalium gaudere. Nec ſenſus ille eſt privatus, & proprius hujus vel illius Archæi, ſed ſenſus quidam communis per Mundi Spiritum ubique diffuſus, aut vi Primalitatum cuique rei congenitus, prout alibi declaramus. Hæc omnia ſi rite advertantur, non erit difficile varias ſympathias explicare.

Verum quidem eſt, quod ſimiles in rebus ſimilibus affectiones aliquando poſſint explicari per recurſum ad altiores & univerſales cauſas, ex. gr. dum aliquot canes aguntur in rabiem oriente canicula, vel Scorpiones furiunt, luna Scorpium pervagante: non eſt autem tunc proprie ſympathia, quia licet ſimul idem patiantur, non tamen patiuntur illud a ſe invicem, ſed ab alio altiori.

Non deſunt etiam, qui, putent omnes ſympathias explicari ſufficienter poſſe per inſenſibilia rerum effluvia, ſeu atomorum exſpirationes & attractiones. Non nego illa in rerum ſympathiis multum aliquando cooperari, dum corpora exſpirantia magnæ ſunt virtutis aut molis: ſed quis credat exile vulnus per magna terrarum ſpatia ſuas atomos protendere, vel tantillam ſanguinis particulam aſperſi vitrioli balſamica ſua effluvia ad vulnus remotiſſimum, non obſtantibus aliarum rerum potentioribus effluviis, & ventorum aerem commoventium procellis diffundere?

Melius ſane hæc difficultas, quæ in ſimilibus effectibus explicandis oritur ex rerum diſtantia, ſolvitur, ſi admittatur in rebus omnibus unitas ſive identitas principii effectivi ac ſenſitivi, & Archæorum mox explicata replicatio, qua ſemel admiſſa, nil mirum ſi ad eandem individualem progeniem accidentium, aliorum quoque accidentium & paſſionum ſimilitudo conſequatur, & idem ubique Mundi Spiritus eodem modo per ideas aliaque accidentia determinatus, idem in hoc & in illo loco ſub Archæorum pluralitate ſentiat.

Exemplificari hæc omnia poſſunt exemplo gravidæ mulieris, in qua facile capimus, quomodo figuræ rerum in materna membra ſubito incidentium, vel imaginatarum, in analogis fœtuum utero contentorum membris exprimantur, tum ob formæ ſenſitivæ unitatem, tum ob cognationem accidentium: Nullibi enim magis apparet Archæi replicatio & vis ipſius, quam in prole & matre prægnante. Quamvis hæ maternæ impreſſiones in fœtum grandiorem non amplius tam facile operentur, ob vires partium in ipſo perfecte jam abſolutas & potentiores, quam ut ſe ſympathico matris influxu abuſeri patiantur. Nihilominus contingit ſubinde tam vehementem eſſe hanc impreſſionem, ut ideam jam evolutam invertat, prout alibi Tract. XXXVII. videre eſt.

Exemplificari poſſunt ſecundo in tam diverſis ac a ſe invicem remotis humani corporis membris atque potentiis, quæ magnam nihilominus inter ſe habent connexionem, quam tantopere non miramur, quia per communicationem ejuſdem principii facile poteſt explicari. Sic ad viſum alicujus rei ridiculæ diaphragma per viſum commovetur: ad propriæ laudis auditum, vel cibi ſapidioris præſentiam, imo & ſolam appetentiam, pruriunt dentes & ſalivat os: verecundantibus illico ſanguis ad faciem confluit, trementibus ad cor, iratis a centro ad peripheriam diffunditur. Vnica rei triſtis & contrariæ, vel etiam voluptuoſæ ac jucundæ cogitatio, quantos & quam diverſos in remotis humani ejuſdem corporis partibus cauſat motus? Idem videmus in corporibus aliorum animalium etiam inſectorum. Ita ſerpens, ſi prematur vel pungatur in cauda, ſe totum movet: ex quo partium conſenſu D. Auguſtinus probat animas quorumcunque animalium eſſe indiviſibiles.

Quod concernit rerum familiaritates & amicitias, illarum cauſa in nil melius refunditur, quam in naturæ ſimilitudinem; ſive manifeſtam, unde aves ejuſdem ſpeciei libenter ſecum volitant; ſive occultam, quæ reperitur inter individua diverſorum generum aut ſpecierum. Sed hæ familiaritates non videntur ſine aliquo magnetiſmo perfici.

IV. Inſeratur Tract. XVIII. ſect. II. poſt Quæres 2. in fine.

Phoſphori duri, qui longa operatione paratur ex urina, & creditur ex ipſo quoque ſanguine fieri poſſe, naturam P. Ioan. Bapt. Ptolomæus Diſſert. 13

Phyſ.

Phys. part. sect. 5. de Visu describit in hunc modum. I. Solidus est lapillus coloris citrini, qui asservatur aquæ immersus, in qua noo lucet nec incalescit: at eductus in aerem in obscuro loco lucet adeo, ut ad illius lumen commode legatur. Si in aquam iterum injeceris, extinguitur, iterumque lucet extractus. II. Phosphorus liquidus in phiala custoditur. Si quidpiam illo ioun geris e. g. chartam, hoc in loco tenebroso lucem non mediocrem effundit. Sic quoque durus Phosphorus affrictus panno aut chartæ, lucem imprimit, quæ lente deficit: quod si postquam defecerit, digitum ducas per ejus vestigium, iterum charta accenditur & splendet. III. Si solidum admoveas flammæ, statim ardet ut pyrius pulvis: sic etiam si affrictu valido ducas pholphorum per asperum pannum, inde accenditur & consumitur. IV. Phosphori flamma proprietates haber miras, easque non modo dissimiles, sed oppositas proprietatibus flamnæ vulgaris. Plura circa lapidem hunc observantur indies ab Eruditis, ut videre est in Dialogis Gallicis Eruditorum, præsertim ad annum 1683. V. Principia, ex quibus proluunt hujusmodi proprietates Phosphori, statuuntur esse subtilissimum nitrum & sulphur; tum quod flamma Phosphori sulphur oleat: tum quod ex vitrali nitro digesto io corpore humano phosphorus ipse coalescat. Quod item in aere luceat & ardeat, non vero in media aqua, videtur esse ex contractu & allapsu aerei nitri, a quo fermentatur ingenitum Phosphori nitrum, ut ex analogia pulveris pyrii satis exponitur. VI. Ex affrictu particulæ insensibiles agitantur, & colliguntur ad statum physicum Lucis & flammæ. Sic enim pulvis quoque nitrius solo motu & agitatione quandoque acenditur & paratur. VII. Quod vestigium impressum relioquat lucidum, est ab ejus particulis, quæ facile hærent attactis corporibus. VIII. Deniqoe flammæ Phosphoreæ proprietatibus dissimillimæ a reliquis flammis analogiam habes in auro fulminante cujus accensi impetus deorsum agit: & in ipso quoque igne veri fulminis, qui dolio incombusto cootentum in eo vinum absumit &c.

V. Spectat ad Subsect. I sectionis IV. Tract. XXIII.

XLIII. Hinc summopere miror Seraphinum Piccinardum Patavii Magistrum & Metaphysicæ Professorem in sua Dogmatica Philosophia edita ibidem Anno 1671. Lib. 4. q. 6. contra Atomistas, præcipue Magnanum asserentem Disp. 1. cap. 1. quod materia prima Peripareticorum (nempe illa pura potentia, quam dicunt esse quidem ens reale, sed pure-potentiale ut omni actu, etiam entitativo, careat secundum Piccinardum ibid. art. 2.) sit nobilis quædam fabula ab Ægyptiis ad Græcos per Aristotelem derivata, miror, inquam, quod opinionem suam, tanquam auctoritati sacrorum conformiorem probare conetur, ex eo quod non pauci SS. PP. illa Genesis verba *terra autem erat inanis & vacua*, de materia prima interpretati fuerint, qoos etiam ibidem allegat: cum plane oppositum clarissime inde evincatur. Profecto id qnod Deus ab initio creavit, fuit substantia realis, ut expresse Eucherius Lib. 1. Commentar. in Genesin cap. 1. inquit, *terra erat invisibilis incomposita, id est adhuc informis erat ipsa materia.* Glossa ordinaria ad eundem textum, *terra corporalis*, inquit, *materies adhuc imperfecta.* Lipomanus ibid. *Hebræorum nonnulli*, inquit, *dicunt quod THOV sit res omni forma carens, ut est materia prima, inter quos Rabbi David apud Lusitanum, Sapientes nostri*, inquit, *dixerunt quod THOV est res informis, apta ad recipiendam omnem formam, quam Græci HYLEM vocant, id est materiam.* Sane si per materiam primam intelligamus Terram, seu massam illam chaoticam, quantumvis rudem, incompositam & indigestam molem cum Eucherio cit. ubi ait: " Terræ autem nomine materiam illam informem insinuat, ex qua visibile hoc Cœlum & Terra &c. universa moles hujus Mundi formata est, de qua scribitur, qui fecisti Mundum de materia informi:" Noo potest verificari de illa, quod nec sit quid, nec quantum, nec quale. Fuit enim substautia, non spiritualis, sed corporea, sed quanta, extensa & palpabilis, fœta rationibus seminalibus, uti Iustinus, Basilius, Augustinus aliique SS. PP. nobiscum affirmant. Quid, quod ipsemet Philosophus 8. Metaph. tex. 4. concedit *quod vere substantia est materia*; uti & 1. phys. tex. 66. & 69. prout explicat Sanct. Thom. 7. Metaph. lect. 2. Recte proin sentit Magnaous.

VI. Inseratur subsect. II. post num. LVII. Tractat. XXIII.

LVIII. Ista Chymicorum sententia ratione Elementorum hoc experimento solet declarari. Copiam v. g. vini in Alembicum insundunt; atque ope ignis quasdam partes in halitum abire jubent, quæ postea frigore concretæ in aliud vas stillant sub forma liquoris sapidi, subtilis & penetrantis, cui placuit nomen Mercurii Spiritus, aquæ vitæ indere. Dein alembico ab igne non remoto ab eo eliciunt liquorem insipidum, quem vocant Phlegma. Atque in distillando pergunt donec supersit tantum in Alembico materia tenax melli propemodum similis. Deinceps materiam illam viscidam Retortæ imponunt, iterumque ignis beneficio phlegma educunt priori simile: postea liquorem acidum, cui iterum Mercurii oomen assignant: hinc alium liquorem minus fluidum, qui oleum refert, quique flammam ut prior concipit &c. cui sulphur nomen tribuunt. Tandem quod residet in Retorta igni trahentes admodum siccum, cineris forma in vas vitreum conjiciunt, affusa certæ aquæ quantitate, ubi parvo tempore ibi salis saporem acquirit. Demum filtrationis auxilio limpidam redditam alio vase excipiunt. Hinc superest in vase terreo terræ species, quam vocant *Caput mortuum*, aut terram damnatam: aquam autem claram alio vase exceptam ad ignem lentum evaporare omnino permittunt: tum restibile est in fundo vasis corpus durum & friabile sali simile, cui ideo *Salis* nomen concedunt. Inde colligunt 5. illa substantiarum genera scilicet Mercurium, Phlegma, Sulphur, Salem & corpus mortuum esse Vini Elementa. Ita Iacobu Rohaulti tr. phys. c. 20.

Iuxta eosdem Chymicos Flamma non est portio ignis, quamvis calida, sicca & activa sit. Nec volunt cineres & calcem vivam vocari Terram, eo quod non sint iosipida, qualis terra elementaris esse debet.

LIX. Verum enim vero omnes chymicæ corporum analyses non plus probant, quam quædam mixta corpora (in multis enim non obtinet, maxime auro) ignis ope, quando clausis vasis includuntur (illa quippe conditio sæpe etiam requiritur) posse resolvi in aliquas substantias, quæ qualitatibus quibusdam, maxime autem consistentia, discrepent: sit ut ex magna eorum parte obtineri queat fixa substantia partim salina, & par-

tim insipida, unctuosus liquor, & alios liquor, pluresque, qui manifestum habent saporem absque unctuositate. Si jam Chymicis placeat, siccam sapidamve substantiam *Sal* vocare, unctuosum liquorem *sulphur* (cur non oleum?) Mercurium alterum, non adeo eum iis litigandum. Sed si assertum eant, Sal, Sulphur & Mercurium, simplicia & primaria esse corpora, ex quibus unumquodque mixtum corpus fuerit actu compositum, quodque revera ante ignis operationem in eo fuerit, certe non persuadent: multo minus, quod substantiæ illæ siot puræ similatesque, ut esse oportet Principia.

VII. Inseratur eidem subsect. II. sectíon. IV. Tract. XXIII, post num. LXVII.

LXVIII. Ioanoes Bapt. Helmontius Chymicorum facile Princeps rotunde fatetur, ex arena, silicibus & saxis non calcariis nunquam sulphur aut Mercerium trahi posse. Idem ait: Credo simplicia in sua simplicitate esse sofficientia pro sanatione omnium morborum. Boyle pag. 115. paradox. Chym. Idem apud eundem pag. 409. ait: Novi saxum & lapides omnes in merum Salem suo Saxo aut lapidi æquiponderaotem reducere, absque omni prorsus sulphure aut Mercurio. Nempe aliter Ignis, aliter Alkahest resolvit corpora mixta.

Quæ si vera, iocertum uoque manet, num omnia composita corpora ex eodem numero ingredientium elementarium, vel principiorum materialium constent. Nam experimenta (sive a Peripateticis, sive Chymicis vulgaribus afferri solita; quibus demonstrare conati sunt, omnia corpora mixta præcise ex 4. Elementis, vel ex tribus Principiis hypostaticis componi, id non evincunt.

Argumenta vero a ratione ducta in Aristotelicæ hypotheseos gratiam, communiter suppositionibus adeo absonis & precariis insistunt, ut cuivis perinde omnino facile sit & æquum ea rejicere, ac eis iis, qui illa pro concessis sumunt, ea asserere, cum revera illa omnia tam sint indemonstrabilia, ac est inde inferenda conclusio: ac noonulla eorum adeo elumbia & improbabilia, ut facilis admodum sit oportet Adversarius, qui lubens ea possit admittere; & æque imperitus, qni ad faciendum queat compelli. Boyle paradox. chymic. pag. 117.

Idem Helmontius testatur se vi sui Alkahesti carbonem in duo liquida & corpora volatilia carboni æquiponderantia divisisse, nullo sicco fixove sedimento relicto. Item, se modos nosse, quibus totum sulphur semel dissolutum fixetur in pulverem terreum; & totum Sal-petræ in terram convertatur, quod posterius alibi dicit, solo sulphurei cujusdam ignis odore præstari.

Accedat Quercetanus, qui ait: Adamas omnium factus lapidum solidissimus ac durissimus, ex arctissima vid. trium Principiorum unione ac cohærentia, quæ nulla arte spagyrica in solutionem Principiorum suorum spiritualium disjungi potest.

LXIX. Mercurii nomine quid velint Chymici, obscurum. Leo a Stipite in sua Religione Mentis cap. 6. p. 43. vocat corpus minerale, perfectum priocipium metallorum (pag. tamen 50. boc negat), quod unde fiat, nemini constat. p. 51. Ex Mercurio & Sulphure fieri asserit Cinnabrium. Paracelsus id alicubi vocat Mercurium, quod ligno urente sursum fertur (uti Peripatetici fumum pro aere reputant) adeoque Mercurium videtur volatilitate aut effumabilitate defioire. Sed hoc non subsistit: nam in exemplo dato, & sal volatile & sulphur partem fumi constituunt, qui revera & phlegmaticis & terreis corpusculis insuper constat. Begninus Tyroc. chymic. Lib. 1. c. 2. Mercurius, ait, est liquor ille acidus, permeabilis, æthereus ac purissimus, a quo omnis nutricano, sensus, motus, vires, colores, senectutisque præproperæ retardatio. Definitio, an encomium?

Sed cum Hermetica Philosophia omnes sapores Sali ferat acceptos, Mercurius aut non est principium, aut ex salino ingredienti & re alia quadam compositum quid. Quercetanus adhuc plura epitheta addit. Libavius per negativa, describens oon satisfacit Sennerto, qui tamen aliud nos non docet, quam quod in omnibus corporibus id quod præter Sal & sulphur reperitur, & Elementa (veluti ea vocant) Phlegma & terra mortua appellatur, sit ille spiritus, qui in Aristotelis Dialecto vocari potest οὐσία ἀνάλογος τῷ τῶν ἄστρων στοιχείῳ. Sed & hujusmodi liquores complures, sive spiritus hi, præterquam quod inter se sint valde diversi, tum in sensus nostros actione, tum cæteris suis operationibus, iosuper in substantias a se invicem differentes resolvi possunt: consequenter non merentur dici Elementa seu Principia primaria.

LXX. Taceo quod Mercurius fluens, qui passim in officinis veoditur, ab ipsis Chymicis habeatur pro Mixto quodam. Item notabilis est differentia inter Mercurium corporum, qui ex metallis separatur, & Mercurios vegetabilium, & animalium. Adde Mercurium ex stanno vel plumbo elicitum testimonio quorundam Chymicorum in purum aurum mutari posse; secus alios Mercurios. Item Mercurius ex cupro elicitus viridi colore est, non argenteo, ut cæteri. Ita D. Alexander Van Suchten.

P. Honoratus Fabri tom. 4. phys. tract. 7. lib. 2. prop. 59. de Mercurio sic statuit: Hydrargyrum vel argentum vivum, seu Mercurius (his enim nominibus appellatur) est quoddam semimetallum; cum enim solidum non sit & durum, metallum proprie dici non potest. Hoc enim definierat in libri initio, quod sit mixtum perfectum, durum in suo statu naturali, fossile, saltem ut plurimum, liquabile, malleo ductile. Huic Mercurio 3. dotes tribuit singulares scilicet gravitatem, illa enim cuncta præter aurum innatant; & hæc est tum a multa terra, tum a multo humore: terrestres particulæ, hoc est prima illa semina seu rudimenta perexiguam habent molem; hinc facile ab humore, cui admixtæ sunt, deferuntur; altera est liquiditas, quæ ex humore sequitor & ignis absentia. Itaque fluidum semper est hydrargyrum, illudque est ab humore multo, a tenuitate partium, & a nullo, vel saltem modico igne. Hinc si quando concrescat Mercurius admixtioni alterius corporis tribuendum est; sic sublimatus admixto chalcanto, quod vulgo vitriolum vocant, & sale; nempe ignis vi resolutæ partes intra quandam quasi spumam comprehenduntur, hoc est intra bullas conflatas ex materia tenaci chalcanti & salis. Hinc sublimatus candidus est, quia spuma hunc colorem præfert; alias enim tot formas induit & vultus, ut Naturæ Protheus jure dicatur. Sic etiam præcipitur affuso scil. oleo vitrioli, & summa vi ignis adhibita. Concrescit autem propter admixtam materiam; subrubet vero, quia pars bullarum calore summo dividitur. Hinc vides Mercurium suæ naturæ relictum semper liquidum esse, nec fixum reddi posse, nisi per admixtionem alterius materiæ, ea tamen lege, ut separati Mercurius adhuc possit.

Si

Si autem artem invenires, qua humoris portionem, quæ Mercurio inest, saltem majori ex parte exprimeres, haud dubie terrestris portio maneret, eaque minime fluida. Cuinam vero usui residuum illud terræ esse posset expresso humore, quis quæso mortalium cogitatione assequi posset? Forte esset inutile pondus & pulvis aridus; nec video, sit Faber, qua virtute polleret seminali. Sunt enim qui dicunt, Mercurium esse metallorum matrem, hoc est, materiam, in qua Natura per vires activas laboret: sed hæc sunt meri ludibria & inania Chymicorum vota; deest enim Sulphur, hoc est ignis, qui debito modo admisceri non potest; & quod potissimum caput est, desunt illa primigenia semina seu rudimenta (rationes ideales) quæ singulis metallis singularia competunt, neque de novo formantur, sed ab initio Globo terrestri a rerum Conditore indita sunt. Igitur ex his perspicuum est operam ludere Chymicos, dum de figendo, ut vocant, coagulandoque Mercurio cogitant.

LXXI. Tertia Mercurii proprietas est subtilitas: cuncta enim fere penetrat, etiam metalla durissima, eaque vel cito, ut stannum, plumbum, vel post aliquod tempus dissolvit. Illa autem ab exilitate & tenuitate partium, humore se. viam per poros faciente. Vitrum tamen non penetrat, neque resolvit, quod multo tantummodo igne resolvi potest.

Hinc facile corpus animalis penetrat, subitque ad intima usque ossa, dum remedii loco adhibetur, ut vulgo fit, contra luem Veneream. Hinc aurum emollit instar butyri, & hac arte æs deaurari solet; extenso scilicet in superfice lento auro & mercurio caloris vi statim avolante. Plura curiosa de Mercurio vide apud eundem Authorem loc. cit.

LXXII. Hoc unicum observo, Mercurium esse frigidum; & si in notabili quantitate corpori immittatur, haud dubie interitum animanti afferret; non quidem sub pondere, ut plerique existimant; nam potius suo pondere, egestionem sollicitaret, sed quia purus ille humor sanguini admixtus ignis particulas dividit, ac proinde calorem nativum extinguit. Frigus autem juxta Fabrum ab humore subtili dependet. Quis ille? Est permixtus aëri, inquit tom. 3. phys. tract. 6. lib. 3. propos. 119. n. 6. qui frigus facit, ubi remotum est agens calefactivum. Et prop. 120. n. 9. Suprema superficies aquæ primo semper loco congelatur, experientia teste. Ratio est, cum enim ille Mercurius seu purus humor superficiei primum incidat, in ea Ignis particulas dividit, unde sequitur congelatio. An non hic committatur circulus, tu vide. Illud planum inde fit, aquam ex natura sua summe frigidam non esse, cum ab extrinseco per Mercurium mutetur in glaciem. Vide Fabri Tract. 35. de Meteoris.

VIII. Inseratur post n. XXXV. Sect. III. Tract. XXIX. Referuntur Censuræ in præfatam opinionem.

XXXVI. Non dari accidentia supernaturalia physica & absoluta Cartesius quidem expressis verbis non negavit; negavit tamen implicite, dum omni omnino accidenti absoluto possibilitatem negavit. Audacius alii Antiperipatetici, ut Aloysius Temmik (Kimmet) pag. 568. & seqq. Wiber pag. 292 & seqq. mox relati abolere nituntur disertis verbis omnia accidentia absoluta supernaturalia, sed omnia dona supernaturalia volunt esse meros respectus & ratios, ut audivimus, Dei erga creaturam affectus.

XXXVII. Contra hos insurgit P. P. Georgius Saur è Soc. Jesu, qui An. MDCCVIII. in Alma Universitate Herbipolen. Lauream Doctoratus Philosophici Discipulis suis contulit, & in forma Thesium evulgavit 1. Partem Relationis historicæ Iudiciorum & Censurarum adversus Philosophiam Anti-peripateticam: qui libellus cum mereatur legi ab Eruditis, operæ pretium duximus ex eo huc transferre, quæ nostro serviunt proposito.

Hoc dogma, inquit p. 159. Anti peripateticum, Gratiam sanctificantem sive habitualem, non esse qualitatē physicam per modum habitus in homine permanentem: item dona Fidei, Spei & Charitatis Theologicæ non esse permanentes similiter qualitates, pertinaciter docuere Hæretici nuperi temporis ante & post Concilium Tridentinum, prout luculentissime testatur Card. Bellarm. in Disput. suarum Controversiarum tom. 4. Edit. Colon. 1619. L. 1. de grat. & lib. arbit. cap. 3. pag. 474. lit. C. dicens: "Non desunt, qui non,, admittant gratiam gratum facientem, quæ,, sit habitus, aut certe qualitas per modum habitus in,, anima permanens. Ioannes Calvinus in Antidoto,, Concilii Tridentini sess. 6. c. 7. Falsum, inquit, esse,, concedo, ullam justitiæ partem in qualitate sitam es-,, se, vel habitu, qui in nobis resideat, sed gratuita acce-,, ptione nos esse justos. Martinus Kemnitius in Exa-,, mine Concilii Tridentini reprehendit Concilium Tri-,, dentinum, quod in qualitatibus & virtutibus infusis,, justificationis gratiam constituerit. Ad hanc senten-,, tiam accessit Albertus Pighius, Catholicus alioqui,, Doctor, sed in nonnullis quæstionibus ex lectione li-,, brorum Calvini misere seductus.,, Sic enim Pighius loquitur Lib. 5. de lib. arb. *Gratiæ acceptionem variam esse non ex scholis, sed ex divinis scripturis petemus: quandoquidem in illis fere imaginantur qualitatem aliquam.* Vide eundem Card. Lib. 2. de justific. cap. 1. pag. 891. de variis erroribus circa causam formalem justificationis, ubi inter alios Matthæus Illyricus in centuriis cent. 1. l. 2. col. 238. his verbis proponit sententiam, quam ex Luthero se didicisse gloriatur. *Iustitia, quam Deus impio imputat, non sunt qualitates aut virtutes nostræ.*

Porro, ut clare perspiciamus, Hæreticos expressissime quoque docuisse, Gratiam sanctificantem, sive formalem justificationem esse formam respectivam, liceat mihi verba id sonantia ex ipsomet Authore Calvino adducere. Sic igitur habet Hæresiarcha in Lib. 3. suarum Institutionum c. 11. n. 3. Edit. Genevensis anno 1585. fol. 236. *Ex contextu patet verbum hoc* (Iustificatio) *non posse aliter accipi, quam relative, non autem ut qualitatem aliquam denotet.* Et infra nom. 23. fol. 244. *Hinc & illud conficitur, sola intercessione justitiæ Christi, nos obtinere, ut coram DEO justificemur. Quod perinde valet, ac si diceretur, hominem non in seipso justum, sed quia Christi justitia imputatione cum illo communicatur;* Idem Calvinus L. 3. Instit. c. 2. n. 8. fol. 175. de Fide dicit. *Primo refutanda est, quæ in Scholis volitat, nugatoria fidei formatæ & informis distinctio. .... Scholastici ineptiunt, quærendo an eadem sit fides, quam superveniens qualitas formas. ... Quod si expenderent illud Pauli: Corde creditur ad justitiam: fingere desinerent frigidam illam qualitatem.*

Ecce footem, unde doctrioa antiparipatetica hausta sit! Calvinna dicit, *Justificatianis nomen aliter accipi nonposse, quam relative, nau ut qualitatem aliquam denotet.* Tu Gratiam babitualem, uti & tres habitus Theqlogicos, Fidem, Spem, Charitatem, relationes dicis, & simul qualitates vocas, ut ex bac parte non videaris recessisse ab Ecclesiæ definitionibus; & tameo ex altera parte eum Calvino tenea. Non sie loeuti sunt hactenns Authores Classici, qoibus saltem in acceptionibus & significationibus verbnrum sive terminorum nos decet consurmare, ne semidoctis aut in theologiais parum versatis pedicam ponamus.

Hinc formare licet boc argumentum, in qoo ostenditur antithesis Carthesianorum militans adversus doctrinam sanam totius Ecclesiæ.

Conc. Trident. sess. 6. can. 11. definit: "Si qnis dixerit, "bomines justificari vel sola impntatione justitiæ Chri-"sti, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia & "charitate, quæ in cordibus eorum per S. Sanctum dis-"fundatur, atque illis inbæreat: aut etiam gratiam, qua "justificamur, esse tantum favorem Dei, anatbema sit.

Atqui Antiperipatetici dicunt: Homines justificari exclusa gratia & ebaritate, quæ in cordibns eorum per Spiritum Sanctum diffundarur, atque illis inbæreat: & gratiam qua justificamur, esse tantum favorem DEI. Non enim admittunt, gratiam & charitatem esse qualitatem absolutam, sive donum DEI creatum, quod posset creative existere, per Spiritum Sanctum diffundi io animam, atque illi inbærere: admittunt autem, gratiam esse amorem DEI in creaturam, & Decretum DEI, quo decernit DEVS gratiosum suum affectum permanenter dare bomini; non secus ac Prioceps mundanus cuidam aulico &c.

Ergo incurrunt anathema. Totum negotium davolvitur eo, quo seosu verba Concilii sint accipienda. Mihi quidem non est dubium, Patribus & Doctoribus qui Tridentino interfuere, satis perspectam fuisse mentem & doctrinam Doctoris Angelici, circa præsentem quæstionem, nec ab eo ullatenus discordasse, is antem clarissime contradicit Kimmetio asserenti pag. 572. *gratias tam actuales quam habituales esse entitates modales, nequaquam entia absoluta.* Vide S. Thom. 1. 2. part. Summæ Theol. q. 110. a. 1. & 2. & Card. Bellarm. L. 1. de grat. & lib. art. c. 3. p. 475. cui loogum DD. calendarium subnectere possemus, qui ejusdem cum eo fuere sententiæ.

Veniendo ad Censuras à DD. Tbeologia latas ante & post Conc. Trident. subtilis Scotos in 3. dist. 23. q. un. edit. Antoerp. pag. 165. §. ad quæstionem dico, *quod apartet ponere fidem infusam propter auctoritatem Scriptura, & Sanctorum.....* Mayrun. in 2. dist. 27. Rubio in 2. dist. 26. q. 1. a. 2. Gabriel in 4. dist. 4. q. 1. a. 1. Post declarationem à Conc. Trid. factam seqq. DD. asserunt, certum esse de Fide, ita ut oppositum sit temerarium docere, Gratiam justificantem sive babitualem & reliqua dona illi annexa ooo esse nobis intrinseca & inhærentia. Soto tr. 2. de nat. & grat. c. 19. ubi ait, esse ingentem temeritatem bana gratiam negare. Bannes. 2. 2. q. 23. a. 2. cond. 2. Medina 1. 2. q. 21. a. 4. Salas 1. 2. tract. 10. disp. 3. sect. 4. & plures alii allegati à P. Saur lib. cit. p. 173. & seq.

XXXVIII. Vtnt sit, certe Hæresiarchæ Lutber, Calvinus, Kemnitius nunquam negarunt Gratiam habitualem sive formam justificantem, Virtutes item Tbeologicas Fidem, Spem & Chraritatem esse accidentia quinti Prædicabilis. Iterum non negarunt, hominem Gratia, Fide, Spe, & Charitate donatum habere facultatem qualemcunque discendi veritates cœlestes, præparata bona æterna expectandi, atque DEVM super omnia amandi. At negarunt ista dona esse qualitates proprie sive physice inhærentes, tanquam comprincipia in entitate sna supernaturalia, ut patet ex verbis Calvini supra recitatis.

Hæc tamen omnia salvo judicio melius sentientium dicta sunto, tetulimos censuras quasdam, non tulimus, sed expectamus judicinm illins, qui juxta SS. Canones & Concilia Jus habet anatbematizandi.

IX. Spectat ad finem Sect. III. Tract. XXVI.

Verbo, hæc quæstio, quid sit formam educi? æqnivocatione laborat. Nam si formam educi nil aliud sit, quam cum dependentia induci (hoc enim modo eductionem molti Iuniores explicant) certum est Nomenclatores sua potestate abuti, & tenebras vocare lucem, & nigrorem albedinem: & tunc non videtur cur potius forma educator de potentia materiæ, quam ista de potentia formæ; qoia neutra sine altera sit, ergo utraque educitur cum à se invicem dependeant in produci. Sed boc quicquid sit aut dicatur, nititur verborum abusu, evanescitque correcto labio. Ita Caramuel in Grammatica sua andaci n. CLXVIII.

X. Spectat ad Sect. IV. n. XXXIX, Tract. XXXII.

Idem legimus evenisse S. Severo Episc. Ravennati, quod assistens aræ sub Epistola tanquam dormiens innixus cubitis, raptus sepelierit Geminiannm Episcopum Mutinæ defunctum, Historiam babes in Actis SS. ad diem 1. Februarii. Et apud Laur. Surium eodem die. Vixit sub Iulio Papa & obiit circa an. 346.

XI. Inferatur sect. II. post n. XV. Tract. XXXIII.

XVI. Hæc doctrina dilucidatur ex Ioan. Bapt. Ptolomæo Dissert. 4. Logico-physica sect. 1. ubi num. 4. sic ait: *Ars ingenii* seu *Ars sciendi*, seu *Instrumentum & organum sciendi*, seu denique *Logica vel Dialectica*, Synonyma sunt diversa, ac unum idemque significant. Significant autem collectionem regularum seu præceptorum, quæ si observentur, infallibiter docent tum modum nunquam errandi in cogitando, tum facile plurima sciendi: bæc autem præcepta qui callet, & iis pro opportunitate scit & potest faciliter uti, dicitur *LOGICVS.*

Inventa est autem Logica proportionali modo atque inventa est Ars Grammatica, nempe usu & observatione Sapientum. Quod ipsum ibidem pulcbre ad captum juventutis explicat, præeunte S. Augustino, cujus verba adnumerat ex lib. 2. contra Academicos cap. 13. qui *Logicam seu Dialecticam* vocat *Disciplinam Disciplinarum.* "Hæc quippe docet, docere (tradendo methodum) bæc docet discere: in" bac seipsam ratio demonstrat atque aperit, quæ sit," quid velit, quid valeat: scit scire, sola scientes facere," non solum vult, sed etiam potest." Sectione autem secunda statuit conclusiones seqq. nostris plane congruas. Prima: *Logica seu Ars sciendi est collectio præceptorum seu regularum infallibilium, quæ docent modum construendi cogitationes sine errore falsitatis.* Probatur. Nam Logica ad eum finem est excogitata, ut per illam bomines caveant, ne affirment falsa pro veris, & negent verà pro falsis, atque sibi con-

contradicant: sed ad hunc finem est medium accommodissimum collectio Regularum & præceptorum, quæ tradunt infallibiliter modum construendi cogitationes sine errore falsitatis, ergò Logica consistit tum in notitia (quatenus Docens) tum in usu & executióne (unde Vtens dicitur) hujusmodi Regularum: omnes autem constructiones logicæ (ut ibidem concl. 3. habetur) seu artefacta logica reducuntur velut ad tria summa capita, quæ dicuntur *DEFINITIO, DIVISIO ET ARGVMENTATIO*, & per antonomasiam appellari solent *MODI SCIENDI.*

Secunda Conclusio: Logica Docens dicitur illa ipsa collectio præceptorum & regularum: Logica vero utens è converso est executio illorum præceptorum adeoque est collectio executionum respondens collectioni præceptorum, quod sic probat. Logica utens est usus Logicæ, sed usus Logicæ est executio præceptorum Logicæ, ergo Logica utens est hujusmodi executio.

Mihi autem melius dici videtur, Logicam Docentem sumi pro facilitate nata ex frequenti ruminatione Regularum seu Modorum sciendi, unde perfecta & bene radicata cognitio illorum oritur: sicut ex crebra exercitatione & congressu disputatorio habitus argumentandi facilis & expeditus acquiritur, qui recte dicitur Logica Vtens.

Præterea idem Author advertere hic jubet & cavere metaphoras. Logica Vtens est terminus abstractus, qui si revocetur ad suum terminum concretum, nihil aliud est quam *intellectus utens præceptis Logicæ.* (dicatur hæc Vtens actualis). Si autem Intellectus citra difficultatem facile & expedite exerceat actus Logicos, dicamus eum operari ex Habitu utente acquisito. Quid clarius?

XII. Ad finem Sect. IV. post num. XXXIX. Tractatus XXXII. De Loco.

XL. Objic. 3. Est principium lumine naturæ evidens, quod distincta sint realiter, quæ in locis distinctis sunt eodem tempore, ergo. Resp. dist. est evidens evidentia physica, hoc est non falsificabili nisi per miraculum. Conc. metaphysica. Nego.

XLI. Objic. 4. Est evidens metaphysice partem non esse æqualem toti, sed in replicatione etiam posset esse major: nam dimidium palmi bis replicati excedit palmum, & est sesquipalmus, ergo. Resp. neg. suppositum minoris. Supponis enim esse mensuram, quod essentialiter mensura non est, nempe extensio miraculosa non potest esse mensura inter quantitatem naturalem partis & totius: ut si dicere argumentum ad cognoscendum naturam rerum esse statum miraculosum, & quia accidentia miraculose sunt sine subjecto, inde inferres accidentia non exigere subjectum.

XLII. Objic. 5. Sequeretur ex casibus supra adductis Pragam & Romam, Ravennam & Mutinam, esse vicinas & tamen distantes; quia quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, sed Praga & Roma fuissent præsentes eidem Attalberto &c. Resp. Neg. suppositum. Supponis enim illud Principium extendi ad omnes denominationes: quod si verum esset, recte argueres, quæ sunt vicina seu contigua uni tertio v. g. India & Hungaria sunt contiguæ Territorio Turcico, ergo & conterminæ inter se. Vulgatum ergo illud non excedit æqualitatem, & ad summum veram & physicam & omnimodam identitatem. Nunquid quæ similia sunt uni tertio v. g. Angelus & Leo homini, sunt quoque similia inter se? Quæ inæqualia & minora uni tertio, vel cum uno tertio, an perinde sunt inter se? Ita quæ sunt localiter præsentia uni tertio, si tertium sit miraculose replicatum, non proinde sunt inter se vicina & multo pejus sunt eadem.

Objic. denique: Vna causa formalis non potest facere duos effectus formales, sed quantitas unius corporis est una, ergo unum tantum potest facere extensum & ubicatum. Resp. dist. min. una est quantitas externa corporis replicati. Nego. (hæc enim est ipsa extensio localis, quæ multiplicatur). Vna quantitas interna. Nego suppos. quod nimirum ejus effectus formalis sit facere extensum. Vide quæ diximus Tract. XIX.

XIII. Inseratur Subsect. II. post num. LVIII. Sectionis VI. Tract. XXXVIII.

LIX. Cœlestinus Sfondrati Lib. 2. Logicæ §. 3. cum formasset hanc objectionem: Istæ duæ propositiones sunt oppositæ; *Omnes homines currunt, aliqui homines non currunt.* Et tamen non sunt contrariæ: (quia altera non est universalis) nec subcontrariæ; (quia prior universalis) nec subalternæ (quia una affirmat, altera negat) nec contradictoriæ; (quia utraque potest esse falsa: fac enim 100. homines esse, ex quibus 99. currant, unus vero non currat, utraque est falsa, & hæc; *omnes currunt*, cum unus non currat; & hæc *aliqui non currunt*, cum unicus tantum non currat, & ita non *aliqui*, sed *aliquis*. Respondet, alium esse sensum hujus propositionis in rigore philosophico *omnes homines currunt*, & alium hujus *omnis homo currit*. Prima propositio, cum habeat subjectum in numero plurali, sic distribuitur, *ergo & hi homines currunt, & hi homines &c.* & ejus contradictoria non est hæc: *aliquis homo non currit*, (sic enim variatur circumstantia numeri, & consequenter tollitur contradictio) sed hæc: *aliqui homines non currunt.* Hæc vero propositio, *aliqui homines non currunt*, vera redditur in sensu assignato, etiamsi unus solus non currat. Ponamus enim illum terminum *aliquos* complecti ex 33 ternariis (qui numerum 99 componunt) unum ternarium, in hoc si vel unus non currat, verum est totum ternarium non currere, & ita verum est aliquos homines non currere, hoc est, aliquem ternarium hominum non currere. Patet ergo, istas propositiones *omnes homines currunt, aliqui homines non currunt*, esse contradictorias, & posteriorem esse veram. Ita verbotenus Sfondrati.

Vbi adverte ipsum loqui in alia hypothesi quam Caramuel; & prædictas propositiones non esse simul falsas, si ex centum unus non currat; nam etsi ex ternario duo tantum currunt, stante tertio; ad verificandam tamen hanc propositionem, *aliqui non currunt*, requiri ad minimum duos non currentes, nec sufficit unus.

XIV. Inseratur ad finem Sect. IV. post num. LI. Tract. XL.

LII. Nec omittenda est divisio Scotistarum generalis Relationis *in intrinsecus & extrinsecus advenientem.* Differentia inter utramque statuitur hæc: *Intrinsecus advenientem* vocant, quæ posito præcise fundamento & termino tribuit suam denominationem; sive, cujus ratio fundandi non requirit actionem tertii,

tii, aut quæ fit seu resultat sine motu. Sic positis duabus albedinibus, seu duobus albis, necesse est resultare relationem similitudinis, hoc est, denominabilitas similis: item posito circulo magno & parvo necesse oriri inæqualitatem. Et hanc proprie categoricam dicunt. Secus accidit in relationibus *extrinsecus advenientibus*, quales sunt, quæ fundantur in actione & passione, ubi posita fundamento & termino needum adest relatio vel denominatio relativa, sed necesse insuper ut accedat aliquod agens externum producens aut saltem uniens.

Verba Scoti in 3. sent. dist. 1. q. 1. sunt hæc: "Relatio potest dici tripliciter se habere ad fundamentum. Vno modo, quod fundamentum non potest poni sine relatione illa absque contradictione: quia fundamentum non potest sine contradictione esse sine termino illius relationis: nec etiam sine relatione ad terminum: quia ista natura necessario requirit talem terminum ad sui esse: tales sunt relationes creaturæ, in quantum creatura ad Deum in quantum Creator. Alio modo fundamentum potest esse sine relatione, quia potest esse sine termino: fundamento tamen & termino posito, necessario consequitur ista relatio, ita quod ista duo simul posita sint necessaria causa relationis; sive in utroque extremo, sive in altero. Exemplum est in albedine & albo de similitudine. Tertio modo relatio potest non necessario consequi fundamentum, quia non necessario coexigit terminum, nec habitudinem illam ad terminum: neque etiam fundamento & termino positis necessario consequitur relatio ambo extrema vel unum; sed contingenter dicitur advenire extremo, etiam postquam ipsum, & quodlibet absolutum in ipso & in termino fuerit positum in esse: & in isto modo non oportet ponere aliquod absolutum novum in altero extremorum, etiam dato quod relatio sit nova. Hoc modo se habent multæ relationes, puta communiter uniones absoluti ad absolutum. - - - - Concedo, inquit, quod non est motus nec mutatio ad relationem primo & secundo modo se habentem, & per consequens nec videtur ad relationem de genere relationis, ut ipse ibi loquitur de relatione prædicamentali: Illa enim est relatio intrinsecus adveniens, id est, necessario consequens fundamentum intrinsecus, puta quantitatem vel qualitatem vel substantiam, quæ intrinsecus inest, non absoluta necessitate, sed posito termino ad quem est relatio; quia ista non advenit, nisi propter novitatem alicujus absoluti in altero extremo, & semper est sub primo & secundo modo relationum dictarum. Sed ad relationem tertio modo se habentem, quia illa est extrinsecus adveniens, id est, non necessario consequens fundamentum intrinsecum, puta quantitatem, substantiam vel qualitatem; sed absque novitate alicujus absoluti in illo in quo est, vel in termino contingenter sequitur, potest esse mutatio: & aliquæ tales relationes forte pertinent ad illa sex principia, quæ dicuntur extrinsecus advenientia. Vnde & secundum eum in 5. phys. motus est ad *Vbi*, & tamen *Vbi* nullam formam absolutam dicit, sed tantum respectum in corpore circumscripto ad locum circumscribentem." Hucusque Doctor subtilis.

LIII. Hinc posset hujusmodi schema Relationum construi.

Relatio	Intrinsecus adveniens	similitudinis	essentialis.
			accidentalis.
		æqualitatis	
		substantiæ seu distinctionis	
	Extrinsecus adveniens, sed intrinsece denominans,	Operationis	uni.
			actio,
		Passionis	Passio.
	Extrinsece denominans	Persistentiæ	Quando.
		Vbicationis	Vbi,
		Situationis.	Situs.
		Possessionis	Habere.

LIX. Quod autem hic enumerata 6. Prædicamenta non sint nisi relationes extrinsecus advenientes, probatur Primo de *Vnione*. Relatio naturæ humanæ ad Verbum, dicta *Hypostatica*, non est Relatio transcendentalis, nec intrinsecus adveniens, quam categoricam vocamus; nec est Relatio secundum dici, nec rationis, ut per se patet, ergo restat ut sit relatio extrinsecus adveniens. Ant. probatur. Non est transcendentalis, quia non est Verbo essentialis. Non est categorica, quia potest existere Verbum, & natura humana, absque eo quod hypostatice sint unita; sed ultra requiritur agens conjungens utrumque. Non est *secundum aliquod dici*, cum revera respectum ad invicem dicant, nempe sustentantis & sustentati, multo minus est relatio rationis, ergo.

LX. Probatur secundo de *Loco* aut *Vbi*. Quod Petrus sit in loco, nec est ipsemet locus, nec ipse Petrus, nec utrumque simul præcise, sed est respectus quidam Petri ad locum, qui non mox oritur posito Petro & Loco, sed oportet Petrum poni in loco. Eodem modo applicare licet ad cætera Prædicamenta, puta actionis & passionis, ut constat ex dictis. *Quando* enim non est solum tempus & res corporea, sed requiritur coexistentia, h. e. ut res ponatur existere cum tempore. *Situs* non est locus aut dispositio partium simpliciter, sed requiritur agens & collocans. Denique *Habere*, non est ipsum corpus & vestimentum, sed respectum *vestiti* acquirit per applicationem vestimentorum ad ipsum.

Idemmet patet ad oculum in aliis possessionibus, in quibus ratio & denominatio dominii non oritur, nisi ponatur titulus v. gr emptionis, donationis, inventionis aut similis alius, de quibus ICti. De his vide infra in hoc Tract. n. LXXVI.

XV. Spectat ad calcem Tract. XXI. de Distinction.

APPENDIX.

De Distinctione Dionysiana & sensibus quarundam propositionum in Divinis.

§. I. Propositiones sumuntur in diversis sensibus, cum subjecta reducuntur ad diversum statum. Sumuntur autem res vel *realiter*. Et tunc vel essentialiter, vel superessentialiter, vel singulariter, vel personaliter.

Secundo sumuntur *intentionaliter*, & tunc vel sensualiter, vel intellectualiter.

Tertio *moraliter* seu *virtualiter*, & hoc multifariam.

Et

Et quidem ex varietate istorum sensuum nascitur formalitatum divinarum, aut etiam hypostaseon ratio, constitutio & distinctio. Nam si

Quæras I. Quo sensu Deus sit omnia? Item quid sentiendum de istis Propositionibus, videlicet: *Deus non est lapis. Deus est lapis. Deus est lapidem.*

Respondeo, duas primas esse veras, sed diverso sensu. Prima quidem in sensu essentiali; & secunda in superessentiali & eminenti. Ut intelligam tertiam, adnoto τὸ *esse* vel *sumi active*, vel *identice*. Cum *identice* connectit casus similes; at cum *active*, regit accusativum. Et est vera in Divinis ad extra, & ad & ad intra, ut Pater est Filium.

Quær. II. Quid de his propositionibus? *Petrus & Paulus distinguuntur, & non identificantur. Petrus & Paulus non distinguuntur, sed identificantur.* Respondeo, esse veras. Pronuntio Petrum & Paulum sumi *essentialiter, vel singulariter*. Sumptos modo isto ultimo, distingui realiter; sumptos autem primo, non distingui, sed identificari: non uni tertio, nam nullum datur: non inter se ita ut maneant duo homines formaliter distincti & realiter identificati; sed ita ut coeant in unam simplicissimam realitatem quæ formalitatibus careat.

§. II. De multiplicatione personali, & Trinitatis mysterio.

S. August. Lib. 6. de Trinit. ait: In summa Trinitate tantum est una Persona, quantum tres simul sunt: ita & singula sunt in singulis, & etiam omnia in singulis, & singula in omnibus, & unum omnia.

Negandæ ergo omnes formalitates Scholasticorum, & Præcisiones objectivæ. Non est Personalitas (NB) aliqua formalitas aut realitas a Natura Divina distincta, sicut Scholastici putant: sed est alius modus essendi ejusdem realitatis. Pono has propositiones

Pater identificatur Filio,
Pater distinguitur a Filio.

Et utramque veram pronuntio. An forte ideo Pater filio identificatur, & simul non identificatur, quia sunt 3 ibi formalitates (Paternitas, filiatio, divinitas) & ipsæ in divinitate identificantur, & in relationibus non identificantur? Non ideo, nam Pater non componitur ex duabus formalitatibus, sed est simplicissima realitas, & sumitur duobus modis. Idem dic de Filio & Spiritu sancto. Sumpti personaliter sunt res realitates infinitæ distinctæ. Sumpti essentialiter sunt unus Deus infinite simplex. Divinæ ergo personæ; omnes, omnes; seorsim autem simul sumptæ, sunt unica realitas, nimirum superessentialiter, essentialiter & singulariter: at vero personaliter sunt tres hypostases, & tres entitates relativæ: in Deo enim est unica eminentia naturæ, unica superessentia, unica essentia, unica singularitas, sed tres Personæ.

§. III. De Unitate personali & Incarnationis mysterio.

Pronuntio has duas propositiones: *Verbum est homo; Verbum non est homo*, veras esse, falsas esse. Si primam sumas personaliter, & secundam essentialiter, utramque admitto: Si contra, nego.

§. IV. De distinctione divinorum Attributorum ab Essentia.

Consequentia doctrinæ postulat, ut omnem distinctionem, etiam virtutum moralium in Divinis negemus. Idem nummus, si datur Victori, est litrum; si nautæ, naulus; si Magistro, minerval; & si egeno, eleemosyna. Sic similiter eadem voluntas (Divina, humana) si dat unicuique quod suum est, vocatur *Justitia*; si favet miseris, *misericordia*; si amat se alicui, *amicitia*; si sibi aliquid, *concupiscentia* &c. Unde mellifluus Doctor, L. 5. de consid. c. 5. Deus amat „ ut charitas, novit ut veritas, sedet ut æquitas, dominatur ut majestas, regit ut principium, tuetur ut salus, operatur ut virtus, revelat ut lux, assistit ut pietas. „ Unde colligo, charitatem, veritatem, æquitatem, lucem & pietatem in Deo plura esse nomina, & unam indivisibilem rem.

§. V. An sint infinitæ perfectiones in Deo? an & ipsæ distinguantur formaliter?

Continet Deus omnes perfectiones possibiles, & istæ in infinito Deo non sunt multæ perfectiones identificatæ, sed sunt unica indivisibilis, quæque mente scindi non possit, perfectio. Ut demonstrem hoc ultimum, sumo circinum, & ad geometriam clarissimam scientiam recurro. Duco lineas A B & O C I, & arcum A B C, & sic discurro. Rectitudo, concavitas & convexitas, sunt differentiæ constitutivæ & distinctivæ in lineis finitis, quas nos tendimus: at cum venitur ad corpus infinitum, coincidunt. Arcus A B C, similior erit lineæ rectæ O C I, quo major sit diameter A B: ergo si ista sit infinita, erit illa infinite similis adeoque recta, & cum arcus in rectam transit, rectitudo, concavitas & convexitas non distinguuntur. Hinc patet non male dici a multis, posita diametro infinita, ponendam pro circumferentia lineam rectam.

Hexagonum in trigono conspicio: non æquantur. Si concentrica sint, semper manebunt anguli, in quibus alterius pars sit, alterius vero pars non sit. Crescant, crescant, quamdiu finita sint, tamdiu erunt differentia, tamdiu inæqualia. Fingamus crevisse infinite, ergo coincident, nec erit angulus quem triangulus impleat, sexangulus vero non impleat. Erunt igitur in illa hypothesi Triangulus, sexangulus & Circulus una figura, ergo hæc figura infinita eminenter erit triangulus, sexangulus & circulus, ergo & eminenter quadrangulus, quinquangulus, septangulus, octangulus &c. Verbo, hoc corpus infinitum omnes figuras habebit eminenter, nullam formaliter.

Peto, anne in hac superficie infinita condistinguemus mente tres partes mutuo se excludentes, uti Thomistæ & Scotistæ in homine animal & rationale condistinguunt, & dicemus, hæc pars hujus infinitæ superficiei est infinitus circulus, illa infinitus sexangulus, & illa infinitus triangulus? Non quidem. Quid ergo? Dicamus totam hanc superficiem esse infinitum triangulum, totam esse infinitum sexangulum, totam esse infinitum circulum. Ergo eodem modo de perfectionibus, quæ in Deo philosophare.

Anne hinc sequitur nullam omnino distinctionem esse inter divinas perfectiones? Non sequitur: & si sequeretur, nihil inde mali orietur. Sequitur saltem nullam intercedere intrinsecam, quoniam distinctiones extrinsecæ, quæ in creaturis sunt, Deumque denominant extrinsecus, nullam imperfectionem involvunt.

Dico igitur I. Gradus Essentiæ, existentiæ, vitæ &c. distingui in Deo fundamentaliter, hoc est, distingui realiter in creaturis, quæ sunt fundamentum, unde extrin-

extrinſece denominamus Deum præd tum hac vel illa perfectione, quam in illis percipimus.

Dico II. Eosdem gradus diſtingui in Deo conditionaliter: quia ideo in unum coincidunt, quia Deus eſt infinitus: unde ſi ille infinitus non eſſet, realiter diſtinguerentur.

Dico III. Eosdem in Deo diſtingui realiter participialiter: quia tametſi in cauſa (Deo) omni diſtinctione careant, in effectibus ſunt diſtincti realiter, & cum hac diſtinctione poſſunt & ſolent humanitus participari.

Dico III. Eosdem in Deo diſtingui realiter participialiter: quia tametſi in cauſa (Deo) omni diſtinctione poſſunt & ſolent humanitus participari.

Dico IV. Eosdem diſtingui in Deo cauſaliter penes diverſa connotata. Deus enim prout producit *Verbum*, vocatur intelligens, & prout pondus, amens; prout omnia poſſibilia poteſt, omnipotens; prout nullo angelico aut humano ſermone ſufficienter deſcribitur, ineffabilis; prout nullis eſt perſentibilis oculis, inviſibilis; prout incapax finis, qualem habet magnitudo noſtra, aut etiam duratio noſtra, immenſus, æternus, immortalis &c. Et tandem quibuscunque diſtinguatur nominibus, unicus & ſimpliciſſimus ipſe eſt, & tota ei adſcripta diſtinctio eſt quædam denominatio extrinſeca uno aut altero modo deſumpta a diſtinctione creaturarum.

§. VI. De continentia eminenti & ſupereminenti.

In Homine v. g. omnium ignobiliorum creaturarum perfectiones & dotes continentur nobilius & eminentius, quam in brutis, plantis, elementis, ſine omni diſtinctione intrinſeca. Vt humanam ſimplicitatem dilucidem, Arithmetica ſit Advocata.

Species ſunt ſicut numeri, ait Ariſt. 8. Met. tex. 10. Nemini igitur injurii erimus, ſi eas in ordines & claſſes reducentes, ignobiliſſimas, hoc eſt, corporeas eſſe ut 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. dicamus. Nemini ſi ſecundam claſſem, quæ ſpirituales dotes & prærogativas complectitur, ad 100. usque dilatemus. Nemini, ſi tertiam, quæ ſupernaturales gratias & laurus capit, ad 1000. protendamus. Et ſtante hac hypotheſi ſic diſcurrimus. Duodenarius numerus ſecundæ claſſis eſt unicus, & tamen complectitur ſexies binarium, quater ternarium, ter quaternarium & bis ſenarium. Ergo binarius perfectius eſt in duodenario quam in ſeipſo, quia in illo eſt ſexies, & in ſe ſemel; ergo ternarius, quaternarius & ſenarius nobilius in duodenario ſunt, quam in ſeipſis. Et his conſideratis doctiſſimum quemque Formaliſtam provoco & inquiro, an poſſit in duodenario quinque formalitates dividere, quarum prima ſex binarios contineat, ſecunda quatuor ternarios, tertia tres quaternarios, quarta duos ſenarios, quinta unum duodenarium? Sane non poterit, unus enim & idem numerus, qui eminenter eſt ſex binarii, quatuor ternarii, tres quaternarii, iſte ipſe formaliter unicus duodenarius eſt.

Ergo ſiquidem ſpecies ſicut numeri ſunt, de illis ſicut de numeris philoſophabimur. Perſeitas, progreſſibilitas, vitalitas & ſenſibilitas, gradus materiales ſint ut numeri 2. 3. 4. 5. 6. anima rationalis ut 12. ergo illi ipſi in anima rationali continebuntur eminenter, adeoque perfectius & nobilius quam in ſeipſis: nam perſeitas humanæ animæ eſt ſexies nobilior lapidum & metallorum perſeitate, ſexies inquam, quia conſto hypotheſi. Progreſſibilitas & agitabilitas humanæ animæ eſt quater excellentior cœlorum & ſiderum progreſſibilitate. Vita animæ rationalis eſt ter dignior & melior plantarum & arborum vita. Et quidquid de externis ſit ſenſibus, phantaſia & reliqui ſenſus interni in homine duplo ſunt perfectiores quam in bruto. Jam diſcurre ut ſupra, & excludes facile omnes formalitates objectivas.

At quia extrinſecæ diſtinctiones non obſunt, easdem fundamentaliter, conditionaliter, & etiam cauſaliter diſtingui dicamus. Fundamentaliter, quia in ſubſtantiis ignobilioribus realiter diſtinguuntur; & hinc ſumimus fundamentum ut in rationali anima, in qua ob eminentiam coincidunt, diverſis nominibus extrinſecus condiſtinguantur. *Conditionaliter*, quia ſi non eſſet in anima ſed in ſeipſis, realiter diſtinguerentur. Et *cauſaliter* etiam, quia una eademque anima diverſos effectus producens (illos nempe quos cauſæ realiter diſtinctæ ſolent) etiam extrinſecus ab eisdem effectibus diſtinguitur & denominatur. Ita Caramuel

XVI. Inſeratur Præfationi, ut ibi notatur.

Memores quoque ſalutaris Moniti apoſtolici 2. Timoth. 2. oportere Doctorem & quemcunque Dei ſervum eſſe *docibilem. Non* enim *poteſt eſſe Doctor niſi ſit docilis*, S. Cypriano id atteſtante, hoc eſt, niſi aliorum quoque doctrinas & ſententias libenter audiat, paratus a quocunque veritatem doceri. Nihil reprobet priusquam probet, hoc eſt priusquam rationes aſſerti abſterſo mentis oculo pro & contra dijudicet. *Nihil* ſiquidem *tam incredibile eſt*, inqui Caſſiodorus, *quod non diſcendo fiat probabile.*

Neque ſumus ex iis, qui perſuaſum ſibi habent omnia ſe jam comprehendiſſe, & nullibi melius, quam in ſuo intellectu lucere ſolem veritatis. Hinc ſi aliquid audierint aut legerint, quod illorum ſententiis contrarietur, illico tanquam falſum rejiciunt, ipſoque auditu aut lectione indignum reputant; aliorum veriſſima quandoque dogmata, quorum rationes non aſſequuntur, mordaciter & ſcommatice traducunt & cenſurant, ſua vero commenta volunt haberi pro divinis oraculis. *Hi ſunt*, inquit S. Bernardinus fer. 2. poſt 3. Dom. Quadrageſimæ, *qui tanto amore amplectuntur phantaſias, errores, atque opiniones ſuas & ſectas, ut de contrariis nedum audire, vel etiam cogitare velint; tantoque odio averſi ſunt a contrariis errorum ſuorum, ut ea nec reſpicere quodammodo poſſint.* Tales Philoſophaſtri & Theologaſtri, etſi ſibi videantur eſſe doctiſſimi, judicio tamen Reverendiſſimi D. Hieronymi Hirnhaim, inter Theſſalos & Bœotos, inter gentis Arcadicæ rudentes ſive Aſinos cum puncto ſunt numerandi, ſtultorum ſaltem non ſapientum nomine compellandi, & mittendi Anticyram ubi bonus creſcit Helleborus. Eſt enim proprium ſtulti, ut *non recipiat verba prudentiæ, niſi ea dixeris, quæ verſantur in corde ejus.* Paſſus eſt non paucos ejusmodi ſuperciliofos & malevolos contradictores S. Hieronymus, quibus ſequentia inculcat, præfat. in Iſaiam: *Legant prius, & poſtea deſpiciant; ne videantur non ex judicio, ſed ex odii præſumptione ignorata damnare.*